
0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32
Jaita
MADE IN SPAIN

R. 1123

OPERUM MORALIVM TOMVS SECVNDVS,

SIVE

QUINARIUS

TRACTATUUM THEOLOGO-IVRIDICORVM.

Quo

CONTINENTVR, ET EX PRINCIPIIS THEOLOGIÆ JURISQUE PRUDENTIÆ EDISSERUNTUR

TRACTATUS QUINQUE

I. CLYPEUS CLEMENTIUM JUDICUM UTRIUSQUE FORI. II. VINDICIÆ THEOLOGICÆ ADVERSUS NONNULLOS JURECONSULTOS. III. QUINTUPLEX JUBILÆUM. IV. THESAURUS ECCLESIASTICUS INDULGENTIARUM. V. ACCUSATIO CANONICA EBRIOSI, SEU THEOLOGIA JURIDICO-MORALIS.

PLURIMUM HAC TERTIA EDITIONE AUCTI,

CUM QUADRUPLICI INDICE.

UNO AXIOMATUM THEOLOGO-JURIDICORUM,

Quæ in hoc Opere usurpantur:

ALTERO QUÆSTIONUM NOVARUM,

Quæ in eodem pertractantur:

TERTIO PRÆCIPUORUM CASUUM ET FACTORUM

Hìc repræsentatorum:

QUARTO RERUM ET VERBORUM

Locupletissimo.

AUTORE

R.P. GEORGIO GOBATO, SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

MONACHII,

Typis & Impensis, JOANNIS JÆCKLINI, Typogr. Electoralis [illegible]

ANNO M. DC. LXXXI.



PRÆFATIO AD LECTOREM NON TRANSILIENDA.

HAbes, benigne Lector, illos Quinque Tractatus, quos in Præ- 1
fatione Primæ Editionis Monachii Anno M. DC. LXIX. peracta mearum Experientiarum Theologo-Juridicarum promiseram, & quorum numerus dat huic Operi nomenclaturam *Quinarii*, multis sanè, iisque admodum variis, addo & prolixis Additionibus auctos, & ornatos. Sicut vel ex eo cognosces, quòd, cùm fuerim tunc pollicitus Tractatum de Jubileo *Duplici*, dederim in altera Editione dissertationem de *Quadruplici*, in hac verò tertia producam, edisseramque *Quintuplex*, haud parùm chartæ tribuens illis duobus, quæ Annis M. DC. LI. & M. DC. LXXVI. plurimùm fatigaverunt, cùm ipsos Reverendissimos Locorum Ordinarios, tum Theologos, & Confessarios, propter conditiones, clausulásque insolitas, quibus scatebant, insolitas, inquam, Jubilæis communibus, consuetas autem omnibus illis, quibus ad instantiam expressam Episcoporum localium fit extensio Jubilei, vigesimo quinto quoque Anno in capite Urbium Româ celebrari soliti accursu piissimarum mentium.

In hac eadem Editione exhibebitur diutissimè exspectata, tandem autem Anno M. DC. 2
LXXVI. impetrata declaratio Authentica, eáque Duplex: altera favorum in Anno Sancto impertitorum, altera etiam favorum suspensorum in ipso Anno Sancto; adeóque in hac ipsâ Editione elucescet tum an eodem Anno Sancto suspensæ sint Indulgentiæ pro articulo mortis? pro Altaribus privilegiatis? pro defunctis? proindéque etiam illa, quæ defunctis applicari solet à fidelibus obeuntibus quovis mense devotè Communionem in Nostris Ecclesiis? quemadmodum & componitur illa lis, quæ de potestate commutandi vota vi Jubilei Romani, ad Episcopatus extensâ, agitatur; quæ quidem potestas hactenus fuit immeritò suppositа à multis; sed & Sanctimonialium Confessariis affundet haud parum lucis declaratio Nova, quam exhibebo eodem Tract. III. Atque omnes Regulares perlibenter legent plenas solatio, & paterna solicitudine Bullas, quarum primam Clemens X. expedivit in maximum favorem Apostatarum Regularium resipiscentium Anno Sancto, secundam S. D. N. Innocentius XI. Initio sui Pontificatûs, quem Deus velit esse diuturnum.

Spero quoque fore, ut à pluribus benevolè legatur prolixus discursus, quem formavi circa 3
illam Novam planè quæstionem. *An indulgentia plenaria oblata omnibus piè visitantibus Sanctissimum Sacellum B. Virginis in Einsidlen, seu Eremo in Helvetia obtineri queat ipso Anno Sancto?*

Hæc & plura alia Nova suppeditabit Tractatus Tertius. Quartum autem (tametsi is, qui 4
è prelo Monacensi, prodiit Anno M. DC. L. copiosè disserat de Indulgentiis diversis à Jubileo, gratiorem tamen, ut spero, reddent illa singularia, quæ tum in altera Editione facta hîc Constantiæ Anno M. DC. LXX. Superaddidi de Alexandri VII. decreto circa moderationem Indulgentiarum: De Indulgentiis concessis ad honorem S. Francisci Xaverii, magis, magisque inclarescentis miraculis in Superiore, Inferioréque Germania: De Indulgentiis ab eodem Alexandro impertitis iis, qui apud nos obeunt Exercitia Spiritualia: De illis Indulgentiis in particulari, de quibus ego sæpissimè fui à viris in Ecclesiastica dignitate constitutis interrogatus essémne verè concessæ, an suppositiæ, & Apocryphæ. Quibus, & aliis in eadem Constantiensi publicatione hujus Libri productis in lucem accedit in hac Nova I. Synopsis eorum, quæ R. P. Andreas Mohr Ordin. Seraphici de observantia, planè mira scripsit de Indulgentia Portiunculæ: II. Quinam hoc tempore veniant nomine *Quinque Sanctorum*, & quomodo intelligenda una clausula Formulæ Indulgentiarum pro iis? III. An Indulgentiæ à Paulo V. ablatæ Regulari-

gularibus sint postmodum ab eodem restitutæ? IV. Quomodo intelligendæ sint clausulæ insertæ Brevi pro agonizantibus, solitæ dari Episcopis supplicantibus pro eo. V. Cur mutaverim ego pristinam opinionem de possibilitate actuum moralium in individuo indifferentium. VI. An Clericus curans suis sumptibus inprimi Librum cum magno lucro vendendum annumerandus sit *negotiatoribus* ? VII. Quomodo intelligenda URBANI VIII. Bulla de Festorum abrogatione ? VIII. Fusissimè disputatur de processu instituendo à Judice Ecclesiastico tunc, quando fama fert, hunc aut illum confessarium violâsse sigillum Sacramentale, ac proinde his, aliisque novarum quæstionum, resolutionúmque exemplis ostendo in actu exercito, probari mihi illud Quintiliani effatum: *Pigri ingenii est, esse iis contentum, quæ ab aliis inventa sunt.*

6 Hoc idem Volumen non incongruè appellavi *Quinarium* Tractatuum Theologo-Juridicorum. Fatebitur, qui, non dico perlegerit, sed qui evoluerit, nec esse me transgressum metas præfixas Theologis, nec misisse manum in messem planè alienam, atque Jureconsultis omnino propriam. Fatebitur is, qui perpenderit ea, quæ in Tractatu Secundo, seu Vindiciis Theologicis proferam adversus illos Jureconsultos, qui Theologos constringunt intra limites nimis angustos, & singulariter notanda est censura, quam ex sapientissimo Cardinali de Lugo describam eodem Tractatu Secundo *num.* 318.

7 Non insisto in hoc Opere illi scribendi methodo, quam secutus sum in *Experientiis* proponendo videlicet casus *Factos*, non *Fictos*, atque horum resolutione explicans universam Sacramentalem materiam; ideo autem non insisto, quia duo priores Tractatus respuunt eam methodum, posteriores paterentur quidem, at quia, quando ii viderunt primam lucem, nulla mihi dum erat orta cogitatio de tractatione facienda per narrationem, expositionémque variorum eventuum, idcirco sicuti tunc abstinui ea docendi ratione, ita nunc quoque esse mihi supersedendum judicavi, propter nimis operosam, ac minimè necessariam mutationem in singulis Sectionibus, capitibúsve faciendam. Sicut autem in prima quoque & altera impressione protuli in medium nonnullos Casus Tractatu Quinto, ita & in ista repeto eosdem cum nonnullis aliis. Hoc, & cætera omnia hoc Opere comprehensa accipe Benigne Lector eo animo, quo tibi offero, id est optimo.

FLORI-

FLORILEGIVM THEOLOGO-JURIDICUM.

Seu Elenchus plus Quadringentarum Regularum, Axiomatum, Acroamatúmque Theologicorum, & Juridicorum, in hoc Opere usurpatorum, & quorum alia etiam vulgo literatorum; alia solis supra vulgum sapientibus nota, aut familiaria sunt.

Primus numerus semper designat Tractatum: Secundus verò numerum Marginalem ejusdem Tractatus, excepto Tractatu Quinto, cujus numerus Secundus designat Caput. Tertius numerum Marginalem illius capitis. In App. designat Appendicem ad numerum præcedentem. Servatur quidem hic ordo Alphabeticus, sed habitâ ratione rei quæ in singulis Axiomatis tenet Principatum, vel quasi.

A.

Ablativus absolutus importat conditionem. V. XXXVII. 177.

Promptiora sunt jura ad *absolvendum*, quàm ad condemnandum. I. 63.

Accessorium naturam sequi convenit principalis. III. 197.

Non datur judicium secundùm id, quod est per *accidens*, sed secundùm id, quod est *per se*. V. IX. 22.

Quæ semel, aut bis *accidunt*; contemnunt Legislatores. III. 214.

Quisque *accusator* esse potest in sua, suorúmque causa. V. XLII. 77.

Actor, quod asseruerit non probando, Reum necessitate probandi non adstringit. V. XXV. 7.

Semper curandum est, ut *actus* potiùs valeat, quàm ut pereat. III. 25.

Actus, qui non valet ut geritur, saltem valet ut valere potest. IV. 65.

In liberalitatibus sustinetur *actus* usque ad legitimum modum. IV. 65.

Actus in dubio præsumitur esse ita gestus, ut sit quàm minimum onerosus. V. IV. 11.

Actus præsumitur factus secundùm ejus naturam. V. XXXVIII. 6.

Actus qui potest sonare in delictum, & non delictum, semper interpretatur, ut absit delictum. V. L. 21.

Non refert, quid de *æquipollentibus* fiat. III. 458.

Non est in *æquo*, & bono errandum sub autoritate juris. I. 79.

Æquitas est benigna juris interpretatio. I. 80.

Nulla juris ratio, aut *æquitatis* benignitas patitur, ut quæ in utilitatem hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem. I. 82.

Placuit in omnibus rebus præcipuam justitiæ, *æquitatisque*, quàm stricti Juris esse rationem. I. 80.

Par *affectionis* causa tollit suspicionem. V. XLII. 73.

Non punitur *affectus*, si non sequatur effectus. V. IX. 11.

Paria sunt non esse *affinem*, & affinitatem dissolutam esse. V. XLII. 66.

Magis creditur duobus *affirmantibus*, quàm mille negantibus. V. XLII. 100.

Necare videtur non tantùm is, qui fœtum præfocat, sed & is qui *alimenta* negat. V. XXVIII. 27.

Illi licitè negantur *alimenta* cui hæreditas. V. XXVIII. 25.

Talis quisque præsumitur, quales sunt ii, quorum *amicitia* utitur. V. XXXIII. 50.

Solus *asinus* habet cor in ventre. V. XXIII. 243.

Vocula *alius* denotat similitudinem. IV. 702.

Inductum ad *augmentum* non debet parere diminutionem. V. XLII. 246. *in Append. lit.* f.

Non te moveat dicentis *autoritas*, sed quid dicatur attende. I. 190.

Autoritas est opinio, qua quis putatur imitatione dignus. I. 23.

Rectiùs arbitror, in tanta re ratione, quàm *autoritate* superari. I. 190.

B.

OMnis Ecclesia pleno jure unita Monasterio est *beneficium* Regulare. III. 199.

Decet concessum à Principe *beneficium* esse mansurum. III. 340.

Plenissima in *beneficiis* est interpretatio facienda. IV. 39.

Adjuvari nos *beneficio*, non decipi oportet. V. XLII. 246. *in App. lit.* r.

Rapienda est occasio, quæ præbet *benignius* responsum. I. 79.

In re dubiâ *benigniorem* interpretationem sequi non minùs justius, quàm rutius est. I. 77.

Circa vitam alienam esto *benignus*. I. 168.

Benignius est favere damnum patienti, quàm lucrum captanti. I. 212.

Tu sic *bibe*, ne capiaris. V. VII. 15.

Bonum publicum est divinius privato. V. XXXVII. 62.

Uno die *bibunt* multorum dierum labores. V. XIV. 103.

C.

NIhil ita movet ad fugienda *carnis* desideria, quàm consideratio qualis sit futura mortua. V. LI. 54.

Levis duntaxat *castigatio* concessa est docenti. V. XXIX. 10.

Reliquæ virtutes utcunque dissimulari à fœminis possunt, *castimonia* gloriandum. V. XLIII. 46.

Posita *causa* ponitur effectus. V. XXV. 9.

Limitata *causa* limitatum producit effectum. V. XXVIII. 41.

Remota *causa* removetur effectus. V. XXXIII. 87.

Plus *cautionis* est in re, quàm in persona. V. XXXIV. 40.

Choreæ sunt circulus, cujus centrum est Diabolus. V. XXIII. 202.

Virginitas saltans in *choreis*, saltat in calceis vitreis. V. XXIII. 202.

Non oportet pedem in alieno *choro* ponere. II. 304.

Citatio est fundamentum Judicii. V. XXXVI. 5.

Clausula generalis non derogat speciali præcedenti, cujus expressa mentio facta non est. III. 247.

Clausula in fine dispositionis posita refertur ad omnia præcedentia, etiam diversa. III. 502.

Clausula generalis, & finalis non refertur ad omnia, quando eam præcedit aliqua specifica clausula. III. 503.

Clausula posterior non refertur ad priora, quando non est eorum eadem ratio. III. 509.

Testimonium *Clerici* adversus Laicum recipiendum non est. V. XLII. 113.

Nullus sæcularium judicum *Clericum* ullum condemnare præsumat. V. XI. 18.

Facilè contemnitur *Clericus*, qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat. V. XXVI. 25.

Clericus non potest jurare absque facultate Episcopi. V. XLII. 115.

Corrumpunt bonos mores *colloquia* mala. V. XXIII. 199.

Deus mulieri *comam* dedit ad memoriam subjectionis. V. XXIX. 1.

Commoda qui sentis, jungas onus emolumentis. IV. 187.

Non immerito præferimus speciali utilitati *communem*. I. 26.

Concesso uno, conceduntur omnia ad illud unum necessaria. V. XLII. 246. *in Append. lit.* t.

Concionator debet esse non tibia, sed tuba. V. X. 47.

Conditio ad amussim complenda est. III. 507.

Conditio mixta habetur pro completa. IV. 65.

Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus *conditio* impleatur, haberi perinde debet, ac si impleta fuisset. IV. 186. Explicatur.

Cadente *conditione* cassit conditionatum. III. 151. *in App. Historica. lit. m.*

Conditio importat formam. V. XXXVII. 177.

Conditionalis dispositio statim post impletam conditionem sortitur effectum, & non ante. III. 330.

Conditionalis non impleta conditione nil ponit. IV. 186.

Confessio propria facit plenam probationem in præjudicium confitentis. V. XXXII. 30.

Propria *confessio* est omnium probationum illustrissima. V. XXXII 30.

Nulli de se *confesso* adversus alium in eodem crimine est credendum. V. XXXII. 17.

Propria *confessio* est Regina omnium probationum. V. XLII. 195.

Nemo de se *confitentem* super conscientia scrutetur aliena. V. XLII. 43.

Ubi alia *conjectura* sumi potest, non est præsumendum delictum. V. L. XXII.

Probatio à *conjecturis* verosimilibus dicitur manifesta. V. XXV. 8.

Consensui nihil tam contrarium est, quàm vis, & metus. III. 32. *in Append. 2. lit.* oo.

Scienti, & *consentienti* non fit injuria. V. XXIII. 175.

Nullus ex *consilio*, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. V. XIII. 31.

Custodiri oportet, quod moribus, & *consuetudine* inductum est. I. 29.

Longâ *consuetudine* comprobata velut tacita civium conventio, non minùs, quàm ea, quæ scripta sunt, servantur. II. 230.

Quod potest induci lege humana, potest & *consuetudine*. V. XLV. 69.

Peccata quantumvis magna, & horrenda, cum in *consuetudinem* venerint, aut parva, aut nulla esse videntur. V. VII. 8.

Dispositio *copulata* utriusque partis veritatem exigit. III. 153.

Argumentum à *consuetis* est utilissimum ad probandum. V. XIX. 11.

Semper in *contractibus* id sequimur, quod in regione, in qua factus est, frequentatur. V. XXVIII. 51.

Qui cum alio *contrahit*, vel est, vel esse debet non ignarus ejus conditionis. V. IX. 30.

Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum *convivii*. V. XXVI. 30.

Indulgendum est *corpori*, non serviendum. V. LI. 55.

Multis serviet, qui *corpori* servit. *Ibid.*

Hoc jure evenit, ut quod quisque ob tutelam *corporis* sui fecerit, jure fecisse existimetur. V. XXX. 2.

Cùm *corpus* in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. V. XXVI. 1.

Honestum ei vile est, cui *corpus* suum nimis charum est. V. LI. 55.

Dispositum de uno *correlativo* censetur dispositum de altero. V. XXXIV. 21.

Et plectendo, & ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum *corrigatur*. I. 149.

Propter *crapulam* multi objerunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam. V. X. 47.

Crimen non contrahitur nisi voluntas intercedat. V. XX. 27.

Publicæ utilitatis interest, ne *crimina* maneant impunita. I. 34.

Cùm esurimus, sine *culpâ* comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est, ut esuriamus. I. 175.

Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest. V. IX. 33.

Qui omnia, quæ potuit, observavit, *culpâ* caret. V. X. 33.

Culpâ caret, qui ut damnum non accideret, de contingentibus nihil omisit. V. IX. 33.

Culpa ad casum non præmeditatum non est considerabilis. V. XX. 26.

Quod *culpa* caret, in damnum verti non debet. V. XXXIX. 14.

Sunt quædam *culpæ*, in quibus *culpa* est relaxare vindictam. I. 148.

Bonarum mentium est ibi *culpam* agnoscere, ubi culpa non est. I. 175.

Cupiditas indulgendo accenditur, resistendo vincitur. IV. 12.

Quis inter *cyathos* texit, quod latere voluit? V. X. 52. ad finem.

D.

NEmo *damnum* facit, nisi qui id facit, quod facere jus non habet. I. 185. & V. XI. 16.

Si *debita* sint omnino æquelia, nec quisquam decrevit, cui debito satisfacere velit, censetur omnibus pro rato satisfacere, si autem alterum sit minus, censetur graviori. IV. 216.

In alternativis *debitoris* est electio, & sufficit alterum adimpleri. III. 124.

Qui *declarat* nihil dat. III. 48. *in App. 1. lit.* f.

Definitio naturam rei explicat. II. 83. ad finem.

Omnis *definitio* in jure civili periculosa est. V. XXXI. 16.

Judex debet ex officio tueri *defunctos*. V. L. 22.

Delegatus nequit subdelegare. III. 32. *in App. 2. lit.* ff.

Paria *delicta* mutua compensatione tolluntur. V. XXXII. 50.

Infantem innocentia, furiosum fati infelicitas excusat à *delicto*. V. XX. 27.

Nemo ex suo *delicto* meliorem suam conditionem facere potest. V. XXXIX. 13.

Ubi non est animus nocendi, ibi non videtur esse *delictum*. V. XX. 26.

Ubi *delictum* non est, ibi nulla pœna esse debet. *Ibid.*

Geminans *delictum* non debet veniam consequi. V. XXXIV. 51.

De nemine præsumendum est, quod *deliquerit*. V. L. 54. & 21.

Quod est objectum honesti gaudii, est etiam objectum honesti *desiderii*. V. IX. 57.

Destructis nobis destruuntur omnia, quæ sunt in nobis. IV. 387.

Qui semel est, Deus est: Homo, qui bis: Bestia, qui ter: qui quater Dæmon: qui quinquies, est sua mater. V. XXIII. 66.

Nemo dicere præsumitur, quod non habet in mente. III. 315.

Divina clementia *dimissa* in ultionem redire non patitur IV. 664.

Ad veritatem *disjunctivæ* sufficit, unam partem verificari. IV. 429.

Jure naturæ æquum est, neminem cum damno alterius fieri *ditiorem*. V. XXXIII. 75.

A *diversis* non valet illatio. III. 392.

In brevi reversa uxor nec *divertisse* videtur. V. XXIII. 231.

Puerile, & circulatorum ludo simile est *docere*, quod ignores. II. 175.

Multo tempore disce, quod postea *doceas*. II. 382.

Turpe est *doctori* si culpa redarguat ipsum. II. 482.

Si *dolus*, & calliditas in consilio intercesserit, de dolo actio competit. V. XIII. 31.

Dominus membrorum suorum nemo videtur. V. X. 15.

Donare est perdere. V. XXXII. 29.

Dos succedit in locum alimentorum. V. XXVIII. 30.

Qui debet filiam alere, debet & *dotare*. V. XXVIII. 30.

In re clara *dubium* proferre verecundum. III. 398.

Indecens est, ut in re *dubia* certa detur sententia. V. XXVIII. 44.

In *dubio* potiùs est accipienda præsumptio, ut actus taleat, quàm ut pereat. IV. 209.

Quoties æquitas, desiderii naturalis ratio, aut *dubitatio* juris moratur, Justis decretis temperanda est. I. 79.

E.

NIhil est tam Dœmoniacum, quam *ebrietas*, & lascivia. V. VI. 17.

Arcanum demens detegit *ebrietas*. V. XIX. 52.

Ebrietas & mentis adducit exilium, & libidinis provocat incrementum. V. XXII. 3.

Ebrietas est voluntaria insania. V. XXV. 2.

Multi serpentum veneno curantur, nemo *ebrietate* V. LI. 91.

Quæ per *ebrietatem* fecisti, frequens animo volve. V. LI. 60.

Tolerabilius est in carne mori, quàm per *ebrietatem* in animo interfici. V. LI. 93. & 97.

Veneri, & Baccho convenit: duo ista Dœmonia conspirata inter se sunt, *ebrietatis* & libidinis. V. XLV. 117.

Qui se de hoc malo (*ebrietatis*) desiderat liberare, quomodo sibi intervallo dierum potum addendo ad *ebrietatis* tenebras pervenit, ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. V. LI. 93.

Ebriositas non naturæ, sed consuetudini tribuenda. V. LI. 85.

Ebriosorum est funesta vox. V. XXV. 15.

Verisimile non est, ut quis dimidiam gulam Deo immolet, aqua sobrius, & cibis *ebrius*. V. LI. 69.

Causa *Ecclesiæ* non est causa singulorum. V. XLII. 38.

Dei *Ecclesia* gladium non habet nisi spiritualem. V. XXII. 13.

In *Ecclesiasticis* personis, & negotiis rigor, & districtio juris non requiritur. I. 70.

Edacitatis vitio crescit omnis carnis tentatio. V. XXVI. 31.

Omnes causæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, *Episcoporum* sententiis perpetuo stabilitatis jure firmantur. II. 171.

Instruunt nos Patriarchæ non solum docentes, sed etiam *errantes*. V. VII. 15.

Pejus est *errare* in via morum, quam in via pedum. II. 325.

Clausula *Etiam* includit speciem diversa ab expressis. III. 492.

Clausula *Etiam* exprimit casum magis dubitabilem, & includit minus dubitabilem. *ibid.*

Frustra exspectatur *eventus*, cujus nullus est effectus. V. XXXVII. 231.

Sanctorum *exempla* perspicaciter recordare. I. 138.

F.

MUlta sunt *facienda* non jubente Lege, sed liberâ charitate. I. 156.

Qui non *facit*, quod debet, æquum est, ut non recipiat, quod oportet. V. XXXIX. 5.

Quod tibi non vis *fieri* alteri ne *feceris*. I. 80. explicatur perappositè. *ibid.*

Multa *fieri* prohibentur, quæ tamen si *facta* fuerint, obtinent firmitatem. IV. 449.

Mensæque *factis*, ac verbis declaratur. III. 364. *in App. Lit.* ii.

Facto mutato mutatur jus. V. XXXVII. 294.

Secundùm diversitatem *factorum* diversum redditur consilium. *ibid.*

Facta non præsumuntur, sed probanda sunt. V. XLV. 136.

Falx non est mittenda in messem, quæ videtur alteri esse commissa. II. 304.

Cujus *famæ*, multo magis vitæ parcendum est. V. XVIII. 8.

Famæ suæ quisque Dominus est. V. XXIX. 5.

Qui *famam* suam negligit, crudelis est. V. XXIX. 21.

Pasce *famè* morientem: si non pavisti, occidisti. V. XXX. 6.

Ut acquiratur *familiaritas*, requiritur mens, & dens. V. XLII. 171.

Favorabile interpretationem non recipit, quæ eum, cui favetur, lædere possit. III. 36.

Quod *favore* quorundam ordinatum est, ad læsionem illorum vergere non debet. IV. 351.

Nemo tenetur suo *favore* uti. V. XXXII. 54.

Festum est gulæ irritamentum, & luxuriæ occasio. V. XLV. 113.

Bona *fides* præsumitur ad præscribendum, nisi probetur contrarium. II. 105.

Filiæ tibi sunt, serva corpus illarum. V. XXXII. 20.

Qui parcit virgæ, odit *filium* suum. V. XXIX. 41.

Qui diligit *filium* suum, assiduat illi flagella. V. XXIX. 41.

Iniquissimum quis merito dixerit, patrem egere, cum *filius* sit in facultatibus. V. XXVII. 40.

Finis comparatur ad ea, quæ sunt ad finem, sicut ratio formalis ad objectum. V. LI. 15.

Quæ sunt ad *finem* debent regulari secundùm quod exigit ratio finis. V. XVIII. 15.

Qui tenetur ad *finem*, tenetur etiam ad media. V. XXVII. 5. Explicatur.

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo *fœmina*. V. XXXII. 24.

Ex eo non debet quis *fructum* consequi, quod nisus extitit impugnare. IV. 167.

Funiculus triplex difficile rumpitur. II. 409.

Furiosi Confessio ei nihil præjudicat. V. XIX. 65.

G.

EDacitas in *Gallis* natura est, in Græcis *Gula*. V. LI. 84.

Generi per speciem derogatur. V. XLII. 130.

Quod ob *gratiam* alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. V. XLII. 246. *in App. Lit.* r.

H.

IIs licitè negantur alimenta, quibus licitè *hæreditas*. V. XXVIII. 25.

In his, in quibus non invenitur jus expressum, procedendum est (æquitate servata) in *humaniorem* partem declinando. I. 61.

In ambiguis rebus *humaniorem* sententiam sequi oportet. I. 77.

I.

ABsurdum est nimia saturitate velle honorare Sanctos, quos scimus, Deo placuisse *jejuniis*. V. VII. 9.

Præsumitur *ignorantiâ*, ubi scientia non probatur. V. XXXVII. 77.

Immunitas Ecclesiastica est divino jure instituta. II. 465.

Faciliùs *impeditur* acquirendum, quàm impediatur acquisitum. V. XXVII. 47.

Qui voluntariè omittit, non dicitur *impeditus*. III. 113.

Si quis *imperitus* mathematis, de eo scribat, risui patet. II. 254.

Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. IV. 43.

Actus legitimi sunt *infamibus* interdicti. V. XLII. 13.

Infamibus portæ non pateant dignitatum. V. XLII. 13.

Præclara *ingenia* multa novant circa scientias. I. 170.

Temporum nostrorum *ingenia* non sunt despicienda, perinde ac si lassa, & effœta natura nihil laudabile pariat. I. 171.

Pigri *ingenii* est, contentum esse iis, quæ ab aliis sunt inventa. I. 170.

Nullum magnum *ingenium* sine mixtura dementiæ fuit. V. XVIII. 23.

Injuria dicitur id, quod non jure fit. II. 190.

Inde non debent nasci *injuriæ*, unde jura nascuntur. V. XIII. 37.

Ad *injuriam* referendum non est, quod quisque jure suo sibi consulat. V. XI. 16.

Sanctius est impunitum relinquere facinus nocentis, quàm *innocentem* damnare. V. XX. 25.

Aliquando & *insanire* jucundum est. V. XVIII. 23.

Quod habet *instar* rei judicatæ, habet virtutem rei judicatæ III. 35.

In ambiguis orationibus maximè spectanda est *intentio* illius, qui eas protulit. V. IV. 16.

Optimus *Interpres* verborum quisque suorum est. II. 179.

Interpretatio contra eum facienda est, qui Legem potuit dicere apertiùs. I. 69.

Unde jus prodiit, inde *interpretationem* procedere par est. I. 97.

Miserrimi ingenii est, nolle, aut non posse nisi *inventis* uti. II. 354.

Pergis non quà eundum est, sed quà *itur*. I. 205.

Oportet ut *Judex* sciat cognoscere, quidquid debet judicare. II. 237.

Judex non debet punire nisi secundùm consuetudines receptas. V. XX. 29.

In *judicando* esto pupillis misericors ut pater. I. 100.

Non ex affectu carnali, sed discreto judicio *judicandum* est. I. 184.

Res *judicata* pro veritate accipitur. V. L. 41.

A non suo *Judice* nemo potest ligari, vel absolvi. IV. 62.

Pro his, quæ à *Judice* fiunt, præsumitur, quod omnia rite fuerint facta. I. 148.

Cœpta causa apud *Judicem* delegatum durat hujus potestas, donec causa finita sit. I. 144.

Omnes magistratus, & divini *Judices* breviter lites decidunto I. 184.

Judici interroganti non juridicè non teneor respondere. V. XLII. 153.

Secundùm viam eorum faciam eis, & secundùm *judicia* eorum judicabo eos. I. 119.

In *judiciis* non est acceptio personarum habenda. I. 184.

Judex potiùs concordia, quàm *judicio* litem terminet. I. 184.

Divino *judicio* subjecti ab humano sunt exempti. V. L. 23.

In rebus ambiguis absolutum non debet esse *judicium*. V. XXVIII. 44.

Jugum meum suave est, & onus meum leve. I. 152.

Jura sanguinis nullo jure dirimi possunt. V. XXVIII. 22.

Quod potest esse objectum voti, potest esse & *juramenti* promissorii. V. LI. 61.

Juramentum in alterius gratiam factum servari debet, si sine dispendio æternæ salutis servari possit. V. XIII. 30.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum *juramentum*. V. XIII. 42.

Juramentum non est vinculum iniquitatis. V. XIX. 83.

Juramentum est instar medicinæ. V. LI. 66.

Juramentum est spiritualis quædam tortura. *ibid.*

Jureconsulti & scientiam & verba locare solent. II. 255.

Jurisprudentia est divinarum, humanarumque rerum notitia, justi, atque injusti scientia II. 95.

Quod quisque *juris* in alterum statuerit, ipse eodem utatur. II. 322.

Nemo potest plus *juris* transferre in alterum, quàm sibi competere dignoscatur. III. 197.

Actus *jurisdictionis* voluntariæ potest ubique exerceri. IV. 66.

Jure suo utens nemini facit injuriam. V. XXIV. 24.

Summum *jus* Summa injuria. I. 118.

Ubi *jus* non distinguit, nec nos distinguere debemus. I. V. 365.

L.

LAicis nulla est de spiritualibus disponendi facultas. V. XXXVII. 1.

Sicut *Leges* non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur. I. 73.

Quidquid in posteriore *Lege* non fuerit specialiter expressum, id veterum Constitutionum Regulis relictum esse intelligendum est. I V. 362. *in App. Lit.* g.

Leges adversantur, non patrocinantur fraudibus. V. XIII. 37.

Lex si voluisset, expressisset. III. 32. *in App. 2. Lit.* r. & 517. *in App. Lit.* d.

Leges intelligendæ sunt secundùm ea, quæ in pluribus accidunt, non secundùm ea, quæ rarò. V. XXXII. 2.

Leges accipiendæ sunt in sensu utili, non inutili. V. XXXIII. 72.

Extensio *Legis* in materia odiosa non debet fieri ob solam identitatem rationis. I V. 682.

Extensio *Legis* ultra omnem verborum significationem non est facienda ob identitatem rationis, nisi ea ratio exprimatur in Lege. I V. 682.

Finis *Legis* non cadit sub legem. V. XXVI. 5.

Lex rem præceptam ponit in ea virtute, quam *Legislator* intendit. V. VI. 4.

Legitimatus à principe nihil differt à legitimo. V. XXXVII. 251.

Naturaliter nascimur omnes *legitimi*, & liberi. V. XXXVII. 251.

Ubi non est *Lex*, nec prævaricatio. III. 336.

Lex declaratoria extenditur ad præterita, & futura. I V. 328.

Lex humana ordinariè non obligat in extrema necessitate. V. XXXI. 24.

Ubi de *liberando* quæritur, facilior esto ad *liberationem*. I. 78.

Libertas rebus omnibus favorabilior est. V. XXVII. 58.

Quoties est dubia interpretatio *libertatis*, secundùm *libertatem* respondendum est. V. I. 108.

Saturitati semper *libido* adjuncta est. V. XXVI. 31.

Cui non *licet* minus, nec majus licebit. V. XIII. 35.

Tuba cordis est *lingua* loquentis. V. XXXV. 12.

Ordo *litteræ* est sequendus III. 48. *in Append. 2. Lit.* m.

Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri *locupletiorem*. I. 26.

Ex quo vis *lucro* bonus odor. II. 373.

Favendum est potiùs damnum declinanti, quàm *lucrum* captanti. I. 212.

Ubi est venter cibis repletus, ibi est ignis *luxuriæ* accensus. V. XXIII. 109.

M.

MAgistri sunt Patres. II. 201.

Honestum est *Magistri* sententiam excusare. II. 222.

Optis-

Optimus est sese, qui novit cuncta *Magistro*. II. 353.

Ab omni specie *mala* abstinete vos. I. 39. & 177.

Maleficia non debent esse impunita. V. XXVIII. 49.

Omnibus *malitiis* hominum viam præcludere non possumus. V. XLII. 227.

Quælibet *mala* potiùs tolerare, quàm *malo* consentire oportet. V. XXXIII. 140.

Illud est majus *malum*, quod privat majore bono. V. XXXVII. 114.

De *malo* homine semper *malum* præsumendum est. V. XLII. 246. *in App. Lit.* s.

Diligenter fines *mandati* custodiendi sunt. III. 103.

Qui fines *mandati* excessit, aliud facere videtur. *ibid.*

Quid tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris *maritum*, vel uxorem viri participem esse? V. XXVIII. 10.

Qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad *media*. V. XXVII. 5.

Media debent esse proportionata fini. V. XVIII. 19.

Quod medicorum est, promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. II. 335.

Non potest grande aliquid, & supra cæteros loqui nisi mota *mens*. V. XVIII. 23.

Vir fortis aliena *mensa* difficilè fruetur absque læsione libertatis. V. XXVI. 30.

Nihil refert, utrùm quis *mentiatur* verbo, an facto. V. L. 63.

Metiri se quemque suo modulo, ac pede verum est. I. 68.

Judicium sine *misericordia* illi, qui non facit misericordiam. I. 111.

Melius est propter *misericordiam* rationem reddere, quàm propter crudelitatem. I. 67.

Acceptum sub *modo*, qui impropriè sit conditio, regulariter acquiritur ante *modum* impletum. IV. 449.

Modum quisque rei suæ ponere potest. V. XLII. 246. *in App. Lit.* mm.

Æquum est posteriorem *moram* nocere. V. XXXIX. 13.

Novis *morbis* nova convenit antidota præparare. I. 166

Quàm fœlix, & prudens, qui talis nititur esse in vita, qualis optat inveniri in *morte*. V. XVIII. 29.

Delicta *morte* extinguuntur. V. L. 23.

Mortui sunt inter miserabiles personas miserabiliores. V. L 22.

Mulier testis esse non potest. V. XLII. 7.

Omnis *mulier* quæ vinolenta, & comessatrix est, etiam meretrix est. V. XLIII. 61.

Quod *multipliciter* exponitur, ejus veritas ignoratur. I. 66.

Non ex *multitudine* Autorum quod melius, aut æquius est, judicato. I. 203.

Consilium *mutare* non licet cum alterius detrimento. III 302.

Mutatio non præsumitur, sed probanda est. V. L. 45.

N.

REs quælibet facilè ad suam *naturam* revertitur. III. 151. *in Append. Historica. Lit.* g. *ad finem.*

Parvo cultu *natura* contenta est, desideriis omnia condiuntur. V. XXVI. 34.

Navita de ventis, de tauris narrat arator. V. XXVI. 45.

Quod de uno specificè affirmatur, de oppositio *negari* videtur. IV. 343.

Quod de uno *negatur*, de altero conceditur. V. XXIX. 49.

In omni *negotio* hæ personæ requiruntur: Judex, accusator, reus, & testis. V. XLII. 27.

Clausula: *Non aliter* est ita præcisiva, ut nec intellectum, nec modificationem recipiat. V. XXXVII. 257.

Quod *nostrum* est, sine facto nostro in alterum transferri non potest. V. XXV. 12.

Clausula: *Nullatenus* importat universalitatem, & excludit omnem casum. V. XXXVII. 264.

O.

Obedire Deo oportet magis, quàm hominibus. V. XXXIII. 143.

Exigit Deus *Oblatum*, qui non exegerat offerendum III. 295. *Lit.* e.

Ubi de *obligando* quæritur, propensiores esse debemus ad negandum. I. 78.

Semper in *obscuris*, quod minimum est sequimur I. 65.

Occasio, quæ delictis viam aperit, amputanda est. V. XLII. 227.

Qui *occasionem* damni dat, damnum dedisse videtur. V. XXXIII. 76.

De *occultis* non judicat Prætor. II. 98.

Qui sentit *onus*, sentire debet & commodum. III. 21.

Quilibet præsumitur posse ex suo *opificio* non solùm ali, sed ditari. V. XXVIII. 24.

Communis *opinio* Doctorum non est attendenda, quando contraria favet piæ causæ. I. 195.

Singularis opinio præferenda est communi, quando nititur meliore, & subtiliore ratione. I. 197.

Ante horam *orare* providentiæ est: post horam negligentiæ; in hora obedientiæ. V. XLV. 50.

Oratio simpliciter prolata in uno actu, & in una vice consummatur. III. 383.

Ordo literæ est servandus. III. 164.

Ordo scripturæ *ordinem* voluntatis ostendit III. 48. *Lit.* m.

Hoc non est *osculum* porrigere, sed vinum propinare. V. XVII. 3.

Mens *otiosi* nihil aliud cogitare novit, quàm de escis, & ventre. V. LI. 56.

P.

PActa servabo ait Prætor. V. XLIII. 42.

Pactum rei turpis non obligat. V. XIX. 83.

Papa præsumitur probabiliter ignorare particulares consuetudines locorum. V. XXIII. 228.

Par in *parem* non habet imperium. V. XLII. 106.

In dubio tutior *pars* est eligenda. I. 156.

In toto *partem* non est dubium contineri. II. 340.

Tan-

Tanto magis decipiuntur omnes, quanto in *passionibus* fuerint. V. VII. 7.

Qui *Pastor* est, debet & esse magister. II. 149.

Beatus homo, qui semper est *pavidus*. I. 154.

Cùm sis in mensa primùm de *paupere* pensa. V. XXVI. 13.

Homo in judicio debet servire *pauperi* in quantum potest. I. 128.

Pauperum, aliarúmque miserabilium personarum curam paternam gerere debent clerici. V. XXVIII. 28.

Usque adeò *peccatum* malum voluntarium est, ut non sit peccatum, si non sit voluntarium. V. IX. 2.

Cuilibet *perito* in sua arte credendum est. II. 400.

Cavendum est, ne *pœna* major sit quàm culpa. V. XX. 26.

Ibi debet esse *pœna*, ubi noxa. V. XXXIV. 52.

Frustra *pœnicas* fores compos sui pepulit. V. XVIII. 23.

Oderunt peccare mali formidine *pœnæ*. V. XLII. 246. *in App. Lit.* r.

Qui potest facere ut possit conditioni parere, jam *posse* videtur. V. XXVII. 34.

Illud dicitur non *posse* fieri, quod licitè fieri nequit. V. VIII. 40.

Nolle in culpa est nostra, & non *posse* prætenditur. V. XVIII. 11.

Cùm omnes *potando* viceris, vinceris à dolio. V. XII. 10.

Fas non est, ut divini muneris Ministri temporalium *potestatum* subdantur arbitrio. V. XXXII. 46.

Qualis esus talis *potus*. V. LI. 69.

Præcepta particularia sunt interpretanda instar universalium. V. XXXVII. 222.

Præceptó quisquis non obtemperat, reus est & debitor pœnæ. I 64.

Superfluum est *precibus* postulare, quod Lege permissum est. V. XLV. 62.

Præfatio Legis dat intellectum toti Legi. V. XXVI. 53.

Ex præteritis præsumitur de *præsenti*. II. 273. & V. XXV. 9.

Ex præteritis *præsumitur* circa futura. II. 273. V. XXV. 9. & XXXIV. 20.

Præsumptio nobilior est attendenda, & major vincit minorem. V. VIII. 28.

Primum in unoquoque genere est exemplar cæterorum. I. 98. & V. XXXVII. 222.

Princeps debet habere unum calamum, & unam linguam. IV. 318. ad finem.

Explorati juris est, ut quibus *principale* committitur, & accessorium committatur. V. XXXVI. 10.

Cùm *Principalis* causa non subsistit, plerumque nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent. V. XXVI. 63.

Voluntas *principis* nunquam debet frustrari, nec inefficax reddi. IV. 239.

Privilegia plus non operantur, quàm verbis exprimant. III. 394.

Privilegia nemini præjudicantia non amittuntur per non usum. IV. 356.

Privilegia non debent esse captiosa. IV. 606.

Privilegia Regularium sunt in dubio interpretanda in horum favorem. V. XXXVII. 159.

Quidquid per *privilegium* acquiri potest, etiam per consuetudinem acquiri potest. IV. 78.

Privilegium debet in dubio reputari potiùs reale, quàm personale. V. XXXVII. 159.

Probationes contrariæ invicem conquassantur. V. XLV. 135.

Ille *processus* non valet, in quo servatus non est debitus modus inquisitionis. V. XIII. 37.

In re communi potior est conditio *prohibentis*. II. 199.

Quando aliquid *prohibetur*, interdicitur similiter omne id, per quod pervenitur ad illud. V. XXVII. 33. Explicatur. *n. 99.*

Non enim propositum, aut *promissum* infringit, qui in melius mutat. III. 97.

In malis *promissis* fidem non expedit observari. V. XIII. 42.

Propositio indefinita æquivalet universali. V. XXXVII. 213.

Unaquæque *provincia* abundet in suo sensu, & præcepta majorum Leges Apostolicas arbitretur. V. XXIII. 227.

Intellige quæ sunt *proximi* tui ex te ipso. V. XIII. 49.

Mandavit Deus unicuique de *proximo* suo. V. XII. 49.

Probrum sit *puellæ* bibisse vinum. V. XLIII. 41.

Q.

QUalitas nequit esse sine subjecto. III. 510.

Qualitas nunc existens in subjecto præsumitur inextitisse ab ortu, si potuit. V. XXVIII. 85.

Qualitas veræ legitimitatis habet juris assistentiam. V. XXVIII. 85.

Qualitas adjuncta verbo intelligitur secundùm qualitatem verbi. V. XXXVII. 172.

Non-entis nullæ sunt *qualitates*. III. 510.

Clausula: *quivis* universalis est, & omnia comprehendit. III. 491.

R.

NUlli mihi meorum magis parendum esse, quàm *Rationi* existimo. I. 199.

Væ *Regno*, cujus Rex puer est, & cujus Principes manè comedunt. V. XXIII. 63.

Proxima *Regula* honestæ operationis est Judicium. I. 157.

Regula est quæ rem, quæ est, breviter enarrat. II. 106.

A Regula standum est, donec contrarium probetur. V. X. 35.

Ratio desumpta ex *Regulâ* est firmissima. V. XLII. 94.

Regulæ juris sunt tenaces. V. XLII. 43.

Regulæ inhærendum est, donec de fallaciâ constet. V. XLII. 94.

Qui habet *Regulam* pro se, dicitur fovere jus certum. V. XLII. 71.

Non sermoni res, sed *rei* sermo est subjectus. II. 346. ad finem.

Testimonio *Religiosi* creditur pluspuam Laici. V. XLII. 154.

Cùm

Cùm sunt jura partium obscura, favendum est *Reo* potiùs, quàm Actori. V. XXVIII. 43.

Res una & eadem diverso respectu diverso jure censenda est. IV. 597.

Res quælibet intelligitur cum qualitatibus suis. IV. 695.

Res quælibet transit cum suo onere. *Ibid.*

Princeps in suo *Rescripto* censendus est se cum jure communi conformare, quantum potest. IV. 403.

Peccatum non dimittitur nisi *restituatur* ablatum. II. 110.

Datum ob causam, causâ non secutâ obnoxium est *Restitutioni*. V. X. 34.

Qui habet actionem ad repetendum, habet quoque actionem ad *retinendum*. V. XL. 10.

Omnia *revelabilia* continentur sub sacra doctrina, tanquam sub una scientia. II. 97.

Reversurus in brevi habetur pro jam reverso. IV. 608.

Immoderatus *rigor* disciplinæ quos corripit, non corrigit. I. 179.

S.

SUbstantia summi *Sacerdotii* nostri, sunt eloquia divinitus tradita. II. 424.

Labia *Sacerdotis* custodient scientiam. II. 178.

Nemo quantumvis peccator præsumitur immemor suæ salutis æternæ in extremis constitutus. V. L 45.

Utiliùs *scandalum* nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. I. 132. & V. XXXVII. 63.

Etsi desideranda sit eminens *scientia* in Pastore, in eo tamen est competens toleranda. II. 183.

Caveat spiritualis judex, ut, sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere *scientiæ*. II. 237.

Quia tu *scientiam* repulisti, ego te repellam. II. 177.

Solis *Scripturarum* libris, qui Canonici vocantur didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum autorem scribendo errâsse firmissimè credam. II. 218.

Nullum *Secretum* est, ubi regnat ebrietas. V. XIX. 52.

Quoties idem sermo duas *sententias* exprimit, ea potissimum accipitur, quæ rei gerendæ aptior est. III. 429.

Anima *Sicca* est sapientissima. V. LI. 104.

Parentis locum *socer* obtinet. V. XLII. 75.

Ejusdem est *solvere*, & ligare. V. XLII. 106.

Qui parum diligentem *socium* assumit, de se queri debet. III. 32. *in App. 2. Lit.* pp.

Nec affectatæ *sordes*, nec exquisitæ deliciæ laudem pariunt. V. XXIII. 111.

Quæ sunt *speciali* nota digna, non censentur revocata, nisi eorum fiat, mentio specialis. IV. 671.

Id potissimum habetur, quod ad *speciem* directum est. I. 194.

Speculum formæ est æs, animi autem vinum. V. XIX. 53.

Spoliatus est ante omnia restituendus. V. XI. 23.

Sponte fieri dicitur, quod sit nemine petente. III. 32. *in App. 2. Lit.* nn. Explicatur. *ibid.*

Statuta particularia sunt instar Legum communium intelligenda. V. X. 30.

Amicus *stultorum* similis efficietur. V. LI. 59.

Subrogatum sapit naturam illius, cui subrogatur. IV. 632. *in App. Lit.* ii.

Excludenda est omnis nefanda *suspicio*. V. XXXII. 24.

T.

PErmulti plus *tabernam* die festo visitant, quàm templum. V. XLV. 105.

Eadem est vis *taciti*, & expressi. V. XXVII. 84.

Tempus Legis qui non observat, non censetur formam legis observare. III. 198. §. 2. Quia

Mille *testes* singulares non plus probant quàm unus. V. XLII. 99.

Non creditur *testi* nisi jurato. V. XLII. 101.

Edictum de *testibus* est inhibitorium. V. XLII. 167.

Testimonii dicendi jus est generosa dignitas. V. XLII. 13.

Testimonium unius non sufficit ad condemnationem alterius. V. XLII. 79.

Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est. V. XLII. 67.

Testis esse non potest, qui accusare non potest. V. XLII. 76.

Testis debet deponere de his, quæ novit, vidit, & quibus interfuit. V. XLII. 108.

Testium Regula est permissiva. V. XLII. 2.

Theologia reliquarum scientiarum Domina, & Regina est. II. 117.

Theologia est sapientia, & divinarum, humanarúmque rerum & causarum scientia. I. 117.

Theologia utitur aliis scientiis, tanquam ancillis. II. 118.

Theologiæ Doctores sunt quasi principes artifices. II. 251.

Qui ex *timore* præceptum facit, aliter quàm debeat facit, & ideo jam non facit. V. XLV. 78.

Tuba cordis est lingua loquentis. V. XXXV. 12.

Allegans suam *turpitudinem* audiendus non est. V. XXV. 10.

Suam *turpitudinem* allegans excipiendo auditur. *ibid.*

Nemini sua *turpitudo* prodesse debet. *ibid.*

U.

QUoties in actionibus, vel exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum id est accipi, quo res, de qua agitur, magis *valeat* quàm pereat. III. 36. ad finem.

Verba ambigua unius dispositionis explicanda sunt per clariora alterius. II. 429.

Cui non conveniunt *verba* Legis, nec convenit Legis dispositio. III. 32. *in App. 2. Lit.* q.

Non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu *verba* exaudiri debent. III. 139.

Verba etiam privilegiorum debent intelligi secundùm id; ad quod principaliter proferuntur. III. 485.

Verba Rescripti non sunt restringenda ad conditionem, iis nullo modo significatam. III. 488.

Cui.

Cui conveniunt *verba* dispositionis, debet & convenire dispositio. IV. 260.

Verba dubia interpretanda sunt secundùm consuetudinem testatoris. IV. 669.

Verba in quantum sonus, non sunt in nocumentum aliorum. V. XIX. 24.

Non *verbis*, sed ipsis rebus Leges imponimus. II. 343.

In peccatis *verborum* maximè spectandum est, quo animo proferantur. V. XXIX. 24.

In obscuris inspici solet, quod *verosimilius* est. I. 112. *ad finem.*

Laudamus *veteres*, sed nostris utimur Annis. I. 174.

Tritissima quæque *via*, & celeberrima maximè decipit. I. 205.

Extra *viam* publicam ne deflectas. I. 8.

Victus appellatione significantur, quibus curandi, tuendique corporis nostri gratia utimur. V. XXIV. numero 34.

Longi temporis *victum*, brevis hora consumit. V. XLV. 103.

Clausula: *Prout tibi videbitur*, designat regulatum, prudénsque arbitrium. III. 500.

Vim vi repellere omnia jura, omnésque Leges permittunt. V. XIX. 6.

In *vino* veritas. V. XIX. 62.

Hic à *vino* deplumatus est. V. XLV. 109.

Vinum moderatè sumptum excitat mentem ad altas speculationes. V. XVIII. 25.

Speculum formæ est æs, animi autem *vinum*. V. XIX. 53.

Sponsa Christi *vinum* fugiat præ veneno. V. XLIII. numero 8.

Vinum, potus est utilissimus, & pharmacum suavissimum, obsonium quàm minimè noxium, si temperatum esse contigerit. V. LI. 34.

Vinum in rempore potiùs modicè sumas, quàm ut aqua diluas. V. LI. 35.

Qui frigore rigent, iis aut omnino subtrahendum *vinum* est, aut adhibendum est multâ aquâ dilutum. V. LI. 36.

Per iniquum videtur esse, ut pudicitiam *vir* ab uxore exigat, quam ipse non exhibuit. V. XLIII. numero 49.

Vir est & tunc, quoties id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. V. XI. 23.

Non est misericors, sed crudelis, qui *vitiis* nutriendis parcit. I. 34.

In causa *universitatis* potest quilibet de universitate testificari. V. XLII. 40.

Qui è duobus *unum* exprimit altero tacito, censetur negare hoc alterum. III. 517. *in App. Lit.* d.

Unius testimonio non est credendum. V. XLII. numero 79.

Vox *unius*, vox nullius. V. XLII. 80.

Crimen *unius* testimonio probatum, impedit promovendum, non dejicit jam promotum. V. XLII. numero 86.

Voluntas, & propositum distinguit maleficia delinquentium. V. XX. 27.

Impossibilium nulla est *voluntas*. V. XXXVII. 241.

Voluntas in omnibus dominatur. V. XLII. 246. *in App. Lit.* mm.

Voluntatis mutatio non est præsumenda. V. L. numero 45.

Usu trita non sunt reformidanda. I. 210.

Uxor est viri socia, & non mancipium. V. XXIX. numero 14.

Uxor, & vir sunt pares in jure conjugii. V. XLIV. numero 2.

In iis solis debent *uxores* esse viris subjectæ, quæ contra mandata Dei non veniunt. V. XXXIII. 66.

X.

XEnia passim accipere est vilissimum, omnia avarissimum. I. 184.

ELEN-

ELENCHVS QVÆSTIONVM RARIORUM, AUT NOVARUM.

Ex Tractatu I.

AN ſtante probabilitate ſpeculativa, quòd mulieres quinquagenariæ non teneantur Lege jejunii, ſit id ipſum practicè probabile. *n.* 19.

An omnis opinio tuta excludat omne periculum peccati etiam materialis. 21.

An judices utriuſque fori ſectantes communiter ſententias mitiores, certò probabiles, practicè rectiùs agant, quàm qui ſectantur communiter rigidiores è certò probabilibus. 31. 58. & toto Tractatu.

Sítne laudabilius ſequi opinionem magis, quàm minùs probabilem practicè. 49.

Utrùm ſectans communiter opinionem benigniorem practicè, ſequatur hoc ipſo in concreto communiter probabiliorem. 158.

Ex Tractatu II.

QUæ ſit definitio Theologiæ Moralis. *n.* 83.

An Theologi mittant falcem in meſſem alienam, quando uſurpant Axiomata, vel Regulas Juris. 105.

Explicatio materiarum pendentium ex Lege naturali, contentarum autem in corpore Juris, ſpectétne ad Juriſtas, an potiùs ad Theologos. 132.

An Theologi jam fuerint primis ſæculis periti legum, & Canonum. 173. & 185.

An Theologis tractantibus materias juridicas patrocinetur titulus legitimæ præſcriptionis. 191. *& ſeqq.*

An fuerint Sancto Thomæ omnia divinitus infuſa. 214. *& ſeqq.*

Cur Theologi ſæpius, quàm Juriſtæ conſulantur in materiis Juris Canonici. 253. *& ſeqq.*

An ii, qui nunquam frequentârunt ſcholas juridicas, nequeant ſolidè ſcribere de materiis Juris? 276.

An poſſit ſine Magiſtro diſci aliqua ſcientia, vel ars. 285. *& ſeqq.* & 355.

Quas materias juridicas tractent licitè Theologi, quas illicitè. 313. *& ſeqq.*

Unde Theologi didicerint ſcribere de rebus Juridicis. 339. *& ſeqq.*

An boni Theologi ſint etiam boni Juriſtæ. 345.

An poſſit tutò credi Theologis ſcribentibus de materiis Juris. 365. *& ſeqq.*

Quatenus Judicium Theologorum de materiis juridicis præferendum ſit, aut non ſit judicio jureconſultorum. 391. *& ſeqq.*

Utrùm Epiſcopus debeat eſſe Theologiæ potiùs, quàm Canonum Doctor. 428.

Ex Tractatu III.

QUid intelligatur nomine Jubilei abſolutè prolato. *n.* 4.

An ſola indulgentia jubilei Anni Sancti obtineatur ab iis, qui ingreſſi iter Romanum nequiverunt perficere illud 20. & 21.

An graviter delinquant Prælati non docentes ſuos neceſſaria ad Jubileum. 22.

Quid per Anachoretas, & Eremitas intelligatur in Bullis Jubileis. 29.

An PP. Carthuſiani ſint verè Eremitæ. 29.

Quid intelligatur per detentos in carcere. numero 29.

Quid per impeditos diuturnâ infirmitate. 29.

Quid per mancipatos perpetuâ clauſura. 30.

An Sanctimoniales non ſervantes perfectam Clauſuram potiantur *Jubileo* oblato mancipatis perpetuâ clauſura. 30.

An PP. Carthuſiani habeant clauſuram huc requiſitam 30.

Quomodo intelligenda intentio hypothetica, quæ exigitur in Sanctimonialibus pro lucrando Jubileo. 30.

Quomodo intelligenda opera præſcripta illis, & aliis. 31.

Quomodo invaletudo orta ſub initium, aut finem Jubilei patrocinetur. 72.

Quomodo intelligenda Bulla pro Religioſis apoſtatis redeuntibus ad ſuum Ordinem. 32. *in App. 2. Lit.* k. *& ſeqq.*

An etiam ad Moniales extendatur. *Lit.* r.

Quid ſi apoſtata talis habeat uxorem & liberos. *Lit.* pp.

Sítne jam probabile non ſuſpendi in Anno Jubileo indulgentiam noſtram Menſtruam, ſive Communionem Generalem? 48. *in App. 2. Lit.* g.

Sítne noſtris Germanicis Collegiis conceſſa alio titulo, quàm cæteris extra Germaniam. *Ibidem Lit.* n.

An Einſidlenſis Indulgentia plenaria ſuſpendatur in Anno Sancto. 48. *in App. 3. Lit.* q.

Quid

In hoc opere deciſarum.

Quid intelligatur per indulgentiam *in forma* Jubilei. 33.

Quomodo intelligenda quædam clauſula inſerta indulgentiæ pro perſonis Societatis JESU. 35.

Quomodo intelligenda clauſula: *Citra Annum Jubileum.* 55.

Quid de indulgentiis ſeptem, vel quindecim Annorum cenſendum, quando earum continuatio, vel principium incurrit in Annum Jubileum. 56.

Quid de indulgentia plenaria, quæ debetur emittentibus Profeſſionem Religioſam. 17.

An ea obtingat etiam ingredientibus Novitiatum. 17.

An quidam Vicarius Generalis, Jubilei tempus validè reſtrinxerit ad unam hebdomadam. 63.

Quot diebus conſtent Menſes, & Hebdomadæ, quando Jubileum arctatur intra duos menſes, aut duas hebdomadas. 64.

An ſi Epiſcopus declaret, omnia opera eſſe perficienda intra unam hebdomadem, ſit opus ſtare hac declaratione. 63.

An Prælati Regulares habeant per ſe jus determinandi tempus, & Eccleſias pro Jubileo. 66.

An publicandi Bullas Jubileas. 67.

An Prælati mortaliter peccent differentes publicationem jubilei. 68.

An tunc pereat gratia jubilei. 69.

Quid agat parochus, qui circa Dominicam Palmarum accipit Bullam jubileam. 71. & 204.

An jubileum poſſit inchoari quolibet die hebdomadæ. 71.

Quatenus ſit neceſſe orare ad intentionem præfixam à ſummo Pontifice pro lucrando jubileo, & ceteris indulgentiis. 76. *& ſeqq.*

An intentionibus præfixis à Pontifice liceat adjungere aliam. 85.

An commutatio, & prorogatio poſſit fieri ſolùm reſpectu irretitorum cenſuris, & votis. 164.

An pro jubileo orans in cubiculo, vel capella Domeſtica illius monaſterii, cujus Eccleſia eſt ab Epiſcopo deſignata, ſatisfaciat perinde, ac ſi in illa ipſa Eccleſia precaretur. 135.

An Epiſcopus poſſit deſignare loco Eccleſiæ ſtrictè dictæ oratorium privatum, vel Eremitorium. 36.

Quamdiu orandum, quando Bulla præcipit orari *per aliquod temporis ſpatium.* 140.

Quomodo ſit intelligenda continuatio orationis per horas quadraginta, quando indulgentia datur iis, qui interſunt orationi quadraginta horarum continuatarum. 146. *& ſeqq.*

An ſi oratio 40. horarum continuetur ad quinquaginta, lucretur indulgentiam is, qui orat hora illius comprecationis quadrageſima quarta. 150.

Quomodo inter ſe differant Bullæ jubileæ, quatenus injungunt Sacram Communionem. 178.

Lucraturus indulgentiam Communionis Generalis an teneatur, ſi animam velit eripere purgatorio, offerre pro hac ſuam Communionem, aut ſaltem orare pro eadem. 193.

An illa Communio poſſit in decurſu Anni Sancti applicari animæ defuncti. 195. & 98.

An illa Communio celebrari poſſit in diverſis Eccleſiis Societatis, ſi hæc habeat diverſas in una urbe. 198. §. 3. *Tametſi.*

An in prædio ſuburbano, aula Gymnaſii, & templo Societatis ſimul. 198. §. *Nomine & ſeq.*

Quænam ſint Eccleſiæ ſæcularium, in quibus eſt fas celebrare illam Communionem. 199.

An ſufficiat orare unicum *Pater*, & *Ave.* 194. & 200. § 7.

An Ordines Mendicantes participent nobiſcum in hac gratia. 200. §. 8.

An ſi Eccleſia præſcripta viſitetur veſperi præcedente Dominicam deſignatam, ſatisfiat conditioni de ea viſitanda in Die Dominica. 200. §. 10.

Quid ſi orationem præſcriptam perficias primùm poſt cœnam, in cubiculo, vel lecto. 200. §. 10. *ad finem.*

An quando jejunia jubilei incidunt in hebdomadem Paſchalem ſit opus ea obſervare. 202. & 203.

Mendicus quam eleemoſynam dabit pro jubileo. 216.

An revera quivis Regularis tempore jubilei validè eligat ſibi Confeſſarium, qualemcunque approbatum ab Ordinario. 225. & 226.

Quid peculiariter obſervandum de Monialibus circa ejuſmodi electionem. 227.

An, & quomodo revera poſſit quis diu poſt integre tranſactum tempus jubilei, frui omnibus favoribus, quibus poterat gaudere ipſo tempore Jubilei, ſed vel noluit, vel oblitus fuit petere impertitionem talium favorum. 240. 242. & 243.

An, & quatenus poſſit quis unum favorem jubilei petere ab uno confeſſore, alium ab alio, etſi neutri confiteri cogitet. 241.

Quæ differentia inter novas, & antiquas Bullas ratione abſolutionis ab hæreſi tempore jubilei. 248. *& ſeq.*

Quid denique concludendum de poteſtate abſolvendi ab hæreſi, quando in Bulla jubilea nulla planè hujus mentio fit. 248.

An quando non datur poteſtas abſolvendi ab hæreſi, hocipſo negetur poteſtas abſolvendi à caſibus ſapientibus hæreſin. 250.

An valeat abſolutio à cenſura data illi, qui conſcius incurſæ reipſa à ſe petit abſolutionem dicendo. *Si ſum aliqua cenſura irretitus, peto abſolutionem.* 260.

Sítne in foro externo ſtandum teſtimonio Confeſſarii Jubilaris, teſtantis, hunc aut illum eſſe à ſe abſolutum à cenſura. 275. & 276.

An pœnitens, aut Confeſſarius facilè credere poſſint, Jubileum eſſe reipſa obtentum. 335.

Elenchus quæstionum Rariorum, aut Novarum.

An, & quatenus delinquat, qui negligit lucrari Jubileum. 336. *& seqq.*

Quo casu jubileum pereat mortuo Pontifice. 339.

An mortuo Pontifice, qui indixit jubileum, possit Episcopus eundem nihilominus promulgare. 340.

An sede vacante perseveret jus lucri faciendi indulgentias generatim. 341.

Utrùm expediat Populo Christiano frequens largitio Jubileorum. 348.

Utrùm Bulla Innocentii X. pro Anno Sancto fuerit intelligenda eo sensu, quo priorum Pontificum. 350.

Veréne fuerint illi ipsi favores impertiti ab Innocentio X. per Bullam jubilei Anni Sancti. 357. *& seqq.*

An similiter per Bullam Clementis X. pro Jubileo Anni 1675. *numero 364. in Append. Lit. mm.*

An indulgentia Anni Sancti semel obtenta reviviscat per totam deinceps vitam. 365. *& seqq.*

Utrùm in Jubileo Anno 1651. oportuerit in unaquaque Diœcesi designare solùm quatuor Ecclesias visitandas ab omnibus Diœcesanis. 427. *& seqq.*

An Confessarii deputati pro illo Jubileo debuerint Confessiones excipere in ipsomet templo. 435. *& seqq.*

An ii potuerint commutare vota. 442.

An ii, qui non sunt membra confraternitatis, si se jungant huic incedenti processionaliter, fruantur dispensatione oblata confraternitatibus procedentibus processionaliter. 445. *& sequentibus.*

Utrùm in præfato Jubileo adfuerit facultas absolvendi ab irregularitate occulta orta ex delicto. 449.

Quomodo intelligenda clausula: *Ad effectum Jubilei consequendum.* 451. *& seqq.*

An excommunicatus occultus immiscens se processioni confraternitatis fruatur in tali Jubileo favore, quo alii. 454.

An quando Episcopus declaravit, sufficere undecim visitationes Ecclesiarum cum quatuor processionibus, lucretur jubileum, qui tantùm quinquies visitat, singulariter si processiones sint perdifficiles. 455. & 456.

An auditio Sacri in die festo possit haberi pro visitatione Ecclesiæ. 458.

In quonam consistat discretio, quàm paroehus observabit in mutatione visitationis Ecclesiarum. 459.

An Episcopus possit designare unicam tantùm Ecclesiam. 460.

An possit deputare Ecclesiam Regularem pro visitatione: ejus autem Regulares non eligere pro Confessariis? *Ibid.*

De quodam Archidiacono, an potuerit publicare jubileum. 461.

An peregrini potuerint nominari Christi fideles Constantiensis Diœcesis, & sic frui beneficio Jubilei concessi Christi fidelibus Diœcesis Constantiensis. 463. *& seqq.*

An suspensus à Beneficio, & subjectus Interdicto locali potuerit lucrifacere illud Jubileum. 470.

Nominibus Senum, & Virginum quænam intelligantur in Bullis jubilei. 471. & 474.

Utrùm pagus veniat nomine universitatis. 475.

An Religiosus lucratus Constantiæ jubileum, postea missus ad aliam Diœcesin, in qua nec dum erat publicatum, potuerit illud iterum obtinere. 476.

Clausula: *A die publicationis*, quomodo intelligenda in hac Bulla. 479.

An constituti in articulo mortis proximo possint pridie publicationis frui jubileo. 481.

Utrùm illi soli potuerint gaudere hoc jubileo, qui Anno priore nequiverant visere limina Apostolorum. 485.

An in illa Bulla sub casibus etiam Bullæ Cœnæ fuerint intellecti Episcopales, etiam stante quodam Decreto Alex. VII. 491. & 494. *cum seq.*

An Diœcesanus commorans extra Diœcesin fuerit capax hujus jubilei concessi suæ Diœcesi. 497.

An Episcopis fuerit revera facta potestas disponendi pro suo prudenti arbitrio de omnibus omnino conditionibus personarum, rerum, locorum expressis in ipsa Bulla. 499. *& seqq.*

Ex Tractatu IV.

Quid censendum de negligentibus, aut studiosè consectantibus indulgentias. 47.

Quantopere differant indulgentiæ hujus sæculi, à priscis. 115.

Utrùm, quando homo Religiosus relinquit post se moriens multas Intentiones Indulgentiarum nondum distributas, possit ejus superior jure quodam hæreditario sibi vindicare distribuendas etiam in alios. *n. 131.*

Quantam devotionem exigat Pontifex offerens indulgentiam orantibus devotè. 233.

Sintne indulgentiæ tam faciles obtentu, ut ob spem earum prudenter minuatur persæpe pœnitentia Sacramentalis. 243.

An, & quatenus sit necesse orare, aut alia opera peragere ad intentiones præscriptas. 178. *remissivè.*

Quomodo intelligenda Urbani VIII. declaratio circa illam quæstionem, Utrùm indulgentia concessa uni Ecclesiæ, jam antea prædità aliâ, subsistat. 317.

An saltem tunc subsistat, si idem Pontifex eodem die concedat eidem loco Sacro duas diversas indulgentias. 318.

An cum festo transferatur indulgentia concessa pro illo. 321. *& seqq. fusè, & distinctè.*

Quid

In hoc opere declarum.

Quid specialiter censendum de Bulla Sixti V. tangentis translationem festi Annuntiationis. 336.

Quid intelligatur per Salutem Romani Pontificis, quando jubemur pro illa orare. 341.

An omnes Christi fideles adipisci valeant in Ecclesiis Societatis JESU indulgentias stationum. 343. 344. & 345.

Indulgentiâ Portiunculæ an omnes Ecclesiæ Minorum gaudeant per viam communicationis. 351

An ad eam lucrifaciendam exigatur sacra communio. 352.

An ea indulgentia suspendatur in Anno Sancto. 353.

An obtineri valeat in omnibus Ecclesiis aliorum Ordinum Mendicantium. 354. ad initium; & *in App. Lit.* f.

An per imagines Sanctorum affectas indulgentiis intelligantur solorum Canonizatorum. 367.

Quomodo oporteat apud se habere res indulgentiis affectas. 373. *& seqq.*

Quomodo Pontifex jam pridem vita functus possit largiri vivis indulgentiam. 386.

Quanta debeat esse fractura, vel ruptura rei ornatæ indulgentiis, ut hæ censeantur periisse ob illam rupturam. 390.

An indulgentia concessa Cereo Agno Dei remaneat in singulis particulis, in quas dividitur ille Agnus Dei. 395.

Potuítne olim quis indulgentiam applicatam à se alicui rei transferre in aliam. 405.

Utrùm Indulgentia promissa omnibus communicantibus, obveniat ter sacerdoti ter in die sacrificanti. 436. in *Appendice Prima. Litera. c.*

Utrùm Nuntii Apostolici polleant jure impertiendi indulgentiam ducentorum dierum toties obtinendam, quoties recitatur quædam oratio Sancti Francisci Xaverii. 438.

An singulariter post Declarationem Alexandri septimi, quando recitatur coram qualibet Imagine S. Xaverii. 439.

An subditi Diœceseon ad quas extenditur Nuntiatura, consequantur dictam indulgentiam, si commorentur extra Nuntiaturam, & singulariter si sint Religiosi. *ibid.*

Deciduntur variæ novæ quæstiones de Indulgentiis Urbani VIII. 441. *& seqq.*

An impressio indulgentiarum concessarum ab Innocentio X. & Clemente IX. impediat horum valorem. 444.

An aliarum itidem impressio deroget valori. 447.

Quinam censendi *solere* aliquod pium opus obire, ut tales possint nancisci indulgentiam oblatam *solitis* hoc, aut illud facere. 451.

Indulgentia concessa alicui loco an extendatur ad peregrinos quoque. 463.

Sítne majoris meriti apud Deum suas indulgentias donare defunctis, quàm sibi ipsi reservare. 505.

An translato in alium locum altari privilegiato transferatur ipsa quoque indulgentia. 543.

An Paulus V. confirmaverit respectu Societatis JESU indulgentias priùs ablatas. 549. *in Append.*

An indulgentiæ concessæ pro una tantùm vice; & ex peculiari occasione alicui ordini Mendicantium, possint per viam generalis communicationis participari ab aliis omnibus Ordinibus Mendicantibus. 553. *& seqq.*

An singulariter indulgentia concessa nostræ Societati ratione doctrinæ Christianæ sit communicabilis aliis Religiosis. 559.

Quinam dicantur *frequentare Sacramenta* in nostris Ecclesiis. 571.

Quomodo intelligendæ indulgentiæ pro defectibus breviarii. 578.

Quid censendum de indulgentiis, quæ scribuntur esse concessæ recitantibus ad consuetum pulsum Angelicæ Salutationis consuetam salutationem cum versibus tribus. 590. *& seqq.*

An fiant plenariæ indulgentiæ toties compotes illi, qui apud Nos obeunt Exercitia octiduana, quoties exercent illo octiduo aliquod pium opus. 606. §. 5. *Cùm.*

An & illi evadant participes dictæ indulgentiæ, qui tepidè obeunt Exercitia. 607.

Quid censendum de illis, qui Exercitia jam per triduum, quatriduúmve continuata abrumpunt interjecto uno, alteróve die, ac deinde resumunt. 608.

An indulgentia pro Exercitantibus possit ab aliis Religiosis per communicationem communem indulgentiarum participari. 609.

Quomodo intelligendæ Clausulæ Brevium facientium Episcopis gratiam impertiendi agonizantibus indulgentiam plenariam. 632. *in App.*

An indulgentia pro articulo mortis promissa confratribus Congregationis obveniat etiam illis, qui nuntium remiserunt Congregationi. 634.

Quandonam incipiat tempus aptum pro lucranda indulgentia Communionis Generalis. 653. & 657.

Quandonam valide petantur, & impetrentur Brevia durantia ad septem, aut quindecim Annos. 662.

An Declaratio Alexandri VII. moderativa indulgentiarum constet clausula sufficienter comprehendente Indulgentias Quinque Sanctorum. 669.

An eadem Declarario extendatur ad intentiones, & vota indulgentiarum, ut vocant. 681.

Quatenus sit fas, aut nefas post illam Declarationem partiri in alios intentiones, aut resipsas benedictas, quas quis habet magno numero. 685. & 687.

Elenchus quæstionum Rariorum aut Novarum

An donatio talium rerum sit vetita ab Alexandro. 689.

An clausula derogatoria, quam suo Decreto apposuit Papa Alexander, referatur ad solùm membrum proximè antecedens. 693.

An idem Decretum comprehendat etiam illas indulgentias, quas ejus Successores concesserunt, aut concedent. 694.

An post notitiam ejusdem Declarationis fuerit valida retentio duorum numismatum affectorum indulgentiis, si retenta fuerunt ea sola intentione, ut quo casu perderetur unum, substitui posset alterum. 696.

Et quid hic sentiendum de retinentibus plures Intentiones. 700.

Clausulâ : *obtinentes*, quas personas designârit Alexander. 698.

An per imagines intelligatur in materia indulgentiarum etiam nuda Crux. 701.

Quid censendum de indulgentiis dicentium : *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.* 706.

Quid de indulgentia in tabula inauratâ Domûs Lauretanæ. 707. & 709. *in Append.*

Ex Tractatu V.

Quando in hoc Tractatu citantur duo numeri, primus est Capitis, alter Marginalis.

UTrum Novitius complexionis debilis ac delicatæ teneatur deserere Novitiatum, expertus rigorem Ordinis non conducere suæ complexioni I. 54.

An Religiosus expertus, cibum, & potum ordinarium obesse suæ valetudini, teneatur alium petere. I. 60. & seqq.

Utrum damnatus sententia judicis, ut siti pereat, teneatur, aut licitè possit abstinere potu clam oblato. I. 67. & seqq.

An itidem abstinere affusione aquæ is, cui damnato, ut concremetur, offertur aqua sufficiens ad extinguendum rogum, cui impositus est. I. 71.

An damnatus ad diuturnum mortis supplicium licitè abstineat cibis, ea intentione, ut natura per abstinentiam debilitatâ, tanto citius extinguatur ipse inter tormenta I. 72. & seqq.

Sitne actus Sobrietatis abstinere omni potu vini. IV. 1. & seqq.

An voto non bibendi vini adversetur potus cerevisiæ. IV. 11.

An qui ob periculum ebrietatis vitandum vovit, se vino abstenturum, peccet mortaliter, toties quoties absque rationabili casu vinum bibit. IV. 13.

An qui, ut se privaret suavitate, quam ex vino bibito percipiebat, vovit, se abstenturum vino, licitè id bibat, quando gustus est ità perditus, ut nesciat distinguere inter dulce, & amarum. IV. 14.

Quandonam mortaliter peccent ii, qui vinum bibunt, postquam jurârunt, se toto Anno non bibituros, & quidem ideo jurârunt, quòd vel solerent in ebrietate gravia mala committere, vel per sympoſia dilapidare rem familiarem. IV. 15.

Quoties peccet is, qui ubi vovit, se hodie non gustaturum vinum, mane, meridie, vespere non solum gustat, sed haurit liberaliter. IV. 17.

An qui vovit, se hodie jejunaturum in pane, & aqua, toties delinquat mortaliter, quoties vinum bibit. IV. 19.

An qui vovit, se hodie non bibiturum vinum, teneatur pitissare, si aliter nequat abstinere à notabili potu vini. IV. 9.

An qui certavit cum alio, se uno haustu vacuaturum grande poculum, rectè confiteatur absolutè, se fuisse ebrium, si exhauriendo exturbavit rationem. V. 13.

An intersit rei moralis nôsse, utrùm ebrietas sit propriè species gulæ. VI. 3.

An peccet contra sobrietatem Religiosus, qui ingreditur sine periculo se inebriandi locum, quem Regula sub motivo sobrietatis interdicit. VI. 4.

An peccet mortaliter se inebriando is, cui suppetit pulvis præditus vi statim expellendi ebrietatem. VI. 41. & 43.

An mortaliter peccet, qui ebibit mensuram vini, sciens, fore ut per eam auferatur ipsi usus Rationis, si foras prodeat, non item si manserit loco clauso. VIII. 34.

An talis teneatur sub mortali manere loco clauso, postquam ita se ingurgitavit. VIII. 37.

An & is mortaliter delinquat, qui tantum quidem vini infundit, quantum sufficit ad inducendam plenam ebrietatem, si retineatur in stomacho, attamen ante illum excessum decernit, se, priusquam haustus petat cerebrum, regesturum id, quod ingestum erat. VIII. 38. *& seqq.*

An talis teneatur in conscientia revomere, priusquam Ratio exturbetur, id quod infuderat. VIII. 46.

Quid censendum de illo, qui ideo se inebriat, ut tanto animosius proferat verba contumeliosa, blasphema, perjura, hæretica. IX. 45.

An qui patrem suum ebrius occidit, postea licitè gaudeat hoc parricidio ob hæreditatem inde acquisitam. IX. 54.

An Clerici ebriosi incurrant sua ebriositate excommunicationem latam in occisores Clericorum. X. 9.

An mortaliter delinquant, qui potu nimio creant sibi podagram, vel chiragram. X. 13.

An sit fas podagram acquisitam intemperantiâ depellere aliâ intemperantiâ. X. 18.

An gnarus curandi podagram teneatur voto, quo promisit, se illam artem nec usurpaturum, nec docturum quemquam? 17.

An sit verum, quòd æquè pecces privando te aliquo dono naturæ, ac si privares alium. X. 14.

Quid

In hoc Opere decisarum.

Quid pronuntiandum de illis officialibus, & ministris publicis, qui per intemperantiam causant sibi ægritudines impedientes functionem suorum officiorum. X. 21.

An procreans sibi nimio potu dolorem capitis notabilem, delinquat hoc ipso mortaliter. X. 19.

An voto castitatis obstrictus peccet contra suum votum, si se inebriet. X. 44. *& seq.*

An Concionatores teneantur in conscientia sæpe detonare contra ebrietatem. X. 46.

An professor publicus, aut Concionator salario conductus, peccet contra justitiam, causando sibi ægritudinem impedientem à professura, & an, & cui teneatur restituere. X. 21. *& seqq.*

Sitne è bono publico habere in oppidis, & urbibus bibitorias tabernas. XI. 1.

Utrum sit Regularibus fas coquere, venderéque Cerevisiam ex hordeo suorum prædiorum. XI. 10. *& seqq.*

Proponitur, & deciditur ex Borcholten casus forensis de Canonicis coquentibus cerevisiam in suum usum. XI. 21. *& seqq.*

An qui sæpe ad cauponas ducit obæratum, teneatur satisfacere creditoribus obærati. XII. 4.

An & ii, qui cum talibus sæpe potitant. XII. 5.

Propinandi mos unde provenerit. XIII. 1.

Sintne Germani laude, an vituperio digni, dum sua convivia claudunt poculo, quod vocant benedictionem S. Joannis. XIII. 3.

Certatio mutua uter altero plus bibat, quantam culpam contineat. XIII. 7.

An & quatenus delinquat, qui vino opplet Custodes carceris, in quo detinetur quis captivus. XIII. 30.

An, & quatenus Cajus, qui idcirco Titium inebriat, ut ex eo expiscetur, verène ipse Cajo machinetur, sicuti Cajus suspicatur, grave malum. XIII. 32.

An, & quatenus excusandi, qui legatos ad se missos vino deponunt explorandorum consiliorum causa. XIII. 35.

An peccet mortaliter : qui aliquem ad peccatum veniale inducit directè idcirco, ut hic alter inficiat suam animam macula veniali. XIII. 17. & 56.

An & ille judex, qui Reum inebriat, ut ex ebrio cognoscat ejus scelera. XIII. 36.

Quid censendum de inebriantibus stultos aut infantes. XIII. 39. & 40.

Et de iis, qui gloriantur, quod alios inebriaverint. XIII. 63.

Sitne fas propinare, aut bibere in sanitatem alterius. XII. 67.

An revera consecret Corpus Christi Sacerdos ille, qui sciens, se solere proferre in ebrietate verba consecrationis, se ideo inebriat, ut ebrius consecret. XV. 2. *& seqq.*

An Clerici peccent mortaliter, si in uno prandio bibant sæpiùs quàm ter, & quidem vinum non dilutum. XVII. 5. & 8.

An si quis mihi minetur mortem, nisi ebibam poculum, quo exturbabitur ratio, licitè exhauriam. XVIII. 3.

An si aliter nequeam servare honorem. XVIII. 5.

Aut non aliter evadere gravem verberationem. XVIII. 9.

Aut non aliter curare morbum non lethalem. XVIII. 15.

Aut ut meo exemplo exhilarem mœstum. XVIII. 18.

Aut ut levem propriam mœstitiam. XVIII. 23.

An liceat aliquando largius bibere citra tamen turbationem Rationis, ad se, aut alium exhilarandum. XVIII. 26.

Quid censendum de Religiosis, qui quandoque, per Annum tractantur ad mensam liberalius, quàm soleat fieri quotidie, si autem hac liberalitate utantur, & omnia, quæ apponuntur, bibant, vel comedant, non possunt intra duas horas commodè studere. XVIII. 28. *& seqq.*

An qui non potest sitim extinguere nisi bibendo usque ad exilium Rationis, licitè bibat eo usque. XVIII. 34.

An licitum sit hoc propositum : *Volo me ea intentione inebriare, ut ebrius non tantopere sentiam dolorem, quem allatura est resectio mei brachii jam jam abscindendi à chirurgo.* XVIII. 39.

An revera sit non modo permissa, sed etiam quandoque præcepta inebriatio propria. XVIII. 42.

An esset pro Christi Martyre habendus, qui mallet subire mortem intentatam à tyranno, quàm se inebriare. XVIII. 48.

An fugiendum illi, quem ebrius invadere stricto gladio parat. XIX. 4. *& seqq.*

An, & quatenus sint confitenda turpia somnia. XIX. 14.

An procedi, aut saltem specialiter inquiri possit in ebriosum tanquam suspectum de hæresi, si soleat in ebrietate proferre verba hæretica. XIX. 40. & 42.

An peccet mortaliter, qui psittacum docet efferre verba blasphema, vel talia scribit in pariete. XIX. 47. *& seqq.*

An præmium cœleste meritus sit is, qui sturnos docuit proferre Sacratissima nomina. XIX. 50.

An duplicis criminis reus sit confessarius, consiliarius, aut alius conscius secreti haudquaquam revelandi, quando sese inebriat. XIX. 51. *& seqq.*

An possit prudenter haberi fides ebriis deblaterantibus arcana de se, aut aliis. XIX. 60.

An Judex possit ex officio procedere contra tales tanquam reos criminis occulti, quod narrârunt. 63.

Quid censendum de illo secreto, quod Laici committunt extra Confessionem Sacerdoti dicentes : *Dico hoc Va. Ra. sub sigillo Confessionis*, XIX. 93. *& seqq.*

Elenchus quæstionum Rariorum, aut Novarum

Quid de illo, qui legit fragmenta literarum continentium aliquod magnum secretum. XIX. 80.

Et de illo, qui cùm amiserit publicum instrumentum continens quædam sua jura, clam fabricatur aliud omnino simile. XIX. 81.

Quando maritus leviter ebrius, verè tamen ebrius, solet totam familiam magnopere turbare; non item si sit valde ebrius, peccabítne uxor, si apponat ipsi tantum vini, quantum sufficiet ad magnam ebrietatem. XXI. 16.

Quibus mediis, & pœnis possit è Germania exterminari ebriositas. XXII. 19. *& seqq.*

Quid sentiendum de parentibus, qui suos liberos assuefaciunt cibis delicatis. XXIII. 84.

An omnis ille sit dicendus edere, aut bibere *Nimis*, qui famem, & sitim ita sedavit, ut possit dicere: *Et si nihil amplius edam, aut bibam, potero tamen optimè mea munera obire*, & tamen adhuc aliquot bolos ingerit, & vitrum exhaurit. XXIII. 89.

Utrum maritus licitè suæ uxori prægnanti præbuerit, ad hujus instantiam, suum brachium mordendum cum avulsione carnis particulæ. XXIII. 144.

Utrùm nonnemo licitè comederit in extrema necessitate carnes hominis ex peste mortui, & jam triduo jacentis in sepulchro. XXIII. 138.

Quid censendum de præfecto arcis edente, & præsidiariis dante carnes humanas, ne fames eum adigat ad arcem dedendam. XXIII. 136.

Quid de epilepticis haurientibus sanguinem hominis capite plexi, ut eo potu sanentur. XXIII. 152.

Quid de senibus haurientibus etiam sanguinem manantem è vena adolescentis, ut vitam prolongent. XXIII. 154.

Quid agendum anthropophagis ad fidem Christianam conversis. XXIII. 156.

Utrum si pater nequeat in obsidione alere filium nisi carne humanâ, obligetur ipsi eam dare. XXIII. 159.

Vesci carnibus crudis an per se loquendo liceat. XXIII. 163. *& seqq.*

An, & quale peccatum sit edere ungues, cretam, ceram, alia non destinata ad esum humanum. XXIII. 168. *& seqq.*

An, & quatenus sit mortale dare alteri ignoranti edenda nonnulla non destinata ad esum. XXIII. 172.

An si nequeamus vitam sustentare nisi comedendo res fœdas, teneamur iis vesci, ac nominatim in obsidionibus. XXIII. 176.

Unde proveniat, quòd nonnullis dentes ita vehementer pruriant in res minimè edendas? XXIII. 179.

An Confessarius fuerit in particulari casu, qui contigit, obligatus in die esuriali vesci carnibus ad excitandum appetitum in ægro aversante omnem cibum. XXIII. 192. & 193.

An sapienter agant sæculares Principes, qui inhibent omnes choreas. XXIII. 201. *& seqq.*

An lex, quam Apostoli tulerunt de Idolothytis non edendis obligaverit etiam in extrema necessitate. XXIII. 217. *& seqq.*

An toties quis mortaliter peccet die jejunii, quoties edit tunc carnes. XXIII. 230.

Utrum liceat comedere carnes, & ova die jejunii, quando hæc transierunt in aliam speciem. XXIII. 235.

Quomodo intelligendum Decretum Alexandri VII. vetans doceri hanc sententiam: *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.* XXIII. 240.

Utrum ad profana liceat adhibere, aut abjicere ossa carnium, putamina ovorum, panem, ceram, aquam, benedicta. XXIII. 252. *& seqq.*

Quid censendum de facto S. Corbiniani, qui verbis, & mensæ cum ipsis poculis eversione objurgavit Principem, qui per incuriam projecerat suo Cani frustum panis, quem ille S. Episcopus benedixerat cum cæteris esculentis. XXIII. 258.

Cur Germani benedicant in festo S. Joannis Evangelistæ sua vina. XXIII. 260.

An quando singulis doliis affundunt pauxillum ex vino benedicto, tota dolia censeantur benedicta. XXIII. 265.

Utrum vir ita obæratus, ut nequeat alere uxorem, possit licitè ducere uxorem indotatam, & simul expertem omnis artis se alendi. XXIV. 12.

Ebriosus an quando est sobrius possit esse testis omni exceptione major. XXV. 14.

Utrum licitè instituantur in Quadragesima convivia durantia quatuor, aut quinque horas. XXVI. 6.

Quænam convivia censeantur ita adversari decentiæ status Religiosi, ut videantur interdicta à Pontificibus. XXVI. 44.

An omnia illa convivia dicantur repugnare decentiæ status Religiosi; quæ exsuperant quantitatem, & qualitatem præscriptam à Regula, vel Superiore. XXVI. 49.

An decentia status sit hoc loco par respectu omnium; & singulorum Ordinum Religiosorum. XXVI. 52.

Utrum convivia hujus sæculi conveniant cum conviviis proximè superiorum. XXVI. 66. *& seqq.*

An Clericus, qui nequit sine perspiciliis legere Breviarium, licitè ea donet alteri. XXVII. 29. & 97.

An communiter contra nullam legem peccet is, qui per actionem ex se non illicitam reddit se pridie impotentem ad observationem legis humanæ. XXVII. 75.

Cur excommunicatus dicatur non agere contra præceptum Sacri audiendi, quando est negligens in petenda dispensatione, seu absolutione, sine qua nefas ipsi est interesse rei divinæ. XXVII. 94.

Quan-

In hoc Opere decisarum.

Quando duo emiserunt sagittam in bovem alienum, an, & uter teneatur damnum solvere, si bos moriatur. XXVIII. 55.

An rectè petierit duorum fratrum hæreditatem is, quem constabat, esse filium legitimum alterutrius, at ignorabatur utrius esset. XXVIII. 47.

An meritò fuerint in dubium legitimitatis revocati natales cujusdam Marchionis Pallavicini. XXVIII. 78. *& seqq.*

Quando mater tua fuit priùs concubina tui patris, at postea uxor, ignoratur autem utrum fueris conceptus in priore, an posteriore statu, quæritur an haberi debeas pro legitimo. XXVIII. 86.

An mortaliter delinquant inebriantes se tabaco? XXXI. 2. *& seqq.*

Utrum sit licitum presbyteris sub ipso Missæ Sacrificio haurire naribus tabacum. XXXI. 6.

An peccent, qui cubantes supra lupulum Germanicè Hopf fiunt temulenti. XXXI. 8.

An & illi, qui fumo, ac pane inebriantur. XXXI. 9, & 11.

An posito, quòd illi, de quibus in duabus præcedentibus Quæstionibus, peccent, censendi sint peccare contra sobrietatem. XXXI. 14.

Sanguinem pecudum, lixivium, & alia ejusmodi an liceat bibere in necessitate? XXXI. 17. & seqq.

An deliquerit mortaliter Carthusianus, qui in necessitate aperuit venam equi, quo vehebatur, hausítque sanguinem scaturientem. XVIII. & seqq.

Sitne verum, quòd Patres Carthusiani sint obstricti voto non vescendi carnibus? XXXI. 19.

Utrum ex tactibus impudicis, quos Reus fatetur, meritò præsumatur ipsa fornicatio. XXXII. 32.

An uxor Catholica nupta hæretico possit cum suis liberis abire ab illo, si liberis impendeat periculum perversionis. XXXIII. 30.

An, & quatenus catholici famuli, aut famulæ servientes acatholicis teneantur deserere famulatum. XXXIII. 92. & seqq.

Quandonam singulariter ratione impedimentorum, quæ objiciuntur observationi dierum festorum. XXXIII. 134. & seqq.

Utrum licitè negetur debitum conjugale marito sævienti in communes liberos. XXXV. 5. & 7.

Utrum & tunc negare, quando aliter nequit impedire, quo minùs maritus abliguriat dotem, aut paraphernalia. XXXV. 8.

Aut aliter nequit recuperare jam absumpta. XXXV. 20.

An privilegium aperiendi literas sacræ pœnitentiariæ concessum Patri Aquavivæ Præposito Generali Societatis JESU fuerit personale, an potius Reale. XXXVII. 158. & seqq. contra Lezanam.

An in impedimento Matrimonii dispensatus cum onere confitendi sacramentaliter, teneatur confiteri etsi non conicius peccati mortalis nondum confessi. XXXVII. 178. & 256.

An testimonium plurium sagarum deponentium de aliquo viro, aut fœmina bonæ cæteroquin famæ, sufficiat ad torturam, aut mortem inferendam. XLII. 57. *& seqq.*

An quando fama spargit confessarium Caji sparsisse de hoc quædam gravia crimina, quæ non potuit nôsse nisi ex Confessione Sacramentali, judex Ecclesiasticus licitè inquirat in veritatem hujus famæ. XLII. 180. *& seqq. usque ad finem cap.*

An testes, qui de fama interrogabuntur, possint deponere, se omnino id intellexisse. XLII. 186.

An confessarius testibus licitè fatebitur, famam esse veram? An licitè silebit. XLII. 215. & 216.

Quomodo practicè se geret Judex Ecclesiasticus audita vulgatione. XLII. 246. *in Append. lit. r.*

An autor famæ vulgantis, homicidium esse patratum à Titio, sit idoneus testis hujus aut famæ, aut homicidii. XLII. 220. *& seqq.*

An mulier inebriando se peccet graviùs, quàm vir. XLIII. 1.

An hæc ipsa circumstantia sexûs sit exprimenda in Confessione Sacramentali. XLIII. 5.

An ligata Matrimonio non longè graviùs delinquat inebriando se, quàm soluta. XLIII. 9.

An possit lege interdici vino omnibus mulieribus. XLIII. 27.

An permittendum à Magistratu, ut mulieres, æquè ac viri, frequentent tabernas vinarias, aut domi celebrent symposia. XLIII. 39.

An peccet mortaliter, qui aliquam mulierem vocat merobibulam. XLIII. 42.

Quid consulendum maritis apud confessarium conquerentibus de ebriositate uxorum. XLIII. 48.

Quid censendum de tribus horrendis potatricibus Franconiæ, & quatuor potatoribus Belgii. XLIII. 55. & 59.

An mortaliter delinquat is, qui aliquam mulierem esse meretriculam suspicatur ex eo solo, quòd sit multo vino dedita. XLIII. 61.

An maritus jure possit repudiare conjugem immodico vino debitam. XLIV. 1. *& seqq.*

Peccatum ebrietatis an ex circumstantia festi contrahat specialem malitiam exprimendam in Confessione. XLV. 3.

An sit expers omnis peccati, qui Vesperas, & Completorium absque rationabili causa recitat ante prandium sine animo repetendi. XLV. 52.

Quid pronuntiandum de Episcopis, qui intra, & extra Germaniam receperunt Bullam Urbani VIII. abrogantem aliqua festa. XLV. 98.

Quid censendum de quodam festo alicujus parochiæ, solito observari ex titulo incomperto parochianis. XLV. 133.

An committat peccatum sacrilegii, qui sese inebriat in die Paraskeves. XLVI. 1. *& seqq.*

An

An itidem si statim post aditam Sacram Communionem. XLVII. 2.

An mortuus in ebrietate voluntaria, & mortaliter mala tumulandus sit in loco sacro. LVIII. 2. *& seqq.*

An & fuerit ita sepeliendus Romæ quidam Hollandus suspectus de hæresi, & mortuus ex vulnere accepto in duello. L. 19. *& seqq.* Singulariter, *numero* 36.

An jure fuerit extremo supplicio velut hæreticus affectus is, in cujus pera fuit repertus liber clarè hæreticus. L. 37. & 38.

An rectè à Magistratu absolutus is, apud quem repertum marsupium alienum furto sublatum. L. 42.

An meritò sepultus in loco infami juvenis, qui repertus fuit suspensus. L. 56.

An peccato actionis damnabilis caruerit factum, quo Religiosus repertus pendens è laqueo fuit in lecto collocatus, & advenienti medico ostensus, perinde ac si ex apoplexia fuisset extinctus. L. 61.

An privandi sacra sepultura ii, qui in carcere intulerunt sibi manus violentas. L. 68. *& seqq.*

An, & quatenus laudandæ artes, quibus nonnulli in conviviis utuntur, ad declinandam ebrietatem. LI. 37. & 38.

An peccent mortaliter, qui nive, aut glacie refrigerare solent suum potum. LI. 45. *& seqq.*

An, & quatenus licitum sit ejurare potum vini. LI. 61.

An ebriositas, qua laborant nonnullæ gentes, proveniat à natura, aut potiùs à consuetudine. LI. 83.

Possitne facilè corrigi consuetudo se inebriandi. LI. 88.

SYLLA-

SYLLABVS FACTORVM, ET CASUUM INDIVIDUALIUM IN HOC OPERE PROPOSITORUM, ET MAXIMAM PARTEM RESOLUTORUM.

SAncti Antonini etiàmnum pueri discentis intra Annum totum Decretum Gratiani. II. 287.

Petentis Romam ad lucrandum Jubileum Anni Sancti, & coacti domum redire ex itinere. III. 20.

Apostatæ Regularis uxore ducta, & susceptis liberis redeuntis ad frugem cum dispensatione Pontificia. III. 32. *in Append. lit.* ſſ.

Vicarii Generalis assignantis pro Jubileo unicam hebdomadem. III. 63.

Viduæ pollicitæ DEO castitatem viduälem sub conditione: *Nisi paupertas impelleret ad nubendum.* III. 295.

Alterius viduæ post votum ingrediendi Religionem transeuntis ad nuptias, & superviventis marito. III. 295, *lit.* d.

Sutoris in voto castitatis dispensati ea sola de causa, quòd nequiret extra Matrimonium alere se suo opificio. III. 295. *lit.* g.

Adolescentis inconstantis in servandis votis. III. 295. *lit.* h.

Pontificis mortui ante promulgationem Jubilei à se concessi. III. 339.

Duorum Canonicorum Constantiensium proficiscentium ex loco, ubi jam perfecerant aliqua Opera pro Jubileo, at non omnia absolverant III. 517. *lit.* i. §. *At quà*

Canonici quarto inchoatorum Exercitiorum spiritualium die ea ex necessitate obrumpentis, & dubitantis, an, si post unum, alterúmve diem rediret, posset posteriores dies cum prioribus continuare. IV. 608.

Novitii Religiosi pravo judicio medicorum dimittendi ob corporalem complexionem. V. I. 54.

Sanctæ Elisabethæ etiam in lethali morbo respuentis potum vini, nec sine miraculo. V. IV. 5.

Religiosi gravi lapsu perdentis sensum gustûs, & odoratûs. V. IV. 14.

Podagrici podagram curantis ebrietate. V. X. 18.

Parochi Germani, cui abstinentia à tribus rebus vitam produxit ad Annos centum viginti quinque. V. X. 47.

Lutherani Præconis divinitùs puniti, quòd renueret bibere vinum Sancti Joannis invocatione benedictum. V. XIII. 5.

Vorantis ex famæ cadaver hominis mortui ex peste. V. XXIII. 138.

Mariti permittentis amorderi sibi ab uxore prægnante carnem ex brachio. V. XXIII. 144.

Epileptici frustra bibentis sanguinem capite plexi. V. XXIII. 152.

Chirurgi adnectentis linguæ infantis Frustillum alterius carnis. V. XXIII. 148.

Puellæ avidissimè vorantis candelam ceream. V. XXIII. 181.

Confessarii suo Exemplo ad edendum feliciter provocantis ægrum fastidientem omnem cibum. V. XXIII. 190.

Horrendæ famis Sanserratensium hæreticorum obsessorum. V. XXIII. 193. *& seq.*

Christiani in magna fame edentis carnes immolatas Idolis. V. XXIII. 219.

Religiosi voracis lepidè correpti à suo hospite. V. XXVI. 26.

Sancti Pii V. suo die Natali cœnantis parcissimè. *Ibid. num.* 37.

Caroli Audacis epulum. V. XXVI. 67.

Duorum patruelium omnino similium, & propterea facientium dubium jus hæreditatis. V. XXVIII. 47.

Juvenis post imprægnatam puellam profugientis, ne ei adscriberetur proles. V. XXVIII. *num.* 70.

Mulieris adulteræ miro artificio providentis, ut filius adulterinus à legitimè natis admitteretur ad hæreditatem. V. XXVIII. 73.

Carthusiani ad sitim restinguendam aperientis equo venam, & haurientis ejus sanguinem. V. XXXI. 18.

Litis ortæ ideirco, quòd mater assereret suam

suam prolem esse genitam à Cajo: hic autem negaret. V. XXXII. 28.

Uxoris petentis divortium ob sævitiam mariti. V. XXXIV. 47.

Judicis sæcularis ad suum tribunal citantis par conjugum, qui ferebantur iniviſse invalidum Matrimonium. V. XXXVI. 3.

Conjugati aperientis confessario suam impotentiam. V. XXXVII. 127.

Petentis dispensationem matrimonialem, cum mendosa allegatione propinquitatis V. XXXVII. 190.

Religiosi utentis adversùs sæcularem Testimonio suorummet conventualium. V. XLII. 175.

Confessarii sacrilegè frangentis sigillum, & ideo flammis exusti. V. XLII. 197.

Confessarii sceleratissimè filiasConfessionis allicientis ad libidinem. V. XLII. 246. *in Append. Lit.* S.

Exemplum trium mulierum prodigiosè potantium. V. XLIII. 55.

Et similiter trium virorum judicio PatrisLessii dignorum suspendio. *Ibid. num.* 59.

Parochi malè minantis privationem sepulturæ iis, qui non accederent conciones parochiales. V. XLV. 21.

Meretriculæ repertæ cum multis vulneribus. V. L. 33. & 51.

Religiosi Romani reperti in puteo, & donati sacra gleba. V. L. 12.

Mortui ex duello, & itidem sepulti loco sacro. V. L. 19.

Injicientis in saccum alterius non advertentis librum hæreticum, intentione adducendi hunc in vitæ discrimen. V. L. 37.

Ingeniosi furis etiam clàm immittentis crumenam, à se vacuatam, ad suum furtum alteri imputandum. V. L. 42.

Sathanico genio ulciscentis injuriam. V. L. 46.

Religiosi in sua cella inventi mortui, & pendentis è laqueo. V. L. 53.

Juvenis sæcularis etiam reperti mortui ex suspendio, & privati sacra sepultura. V. L. 56.

Alterius Religiosi etiam pendentis è laqueo, ingeniosè tamen conservati in sua bona fama. V. L. 61.

Juvenis, qui etiam se suspenderat, tumulati cum solennibus exequiis. V. L. 71. *remissivè.*

Casus litigiosus ob quartam funeralem. *Ibid. num.* 78.

TRA-

I.

TRACTATUS PRIMUS.

SEV

CLYPEUS CLEMENTIVM JUDICUM UTRIUSQVE FORI.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

PEto abs te in ipso limine, Lector Benigne, ne minùs benignum judicium feras de Titulo hujus Opusculi, priusquam in memoriam revoces prudens monitum Celsi IC. expressum leg. 24. ff. de legib. *hisce verbis*: Incivile est, nisi tota lege perspecta, unâ aliquâ ejus particulâ propositâ judicare. *Expende, quorum patrocinium? cum quibus restrictionibus? quas ob causas susceperim? & tunc denique prome, quam volueris animi tui sententiam. Non differo de professoribus doctrinarum Moralium; iis quippe fidelitas vel imperat, (ut censent multi,) vel certè suadet, (ut malunt alii,) ut ex probabilibus ea proferant in medium, quæ verò judicant similiora.*

Multò minùs hoc CLYPEO defendo Confessarios illos, quibus cùm suppetat facultas suos pœnitentes salubriter regendi juxta normam tutiorum, usúque magis receptarum Opinionum, utuntur amussi minùs tutarum, minùs communium, aut etiam singularium; cùm potiùs visurus ipse sis Sect. 3. *me contra hos ex professo pugnare, utique memorem provide sanctionis, decernentis sequendam esse in quavis facultate securiorem, & magis approbatam sententiam; sequendam, inquam, quoad commodè fieri potest.*

Absum quoque ipse, & meum Lectorem abesse cupio procul ab omni intentione sugillandi, aut damnandi illos, qui sentiunt, facit autve contraria primariæ, id est sextæ Conclusioni statuendæ Sect. 3. *Scio enim ab Apostolo permitti, ut* quisq; *in suo sensu abundet. Novi etiam, me in judicio meo posse falli, ac persæpe fieri, ut unius forsan & deterioris (quantò magis aliquorum, eorúmque sapientum, atque eruditorum?) sententia* multos, & majores *aliqua in parte superet, sicuti loquitur ipse Justinianus.*

Et verò nominatim Corollaria exhibita in prima hujus opusculi editione quod attinet, nullo illorum cupio improbare contrariam, sicubi est, consuetudinem; nec enim me fugit, ab ipsomet Honorio III. scriptum: Consuetudinis, usúsque longævi non esse parvam authoritatem. *Quare & à recto tramite, & à mente mea procul abibit, qui illorum Corollariorum, aliásque meas leniores doctrinas sectabitur, nullo habito respectu vel contrarii moris in suo loco vigentis, vel Superioris aliud statuentis, decernentisve.*

Deinde hunc CLYPEVM minimè extendo ad illos, qui consueverunt suas proprias, privatásque actiones instituere ex amussi dogmatum leniorum, gratiorum. Licèt enim tales nequeam damnare, modò ea dogmata sint verè, certòque probabilia practicè, cum sine exceptione verum sit, fas esse cuivis sectari opinionem practicè & in individuo probabilem, ut alicubi loquitur Cardinalis de Lugo, attamen multò consultiùs agunt, si plerumque sequantur severiora, ut diserè moneo Sect. 3.

Quare non reformido illos, qui, ut cauterium suis quibusdam dogmatis à Sede, & Clave Petri inustum tegant, nævo innocentibus affricto, & affricto, criminantur, à Societate nostra quotidie in scholas, fora, conscientias invehi sententias prorsum improbabiles, morúmque simplicitati, puritati intolerandum in modum adversantes. Et

quò suis verbis fidem, lectoribus fucum faciant, improbo labore corradunt, quidquid unquam à quoquam Societatis scriptore in lucem editum præ se fert speciem, vel umbram laxitatis, aut dissolutionis, ut ipsi quidem appellitant.

In primis enim illis omninò solis patrocinor, qui Opiniones verè, atque indubitanter Probabiles consectántur in foro seu externo, seu interno, sicut non semel discrè exprimo, expressúmq; esse volo.

Deinde si lector animum affectionibus liberum adverterit ad ea, quæ subjicio, cernet, Societatem nostram à prædictis Censoribus nullo prorsus jure traduci, ac proinde non esse, cur hujus libelli titulo dicam dicant.

Primò quippe, plurimas ex sententiis, quas insimulant de nimia laxitate, tradiderunt & post nos, & ante nos scriptores alii, gravitate, sapientiáque conspicui, ut cernere est apud Andr. de Mendo in Statera. *Quo igitur jure grandem illarum catalogum conficiunt, ut nobis veluti auctoribus invidiam conflent?* Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus Patris tui. 3. *Reg.* 18. *Illi, inquam, Theologi, quos & ipsos sequeris, O bone vir, & magnifacis, turbárunt, priusquam nostra lallaret in elementis literarum infantia, disciplinam Ecclesiasticam, si turbare est ea docere, quæ à nobis doceri dicis, improbásque; in illos igitur stylum stringe, non in nos.*

Secundò. Non diffitemur quidem, complures sententias, austeritatem, rigorémque temperantes, esse à nostris Theologis vel è tenebris in lucem quasi postliminio reductas, vel prima luce donatas; attamen oculis, animísque plurimorum sapientiæ laude excellentium ita nunc arridere, horum ut approbatio nobis adferat plus honoris, quam tua criminatio dedecoris. Integrum *quippe est* judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur, *inquiunt duo Pontifices, Innocent.* cap. Extra distinct. 64. *& Cœlestinus* cap. Prudentiam. de offic. judic. del. *quia videlicet* per ampliores homines perfectissima veritas revelatur, *testante ipso Justiniano*, l. fin. Cod. de fideicomm.

Tertiò. Laxitatis larva deturpare molinuntur adversarii aliquas Opiniones, quas negamus rectè accenseri numero Laxarum, si quidem hoc nomine designant illas, quæ sine gravi, aut sufficiente rationum pondere tollunt, aut minuunt severitatem, rigorémque à multis, aut plerisque Theologis, vel juristis absque firmo fundamento assertum, seu inductum. Sanè qui agit, certus esse debet, *arbitro Cajo*, l. Qui in alterius. ff. de reg. jur. *atque* intentionem suam probare, *judicibus Severo, & Antonino Imp.* pag. Leg. 1. Codic. de probat. *Impugnatores verò nostri nec certitudinem ullam Objectivam (Formalem illorum ponimus in somnis) habent, nec argumentis probant suam intentionem; illi ergo condemnandi, nos absolvendi sumus juxta leg.* 4. Cod. de eadend. *etiamsi* apud Scythas *causam dicemus* 2. Machabæorum 4.

Quartò. Quia perspiciunt adversarii, & in his Baronius, quædam effata nostrorum, non posse in invidiam à cordato censore trahi, si sincerè, atque integrè descripta objiciantur oculis, auribúsque eruditorum, truncant, mutilant nonnullas periodos uno verbo, & quandoque sententiâ; suo hoc artificio sensum Authoris permutantes; quod certè non decet virum bonum.

Quintò. Non paucas doctrinas, ab uno, alteróve Sociorum traditas tribuunt toti Corpori, non ignari eas dem à longè pluribus confutari. Cur, amabò, non faciunt à potiore parte *denominationem? Cur erratum unius Jesuitæ faciunt simile peccato Adami? Imò cur pestilentius? Dum videlicet lapsum unius transfundunt non solùm in posteros, sed in æquales, & anteriores; Et, qua conscientiâ non nemo scripsit haud ita pridem, Jesuitas docere,* esse tibi fas è medio tollere per mendacium illum, qui it conspurcatum tuam famam apud Judicem? *Nam in primis ausim asservare, nullum unquam Jesuitam hoc scripsisse. Deinde, si fortè id unus scripsisset, certo certius est, vixisse, viverèque non unam, sed plures Myriades Sociorum, qui dicerent, esse id malè, pessimè contraque mentem omnium majorum, coævorúmque illitum chartæ. Ergo non modò Christianæ charitatis limites transgressus est, sed etiam almæ veracitatis, qui reliquis suis teterrimis calumniis hanc junxit. Sicuti*

Sextò nonnulli ex iisdem obtrectatoribus nostris affingunt universim nostris Scriptoribus varia dogmata moralia, quorum alia hi nunquam verbulo attigerunt, alia autem repudiárunt.

Etenim primò Falsò scribitur Baunius in Theol. moral. Tract. 4. quæst. 4. *docere*: Prælatos Regulares in foro conscientiæ posse absolvere ab hæresi occultâ quoscunque Sacerdotes, *siquidem nihil ejusmodi reperire est in Baunio.*

2. *Falsò, atque invidiosissimè affirmant illi calumniarum fabri, Eusebium Nierembergium in libro de amore Jesu, & Mariæ scribere*: Sanctus Ignatius majorem, quàm D. Paulus, prudentiam spiritûs assecutus est, & Apostoli, si hac ætate degerent, eundem, quem Societas, vivendi modum amplexarentur.

3. *Falsò asseritur ab iisdem inimicis nostri nominis P. Laymannus*, lib. 3. tract. 3. pag. 1. c. 3. num. 3. *docere*: virum equestrem ad duellum provocatum posse illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. *Legatur Laymannus, & deprehendetur falsitas.*

4. *Falsò pronuntiant, à Francisco Amico doceri*: licitum esse Clerico, vel Religioso, calumniatorem, gravia crimina de ipso, vel ejus Religione spargere minantem trucidare, quando non suppetit alius defendendi modus. *Falsitas quippe hujus imputationis inde apparet, quòd Amicus ipse verbis, quæ etiam Joannes Baptista de Lezana admetitur* tom. 5. Consulto

sulto 29. *exprimat, se nolle dissentire à contraria sententia communi*, sed solius disputationis causâ *proponere argumenta pro illa priore parte; sicuti agnoscit idem livoris expers Lezana.*

5. *Falsò Typis vulgant*: fas esse ex communi sensu Iesuitarum, pecuniam dare ad lucrum: exigendo viginti per centum. *Nec enim vel unicus Iesuita, quem legerim, hoc docet. Omnes Theologi, & Confessarij Germani id inficiantur, nisi in casu, quo Mutuator tantam summam exigit, propter evidens, & Mutuatario ipsi cognitum periculum damni emergentis, &c.*

6. *Ex mera calumniandi libidine conantur persuadere omnibus, illum qui cum mula, vel asino patravit crimen nefandum, sufficienter ex sententia cujusdam Iesuitæ Panormitani apud Dianam* part. 1. tract. 7. res. 2. *confiteri dicendo*: commisi sodomiam. *Inspiciatur Diana, patebitque putidum mendacium.*

Supersedeo referendis aliis impostoris, ob quas est à Congregatione Indicis notatus nigro Theta liber ille famosus, turgens his, aliisque sexcentis vitiis; quique, ut sui lectione circumveniret incautos, insignitus fuit titulo Theologiæ Moralis Iesuitarum. *Et quò insuper post sua fata, seu proscriptionem, nobis in suo natali solo, Galliâ, inquam, noceret, suo saltem titulo, data est ab uno aliquo N. K. opera, ut in publicis Novellis Gallicis inter cætera legerentur hæc verba.* La Theologie Morale des Iesuites à-esté condamné à Rome: *Theologia moralis Iesuitarum est verè confixa Romæ. Ut proinde bonæ, ac simplices animæ, quæ illum Novellarum paragraphum legerunt, existimaverint, fuisse à quodam Iesuita fabricatum volumen, sincerè referens, approbánsque communes in nostro ordine Doctrinas rerum moralium, cujus Lectione interdixerit Pontifex, seu Congregatio Indicis.*

Hæc habui, quæ præfanda duxi in limine hujus opusculi, divisi quidem prioribus duabus editionibus in duas partes, quarum priore probabam firmitatem Clypei, dum producebam in medium varia momenta rationum, ob quæ arbitror, esse ab utriusque fori Iudicibus communiter usurpandas benigniores opiniones, potiùs quàm itidem communiter rigidiores, ac simul repellebam tela, quibus petitur hic Clypeus, aut peti posse videtur.

Posteriore parte probabam ejusdem libelli usum, proponendo varios casus, in quibus videatur deberi locum benignioribus sententiis. Quia verò maximam partem illorum casuum explicatiùs postea tractavi, atque tractabo in aliis meis lucubrationibus, in hac emendatiore editione omittendam duxi totam illam secundam partem.

Erit autem Tractatuli hujus ista dispositio.

1. *Sectione proponetur, declarabitúrque status quæstionis principaliter, ac propè unicè decidendæ hoc loco.*
2. *Proferentur argumenta in defensionem rigidiorum Iudicum.*
3. *Concludetur tamen, Clementiores esse à toto genere præferendos rigidioribus.*
4. *Probabitur id authoritate Iuris Canonici.*
5. *Iuris Civilis.*
6. *& 7. Rationibus.*
8. *Calculis Theologorum.*
9. *Suffragiis Iure Consultorum.*

10. 11. 12. 13. *& 14. Satisfiet argumentis contrariis nostræ principali conclusioni.*

SECTIO I.

Proponitur status quæstionis præcipua hîc tractandæ, & dirimendæ.

SUMMARIUM.

Exhibetur paradigma Confessarii benigni, & rigidi. 1.
Et Iudicis etiam Rigidi. 2.
Atque Benigni. 3.
Fas est, etiam Iudici fori externi, sequi quamvis opinionem certò probabilem practice. 4.
P. Terillus, & P. Esparza ampliè, & solidè scripserunt de licita sectatione sententiæ probabilis. 5.
Nominat P. Terillus pro hac doctrina plures, quàm centum octoginta scriptores, 5.
Quid sit generatim opinio probabilis? 6.
Quid speciatim opinio probabilis practicè? 6.
Quatenus autoritas unius reddat opinionem probabilem? 7. *& 8.*
Quæ sententiæ dicantur probabiles practicè, quæ speculativè? 9.
Explicatur distinctius. 10.
An, & quomodo implicet, aut non implicet, aliquam opinionem esse speculativè quidem probabilem, non tamen practicè talem? 12.
Declaratur exemplis practicis. 15.
Refertur Opinio P. Sanchez de jejunio mulierum quinquagenariarum. 19.
Nova descriptio opinionis probabilis practicè, & speculativè. 20.
Divisio opinionis in magis, & minùs tutam.
Quid de hac divisione scribat P. Honoratus Fabri. 21.
Opinio communis quæ? 22.
Quot autores reddant communem? 23.
Singularis opinio quæ? 24.
Casus, quibus est nefas sequi opinionem benignam etsi probabilem. 25. *& seqq.*
Privilegia Regularium ambigua debent explicari in horum favorem. 28.
Communis opinio de aliqua re non est semper testis consuetudinis vigentis conformiter tali opinioni. 29.

Cardo controversiæ pertractandæ toto hoc Tractatu. 31.
Hujus controversiæ discussio est præterita ab aliis. 32.

1 COntingit non rarò, esse duos Religiosos Sacerdotes, quorum unus P. Benignus, alter P. Rigidus cognominetur ea sola de causa, quòd prior ille in examinando pœnitente, in imponendo onere pœnitentiæ, restitutionis, reiterandæ Confessionis, deserendæ pravæ societatis, jejunandi, sacrificandi, pensum Canonicum persolvendi, sacri audiendi, voti exequendi, &c. in prohibenda, vel permittenda ipsi hac aut illa actione, interpretatione hujus, aut illius promissionis nudæ, vestitæ, religione juramenti firmatæ, sequatur plerumque opiniones ipsi pœnitenti favorabiles, gratas, faciles, esto sint fortè minùs probabiles, (Indubitanter tamen probabiles) minúsque tutæ, id est, minùs remotæ à periculo peccati Materialis, quàm oppositæ, at P. Rigidus omnino contrarium stylum teneat, aliam viam insistere consueverit. Quæstio jam est, *Vter horum agat rectiùs, digniórque videatur imitatione?*

2 Similiter duo sunt judices seu Ecclesiastici, seu Politici, quorum unum haud injuriâ Marcum Catonem (qui *esse, quàm videri bonus malebat*, teste Salustio *in Conjur. Catil.*) appellaveris ob severitatem, quam ostendit maximè in eo, quòd & leges, & consuetúdines circa pœnas Ecclesiasticas, temporales, circa testium, sacris Ordinibus initiandorum, ad nuptiales thalamos aspirantium, &c. qualitates, circa pactorum, contractuum, testamentorum, &c. licitam vel illicitam confectionem, circa judiciorum formam, & modum, circáque Reorum capturam, ac punitionem versantes ferè perpetuò interpretetur, atque observari velit, observaréq; soleat ex genio rigidiùs sentientium de illis legibus, canonibus, consuetudinibus, licèt non ignoret, esse alios sapientia, virtutéq; præstantes viros, qui aliter, nec sine ratione prudente senserint, scripserintque.

3 E diverso alterum nomine Julij Cæsaris non immeritò condecoraveris, ob lenitatem, ac benignitatem ostensam in eo, quòd ubi advertit, se posse bonâ conscientiâ, seu ex opinione practicè verè, certóque probabili ferre sententiam faventem partibus, ferat plerumque, quamvis eum non lateat, posse à se inoffenso Numine pronuntiari ingratam, molestámque; dubium est, *sit ne hic Cæsar præ illo Catone probandus, laudandus, imitandus?*

E. G. si practicè adhæreat iis, qui apud Cevallos in Speculo negant, vel testatorem prohibere illicitè liberis primi gradûs detractionem Trebellianicæ *quæst.* 30. vel Clericum, qui invalidè contrahit matrimonium, esse facto ipso privatum beneficiis. *quæst.* 147. vel capitalem inimicitiam esse sufficiens indicium ad torturam. *quæst.* 158. vel Clericum posse pro simplici fornicatione deponi. *quæst.* 262. vel excommunicato esse vetitam testamenti confectionem. *quæst.* 310. vel quando delictum est plenè probatum, posse nihilominus reum torqueri. *quæst.* 375. vel Ecclesiam teneri contribuere ad refectionem pontium, & viarum. *quæst.* 415. vel damnatum ad mortem, illicitè fugere, si possit. *quæst.* 575. vel prohibitionem alienationis factam favore familiæ, absolutè inducere perpetuũ fidei commissum. *quæst.* 725. vel emphyteutam Ecclesiæ posse à Laicis collectari. *quæst.* 736.

Supponitur autem primò, non posse cum 4
sufficiente ratione negari, quin per se loquendo sit fas cuivis Judici, seu interioris, seu exterioris fori, sese in praxi accommodare, utri lubuerit, ex duabus opinionibus verè, certóque probabiliter, ipsius judicio, pronuntiantibus, esse illi permissum, esse vetitum hoc, vel illo modo, in hac, aut illa causa spectata in his, aut illis circumstantiis judicare, esto una opinionum illarum sustineatur à plurimis Doctoribus, altera tantùm à pauculis, verè tamen & certò, ut dixi probabiliter.

Etenim regula generalis est absque ulla exceptione, quòd possumus in praxi amplecti opiniones probabiles *practicè*, inquit Cardinalis de Lugo *in Resp. Moral. l. 1. dub. 33. n. 4.* seu *Universaliter tam in materia fidei, quàm morum unicuique licitum est sequi quamcunque opinionem directè minùs probabilem, minúsque tutam, etsi opposita sit, & credatur probabilior, ac tutior. Sed sermo restringitur ad opinionem, cujus practica probabilitas est certa operanti.* Sic loquitur noster Pater Antonius Terillus in recentissimo simul, & eruditissimo Tractatu de conscientia probabili *q. 23. assert. 1. n. 5.* in qua Quæstione prolixissima probat, defenditque hanc doctrinam doctè & nervosè, referens *q. 22.* nominánsque pro ea plures quàm centum & octoginta scriptores hujus, & superioris sæculi, subnecténsque alios plurimos antecedentium sæculorum, atque inferens *n. 209.* probans autem *num. 210.* & *seqq.* hanc assertionem: *Authoritate inspectâ benigna sententia* (id est, illa, quæ tradit, esse per se loquendo licitum sequi in praxi quamvis sententiam practicè probabilem, modò ea probabilitas sit certa operanti) *non solùm est multò probabilior oppositâ, sed simpliciter loquendo est humano modo moraliter certa.* Hujus assertionis, sicut & illius, quam à me supponi dixi superiùs, probatio non est hujus loci. Qui utriusque demonstrationem, atque defensionem desiderat, legat citatum Antonium Terillum, reperiet *quæst. 23. & seqq.* valida argumenta, atque responsa ad objectiones Mevori, Fagnani, Sinnichii, aliorum quorundam. Reperiet quoque in libro, quem solidissimè, ut cætera 5
omnia,

omnia, de hoc argumento Romæ anno 1669. edidit R. P. Martinus de Esparza nunc S. Pœnitentiariæ ad Sanctum Petrum Rector. Nec prætereundus laudabiliter curioso Lectori P. Alphonsus Antonius de Sarasa *Tom. 2. Artis semper gaudendi* toto *Tract. 4.* in cujus calce nominat pro nostro dogmate centum octoginta novem Scriptores. Ego in Tertia, seu verius Quarta, Einsidlensi, inquam, Editione mearum *Experientiarum Tract. 1. num. 100.* addo illis centum octoginta novem antiquioribus viginti tres, alios Neotericos, quos nec P. Sarasa, nec eo junior P. Terillus legerunt, aut (utpote nec dum tunc vulgatos) legere potuerunt. Imò nunc addo illis viginti tribus vigesimum quartum Joannem à SS. Sacramento Carmelitam in Priore Claustrali *part. 1. n. 260.* Addo & vigesimum quintum nostrum P. Jacobum Illsung in suis perquam solidis, & modestis Vindiciis hoc ipso anno 1677. luce donatis, adversus alium alterius genii Carmelitam, Gregorium à S. Laurentio, insectatorem nostri itidem P. Christophori Haunoldi, etenim idem Pater Illsung non modò defendit illam communissimam in nostris scholis sententiam de licito usu opinionis minùs probabilis, sed etiam *n. 126.* ostendit, S. Thomam, si rectè expendatur, non modò non evidenter, quemadmodum sibi persuadet Gregorius, sed neque inevidenter esse contrarium illi nostræ communi Doctrinæ.

Cæterùm quàm mendosè retulerit Stephanus à S. Paulo verba, quæ initio hujus §. descripsi ex Cardinale de Lugo, videbis in Append. Apologetica adversus hunc Doctorem, à me adjecta primo Tractatui. Experientiarum Editionis Venetæ & Einsidlensis. *num. 100.*

6 Supponitur secundò, sicut generatim opinio probabilis definitur esse illa, quæ citra certitudinem firmâ, & prudente ratione fulcitur, nec habet contra se rationem convincentem. *Sanch. l. 1. mor. cap. 9. num. 6.* atque alii apud Guilielmum le Maire in Statera Sinnichii. *Sect. 1. §. 2.* Ita in specie illa opinio rectè describitur (etenim omnis rei tractationem à definitione proficisci debere, solent notare ex Tullio *de officiis lib. 1.* & ex Ulpiano *lib. 1. ff. de justit. & jur.* Paulo *IC. lib. 1. ff. de fid. instrum.* aliísque Jureconsulti *in proœmiis* suorum operum) probabilis in ordine ad praxin, quæ firmâ ratione fulta asserit, aut negat in genere, vel in individuo aliquid esse licitum, vel illicitum, secundùm leges faciendum, vel non faciendum; sicuti opinionem Benignam vocamus illam, quæ obligationem, aut pœnæ reatum negat, tollit, minuit; Rigidam, quæ asserit, ponit, auget, & aggravat ista.

7 Licèt verò ad prædictam probabilitatem conciliandam Navarr. in Manuali *cap. 27. num. 298.* & alii 24. quos refert, sequitúrque Vorricelli *in qq. moral. tom. 1. tract. 2. singul. quæst. 5.* alíque nonnulli absolutè pronuncient, sufficere auctoritatem unius probi, prudentis, & in illa materia, de qua agitur, insigniter periti viri, egóque hoc pronuntiatum censeam esse verum eo casu, quo illa materia à paucis ex instituto ventilata, nec nova lex contraria illi auctori condita, aut consuetudo inducta est; vel à multis quidem oppositum sentientibus discussa, non tamen solidè respondentibus ad fundamenta singularis sententiæ, nec illam censurâ ulla notantibus; si tamen eam materiam plurimi persequantur, atque omnes dissentiant ab eo auctore, ejus opinationem eu improbabilem, aut temerariam rejicientes, non existimo, esse illam habendam in censu probabilium, sicut nec existimant Tannerus *tom. 4. disput. 6. q. 9. num. 11.* Bresserus *de conscientia lib. 3. cap. 3. num. 30.* atque alii plures cum Francisco Oviedo *in primam secundæ tract. 5. controvers. 3. punct. 1. num. 8.* citante adhuc alios; non enim est verosimile, unum vel alterum perspexisse verum, omnibus aliis tam graviter cæcutientibus. Itaque est tunc parendum symbolo Pythagoræ, quem Valerius Maximus *lib. 8. c. 7.* vocat perfectissimum Sapientiæ opus: *Extra viam publicam ne deflectas;* & cum Innocentio Papa relato *cap. Extra distinct. 64.* dicendum: *Integrum est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur.* Equidem damnata est 24. Sept. anno 1665. hæc illimitata propositio: *Si liber sit alicujus Doctoris junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, esse rejectam à sede Apostolica tanquam improbabilem.* 8

Supponitur tertiò, Probabilium opinio- 9
num, à quibus honestas operationis directè dependet, alias dici Speculativè probabiles, alias Practicè probabiles. Priores sunt illæ, quæ asserunt, aut negant aliquid secundùm se, aut in communi esse licitum, aut illicitum; posteriores, quæ aliquid in particulari, seu hîc & nunc esse licitum, aut illicitum affirmant, vel negant. Ita Sanch. *l. 2. de matrim. disp. 41. n. 4.* testans, hujus distinctionis autorem esse Cajetanum.

Quamquam multi autores illam sententiam 10
vocant speculativè probabilem, aut veram, quæ ex propriis principiis apparet talis, Practicè autem probabilem, cui probabilitatem conciliat autoritas extrinseca: unde Tannerus *tom. 3. d. 4. quæst. 6. num. 215.* pronuntiat, esse speculativè & ex principiis intrinsecis unicè verum, quòd Clerici teneantur restituere ea, quæ ex reditibus beneficiorum superfluis honestæ sustentationi erogarunt in causas profanas, oppositum tamen esse Practicè, seu propter autoritatem probabile. E diverso docet idem Sanch. *l. 7. de matrim. disp. 32. vers. ultimo*, esse speculativè probabile, quòd nullæ mulieres quinquagenariæ obligentur lege je-

junii Eccleſiaſtici, non tamen eſſe Practicè tutum. Nos in hoc tractatu loquimur de Speculativè, & Practicè probabilibus in primo ſenſu, ac dicenda reſtringimus ad ſententias directè pronunciantes, & ſtatuentes de licito vel illicito exercitio alicujus actionis in genere, vel individuo: nec enim nobis directè ſermo erit de illis, à quibus dependet quidem aliquo modo honeſtas operationis, attamen à Laymanno *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 13. rectè nuncupantur *merè ſpeculativæ*, ut ſunt illæ, quæ non pronunciant, ſitne aliquid fas, aut nefas, ſed e. g. docent, hoc aut illud requiri ad valorem ſacramenti: hanc aut illam medicinam probabiliter profuturam, &c.

11 Quamquam, quando Doctores ex his merè ſpeculativis quæſtionibus, atque Opinionibus deducunt, ſicuti fieri ſolet, aliquas non merè ſpeculativas, de hiſce deductis, quatenus probabiliter aſſerunt, aliquid eſſe vetitum, permiſſum, præceptum, volumus intelligi ea omnia, quæ de cæteris probabilibus ſententiis dicemus: nam *de ſimilibus idem judicium habendum eſt. text. c.* 2. *de trans. Epiſc.*

12 Cæterùm quia diviſio ſententiæ probabilis in probabilem ſpeculativè, & practicè in primo ſenſu, eſt fundamentum totius hujus tractatûs, declarandum eſt, quo pacto fieri poſſit, ut ſententia ſpeculativè probabilis in primo ſenſu, non ſit ſemper practicè probabilis; ſunt enim auctores, qui cum Joanne Sanchez in *ſelect. diſp.* 52. *n.* 11. ſcribant, eſſe id inintelligibile, atque implicare contradictionem.

13 Et verè implicat, ſi quemadmodum per ſpeculativè probabilem intelligitur hîc omnis illa, quæ, & quatenus prudenter pronunciat, aliquam actionem in genere, & ſecundùm ſuum objectum conſideratam eſſe licitam, ſimiliter per practicè probabilem illam intelligas, quæ pronunciat aliquam actionem præcisè ſecundùm ſuum individuum objectum, & per ſe ſumptam eſſe hîc, & nunc licitam.

14 Etenim ſanè fateor, cum Franciſco de Oviedo *in* 1. 2. *tract.* 5. *controverſ.* 3. *punct.* 1. omnem ſententiam ſpeculativè probabilem eſſe etiam ut ſic practicè talem; *quod enim dicitur de omni, dicitur de quovis contento ſub illo.* At verò ſi retentâ, ut retineri, & retinere volumus, illâ deſcriptione probabilis ſpeculativè mutes deſcriptionem probabilis practicè, dicendo cum P. Oviedo *loc. c. n.* 10. eſſe illam, quæ prudenter pronunciat, aliquam actionem eſſe licitam, ſi conſideretur non ſolùm ſecundùm ſuum objectum, ſed etiam ſecundùm circumſtantias objecto extrinſecas, & accidentarias, ſine quibus non poteſt moraliter redigi ad praxin; tum equidem aio cum communi Caſiſtarum, permultas ſententias eſſe probabiles ſpeculativè, quæ ſunt improbabiles practicè, quia ſcilicet actiones, de quibus diſſerunt illæ ſententiæ, nequeant moraliter (eſto ſine dubio Phyſicè poſſint) re ipſâ verſari circa ſuum objectum proprium & eſſentiale, niſi admiſceantur, ſeu ſuperveniant aliquæ pravæ circumſtantiæ impertinentes.

Vt e. g. eſt ſpeculativè probabile, quòd non 15
ſit crimen lethale non reprimere motus carnales præter intentionem ortos; Item non avertere oculos ab aſpectu vultûs muliebris, eſto, ille aſpectus cauſet turpes cogitationes. Item, petere ex amore ſolius juſtitiæ vindicativæ à judice, ut capite plectat illum, qui tuum filium nequiter necavit. Item illum, qui ſe jactat de peccatis mortalibus etiam diverſæ ſpeciei non contrahere ſpecificam malitiam ſingulorum, &c.

Hæ, inquam, omnes ſententiæ ſunt probabi- 16
les ſpeculativè, ut de ſingulis tradunt, probántque inſignes DD. non neceſſariò hîc nominandi, hæ tamen ſententiæ ſunt practicè improbabiles, aliæ quidem reſpectu plerorumque hominum, aliæ reſpectu ſaltem aliquorum, quia ſcilicet vix, aut ne vix quidem fieri poteſt, ut, qui obit illas actiones, contineat ſuam voluntatem, & conſenſum præcisè intra terminos objecti expreſſi à nobis in iſtis actionibus, ſed potiùs fiet, ut dum voluntas deliberatè perſequitur hæc objecta, intellectus ſuperaddat repræſentationem aliorum pravorum, in quæ conſentiat etiam ipſa voluntas.

Nam homo lubricus, qui negligit reprimere 17
motus carnales, ſine ulla, vel cum ſola veniali culpa in ſe ortos, exponit ſe evidenti periculo illos denique approbandi poſitivè; ſicuti & periculo gaudendi de vindicta privata is, qui alterum, à quo læſus eſt, in ſe vel ſuis (aliud eſt, ſi neque ipſe, neque ſui ſint ab eo offenſi) accuſat zelo juſtitiæ, & multi illorum, qui ſe jactant, quòd ſuum æmulum pugno ſtraverint in terram, pedibúſque calcârint, exponunt ſe diſcrimini habendi complacentiam in illo præterito peccato injuſtitiæ.

Et generatim loquendo illæ ſententiæ ſpe- 18
culativè probabiles, non ſunt ſaltem reſpectu omnium probabiles practicè, quarum propria objecta ſemper habent adjunctum periculum ſcandali, aut magnam vim pertrahendi voluntatem in alia objecta prava, ſicuti ſic in materia caſtitatis, item in contractibus quibuſdam, in quibus ſubeſt magnum periculum palliatarum uſurarum. E diverſo pleræque ex ſententiis, quas in prima editione hujus opuſculi retulimus *ſecunda parte* ejuſdem, ſunt probabiles etiam practicè, quia generatim loquendo illæ ſunt ſpeculativè ſimul & practicè probabiles, quarum objectum poteſt facilè in praxin redigi ſine variatione, ac permixtione alterius, ſicuti utique poſſum toto die feſto deſcribere aliquid lucri causâ, non admiſcendo huic deſcriptioni hac intentione factæ ullam aliam circumſtantiam mortaliter malam.

Ex

Ex his patet, quo pacto ſit intelligibile id,
19 quod Joannes Sanchez relatus ſuprà *n.* 12. habet pro inintelligibili. At non perinde hinc liquet, quo ſenſu P. Thomas Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 32. *in fin.* ſcribat, eſſe ſpeculativè, non tamen practicè probabile, ſeu tutum, quòd omnes fœminæ quinquagenariæ ſint exemptæ præcepto Eccleſiaſtico jejunii, quandoquidem non ſolent in actuali exercitio illius probabilis ſententiæ occurrere circumſtantiæ, quæ contineant, vel efficiant aliam turpitudinem, quàm ſit ipſa præcisè refectio duplex ſumpta die jejunii à muliere quinquagenaria; niſi fortè velit P. Sanchez indicare, facilè oriri ſcandalum puſillorum, quando quinquagenariæ non jeiunant ob prætextum ſolius ætatis; quod quidem cenſeo eſſe verum, loquendo tum de Monialibus, tum ſpeciatim de matronis locorum, in quibus uſum non habet illa ſpeculativa doctrina Sanchezii, ſicuti fortè nuſpiam eſt recepta.

Patet quoque, probabilitatem practicam, &
20 ſpeculativam aliter à nobis ſumi, quàm à Reverendiſſimo Franciſco de Arauxo, utpote qui in Deciſionibus Moralibus *diſp.* 9. *de ſtatu Civili. n.* 7. utramque ſic deſcribit: *Illa eſt probabilis opinio ſpeculativè duntaxat, quæ poteſt defendi, & ſuaderi in Cathedra, & in publicis diſputationibus, propterea quòd ratione, vel authoritate fulciatur; illa verò eſt probabilis practicè, quæ eſt de his, quæ ad mores ſpectant, & ne dum in cathedra edoceri, ſed etiam in ſuggeſtu, & concionibus ad populum prædicari, & in humanis negotiis ad praxin redigi poteſt.* Ita ille, declarans utramque deſcriptionem inductione de baptiſmo, quem ſpeculativè eſt probabile licere, ſi conferatur vel unus à duobus Miniſtris; vel cum formula: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & c.* at non eſt probabile practicè. Subdit autem rectè idem autor, illam ſententiam rectè dici probabilem ſpeculativè ſimul, & practicè, quam tuta conſcientiâ in praxi ſequi potes. Subdo ego pro meliore intelligentia dictorum de probabilitate, illam firmam rationem, quâ citra certitudinem fulcitur juxta dicta *n.* 6. vera, indubitatáque probabilitas, nihil eſſe aliud, quàm rationabile motivum, vel fundamentum, quod licèt objectum non rapiat, & vi quadam objectivè aſſenſum non extorqueat, ad aſſenſum tamen prudentem movet; prudens verò aſſenſus eſt, quem ſi quis dederit, eum prudenter feciſſe homines dicunt, ſicut perbene obſervat, loquitúrque Pater Honorátus Fabri in ingenioſo Dialogo de opinione probabili. *fol.* 2. *Rom. Edit. anno* 1659.

Supponitur quartò, opinionem probabilem
21 dividi communiter in magis, & minùs tutam. Minùs tuta eſt illa, quam ſi ſequaris, periculum eſt, ne committas, aut omittas aliquid, quod per ſe loquendo non eſſet committendum, aut omittendum; tutior, in qua penitus abeſt hoc periculum vel certè non adeſt tantum. Ut v. g. opinio aſſerens, circumſtantias non mutantes ſpeciem eſſe confitendas, eſt tutior, quàm negans. Si quippe eam ſequendo confitearis illas, certum eſt, te ut ſic, nihil facturum, quod ſit ulla lege vetitum; at ſi non confitearis, ſubeſt periculum, ne omittas, quod eſſet per ſe loquendo ex lege divina confitendum. Ita reipsâ hanc diviſionem & admittunt, & explicant P. Azor. *l.* 2. *Inſtit. mor. c.* 26. P. Sanchez *l.* 1. *moral. c.* 9. *n.* 14. atque alii, quos citat, ſequitúrque P. Oviedo *in* 1. 2. *tract.* 5. *controverſ.* 3. *p.* 2. *n.* 20. tametſi Joannes Sanchez in ſelect. *diſp.* 44. *n.* 66. rectè negat, illam è duabus verè, & practicè probabilibus opinionibus eſſe formaliter tutiorem alterâ, eò quòd etſi ſequaris illam, quæ eſt materialiter minùs tuta, attamen æquè parum offendas Deum, æquè parùm mereari infernum, quàm ſi ſequereris oppoſitam. Plus dicit P. Fabri *loc. cit. pag.* 35. 36. 37. ubi contendit, quòd omnis opinio probabilis ſit tuta, & omnis tuta excludat omne peccatum tam materiale, quàm formale, proindéque omnis opinio tuta ſit non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter tuta. Quam rationem loquendi à me apud nullum alium autorem lectam, nequeo aliter defendere, niſi dicendo; quando ex opinione probabili aliquid agis, quod per ſe loquendo vetitum eſt, te ne quidem materialiter peccare, idcirco quòd Deus faciat tibi tunc jus agendi id, quod agis, adeóque non prohibeat; ſi non prohibet, ergo non agis contra ullam legem, ergo ne materialiter quidem peccas. Verùm placet nobis loqui cum multis.

Supponitur quintò, opinionem Commu- 22
nem à Ferdinando de Caſtro Palao *part.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. poſt Azorium *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. atque alios, rectè deſcribi eſſe illam, quæ à Doctoribus, eam ex profeſſo tractantibus, communiter defenditur. Cenſetur autem defendi communiter, non modò quando defenditur ab omnibus, vel à pleriſque, ſed etiam quando à multis probis ac doctis, ut patet tum inde, quòd omnes Doctores agnoſcant perſæpe fieri, ut duæ contradictoriæ opiniones ſint, dicantúrque Communes; unde Cævallos refert *in ſuo Speculo* octingentas opiniones Communes contra totidem Communes in materiis quotidiani uſus: tum quòd Navarrus *in Manualis cap.* 27. *n.* 289. multis aſſentientibus rectè tradat, ſententiam, quæ à decem, aut etiam octo duntaxat gravibus, doctíſque viris propugnatur, meritò vocari Communem. Quin 23
Antonius Maria Coratius *in tract. de opin. Communi l.* 1. *tit.* 3. teſtatur, à Jaſone, & aliis nonnullis illam pro communi haberi, quam unus quiſpiam excellens Doctor tuetur una cum gloſſa; ipſe verò complura de perfectione numeri ſeptenarii *eodem tit.* 3. colligens, & con-

scribens concludit, à septem Doctoribus ut minùs constitui opinionem communem, quos quidem esse debere præditos autoritate, id est scientia & probitate, inde ostendit *tit.* 5. quòd Autoritas nil aliud sit, quàm *Opinio, qua quis putatur imitatione dignus.* Vide de utraque hac necessaria qualitate Bresserum *loc. cit. n.* 33. enucleatè.

24 Et adde consequenter, illam opinionem esse singularem, quam unus tantùm, aut alter vir doctus, & gravis tuetur; nam opinio singularis est eadem quæ non communis; non communem verò dicunt Coratius *loc. cit.* Azor. *p.* 1. *l.* 1. *c.* 13. *in fine* illam, quam unus solùm, aut alter defendit.

25 Supponitur sextò, licèt, ut dictum, sit, per se loquendo, cuivis fas in suis actionibus ipsum solum, vel alium concernentibus procedere juxta quamvis sententiam indubitanter sibi probabilem, adeóque benignam, seu benigniorem, tametsi singularem, & communissimæ repugnantem, in pluribus tamen casibus esse id per accidens illicitum, ac nefas.

26 Fallit enim illa doctrina I. quando usus benignæ opinionis esset futurus noxius vel illi, propter quem eâ uteris; nam *juvari beneficio nos oportet, non decipi.* text. *in c. un. de commod.* Vel alteri injustè. arg. reg. 206. ff. *Iure naturæ æquum est, neminem cum detrimento alterius fieri locupletiorem;* Vel bono publico, quia *non immeritò præferimus speciali utilitati communem.* text. *in cap.* Bonæ *de postul. prælator.* Hanc doctrinam Casu singulari postea declaravi in Experient. *tr.* 3. in App. ad *n.* 265. Edit. tertiæ, seu Einsidlensis.

27 Et utique laudandi non sunt, qui obvias quasque sententias, rigori castimoniæ, vel assertis juribus immunitatis Ecclesiasticæ repugnantes amplexantur, & in praxin redigunt, immemores cùm illius Pontificii moniti: *Vbi periculum majus intenditur, ibi plenius est consulendum: cap. Vbi periculum. de elect. in* 6. tum illius augustissimæ sententiæ: *Summa est ratio, quæ pro religione facit.* text. *leg. Sunt per-*
28 *sonæ. ff. de Relig. & sumpt. funer.* Quæ fortè ratio movit Julium I. & Leon. X. ut, referente Emmanuele Rodriq. *quæst. Regul. tom.* 1. *q.* 11. *art.* 6. *reg.* 1. statuerint, ut privilegia concessa Regularibus, laborantia dubietate aliqua, orta ex verborum ambiguitate, & ex Juris peritorum interpretatione, intelligantur in favorem Regularium. Et generatim sententias faventes causis Piis præponendas esse non faventibus docent præter Theologos Jureconsulti infrà. *n.* 189.

29 Fallit eadem doctrina II. quando benigna sententia alibi practicè probabilis, repugnat receptæ consuetudini tui domicilii. Etenim judex tenetur officio suo fungi conformiter consuetudini loci, ubi jus dicit. Omnes Doctores teste Coratio *loc. cit. l.* 2. *tit.* 9. *n.* 91. nam *id custodiri oportet, quod moribus, & consuetudine inductum est.* text. *in l. de quibus ff. de legib.* Vide Andr. Gail. *lib.* 1. *observ.* 36.

Licèt verò commune Doctorum judicium de actione aliqua licita, vetita, sit sæpissime non levi argumento, & probationi consuetudinis circa illam actionem vigentis, crebro tamen nullum prorsus argumentum præbet. 1. quia sæpe fit, ut duæ contrariæ opiniones sint communes. 2. quia frequentissimè tam Jureconsulti, quàm Theologi promunt sua sensa de licito, vel illicito exercitio alicujus actionis, consideratæ præcisè secundum leges, & canones, non faciendo ullam mentionem consuetudinis, conformis, vel difformis. 3. quia multi scriptores ignari, aut certè non satis gnari sunt consuetudinum vigentium in diversis locis, & fortè nec receptarum in iis, quæ incolunt ipsi. 4. quia frequenter decidunt lites, quarum usus est rarissimus.

Itaque opinio Communis est consuetudinis testis crebrò mutus, crebrò cæcus, crebrò varians, & hoc ipso nullus, ut Canonicæ, Civilisque sapientiæ tirones noverunt ex utroque Jure. *Tit. de Testibus*, atque ex Practicarum concinnatoribus.

Fallit eadem doctrina III. generatim, quan- 30
do ob peculiares circumstantias temporis, loci, personarum, &c. fit, ut opinio, quæ in genere, & secundùm se est probabilis, non sit in individuo, seu hîc & nunc practicè probabilis. Nostræ enim actiones commensurandæ sunt suæ regulæ proximæ, seu conscientiæ. S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *a.* 5. quia *quod non est ex fide, peccatum est. Rom.* 14. & *quod fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.* text. *c. Ex literis. de restit. spoliat.* Conscientia autem est dictamen de actione hîc & nunc licità, vel illicità. Tannerus *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 6. *n.* 19. ex consensu Theologorum Moralium.

Cæterùm quamvis judex non sit per se laudandus, quando opinione favorabili suo Reo non utitur tunc, cùm posset absque læsione Numinis uti, non tamen est idcirco universim reprehendendus, quia nulla lex apertè, & generaliter ad id illum obligat, multò minùs objurgandus, si tunc utatur, ut patet ex ipsis terminis.

Igitur cardo totius præsentis controversiæ 31
in hoc versatur, an illi utriusque fori judices, qui hac ætate solent plerumque in judicando sequi Benignas opiniones Doctorum certò practicè probabiles, etsi quandoque oppositas communibus, sæpe communioribus, tutis, vel tutioribus, ideft remotioribus à peccato Materiali, sint laudandi, atque imitandi præ illis, qui plerumque rigidiores, & tutiores consectantur, præsertim ac præcipuè in materiis legum merè Positivarum, seu hæ sint Divinæ, seu Humanæ, Ecclesiasticæ, aut Politicæ.

Quam

32 Quam quidem controversiam etsi non parvi momenti, à nemine tamen Theologorum, quantum nobis compertum est, fundamentaliter discussam, pertractabimus hac Dissertatione, quâ adferentur complures rationes utramque partem controversiæ roborantes: edisseretúrque, utra illarum præplaceat, & contrariæ rationes dissolventur.

SECTIO II.

Proponuntur argumenta in defensionem rigidiorum Confessariorum, & aliorum Iudicum.

SUMMARIUM.

Objectio 1. *de obligatione infligendi pœnam magis formidabilem reo.* 33.
2. *De obligatione plectendi reos ob publicam utilitatem.* 34.
3. *De conjugata illicitè petente debitum, etiam quando solùm dubitat de valore matrimonii.* 35.
4. *Ex verbis Iob. Verebar omnia opera mea.* 36.
5. *Ex regula imperante sequelam partis tutioris.* 36.
6. *Ex rigore, quo fuere usi SS. Patres.* 37.
7. *Ex sententia illa: Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.* 38.
8. *Ex sententia Paulina: ab omni specie mala abstinete vos.* 39.
9. *Ex dissolutione disciplinæ causata ab opinionibus benignioribus.* 40.
10. *Ex eo quòd sequens opinionem benignam sequatur regulam dubiam.* 41.
11. *Ex pœnis debitis judici non sequenti opinionem communem.* 42.
12. *Ex obligatione, qua tenetur Iudex fori externi stare sententiâ, quam habet pro probabiliore.* 43.

Judices utriusque fori rectiùs agere dum plerumque ex genio, & ingenio M. Catonis, qui integritate vitæ magnus habebatur, teste Salustio in *Conjuratione Catilinaria*, procedunt communiter secundùm opiniones securiores, & probabiliores, potiùs quàm communiter secundùm benigniores, suaderi potest his rationibus.

33 I. Quòd Judex teneatur infligere Reo illam pœnam, quam Reus magis timet. text. *in cap. Quoniam* §. *final. ut lit. contest.* quia hoc solum bene agitur, inquit Gloss. *ibid. verb. magis timeri*, non igitur satisfaciet legi, si in pœnis irrogandis sectetur mitiora.

34 II. Quòd leges Sacræ, Profanæque toties inculcent, publicæ utilitatis interesse, ne crimina maneant impunita. *l. ità vulneratus ff. ad leg. Aquiliam cap. Vt famæ* 35. *extra de sentent. excommun.* non enim est misericors, sed crudelis, qui vitiis nutriendis parcit. Petrus ab Angelis *in Iudice Regul. cap.* 23. *q.* 5.

III. Quod *in cap. Inquisitioni* 44. *de sent.* 35
excom. prohibeatur, ne mulier, quæ etiam bona fide nupsit alicui, reddat huic debitum, *quando conscientia pulsat animum ex credulitate* (de latente impedimento) *probabili, & discreta, quamvis non evidente, & manifesta.* Unde licet sic argumentari: si talis mulier habet solùm probabilem opinionem de latente impedimento, hausto. e. g. inde, quòd ipsa viderit virum cum sua (mulieris) consanguinea in locis suspectis, & horis suspectis solum cum sola, sicut explicat Glossa *in verb. probabili*, tum etiam habet probabilem opinionem de carentia impedimenti; oppositum enim illius quod est tantùm probabile, est etiam (regulariter) probabile. Fabri in cit. Dialogo *fol.* 28. & identidem Diana, atque Caramuel; & tamen Pontifex interdicit tali mulieri petitione debiti, ne contra judicium conscientiæ committat offensam; ergo manifestè indicat Pontifex, esse à Judice Ecclesiastico, ipsâque muliere tutiorem opinionem sectandam in eo casu, ergo & in omnibus similibus.

IV. Quòd *Iob.* 9. dicatur: *Verebar omnia* 36
opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti. Et Prov. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus.*

V. Quòd Regula Juris statuat, in dubio partem tutiorem esse eligendam: ergo & in opinionibus. Consonat illa sententia: *Tene certum, dimitte incertum. cap. Siquis, de pœnit. dist.* 7.

VI. Quòd ex Canonibus Pœnitentialibus 37
didicerimus, Sanctos Patres magno rigore usos adversus delinquentes; plerosque etiam ex iis, nominatim Chrysostomum, Climacum, Bernardum gravissimè infectatos fuisse multas actiones, quas moderni Theologi pro peccatillis habent. Unde credibile est, hos divina, humanáque sapientiâ, sanctimoniâque illustres Viros, quorum mores nobis debent esse norma vivendi *c. fin. dist.* 20. dum confessionibus excipiendis operam darent, non multùm fuisse blanditos enarrantibus peccata sua, sed plus severitudinis adhibuisse, quàm lenitatis.

VII. Huc facit illa S. Gregorii sententia: 38
Bonarum mentium est, etiam ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est; ergo longè magis agnoscenda, & cavenda est, quando numeratis virorum sapientum, usúque peritorum calculis reperiuntur multò plures, qui agnoscendam affirment, quàm qui inficientur.

VIII. Sic argumentor. Quævis anima, quæ 39
amat sincerè Deum, studet tum in se, tum in aliis, quoad potest, non tantùm veram, & formalem Dei offensam, sed etiam materialem cavere, juxta illud præceptum Apostoli
1. Thessal.

1. Theſſal. 5. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Atqui à ſpecie mala, vel mali non abſtinet, qui actionem exercet, quam probabile ſit, eſſe à parte rei prohibitam jure naturali, vel poſitivo.

40 IX. Addi poteſt, per benignorum ſententiarum praxin, uſum, & doctrinam nimiùm laxari conſcientias, peſſumdari diſciplinam Religioſam, & Eccleſiaſticam, repugnante cap. *Cum inter. de conſuet.* multis teneris conſcientiis gravia ſcandala præberi contra comminationem Salvatoris *Matth. 18. verſ. 7.* & factum ejus Vicarii relatum. *c. 1. diſtinct. 51.* Unde videri queat, non eſſe injuſtam D. Michaëlis Manrique invectivam in Dianam, ejúſque anteſignanos, vel aſſeclas, quam prædictus autor *part. 2. quæſt. moral. & Vicarialium. q. 41.* declamat his verbis: *Poſſumus Dianam, & alios increpare, quòd ſtatim opinionem componunt, qua lex, conſtitutio & præceptum; item obligatio juſtitiæ, & conſcientiæ relaxatur, & evertitur, & tot ſunt adeò opinionum ſcripta, ut nihil ſit ſecurum, nihil certum, nec Superiorum gladius, nec veritas ullam habeat fortitudinem, aut ſciſſuram. Expertus loquor, & ſcio, quanta mala invexerint in republica Chriſtiana, & obſtacula Prælatorum, & Judicum Eccleſiaſticorum tot opiniones, quibus ferè nulla lex, conſtitutio, aut decretum, excommunicatio, reſtitutio, vel ſatisfactio poterit in conſcientia ſubditos obligare.*) Hactenus ſuum de Theologis ſenſum, ſanè non mitiſſimum expectoravit hic Doctor.

41 X. Ita argumentari licet ex Cajetano *in Summa, V. opin. 10.* Qui ſequitur partem benigniorem, committit ſuam operationem regulæ ambiguæ ad caſum peccati; ac per hoc exponit ſe, aut alium periculo peccati: hoc autem eſt illicitum, ergo opinio rigidior præferenda eſt benigniori, ſaltem communiter, ſi non ſemper.

Atque ita ſentiunt omnes, qui ut vidimus cum Cajetano. *loc. cit. n. 1.* exiſtimant, partem tutiorem debere neceſſariò præferri parti minùs tutæ; nam benignior pars, & ſententia ſolet eſſe ex ſe minùs tuta, minúſque remota à periculo etiam proximo labendi in peccatum. Itáque ſentire videtur S. Th. *Quodlib. 8. a. 13.* loquens de habente unas præbendas.

42 XI. Videtur ſententia rigidior neceſſariò ſequenda judici ſaltem tunc, quando eſt communis, benigna non communis. Etenim nefas eſſe judici recedere à communi opinione, generatim tradunt paſſim IC.; adeò ut Coratius *lib. 2. de comm. opin. tit. 8.* plurimos, eóſque principes Juris in hanc rem allegans neget, eſſe quemquam à ſe, excepto Zaſio, lectum, qui abſolutè id inficietur.

Et addit *tit. 12.* cum permultis, ſicut & Cævallus *in præfat. de opin. comm. contra comm.* hanc doctrinam ita eſſe veram, ut judicis ſententia contra communem lata ſit iniqua, & irritanda, ipſéque judex litem faciat ſuam, partibus teneatur ad intereſſe, puniendúſque ſit à Superiore; conatúrque hic eruditus legum auditor (illum quippe Tractatum conſcripſit etiam tum Studioſus Juris) iſta omnia evincere adductis pluribus legibus & canonibus, quos longum eſſet referre. Nec dubitat *eod. tit. 9. n. 3.* hæc ipſa extendere ad eos quoque, qui anteferunt ſententias minùs communes magis communibus.

XII. Judex ſaltem fori externi tenetur in 43
cauſis civilibus pronunciare pro illa parte, pro qua jus ſtare ipſe judicat probabiliùs, ſicut paſſim tradunt Doctores; & proinde non debet habere rationem lenitatis, ſed ſtricti Juris; ergo, ſaltem in hujuſmodi eventu ſtandum eſt Judiciali ſententiâ ferendâ ex opinione probabiliore.

Denique Stephanus à S. Paulo in Editione tertia ſuæ Theologiæ moralis conatur probare, Concluſionem ſextam ponendam infrà *n. 58.* damnatam eſſe ab Alex. VII. Verùm evidenter demonſtro in altera, & tertia editione *Experientiarum theologicarum tract. 1. ſect. 1.* hunc ſcriptorem graviter hallucinari.

SECTIO III.

Statuitur, utriuſque fori Judices rectiùs agere, dum communiter opiniones benigniores, certò tamen probabiles practicè ſequuntur, quàm dum communiter ſeveriores.

SUMMARIUM.

Stando præciſè objecto opinionum, conſultiùs proceditur ſecundùm rigidiores, quàm ſecundùm benigniores. 45.
Declaratur exemplo familiari. 47.
Refutatur Paſqualigus, negans eſſe laudabilius ſequi magis, quàm minùs probabilia. 49.
Declaratur inſtantia ſcribentium pro lucro in die feſto. 50.
Adferuntur, & retunduntur rationes Paſqualigi. 51. 52. & 53.
Confeſſarius tenetur pœnitentem dirigere juxta opiniones tutiores, & probabiliores, quando facilè poteſt. 54.
Confirmatur exemplo P. Leſſij. ibid.
Non ſunt imitandi ſectatores benignarum opinionum, eſto probabilium, quando hæc ab aliis habentur pro improbabilibus. 55
Nec illi, qui inſiſtunt, abſque gravi cauſa, ſingularibus. 56.
Rectiùs agunt illi Confeſſarij, & Judices fori externi, qui communiter procedunt ſecundùm opiniones benigniores, quam qui communiter ſecundùm rigidiores. 58.

Ego

44 EGo omnino ſentio, Confeſſarios, Judicéſque fori externi benignos eſſe abſolutè commendandos, probandos, ſequendos, præ rigidis, etſi hi illis aliquo reſpectu ſint præferendi. Hunc meum ſenſum declaro ſex Concluſionibus.

45 Dico igitur I. Per ſe loquendo, ſeu ſpectando præciſè objecta Opinionum benignarum, & rigidarum, conſultiùs, ac meliùs agunt, qui intra & extra Confeſſionale uſurpant doctrinas practicas rigidiores, quàm qui benigniores. Breſſerus *de conſcientia l. 3. n. 80.* Moveor ad hoc aſſerendum ea ratione, quòd objecta opinionum, doctrinarúmque rigidarum practicarum ſoleant eſſe vel opera virtutum, vel evitatio certa peccati, ſaltem materialis; objecta autem opinionum benignarum ſoleant eſſe omiſſio vel abſolutè operum virtuoſorum, vel ſaltem perfectiorum; item exercitium actionis, quæ veroſimiliter ſit vetita, atque adeò ſit peccatum materiale.

46 Sicuti igitur haud dubiè agit conſultiùs, & laudabiliùs, qui ſuas proprias, & alterum non concernentes actiones ita inſtituit, ut certò effugiat peccatum etiam materiale, exerceátque opera perfectiora, quàm qui oppoſitum factitat, ita etiam laudabiliùs per ſe loquendo operatur, qui in ordine ad alios uſurpat ſententias illas, quæ eos ex ſe inducunt ad certam, evitationem peccati materialis, exercitiúmq; operis boni, aut melioris; Atqui id facit, per ſe loquendo is, qui ſententias rigidiores uſurpat intra & extra Confeſſionale, ut patet ex objectis harum Opinionum.

47 Hanc Concluſionem declaro quotidiano exemplo: Adoleſcens dicit confeſſario, ſe dubitare, utrùm emiſerit propriè votum, an habuerit ſolùm propoſitum audiendi ſingulis diebus ſacrum? Si confeſſarius in hoc caſu ex Theologorum ſeveriorum probabili ſenſu (à qua diſſentio in Alphab. Quadrupl. *n. 380.*) reſpondeat: Mi fili, teneris, donec hoc dubio te exſolvas, quotidie adeſſe ſacerdoti ſacris operanti; hujus probabilis, rigidíque reſponſi objectum eſt auditio ſacri, vitatióque ſacrilegii materialis, ſi quo caſu adoleſcens ille, de quo paradigma iſtud proponimus, revera ediſſet ejuſmodi votum; quod quidem materiale ſacrilegium certò effugiet ipſe, accommodando ſe judicio rigidioris confeſſarii, non autem certò illud evadet, ſi nactus mitiorem confeſſarium ſibi perſuadeat, ſe liberum eſſe omni obligatione, & cum hac perſuaſione omittat quotidianam ſacri auditionem.

48 Igitur ſi advertat confeſſarius, illum adoleſcentem paratum eſſe in dubio ſemitam ſequi tutiorem. *cap. Ad audientiam de homic.* conſultiùs aget manifeſtando illi, quid circa tale dubium ſanciant ſeveriores Theologi, quàm quid leniores, ipſéque adoleſcens gnarus utriuſque ſententiæ laudabitur ſectando difficiliorem, non commendabitur amplectendo faciliorem Suarezii *l. 4. de voto cap. 5.* & aliorum permultorum.

Hinc refutatur Zacharias Paſqualigus, qui 49
in ſuis deciſionibus moralibus. deciſ. 25. docet, non eſſe laudabilius, ſequi, abſque ſpeciali cauſa, opinionem magis probabilem, etiamſi illam ſequendo effugiatur peccati materialis periculum, nam ratio, quam attuli *n. 46.* eſt apertè contra Paſqualigum.

Et verò ſi ponamus duos ſcribas, quorum 50
unus dicat. Quia eſt probabile, nefas eſſe lucri cauſa tranſcribere die feſto, ne quid faciam ab Eccleſia interdictum, hodie nil tranſcribam lucri cauſa; alter autem dicat: Quia eſt probabile, mihi fas eſſe hodie ſcribere, & tranſcribere lucri cauſâ, quamvis etiam ſit vero ſimile, mihi id nefas eſſe, tranſcribam tamen. Si, inquam, ponamus duos ſcribas, qui ita ratiocinentur, & agant, nemo, puto, dubitabit, quin prior ille per ſe loquendo meliùs, ac SS. Virorum exemplo conformiùs agat; & tamen non ſequitur probabiliorem ſententiam Suarezij *de feſtis c. 25.* ſed tantùm tutiorem Navarri *in Manualic. 13.* Quantò potiore jure diceretur laudabiliter agere, ſi illa opinio, quam ſectatur, eſſet ſimul probabilior? Sanè vel hoc exemplo ſatis ſuperque confutatur illud judicium Paſqualigi.

Nec obeſt, quod objicit primo loco Paſqua- 51
ligus, ſcilicet laudabilitatem operationis ſumi à bonitate, bonitatem autem, quæ non eſt ex objecto, ſed in ordine ad operationem dirigentem, ſumi à bonitate & honeſtate opinionis, quæ opinionis bonitas cùm conſiſtat in conformitate ad rectam rationem, proindéque in indiviſibili, non poſſe fieri, ut una opinio ex probabilibus ſit magis honeſta, quàm alia itidem probabilis, & conſequenter etiam fieri non poſſe, ut unam ſequens operetur honeſtiùs, quàm qui ſequitur alteram.

Reſpondetur enim, honeſtatem operatio- 52
nis, quam quis exercet, ſectando opinionem tutiorem, & probabiliorem, non deſumi unicè ex honeſtate opinionis affirmantis, hoc eſſe præceptum, illud non eſſe permiſſum, &c. ſed ſimul ex honeſtate generalis principii, quòd ſcil. per ſe loquendo commendatione dignum ſit, declinare omne periculum peccati, etiam materialis, non autem ſit per ſe loquendo laudabile, ſed, ut ſummum, indifferens, in tale periculum ſe, abſque peculiari cauſa, dare: eſto, prudens ratio ſuggerat, re ipſa nullam offenſam Dei commiſſum iri.

Non etiam obeſt, quod hic Doctor ſecun- 53
do loco objicit, videl. poſſe etiam eſſe in opinione magis probabili periculum peccati Materialis, cùm neque ipſa ſit certa; nam reſpondetur, hac ratione, ut ſummum probari, non mereri laudem eum, qui ſua omnia dicta facta exigit ad normam judicii ſimilioris vero, at

non

non probari, laude dignum non esse illum, qui (cæteris paribus) sequitur opinionem probabiliorem tunc, cùm illius sententiæ insistendo effugit peccatum materiale, probabiliter non effugiturus, si contrariæ opinionis antesignanorum, assectarúmque vestigia legeret.

54 Dico itaque II. Confessarius non fungitur fideliter officio suo, quando suum pœnitentem dirigit, secundùm amussim sententiarum minùs tutarum, minúsque probabilium simul, cùm posset facilè, ac sine incommodo spirituali dirigere juxta tutiores, simúlque probabiliores. Patet ex dictis, & confirmatur judicio simul, atque exemplo sapientissimi P. Leonardi Lessii, de quo in ejus vita *cap. 7. n. 29.* hæc verba legere est: *Laxioribus sententiis, etsi aliquo usque probabilibus, non aliter judicabat utendum, quam ubi alius animæ juvandi modus non esset super. Ne (ut ipse dicere solitus) flammis purgantibus eorum gratia cogeretur expurgari, quorum dubias causas sine gravi necessitate tueretur.*

55 Dico III. Non sunt imitandi illi, qui ex proposito sectantur in alterutro foro benignas opiniones, quæ habentur quidem à magnis viris probabiles, attamen etiam ab aliis sapientibus reputantur improbabiles aut temerariæ, aut scandalosæ, &c. Ratio est, quia hoc ipso, quòd notentur à quibusdam sapientibus ejusmodi censurâ, illarum usus facillimè parit scandalum.

56 Dico IV. Neque etiam imitandi illi, qui absque gravi, peculiarive causa insistunt opinionibus singularibus. Etenim hinc etiam facilè scandalum enascitur, & vix abest à temeritate, qui per silvam longam latam iter faciens relicta communi semita sequitur vix unius, alteriúsve vestigiis notatam. Vide Lezanam Tom. 4. toto Consult. 48. differentem de opinione Singulari.

Dico V. Non sunt notandi ullâ censurâ, ul-
57 láve reprehensione digni illi Confessarii, & judices Ecclesiastici, qui communiùs sententias ferunt conformes benignioribus placitis Doctorum indubitanter probabilibus, esto, fortè minùs tutis, minúsque communibus. Ratio petitur ex sequenti conclusione.

58 Dico VI. Omnibus consideratis, adeóque à parte rei, & absolutè, seu plerumque atque à toto genere rectiùs, & consultiùs agunt Confessarii, & Judices Ecclesiastici, ac Politici, qui ex practicè probabilibus opinionibus, præsertim circa leges positivas vigentibus, atque verè & certò probabilibus, nec ullo modo repugnantibus juri Tertii, receptæ consuetudini, & stylo loci, in quo jus dicunt, benignas, & humanæ fragilitati favorabiles usurpant hac ætate, quàm qui communiter rigidas, onerosásque.

59 Hanc conclusionem nobis persuadent rationes adferendæ quatuor sequentibus Sectionibus. Intelligimus autem, ut jam indicatum est. *n. 6. & 7.* per verè probabiles tam illas, quæ in genere, quàm quæ in individuo, seu hîc & nunc omnino probabiliter asserûnt aliquid esse licitû, non prohibitum; etenim quæ in probationem adducentur, probabunt utrumque horum membrorum, suppositis restrictionibus, quas expressimus suprà *n. 21. ac seqq.* nec enim intendimus patrocinari illis e. g. qui consectari solent ex opinionibus probabilibus etiam illas, quæ sunt tantùm apparenter, aut probabiliter probabiles, aut quibus plerique negant omnem probabilitatem; nam decet quemvis esse memorem illius Gnomes: *Ne quid nimis.*

SECTIO IV.

Mitiorem Sententiam esse à Iudicibus communiter eligendam probatur autoritate Iuris Canonici.

SVMMARIVM.

Probatur ex Jure Canonico, judices utriusque fori rectiùs agere, dum communiter sectantur benigniora, quam dum communiter rigidiora. 60.

Et in primis ex capit. fin. de transact. 61.

Cur sit declinandum in partem humaniorem? 62.

Quid de hac re statutum in cap. Ex litteris *de probat?* 63.

In quibus materiis locum habeat regula Juris: In obscuris minimum est sequendum? 65.

Adfertur pulchra sententia ex S. Chrysostomo. 67.

Adferuntur alii textus Juris Canonici in hanc rem. 69. *& seqq.*

In foro Ecclesiastico statur etiam determinationi legum Civilium. 73.

ESse ab utriusque fori Judicibus, materias 60
juris Positivi tractantibus, usurpandas communiùs sententias benignas quidpiam vetantes, præcipientes &c. quæ tamen sint verè atque indubitanter probabiles, persuadent varia pronunciata jure utroque comprehensa; quorum quia summa debet esse autoritas in hoc negotio, utpotè de quo judicandum legibus, *l. nemo Cod. de sent. & interl. omn. judic.* proindéque sine his differendum nobis non sit; *authent. de trient. & sem. §. consideremus. collat.* 3. idcirco complura ex iis proferemus in medium, & quidem suis verbis ideo expressa, quòd arbitremur illos, quos præcipuè cupimus nostro Clypeo tegere, Confessarios, inquam, libentiùs ea hoc loco, quàm alibi lecturos; ob quam etiam causam hoc ipsum insti-

institutum ferè toto Tractatu tenebimus, licèt nos non lateat Romanorum hac de re judicium, expressum à sapientissimo Navarro, *in Tract. de Eccles. reditib.* in prælud. *n.* 2.

61 Atque imprimis Honorius Papa relatus *cap. fin. de Transact.* ita statuit: *In his, in quibus jus non invenitur expressum, procedas (æquitate servata) in humaniorem partem declinando semper, secundùm quod personas, & causas, & loca & tempora postulare videris.* Atqui ex una parte rectè negaveris, illud jus esse expressum, quod prudentes, peritíque Doctores gravi ratione ducti inficiantur esse expressum, (siquidem cum sapientibus sentire, & loqui honestum est. *Proverb.* 22. 7. ibi: *Inclina aurem tuam, & audi verba sapientium,*) Ex altera verò parte præsentia tempora postulare videntur, ut judices præsertim sacri, atque Ecclesiastici communiùs procedant secundùm sententias benigniores.

62 Cùm enim videamus, & novas Leges quotidie sanciri, & homines toties, ac tam fœdè impingere in illas ipsas, quas liquidò nôrunt graviter obligare, si contra doctrinam cap. *Ex parte. de cler. agrot.* afflictionem afflictis, onera oneribus addant Confessarii, atque identidem manum mittant in urnam arrorum calculorum, suos nimirum pœnitentes regendo secundùm normam rigidiorum sententiarum, id tandem consequentur, ut Christi fideles vel segniùs, aut sacrilegè Sacramenta frequentent, vel abjectis frænis in peccata, præquadam desperatione, ruant. Atqui talem morem tali damno Ecclesia compensare non vult, *cap. 1. de Convers. infidel.* Nec rigor juris, ex quo sequi posset causæ perplexitas (legum abjectio) requirendus est, *c. Interposita* 69. §. *fin. de Appellat.*

63 II. Lucius III. *cap. Ex literis de Probat.* ita generatim de legum benignitate testatur, ac sancit: *Promptiora sunt Jura ad absolvendum, quàm ad condemnandum.* Ergo qui tribunalibus præsunt, debent esse promptiores, & magis inclinati ad sententias benignas, quàm ad severas: quia hæ omnes sunt condemnatoriæ, quandoquidem in omni sanctione, & transgressione legis involuitur reatus pœ-
64 næ, juxta illud S. August. *Lib. de sancta virginit. cap. 41. Præcepto quisquis non obtemperat, reus est, & debitor pœnæ.* Et est de ratione Legis, ut obliget saltem ad pœnam S. Thom. 1. 2. *q. 92. art. 2. ad 1.* Quapropter commendandus es, si imitere potiùs Cæsarem, qui *mansuetudine clarus factus est*, quàm si Catonem, *cui severitas dignitatem addidit.* Sallustius *in conjur. Catil.*

65 III. Accedit Regula XXX. *in 6.* qua Judicibus dicitur: *In obscuris minimum est sequendum.* Cui consonat reg. Juris Civilis IX. *ff. de Reg. jur.* Ubi Ulpianus ait: *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Id est, in iis, quorum sententia incerta est, id sectamur, quod minimè, levissimèque reum gravat. Dynus, Peckius, Canisius *in cit. reg. In obscuris.* Rævardus *in cit. leg.* semper unà cum Gloss.

Et quidem utramque hanc Regulam habere 66
locum in ultimis voluntatibus, in contractibus, in pœnis, ac denique in arbitrorum, judicúmque sententiis, tradunt Decius in cit. reg. *Semper* Dynus, Peckius, & Canisius, patétque ex legibus, quas nominant. Atqui ex una parte sententiæ etiam Confessariorum sunt sententiæ verorum judicum, quandoquidem ii sunt præfides, & judices, Trid. *Sess. 14. c. 5.* Ex altera autem parte rectè dixeris, illam sententiam Juris esse incertam, de cujus vero, atque integro intellectu extant oppositа judicia prudentium: nam *quod multipliciter exponitur, ejus veritas ignoratur.* Neviz. *de opin. Comm. n.* 74. post Abb. Alex. & alios. Ergo in illa sapienter minimum sequentur & Confessarii, & Prætores; ac præsertim quando est pœnalis; siquidem cap. *In pœnis, de reg. jur. in 6.* decernitur: In pœnis benigniorem esse interpretationem faciendam.

IV. Huc quoque facit elegans sententia, 67
quæ ex S. Chrysost. seu rectiùs ex Autore imperfect. in *Matth. hom.* 43. describitur à Gratiano *in c. Alligant. 26. q. 7.* hisce verbis: *Etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nónne melius est, propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Vbi paterfamilias largus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere sanctus? circa vitam tuam sis austerus, circa alienam benignus.* Commendandus est itaque Confessarius & Prætor, qui suas privatas, ac nemini alteri molestas actiones instituit ex norma & amussi opinionum rigidiorum, non item qui alienas ita institui mandat. Etenim:

Metiri se quemque suo modulo, ac pede ve- 68
rum est, inquit Horatius, de quo Erasmus in *Adagiis, Chiliad. 1. centur. 6. adag. 86.* se, inquam, non alium invitum, ac renitentem; volenti, lubenti, non modò non fiet injuria, sed crebro magnum beneficium.

V. Adhæc cum in *c. Contra eum de reg. jur.* 69
in 6. pronuntietur, interpretationem esse faciendam contra eum, *qui legem potuit dicere apertiùs*, quidni censeamus, leges esse interpretandas conformiter humanæ fragilitati? quandoquidem si legislatores voluissent eas intelligi in omni rigore, secundùm quem explicantur à quibusdam doctoribus, potuissent apertè illum rigorem expressisse, *c. 2. de Transl. Episc. 5. sed neque*, præsertim cùm eos non fugerit, rudes æque ac doctos esse ad suam libertatem conservandam ita ingeniosos, ut etiá analphabeti, & qui nulli legum Doctori minerval

ullum debuerunt unquam, noverint, ſuiſque moribus exprimere conſueverint ſenſum obvium ſententiæ, quæ ex Celſo I. C. relata eſt in legem 99. *ff. de verb. obligat.* hiſce verbis: *Quidquid aſtringendæ obligationis eſt, id, niſi palam verbis exprimatur, omiſſum intelligendum eſt.*

70 VI. Inſuper doctrinam à nobis traditam reſpectu Confeſſariorum, Judicúmque Eccleſiaſticorum haud leviter confirmat Alex. III. dum *c. 1. de dolo & contum.* diſertè reſcribit: *In Eccleſiaſticis perſonis, & negotiis rigor, & diſtrictio juris non requiritur.*

71 Quamobrem, Emman. Rodriq. *quæſt. regul. Tom. 1. q. 11. a. 6.* rectè docuit, ſtatuta, & ea, quæ ad Regularem, Monaſticámque vitam pertinent, non eſſe interpretanda ſecundùm rigorem, & apices juris, ſed juxta æquitatem, ſeu terminos juris naturalis, & gentium.

72 VII. Regula illa celeberrima juris Canonici *in 6.* qua decernitur, *odia reſtringi, favores oportere ampliari*, multùm patrocinatur cauſæ noſtræ, utpote qui potiſſimùm loquamur de caſibus continentibus gravamen, aut favorem, commodúmve alicujus conſiderationis.

73 VIII. Denique cùm *cap 1. de novi operis nuntiat.* Lucius Papa ſic pronuntiet: *Sicut leges* (civiles) *non dedignantur ſacros Canones imitari, ita ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adjuvantur*; & ex hoc pronuntiato deducant tum I. C. tum Theologi, atque nominatim Laymannus *l. 1. tract. 4. c. 8. n. 8.* quando jure Canonico nihil diverſum à Civili lege ſtatutum reperitur, hanc in utroque foro, Civili, inquam, & Eccleſiaſtico ſervari debere, jure merito Canonicis in rem noſtram pronuntiatis annumerabimus ea, quæ eam ipſam in rem ſunt conſtituta à Jure civili.

74 Quod quidem omnino videtur cunctis judicibus aut præcipere, aut certè ſuadere, ut communiter jus dicant ex amuſſi opinionum, interpretationúmque leniorum, tametſi fortè contingat, eorum rationem judicandi haud congruere cum judicio majoris partis eruditorum.

SECTIO V.

Idem probatur ex Iure Civili.

SUMMARIUM.

Concluſio poſita n. 58. *ſtabilitur Textibus Juris Civilis* 75. *&* ſeqq.
Nominatim Regula, & Lege. Benignius. 75.
Et Lege: Semper in dubiis. 76.
Et Lege: Arrianus. 78.
Ac Lege: In Ambiguis. 79.
Nomine occaſionis intelligitur interpretatio. ib.
Item Lege: Placuit. 80.
Æquitas quid ſit. ibid.
Dubium in jure dicitur id, de quo extant diverſæ opiniones prudentium. 84.
I. C. crebro citant Leges ſine fundamento. 89.
Notabile quid de P. Ferdinando de Caſtro Palao. 90.
Confutatur ſolutio ICtorum opponentium, in iis Textibus, quos adferimus por noſtra ſententia, per voculam. Dubium *intelligi dubium ſtrictè dictum.* 94.
Videntur omnino Pontifices ſtatuiſſe, ut ſuæ leges explicentur benignè. 97.
Et concluditur, leges divinas etiam videri interpretandas benignè. 98.
Probatur duplici autoritate. 99. & 100.
Nominatim lex Chriſti de Confeſſione ſacramentali eſt clementer intelligenda. 102.
Recenſentur variæ materiæ ſpeculativæ, juris Poſitivi, ex quibus deducendæ ſint mites concluſiones practicæ. 106.
Nominantur & aliquæ materiæ juris Naturalis, in quibus eſt procedendum ſecundùm benigniora. 108.

IPſarum etiam legum verba admetiemur, ob 75
cauſam indicatam. *num.* 62.

I. Itaque Celſus I. C. *l. 18. ff. de leg.* ſic pronuntiat: *Benigniùs leges interpretandæ ſunt, quò earum voluntas conſervetur.* Ut proinde quando lex duas ſignificationes habet, nec conſtat de mente legislatoris, recipienda ſit ſignificatio benignior Barthol. *in l. Neque leges ff. de legibus.* Nam & æquitas, de qua paulò pòſt, præfertur in interpretandis opinionibus rigori legis. Baldus *Conſilio* 486. incipit: *Iſtud* lib. 2. & voluntas obſervandi primam illam, & generalem legem, quæ omnes alias leges complectitur, legem, inquam, quæ dicit: *Declina à malo, & fac bonum. Pſal.* 36. non meliùs conſervatur, hac ſaltem ætate, quàm ſi particulares leges benignè explicentur, ſic enim decuplo rariùs contrahitur malitia formalis, quàm ſi rigidè illas interpretemur.

II. Eodem ſenſu, quo Celſus, loquitur 76
Cajus I. C. dum *l. Semper in dubiis ff. de reg. jur.* ait: *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt.* Item & Marcellus I. C. *in l. Ea quæ* 77
in partes. ff. eodem dum pronuntiat: *In re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minùs juſtius, quàm tutius eſt.* Si tutius, ergo melius, honeſtius, conſultius, per ea, quæ ſuperiùs diſſeruimus contra Paſqualigum. Item & Ulpianus ipſe, cujus *in l. Si fuerit. ff. de reb. dub.* eſt hæc deciſio: *In ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet.* Atqui res illæ, de quibus, & pro quibus contendi-

tendimus præſenti diſſertatione, ſunt phraſi juridica, adeóque Ulpianea Ambiguæ, dubiæque vocandæ, ut paulò pòſt demonſtrabimus, ergo in iis humaniorem ſententiam ſequi oportet, judice Ulpiano, arbitro Cajo, adſtipulante Marcello.

78 III. Conſonat Paulus I. C. dum *in l. Arrianus. ff. de obligat. & action.* ita teſtatur: *Arrianus ait, ubi de obligando quæritur, propenſiores eſſe debere nos, ſi habeamus occaſionem, ad negandum; ubi de liberando, ex diverſo, ut facilior ſis ad liberationem.* Habemus autem utique occaſionem, quando habemus judicium virorum prudentium, peritorúmque, nixum ratione non levis momenti, & fortè quidem meliore ſubtilioréque, quàm ſi oppoſitæ ſententiæ, quantumvis vulgatioris; ergo debemus ſaltem tunc eſſe faciliores ad liberationem. Argument. capit. *Capellanus* §. *quia ergo* in fin. *de fer.*

79 IV. Item Paulus *l. In ambiguis. ff. de reg. jur.* relatus pronunciat generaliter: *Quoties æquitas, deſiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, juſtis decretis temperanda eſt.* Idem ex ſententia Celſi adoleſcentis *l. Si ſervum. ff. de verb. obligat.* §. *ſequitur*, monet, ne in æquo, & bono erretur ſub autoritate juris. Idem ipſe *L. 128. alias 168. ff. de reg. jur.* pronuntiat: *Rapienda occaſio eſt, quæ præbet benignius reſponſum.* Quo loco Dionyſius Gothofredus, aliique in rem noſtram appoſitiſſimè obſervant, nomine *Occaſionis* deſignari interpretationem. Ergo cauſarum cognitor, autore Paulo, non tantùm admittere, ſed & quærere, & rapere debet benigniora reſponſa, clementiores interpretationes; non igitur reſpuere, horrere illas. Junge hìc textus etiam Civilis Juris, quos produxi *n. 65.* ex Ulpiano & *n. 69.* ex Celſo.

80 V. Quin Impp. Conſtantinus, & Licin. *l. Placuit. C. de judic.* hanc generalem regulam omnibus judicibus præ oculis habendam, ſequendámque propoſuerunt: *Placuit, in omnibus rebus præcipuam juſtitiæ, æquitatiſque, quàm ſtricti juris eſſe rationem.* Et jam aliquoties laudatus Paulus I. C. *in l. 90.* aliàs 91. *ff. de reg. jur.* ſtatuit hanc auream amuſſim. *In omnibus quidem, maximè tamen in Jure æquitas ſpectanda eſt.* Æquitas autem dicitur tum benigna interpretatio. Marta *de juriſd. pag. 4. caſ. 162. num. 1.* tum recta ratio, quæ omnia, maximè tamen jus ſtrictum & durum, ad humaniorem interpretationem, magiſque naturæ convenientem revocat. Gloſſ. quædam *ad dictam leg. edit. Atrebatenſis*, conſentaneè iis, quæ de æquitate infrà *n. 118.* referemus, tum denique quædam æqualitas de ſe ipſo in alium, ut: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Barboſa Axiomat. 15. *n. 5.* quam auream ſententiam deſumptam ex *Tob. cap. 4.* & *Matth. 7.* tanti fecit Alex. Imperator, tametſi gentilis, ut, teſte Lampridio, *clamaret ſæpius, quod à quibuſdam ſive Iudæis, ſive Chriſtianis audierat, & tenebat, & per Præconem, cùm aliquem emendabat, dici juberet: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Dico ego cuivis Judici Chriſtiano cum Tobia: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Dico cum ipſomet ſupremo Judice: *Omnia quæcunque vultis* (rectè, & honeſtè, ſicuti ex communi addit P. Cornel. à Lapide in hunc locum) *ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; Vos, inquam, publici Præſides, ac Miniſtri inquiſitionum, incarcerationum, examinum, torturæ, multarum, ſententiæ capitalis; eſt enim hoc *primum naturæ dictamen, moraliſque Philoſophiæ principium primum*: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, inquit, P. Cornelius, ſeu, *generalis & tranſcendentalis ipſius legis ſanctio*, quam Auguſtino teſte omnes habent in corde fixam: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sinnichius in Saule Ex rege *lib. 1. cap. 100. n. 373.* apud P. Alphonſum Saroſam *in arte ſemper gaudendi Tom. 2. Tract. 4. n. 18.* optimè (ut per parentheſin addam) obſervantem, graviter in hanc *tranſcendentalem* legis *ſanctionem* impegiſſe ipſummet Sinnichium, Montaltium, Wenbrochium (quorum probroſiſſimam condemnationem à Senatu Regio Pariſiis factam exhibet idem Saroſa) alios, dum Patronos Clementium ſententiarum procedentes ex rationibus ſolùm probabilibus, onerant probris, ſcommatis, lædoriis, impoſturis, aberrationibus à vero.

Licèt autem leges, quas num. præced. ad- 81
duxi in medium, ita generatim decernant, ſpeciatim tamen de pœnalibus Hermogenianus, relatus *leg. Interpretatione ff. de Pœnis.* judicavit hunc in modum: *Interpretatione legum pœnæ mollienda ſunt potiùs, quàm aſperandæ.* Quod multis exemplis declarat Azor. *part. 1. l. 2. c. 11.*

VI. Horum juridicorum oraculorum, 82
quibus Juſtinianus tantam tribuit autoritatem, quantam ſi *à divino ipſius ore profuſa fuiſſent*, ut loquitur ipſe *leg. 1. Codic. de vet. jur. enunc.* §. 6. rationem optimam reddit Modeſtinus, cujus hæc ſententia in *l. 25. ff. de legibus* refertur hoc tenore verborum: *Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem.* Cùm igitur omnes leges conditæ ſint in utilitatem ſubditorum. S. Thom. *1. 2. quæſt. 90 art. 2.* non eſt par, ut eas ſeverè interpretemur, cum moleſtia, & grandi periculo ſubditorum; quia *nulli debemus laqueum injicere.* text. *cap. de viduis. 27. quæſt. 1.*

83 Quamvis autem nonnulli ex deſcriptis textibus expreſtè loquantur de caſibus *dubiis* & *ambiguis*, non videatur autem eſſe caſus dubius, quãdo de illo formatus eſt aſſenſus, ut deducitur ex recepta deſcriptione Conſcientiæ *Dubiæ* & *Probabilis*, hoc tamen non retundit vim argumenti deſumpti ex iiſdem juribus. Nam præter Lexicographos Bertachinum, Spiegelium, Schardium, Kahlium, *Verb. Dubium* (quibus in ſua arte credendum eſt) rectè obſervant Magonius *in paradox. judiciariis c.* 42. *n.* 5. Maſcardus. *de probat. concluſ.* 577. Nevizanus *de opin. comm. u.* 74. citans etiam Socinum, & Angelum, adſtipulante Navarro *in Manual. c.* 27. *n.* 187. & Cardinale de Lugo *Reſponſ Moral. l.* 1. *dub.* 2. *num.* 4. illud etiam in Jure dici dubium, de quo extant diverſæ opiniones Doctorum ſicuti deduci poteſt ex plurimis legibus Pandectarum ſub tit. *de rebus*
84 *dub.* Quod quidem non ſolùm diſertè tradiderunt Craveta *conſil.* 583. eóque antiquior Alexander *lib.* 2. *conſil.* 22. *num.* 9. & 10. & *lib.* 5. *conſil.* 142. *num.* 12. atque poſt hos Macagnanus Azzoguidius *l.* 1. *de comm. opin. c.* 8. *num.* 47. ſed etiam pro hac locutione laudant primipilos, &, ut Juſtinianæorum elogio utar, *Monarchas Iuris* Gloſſam, Bartholum, Baldum, Abbatem Panormitanum. Quin imò ex ea, veluti indubitata, deducunt practicas reſolutiones, ac deciſiones graviſſimarum quæſtionum, concernentium fortunas, & honorem, ſeu famam, quam plures Legiſtæ æquiparant vitæ.
85 Ut proinde communiſſimâ, Juridicâque phraſi, qua omnes, etiam Theologi perpetuò ferè utuntur, dum incipiunt tractare de materiis in eorum foro controverſis, pronuntiare poſſimus, illud in Jure utroque eſſe dubium, & ambiguum, de quo extant, liberéque defenduntur diverſa ſenſa Claſſicorum (Proletarios, ut vocat Gellius, haud multùm moramur) Doctorum. Vide Fagnanum poſt hæc ſcripta lectum à me *in cap. Ne innitaris n.* 148. & 149.
86 Atqui ſtandum eſt phraſi communi *l. Labeo. ff. de ſupell. leg.* & Juridica, in materia legali, præſertim quando eſt favorabilis. Suarez *de legib. lib.* 6. *c.* 2. *n.* 5. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 17. poſt. Menochium. *de præſump. lib.* 4. *præſ.* 89. *n.* 36. Angelum, Baldum & alios, cùm omnia jura clament: Rapiendam eſſe interpretationem benigniorẽ, quãdo occaſio datur. Supra *n.* 79. & 82.
87 Nec malè obſervat ibi Magonius paulò ante relatus, vocem: *Dubitas*, poſitam in *l. Siquidem Codic. de except.* accipi pro: *non es certus.*
88 Non ignoramus autem, Lexicographos pro explicatione paulò antè allata ex Maſc. Tuſc. & aliis citare Legem *An inutilis ff. de acceptil.* & Legem unic. *Nihil innov. appell. pend. eod.* veluti valde elegantem, ſed fatemur, à nobis hanc
89 elegantiam non perſpici. Verùm id nec novum, nec mirum eſt; ſiquidem Andr. Gaill. *in præf. ſuarum obſervation.* jam pridem ita ſcripſit: *Videmus pleroſque* (loquitur de I. C.) *ſuis inſcriptis plenis follibus leges, & jura ſpirare. Quæ ſcripta ſi accuratiore trutina penſitentur, & ad ſubjectas revocentur materias, partim mendoſa, plerumque impertinentia, ſæpe etiam falſa eſſe innoteſcet.*

Quod quidem pronuntiatum ego toties de- 90
prehendo, alii etiam I. C. voce, & calamo quevis eſſe veriſſimum, prorſus ut cenſeam imitandam eximiam diligentiam noſtri P. Ferdinandi de Caſtro Palao *in præf. primæ part. Editionis Lugdunenſ. anno* 1635. (etenim in poſterioribus, eſt tota præfatio inconſultò omiſſa) profitentis, à ſe nullum Canonem, nullam legem allegatum iri (allegat autem innumeras in ſuis ſeptem elaboratiſſimis Tomis, ſeu Partibus Theolog. Moralis) quam in ipſiſmet Corporibus Juris non viderit, id eſt, legerit ſuiſmet oculis; quem proinde meritò Eruditiſſimum indigitat D. Pax Jordanus Epiſcop. Tragurienſis *Elucubration. Tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 83.

Quamquam autem hæc digreſſiuncula, 91
ipſáque principalis reſponſio veritati conſentanea, ac tuendis illis, qui Clypeo Clementiorum opinionum tegi cupiunt, opportuna eſt, quo tamen firmius ſit præſidium,

Addimus 1. in minore parte textuum ſu- 92
periùs deſcriptorum eſſe diſertè ſermonem de legibus *dubiis*; quid ergo ceteris opponetur? Sanè neque Celſi, neque Pauli, aut Arriani, neque ipſorummet Imperatorum ſententiæ â nobis in medium adductæ faciunt ullam mentionem caſuum *dubiorum*, ſed loquuntur univerſaliter, etiam ubi indefinitè loquuntur; ſiquidem hic quoque habere locum illud Legiſtis commune pronuntiatum: *Propoſitio indefinita æquivalet univerſali.* Deduces ex iis, quæ in hanc rem tradit Gloſſa *in cap. Circa, de elect. in* 6. verb. *aliorum*, & Barthol. *in leg. Generali. ff. de uſufr. legat.* atque in leg. *Sicuti bonæ, de leg.* 3. *n.* 2.

Addimus 2. Licèt demus antagoniſtis, illud 93
in Jure vocari dubium, quod in controverſiam vertitur ob ambiguam duntaxat ſignificationem vocis in lege quapiam poſitam, attamen argumento noſtro ex effatis juridicis petito vel conſtare ſuum robur, vel admittenda eſſe contradictoria. Primò, quia ſi non omnes abſolutè, ac ſine addito, certè pleræque omnes lites, & controverſiæ de germano ſenſu, intellectúque Legum, & Canonum, ortum ſuum habent ex dubio, ambiguo, incerto ſignificatu, acceptionéque ſeu vocis alicujus inſertæ Legi, aut Canoni; (utpote qua explanator unus cenſet hoc, aut illud indicari, alius aliud innui, imò exprimi contendit,) ſeu totius ſententiæ.

Deinde ſic argumentor: Si benigniùs in- 94
terpretandæ ſunt leges dubiæ, dubietate orta ex ambiguo ſignificato vocis inſertæ ipſis legibus,

bus, tùm ſanè hæc lex: *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*, erit benigniùs interpretanda; cùm & ea ſit quædam Synopſis omnium legum dubiarum. argument. *leg.* 1. *ff. de reg. jur.* & ſit dubia, ambiguitate ortâ ex ſignificato vocis inſertæ, ſiquidem Juris utriuſque interpretes contendunt de ſignificato vocabuli *Dubiis*, quo conſtat illa lex, aliis aſſerentibus, eâ vocâ deſignari duntaxat dubia, circa alias leges emergentia ex ancipiti ſignificato, aliis etiam proficiſcentia ex diſcordi expoſitione interpretum. Atqui ſi illam ipſam legem: *Semper in dubiis, &c.* Interpretemur benigniùs, conſequetur alterutrum ex antè indicatis; quòd quidem ſic demonſtratur. Quando præ-
95 dictam legem ſeu regulam LVI. *ff. de reg. jur.* ita exponimus, ut dicamus auferendi caſu *Dubiis* deſignari ea, quæ dubia effecit vel anceps ſignificatus, vel etiam diverſitas opinionum, haud dubiè illam eandem legem interpretamur benigniùs, quàm ſi pronunciemus, illo Græcis ignoto Caſu indicari duntaxat primum membrum adductæ primùm disjunctivæ propoſitionis; atqui ſi illam intelligamus ſub utroque membro alternativæ, habebimus aut noſtrum intentum, aut contradictionem; hanc non admittent adverſarii, obnunciante, ut alia prætereamus, textu L. Mucius 21 *ff. pro ſocio.* Igitur.

96 Conficitur in primis, concluditúrque id, quod contendimus, ſcilicet leges humanas, à juſtitiæ, juriſque arbitris, judicibus, inquam, fori interni, externíque, plerumque in uſum rectiùs redigi ſecundùm interpretationem leniorem, quoad verba benignè à probis, prudentibus, peritiſque expoſita patiuntur, quàm ſecundùm ſeveriorem, niſi obſtet aliqua ex rationibus allatis *num.* 22. *& ſeqq.* aut aliunde conſtet, aliam fuiſſe mentem legislatoris. Sanè unde jus prodit, inde & interpretationem
97 procedere par eſt. text. *in c. Inter alia de ſentent. excomm.* Ipſi autem legum conditores, Pontifices, inquam, & Imperatores verbis deſcriptis à nobis declarâſſe videntur, velle ſe ſuas ſanctiones intelligi illo modo, pro quo pugnamus. Cur igitur illum impugnemus? Cur, ubi legislatores largi ſunt, eorum ſeu interpretes, ſeu miniſtri & executores auſteri exiſtant? *cap. Alligant. 26. q. 7.*

98 Conficitur idem 2. conſultiùs fieri circa leges Divinas poſitivas. Ratio eſt tum illa, quam attulimus. *num.* 85. tum hæc, quòd Chriſtus ipſe Dominus de ſuis potiſſimùm legibus intelligi voluerit gnomen illam: *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. 11. Adde, quod cum Pontifices ſciverint, primum in unoquoque genere eſſe exemplar cæterorum, *argum. c. ex litteris, de conſtit.* & proinde leges ſuas exponi debere juxta communem modum explicandi Divinas poſitivas, quas noverant primatum tenere inter leges quaſcunq; poſitivas, hoc ipſo quòd textibus ſuprà deſcriptis oppidò quàm perſpicuè declarârunt, leges humanas nimis restrictè interpretandas eſſe, ſufficienter indicarunt, à ſe exiſtimari, eandem eſſe Domini DEI de divinis legibus mentem, cum præſertim Innoc. III. *cap. Qualiter*, & *quando* 2. *de accuſat.* dicat: *Qualiter, & quando à magiſtratu Eccleſiaſtico procedendum ſit ad* 99
puniendos ſubditorum exceſſus, ex autoritatibus novi, & veteris Teſtamenti colligitur, ex quibus poſtea proceſſerunt canonicæ ſanctiones Unde jus Canonicum imitatur leges Divinas, quoad fieri poteſt, & expedit. Suarez. *in proœmio de legibus.*

Accedit, quòd de ſuiſmet quoque ſacro- 100
ſanctis præceptis, quando illorum cauſa judex, ejúſque officium imploratur, velit Deus intelligi illam ſuam paternæ pietatis ſuavitate, lenitatéque conditam monitionem, ore Eccleſiaſtici *cap.* 4. prolatam: *In judicando eſto pupillis miſericors ut Pater.* Cujus ſententiæ vim 101
expendemus infrà. Quapropter in divinorum quoque præceptorum, & ſanctionum interpretatione, urgendáque executione facilitas Cæſaris, non conſtantia, ſeu ſeveritudo Catonis celebranda, vel ob oculos veluti archetypon ſtatuenda eſt, niſi quatenus hæc obſervat limites poſitos ſuprà *num.* 22. *& ſeqq.* atque infrà *num.* 167.

Quia verò conditiones ad ſacramentum 102
pœnitentiæ requiſitæ pendent ex lege poſitiva Chriſti Domini, idco ſapienter ſanè monet Jacob. Granadus 5. *part. de ſacram. controv.* 7. *tract.* 14. *reſ.* 5. non ſemel inculcandam eſſe Confeſſariis hanc regulam, quæ quidem concluſionis noſtræ optimam rationem continet, eſt autem illa ejuſmodi: *Cùm ad ſacramentum pœnitentiæ accedere ſit unum ex difficilioribus, quæ humanæ imbecillitati in lege Gratiæ præcepta ſunt, reddantur, quoad fieri poteſt, minùs difficilia, quæ ad illius uſum, ſeu ſuſceptionem ſpectant.*

Quam ipſam regulam priùs tradiderat Lu- 103
dovicus Beia *in ſuis Reſponſis, part.* 1. *Caſ.* 10. ſic loquens: *Cùm nullum in Evangelica lege ſit tam grave præceptum, quàm Confeſſionis, tanto pœnitentium conſcientiis magis conſulitur, quanto illud levius redditur*, ſubaudi, intra limites probabilitatis veræ, & non duntaxat apparentis.

Hanc regulam, nulla probatione indigen- 104
tem, ſtatuimus pro Majore propoſitione ſyllogiſmi, concluſioni noſtræ magnum robur allaturi; cui ſubnectimus hanc Minorem: Atqui, quando conſcientiarum arbitri in uſum deducunt placita leniorum doctorum, tum redduntur, quoad fieri poteſt, minùs difficilia, quæ ſpectant ad uſum, & ſuſceptionem ſacramenti pœnitentiæ; ergo rectè faciunt, dum communiter, plerumque, ſeu à toto genere id factitant in non ſpectantibus eſſentiam hujus Sacramenti. Quiſque quem infirmitas ſolet 105

præcipitem agere in peccata vel grandia, vel grandiuscula, consulat seipsum, cùm ad sacrum tribunal accedit, & ultro Majori, Minoríque propositioni assentietur.

106 Conficitur tertiò ex dictis,& dicendis, licèt opiniones Doctorum de valore Sacramentorum,conditionibus contractuum,testamentorum, &c. idoneitate testium,professionis,præscriptionis, immunitatis Ecclesiasticæ, &c. aliisque plurimis materiis, non sint vocandæ opiniones practicæ, sed merè speculativæ, quandoquidem non directè decidunt, utrùm
107 aliquid sit fas,an nefas. Quia tamen ex his ipsis opinionibus merè speculativis formantur, deducuntúrque practicæ (sicut e. g. ex quæstione merè speculativa an valeat baptismus,quo tingitur solus pes, oritur mox dubium, ac deinde judicium de licito,vel illicito usu ejusmodi baptismi, &, si fortè collatus est, de iterando legitimo) conficitur nihilominus, inquam, nostram præcipuam resolutionem, ut jam monuimus, posse in necessitate applicari saltem indirectè illis opinionibus merè speculativis, præsertim quatenus versantur circa conditiones à lege humana inductas,ut videlicet judex, communiter sententiam ferat (citra præjudicium Tertii) ex norma opinionis probabiliter contra aliam inficiantis, à jure humano exigi ad valorem hujus, aut illius actus hanc aut illam conditionem.

Hactenus de legibus positivis benignè in-
108 terpretandis dicta confirmabuntur rationibus, & Theologorum, Juríque consultorum auctoritatibus, proximâ, eámque sequente Sectione adferendis,ubi simul patebit, id ipsum esse perfrequenter sentiendum, de interpretatione legum Naturalium, quarum mitiori explicationi suffragatur judicium Celsi, & Modestini productum suprà *num.*78. & 85. ac ratio allata *n.* 101. Atquè idcirco nostrum Clypeum ad illos quoque exporrigimus, qui clementiùs judicant de obligatione Voti, Juramenti, Restitutionis, Detractione, Scandalo, requisitis ad constituendum coram Deo peccatum mortale,&c.

SECTIO VI.

Rationibus probatur, melius agere Judices utriusque fori, clementiora judicia communiter ferentes, quàm si communiter ferrent inclementiora.

SUMMARIUM.

Aliis rationibus probatur Conclusio principalis. 109.
Prudenter sectamur opiniones, quæ sunt simul benigniores, & probabiliores. 110.
Benigniores sunt communiter probabiliores. 112.
Et sunt secundùm charitatem, non tamen excludendo justitiam. 113.
Ac relinquunt hominem in possessione suæ libertatis. 115.
Explicatur hæc possessio. 116.
In omnibus tribunalibus statur pro possessore, si non sit moraliter certum, intervenire iniquitatem. 116.
Propter æquitatem sæpe receditur à jure communi. 118.

RAtionibus, quæ utràque *sect. præced.* insi- 109
nuatæ sunt potiùs, quàm explicatæ, adjungimus hic alias, quibus multùm confirmatur doctrina & conclusio *num.* 58. posita.

Ratio prima est hæc. Utique Confessarii,& Magistratus Ecclesiastici, Civiléque rectiùs agunt, judicando ex norma opinionum, quæ sunt simul probabiliores,& benigniores,quàm sectando illas, quæ sunt simul minùs probabiles, & minùs benignæ; atqui plerumque hòc ipso, quòd sequantur opiniones benigniores, judicant quoque ex norma probabiliorum: improbabiliorum autem plerumque, seu ut plurimùm hoc ipso,quòd adhæreant minùs benignis; ergo rectiùs agunt absolutè,à toto genere & plerumque loquendo,si sectentur benigniores, quàm si minùs benignas,seu rigidiores. Major propositio est non solùm plero- 110
rumque antiquorum, & aliorum, qui absolutè docent, opinionem probabiliorem minùs probabili præferri debere, sed etiam inde confirmatur, quòd sit admodum alienum ab æquitate, velle miserum pœnitentem, aut reum adigere ad aliquid, ad quod eum nulla lege adigi, nullo præcepto Confessarii, aut Magistratûs adigendum esse,est probabilius. Certè qui 111
hoc factitaret, ostenderet,se esse propensiorem ad condemnandum, quàm ad absolvendum, refragante doctrina cap. *Ex litteris de probat.* mereretúrque audire comminationem Apostoli Jacobi *cap.*2. *vers.*12. edicentis: *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam*; & jure occineretur ei gnome Catonis,quæ cap. *Cum omnes de constit.* refertur. *Patere legem, quam ipse tuleris.*

Minorem propositionem inde mihi persua- 112
deo, quod abhinc plùs triginta annis conscripserim ex meis adversariis syllabum, seu indicem benigniorum, in ferè qualibet re morali, opinionum, constantem multis ejusmodi opinionum centuriis, calculo eruditorum probatis. In his lectis,& relictis deprehendo,firmioribus rationibus ut plurimùm quatuor aut quinque niti benigniores sententias, quàm rigidiores; ut verè dicere possim, inter quatuor sententias clementiores, vix unam reperiri, quæ non videatur mihi probabilior severiore illi oppositâ. Ergo dum judices utriusque fori se

se accommodant placitis mitioribus, & Reo favorabilibus, hoc ipso communiter accommodant se probabilioribus. Quidni igitur rectiùs agant, quàm si utantur austerioribus? cùm scriptum sit: *In obscuris inspici solet, quod vero similius est. l. In obscuris. ff. de reg. jur.* & quod humanius. *l.* 56. *de reg. jur.*

113 Alteram rationem sufficit Zacharias Pasqualigus, hunc in modum differens: Minùs "rigorosa opinio est secundùm charitatem,ita "tamen ut non excludat justitiam: quia au- "tem charitas est virtus generalior,in qua fun- "datur justitia,quæ secundùm ipsam mensura- "ri debet, ideo in complectendis opinionibus "potiùs secundùm charitatem procedendum "est, quàm secundùm rigorem justitiæ, atque "præferendæ benigniores,quia tunc agitur se- "cundùm charitatem, quæ dictat benignius "agendum, quantum fieri potest, cum proxi-
114 "mo. Et cùm quisque teneatur diligere proxi- "mum, sicut se ipsum, & consequenter alteri "non facere, quod sibi non vellet fieri, sicuti "nollet secum adhiberi rigorosam opinionem "relictâ benigniore, ita respectu cæterorum "debet benignior opinio præferri. Ita Pasqualigus *in decis. moral. decis.* 9.

115 Addimus hanc tertiam rationem, quòd scil. causarum cognitor rectè utique, & laudabiliter agat, quando possessorem bonæ fidei in sua possessione,vel quasi,non turbat,sed in ea,ejúsque usu relinquit, quamdiu jura & consuetudo relinquendum esse declarant, ne cæteroqui per judicium injuriis aditus pateat, obnitente textu cap. *Nonnulli de resc.* Atqui indicato modo relinqui hominem in possessione, vel quasi, suæ libertatis, quando pronuntiatur ex amussi clementiorum doctrinarum, explicationúmq; juris positivi,ostendit hæc ratiocinatio.

116 Etenim homo est in legitima possessione libertatis agendi pro libitu,vel omittendi quidlibet, donec hanc libertatem ei auferat aliqua lex, consuetudo, præceptum, votum, pactum, clara & manifesta: (Privilegium enim possessionis est tam validum,ut ei non derogetur,nisi per jura clara, & manifesta. Molina *tr.* 2. *disp.* 103. Et in omnibus tribunalibus apud omnes gentes prohibetur, ne possessor bonæ fidei spolietur sua possessione, si non sit moraliter certum, rem non esse ipsius. Lessius *de*
117 *just. & jur. c.*14. *n.*25.) Utique autem jura clara, & manifesta non adsunt, nec adest moralis certitudo, quando tantùm probabile est, esse hanc, aut illam legem latam, editum hoc,aut illud votum &c. Ergo dum causarum cognitor procedit cum Reis declinando in partem humaniorem, sicuti loquitur Pontifex. *c. Ex parte de transact.* relinquit, eos in possessione libertatis prædictæ, à qua eos dejiciunt, qui ajunt, hanc aut illam rem esse præceptam,esse præceptam sub mortali. Quod quidem citra gravem necessitatem factitandum non est, cum lex 122. *ff. de reg jur.* obnunciet, dum ita loquitur: *Libertas omnibus rebus favorabilior est.*

Addimus quartam rationem; quia propter 118
æquitatem, atque humanitatem persæpe receditur à jure communi,ut videre est in l. *Scævola ff. ad Trebell.* & aliis apud Corat. *lib.*2. *tit.*9. *n.* 102. cur non liceat ab opinione communi rigidiore? Legatur insignis in hanc rem textus, qui habetur *l. Barbarius ff. de offic. prætor. ibi: Hoc enim humanius est.* Unde prope infinita propter æquitatem inducuntur, quæ aliàs non fierent. Prateus de Regulis Juris *lib.*1. *tit.*1. & ex hoc interpretationem recipit, quod vulgò dicitur: *Summum, id est strictum, jus, summa injuria.* Idem Prateus *ibid.*

SECTIO VII.

Aliis rationibus confirmatur principalis Conclusio.

SUMMARIUM.

Probatur ex definitione Juris primaria conclusio. 119.
Dubia quæstiones sunt terminandæ potiùs secundùm æquitatem, quàm rigorem. 121.
Ferè omnis opinio singularis evadit denique communis. 122.
Non est, cur leges merè consuetudinarias interpretemur rigidiùs. 124.
Refertur ad nostrum propositum, & explicatur sententia ex Ecclesiastici 4. *capite.* 127.

PRæcedentibus rationibus accedit hæc 119
quinta, quòd in ipsa omnium prima lege Digestorum §.1. Jus definiatur esse *ars æqui & boni*,id est, regula justitiæ ad temperamentum, moderationem, pacabilitatémque comparata. Zasius *in dictam l.* 1. *n.* 5. *&* 6. Quo satis insinuatur, leges saltem humanas esse juxta æquitatem interpretandas, quando id potest honestè fieri,ut quando interpretatio procedit ex ratione, aut sententia verè probabili, nec obstant ea, quæ *n.* 22. *& seqq.* indicavimus. Porro nomine Æquitatis intelligit Zasius *l. c. n.* 5. legis mitigationem. Adhuc aptiùs 120
ad propositum per æquitatem ex S. Cypriano designant Joan. Andr. Speculator,& Abbas *in c. Ex parte. de transact. n.* 6. justitiam dulcore misericordiæ temperatam; seu juri naturali potiùs, quàm rigori, & apicibus positivis conforme dictamen, Rodriq. *quæst. regul. Tom.* 1. *q.* 11. *a.* 9. *reg* 8. haud minor Jurista, quàm Theologus, consentaneè descriptioni Æquitatis expressæ suprà *n.* 80.

Sexta ratio. Ex toto tit. *ff. de rebus dubiis,* 121
modóque loquendi familiarissimo tam Juris,

quàm Theologiæ peritis constat, illud rectè vocari dubium, quod non est certum, sed tantùm sub opinione Doctorum. Suprà *n.* 86. Atqui dubias quæstiones esse terminandas secundùm æquitatem, potiùs quàm secundùm rigorem, clamant omnia Jura præsertim relata *sect.* 6.

122 Septima ratio. Vix ulla verè probabilis opinio unius autoris sepelitur cum illo, sed planè hic etiã illud cap. *Cum in juventute, de purgat. canon.* locum habet: *Dictum unius facilè sequitur multitudo.* Cùm igitur omnis ferè probabilis opinio vel jam sit, vel brevi futura sit communis, id est, multis gravibus doctoribus probanda, & communem benignam prudenter præferamus communiori rigidæ, cur non etiam prudenter ab initio cum nostris subditis procedamus, ex ductu illius clementis, & piæ, quam nondum scimus esse communem?

123 Nam quod parum distat, nihil distare videtur. Barbosa *in axiomatis verb. parum* & Tiraquellus in erudito Tractatu *de judicio in rebus exiguis.*

124 Octava ratio. Longè plurima observare, aut cavere tenemur vi solius Consuetudinis absque ulla lege scripta; & in his permulta cavere, aut observare compellimur sub reatu mortis æternæ, licèt nulla scripta lex nos tam rigidè compellat, sed sola Consuetudo, ut apparet in accidentibus, & circumstantiis jejuniorum, festorum, pensi canonici solvendi à non beneficiatis, & Regularibus, cur amabò, imperio Manliano adigam meum pœnitentem, ut in ejusmodi materiis adoret interpretationes harum Consuetudinum Catonianas, seu severiores, execretur Cæsarianas, seu leniores? Nulla

125 profectò lex, aut consuetudo id mandat vel mihi, vel ipsi. Atqui erubescendum est hîc sine lege loqui. Et *omnia sunt licita, quæ nulla lege sunt vetita.* Nellus *de Testibus n.* 1. Et quod *nullo jure statuitur, id nos asserere non debemus.* Navarr. *de Resar. miscell.* 22. Cùm præsertim

126 sint adeò multæ, támque difficiles cognitu conditiones, quas esse ad inducendam consuetudinem sub lethali noxa obligantem necessarias arbitrantur, ac rationibus comprobant accurati, gravésque hujus ipsius materiæ tractatores Suarez *lib.* 7. *de legib.* per plura capita, Bonacina *disp.* 1. *de legib. quæst.* 1. Ferdinand. de Castro Palao *Tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 21.

127 Postrema ratio desumitur ex illo seu consilio, seu præcepto verè divino, quod cuivis ad tribunal sedenti, fascésque gerenti suggerit Jesus filius Sirach sui Ecclesiastici *cap.* 4. *vers.* 10. hisce verbis: *In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur*

128 *tui magis, quàm mater.* Cujus monîti optimus simul, & succinctissimus interpres Angelicus Doctor 2.2. *q.* 63. *a.* 4. *ad* 3. ita loquitur: *Homo in judicio debet subvenire pauperi, quantùm fieri potest.* Subsumo primò: Atqui vel certum est moraliter, vel longè probabilissimum, judicem posse pauperi subvenire pronunciando pro illo secundùm opinionem practicè probabilem, tametsi contraria sit plurium doctorum suffragiis approbata. Subsumo secundò: Atqui Reus sub judice nil aliud est, nisi ut Pupillus patre & protectore destitutus, ideóque verba Siracidæ in omnes meritò extendo, inquit sapientia clarus Carolus Scribanius *in Politico Christiano c.* 9. *sub med.* Quod proinde moni- 129
tum par est à confessariis communiter observari respectu suorum Reorum, difficultates obtendentium; sicuti & à judicibus respectu pauperum, quoad videlicet fieri potest absque offensa illius, qui per Ezechiel *cap.* 7. vaticinatur: *Secundùm viam eorum faciam eis, & secundùm judicia eorum judicabo eos.*

SECTIO VIII.

Auctoritate Theologorum confirmatur præcedentium sectionum doctrina, seu nostra principalis conclusio.

SUMMARIUM.

Quid S. Thomas scripserit in favorem clementium Iudicum? 130. *&* 131.
Quid Ioannes Gerson? 133.
Et alii Theologi. 134. *&* seqq. *ac* 139.
Adfertur exemplum P. Bernardini Realini. 137.
Et insigne monitum Sancti Dominici. 140.
Et factum recentissimi P. Bonagratiæ Capucini. 141.

AGmen ducat antesignanus S. Thomas, cujus *in Quodlibeto* 9. *q.* 7. *a.* 15. *in corp.* 130
extat hoc providum monitum: *Periculosè determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi Expressa veritas habeatur.* Non habetur autem expressa veritas, quando adest tantùm probabilitas. Igitur aleam periculosam jaciunt confessarii, dum suis pœnitentibus despoticè ajunt, aliquid esse iis sub mortali vetitum, vel præceptum, cùm sciunt contrarium esse verè probabile practicè.

Idem S. Doctor 1.2. *q.* 107. *a.* 4. *in corp.* vi- 131
detur hanc ipsam doctrinam confirmare sua, & S. Augustini monitione, dum ita disserit: *In iis, quæ ex institutione Sanctorum Patrum superadita sunt præceptis Naturæ, Christi, & Apostolorum, moderationem attendendam esse dicit Augustin.* (ep. 19. cap. 10.) *ne conversatio fidelium onerosa reddatur. Dicit enim ad inquisitionem Januarii de quibusdam, quod ipsam religionem nostram, quam in manifestissimis, & paucissimis Sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, serviliter premunt oneribus adeò ut tolerabilior*

bilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus sacramentis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Hactenus S. Augustinus per os, & calamum S. Thomæ; & nos de illis, qui humanas sanctiones non nisi severè, ac rigidè explicandas, usurpandas censent, quoties habent plures hujus austeritatis magistros.

133 S. Thomæ adstipulatur pietate æquè atque eruditione clarissimus Joannes Gerson, qui 3. *part. lect.* 4. *de vita spirit. coroll.* 11. ex professo docet, probátque, neque Concionatores, neq; Theologiæ Professores debere esse faciles ad asserendum, aliquas actiones, vel omissiones esse peccata mortalia; eò quòd per rigidas sententias, quando non sunt *Certissimæ*, non eruantur homines à luto peccatorum, sed aliquando in illud profundiùs mergantur, quia desperatiùs; quódque per hujusmodi sententias ita inquietentur conscientiæ, ut in iis sit solidum nihil. Ergo censet hic Doctor longè minùs esse id factitandum à Judicibus sacris.

134 Id ipsum innuit Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *a.* 2. *in fin.* asserens: Incautum esse, & malum, affirmare aliquid esse peccatum mortale, quando non probatur sufficienti authoritate, vel *Evidenti* ratione, quia, ut mox subdit, hoc est ponere laqueum pedibus ambulantium.

135 Quo etiam sensu loquitur P. Thomas Tamburinus *de Sacrificio ritè peragendo l.* 1. *c.* 6. *n.* 4. tradens hanc regulam: *Nullus est obligandus sub culpa lethali, nisi manifestè constet de præcepto obligante*; laudátque pro hac regula Suarium *de legib. l.* 7. *c.* 15. Dianam *p.* 4. *tr.* 3. *res.* 58. March. ac Mæratium, quibus quis non adstipuletur?

136 Facit insuper apertè pro Confessariis, nostram doctrinam suo facto probantibus Ludovicus Beja, atque P. Jac. Granadus, ut testantur eorum verba descripta suprà *num.* 102. Facit quoque tam pro his, quam pro aliis judicibus P. Azor, dum 1. *part. lib.* 2. *c.* 11. *statim in principio*, statuit hanc conclusionem: *Quotiescunque res est, quæ apud juris interpretes ad odia, non favores spectat, inter duas opiniones ea est amplectenda, quæ est benignior, & mitior.* Et verò eum loqui de foro etiam externo, est certum ex initio capitis.

137 Eandem conclusionem, quatenus Confessarios concernit, validè confirmat exemplum P. Bernardini Realini, de quo in ejus vitæ Latinis typis excusæ cap. 12. disertè asseritur, illum in excipiendis confessionibus fuisse plerumque sectatum opiniones pœnitentibus favorabiles. Verba interpretis admetior. *Ut omni, quo poterat faciliori modo, saluti animarum consuleret, sententias, quæ in pœnitentium favorem cedunt, plerumque sequi solebat, dummodo animi sui puritati nihil officerent, pretiosissimi sanguinis Domini nostri, qui adeò dives est miserationum, minimè parcus, aut avarus.*

Ideo autem hujus viri exemplo, & more nostram conclusionem tam validè confirmari dicimus, quòd is fuerit & doctrina, prudentiáque humana, ac Divina excellens: & eximia prorsus sanctitate (utor hoc encomio in eo sensu, in quo permittit declaratio Urbani VIII.) infinitis propèmodum miraculis illustratâ insignis, & usque ad annum ætatis octogesimum sextum assiduus in summorum virorum, ac matronarum, omnísque generis plebeiorum hominum exomologesibus summa cum approbatione & fructu excipiendis. Ut proinde huc quadret illud Innocentii *cap. De quibus distinct.* 20. *Sanctorum exempla perspicaciter recordare*; & vulgata doctrina ex cap. *Fraternitatis*, & cap. *Literæ. de frig. & malef.* 138

Accedunt P. Jacobus Granadus, cujus aperta 139
verba retuli suprà *n.* 102. item Pasqualigus, Joannes Sanchez, Diana, Caramuel, Leander de sanctissimo Sacramento. Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Confessar. *Tract.* 5. *disp.* 3. *sect.* 8. quos nimis perspicuum est, fuisse imbutos eo dogmate, pro quo hîc pugnamus. Eis favet P. Alloza in Floribus V. Judex *n.* 28. quatenus tenet, judicem posse in favorem Rei sequi sententiam minùs probabilem,

Quamvis autem horum scriptorum aliqui tradiderint permultas resolutiones particulares, quæ mihi non placent propter earum singularitatem, & laxitatem, (ut nominari volunt Sinnichius *in suo Saule Ex Rege*: Prosper Fagnanus, in toto Tractatu de opinion. probabili *in cap. Ne innitaris, de Constitut.*) seu non satis fundatam lenitatem, non possum tamen diffiteri, me ipsis adhærere, quatenus in actu seu signato, seu exercito suadent Confessariis, ut quando nanciscuntur pœnitentes ægriùs (ut sanè major pars) admittentes imperium procedentium, in his, aut illis casibus juxta severiores sententias, abstineant tali imperio directo, vel indirecto, gubernéntque eos secundum normam benigniorum, verè tamen, indubitantérque probabilium. Et verò id facerent judice P. Fabri in cit. Dialogo de Opinione Probabili *edition. Romanæ pag.* 85. etiam ipsi patroni severitatis, si per decem, aut quindecim annos in Basilica Principis Apostolorum Confessionibus excipiendis operam sedulam navâssent; *Certus sum*, inquit ille, *fore ut mentem mutarent, & plurimùm de illo suo rigore remitterent.* Ut proinde non dubitem, quin hic Doctor approbet Conclusionem *n.* 58. positam, quatenus concernit ea Judices fori interni.

Manifestiùs approbant ex ordine PP. Præ- 140
dicatorum Marius Serra, & de Velasco, qui, (ut videre est in Censura Laurentii Mayers præfixa Theologiæ Præter Intentionali D. Joannis Caramuelis, & ex parte apud Dianam *part.* 10. *tr.* 12. *res.* 57. ubi refert quoque in hunc sensum

Hiero-

Hieronymum Garciam) profitentur, se in lucem emittere opiniones benigniores, ut onus confessionis reddant levius. Quorum judicio, & exemplo incitatus P. Fr. Laurentius Mayers, ex Ordine Sanctæ Mariæ de Mercede Redempt. Captiv. disertè scribit hæc verba. *Theologiæ Moralis institutores* (dico ego, Theologiæ Moralis usuarii in Confessionali) *conscientias fragiles, nisi necessarium sit, lethalis culpæ vinculo non astringant; quæ sanè conscientias condemnandi necessitas, quamdiu hinc inde rationes probabiles militant, non reperietur.*

Ita Mayers, minimè dubitans, quin ita quoque senserit unus è præcipuis sui ævi Mysticis, Moralibúsque Theologis, Sanctus nimirum Dominicus, utpote qui suis Constitutionibus inseruerit hæc verba: *Tenentur homines ex hoc* (nimiâ austeritate in confiliis) *ut salutem propriam negligant. Quapropter & relaxanda est, quantum fieri potest, rigiditas, & austeritas in consiliis, ac homines benignè tractandi sunt.* Ita Sapientissimus, & Sanctissimus Patriarcha. Subsumo ego: atqui potest Confessarius, qui Doctoris, Consiliarii & Judicis partes obit, relaxare rigiditatem, austeritatémque, quando & verè, indubitantérque probabilis opinio facit ipsi jus, & pœnitens non nisi ægrè adduceretur ad se subjiciendum austeritati; ergo tunc hæc est relaxanda; consilia quippe, & præcepta, quæ ægrè admittuntur, communiter vel nullo modo, vel non nisi perquàm imperfectè mandantur executioni. Nullum violentum diuturnum. Eam ob rem plerique omnes Theologi arbitrantur, Confessarium omnino obligari accommodare se opinioni pœnitentis verè probabili.

141 Eidem nostræ Conclusioni sextæ, quatenus complectitur Confessarios, apertissimè subscribit longo usu peritus. P. Bonagratia Habsensis Franciscanus Capucinus, utpote qui in titulo, ac vestibulo suæ venustæ ac perutilis Summulæ verè *selectarum quæstionum Regularium* directè professus, se eam conscripsisse *in specialem usum FF. Capucinorum*, subdit in præfatione Edition. secundæ an. 1668. se selegisse opiniones, *ut plurimùm* benigniores. Et verò selegit re ipsâ, ut patet ex litera, & lectura docti illius libri.

SECTIO IX.

Iuris peritorum calculis firmatur eadem nostra sententia.

SUMMARIUM.

Nominantur I. C. faventes sectantibus benigniora in judicando. 142. & seqq.
Adfertur & praxis Rotæ Romanæ. 144.
Sicut & Cameræ Spirensis. 145.
Ac Neapolitanæ. 146.
Non tamen damnandi sectantes contrarium morem. 147.
Præsumi solet pro judice. 148.

QUandoquidem in præcipuum robur nostræ persuasionis de mitioribus placitis 142
sequendis produximus varios canones, varias leges, par est, ut iis subjiciamus illarum legitimos interpretes, adeóque Jure Consultos. Et verò ipsemet Coratius, quantumvis nostræ doctrinæ acriter & constanter repugnans, attamen cit. *tit.* 9. de opinione probab. *n* 100. pro illa nominat duodecim explanatores Juris, intérque hos utrumque Lancellotum, Cephal. atque alios non infimi subsellii, quibus addo Macagnanum *tract. de Communi opinione c.* 8. *n.* 8. integrè nobis assentientem. Addo & sapientia, zelóque religionis Orthodoxæ clarissimum Petrum Peckium *in reg. In pœnis. in 6. n.* 6. generatim pronunciantem, legem Ecclesiasticam *semper* in meliorem partem explicari debere, quippe quæ naturali æquitati maximè conformatur. *Laym. l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 3. ex communissimo sensu canonistarum, & *cap.* 1. *de dol. & contum.* Addo quoque Caballum *in resolut. crim. cas.* 200. *n.* 145. testantem cum Jasone, atque aliis, in criminalibus tenendam semper esse opinionem, quæ in mitiorem partem vergit.

Lancelloto Pasqualigus succenturiat Modit. Farin. Decium, Menochium: cùm tamen 143
hic *de arbitr. cas.* 339. *n.* 21. *jud.* nobis potiùs adversetur, quàm patrocinetur.

Rectiùs pro nobis nominari possunt Host. Abb. Felin. Jason, Everh. Marian. Curtius, & plurimi alii, qui teste ipsomet Coratio *cit. tit.* 9. *num.* 109. *post med.* docent, generatim in omnibus causis favorabilibus esse opinionem hisce patrocinantem anteferendam communi contrariæ; testatúrque *ibid.* idem Coratius, hanc doctrinam esse communem ac receptissimam, & *n.* 112. fatetur, esse magis communem. Causæ autem favorabiles sunt, quæ agitantur pro matrimonio, libertate, dote, testamento *c. fin. de sent. & re jud.* ac generatim causæ piæ sunt causæ favorabiles.

Rectissimè autem in Clypei nostri defensionem appellabimus augustissimum, supremúm- 144
que tribunal Christiani orbis, videlicet Rotam Romanam, de qua, ipsius Decisionum *part.* 2. *decis.* 12 *n.* 2. ita testatur Cantuccius: *Rota solita est semper amplecti æquitatem, omisso rigore, nisi in casu, in quo rigor esset servandus.*

Hunc autem morem tanti fecerunt Reverendissimi Domini Auditores, ut propter illum, in lite, quam terminârunt, censuerint, non esse habendam rationem longè tunc receptissimæ sententiæ Bart. Abbat. Jas. Fel Decii, aliorúmque Canonistarum; & Legistarum do-

centium,

centium jurisdictionem à sede Apostolica delegatam Vicario alicujus Episcopi, exspirare per illius (Vicarii, inquam,) obitum, vel amotionem, & non transire ad successorem; sed hac communiori multò opinione insuper habita (tametsi allegata fuerit ab Actore) pronuntiaverint pro Reo.

Ei opinioni supremæ Curiæ Ecclesiasticæ
145 jungamus supremam civilem, scil. Spirensem, quæ ut refert Mynsingerus in eâdem Assessor, *Centur.* 1. *observ.* 7. obnitente quamvis senatu mortuorum JCtorum, in facti contingentia judicavit, quando quis pluries appellavit, stare in ipsius arbitrio, quam velit prosequi appellationem. Addítque idem Mynsingerus, in illam curiæ Spirensis sententiam inclinâsse Dominos de Rota. Cur autem? utique, quia benignior, clementior, humanior.

Nec exiguo apud prudentes loco esse debet
146 exemplum Curiæ Neapolitanæ, solitæ habere cognitores, eruditione sapientiáque divina, & humana præcellentes. Ea verò nequicquam adversante Navarro, aliorúmque Juris peritorum cœtu pronuntiavit: homicidam esse, ac fuisse capacem pensionis Ecclesiasticæ, ut testatur Riccius *in praxi Irregularit. decison.* 424. cur ita? Quia scilicet oppositæ sententia Suarii Theologi est humanior.

Equidem nominati hactenus Theologi, Juris Consulti, Judices sacri, laicíque sunt utique maximè idonei ad conciliandam probabilitatem practicam conclusioni nostræ primariæ: rationes verò, Jura, & responsiones ad argumenta oppositæ, majorem probabilitatem inducunt, quàm habeat contraria.

Absit autem, ut damnemus, aut reprehen-
147 sione, vel ullo cavillo dignos censeamus judices, qui contraria hactenus dissertis sentiunt, agúntque, nam & Catoni suam severitatem nemo vitio vertit, nisi severam castigationem ipse meritus, & ii procedunt ex persuasione prudentibus rationibus nitente, præsertim judices fori externi, sectantes sensa communiora Doctorum, à quibus revera sæpe nequeunt recedere sine gravi suo, aliorúmque privato, & etiam quandoque publico incommodo; Et
148 generatim *pro his, quæ à Iudice fiunt, præsumitur, quòd omnia ritè fuerint peracta*: text. *in c. Bonæ* 13. *de elect.* esto, severior sit, quàm esse debere videatur aliis, fortè non perpendentibus illam gnomen *cap. Inter.* de consuet. *Consuetudo* (multò magis opinio) *ex qua disrumpitur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, irritanda est.* Et illam *cap.* 1. de postul. prælat. *Sunt quædam culpæ, in quibus culpa est, relaxare vindictam.*

SECTIO X.

Satis fit quinque primis argumentis propositis Sectione tertia.

SUMMARIUM.

Respondetur ad rationem n. 33. *productæ contra sectationem opinionis benign.* 149.
Et ad num. 34. *prolatam.* 150.
Et ad petitam n. 35. *ex capit. Inquisitioni.* 151.
Sicut & ad textus sacræ scripturæ 36. *adductos.* 152.
Explicatur sententia ex libro Iob. 153.
Et illa: Beatus vir, qui semper est pavidus. 154.
Atque illa: In dubio tutior pars est eligenda. 156.
Multi Canones continent potiùs consilium, quam præceptum. 156.
Alia est dubitantis, alia opinantis ratio. 157.
Confessarii benigni sequuntur in concreto tutiora. 158.
Sententia: Tene certum, dimitte incertum, quomodo intelligenda. 160.
An etiam in Articulo mortis liceat sequi opiniones minus tutas. 163.
Et singulariter quando ea versantur circa necessaria necessitate medii. 164.
Numerus, & qualitas propugnantium licitam sectationem benignarum opinionum, reddit aliquem securum coram divino tribunali. 165.

AD primam rationem in favorem rigidio- 149
rum Judicum productam *sect.* 2. respondetur ex S. Augustino, relato *in cap. Prodest.* 23. *q.* 5. sic resolvente; Et *plectendo, & ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur.* Consequenter tunc solùm infligenda est illa pœna, quæ magis timetur, quando ea est necessaria ad emendationem; ergo non sit absolutè Judici potestas infligendi maximè formidatam, & proinde maximè atrocem. Unde licèt pœnæ sint hac ætate plerumque arbitrariæ. *Maranta in Specul. part.* 4. *dist.* . *n.* 45. attamen semper infligenda est minor, si hujus irrogatione possit & reus ad frugem reduci, & bono publico consuli. cap. *Ea vindictâ* 23. *q.* 4. & cap. *Vt famæ de sentent. excomm.* legatur idem S. Doctor tota Epistola 54. qua Macedonium Prætorem hortatur ad lenitatem in causis criminalibus.

Ad alteram rationem allatam *n.* 34. respon- 150
detur, à nobis non suaderi judicibus tantam lenitatem, ut per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores, ut loquar cum Innocentio *cit. cap. Famæ*, sed tantùm, ut eâ voluntate vindicet, qua pater parvuum filium flagellat quem per ætatem odisse nondum potest.

test. S. Augustinus relatus *cap. An vindicta* 23. *q.* 4. *Hinc enim* (pergit idem Sanctus in rem nostram) *aptissimum exemplum datur, quo satis apparet, posse peccatum omne potiùs vindicari, quàm impunitum relinqui.* Textus autem, quem Petrus ab Angelis suprà relatus digito demonstrat, ita integre habet: *Qui vitiis nutriendis parcit, & favet, ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem.* Nos sanè tam vecordi, aut effœminato judici nullum sub nostro Clypeo præbemus asylum.

151 Ad cap. *Inquisitioni*. productum suprà *n* 35. respondetur, Pontificem loqui de illa conjuge, quæ orto dubio nullam adhibuit diligentiam pro veritate investiganda; si hanc quippe investigavit, at pervestigare, reperireque non potuit, nihil reperiendo in alterutram partem, poterit etiam petere debitum. Barbosa *in cit. cap. Inquisitioni*, post Socinum, Valentiam, & alios contra Gutierez. Quæ explicatio si vera est, ut veram esse probavimus *tom. priore* seu in Experientiis Theologicis *Tr.* 10. *Cas.* 16. *n.* 643. confirmatur validè nostra principalis Conclusio, quandoquidem talis mulier petendo debitum non sequitur partem tutiorem.

152 Ad textus è Scriptura allatos *n.* 38. respondetur, in primis opponendo istos: *Latum mandatum tuum nimis.* Psalm. 118. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11. *Mandata ejus gravia non sunt.* 1. Joann. 5. Atqui neque jugum Christi suave, neque mandata Dei levia, & lata dici possunt, si quidem obligant in eo sensu rigido, in quo explicantur ab uno, aut pluribus Patribus, interpretibus, aut Theologis, cùm interim non desint, qui verè prudenter asserant, posse benignius exponi.

153 Respondetur deinde, recitatæ sententiæ ex S. Job litteralem sensum esse alium, quàm vulgò putetur, hunc scilicet: *Quocunque tandem remedio ad leniendum dolorem utar, timendum mihi est à laboriosissimis operibus, seu doloribus acerbissimis, quibus conficior; superant enim omnes remediorum vires.* Vide Pinedam, qui ex Septuaginta, & Chaldæo interpretatur hunc locum.

154 At verò sententia illa Salomonis: *Beatus homo, qui semper est pavidus*, potest vel cum S. Greg. aliisque ita exponi: *Beatus homo, qui semper metuit extremum judicium*; vel cum S. Chrys. sic: *Beatus homo, qui ex timore Dei observat ejus omnia præcepta*; vel cum Corn. Jansenio sic: *Felix, qui sic in omnibus rebus est timidus, ut prospiciat, ne quid temere aggrediatur; at, qui mentis est duræ, hoc est obstinatæ, nihil curans, quidquid suggeritur, sæpe in gravia incommoda incidit.* Et hanc interpretationem admittit P. Cornelius à Lapide referens alias.

155 Quamobrem neutro allatorum textuum probatur esse in rigidas potiùs, quàm in benignas sententias declinandum.

Ad illam regulam Juris: *In dubio tutior pars est eligenda*, quæ non habetur quidem expressè in Jure Canonico, sed tamen rectè desumitur ex cap. *Ad audientiam de homicidio*, ubi Pontifex ita loquitur: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, ad illam, inquam, respondetur imprimis, ipsam in eo sensu, in quo illa usus est Pontifex, non continere ullum præceptum, sed solummodo bonam rationem instructionémque, ut videre est apud minimè laxum Navarrum *in cap. Si quis autem, de pœnit. dist.* 7. *n.* 34. ex professo, & Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 40. *sect.* 6. nemine prudenter ambigente, quin multi canones, multæ leges contineant consilia potiùs, quàm præcepta, ut patet vel ex Leg. *Is qui* 24. *ff. de re judicat.* inque hanc rem laudatur Augustinus relatus can. *Iam nunc* 28. *q.* 1. ita pronuntians: *Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera charitate.* Vide cap. *In canonicis. dist.* 19. & cap. *De quibus. dist.* 20. 156

Respondetur deinde, disparem esse rationem dubitantis, & opinantis, nam proxima regula honestæ operationis est judicium, ut constat ex S. Thom. 1. 2. *q.* 19 *a.* 3. & ejus interpretibus; non autem dubitatio; cùm ergo dubitans careat regula, utpote qui non judicet, sed dubitet, meritò jubetur sequi tutiora; at cùm opinans certò probabiliter, habeat veram regulam, non est cur ei præcipiatur, ut tutiora consectetur. Et verò illum textum esse intelligendum de propriè dubitante, observat Juris peritissimus Angelus verb. *Opinio n.* 2. 157

Quamquam si rem hanc non in abstracto, sed in concreto, & cum suis circumstantiis perpendamus, revera Confessarii tutiora sequuntur, dum communiter procedunt secundùm opiniones benigniores verè probabiles. Tum quia procedendo secundùm illas & insistunt probabilioribus communiter. Suprà *n.* 115. & relinquunt pœnitentes in possessione suæ libertatis, adeóque vitant peccatum, ab iis committi solitum, qui alios legitima possessione, sine sufficiente causa privant. Tum quia *in dubio benigniorem interpretationem sequi non minùs justius est, quàm tutius*, inquit Marcellus *in leg. Ea quæ in partes. ff. de reg. jur.* Tum quia obsequuntur tot sacris canonibus, tot civilibus legibus mandantibus, vel suadentibus, ut in dubio, seu quando res est inter eruditos anceps, ac controversa, consectentur mitiora. Tum quia sua benignitate efficiunt, ut plura bona opera, pauciora peccata committantur, juxta rationem allatam *n.* 178. Vide, si placet, Joan. Sancium *in select. disp.* 42. *n.* 13. subtiliter observantem, illas duas regulas: *In dubio melior est conditio possidentis.* Et: *In dubio tutior pars est eligenda*, nequaquam sibi adversari, sed unam ab altera juvari & explicari. 158

Ad

160 Ad illud monitum. *Tene certum, dimitte incertum*: quod ex S. Augustino descripsit Gratianus, respondetur vel cum Navarro *loc. cit. n.* 30. regulariter continere consilium, non præceptum; vel cum S. Antonin. 1. *part. tit.* 3. *c.* 10. §. 10. *sub finem*, S. Augustinum loqui providè de eo, qui differt pœnitentiam usque ad extremum vitæ, cujus salvatio cùm sit dubia, idcirco quòd sit valde dubium, utrùm veram pœnitentiam agat, vel sit facturus, ideo providè monet S. August. tunc agendam esse pœnitentiam, quando ejus sinceritas nequit meritò in dubium revocari.

161 Doctrina S. Augustini hoc modo intellecta non tangit ullo modo judices, utentes respectu suorum reorum sententiis practicis certò probabilibus; quandoquidem id faciunt inducti Legibus, & Canonibus eam praxin vel præcipientibus, vel certè permittentibus extra eventus, quos indicavimus *n.* 26. *& seqq.*

162 Quod verò attinet personas privatas, adeóque illos homines; qui respectu sui ipsorum usurpant minus (materialiter) tutas, certò tamen probabiles practicè opiniones, cùm possent sine notabili incommodo hanc, aut illam actionem exercere ex norma tutiorum, probabiliorúmque, plures DD. adeò confidenter jubent illos esse securos, ut ne quidem in articulo mortis adigant ad sectandas magis tutas, magísve probabiles practicè. Ita sanè Joannes Sanchez *in select. disp.* 9. *n.* 8. Cardin. de Lugo de pœnit. *disp.* 7. *Sect.* 13. *n.* 273. *&* 275. Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Confessarior. *part.* 1. *Tr.* 5. *disp.* 3. *Sect.* 8. aliíque plures. 163 Quæ doctrina videtur probari usu plerorumque omnium pœnitentium, & Confessariorum: nec enim pœnitentes consuevêre seu sponte, seu mandato suorum Confessariorum aperire in articulo mortis, se per vitæ decursum fuisse consectatos, extra aliquam necessitatem, hanc aut illam sententiam minùs tutam minúsque probabilem; deberent autem id manifestare in eo articulo, si nefas esset, se etiam accommodare illis omnibus practicè probabilibus, quarum usus permissus est extra talem articulum, sicuti & facere restitutiones, solutiones, ultimas voluntates ex norma tutiorum sententiarum.

164 Quapropter ii Doctores negabunt, dubitandum esse, quin agant veram pœnitentiam in eo etiam æternitatis proximæ ingressu ii, de quibus loquimur, adeóque licèt Sacramento pœnitentiæ tunc adjungant attritionem, ut exprimit singulariter Antonius à Spiritu Sancto *loco citato* post Lugonem. Quorum doctrinam examinandi non est hic locus. Solùm dico duo. Primum, esse à Confessario omnibus modis suadendum pœnitentibus, ut in eo articulo sequantur tutiorem, è contrariis opinionibus, saltem si agatur de mediis necessariis necessitate medii, nam probabilitas opinionis etsi excuset à peccato formali, non tamen supplet necessaria necessitate medii. Alterum, si Confessarius nequeat pœnitenti etiam moribundo ulla ratione, atque obtestatione persuadere usum opinionis practicè tutioris, & fortè simul probabilioris, ei non neget absolutionem, siquidem DD. asserentes communiter Confessarium obligari sequi opinionem pœnitentis verè probabilem, non excludunt articulum mortis.

Quamvis autem non diffitear, plerosque 165 Theologos Societatis esse in numero illorum plus centum octoginta, quos *n.* 5. retuli ex P. Terillo, & Sarasa, posse in arenam produci adversus inficiantes, etiam extra mortis discrimen, permissam sectationem sententiæ certò practicè probabilis, certum tamen est, posse multò plures, ex aliis familiis Religiosis, Cleróque Seculari nominari, qui partim ante nostros omnes, partim cum, & post primos è nostris eandem tradidère doctrinam. Equidem P. Sarasa de *Arte semper gaudendi* in calce *Tr.* 4. inter illos centum octoginta novem, quos producit in favorem hujus benignioris opinionis, nominat è Societate nostra solùm quadraginta duos, reliqui sunt vel ex sæcularibus, vel ex aliis familiis Religiosis, ut è Dominicana viginti sex, Franciscana sedecim, quibus Franciscanis addo Boscum, Bonagratiam, Andream Mohr, recentissimum, amicissimúmque Brunonem Neuester, atque in gratiam Antidecalogistæ totum Illustrissimum Monasterium S. Galli in suo Cursu Theologico Reverendissimum & Illustrissimum Augustinum Reding de Biberegg, Principem atque Abbatem Einsidlensem, itémque Reverendissimum D. Abbatem Christophorum Rasslerum, locis alibi à me citatis; quos sui Illustrissimi Ordinis soles, certè astra non fatua, si vidisset ille Antidecalogista, modestiùs, ut credo, strinxisset calamum in Probabilistas, ut per Sarcasmum appellitat ipse Improbabilista Patronos opinionum, certò quidem, minùs tamen probabilium. Certè universim inter patronos illius ejusdem doctrinæ exiterunt tam multi sapientiâ, Deíque timore adeò illustres, ut nobis persuadere non possimus, illum hominem à Patre misericordiarum punitum iri, qui tantorum virorum authoritate nixus exercet actionem, quam quidem verosimile sit, esse à parte rei, seu materialiter interdictam, attamen verè, indubitanterque probabile sit, esse permissam, seu non interdictam à Deo, neque ab alio legitimo Superiore, dummodò sit homo ita dispositus, ut actionem illam esset omissurus, si nosset esse vetitam, quemadmodum expressiùs etiam in altera editione hujusce Tractatûs.

SECTIO XI.

Respondetur ad Argumenta petita ex Autoritate Sanctorum Patrum.

SVMMARIVM.

Cur Sancti Patres fuerint olim severiores? 166.
Non erant tales in Confessionali, quales in Cathedra. 167.
Officia Confessarii. 168.
Quanta facta mutatio Theologiæ? 169.
Et cur? 170.
Præclara ingenia multa novant. ibid.
Referuntur nonnulla obsoletæ sententiæ antiquorum Theologorum. 171.
Recentiores sunt in materia morali præferendi antiquis. 174.
Explicatur aliter, quàm solet, illa sententia S. Gregorii: Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. 175.

166 AD rationem *n.* 36. ex usu primitivæ Ecclesiæ desumptam respondetur, nos magistro usu didicisse, non expedire moribus posteriorum sæculorum usum rigoris, qui sex vel octo prioribus sæculis viguit in Ecclesia; atqui procedendum est, prout tempora postulare videntur *c. finali*, de transact. *Et novis morbis nova convenit antidota præparare*, text. *c.* Cæterùm *de juram. calumn.*

167 Ad exemplum SS. Chrysost. Climaci & aliorũ quorundam SS. Patrum respondetur, fatendum quidem esse, illos cum magnis exaggerationibus fuisse tum ex suggestu, tum per epistolas insectatos, quidquid speciem mali habebat, nõ tamen idcirco constare, illos eâdem severitate usos, dum operam dabant secretò enarrantibus peccata sua; nam hodiéq; fit, ut multi præcones divini verbi sint in suggestu leones, in confessionali canes, non quidem muti, sed blandi, qui etiam linguâ saniem detergant, juxta S.
168 Gregorium *homil.* 40. *in Evang.* Nec immeritò aliam rationem è pulpito, aliam in tribunali sacro tenent, quia scilicet aliam ibi, aliam hìc personam sustinent: ibi Hortatoris, hìc Judicis. Trident. *Sess.* 14. *c.* 5. Judex autem tenetur parere regulis Juris pronuntiantibus: *Circa vitam alienam esto benignus. c. Alligant.* 16. *q.* 7. Sis facilis ad liberationem, difficilis ad obligationem imponendam. *l. Arrianus, ff. de oblig. & action.* Adde, quod boni, fideliśq; Medici (qualis quidem debet esse omnis Confessarius. *c. Omnis utriusque, de pœnit. & remiss.*) sit, uti remediis quàm leniśimis, si ea profutura censeantur.
169 Adde etiam, si verè scripsit Adam. Tannerus *in præf.* 1. *Tomi Theol. Scholast.* tantam esse in sententiis Theologicis ad fidem non spectantibus factam mutationem, ut ferè jam sit alia Theolog. Scholastica, quàm fuerit annis 30. priusquam suos sanè quàm utiles Tomos Theologicos mitteret in lucem, longè veriùs dici posse, jam esse longè aliam Theologiam Moralem, quàm fuerit abhinc duobus, sex, octo, decem aut pluribus sæculis: quia (ut alias hujus diversitatis rationes omittamus) per multæ Leges Ecclesiasticæ, quarum usus olim maximè vigebat, jam penitus abiêre in desuetudinem; aliæ quasi in earum locum subrogatæ; multarum facta declaratio per consuetudines, aut legislatores, juxta leg. *Si de interpretatione. ff. de legib.* & elegantem textum in cap. *Inter alia, de sent. excomm.* plurimæ novæ, optimáeq; rationes, seu argumenta inventa adversus veterum persuasiones, inventa, inquam, non eò quòd sit pigri ingenii, contentum esse iis, quæ ab aliis sunt inventa, sicuti scribit Quintilianus *l.* 10. *instit. c.* 2. sed quòd præclara ingenia multa novent circa scientias, teste Judæorum disertissimo Philone *l.* 1. *de vita Moysis*, & tunc optimo jure, quando cernunt, antiqua laborare vitio aut caliginis, aut alterius infirmitatis. 170

Atq; hæ sunt præcipuæ causæ, cur cum Sanchez, Pasqualigo *decis.* 364. & aliis contra Silvestrum V. *opinio quæst.* 2. & Baldellum *in Theol. mor. l.* 4. *disp.* 11. existimẽ, Recentiorum Theologorum Moralium judicio esse (reliquis paribus) potiùs standum, quàm antiquorum; & quò recentior est aliquis autor, eò plus (cæteris parib9) ei tribuo asserenti, aut neganti aliquid de obligatione hujus, aut illius legis, vel consuetudinis. Nam temporum nostrorũ ingenia non sunt despicienda, perinde ac si lassa, & effœta natura nil laudabile pariat, ut cum Columella loquar, sed maximi facienda, utpote proferẽtia de thesauris suis nova & vetera simul. *Matth.* 13 171

Et verò quis toleret asserentes I. Contra nullum præceptum humanũ delinqui mortaliter, nisi delinquatur ex contemptu, id est, frequenter? 2. Ebrietatem non esse crimen lethale, nisi sit assidua? 3. Danti operam rei illicitæ imputari omnia mala inde secuta, etsi nullo modo prævisa? 4. Reum esse noxæ lethalis, qui absq; rationabili causa facit sacrum, nondum recitato matutino? 5. Neminem obligari Legibus loci, in quo habitat, nisi cogitet illic vitam claudere? 6. Confessionem, & absolutionem per scripta factas valere? 7. Propositum rei bonæ æquè graviter obligare, atq; obligat vera promissio? Et tamen primum horum docuere permulti ex priscis Theologis & Canonistis; 172
alterum plerique omnes Canonistæ, & Theologi non pauci. Tertium habebatur ferè instar axiomatis apud antiquos præsertim Canonistas. Quartum tenuêre omnes ad unum Canonistæ, Summistæ, Theologi, teste, Azor *part.* 1. *l.* 10. *c.* 8. sicuti & quintum communiter omnes, teste eodem Azor *part.* 1. *lib.* 5. *c.* 11. Sextum plurimi cum Navarr. ipso in Manual. *c.* 21. *n.* 36. Septimum communiter Canonistæ, ut testatur Cævallos *in Spec. comm. opin. contra com. q.* 748.

Laudamus veteres, sed nostris utimur annis, 174
canit alio sensu Poëta, nos nostro. Ita quippe veneramur, suspicimus canam Antiquitatem, ut Junioribus, in re præsertim Morali confidentiùs plerumque innitamur, atq; adhæreamus, utpote

utpote & veterum sincero, & suomet defæcato succo validis: illorum quoque lapsu nonnunquam doctus, & effectis peritioribus.

175 Sententia S. Gregorii proposita *n.* 37. longè alium literalem sensum habet, quàm fit is, in quo solet ea ab Ascesios Magistris usurpari; etenim S. Pater *c. fin. dist.* 5. (ex quo illa sententia desumpta est) de muliere menstrua patiente ita statuit: *Sanctæ communionis mysterium in eisdem* (menstruorum) *diebus percipere non debet prohiberi; si autem ex magna veneratione percipere non præsumpserit, laudanda est; sed si susceperit, non est judicanda: Bonarum quippe mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est; quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Vnde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis est factum, ut esuriamus.*

176 Hactenus S. Gregorius; ex cujus toto discursu palàm est, eum plus non velle, quàm ut in peccatorum effectibus simus memores ipsorum peccatorum, ex quibus illi effectus oriuntur, eáque defleamus, & propter illa nos plectamus.

SECTIO XII.

Diluuntur VIII. IX. X. Objectiones ex allatis Sect. Secundâ.

SVMMARIVM.

Explicatur sententia Paulina: Ab omni specie mala abstinete vos. 177.
Et ad objectionem: *quòd per usum benignarum opinionum laxetur disciplina.* 178.
Cur mitigandus rigor? 178.
Gerson conqueritur de multitudine Legum Ecclesiasticarum. 181.
Refellitur Manriqueana querela de docentibus benigniora. 183.
Referuntur selecta quædam Iuris pronuntiata observanda Iudicibus. 184.
Neglectus horum pronuntiatorum est perniciosus bono publico, non autem usus benigniorum verè probabilium opinionum. 185.
Hac ætate communiter expedit dare locum potiùs benignioribus, quàm rigidioribus sententiis. 188.

177 AD rationem allatam *num.* 39. dico, eâ plus non probari, quàm quod ultro concessi *num.* 46. aut certè, si verba Apostoli continent non solùm consilium, sicuti continent nonnulla alia, quæ eodem capite proponit, sed verum præceptum, intelligenda sunt de casu, quo non abstinendo à specie mala, præbetur alteri scandalum, qua de re mox *num.* 185.

Ad aliam *num.* 30. productam rationem respondetur, per usum benigniorum non laxari illicitè conscientias, nec disciplinam pessumdari; nam disciplina Christiana & Religiosa non consistit in eo, ut præstemus ea, quæ prudens ratio declarat esse nobis arbitraria, sed ut ea integrè perficiamus, ad quæ certum est, nos ex vi præceptorum Divinorum, Ecclesiasticorum, Regularium obligari. Sapienter enim insignis morum Religiosorum Magister Alphonsus Rodriquez *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2. observat, vitæ Religiosæ perfectionem consistere in iis solis, quæ à præsidibus, & Regula præcipiuntur. 178

Fateor, non esse laxandas habenas hominibus, ut pravis suis cupidinibus velificando, & obsequendo ruant in præceps; sin ita peritè illos regere possum, ut teneant planam semitam, vestigiis prudentum, clarorúmque virorum notatam, ac denique perveniant ad patriam, ad quam omnes tendimus, cur, obsecro, reluctantes traham per aspera cum vitæ discrimine? *Immoderatus rigor disciplinæ quos corripit, non corrigit, sed in laqueum diaboli præcipitanter impellit*, ait appositè S. Ivo I. C. Phœbus, *Ep.* 82. 179

Certè tantus est Legum Ecclesiasticarum, ordinationúmque Regularium numerus, ut si velimus pleraque secundùm rigidiorem sensum explanare, simus homines adducturi non ad emendationem, sed ad desperationem. Gerson relatus *n.* 133. Cùm tamen *nulla juris ratio patiatur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea vos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem* text. *l* 15. *ff. de leg.* 180

Lege sis Joannem Gersonem, loco, quem *n.* 36. citavi, *in coroll. XII.* ubi queritur, fuisse jam suo tempore adeò multiplicatas leges Ecclesiasticas, vix ut quis omnes legere, nedum observare posset. Et piissimus Navarrus *in Manuali c.* 27. *n.* 50. diu petivit videre Pontificem, qui numerum excommunicationum minueret, saltem quoad forum conscientiæ. Idémque *c.* 23. *n.* 55. præmiserat, fore conveniens, ut leges humanæ, quæ ad mortale obligarent, essent paucæ. 181

Denique ad illud, quod de scandalo Pusillorum objicitur eodem *n.* 39. repono in primis doctrinam cap. 2. *de reg. jur. in* 5. pronuntiantis: *Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Addo, nec multorum esse hoc scandalum, nec illorum, qui non facilè, si velint, edoceri, ac percipere veritatem à nobis traditam possint, & ideo hæc non debet propter illos omitti, ut liquet ex doctrina S. Thom. 2. 2. *q.* 43. *a.* 7. *in fin. corp.* & Glossa *in citatam Regulam.* 182

Atque ex his patet etiam responsio ad injustam Michaëlis Manrique querelam, qui longè majus operæ pretium fecisset, si omni ingegè majus operæ pretium fecisset, si omni inge- 183

nii contentione allaborâſſet, perſuadere omnibus Judicibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ut præ oculis ſemper habeant, atque in uſum deducant illa Juris utriuſque pronun-
184 tiata: *Non ex affectu carnali, ſed diſcreto judicio judicandum eſt.* cap. unic. *Ut eccl. benef. ſin. dim.* Item: *Judex potiùs concordiâ, quàm judicio litem terminet.* cap. 1. *De mut. petit.* Item: *Xenia* (ſeu munera) *paſſim accipere eſt viliſſimum, omnia avariſſimum L. Solent ff. de offic. proconſ.* Item: *Omnes magiſtratus, & divini judices breviter lites decidunto. L.* unic. *Cod. de jud.* Item: *Cùm ſunt partium jura obſcura, Reo faven-dum eſt potiùs, quàm Actori* (aut Fiſco) cap. Cùm ſunt. *De Reg. jur. in* 6. Item: *In judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda*, Reg. 12. *eod.* Item: *Interpretatione Legum pœnæ potiùs molliendæ, quàm aſperandæ ſunt.* Leg. Interpretatione. *ff. de pœnis* & cap. *Pœna, de pœnit. diſt.* 1. Poſtremò illud Siracidæ: *In judicando eſto pupillis miſericors, &c.*

185 Ex harum, ſimiliúmque Regularum neglectu emergunt damna publica, ac privata; patrimoniorum profuſiones: viduarum, pupillorúmque lacrymabiles oppreſſiones: mediæ, maximæ capitis diminutiones. Nullum autem per ſe verum damnum ex uſu clementium ſententiarum verè, & certò probabilium; ſiquidem *nemo damnum facit, niſi qui id facit, quod facere jus non habet*, ut loquitur Paulus *l.* 121. *ff. de reg. jur.*

186 Cæterùm in noſtris Vindiciis Theologicis, quas huic tractatui ſubjicimus, ſatis *Sect.* 17. confutabuntur Michaëlis Manrique injuſtæ querelæ de Theologis.

187 Ad argumentum ex Cajetano deſumptum reſpondetur, illum eſſe à peccato immunem, qui ſe, aut alium periculo peccati materialis exponit tam juſtis de cauſis, quàm ſunt eæ, quas pro ſexta concluſione noſtra attulimus.

188 Dictis hac & priore Sectione addo, à me non doceri, eſſe à Confeſſariis ſententias minùs tutas practicandas, ubi facilè, adeóque cum fructu pœnitentium ſpirituali poſſunt tutiores; id quippe repugnaret Concluſioni poſitæ, probatæ, defenſæ *n.* 46. *& ſeqq.* ſed tunc ſolùm, quando nequeunt commodè. Quia verò hac ætate communiter in uſum rediguntur utiliùs benignæ, quàm rigidæ, quæ tamen benignæ ſint indubitanter probabiles practicè, & procedendum eſt, prout exigunt tempora, *cap. fin. de tranſ.* idcirco vera eſt noſtra Principalis Concluſio; nec ullo modo repugnat ſanctioni ſtatuenti, ut Confeſſarii ſequantur *Securiores* doctrinas; ea quippe rectè intelligitur cum limitatione expreſſa in ſimili, *Part.* 8. *Conſtit. noſtr. C.* 1. *lit. K.* videlicet: *Quoad ejus fieri poteſt.* Videtur autem hoc ævo non poſſe à Confeſſariis communiter cum tanto fructu uſurpari ſententias rigidas, quàm benignas, ut oſtenſum eſt *n.* 64. & alibi.

SECTIO XIII.

Refellitur penultimum argumentum ex obligatione ſequendi opinionem communem.

SVMMARIVM.

Refertur Coratius contendens, judicem teneri ſequi ſententias communiores 189.
A Coratio diſſentiunt plurimi Theologi & Juriſtæ. 590.
Eſt falſum, quòd Judex recedens ab opinione communi litem faciat ſuam. 190. & 191.
Reſpondetur ad Leges, & Canones, quibus utitur Coratius contra noſtram ſententiam. 192.
Opponuntur iis alii Canones, & Leges. 193.
Exprimuntur variæ materiæ, in quibus Leges, vel Doctores volunt minùs communem præferri communiori. 195: *& ſeqq.*
Refertur illuſtris ſententia Theodoreti. 199.
& Imperatoris Juſtiniani. 203.
Præferenda ſententia nitens ſubtiliore ratione. 204.
Gnome ex Seneca. 205.
Quæ opinio dici debeat communis? 206.
Probatur exemplo plerorumque Scriptorum, ſingularem opinionem poſſe præferri communi. 307.

PEnultimum telum, quo noſter Clypeus petitur, eſt illud, quòd ſcilicet teneatur quilibet Judex univerſim opinionem communem anteferre non communi; repellitur autem, & excutitur illud, dicendo inprimis, pleroſque autores abſolutè aſſerentes, judicem obligari ad ſequendam communem ſententiam, loqui tantùm generatim, & non in ſpecie de communi oppoſita benignæ. Si tamen volunt, uti ſanè permulti volunt, cum Coratio ſuam doctrinam intelligi etiam in hoc caſu, tum 189

Oppono iis 1. alios I. C. nomina tos *nnm.* 145. itémque plurimos & Juriſtas, & Theologos in terminis à Coratio diſſentientes, relatos ab utroque Sanchez, Diana, Bardi, & Paſqualigo ſuprà *n.* 165. quorum ſanè, aliorúmque paulò poſt indicandorum autoritas, ſicut & Leges, rationéſque ſuperiùs adductæ, judicem procedentem ex noſtræ ſententiæ normâ, meritò liberabunt, metu malorum, quæ poſt alios intentat Coratius *relat. num.* 44. *Nonte moveat dicentis autoritas; ſed quid dicatur attende*, monet alicubi Seneca *eum rectiùs arbitrer, in tanta re ratione, quàm autoritate ſuperari*, inquit Plinius *lib.* 1. *epiſt. ad Tacit. in fine.* Equidem rotundè pronuntiat Zaſius. *l.* 2. *ff. de orig. jur. §. innovare*; nihil poſſe dici falſius, quàm quòd judex recedens ab opinione communi, abſolutè litem faciat ſuam. Multò minùs 190

tenetur de ſyndicatu, Diana p. 2. *tract.* 13. *reſ.* 3. poſt Joannem Sanchez; ne ſcilicet ulteriùs progrediatur metus, quàm reperiatur delictum, text. *in l. Sancimus C. de pœnis*; atqui non delinquit per ſe loquendo, qui recedit à communi opinione, adhærens oppoſitæ verè probabili. Suprà *n.* 5.

Accedit, quòd Marcellus in *l. Ea, quæ* 192.
191 *ff. de reg. jur.* edicat, eſſe tutius benigniorem interpretationem ſequi, quàm ſeveriorem. Si tutius, an non conantur adverſarii panicum terrorem nobis incutere, dum multas, ac pœnas decernunt? An non potiùs eſſet puniendus judex, qui plecteret ſectatorem noſtræ doctrinæ? Quandoquidem ea eſt longè magis conſentanea & ſ. cris Canonibus, & Principum ſanctionibus quàm oppoſita.

Et verò judicem fori externi poſſe relictâ communi re ſententia verſante circa quæſtionem juris ſectari minùs communem, aſſerit, atque decem diverſis materiis applicat Diana *part.* à. *tr.* 13. *reſ.* 3. referens pro ſe tredecim, qu Theologos, quà Jure Conſultos qui proinde diſſentiunt, à Coratii judicio paulò ſuperiùs repræſentato. Quin imo Aragonius *in* 1. 2. *quæſt.* 63. *a.* 4. §. *his tamen* expreſsè, & abſolutè ita ſcribit: *In diſſenſione opinionum illa erit Judici ſequenda, quæ fuerit mitior, atque favorabilior.* Plura hanc in rem referemus *num.* 211. & *ſeqq.* dum Reſpondebimus ad ultimum argumentum propoſitum ſuprà *n* 43.

Oppono 2 à Coratio, atque aliis ſine ſuffi-
192 ciente præſidio legum, ac rationum noſtram doctrinam oppugnari. Nam ad leges & canones, quos congerit Coratius, reſpondetur generatim, iis doceri, partim eſſe ſtandum plurium relatione, quando quæſtio terminanda eſt per teſtes, ſicut apparet manifeſtè ex *l. ſin Cod. de fidei com.* partim à toto genere prudenter & conſultò eos agere, qui communes ſententias ſequuntur potiùs quàm ſingulares; quod quidem nos non negamus, dum noſter hic Clypeus pro Lemmate habet ſolas ſententias clementiores, non autem alias, & neſcio
193 an ullæ ex verè, indubitantérque probabilibus (pro quibus ſolis pugnamus) ſimul & clementioribus ſint jam ſingulares; partim ab autoribus canonum, ac legum præcipuarum, quæ pro ſtabilienda energia communis opinionis proferuntur, adduci plurium, aut plurimorum ſenſum duntaxat pro ratione ſuæ reſponſionis, aut reſcripti, ut clariſſimum eſt ex l. Athletas *ff. de his, qui not. infam.* l. Pro hærede *ff. de acquir. hæred.* l. Quæſitum *ff. de fund. inſtruct. & in* §. 1 l Ita vulneratus. *ff. ad l. Aquil.* l. 1. *ff. de quæſt.* cap. De Inducíis. 3 *quæſt.* 3 Atqui etiam plurimæ leges, ac canones pro ratione ſua adferunt hanc, quòd ſcilicet ſit *humanius, aut æquius.* Diſpiciatur Lex Barbarius. *ff. de offic. Prætor.* Lex Si fuerit. *ff. de reb. dub.* Lex Scævola. *ff. ad Trebell.* Quænam ex his legibus, & canonibus præferendæ ſunt? An non poſteriores? Quandoquidem nulla planè Lex, aut Canon jubet ſtari interpretum pluralitate, multæ benignitate.

Ad hæc cùm in toto jure generi per ſpeciem 194
derogetur, & id potiſſimum habeatur, quod ad ſpeciem directum eſt, ut loquitur Papinianus *l.* 80. *ff. de reg. jur.* cenſendum eſt, his generalibus legibus derogatum eſſe per ſpeciales illas, quas in præſidium Clementium Judicum deſcripſimus *Sect.* 4. & 5. eáſque judice Papiniano habendas eſſe potiſſimas, adeóque potiores generalibus contrarium inſinuantibus.

Oppono 3. communiorem inter Theologos 195
doctrinam, quòd judex delinquat, pronuntiando circa materias ſpeculativas ex ſententia, quam putat ipſe minùs probabilem, eſto, ſciat eſſe communiorem. Item illam, quòd unius Doctoris Claſſici opinio pro matrimonio prævaleat communi opinioni, quæ eſt contra matrimonium. Andr. Gaill. *lib.* 2. *obſervat.* 94. *num.* 19. Maſcardus *de probation. concluſ.* 1138. *num.* 12. Fagnanus in cap. *Verum* de *Cogn. Spirit.* Aluiſet de privileg. Regul. *Sect.* 4. *dub.* 3. poſt Felin. Hoſtienſ. Abbat. Decium, Jaſon Zaſium, à Gaillio, Maſcardóque relatos; ac poſt Theologos apud & cum Sanchez *l.* 1. *de matrim. d.* 18. *num.* 7. ſicut & pro valore teſtamenti. Barbat. *conſil.* 6. *vol.* 1. poſt Hoſtienſ. cum Jaſone, aliis, quos nominat, & ſequitur Carillus *deciſ.* 27. *num.* 3. Item illam, quod generaliter, quando in aliquo articulo ſunt diverſæ opiniones, tenenda ſit ea, quæ favet religioni. Idem Gaill. *ibid.* poſt Jaſon. & Nattam; ac poteſtati Clavium, Juriſdictioníque Eccleſiæ. Marta *de Juriſdict. part.* 4. *caſ.* 164. *num.* 1. poſt alios; ubi *num.* 2. ita inſuper abſolutè, & ſiccè loquitur: *Communis opinio Doctorum non eſt attendenda, quando contraria favet piæ cauſæ*; laudátque viginti Aſſeſſores, ſeu Jure peritos pro ſuo hoc pronuntiato.

Item illam, quòd Confeſſarius teneatur ſe- 196
qui opinionem probabilem pœnitentis. Diana *part.* 2. *tract.* 13. *reſ.* 11. cum pleriſque omnibus, & miniſter Sacramenti generatim illam, quæ eſt favorabilis ſuſcipienti ſacramentum. Diana *ibid reſol.* 17. nominans 17. DD. Item illam, quòd ſententia Rotæ Romanæ (etiam non approbata à Pontifice) præferenda ſit opinioni communi, & communiori. Aſcanius Tamburinus *de jur. Abbatiſſarum in Præfat.* poſt Cævallos, Gratianum, & alios.

Nec prætereunda eſt hìc exceptio à doctri- 197
na Coratii, quam facit Macagnanus *Tract. de communi opin. c.* 8. *num.* 1. poſt Felinum, & multos alios tam Theologicâ, quàm Canonicâ, Legalíque ſcientiâ excellentes, qui ob autoritatem cap. *Capellanus, de for.* aſſerunt, ſingularem opinionem eſſe anteponendam communi, quando nititur meliore, ac ſubtiliore ratione.

198 Enimvero si ineamus numerum classicorum autorum, qui in his octo casibus, & 4. aliis mox indicandis existimant, non esse necessariò habendam rationem communis sententiæ, deprehendemus ultra centum; & tamen id existimant ducti, doctique oraculis Legislatorum, aut non tot, aut non tam manifestis, ac nititur nostra exceptio; & responsiones, quas hi Doctores dant ad leges, canonésque pro stabilienda necessitate obsequendi persuasionibus vulgò receptis, promi solitos, æquè nobis congruunt, atque illis.

Ergo meritò cum Theodoreto *l. 1. de curand. Græc. affect.* dicit quisque Patronus Clementium explicationum: *Nulli mihi meorum magis parendum esse, quàm rationi existimo, quæ consulanti mihi optima videatur*: videtur autem optima, quæ suadet, persuadétque, ut mitiora sapientum arbitria sint nobis communiter potiora, quàm iis contraria, nobis, inquam, dum gerimus personam, officiúmque cognitorum, ac judicum; & quatenus permittunt dicta *num. 22. & seqq.* itemque *n. 46.*

200 Oppono 4. illos Doctores, ut Felin. Chassan. Everh. & alios apud ipsummet Coratium *n. 17.* qui asserunt, opinionem Archidiaconi *in Sexto* esse præferendam contrariæ communi; sicuti & opinionem Glossæ, ut voluit apud eundem *num. 22.* idem Felinus, Decius, Purpur. Curt. Jun. Lancell. pluréque alii, cum Mascard. *l. c. n. 15.* ubi idem sentit de Accursio; item & opinionem Rotæ, testibus Imola,
201 Barbat. Gomesio, atque aliis apud eundem *n. 54.* Herclè si tam præstantes I. C. &, ut phrasi Ulpiani *l. 1. ff. de just. & jur.* utamur, Juris Sacerdotes, sine ulla prorsus autoritate Juris discedunt in hisce quatuor casibus à doctrina, quam mordicus tuetur Coratius, quis prudenter succenseat judici, facienti ab eadem secessionem in casu inscripto nostro Clypeo, & munito tam firmis utriusque Juris pronuntiatis? Sanè adversantem nobis doctrinam non illustrant textus tam perspicui ac nostram; atqui textus clari sunt præferendi obscuris, *cap. erit autem lex dist. 4.*

202 Oppono 5. Autoritatem Rotæ Romanæ, & Cameræ Imperialis, de qua suprà *n. 150.*

203 Oppono 6. Majestatem ipsiusmet Legum conditoris Justiniani, qui *l. 1. ff. de veter. jur. enucl. §. 6.* Triboniano: aliisque ab eo deligendis viris *disertissimis togatis fori*, demandans provinciam colligendi responsa antiquorum prudentium, & ex eis elimatis conficiendi 50. libros Digestorum, hoc sanè quàm sapiens monitum reliqua inter dedit: *Sed neque ex multitudine Autorum, quod melius, aut æquius est, judicate, cùm possit unius forsan & deterioris sententia, & multos & majores aliqua in parte*
204 *superare.* Censuit igitur Imperator, præsumptionem de veritate opinionis Communis non esse tanti faciendam, quin liceat ab ea secessionem facere, quando unius sententia ratione (quæ ipsius etiam legis anima est *cap. Consuetudo dist. 19.*) meliore, ac subtiliore illam superat, sicuti traditur cap. *Capellanus de fer.* præsertim in materia favorabili, cui singulariter esse deferendum toties in Pandectis edixit Nomotheta. Cujus in colligendis veterum 205
responsis ministri, fortè legerant illam Senecæ lib. *de vita beat*, allegoriam: *Tritissima quæque via & celeberrima maximè decipit. Nihil ergo est magis præstandum quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non quà eundum est, sed quà itur.*

Oppono 7. hanc rationem; quia secundùm 206
Navarr. *in Man. c. 27. n. 289.* atque alios opinio, quam 8. vel 10. imò quam 7. ut operosè contendit Coratius ipse *lib. 1. tit. 3.* graves autores deligunt cum judicio, dici debet communis; quis autem Rhadamanthus adeò sit immitis, ut ad Sisypheum saxum damnet judicem, qui trium, quatuórve æquè gravium scriptorum clementius judicium pro tribunali antetulit illis denis, octonis, septenis? Profectò unico hoc argumento jugulatur tam illimitatum Coratii, Cevallos, aliorum arbitrium de necessitate adhærendi placitis communioribus,

Oppono denique omnes omnino, vel sal- 207
tem plerosque omnes Theologos, ac JCtos editis voluminibus rerum practicarum claros. Vix enim unum illorum reperies, qui non vel sæpe, vel aliquoties adhæreat alicui opinioni jam singulari, jam minùs communi; quare facto suo, quo non minùs, quàm verbis declaratur animi sententia *l. De quibus. ff. de leg.* demonstrant, se stare potiùs à nobis, quàm ab adversariis. Et nónne omnes, vel ferè omnes opi- 208
niones, quæ sunt duntaxat probabiles, vel certè earum oppositæ fuerunt aliquando singulares? Ergo tot propemodum Theologi & J. C. censuerunt, posse prudentissimè proponi, defendi, in usum redigi singulares sententias, quòt ejusmodi invexerunt in scholas, & fora; invexerunt autem innumeri.

Fateor tamen cum Prateo I.C. Regularum Juris l. 3. tit. 7. c. 2. *Esse temerarium à communi opinione desciscere ad singularem sine ratione.* Hoc enim, nec plus, probant argumenta adducta in contrarium.

Concludamus itaque, & liberè cum Imp. 209
Justiniano, ac Pontifice Honorio dicamus Judici supremo, atque inferiori in prætorio, inque templo jus dicenti: *Ne ex multitudine Autorum, quod melius, aut utilius est Judices: sed in his, in quibus non invenitur jus expressum, procedas semper in humaniorem partem declinando, &c.* juxta limitationes hactenus indicatas. Equidem qui his duobus præceptis fuerit prudenter obsecutus, poterit cum S. Ambrosio in persona Christi loquente *Serm. 20. in Ps. 18.* dicere. *Ideo judicium meum verum,*

quia

quia voluntati meæ non indulgeo, sed Æquitati, sumptæ videlicet in significatione indicata
210 *num. 80.* Quæ tamen Æquitas non prohibet, quin potiùs suadet, nósque cum illa, ut quoad ejus fieri commodè, atque utiliter potest, tuis moribus, factísq; exprimas doctrinas magis, seu plurium calculo approbatas; etenim generatim, & per se loquendo verum est, quod Quintilianus *l. 8. c. 1.* scripsit. *Usu trita non sunt reformidanda.*

SECTIO XIV.

Discutitur postrema contra nostram generalem Thesin, & Doctrinam ratio, nixa obligatione procedendi saltem in foro externo secundùm opinionem probabiliorem.

SUMMARIUM.

Autores Scribentes absolutè, judicem teneri pronuntiare juxta sententiam, quam habet pro probabiliore, quomodo intelligendi. 211.
Quid? quandò una pars litigantium est in possessione, altera non. 212.
Quid? quando neutro possidente favet utrique æqualiter jus. 213.
Quid? quando est facti, non juris quæstio. 214.
Quam sententiam sequentur arbitri? 216.
Concluditur Societatis Doctores injuriosè, generatim in simulari nimiæ laxitatis. 218.

211 ADpostremum argumentum, quod petebatur ex necessitate obligante judicem fori externi ad standum opinione, quam ipse judicat esse probabiliorem, non attendendo, utrum sit clementior, nec ne?

Respondeo in primis, Doctores, qui ita loquuntur, loqui de opinionibus speculativè probabilioribus, non autem de practicè; atqui noster Clypeus conatur illos solos protegere, qui, quando nórunt, esse verè probabile, quòd licitè possint, hanc aut illam mitiorem sententiam ferre, eam re ipsa ferunt communiùs. Deinde tametsi longè plurimi DD. agnoscant, & judici imponant prædictam necessitatem circa sententias speculativè probabiliores, egóque illis à toto genere, seu per se loquendo assentiar, eò quòd in deligendis judicibus haberi debeat potissima ratio prudentiæ, siquidem Princeps, vel Respublica creantes Judicem, sperāt illum judicaturum secundùm animi sui sensum, adeóque à parte rei juste, attamen non modo hanc eandem necessitatem negant permulti alii DD. quos refert, & sequitur P. Franciscus Oviedus 1. 2. *Tr. 5. controvers. 3.* itémque D. na *part. 11. tr. 2. res. 60.* nominans pro se triginta Doctores, excipientes meritò casum, quo consuetudo, vel statutum locale præcipit sectationem sententiæ, quam judicat ipse probabiliorem: verùm etiam huic exceptioni est in primis jungenda alia, scilicet: nisi agatur de pœna infligenda; leges quippe præcipiunt, ut in pœnis accipiatur benignior interpretatio, testantúrque, jura esse promptiora ad absolvendum, quàm ad condemnandum. Excipiendæ sunt etiam causæ Favorabiles indicatæ à nobis *n. 143.* & generatim piæ, utpote quibus esse à judice, quo ad fieri potest, favendum tradunt DD. cum Marta relato suprà *n. 195.* siquidem in eas convenit illud aureum. *leg. sunt personæ ff. de relig. & script. for.* pronuntiatum: *Summa est ratio, quæ pro religione facit.*

Ad hæc quando duarum partium una est in 212
legitima possessione unius rei, de qua litigatur, debet utique Judex in sententia ferenda illam amplecti opinionem, quæ magis favet possidenti, siquidem omnium tribunalium mos est, ut quisque in possessione rei, quam bonâ detinet fide, conservetur, donec manifestè constet alienam esse. Lessius *de justit. & jur. cap. 14. n. 25.* aliique plures; & dum judex ita decernit, conformat se nostræ conclusioni; est quippe magis affine clementiæ, atque benignitati, relinquere quempiam in sua possessione legitimè inita, & continuata, quàm inde illum exturbare; nam ferret exturbatus possessor damnum, adversarius lucrum; atqui benignius est favere damnum patienti, quàm lucrum captanti. Rolandus à Valle *consil. 21. n. 58 volumine 2.*

Insuper si sit sermo de casu, quo duo litigan- 213
tes de re, cujus possessione nemo gaudeat, tunc aut utrique æqualiter favet jus, aut uni magis, quàm alteri? Si æqualiter, tunc videtur agere judex inclementer, si alterutri totam addicat, clementer autem atque moderatè, si vel dividat æqualiter inter partes, quando res illa divisionem patitur, vel totam, quando indivisibilis est, transferat in unum, injungendo huic, imponendóque onus faciendæ compensationis. At verò si judex arbitretur, leges scriptas aut non scriptas magis patrocinari Cajo, quàm Cneo, notam inclementiæ effugiet, si pronuntiet integrè pro Cajo, non item si pro Cneo. Ergo obsequetur judicio censentium, esse Cajum integrè præferendum Cneo.

Postremò si objectio petat casum quo opi- 214
niones non versentur circa quæstiones Juris, sed Facti, aget utique inclementer Judex, si condemnet illum, qui melius probabit factum, cùm sit vix probabile excusari à mortali talem. Ergo transcribendo ipsi totum, sequetur nostrum, communéque judicium Doctorum. Ut quando e. g. factam esse donationem, emptionem, probat una pars melioribus testimoniis, ac instrumentis, quàm altera.

215 Quæ dixi de Judicibus non delectis, sed constitutis à Lege, vel Principe, eadem applicanda sunt Judicibus delectis, seu Arbitris, sicut notat Oviedus *loco cit. n.* 106. Quamquam quia tales videntur (conformiter Legi *Qualem autem ff. de recept. arbitr.*) communiter ideo deligi, vt edicant id, quod ipsi vero similius secundùm se esse arbitrantur, idcirco iis non semper omnia conveniunt, quæ legitimis Ju-
216 dicibus, de quibus hoc addo, tametsi non possum assentiri adversariis probabilitatis, quatenus hi damnant manifesti, inexcusabilisque sceleris indiscriminatim illos Judices, qui inter sententias practicè probabiles utuntur jam his, jam illis in favorem amicorum, in gravamen non amicorum, seu nullâ amicitiâ junctorum, attamen si quis Judex habeat animum semper pronunciandi in favorem amicorum, quando id facere poterit salvâ conscientiâ, talem communiter loquendo versari in magno discrimine salutis æternæ, quia affectus ille, atque animus erit in causa, ut sæpe judicet levicula ex causa, se salvâ conscientiâ posse ferre sententiam, quam à parte rei nequit sine læsione juris, sicut observat Oviedus *loco cit. n.* 107. post Thom. Sanchez, & Salonium.

217 Longè periculosiùs procedet, qui ex destinato semper tunc damnabit suos inimicos, aut æmulos, quando reperiet Doctores classicos scribentes, posse eos damnari; siquidem clarum est, persæpe futurum, ut talis Judex illos sequatur studio vindictæ, odiique privati, gaudeátque suppetere sibi occasionem nocendi eis citra suam infamiam, aliúdque incommodum. Suppono autem in his omnibus responsa, esse ea ita intelligenda, ut nihil derogent universali doctrinæ, quam *n.* 4. tradidimus de libertate Judici permissa in omnibus casibus, in quibus secundùm omnia principia intrinseca, & extrinseca spectatis, est indubitanter probabile, esse ipsi fas hoc aut illo modo judicare.

Addo quoque non importunè censuram, quam Alexander VII. in Decreto I. *n.* 26. tulit in Judices his verbis: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda in favorem unius præ alio.* Decreta illius Pontificis damnantia plures ejusmodi opiniones, describo ad longum in Experientiis *Tract.* 3. *Cas. XVII. Sect. I.* Editionis Quintæ, seu Monacensis Secundæ.

Hæc visa sunt sufficere in declarationem, 218
probationémque illius Thesis, quam statuimus *sect.* 3. *n.* 58. & ex cujus defensione satis liquet, verum esse id, quod in Præfatione diximus, videlicet Societatem nostram non jure, sed injuriâ insimulari à Jansenistis, Sinnichio, Vincentio Barone, nimiæ laxitatis, nimii studii novandi opiniones de moribus tractantes. Nam revera superiores nostri, atque adeò ipsa Societas non approbant lenitatem, ac benignitatem, &, ut verbo, non sensu adversariorum utar, laxitatem, nisi eô modô, quem hactenus explicavimus, probavimus, defendimus, cúmque clausulis, & restrictionibus, toties in decursu, ac deditâ operâ insinuatis, indicatis, expressis; esto nonnulli è nostris errore humano decepti quædam docuerint, quæ moderatores vellent esse nunquam dicta, dictave.

TRACTA-

TRACTATUS SECUNDUS.

SEV

VINDICIÆ THEOLOGICÆ,

QVIBUS

ADVERSVS NONNVLLOS

IVRECONSVLTOS DEFENDUNTUR,

ET

In sua possessione conservantur

THEOLOGI

Scribentes de materiis alterutro Iure comprehensis.

PRÆFATIUNCULA.

DESCENDO IN ARENAM, nullius dum Theologi, quod sciam, pedibus tritam, vix unius, alteriúsve extremo articulo leviter notatam. Hujus mei facti causam intelliges, Lector, in prima Sectione harum Vindiciarum, quibus doceberis, quam procul à scopo veritatis aberrent, qui cum Michaële Manrique, atque aliis quibusdam I. C. opinantur, & scribunt, Theologos omnes, aut propè omnes, esse usque adeò rudes quà Civilium, quà etiam Canonicarum legum, regularum, axiomatum, ut occurrentibus dubiis, quorum resolutio petenda sit ex aliquo principio alterutrius Iuris, non cujusquam Theologi, sed unius, pluriúmve Iurisperitorum fores necessariò pulsandæ sint; quoties suboritur quæstio concernens Iustitiæ officia, quæ quidem sunt honestè vivere, alterum non ladere, suum cuique tribuere. ff. de justitia & jure, propemodum hecatombe (si Diis placet) Ulpiano litare oporteat. Ne quidem aspero farre, ne dum pingui hostia litâsse ei permultos Theologos, qui de ea materia secundissimo Numine scripserunt, credes Lector, ubi hoc opusculum evolveris.

Perspicies insuper, illos magnopere falli, & fallere, qui toti mundo persuadere niuntur, Theologos, qui nulli, ut cum Cassiodoro in præfat. libr. divin. lection. loquar, Professo Doctori Legum, aut Canonum operam navárunt, solere de Quæstionibus alterutro Iure comprehensis adeò imperitè loqui, & scribere, eorum ut auteritas minimo loco habenda sit; resolutiones non nisi cum justa formidine deceptionis admitti queant a foris interni, externique judicibus, & pœnitentibus ipsis. Ostendam quippe, atque demonstrabo fieri posse, & reipsa posterioribus hisce seculis creberrime factum esse, ut de illis ipsis argumentis aptissime, sapientissime, & quidem summò jure disserverint, atque scripserint Theologi, qui Lycea ICtorum nunquam frequentárunt, nulli Antecessori (ut Legum Professores vocat Iustinianus in procemio ff.) didactrum ullum, Minervæ ullum, aut pependerunt unquam, aut debuerunt. Ac proinde erunt hujus Opusculi duæ Cardinales quæstiones. Prima, an, & quo jure Theologi disserant, ac scribant de materiis Corpori alterutrius Juris inseris? Altera, an, & quam magnò faciendum sit eorum de his argumentis judicium? Reliqua ad has duas quæstiones referuntur.

VINDI-

VINDICIARVM THEOLOGICARUM

Adversus nonnullos.

JURECONSULTOS.

SECTIO I.

Occasio, status, partitio hujus dissertationis.

SUMMARIUM.

Michaël Ferro Manrique identidem carpit Theologos scribentes de materiis, quarum Tituli extant in alterutro Iure. num. 1.
Quos nominatim carpat? 2.
Testatur, plures IureConsultos esse ejusdem secum sententiæ. 4.
Vindiciarum nomine quid intelligatur. 6.
Distributio Tractatus. 7.

1 VEnit abhinc viginti annos in meas manus Pars utraque *Resolutarum Quæstionum Moralium & Vicarialium* Doctoris Michaëlis Ferro Manríque JureConsulti, Hispani, quas dum evolverem, præter alia doctè, sapientérque ab eo tradita, reperi frequentes sugillationes, atque reprehensiones illorum Theologorum, qui cùm scholas JureConsultorum nunquam frequentârint, audeant tamen scribere de materiis illis moralibus; & practicis, quarum tituli extent in alterutro Jure.

2 Et quidem hoc nomine sigillatim carpit Dominicum Sotum, Petrum de Ledesma, Joannem Malderum, Ludovicum Molinam, Thomam Sanchez, Joannem de Salas, Leonardum Lessium, Ferdinandum Rebellium, Valerium Reginaldum, Ferdinandum de Castro Palao; præcipuè verò, & acriter Antoninum Dianam, per ipsius latera petens omnes Theologos Morales.

3 Præter hasce sugillationes deprehendi hunc Doctorem esse hujus omnino opinionis, quòd Theologi, qui *Lapides discipulatûs in scholis Jurisperitorum neglexerunt*, ut ipse loquitur *part. 2. q. 93. n. 7.* non possint prædictas materias intelligere, nec de iis cum fundamento loqui, aut scribere. Verba ejus aperta hanc in rem proferam suo loco.

4 Et poterant quidem hæ reprehensiones, judiciáque silentio præteriri, si essent unius duntaxat Doctoris Manrique, utpote qui nec possit solus, nec etiam velit multùm Theologis nocere. Verùm, quia testatur hic Doctor, tum alios plures sui ordinis (motos fortasse auctoritate Alvari Pelagii I. C. *de planct. Eccles. l. 2. c. 20. vers. Tricesimum, &c.* pronuntiantis: *recurrat quilibet pro casibus ad Iurisperitos, non ad Theologos, quia tractant fabrilia fabri,*) tum nominatim Nicolaum Garciam eadem secum sentire; & fortè vivunt, ut vixerunt, ICti. eadem opinione imbuti, ac præterea nonnulli existimant, aut certè dictitant, Theologiam vel nihil, vel omnino parùm conducere ad resolvendas Quæstiones Canonicas, & legales in foro contentioso agitari solitas; ac deniq; quia video, quàm hæc aliena sint à vero, quámque detrimentosa bono publico, sicuti deducam paulò pòst, existimavi, operæ pretium me facturum, si ejusmodi judicia confutarem hoc Opusculo, quod anno 1654. primam lucem vidit Friburgi Nuithonum. Erit autem illius hic ordo. Sectione II. Ostendam tum quàm 5
periculosa sint horum ICtorum asserta, tum quo jure fuscepcrim hanc scribendi provinciam. III. & IV. Enumerabo varia puncta, quæ illi ICti de Theologis asserunt, ab his requirunt, in his carpunt. V. Ex illis assertis, requisitis, & reprehensionibus deducam complura Corollaria à communi, veráque persuasione prudentium, atque à bono publico abhorrentia. VI. Theologiæ Moralis à Jurisprudentia differentiam, adeóque objecta & definitiones proponam. VII. & VIII. Quæram, utrùm Theologi falcem in alienam messem mittant, quando vel regulas, pronuntiatáque Juris usurpant, vel voce, aut scripto pertractant materias alterutro Jure comprehensas? IX. De Theologiæ antiquitate disseram, atque ostendam, quàm veteri jure de iis materiis tractent Theologi. X. Quomodo iis patrocinetur jus præscriptionis. XI. & XII. Quæ causa eos adegerit, ut in scholis suis dictent, explicent libris quoque scriptis, tam multa, quæ videantur esse propria ICtis. XIII. Quæram, utrùm ad id, ut Theologi aptè, solidéque de prædictis materiis differant voce, vel scripto, necesse sit frequentâsse auditoria ICtorum. XIV. Proponam, atque dissolvam rationes, quæ ICtis, Theologorum institutum impugnantibus patrocinari posse videntur. XV. Declarabo, quanti faciendum sit judicium Theologorum circa quæstiones Juridicas. XVI. Consequenter inquiram, utrùm in Episcopos, eorúmque Vicarios Generales eligendi sint Theologi præ Canonistis. XVII. Quid censendum de cæteris, quæ ex ICtis contra Theologos referam Sect. III. & IV? Postremò demonstrabo, ab ipsismet ICtis non rarò manum mitti in messem Theologicam.

Porro Vindicias inscripsi præsentem disputationem, partim eo sensu, quo hoc vocabulum, teste Cœlio Rhodigino *l. 17. c. 29. lection. antiq.* significat assertionem; assero enim Theologos in possessionem, seu defendo in possessione vel quasi possessione juris, differendi, scribendique de materiis plurimis utroque 6
Jure

Jure comprehensis, dandíque responsa, quibus meritò stetur in foro utroque; Partim alio sensu, quo multi arbitrantur, sicuti Vindex generatim Defensorem, non duntaxat Ultorem significat persæpe Tullio, ita etiam nomine Vindiciarum defensionem generatim indicari.

SECTIO II.

Quàm noxias de Theologis opiniones habeant Adversarii; & quo jure suscepta hæc scribendi provincia?

SUMMARIUM.

Manriqueana opinio summè minuit æstimationem Theologorum. 8.
Quodnam dicatur malum publicum? 10.
Necessariò defenduntur Theologi. 11.
Defuncti vocantur inter miserabiles personas miserabiliores. 11.
Cur singulariter, & nominatim refutetur Manrique? 12.

8 SI omnium animis forent insita ea, quæ I. C. à nobis impugnandi sentiunt, dicunt, scribunt de Theologis, pertractantibus materias utriusque fori, tum revera id consequeretur, ut nullo loco apud Judices fori Ecclesiastici, aut Civilis, nullo apud Theologos præsentis ætatis, nullo apud Jurisprudentiæ Professores, nullo apud Advocatos, nullo apud ipsos Confessarios, nullo apud quemquam Privatum forent ea, quæ de Legibus, Jure, & Justitia, Beneficiis Ecclesiasticis, Horis Canonicis, Votis, Indulgentiis, ac Jubilæo, Censuris, septem Ecclesiæ Sacramentis, atque aliis ferè omnibus materiis Jure Pontificio, vel Cæsareo, ipsóque Concilio Tridentino comprehensis in lucem cum summa sapientissimorum, doctissimorúmque virorum approbatione ediderunt Doctor ipse Angelicus, Sotus uterque, Ledesma, Molina, Diana, & alia magna nomina, quæ 9
superiùs expressi, longéque plures alii. Arbitrantur quippe I. C. illi, neminem (excepto S. Thoma, quem excipiunt ob causam non causam, ut videbimus *n. 214.*) de iis materiis rectè judicare, pronuntiaréque posse, qui materias legales, & Canonicas non didicerit in Scholis ICtorum; qui non habeat praxin, & experientiam fori externi, qui non consuluerit practicos, & prudentes ICtos, sicuti patebit ex eo- 10
rum verbis in decursu recitandis.

In quantam verò perniciem publicam cederet, si tantorum virorum monumenta, judiciáque suspecta haberentur, ac vili penderentur, nemo est qui non videat; siquidem id dicimus malum publicum, quod omnibus, vel plerisque nocet. argum. *l. De pupillo §. nuntiationem ff. de operis novi nuntiat.* Noceret autem omnibus, vel plerisque, si ab omnibus, aut plerisque nullo loco haberentur, quæ tanti viri, de Quæstionibus indicatis conscripserunt.

Ne igitur in plurium animis cum præsenti 11
periculo, ac discrimine boni communis insideant ea, quæ prædicti I. C. omnibus persuasa esse cupiunt, necessum omnino videtur esse, eorum persuasionem, atque judicium publico scripto refellere, tueríque autoritatem plurimorum Doctorum, de re communi, atque literaria tam præclarè meritorum, qui seipsos defendere vel non possunt, quia mortui, & idcirco inter miserabiles personas miserabiliores. *cap. Super quibusdam de verb. signific.* tuendique, ne opprimantur. Bertachinus in *verb. miserabiles personæ*; vel se defendere nolunt, quòd fortè putent, ut de non nemine scio, tam improbabiles opinationes satis, supérque refutari silentio, & contemptu.

Cæterùm quia ad manum non habeo quem- 12
quam, præter Manrique, qui ICtorum causam adversus Theologos quasi conductus agat, & ipse pro se nullum nominatim præter Nicolaum Garciam laudat, testans interim, plures alios eadem secum sentire, quorum etiam animi sensum valde enucleatè exprimit, eam ob rem illius solius verba veluti interpretis, testis, atque approbatoris admetiar haud absque causa attributurus pluribus, pleraque ex iis, quæ in eo solo legi, & quidem ferè in sola secunda Parte *resolutarum Quæstionum Moralium, & Vicarialium*, quam proinde volo intelligi esse allegatam, quoties sine expressione Partis citabo Quæstionem.

Quamvis autem sæpe dicturus sim, hoc aut 13
illud à I. C. contra Theologos asseri, nolo tamen ullo modo id intelligi de omnibus, cùm absque temeritate non possim id velle, sed tantùm de quibusdam, quorum scilicet ex sensu scripsit D. Manrique.

SECTIO III.

Quid de Theologis asserant, quid in iis requirant, & desiderent Iure Consulti?

SUMMARIUM.

Adversarii Theologorum asserunt, abhis temere, ac præcipitanter probabilitatem tribui sententiis repugnantibus rectæ rationi. 14. & seqq.
Item, eos sine fundamento loqui solere in materia Juris. 18.
Nec esse mirum, quòd labantur toties in materia Juris. 19.

Et

Et quidquid de materiis Juris Canonici ſcribunt, delibari à Juris regulis. 20.
Nec etiam doctiſſimos è Theologis eſſe præferendos Jure Conſultis in materia juſtitiæ exequenda. 21.
Et quæ ſcribunt de immunitate Eccleſiaſtica, omnia petere ex Jure Canonico, & Civil. 22.
Imò eoſdem corrigi à Juriſperitis in ipſiſmet materiis Theologicis. 23.
Atque conari ſuffocare Juriſprudentiam. 24.
Docereque, & introducere fraudes. 25.
Nec ferè ullum eorum eſſe in Iure verſatum. 26.
Requirunt autem Iure Conſulti à Theologis, ut vel hi ſupereſedeant tractatione materiarum Iuridicarum, vel adeant priùs publicas ſcholas Iuriſtarum. 29. & ſeqq.
Item, ut conſulti privatim de hiſce materiis, antequam reſpondeant, conſulant Juriſperitum practicum. 35.
Et generatim in quibuſcunque materiis moralibus pulſent fores Iure Conſultorum. 40.

14 Aſſerunt de Theologis, I. eos temere, ac præcipitanter pronuntiare, aliquas ſententias eſſe probabiles, quæ tamen ſint rectæ rationi, & publico bono contrariæ.
15 Nam poſtquam Manrique argumento non pluſquam probabili refutavit *q.* 41. opinionem Dianæ *part.* 1. *Tr.* 2. *miſcell. reſol.* 30 (poſt Sanchez, Suarez, Zerolam, Mirandam, Barboſam & alios plures, etiam Juriſperitiores) rati, bullâ Gregorii XIII. excommunicante illos, qui prætextu licentiæ ingrediuntur monaſteria Monialium, non comprehendi eos, qui illa ingrediuntur, non prætexendo talem licentiam, eſto ingrediantur ſine licentia, & ob malum finem, infert *n.* 9. hæc verba [Ex hac oſtenſa veritate poſſumus increpare Dianam, & alios, quòd ſtatim opinionem componunt, qua lex, præceptum & obligatio juſtitiæ. ſeu conſcientiæ relaxatur, ut nihil ſit certum, nihil ſecurum] Et paucis interjectis ſubdit: [Expertus egò ſum, quanta mala invexerint in republica Chriſtiana, & obſtacula Prælatorum tot opiniones, quibus ferè nulla Lex poterit in conſcientia obligare.]
18 Aſſerunt de Theologis II. eos in materia Juris ſolere ſine fundamento loqui. Nam *q.* 91. *n.* 7. ſic loquitur idem Doctor: [Rectè Nicolaus Garcia de Beneficiis *p.* 4. *c.* 2. *n.* 35. ſcripſit, quòd Theologi in materia Juris loquantur, ut ſolent, *ſine fundamento.*] quæ verba repetit *q.* 98. *q.* 103. & *q.* 121. *n.* 9.] Vide quæ referam *n.* 45.
19 Aſſerunt de Theologis III. non eſſe mirum, quòd in materiis Juris labantur. Hoc autem toties nominatim *q.* 81. *n.* 8. *q.* 83. *n.* 4. *q.* 84. *n.* 6. *q.* 85. *n.* 9. & alibi repetit, & ingerit Manrique, ut facilè appareat, eum ejuſque Aſſeclas judicare, quòd Theologi parùm, aut nihil ſolidè intelligant in Jure, ſeu Civili, ſeu etiam Canonico, ſed ad utrumque adferant veſpertilionum oculos.
Aſſerunt de Theologis IV. quidquid Theo- 20
logus de materiis Canonicis ſcribit, à Juris regulis, & DD. delibare. Ita Manrique *q.* 102. *n.* 5. *q.* 121. *n.* 7. *Quidquid ii,* (doctiſſimi Theologi) *ſciunt de Jure & Juſtitia, à qua conſcientiæ delicta inducantur, hoc omne à Juris* (Canonici aut Civilis) *& juſtitiæ regulis delibant, & ita ſuos libros ſub illo titulo de juſtitia & jure componunt.*
Aſſerunt Garcia, aliique plures de Theolo- 21
gis V. illos quantumvis doctiſſimos, non eſſe in rebus moralibus utriuſque fori, in quibus de juſtitia, & jure agitur, præferendos I. C. *cit. n.* 7.
Aſſerit de Theologis Manrique VI. illos 22
nihil poſſe de immunitate Eccleſiaſtica, & Eccleſiarum in medium proferre, niſi deſumant ex Jure Canonico, vel Civili, ſic enim ait *q.* 121. *n.* 7. [Materia de immunitate Eccleſiaſtica, & Eccleſiarum eſt purè Canonica, & Legalis, & in illâ ſine Canone, & ſine Lege unum pedem non poteſt ambulare Theologus; & ſi ambulat, in terra aliena ambulat, & procedit.]
Aſſerit Manrique de Theologis VII. illos 23
in ipſis materiis Theologicis à ſe Juriſperito convinci de falſitate, & argumentandi inſcitiâ. Verba ejus Lege *q.* 46. 75. 81. 82. 85. 109. 113. 114.
Aſſerit de Theologis VIII. & typis edit *q.* 24
121. *n.* 8. hæc verba: [Summiſtæ, & Theologi hujus temporis Juriſprudentiam ſuffocare conantur, dum in illa, & materiis ejus, ſe tanquam Patres, & Magiſtri interponunt, librorum ſummas, & multitudinem imprimendo.]
Aſſerit de Theologis IX. quòd introducant, imò probent & ſuadeant fraudes in foro 25
conſcientiæ. Ita pronuntiat *q.* 107. de Leſſio, Diana, & aliis Theologis dicentibus, illum haud delinquere adverſus juſtitiam, qui pretioſiſſimas gemmas perquam vili, currente tamen pretio loci, emit ab ejuſdem loci gemmariis, ignorantibus illarum gemmarum valorem, atque æſtimationem majorem, alibi communem.
Aſſerit de Theologis X. & ſcribit *q.* 109. *n.* 8. 26
[Hic eſt defectus Summarum aliquorum Modernorum, quòd ferè nullus eſt in jure verſatus, & in rebus moralibus, quæ ab illo jure dependent, minùs juridicè, & ſolidè pedes ponunt; & Summas tot, & tantas componunt, ut ſummam, ac numerum quaſi non habeant.]
Aſſerit de Theologis XI. eos, qui aliquam 27
materiam fori externi pertractant, velle per ſaltum fieri Doctores Juris. Verba referam *n.* 30.
Aſſerit de Theologis XII. & nominatim de 28
Molina, Azorio, Leſsio, Reginaldo, Rebello, Diana, Beia, Salas, quòd non comprehenderint illas de juſtitia quæſtiones, de quibus ipſe diſſerit *q.* 87. 88. 89. & 90. quas tamen qui non comprehendit, è duro robore excisũ eſſe neceſſe eſt.

Alia,

Alia, quæ de Theologis non ſine ſugillatione aſſerit, referam, dum referam, quænam in iis requirat, & carpat ipſe cum ſuis.
29 Requirunt verò à Theologis I. ut vel omittant tractationem materiarum in Corpore Juris Canonici, Civiliſve contentarum, vel adeant publica Gymnaſia Juris Conſultorum. Hinc Doctoris Manrique lamentum *q.* 93. *n.* 7. Pœnitet, quòd Diana *Part.* 1. *Tr* 8. *reſ* 52. (ſecutus Molinam & Reginaldum, quos nominat ipſe Manrique, & quos ſequuntur alii plures cum Trullenck in Decalog. *Tom.* 2. *l.* 7. *c.* 20. *dub.* 2 *n.* 10.) in praxi conſuluerit, mercem aliquam in bonitate notabiliter excellentem
30 poſſe ultra taxam vendi. [Tractant fabrilia fabri; non enim rationabile eſt, quòd non expertus, nec in Juriſprudentia educatus, nec in ipſius Gymnaſiis diſcipulus factus, & lapides diſcipulatûs neglexit, velit per ſeipſum Magiſterii culmen per ſaltum attingere, ſine Theorica, & ſine practica. Igitur per oſtium (Scholæ Juridicæ) intrare oportet in ovile
31 ovium.] Similiter *q.* 121. *n.* 8. in Dianam, & per Dianam in alios Theol. invehitur his verbis: [Undè acriter de illo opprobrio (quòd ſcilicet Diana *Part.* 1. *Tr.* 1. *reſ.* 3. miretur, in illa quæſtione: An delinquens prope Eccleſiam ſub ſpe confugiendi ad eam, gaudeat ejus immunitate? Gambacurtam relinquere Theol. doctiſſimos, & ſequi veſtigia I. C.) Dianam reprehendo, eò maximè, quòd ante Religionis ingreſſum Juriſperitus non fuerit.] Eſt quidem in
32 exemplari: *Juriſperitus fuerit*, ſed eſſe errorem typi, patet ex ſententia de neglectis lapidibus diſcipulatûs Juridici, deſcriptâ paulò antè.
33 Eodem ſenſu de Theol. materias Canonicas, aut Civiles explicantibus profert hoc ſuum, aliorúmque plurium I. C. judicium: *Quos dum I. C. videmus, intra nos dicimus: unde ergo iſti literas Canonicas, & Legales ſciunt, cùm in ſcholis non didicerint? Quid ergo mirum, quòd loquantur, ut ſolent, ſine fundamento? cit. q.* 121. *n.* 9
34 Requirunt à Theol. II. ut quando ipſis intra vel extra Confeſſionem proponitur caſus ad materiam reſtitutionis, cenſurarum, vel mutui pertinens, priuſquam eum reſolvant, conſulant aliquem Juriſperitum, & quidem practi-
35 cum. Hinc quia Diana *Part.* 1. *Tr.* 3. *miſc. reſ.* 2. poſt Leſſium, Filliucium, Cenedum, docet eſſe probabile, pœnitentem, qui dedit Confeſſario, ut reſtitueret vero Domino, ſatisfeciſſe integrè ſuæ obligationi reſtituendi, eſto Confeſſarius illi Domino non tradiderit id, quod à prædicto pœnitente acceperat, idcirco eundem Dianam decorat hoc elogio *q.* 73. *n.* 10. *Diana non bene ſtuduit ſuam ſententiam; ſtuduiſſet autem ſi illam cum Juriſperitis practicis, & Sa-*
36 *pientibus communem effeciſſet.* Et *q.* 86. poſtquam contra Dianam, Rebellum, & Bonacinam ipſum, qui fuit Juris utriuſque Doctor eruditiſſimus, docuit: ſi quis ſciat valorem monetæ brevi diminuendum, non poſſe illam alicui mutuare cum pacto, ut eam ſibi reſtituat juxta valorem, quem dicta pecunia habebit tempore, quo reſtituendum erit mutuum, concludit *n.* 13. [Reſtat itaque ex hac quæſtione, 37
quomodo Juriſperitus practicus, & expertus ad illam ſit conſulendus.] Et *q* 84. tradit, il- 38
lam quæſtionem: An ſcilicet excommunicatio ferenda obliget ad mortale? eſſe purè Canonicam, & ad ipſius intelligentiam requiri praxin, & experientiam fori externi; eò quòd ex illa judicium conſcientiæ deſumendum ſit. *Vnde non mirum, quòd non expertus, nec Juriſperitus fallatur.*
Inſuper *q.* 111. pronuntiat, Dianam debuiſ- 39
ſe cum Juriſperitis practicis, & doctis conferre, priuſquam poſt Pitignianum reſolveret, & doceret, ad nullam reſtitutionem teneri illum teſtem, qui falſum teſtimonium dixit, poſtquam reus innocens jam erat ſatis, ſupérque convictus aliis falſis teſtimoniis.
Requirit à Theol. III. generatim, ut in qui- 40
buſcumque occurentibus dubiis rerum moralium pulſent fores Juris Conſultorum. Hinc *q.* 91. *num.* 7. hoc generale Judicium depromit: [Theologi debent ſe conformare Juris Regulis in caſibus conſcientiæ rerum moralium, quarum Juriſprudentia & mater & parens eſt; ideo ad eos juridicè (etiam in foro interno) reſpondendos, Juriſperitus aptior conſulendus eſt.] Puto autem eum non loqui 41
de omnibus omnino dubiis moralibus; quis enim hoc cogitet de ejuſmodi Doctore? ſed de omnibus & ſolis, quæ ratione objecti poſſent in forum contentioſum deduci.

SECTIO IV.

Quid in Theologis carpant Juris Conſulti?

SUMMARIUM.

Carpit Manrique, in Theologis, quòd diſputent de caſibus ſpectantibus ad Simoniam. 43.
Et de Clerico negotiante per ſe. 45.
Et de dante mutuum ad biennium cum pacto, ut pro obligatione non repetendi priùs detur aliquid. 46.
Et de alio quodam caſu uſuræ. 48.
Et de Clerico conſtituto in ſacris negotiante per alium. 50.
Et de ſubditis ſuſpendentibus obſervationem novæ Legis, donec Legislator informetur. 53.
Et de Religioſo diſſipante pecunias, quas habuit cum permiſſu ſuperioris. 55.
Cenſet Manrique, Theologos ignorare illud juris principium: A diverſis non valet illatio. 57.
Et reprehendit Theologos diſputantes de culpa, qua tenetur Depoſitarius in foro conſcientiæ. 60.
Atque definientes, an excommunicatio ferenda obligeat ad mortale? 64.

42 CArpunt in Theologis I. omnia illa, quæ seu verè, seu falsò asserit Manrique ab iis factitari; sicuti retuli sect. præced. *n.* 14. & seqq.

Carpunt in Theologis II. quòd non faciant, quæ ipsi ab iis requirunt locis sect. præced. *n.* 29. & seq. relatis.

43 Carpit in Theologis III. Manrique, quòd disputent de casibus ad Simoniam spectantibus. Unde *q.* 74. de Diana *Part.* 1. *Tr.* 2. *miscell. res.* 27. post Gabriel. Cajet. Sotum, Valentiam, Tannerum docentes, esse probabile, quòd quo casu licet temporale pro spirituali sine simonia accipere, liceat quoque de eo pacisci, pronun-

44 tiat. *n.* 6. [Quia hæc quæstio mihi parùm digesta visa fuit, ideo indigestum ejus his lineis coctum reddere proposui. Justum ergo esset, quòd Theologi has materias Jurisperitis relinquerent, *ne ab ipsis, ut nunc, justè carperentur.*]

Carpit idem Manrique in Theologis IV.

45 quòd ii ferant sententiam de illa Quæstione: An, qui habet beneficium Ecclesiasticum, sed non est ordinatus in sacris, possit per se negotiari? Quare de Molina, & aliis Theologis ad ipsius gustum non respondentibus fert suam solennem, probrosámq; censuram [Constat in his Quæstionibus verum esse dictum Nicolai Garciæ, quòd Theologi in materia Juris loquuntur, ut solent, *sine fundamento.*]

46 Carpit in Theologis V. quòd resolvant illud dubium: An qui mutuas pecunias dat ad biennium, possit aliquid petere pro obligatione non repetendi priùs eas pecunias? De quo dubio cum Molina, Lessio, Laymanno, Salas, Turriano, P. Ledesma & aliis Theologis agit Diana *Part.* . *Tr.* 8. *seu de contr. res.* 48. & occasione hujus ait *q.* 91. *n.* 7. ipse Manrique [video

47 namque Theologos materias canonicas, & legales disputare, & libris amplis imprimere, quasi Jurisperiti; ideo quia manum in messem alienam mittunt, multa docent emendanda. Sed non video Jurisperitos materias Theologicas disputare, ideo ab illo defectu (docendi emendanda) liberantur; fabri igitur fabrilia tractent. *Unde Nicolaus Garcia rectè scripsit, quòd Theologi in materia Juris loquuntur, ut solent, sine fundamento.*]

Carpit Theologos VI. quòd illam controversiam dirimant, de qua Diana *cit. Tr.* 8. *res.* 63.

48 P. Navarro, Bonacina, Lessius, Salas, Malderus, Aragonius, & alii Theologi: An videlicet, si debeam tibi 100. aureos solvendos intra annum, committam usuram dando jam statim dimidium, cum pacto, ut per biennium exspectes

49 alterum dimidium. Ideóque occasione hujus controversiæ ita scribit *q.* 98. *n.* 10. *Theologos intra suos limites sacra & sublimis Theologiæ toto pectore veneramur, illis in dictis limitibus primos accubitus deferendo, sicut extra illos limites in materia Juris, & rebus moralibus utriusque fori eosdem primos accubitus Jurisperitis offerimus, & præstamus;* Et paulò pòst docet; quòd si Theologi aliquam Quæstionem Juris discutiant, alienum lumen usurpent.

Carpit Molinam, Malderum, Lessium, Medinam, Rebellum, Dianam *P.* 1. *Tr.* 8 *res.* 72. & alios Theol. VII. quòd typis mandent suum judicium de illa lite: *An clericus in sacris constitutus possit negotiari per alium?* Quare *q.* 102. *n.* 5. non potest facere, quin Theologis dicam hisce verbis dicat: [Cùm hæc quæstio purè Canonica, & ex regulis Canonicis inferenda sit obligatio, quoad peccatum in foro conscientiæ, cur Theologus in illam manum mittit? Si Jurisperitus aliquam Quæstionem de Trinitate seu Incarnatione, &c. disputaret, nónne repulsam mereretur accipere? Ergo etiam ipsam Theologum mereri dicendum est, nam ipse quidquid de istis materiis scribit, à nostris regulis & DD. delibat. Idem ergo delibare poterat de regulis, & DD. Theologicis, cùm ergo hoc non agat, sed suis Magistris relinquat, hoc ipsum agere, & relinquere debuerunt Theologi DD. cùm scriptum sit: *Tractent fabrilia fabri.*] Applicat autem hoc suum solenne epiphonema singulariter Tabienæ, Molinæ, Lessio, aliísque eruditissimis Theologis.

Carpit in Theol. VIII. quòd ventilent illam Quæstionem, de qua pòst Vasq. Suarez, Salas, Malderum, Lorcam, Crucium, & alios Diana *P.* 1. *Tr.* 10. *res.* 6. An nimirum liceat *super aliqua Lege recèns promulgata supplicationem porrigere, & interea suspendere observationem illius Legis;* & cùm sententiam Dianæ refutâsset *q.* 122. sic concludit *n.* 12. [Manet igitur hæc quæstio salubriter explicata ab uno Jurisperitorũ, quorum propria hæc est materia, non autem Theol. qui mutuatas Juris regulas assumunt. Quis ergo mutuatarius in re mutuata mutuanti potior erit? nam hic dat, ille accipit, *hic gratificat,* & actionem habet, ille gratificatur, & possessionem restitutionis, & Solutionis invitus suffert.]

Carpit Theol. IX. indirectè, quòd expediant illum casum: *An Religiosus, qui ex licentia Superioris potest liberè de aliquibus pecuniis disponere, peccet contra votum paupertatis, eas insumendo in ludos illicitos, aut turpes actiones, & an qui eas accipiunt ab illo, teneantur restituere?* quo de casu præter Molinam, Lessium, Sanchez & alios apud P. Dicastillo *de justit. & jur. lib.* 2. *Tr.* 18. *dub.* 6. tractat ipse Dicastillo, & Diana *P.* 3. *Tr.* 2. *res.* 98. Hinc occasione illius dubii, à Villalobos ad genium Manriquean um non resoluti, prorumpit in acrem ædepol censuram illam: *Hic est defectus Summarum aliquorum modernorũ, quòd ferè nullus est in jure versatus.* Et præmiserat immediatè antè; *Villalobos si Jurisperitus fuisset, magis juridicè locutus fuisset.* Causa verò, cur de Villalobos ferat hanc sententiam, est, quia putat fuisse à Villalobos ignoratum illud Juris pronuntiatum: *A diversis non fit illatio,* cùm tamen illud principium in re ipsa

nôrint

nôrint Philosophiæ, nedum Theologiæ Tirones, & fuerit lippis ipsis, tonsoribúsque notum ante Justiniani, Ulpiani, adde Platonis, adde Draconis ortum, cùm sit principium lumine

58 naturæ notum. Omnes enim sciunt, absurdam esse hanc consequentiam: Quidam Juris Consulti existimant, Theologos esse ita hebetes, ut juris principia ipso lumine naturæ nota non intelligant, nisi lapides disciplinatûs ponant in scholis Juris Consultorum; ergo etiam Theologi id ipsum existimant. Vel: ergo Theologi opinantur, Juris Consultos esse ita rudes, ut nisi in scholis Theologicis scamna triverint, nequeant intelligere illud Theologiæ principium. *Deus est super omnia diligendus: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

59 Carpit Theologos X. quòd non erubescant sine lege loqui *q.* 109. *num.* 8. & *q.* 104. *num.* 2. *q.* 80. Item, quòd non erubescant in materiis alterutrius Juris loqui, non citando ullum Juris Consultum, sed citando solummodo modernos Theologos *cit. n.* 8. & *cit. n.* 2.

60 Carpit Theologos XI. quòd disputent de qua culpa, in foro conscientiæ teneatur Depositarius. *Adverto,* inquit ipse, *q.* 194. *n.* 2. *quòd Diana nullum textum, nec Doctorem ex nostris* (I. C.) *recitaverit, cùm ipsi sint Magistri, &*

61 *videndi in hac materia, non verò Theologi.* Et tamen Diana eam quæstionem tractans. *P.* 1. *Tract.* 8. *res.* 74. nominat Sotum, Molinam, Lessium, Rebellum, Azorium, aliósque Theologos Juris scientissimos. Atque insuper resolutio, quam dat Diana, & Theologi ab eo laudati, pendet à lumine naturæ, ita ut antequam vel Codex, vel Digestum vetus, aut novum, vel leges XII. Tabularum, vel longè magis Decretalis *Cap. Bona fides, de deposito* conderentur, omnes Sapientes sciverint, quando Depositarius accipit mercedem pro conservatione depositi, teneri in utroque foro majorem diligentiam illi conservando impendere, quàm si gratis custodiret, seu asservaret illud depositum.

62 Similiter ut jam monui suprà *n.* 53. ægre fert à Molinâ, Lessio, atque aliis disputari: *An in sacris constitutus possit negotiari per alium?* & non posse negotiari probat ipse contra hos DD. hoc solo argumento, quòd ubi est eadem

63 ratio, legis extendatur dispositio. Quasi verò hoc non tam Juris, quàm Juristarum effatum ignoret quisquam, etiam infimi subsellii Theologus? Et non æquè bene, aut fortè meliùs, ac ullus Juris Consultus illud explicârit Theologorum unus, scilicet Suarez *l.* 6. *de leg. c.* 3. *per totum.*

64 Carpit Theologos XII. quòd differant de illa quæstione: *An excommunicatio ferenda obliget ad mortale?* Verba retuli suprà *n.* 38. Et generatim eosdem carpit, quòd nimis multos libros de rebus moralibus componant. Reprehensionem vide suprà *n.* 26.

SECTIO V.

Colliguntur ex assertis adversariorum Corollaria aliena à vero.

SUMMARIUM.

Sequitur ex dictis Manriquæanis, Theologos mittere illicitè falcem in messem Iuridicam, quando explicant more ubique probato plurimas materias indicatas. n. 65. & seqq. *ad* 72.

Enumerantur materiæ, ex quæ paucissimæ, quas secundùm adversarios solas licitè explicant Theologi. 73.

Ex eorundem opinione inferitur, nullo loco habenda Theologorum responsa super plurimis quæstionibus quotidianis. 75.

Et Canonistas necessariò præferendos Theologis in promotione ad Episcopatum. 77.

Et Theologos semper periculosè uti Regulis Juris. 78.

Confessarios quoque debere in plerisque dubiis recurrere ad unicos Iureconsultos. 79.

Ac Regulas, quas Societas Iesu præscribit Professoribus Theologiæ moralis, esse mutandas. 81.

EX iis, quæ Garciam, Manrique, & eorum asseclas sentire perspeximus, deduco nonnulla Theologis probrosa, bono communi adversantia, judicio sapientissimorum quorumque repugnantia corollaria.

Sequitur enim ex dictis illorum Doctorum 65
I. Theologos in messem alienam involare, si resolvant aliquam quæstionem vel de usura. Suprà *n.* 46. vel de simonia. Suprà *n.* 43. vel de negotiatione Clericis interdicta. Suprà *n.* 50. vel de censuris. Suprà *n.* 38. vel de legibus. Suprà *n.* 53. vel de immunitate Ecclesiastica. Suprà *n.* 22.

Sequitur itidem ex dictis eorundem II. 66
Theologos extra rhombum saltare, si quamcunque quæstionem, ad materiam Justitiæ spectantem expediant. Patet ex apertis verbis *n.* 40. descriptis.

Sequitur præterea ex iisdem dictis Juris- 67
Consultorum III. Theologos illos esse peculatûs reos, qui quamcunque materiam in Corpore Juris Civilis, vel Canonici contentam, si quidem ea respiciat objectum fori externi, explicant ex instituto. Patet ex verbis illis, quibus dicunt Tum 1. eos, qui aliquam materiam fori externi pertractant, velle per saltum fieri Doctores Juris. Suprà *num.* 30. Tum 2. non posse Theologos scire literas Canonicas, & Civiles, cùm eas non didicerint in Juristarum scholis. Suprà *num.* 33. Tum 3. Theologos debere se in casibus conscientiæ rerum moralium conformare Juris regulis, quarum Jurisprudentia parens, & mater sit. Suprà *num.* 40. Tum 4. videre se, quòd Theologi materias legales, & canonicas disputent, & libris

bris amplis imprimant, & quia (hoc faciendo) manum in alienam messem mittunt, multa doceant emendanda. Suprà *n.* 47. Tum 5. in omni materia Juris, & morali utriusque fori primos accubitus deberi Juris Consultis, essèque merè usurpatum officium, si Theologi dubia aliqua alterutrius Juris resolvant. Suprà *n.* 49. Tum 6. non esse mirum, quòd Theologi in materiis Juris (utpote alienis ab ipsorum foro) errent. Suprà *n.* 18. Tum 7. eos in materia Juris solere
68 loqui sine fundamento. Suprà *n.* 18. Intelligit autem Manrique in omnibus locis allegatis, designátque omnes omnino Theologos (excepto S. Thoma, quem excepit ob rationem non veram, ut videbimus *n.* 214.) qui non frequentaverunt scholas publicas I. C. ut patet vel ex verbis relatis. *n.* 29. aut qui saltem non consuluerunt vivos Jurisperitos. Suprà *n.* 34.

69 Sequitur hinc ulterius ex dictis adversariorum IV. à Theologis iniquè occupari officium Juris Consultorum, si vel in scholis suis dictent, vel libris impressis excudant dubia de Legibus, privilegiis, dispensatione, hæresi, possessione, præscriptione, dominio, furto, homicidio, adulterio, detractione, contractibus, testamentis, judiciis, bello, rixa, duello, Horis Canonicis, beneficiis Ecclesiasticis, Decimis, juramento, perjurio, voto, statu religioso, observatione festorum, & jejuniorum, blasphemiâ, hæresi, sacrilegiis, veneficiis, idololatriâ, simoniâ, libertate, & immunitate personarum, aut rerum Ecclesiasticarum, atque adeo de præceptis Decalogi, præceptis Ecclesiæ, peccatis capitalibus, luxuriæ, iræ, & ferè gulæ. Item de Sacramentorum forma, materia, ministri, & suscipientis conditionibus, seu requisitis; de patrinis Baptismi, & Confirmationis; de Confessione annua, Communione Paschali, casuum reservatione, Confessarii approbatione, & jurisdictione; sigillo Confessionis; pœnitentia, Sacrificii loco, tempore, cæremoniis, paramentis; jejunio Communioni præmittendo; Rubricis Missalis, ac Breviarii; Ordinandorum, Ordinantium, Ordinationúmque qualitatibus, ac horum circumstantiis; sponsalibus, & horum circumstantiis, ac conditionibus; Matrimonii impedimentis dirimentibus, vel impedientibus, effectu, indissolubilitate, divortio; Censuris, irregularitate, Indulgentiis, Jubilæo, & sexcentis aliis particularibus.
70 Ratio hujus Corollarii est, quia Theologi, Judicibus adversariis, tunc occupant officium Juris Consultorum, atque in messem alienam immittunt falcem, quando pertractant dubia utriusq; fori, seu materiarum canonicarum, & legalium. Suprà *n.* 47. & 50. Atqui dubia dejam expressis materiis, sunt dubia utriusq; fori, scilicet conscientiæ, & externi; quia Judex Ecclesiasticus, aut sæcularis punire potest illos, qui circa hasce materias delinquunt, utpote qui delinquant contra Leges Canonicas, aut Civiles; Canonicas, inquam, sive quæ in Corpore Juris Canonici, sive quæ in sacris Conciliis, & bullis extravagantibus Pontificum, Cardinalíumque declarationibus continentur; hæc enim omnia Legum Canonicarum nomine veniunt, & intelligi vult Manrique.

Sequitur autem, & subinfertur ex hoc ipso 71
Corollario V. Theologos extra orbitam evagari, si vel suis auditoribus in scholis dictent, vel prælo committant quæstiones etiam de internis actibus, in objecta priore Corollario expressa tendentibus. Ratio est, quia actus interior specificatur ab exteriore. S. Th. 1. 2. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 3. Ergo cùm sit Lege Manliana vetitum Theologis, ne attingant actus exteriores, tendentes in prædicta objecta, similiter iis vetitum est, ne attingant actus interiores circa talia objecta occupatos; re enim vera non possunt actus interiores intelligi, aut explicari, nisi per exteriores: utpote à quibus, ut dixi, specificantur. Quare ex his duobus Corollariis.

Sequitur, & subinfertur VI. Theologos in 73
Juristarum officium involare, si in suis scholis, aut libris differant, ac disputent de aliis materiis practicis, quàm de conscientia, peccatis in genere, (non descendendo ad illa, quæ versantur circa materias enumeratas Corollario IV.) Spe & desperatione; charitate Dei, & proximi; scandalo, imprudentia, quibusdam actibus oppositis fortitudini, aut temperantiæ; superbiâ, invidiâ, acediâ; merè internâ, insensibilíque dispositione necessaria ad Sacramentorum susceptionem, administrationémque, conditionibus orationis arbitrariæ.

Sequitur quoque ex dictis, omnes omnium 74
ætatum Theologos (excepto solo S. Thoma) fuisse, esse, fore ingenio tam pingui, ut quamvis studiosissimè legant, expendántq; tum omnes Institutiones, ac Paratitla Juris utriusque, tum ipsum utrumq; Jus, tum clarissimos, & facillimos Juris Consultorum commentarios, haud tamen posse quidquam solidi in alterutro Jure proficere. Nam Manriq; requirit ab ingeniosissimo Diana, & consequenter ab omnibus, ut non negligant lapides discipulatûs in scholis Juridicis, & ut consulant vivos I. C.

Sequitur insuper ex dictis adversariorum VII. 75
autoritatem, & responsa Theologorum circa materias Corollario IV. enumeratas, parvi esse facienda, nec satis providè agere, qui iis acquiescunt. Ratio hujus pernicio sissimi corollarii est aperta; illorũ enim responsis improvidè, atq; inconsultò acquiescitur, circa eas materias qui & solent sine fundamẽto de iis materiis loqui, & eas tam malè comprehendũt, aut potiùs non comprehendunt, ut nemo mirari debeat, si circa eas errent. Sicuti enim semel mal⁹ semper præsumitur esse mal⁹ *c. Semper malus de reg. jur. in* 6. ita qui solet circa aliquam materiam errare; ideo quòd eam non comprehendat, semper præsumitur errare. Atqui Theologi omnes

solent sine fundamento loqui, de prædictis materiis, teste Garcia, & Manrique *n.* 17. easque non comprehendunt, teste eodem *n.* 28. imò nec comprehendere, aut intelligere possunt, teste eodem *n.* 39.

77 Sequitur proindè VIII. in Episcopos, & eorum Vicarios eligi debere necessariò Canonistas, eò quòd Episcopi, eorúmque Vicarii debeant finire tot lites de materiis Juri Pontificio insertis; quas materias nemo intelligere, adeóque nemo pro tribunali explicare queat, nisi scamna scholarum Canonicarum diu, multúmque presserit antè. Hoc autem Corollarium repugnat praxi totius Germaniæ, adeóque Europæ.

78 Sequitur iterum ex dictis adversariorum IX. quoties Theologi utuntur regulis Juris & Juristarum axiomatis, eos non modò uti armis alienis, sed iis ita imperitè, ac periculosè uti, meritò ut quisque prudens timeat, ne ab iis lædatur in sua conscientia. Sequela patet tum ex eo, quòd Manrique suprà *n.* 23. & 50. sine ulla distinctione regulas Juris, & Juristarum axiomata asserat solis Juristis; tum ex eo, quòd idem Manrique iisdem Theologis attribuat tam multos, magnos, consuetósque errores circa materiam juris. Suprà *n.* 18. & intelligentiam regularum iis deneget, hoc ipso quòd materias juridicas ab iis aut re ipsa intelligi, aut posse intelligi inficietur. Suprà *n.* 33. unde
79 Sequitur rursum ex hisce omnibus dictis, & corollariis adversæ partis, omnes quiritè fungi volunt officio Confessarii, aut debere operam dare Jurisprudentiæ, in aliquo Gymnasio publico, aut in dubiis circa materias suprà *n.* 69. indicatas, debere consilium petere non à Theologis etiam doctissimis, sed à ICtis, & quidem
80 à practicis. Sequela, etsi communi prudentium judicio, praxíque contraria, non indiget tamen operosa probatione; quisque enim tenetur ea scire, quæ sunt sui officii, hîc enim vel maximè obtinet illa regula Gaii: Imperitia culpæ annumeratur *l. Imperitia ff. de reg. jur.* Est autem officium Confessarii judicare prudenter de propè innumeris casibus, quotidie occurrentibus circa materias nominatas *n.* 69. De quibus casibus quia non potest prudenter judicare, nisi qui vel lapides discipulatûs in scholis Juris Consultorum non neglexit, vel practicos Juris Consultos consulit, ut ex dictis adversariorum vidimus toties superiùs, sequitur irrefragabiliter, verum esse nostrum hoc corollarium, si vera sunt, quæ ex D. Manrique retulimus 3. & 4. *sect.*

81 Sequitur penultimò, Regulas Theologiæ Professoribus in Societate Jesu præscriptas eliminari debere, cum omnibus scholis Theologiæ Moralis: Regulæ enim illæ mandant, à nostris Professoribus doceri illa ipsa, quæ non vult Manrique. Et reipsa doceri testis est orbis totus, cum aliis Professoribus, & Doctoribus factitantibus apud PP. Dominicanos, Carmelitas, Minoritas, Capucinos, &c. id ipsum, quod Societas.

Sequitur postremò ex universis assertis, re- 82
quisitis, & reprehensionibus superioribus discutienda esse ea, quæ indicavi *n.* 5.

SECTIO VI.

Theologiæ Moralis definitio, objectum, differentia à jure Canonico.

SUMMARIUM.

Theologiæ Moralis definitio prætermissa à Theologis. 83.
Quæ sit ejus definitio? 86.
Infert multa ex principiis non creditis. 88.
Objectum materiale Theologiæ moralis quid? 90.
Quod formale? ibid.
Quomodo humanos actus dirigat ad suum finem? 91.
Objectum Jurisprudentiæ Canonicæ. 93.
Ejus definitio. 94.
Definitio Jurisprudentiæ Civilis non est dogmatica. 95.
Objectum Theologiæ Moralis patet latiùs, quàm Jurisprudentiæ. 97.
Cujus quidem omnes actus spectant aliquo modo ad Theologiam. 99.
Eà præstantior est Theologia. 102.

RECtè quidem monet Tullius *l.* 1. *de Officiis*, 83
omnem, quæ de re aliqua suscipitur, institutionem, à definitione proficisci debere, nescio tamen, qui factum sit, ut nullus præter Basæum, eorum, quod sciam, qui Theologias Morales typis mandárunt, ipsius Theologiæ Moralis definitionem, aut descriptionem in actu signato attulerit; quam quidem præterire hîc non possum. Etenim præcipua lis, quæ inter Theologos, & Juris Consultos de invasione messis alienæ agitanda est, dirimi nequit, nisi sciatur, quod sit Theologiæ Moralis, quod Jurisprudentiæ objectum; sui quippe objecti terminis, ceu ager limitibus, continetur, & constringitur quælibet disciplina. Quia verò definitio naturam rei explicat. Aristoteles 2. *po-* 84
ster. cap. 5. In natura autem Theologiæ Moralis continetur, seu involvitur ejus objectum; nam habitus specificantur ab objectis. S. Thom. 1. 2. *q.* 54. *a.* 2. *ad* 2. ab omnibus receptus, fit, ut qui habet definitionem Theologiæ Moralis, habeat quoque perspectum ejus objectum, & qui aptè objectum assignare vult, definitionem quoque adferre debeat. Sicuti autem 85
Recentiores Theologi post P. Vasquez 1, *p. disp.* 4. *c.* 1. Theologiam generatim definiunt, esse scientiam, quæ ex principiis revelatis, & creditis

ditis infert Conclusionem per evidentem consequentiam, ita etiam

86 Dico I. Theologiam Moralem esse scientiam, quæ ex principiis revelatis, & creditis, per evidentem consequentiam infert Conclusionem de actibus humanis, prout ad finem ultimum dirigi possunt. Generalis ratio hujus de-
87 scriptionis est, quia Theologia Moralis est ipsa vera, & propriè dicta Theologia, quatenus ea est secundùm receptam sententiam S. Thomæ 1.p.q 1.a.4. practica, ut sic enim *agit de actibus humanis, secundùm quod per eos ordinatur homo ad perfectum Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit*, inquit S. Doctor, & ejus interpretes communiter. Ergo admissa illâ prima descriptione, admittenda est hæc secunda.

88 Nec obest, quòd Theologi Morales plurima inferant ex principiis non creditis fide divinâ, sed tantùm probabilibus; hoc enim est commune omnibus etiam strictè dictis scientiis, quæ de suo objecto, ejúsque accidentibus plurima nonnisi probabilia differunt, ut videre
89 est vel in ipsa Physica, atque in Theologia Speculativa. Tradunt autem illa, & cognoscunt Physici, Theologi speculativi, &c. non propriè, & directè per ipsos habitus Theologiæ, Physicæ, &c. scientificos, sed per alium habitum non scientificum, ad ipsos scientificos non propriè, sed reductivè spectantem; sicuti reliquos inter rectè observat Hieronymus Fasolus in *1.part. S.Thom.q.12. dub.8. n.36.*

90 Dico II. Objectum Materiale Theologiæ Moralis esse Actus humanos. Etenim objectum Materiale alicujus scientiæ est id nudè spectatum, quod scientia considerat. Tannerus *Tom. 1. in 1. part. disp.1. q.3. dub.1. n.2.* ex communi Philosophorum, & Theologorum. At formale objectum ejusdem Theologiæ sunt ipsimet Actus humani, quatenus ad finem ultimum per principia divinitus revelata dirigi, rectificarique possunt. Ferè sicut ex communiore (etsi non veriore) opinione Modernorum Logicorum, objectum Logicæ artificialis sunt mentis operationes, quatenus per principia, seu regulas Logicas ad rectam dissertationem dirigi possunt.

91 Porrò actus humanos rectificat, & ad supremum, ultimúmque finem dirigit Theologia Moralis, tum virtualiter, determinando nimirum, utrùm hic, aut ille actus sit à Deo imperatus, vetitus, suasus, permissus explicitè, implicitéve? Tum formaliter, tradendo, explicandóve præcepta exercendi actus convenienter ad finem ultimum assequendum, aut vitandi actus ab illo fine avertentes; quandoquidem contrariorum est eadem scientia, seu disciplina. Aristoteles *1. Topic.* 8.

92 Quò autem hanc virtualem, & formalem directionem meliùs, exactiúsque efficiat Theologia, utitur sæpissime ministerio aliarum disciplinarum, tanquam ancillarum, ut Physicæ, Ethicæ, Jurisprudentiæ. S. Th. *1, p. q.1. a.5. ad 2.* referendus *n.* 118.

Dico III. Objectum Jurisprudentiæ Canonicæ esse Actus humanos, quatenus per Leges Canonicas dirigi possunt, ac debent, ad debitum ordinem, in statu, foróque Ecclesiastico procurandum, fovendúmque. Cùm enim Jus 93
Canonicum nil aliud sit, quàm jus positivum, quod à summis Pontificibus Ecclesiæ Catholicæ traditum, constitutum, vel approbatum fuit. Greg. Tolosanus, *Partit. l. 1. tit. 2. c. 2.* P. Joannes Streinius in Prolegom. Jur. Canon. §. 1. *n.2.* Cúmque illud ipsum jus Canonicum, directè, ac per se institutum sit ad externam gubernationem spiritualem. Suarez *in Proœmio* de Legibus, & Tannerus *Tom. 1. disp. 1. q.4. dub. 5. n.10.* licèt etiam conditum sit ad animæ puritatem promovendam. Suar. *l. c.* Tannerus *l. c.* Vallensis in paratitlis Decretalium *in proœmio* §. 6. *n.4.* Tolosanus *l.c. cap* 18. Streinius *l. 2.* patet allatam objecti, seu subjecti assignationem esse veram.

Infer hinc I. Illam definitionem Jurisprudentiæ Civilis, quam adfert Justinianus tum *l.* 95
Justitia ff. de justitia & jure, tum §. *Jurisprudentia instit. eodem.* ubi ait: Jurisprudentia est divinarum, humanarúmque rerum notitia, justi, atque injusti scientia, æquè convenire jurisprudentiæ Canonicæ, neutrius tamen respectu esse dogmaticam, sed, ut solent esse ICtorum, periculosam, & ruinæ vicinam. *l. Omnis definitio, ff. de reg. jur.*

Infer II. Theologiam Moralem à Jurispru- 96
dentia differre ratione tùm objecti materialis, ut jamjam magis declarabo, tum objecti formalis, ac finis immediati, sicuti patet ex dictis *num.* 90. & 94.

Infer III. Objectum Theologiæ Moralis es- 97
se, patereque longè latiùs, quàm utriusque Jurisprudentiæ simul sumptæ; tum quia omnes actus humani supernaturales pertinent ad objectum materiale prædictæ Theologiæ, nam omnia revelabilia comprehenduntur sub sacra doctrina, tanquam sub una scientia S. Th *1. p. q. 1. a. 3.* adeóque habitus Theologicus secundùm suam essentiam, seu naturam est aptus attingere omnia, quæ de Deo, rebúsque divinis sciri possunt S. Th. *q. 14. de verit. a. 8. ad 16.* Scotus *q. 3. prol.* Tum quia Theologia Moralis 98
extendit se ad actus humanos merè internos, ad quos tamen regulariter non exporrigitur jurisprudentia, siquidem Leges humanæ actus merè internos communiter præcipere non possunt. S. Th. *1. 2. q. 91. a. 4.* cùm de occultis non judicet Prætor, aut Papa *c.1. §. porro ut Eccles. benef. sine dim. conf.* & cogitationis pœnam nemo patiatur. text. *l. Cogitationis ff. de pœnis.*

Infer IV. Omnes actus Jurisprudentiæ ali- 99
quo modo spectare ad objectum Theologiæ Moralis. Indicat hoc corollarium Filliucius

in

in præfatione suarum Quæstionũ Moralium, dum ea etiam, quæ Summistæ tradere solent, (solent autem obvias quasque juris decisiones) cadere ait sub Theologiæ Moralis considerationem. Quod quidem de actibus circa Mysteria fidei, & circa res lumine naturæ notas ostendam *sect.*
100 8. De actibus verò pendentibus ex solo jure humano inde saltem probatur, quòd, cùm Theologia Moralis involvat supremam, atque infallibilem regulam judicandi de actionibus omnibus humanis, scilicet revelationem divinam; & omnes actiones liberas dirigat, quoad posit, ad finem ultimum, revera ex officio judicat de illis omnibus, & si cubi leges aut Canones errorem quendam continent, sicuti nonnulli in Decreto Gratiani, eos ex præscripto veræ Theologiæ, in divina revelatione
101 fundatæ corrigit. Sotus infrà *n.* 131. Tannerus *l. cit. dub. 5. n.10.* Et fortè hoc sensu scripsit Suar. *in proœm. de legibus sub fin.* esse communem Theologorum consensum, quòd Lex tam secundùm communem rationem suam, quàm prout ad omnes suas species descendit, ad sacræ doctrinæ considerationem spectet.

102 Infer V. Theologiam Moralem esse Jurisprudentiâ etiam Canonicâ præstantiorem multis rationibus, & modis; nimirum & ratione objecti, quod scilicet Theologia habet longè nobilius, ampliúsque, quàm Jurisprudentia; & ratione certitudinis; cùm Jurisprudentia nullum assensum habeat infallibilem, nisi qui sit aut ipsius fidei divinæ, aut Theologiæ; dum scilicet Canonum peritus, assentitur propositioni alicui fidei, quam reperit. e.g. in tit. *de Summa Trinitate*; assentitur, inquam, vel præcisè ideo, quòd credat, illam esse à Deo revelatam; Vel idcirco, quòd eam deducat ex una revelata, & altera evidente; quod quidem est proprium officium Theologi. Denique ratione finis Theologiam Moralem esse Canonum scientiâ superiorem, patet ex dictis *num.* 90.

103 Quare de Theologia quoque Morali intelligendum est, quod docet S. Th. *1. p. q.1. a.5.* probátque, scilicet Sacram doctrinam esse digniorem cæteris Scientiis. Unde rectè tradit
104 ICtus Joannes Franciscus Ponzinibus *in Tract. de Lamiis n.4.* Theologiam esse superiorem, & magis dignam Jurisprudentiâ, & S. Clemens Alexandrinus referendus *n.* 117. ac Navarrus *de pœnit. dist. 6, c. 1. §. caveat. n.* 12.

esse principem omnium facultatum.

SECTIO VII.

Utrùm Theologi falcem mittant in messem alienam quando usurpant Iuris pronuntiata, & Regulas?

SUMMARIUM.

Regula quid sit? 106.
Theologi non mittunt falcem in messem alienam, quando usurpant regulas & pronuntiata Iuris. 109.
Probatur distinctè. 110. & seqq.
Theologia procedens ex principiis Iuris, notis lumine naturæ procedit ex propriis. 112.
Idem, si utatur inde probabiliter deductis. 114.
Quid si suas conclusiones firmet placitis Iuris, nitentibus solo Iure humano? 116.
Theologia est scientiarum Regina. 117.
Utitur aliis scientiis tanquam inferioribus. 118.
Theologi sunt censores omnium doctrinarum juridicarum. 122

Mittunt omnino Judicibus adversariis 105
ut patet ex relatis *n.* 20. & 53. Qui licèt suum judicium non probent rationibus, videtur tamen singulariter de usu regularum juridicarum probari posse, tum argumentis proponendis *Sectione.* 14 tum nominatim ipso, quòd regulæ Juris sint breve quoddam compendium ipsorum Jurium. Etenim 106
regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. text. *l. 1. ff. de reg. jur.* Et per regulam brevis rerum narratio traditur, *ibid.* rerum, inquam, in Jure definitarum. Jac. Rævardus, Jo. Ferrar. Montanus, & alii *in cit. l. 1.* Ergo sicut Theo- 107
logi involarent in messem alienam, si usurparent ipsas decisiones Juris, ita etiam involant in eam, quando utuntur regulis Juris, nam æquipollentium eadem est ratio *l. fin. ff. mandati.*

Adde, quòd omnis definitio (seu regula, ut 108
interpretantur plerique teste Montano *in Legem mox citandam*) in Jure periculosa sit. *l. Omnis definitio ff. de reg. jur.* & proinde rectè intelligi non possit, nisi ab iis, qui ipsum Jus probè intelligunt. Ergo rem aleæ plenam aggrediuntur Theologi, dum sæpe utuntur regulis Juris.

Nihilominus negandum est, à Theologis 109
falcem in alienum agrum mitti tunc, cùm ad suas conclusiones, præsertim Morales, probandas, assumunt, vel pronuntiata, vel regulas Canonici, aut Civilis Juris. Etenim illorum pronuntiatorum, & regularum alia sunt certa, alia solùm probabilia; certa, inquam, certitudine vel supernaturali, vel naturali; probabilia probabilitate fundata in principio aut supernaturali, aut naturali, adeóque etiam in mero

jure, voluntate, autoritate humanis. Atqui Theologi non mittunt manum in messem alienam, cujuscunque indicatorum generum pronuntiata, vel regulas assumendo ad suas conclusiones probandas.

110 Non, si assumant pronuntiata, & regulas certas certitudine supernaturali, ut sunt illæ: Quod non est licitum in Lege, necessitas licitum facit. *reg. 4. in 5* Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum *reg. 4. in 6.* Nuptias non concubitus, sed consensus facit. *reg. 30. ff. de reg. jur.* Ratio est, quia ejusmodi effata, & regulæ sunt loci propriè Theologici. Vasq. *in 1. partem disp. 12. c. 1. & 2.* post S. Th. *1. p. q. 1. a. 8. ad 2.*

111 Non deinde, quando assumunt effata ex principiis fidei, seu supernaturalibus solùm probabiliter derivata, ut est illud: Qui ex duobus allatis alterum negat, reliquum affirmare videtur *Cap. Nónne, de præsumpt.* Tunc enim etiam argumentantur ex propriis. Tannerus *Tom. 1. disp. 1. q. 5. dub. 1. n. 5.* & patebit ex dicendis *sect. seq.*

112 Non etiam quando utuntur effatis certis certitudine naturali atque evidente, ut sunt illa: Nemo potest ad impossibile obligari. *reg. 6 de reg. jur. in 6.* Culpâ caret, qui scit, sed prohibere non potest. *l. Culpa. ff. eod.* nam tunc etiam Theologi procedunt ex propriis. Valentia *Tom 1. disp. 1. q 1. punct. 5. §. 1.* Saltem ministerialiter propriis Cajet. *1. part. q. 1. a. 8. ad 2.* omnes quippe scientiæ ancillantur Theologiæ. *Infrà n. 118.*

113 Adde, quòd æquè super Theologos, ac super I. C. signatum sit lumen vultûs divini; & super illos æquè, ac super hos faciat Deus oriri solem, manifestantem veritates demonstrabiles; ergo rem propriam, aut, si mavis, communem, non verò alienam usurpat Theologus, dum utitur pronuntiatis alterutrius, vel utriusque Juris per se claris; aut ex principio aliquo necessario evidenter deductis. Confirmatur authoritate S. Thomæ, cujus verba referam paulò pòst.

114 Non, si assumant pronuntiata juridica, quorum honestas, rectitudo, aut veritas practica, vel speculativa ex principio naturali non nisi probabiliter deducitur, ut sunt illa: Semel malus, semper præsumitur esse malus. *reg. 8. in 6.* Favorabiliores Rei potiùs, quam actores habentur. *reg. 125. ff. de reg. jur.* Ex præteritis præsumitur circa futura. *c. Scribam. de præsumpt.* Ratio est eadem, quæ pro doctrina præcedentis responsionis. Equidem licèt nec Digesta, nec Codex Theodosianus, aut Justinianeus, nec Decretales lucem unquam aspexissent, attamen Theologis in mentem venissent plurima ex iis, quæ hi libri tradunt, suppeditant, decernunt sapientissimè. Nec obest, quòd
115 Theologi describant ipsa formalia verba Canonum, Legum, Regularum. Sicuti enim scire Leges, non est earum verba tenere, sed vim & potestatem. *l. Scire, ff. de Legibus*, ita mutuare à Jurisperitis regulas, non est, ab eis accipere verba regularum sed quò dicantur mutuare, requiritur, ut etiam sensum, & potestatem, seu vim, & energiam accipiant; quæ cùm non accipiant, fit, ut non committant in textum. *cap. Scriptum 6. q. 3.* vetantem Judici, ne falcem mittat in s. getem, quæ alteri videtur esse commissa.

Non præterea, si confirment suas assertiones placitis Canonum, Legúmve pendentibus ex mero jure humano; ut si quis Theologus iniquam necem Sacerdotis, esse mortale crimen inde etiam probet, quòd *cap. Si quis suadente 17. q. 4.* ipsi quoque percussioni Clerici annexa sit major excommunicatio, reservata Pontifici. 116
Ratio, cur Theologus in hac, & similibus secundariis probationibus usurpandis, non utatur armis planè alienis, est, quia Theologia reliquarum scientiarum Domina, ac Regina est. S. Clemens Alexandr. *l. 1 stromat.* ubi Theologiam vocat *Sapientiam, & divinarum, humanarúmque rerum, & causarum ipsarum scientiam, Philosophiáque ipsius Dominam*; ergo dum ex reliquarum scientiarum, ipsiúsque Jurisprudentiæ armamentariis desumit tela, non 117
invadit rem planè alienam. Quod optimè observavit S. Thomas, dum 1 *part. q. 1. a. 5. ad 2.* ita scripsit: *Hæc Scientia* (Sacra doctrina) *non accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediatè à DEO per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tanquam superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus, & ancillis; sicut architectonicæ utuntur subministrantibus, ut Civilis Militari. Et hoc ipsum, quòd sic utitur eis, non est propter defectum, & insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectûs nostri, qui ex his, quæ per naturalem rationem, ex qua procedunt aliæ scientiæ, cognoscuntur, faciliùs manuducitur in ea, quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur.* Hactenus S. Thomas, cujus 118
verba de principiis, per immediatam revelationem acceptis, intellige de primariis. 119

Postremò neque tunc Rei peculatûs agendi sunt Theologi, quando utuntur vel SS. PP. vel ICtorum responsis, in Corpore Juris Pontificii, & Cæsarei relatis, ut quisque ex hactenus dictis facilè deducet. 120

Ad rationem primam pro adversariis allatam *n. 106.* respondeo, ipsas quoque decisiones Juris utriusque posse, & verò debere Theologis inservire, eo modo, quo ex S. Th. paulò antè retuli; & meliùs intelligetur *Sect. seq.* 121

Ad alteram rationem dico, alia pronuntiatorum, regularúmque juridicorum esse valdè clara, ut pro iis intelligendis non sit opus ullo Oedipo, vel metuendum ullum periculum seductionis: alia perobscura, de quorum sensu litigant ipsi Jurisperiti. Et quia Theologus legendo considerate unum, alterúmve celebrem 122

brem Jurisperitum, cum rationibus in utramque partem, haud ita difficulter dijudicat, an utraque pars habeat aliquid saltem extrinsecæ probabilitatis, periculosam aleam non jacit, licèt tale aliquod obscurum, vel anceps effatum usurpet in eo sensu, in quo videt explicari à quibusdam magni nominis Jurisperitis, nec damnari à Theologis, qui sunt censores omnium doctrinarum juridicarum. Suprà *n.*
123 100. Adde, quòd aliud sit, præcisè usurpare pronuntiata, aliud judicare: utrùm sine verosimiliora oppositis? Verùm dicta in hac assertione intelligentur meliùs in decursu.

SECTIO VIII.

An Theologi manum mittant in messem alienam, quando explicant, & resolvunt quæstiones de materiis Juris?

SUMMARIUM.

Theologi explicant ex officio omnes materias Speculativas Fidei comprehensas in corpore Juris. 125.
Sicut, & Practicas. 127.
Esto multæ ex iis solùm probabiliter deducantur ex principiis fidei. 129.
Jus Canonicum prodit ex visceribus Theologiæ. 131.
Statuta in jure circa materias à jure Naturali pendentes spectant ad Theologos potiùs quàm Juristas. 132.
Theologiæ Doctorum elogium ex S. Thoma. 136.
Judicium Alvari Pelagii de Episcopis Hispaniæ. 137.
Theologi licitè scribunt etiam de materiis Juris merè humani, contentis in Jure. 139. & seqq.

124 DOctor Manrique post Garciam, ut probavi *n. 67.* non semel significat, Theologos extra rhombum Theologicum saltare, quoties ex instituto explicant aliquam materiam, in corpore Juris Civilis, aut Canonici contentam, dummodo illa materia respiciat objectum fori externi, seu sit ejusmodi, ut feratur in actionem externam, per leges humanas vetitam, præceptam, permissam. Rationes proponam, ac dissolvam. *Sect. 14.* quibus nihil obstantibus

125 Dico I. Omnes materias speculativas, quas ad Fidem Christianam spectantes continet utrumque Jus, sicuti multas continet, posse ac debere à Theologis ex officio explicari. Melch. Canus *Loc. Theolog. l. 8. c. 7. concl. 1.* Tannerus *Tom. 1. disp. 1. q. 4. dub. 5. n. 9.* & fatetur implicitè Manrique, dum verbis *n. 41.* relatis agnoscit, quæstiones de Summa Trinitate, de quæ tamen proprii tituli, & copiosæ doctrinæ extant, proponuntúrque *in principio primi, ac sexti Decretal*; itémque *Codicis Justinianei*, esse proprias fori Theologici. Et ratio est, quia hujusmodi materiæ sunt propriissimè objecta Theologiæ. Suprà *n 90.* ideòque videmus talium explicationem omittì à I. C. Hinc quoq; 126
cernimus, Dianam, Palaum, aliósque Theologos esse, ac fuisse Consultores sacri Officii, in quo agitur de rebus ad fidem pertinentibus; meritóque dolet Canus *l. c.* fuisse suæ ætate in Hispania I. C. Theologis prælatos, in negotio cognitionis Fidei.

Dico II. Etiam omnes materiæ practicæ, 127
quæ ad Fidem spectant, & in Jure continentur, à Theologis ex proprio munere explicandæ sunt. Ratio est eadem, quæ pro priori responsione. Et confirmatur; quia principia, quibus inducti sunt Pontifices, ad decidendas ejusmodi quæstiones, sunt ipsiusmet Theologiæ principia, videl. Sacra Scriptura, Traditiones, vel Concilia Oecumenica; ergo omni jure pertinent ad forum Theologicum; ut sunt ea, quæ de Sacramentorum, Sacrificíque essentia, effectu, subjecto, ministro, in Conciliis, ac Corpore Juris ex divino mandato statuuntur. Eam ob 128
rem, si I. C. instituant de prædictis materiis practicis, & præsertim speculativis multùm differere, pluráque dicere, quàm exprimant verba Canonum, meritò in illos retorquebitur illud intercalare apophthegma Manriqueanum: *Tractent fabrilia fabri.* Et utique errarent, si aliter, quàm Theologi, illos Canones explicarent. *Infrà n. 130.*

Dico III. Etsi utraque præcedens conclu- 129
sio unicè intelligitur de illis materiis, quæ evidenter deducuntur ex principiis Fidei, seu revelatione divina mediata, vel immediata, non tamen reprehendendi sunt Theologi, si ex instituto differant de Quæstionibus illis, quarum resolutio in Jure Canonico contenta, in alterutram partem non nisi probabiliter inferri potest ex principiis revelatis, ut sunt plurima, quæ circa materiam, formam, intentionem, subjectum, usum Sacramentorum Theologi probabiliter colligunt ex certis definitionibus traditis à Conciliis Lateranensi, Florentino, Tridentino &c. Ratio est, quia præditi habitu 130
scientifico circa aliquod objectum, solent circa idem objectum acquirere habitum opinativum. Suprà *n. 89.* Imò quia proprium officium Theologorum est, illa principia Fidei examinare, & eorum veritatem contra oppugnatores probare, ac defendere. *S. Th. 1. part. q. 1. a. 8. in C.* tenentur Theologi longè magis, quàm Canonistæ, in veram intelligentiam eorund. incumbere; ac proindè meritò præsumitur, saltem æquè bene à Theologis, quàm Canonistis penetrari verum sensum prædictorum principiorum, & consequenter æquè bene sciri, quid probabiliter de iis, & ex illis dici, infer-

rique

131 rique possit. Quare non immeritò dicit Sotus *in proœm. suorum libror. de just. & jur.* quandoquidem Jura Canonica ex visceribus Theologiæ, adeòque ex principiis fidei prodierint, Theologi esse, Juris Canonici decreta ad normam Evangelicam exigere.

132 Dico IV. Quæ circa mores in jure Canonico, aut Civili statuuntur conformiter legi Naturali, eorum explicatio pertinet ad Theologos potiùs, quàm Canonistas. Canus *l. cit. concl.* 2. inde probans, quòd quemadmodum Musicus ab Arithmetico suarum conclusionum rationem sumit, eò quòd hæ conclusiones à principiis Arithmeticæ oriantur, ita & si qua dogmata in moribus Jus Pontificium ex Philosophia colligit, ea tanquam à propriis accepta Theologus agnoscet, meliúsque interpretabitur] Unde invehitur Canus in Hostiens. Alex. & alios I. C. ratos, quando agitur

133 de peccato mortali in materia usurarum, aut simoniæ, esse potiùs I. C. quàm Theologos au-

134 diendos. Idipsum sensit Sotus cùm *loc. cit.* scripsit, esse Theologi, Jura Civilia examinare ex principiis Philosophiæ, eò quòd ea prodierint

135 ex media morum Philosophia. Eadem fuit mens Angelici Doctoris, dum *quodlib. 9. q. 6. a. 15. Corp.* docuit, illam quæstionem: *Utrum peccent mortaliter, qui absque dispensatione possident plures Præbendas sine cura animarum?* pertinere ad Theologos, in quantum dependet ex jure divino, vel naturali, & ad Juristas, in

136 quantum dependet ex jure positivo. Et certè, cùm Theologiæ Doctores sint quasi principales artifices, qui inquirunt, & docent, qualiter alii debeant salutem animarum procurare. S. Th. *quodl. 1. q. 7. a. 14. C.* illa autem procuratio salutis maximè consistat in explicatione, & usu legum, ex Jure divino vel naturali, certò, vel probabiliter deductarum, dicendum est, expositionem ejusmodi legum, esto contineantur in Jure Civili, vel Canonico, posse à Theologis jure proprio, vel certè communi cum Juristis exponi.

137 Atque utinam id strenuè factitâssent, jam quatuor abhinc sæculis, fortè non fuisset Alvarus Pelagius *de planct. Eccles. l. 2. c. 20. vers. Vicesimum quartum* scripturus: *Vix credo, maximè in Hispania, quòd de centum Episcopis sit unus, qui non sit Simoniacus, in Ordinibus, & Beneficiis conferendis.*]

138 Hactenus dicta confirmantur tum veritate sequentis Conclusionis, tum inde, quòd Greg. Tolosanus relatus. *n.* 94. Jus Canonicum definiat esse jus positivum: sicuti etiam describitur implicitè Jus Civile *l. Jus autem ff. de just. & jur.* Atqui ea, quæ vel evidenter, vel probabiliter deducuntur ex lumine Naturæ, sunt juris Naturalis potiùs, quàm Positivi; ergo eorum elucidatio non pertinet ad solos Juristas.

139 Dico V. Rem non planè alienam à suo officio tractant Theologi dum voce, vel scripto explicant interdum etiam illas sacras, aut profanas Leges, quæ pendent ex mero arbitrio Legislatorum, ut sunt E. G. Leges de numero, & quibusdam qualitatibus testium, de solennitate testamentorum, de conditionibus usucapionis, seu præscriptionis, de quibusdam pœnis Ecclesiasticis, vel Civilibus &c. Sic utique sentiunt Sotus *de justit. l. 3. q. 6. concl. 10.* Canus *de Loc. Theol. l. 8. c. 6.* Suarez *in proœm. de Legibus.* Probatur in primis speciatim de ex- 140
plicatione sacrorum Canonum; illorum quippe maximam partem condiderunt Theologi; ergo habent, habuerúntque jus, illos interpretandi, explicandíque Antecedens, & Consequens hujus argumenti declarabo infrà *n.* 179. & 180.

Probatur deinde conclusio copulatim de 141
explicatione Legum Pontificiarum, Cæsarearúmque; tum quia actus per ejusmodi Leges imperati, interdictíve pertinent etiam ad objectum Theologiæ. Supra *n.* 99. tum quia cùm 142
verba seu scripta, seu vocalia sint signa conceptuum internorum. Aristot. *1. periherm. c. 1.* & ita quidem ut eorum omnis usus in significando sit. S. August. *l. 2. doctr Christ. c. 2.* obtineántque inter homines principatum significandi, quæcunque animo concipiuntur. S. Aug. *loc. cit. c. 3.* potest utique voce, vel scripto illas Leges explicare is, qui eas ex obligatione scit, atq; intelligit; nec quidquam alienum à ratione aget, si pro re nata, & cùm utile fuerit, aut necessarium, eas actu ipso explicet. Atqui Theologi ex obligatione sciunt, intelligúntque ejusmodi Leges; ergo possunt voce, & scripto eas explicare; adeóque rem alienam à suo officio non tractant, dum eas explanant. Subsumpti veritas ut liquidò constet, proferam in medium Theologiæ antiquitatem inter Christianos, atque ejusdem cum Juris scientia conjunctionem.

SECTIO IX.

De antiquitate Theologiæ, atque ejusdem nexu cum Iurisperitia.

SVMMARIVM.

Fuerunt semper in Ecclesia viri præditi veræ Theologiâ. 143.
Probatur rationibus. 144. & seqq.
Theologica scientia fuit semper necessaria pastoribus animarum. 147.
Modus, quo Theologia fuit tradita, & explicata primis sæculis. 151.
Quæ proximis à primis? 153.
Quo à tempore Magistri sententiarum? 154.
Primo sæculo jam erat Alexandriæ schola publica Theologiæ. 156.

Quinam ordine eam docuerint Alexandriæ? 157.
Quando cœperit doceri Romæ? 159.
Quidam privati Professores Theologiæ. 161.
Metropolitana Ecclesia debet habere Theologum, qui Sacerdotes doceat. 162.
Ille fuit olim probabiliter is, quem nunc vocamus Scholasticum. 163.
Qualis debeat esse ille Scholasticus? 164.
Debent alii Theologi esse in Ecclesiis, qui sint Episcoporum Coadjutores, & Cooperatores. 165.
A tempore Apostolorum fuerunt Episcopi judices causarum etiam civilium. 167.
Nominatim S. Augustinus. 169.
Et S. Gregor. Thaumaturgus. 170.
Episcoporum sententias judiciales quanti fecerint Imperatores. 171.
Episcopi adhibebant alios quoque Clericos ad istas lites. 172.
Debuerunt Theologi jam à tempore Apostolorum esse periti Legum Canonicarum, & Civilium. 173. & seqq.
Theologi condiderunt plurimas Leges Juris Canonici. 179.
Quanti eorum judicium fecerit Tridentina Synodus. 180.
Enumeratio illorum, qui interfuêre Concilio Tridentino. ibid.
Responsio ad objectionem, quòd pauci Theologi legant Jus Civile, aut etiam Canonicum. 181. & 182.
Præsumendum est, Theologos fuisse semper peritos juris. 185.
Nominantur Theologi periti Juris. 186.

143 NOtandum est I. Fuisse semper in Ecclesia Christi viros, Theologiæ scientiâ præditos. Patet 1. ex *cap. 4. ad Ephes. vers. 11.*
144 ubi S. Paulus testatur, Deum dedisse *quosdam Pastores, & Doctores*, per Doctores intelligens illos, non tantùm qui fidei articulos explicent, sed etiam qui eos defendant contra protervos, ut patet tum ex eo, quòd illos Doctores dicat esse constitutos, non modò *ad consummationem sanctorum*, ad quam utique sufficit clara, exactáque explicatio fidei articulorum divinæque Scripturæ, atque traditionum, sed etiam: *In ædificationem corporis Christi, ne*, ut paulò pòst subjungit, *circumferamur omni vento doctrinæ*; tum etiam ex eo, quòd idem Apostolus ad Ti-
145 tum scribens *c. 1. vers. 7.* dicat, Episcopum oportere *amplecti eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.*
146 Atqui mysticum corpus Christi, seu Ecclesiam ita ædificare, id est stabilire doctrina, ut fideles non facilè ab errorum Magistris pervertantur; arguere quoque, & erroris convincere hæreticos, aliósque de rebus fidei malè sentientes, est propriè officium Theologi; quandoquidem Theologia, prout ab habitu fidei differt, est scientia demonstrandi vim habens. S. Dionys. *epist. ad Tit.* quæ scilicet ex principiis revelatis alias, atque alias conclusiones deducit, eáque deducendo *fidem gignit, nutrit, defendit, roborat*, ut de ea tradit, loquitúrque S. August. *l. 14. de Trinit. c. 1.*

Patet II. Inde, quòd Ecclesia Christi nun- 147
quam defecerit in necessariis, juxta illam promissionem ejusdem Salvatoris: *Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Matth. 28.* Atqui Theologia est Ecclesiæ Christi necessaria S. Th. *1. p. q. 1. a. 1.* & Commentatores; imò omnium scientiarum summè necessaria. Trident. *Sess. 5. c. 1. de ref.* Taceo tot monumenta Theologicæ eruditionis, ab Apostolis ipsis, eorum discipulis, aliísque deinceps per singulas ætates posteritati consignata; adeò ut licèt nonum Sæculum à Cardinale Bellarmino vocetur *valdè obscurum*, suis tamen etiam illud Theologis, ipsóque adeò Leone VI. Imperatore illustre fuerit.

Notandum II. Licèt Theologia non sit, nec 148
fuerit unquam singulis fidelibus immediatè necessaria ad salutem. Gregorius de Valentia *Tom. 1. disp. 1. q. 1. p. 2.* ex communi, fuit tamen, éstque necessaria Pastoribus animarum. Deducitur ex verbis Apostoli *ad Ephes.* suprà relatis, ubi satis insinuat, eos, quos vocat Pastores, debere esse Doctores, ut apertè docent Hieron. in
in hunc locum Pauli, August. *Epist. 59.* ad Pau- 149
linum, tractans hunc locum Pauli, Chrysostomus *in cit. epist. Pauli. Qui Pastor est, debet esse & Magister; nec in Ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi munus assumere, nisi possit docere, quos pascit*, inquit S. Hieron. *l. c.* Plura hanc in rem dicam. *Sect. 16.*

Notandum III. Theologiam, seu Sacram 150
doctrinam, ut perpetuò vocat S. Th. *1. p. q. 1. a. 1. & seqq.* triplici præcipuè modo fuisse jam antiquitus in Ecclesia traditam.

Primum modum expressit S. Gregor. Na- 151
zianzenus *Orat. in laud. Athanas.* ante medium hisce verbis: *Fuit quoddam tempus, cùm res nostræ florerent, atque præclarè se haberent, cùm nimirum superflua hæc, & verborum lepòre, atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad Divinas caulas ne aditum quidem habebat, &c. Sed simplex oratio, atque doctrina, pietas existimabatur.* Hisce verbis testatur S. Doctor, Theo- 152
logos primitivæ Ecclesiæ, quales fuêre utique Apostoli, consuevisse controversias, dubiáque fidei paucis verbis, sententiis, rationibúsque expedire, quia scil. Christiani facilè credebant suis Doctoribus; at postmodum introducta fuit ratio oratorio dicendi genere differendi de fidei Christianæ litigiosis dogmatibus.

Quæ differendi ratio constituit alterum 153
modum tradendæ Theologiæ, usurpatum præcipuè ab ipsomet S. Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, Basilio, Hilario, Augustino, ac multis aliis Patribus, qui fidei Christianæ my-

steria

sterîa explicârunt, defenderúntque perpetuis orationibus, atque lacinioſo dicendi genere, quod etiam fecit Hieronymus præſertim adverſus Vigilantium.

154 Tertius modus Theologiam tractandi introductus eſt à Petro Lombardo ſententiarum Magiſtro, ſub annum Chriſti 1110. conſiſtens videl. in methodo ſuccinctâ, Dialecticâque, ſine ullis verborum lenociniis, atque à S. Th. ad ſummam perfectionem perductus.

155 Notandum IV. Licèt, ut dixi, & fuſiùs oſtendam *ſect.* 16. Epiſcopos, animarúmque Paſtores, oportuerit eſſe Theologos, & proinde potuerint conformiter cap. *Cum ſit ars. de ætat. præf.* alios ipſam Theologiam docere, uno ex tribus modis indicatis, quia tamen aliis erant diſtenti occupationibus, erectæ ſunt variis locis ſcholæ Theologicæ, in quibus ea, quæ ad Religionis Chriſtianæ, fidei, morúmque integritatem faciebant, proponerentur auditoribus, ad animarum curam adſpirantibus. Et

156 quidem in Orientali Eccleſia, atque adeò Alexandriæ primo jam ſæculo poſt Chriſtum natum, aut certè ineunte ſecundo ſæculo ejuſmodi publicam ſcholam fuiſſe erectam, colligo ex verbis Euſebii *lib.* 5. *hiſtor. c.* 10. apud Baronium *Tom.* 2. *annal. ad annum Chriſti* 185. ubi ſic loquitur: [Eodem tempore (Commodi Imperatoris) Pantænus, vir omni humaniore literatura præſtantiſſimus, inſtitutioni Chriſtianorum illic (Alexandriæ) præficitur; quo quidem in loco, conſuetudine ab antiquis temporibus ducta, Sacrarum literarum ſchola habebatur; quæ eſt ad noſtram uſque ætatem continuata &c.] Ubi vides ab Euſebio aſſeri, ſcholam ſacrarum literarum eſſe jam ab antiquis temporibus inſtitutam, proindéque primo ſæculo, vel ineunte ſecundo, nam Pantænus vivebat anno Chriſti 180.

157 Pantæno in munere docendi Alexandriæ ſucceſſerunt ejus diſcipuli Clemens Alexandrinus, Origenes, aliíque viri præſtantiſſimi. Qui quidem Clemens *ſtromatum l.* 1. aliis quoque Theologis, in diverſis Orientis urbibus, ſe operam navâſſe teſtatur, intérque eos fuiſſe etiam Dionyſium Corinthi, Theophilos Cæſarææ, & Antiochiæ Epiſcopos conjicit Baronius *loc. cit.* Sed & Niſibi in Syria Divinam

158 Legem per Magiſtros publicos, ſicuti apud alios Grammaticam, & Rhetoricam, ordine, ac regulariter traditam fuiſſe, autor eſt Junilius Africanus Epiſcopus apud Baronium *Tom.* 7. *ad annum Chriſti* 535. & apud eundem Caſſiodorus, qui florebat eodem anno.

159 In occidentali verò Eccleſia ſerò admodum cœpta eſt doceri publicè Theologia, ut proinde idem Caſſiodorus cum Agapeto Papa egerit, ut collatis expenſis, in urbe Romana *profeſſos Doctores ſcholæ acciperent Chriſtianæ*; tales, inquam, profeſſos Doctores, quales Alexan-

160 driæ, & Niſibi tum erant. Sed ob continuata bella nequivit tunc perfici id, quod optabat Caſſiodorus. Perfectum tamen fuiſſe tum Romæ, tum Lutetiæ Pariſiorum, tum in omnibus poſtmodum Europæ provinciis videmus, & gaudemus, mirantes cum Baronio, fuiſſe tam diu dilatum illud ſaluberrimum inſtitutum.

Tametſi verò ſerò admodum, ut dixi, ſint in 161
Occidentali Eccleſia conſtituti publici Profeſſores ſacræ doctrinæ, dubium tamen nullum eſt, quin ſemper in ea quoque extiterint magni Theologi, qui privatim alios docerent, ſicuti Gregorius Nazianzenus Conſtantinopoli Hieronymum, Theophilus Cæſareæ, & alius Theophilus Antiochiæ Clementem, Valerius Vincentium Cæſaraugustæ docuêre, utique privatim, ſacras literas, ita & fecerint alii atque alii Theologi in Eccleſia Occidentali, quos inter haud abſque ratione computes ipſum Caſſiodorum.

Notandum V. ſtatutum fuiſſe in Lateranen- 162
ſi Concilio ſub Innoc. III. ut Metropolis Eccleſia Theologum habeat, qui Sacerdotes, & alios in ſacra pagina doceat, & his præſertim informet, *quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur.* Ita refertur *c. Quia* §. *fin. de Magiſtris*; quò reſpexiſſe videtur S. Th. dum *quodlib.* 1. *q.* 7. *a.* 14. ſcripſit, Theologorum officium eſſe, docere alios, qualiter debeant ſalutem animarum procurare. Et verò videtur, Theologum, 163
de quo loquitur Concilium, fuiſſe proximis ſæculis illum ipſum, qui hodie in Eccleſiis Cathedralibus, ac nonnullis etiam Collegiatis, obtinet præter Canonicatum, officium Scholaſtici, ut etiam deduco ex Concilio Baſil. *Seſſ.* 164
31. Qui quidem Scholaſtici ex conſtitutione ejuſdem Concilii Baſil. & valde ſeria Tridentini *Seſſ.* 5. *c.* 1. & *Seſſ.* 23. *c.* 18. renovantis decreta priorum Pontificum, Conciliorúmque, deberent eſſe ejuſmodi, *ut per ſeipſos id munus explicare poſſint, alioqui facta proviſio nulla ſit, & invalida*, ut ſtatuitur *cit. c.* 1. Sínrque proinde *Doctores vel Magiſtri, aut Licentiati in ſacra pagina, aut in jure Canonico*, ut habetur *in cit. c.* 18.

Notandum VI. in allegato ſuperiùs Con- 165
cil. Lateran. ut etiam refertur *cap. Inter cætera.* §. *præcipimus de offic. judic. ordin.* decretum eſſe, ut tam in cathedralibus, quàm in aliis Conventualibus Eccleſiis viri idonei ordinentur, quos Epiſcopi poſſint Coadjutores, & Cooperatores habere, non ſolùm in prædicationis officio verùm etiam in audiendis Confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, *& cæteris quæ* 166
ad ſalutem pertinent animarum. Hos autem Coadjutores fuiſſe Theologos, patet: tum ex officiis, quæ hîc enumerantur: tum inde, quòd ſubrogatum habeat naturam, & conditiones illius, cui ſubrogatur. Abbas *in cap. Eccleſia* 2. *ut lite pendente.* Suarez. *l.* 6. *de voto cap.* 20. Portell. *de dub. regul. Verb. indulgentia in addit. num.* 7. Atqui Epiſcopi, quibus ſubrogantur

tur hi Coadjutores, debent eſſe Theologi. *Infra Sect.* 16.

167 Notandum VII. Jam à temporibus Apoſtolorum fuiſſe in more poſitum, ut ad Epiſcopos deferrentur cauſæ ſubditorum, etiam merè politicæ, ſicuti fuſè demonſtrat Cardin. Baronius *Tom.* 1. *annal. ad annum Chriſti* 57. & apertè liquet tum ex S. Clemente *conſtitut. l.* 2. *c.* 45. tum ex Ambroſio *epiſt.* 49. *ad Marcell.* atque Auguſtino *lib. de oper. Monach. cap.* 20. item *in Pſal.* 118. & *epiſt.* 147. quibus locis teſtantur hi duo Patres, ſe cognitione, & terminatione civilium quoque cauſarum multùm occupari, idque ex Apoſtoli Pauli præcepto;

168 quia ſcilicet tum hi duo, tum alii plures Patres exiſtimant, fuiſſe ab Apoſtolo Paulo 1. *ad Corinth. cap.* 6. imperatum Corinthiis, ut *ſæcularia judicia ſi haberent, contemptibiles* (& potiori jure honoratos, & ſapientes, ut mox innuit Apoſtolus, tradúntque interpretes) *qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituerent ad judicandum.* Hinc Auguſtinus ſecundo loco allegatus ſic

169 loquitur: *Maligni homines aſſlagitant, aut certè infirmos premunt, ut cauſas ſuas ad nos referre compellant; quibus dicere non audemus: dic homo: quis me conſtituit judicem, aut diviſorem inter vos? Conſtituit enim talibus cauſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores.*

170 Præterea author eſt S. Gregor. Nyſſenus *in vit. S. Gregor. Thaumaturgi*, fuiſſe ſolitas cauſas omnes ejus arbitrio committi; & Syneſius Epiſcopus Ptolemaidis *Epiſt.* 57. refert, tam frequentes cauſas, controverſiáſque civiles fuiſſe ex more delatas ad Epiſcopos, ut hi

171 non eſſent pares iis omnibus expediendis. Porrò quàm juſtè, & caſtè hæc negotia tractârint pluribus ſæculis Epiſcopi, vel inde liquet, quòd Theodoſius Major, ſicuti refertur *c. Quicunque, & c. Omnes* 11. *q.* 1. ſanxerit, *ut omnes cauſæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ perpetuo ſtabilitatis jure firmentur.* Hanc eandem ſanctionem ferè 400. annis pòſt repetiit, confirmavitque Carolus M. relatus, *capit. Volumus, eod.*

172 Nec putandum eſt, ſolos Epiſcopos exercuiſſe prædicta judicia, verùm etiam ad ea adhibitos fuiſſe ab ipſis Preſbyteros, & Diaconos: *Adſint*, inquit, Clemens Rom. *conſtitut. l.* 2. *cap.* 51. *judicio Preſbyteri, & Diaconi integrè judicaturi, veluti Dei homines cum juſtitia.*

173 Ex his omnibus manifeſtè infero I. Debuiſſe jam à temporibus Apoſtolorum, Theologos eſſe peritos legum Eccleſiaſticarum, & Civilium; idque ex tribus principiis hîc indicatis.

174 Primum principium eſt, quòd Theologi ratione ſui muneris ſint, fuerintque Doctores eorum, qui ſalutem animarum procurare debent. *Suprà num.* 162. ergo tenentur Theologi ſcire ea, quæ hiſce miniſtris ſcitu neceſſaria ſunt; etenim *puerile, & circulatorum ludo ſimile eſt, docere quod ignores.* S. Hieronymus 175
in prolog. Biblic. Atqui hiſce miniſtris ſcitu neceſſarii ſunt ſacri Canones. *cap. Nulli diſtinct.* 38. ſcitu quoque neceſſariæ leges civiles, ſaltem ſi perfectorum Confeſſariorum nomen tueri velint. Navarrus *infra num.* 239.

Alterum principium eſt, quòd Theologi 176
ſint Coadjutores, & Cooperatores Epiſcoporum. *Suprà num.* 166. Atqui debent hoſce juvare, etiam in actionibus requirentibus ſcientiam legum, tam profanarum quàm ſacrarum. *Suprà num.* 172.

Tertium principium, quia Theologi debue- 177
runt olim, & debent hodiéque eſſe judices cauſarum Eccleſiaſticarum, & civilium. *Suprà num.* 167. ergo tenebantur olim, & nunc quoque tenentur ſcire ſacras, & profanas leges; jure quippe divino, ac naturali quiſque tenetur ea ſcire, atque intelligere, quæ vel circa alios exercendi, vel alios docendi munus habet, juxta illud Oſeæ 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, ego te repellam, ne fungaris Sacerdotio*; & Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcien-* 178
tiam, & legem requirent ex ore ejus; quod etiam refertur *cap. Si rector* 43. *diſt. & judiciaria poteſtas hoc poſtulat, ut quod debet quis judicare, diſcernat*, text. *cap.* 1. *diſt.* 6. §. *caveat.* His addo

Quartum principium: Nam illius eſt inter- 179
pretari, atque adeò ſcire Canones, qui eos condidit. Gloſſ. communiter recepta *in cap. Cùm veniſſent. de judiciis*, cum juribus ab ea citatis, juxta illud vulgare.

Optimus interpres verborum quiſque ſuorum eſt. Et ut undè jus prodiit, inde & interpretatio procedat. text. elegans *in cap. Inter alia. de ſentent. excommun.* Atqui Theologi condiderunt longè plurimos è Sacris Canonibus. Nam Apoſtoli, quorum Canones Pœnitentiales hodiéque ſuperſunt, fuêre Theologi. Locum quoque inter Theologos nemo negabit Patribus illis, quorum ſententias, tam in Conciliis Provincialibus recitatas, quàm propriis libris mandatas ſuo Decreto inſeruit Gratianus; ſicuti hodiéque Synodos Provinciales, & Diœceſanas, in quibus renovari ſolent tot antiqui Canones, conſtituunt maximam partem periti, aut non expertes Theologiæ.

Ac poſtremò quantam orbis Chriſtianus 180
univerſus rationem Theologorum habuerit in Tridentino Concilio, in quo tot priſca decreta circa *bonorum morum reductionem*, *Clericique & populi Chriſtiani reformationem* confirmata, recénſque condita ſunt, (& ob quæ etiam erat indicta Sacra Synodus, ut liquet ex fine Bullæ Concilio præfixæ, itémque ex

Seſſ. 1. & 2.) colliges ex ſequentibus: tum quòd ipſum Concilium ſuam intentionem commendârit iis, *præſertim qui ſacrarum literarum peritiam habebant*; ut videre eſt in *Seſſ.* 2. Tum quòd Pontifices ad id celeberrimum Concilium miſerint ſeptem Theologos, at ſolùm quatuor Juriſconſultos. Tum quòd inter illos XXXII. quos à Regibus Galliæ, Hiſpaniæ, Portugalliæ: inter X. Procuratores, quos à diverſis Epiſcopis eò ablegatos teſtatur Catalogus in calce Concilii deſcriptus: inter illos XXII. qui ſub Rubrica Theologorum Sæcularium, & Doctorum Juris Canonici nominantur: inter illos LXXIV. quos ex diverſis Religioſis Ordinibus eidem Synodo interfuiſſe indicatur; quorúmque ad XXX. illuc à Cardinalibus, Patriarchis, Epiſcopis adducti perhibentur, non reperio (ſecutus Catalogum Colonienſem *anno* 1620.) niſi quinque decoratos illic titulo Juriſperitorum, pleroſque verò inſignitos nomenclaturâ Theologorum: quorum numerum auxêre tum VIII. Generales diverſarum Religionum, tum nonnulli ex Abbatibus ibidem nominatis, tum plerique (ſi non omnes) ex illis XXXII. Epiſcopis, atque Archiepiſcopis, qui è Monaſteriis aſſumpti fuiſſe dicuntur, tum ex reliquis Prælatis haud pauci. Quinam verò horum omnium habuerint vocem ſolùm Conſultivam, qui Deciſivam ſeu ex privilegio, ſeu de jure diſces ex Bellarmino *lib. 1. de Concil. c. 15.* & ſingulariter ex Cardin. Pallavicino *Part 1.* Hiſtor. Concilii Trident. *lib. 6. cap. 2.* ubi de Procuratoribus Epiſcoporum, Abbatibus, & Generalibus Regularium. Ex quibus meritò

Infero I. Fuiſſe in ſuperioribus quoque Conciliis Generalibus maximam rationem habitam Theologiæ peritorum, argument. communis doctrinæ, quòd Papa in dubio præſumatur ſuorum Prædeceſſorum veſtigia ſequi. *cap. Verùm. de jurejur.*

181 Dices: *Ex decem Theologis vix unum reperire eſt, qui libros Decretalium, & Pandectarum aliquando viderit, aut aperuerit; è viginti verò vix unum, qui notabile quid in eis ſtudioſè legerit; è centum denique vix aliquem, qui iis comprehenſa teneat intellectu, memoriâque; ergo vel Theologi non tenentur, ratione ſui muneris, ſcire Leges Canonicas & Civiles, ut aſſertum fuit ſuperiùs; vel certè caci cacis ducatum præſtant* Matth. 15. & diſt. 37. cap. Ideo: *ac proinde in foveam æternæ damnationis cadunt.*

182 Reſpondeo I. Neceſſe non eſt, verba ipſarum Legum mente tenere; ſatis eſt vim, & poteſtatem. *l. Scire ff. de legib.* II. Neceſſe etiam non eſt, omnium ſenſum tenere, partim quia plurimæ ſunt antiquatæ, partim quia plurimæ in raro uſu, partim quia eſt id moraliter omnibus, phyſicè pleriſque, aut etiam omnibus impoſſibile; cùm tamen impoſſibilium nulla ſit obligatio. III. Itaque ſufficit, neceſſariúmque eſt, illorum ſcientiam habere, quorum uſus alicui incumbit; atque eo ingenio, judicióque præditum eſſe, & ea fundamenta in Jure jeciſſe, ut in occurrentibus caſibus poſſit ſcire, ubi quærenda, & quomodo intelligenda ſit illorum reſolutio. Et ſic interpretari poſſumus, quod in ſimili dicitur *cap. Niſi cùm pridem §. pro defectu.* de Renuntiatione: *Etſi deſideranda ſit eminens ſcientia in Paſtore, in eo tamen eſt competens tolerandâ.* Quia verò plurimis Theologis hac ætate, quæ fert longè plures, quàm priora ſæcula, vix ullus uſus Canonum, legúmque niſi vulgarium incumbit; aliis nonnullus, attamen, è Theologorum libris juridica continentibus, præter ea, quæ in ſcholis didicerunt; ſeſe docere poſſunt; aliis denique ſatis crebr; ut ſunt Theologiæ Moralis Profeſſores, Judices, ſeu Aſſeſſores Conſiſtoriales: & hi abſque dubio tum ipſas leges, & Canones; tum optimos legum Canonúmque interpretes, quos inter non pauci ſunt Theologi, haud oſcitanter legunt, eam ob rem patet, quid ad objectionem factam reſponderi queat.

Infero II. Theologos non ſolùm debuiſſe eſſe peritos Canonum, & legum, ſed præſumendum, fuiſſe reipſa peritos: tum quia *in dubio præſumitur id factum, quod de jure erat faciendum.* DD. ex *l. Quædam mulier ff. de rei vindicatione*; tum quia tam culpabilis ignorantia non eſt de tot, tantíſque viris præſumenda, juxta *l. Merito ff. Pro ſocio.* Et verò Theologiæ Principes, ac Patres fuiſſe legum quoque Civilium peritos, diſces vel ex Prædicamento Clariſſimi viri D. Caſpari Manzii, in quo Juſtitiariis, atque adeò peritis Juris jure accenſet SS. Dionyſium Areopagitam, Athanaſium, Gregorios Thaumaturgum & Nazianzenum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Boëtium, Caſſiodorum, Gregorium Magnum, Sidonium, Bernardinum Senenſem: quorum pleroſque eſſe Theologiæ noſtræ anteſignanos, nemo eſt, qui ignoret; omnes fuiſſe Theologos teſtantur eorum monumenta.

Infero III. Verùm eſſe concluſionem etiam poſtremam *ſect. præced.* ſcil. Theologos rem alienam à ſuo officio non tractare, quando vòce, vel ſcripto diſputant de Legibus Poſitivis Humanis; etenim validè confirmata eſt hîc minor propoſitio ratiocinationis allatæ ibidem.

Et ſanè laudandi ſunt potiùs, quàm carpendi illi, qui ſecuri exemplum Salomonis *Sap. 7.* ſine invidia communicant ſuam ſcientiam, ſapien-

pientiámque, non imitantes illum, qui pecuniam domini ſui defodit in terram, ſed eâ negotiantes. Matth. 25.

189 Et hactenus quidem oſtendimus, fuiſſe ſemper fas Theologis, ex profeſſo diſputare tam è cathedra, quàm libris ſcriptis, de materiis utroque jure comprehenſis, nunc probandum eſt, id peculiari titulo licere modernis Theologis, contra quos potiſſimùm nonnulli Juriſconſulti fremunt, & vel ſtylum, vel linguam promunt. Titulus autem ille eſt legitimæ præſcriptionis, de qua Sect. ſeq.

SECTIO X.

Oſtenditur, Theologos Recentiores ſaltem Titulo Præſcriptionis acquiſiviſſe jus ſcribendi de materiis Canonicis, & Civilibus.

SUMMARIUM.

Injuria Quid ſit? 190.
Theologi etiam titulo legitimæ præſcriptionis habent jus tractandi materias juridicas. 191.
Præſcriptionis conditiones. 192.
Theologi fuerunt, ſúntque in poſſeſſione tractandi illas materias. 193.
Quid ſit poſſeſſio? 194.
Illa poſſeſſio Theologorum eſt munita ſufficiente Titulo. 200.
Et fide optimâ. 204.
Continuataque tempore Legibus præſcripto. 208.
Probatur facto Magiſtri ſententiarum. 210.
Et S. Thomæ. 211.
S. Thomas fuit propriè, licèt non juxta vulgarem phraſin, Juriconſultus. 213.
Non fuerunt ipſi omnia divinitus infuſa. 214.
Explicatur elogium, quo S. Thomas decoratur in Breviario. ibid.
Idem S. Doctor docuit nonnulla non conſentanea veræ Theologiæ. 215.
Retractavit certò aliquas è ſuis ſententiis. 216. & 217.
Confutatur inficetum judicium Xantis Marialis. 217.
A S. Thoma diſſentiunt quandoque Thomiſtæ ipſi. 219.
An Deus poſſit infundere animæ actum erroneum? 220.
Honeſtum eſt defendere ſententiam Magiſtri. 221.
Nominantur alii Theologi, qui ſcripſêre de materiis contentis in Jure. 223.
Et Summiſtæ. 224.
Atque Theologi hujus ſæculi. 226. & 227.
Conficitur ex dictis potens argumentum adverſus Manriquæ. 228.
Summi Principes approbant inſtitutum Theologorum explicantium materias juridicas. 231.

SI probaverimus, Neotericis Theologis materias Juris utriuſque pertractantibus patrocinari jus Præſcriptionis, hoc ipſo probabimus, tantùm abeſſe, ut injuriam faciant Jureconſultis, eas exequendo libris ſcriptis juxta *l. Nullus videtur ff. de reg. jur.* ut potiùs Juriſconſulti ſint in eos injurii, cùm prædicti juris uſu libero ipſis interdicunt, aut interdictum volunt; nam & *generaliter injuria dicitur id, quod non jure fit*; princip. *tit inſtit. de injuriis*; & præterea omnibus conſtat ex utroque Jure, titulo uſucapionis, & præſcriptionis comparari verum jus, dominiúmque rerum etiam alienarum. Hoc titulo gaudere Theologos in præſente controverſia, demonſtro, oſtendendo omnes conditiones, ad legitimæ præſcriptionis titulum requiſitas, adeſſe in hoc negotio. Teſtatur verò Silveſter *verb. præſcriptio n. 1. à Doctoribus* quatuor requiri. 1. Poſſeſſionem. 2. Titulum probabiliter præſumptum. 3. Bonam fidem. 4. Continuationem poſſeſſionis cum bona fide per tempus lege conſtitutum. Addunt alii, de quibus infrà, ad præſcribenda jura incorporalia exigi patientiam adverſarii. Sed & eruditâ ſapientiâ Clariſſimus D. Arnoldus Rath in ſuo planè abſolutiſſimo *Tract. de Uſucapion. cap. 1. aſſert. 17.* ex communi, veráque Juriſconſultorum ſententia addit, & *cap. 4.* doctiſſimè explicat, ad uſucapionem requiri, ut quod uſucapitur, non ſit prohibitum poſſideri. Verùm hujus conditionis requiſitionem nil obeſſe Theologis, patet tum ex ſe, tum ex dicendis *num.* 207.

Dico itaque I. Theologi ſunt, atque fuerunt in poſſeſſione, vel quaſi, tractandi ex profeſſo de materiis, etiam ſolo jure humano conſtantibus, & Corpori alterutrius juris incluſis. Probatur inde, quòd poſſeſſio, vel quaſi, rerum incorporalium nihil ſit aliud, quàm *uſus quidam tanquam habentis jus cum patientia adverſarii.* Bartolus *in l. 3. §. unde vi. n. 3. ff. de & vi armat.* conſentientibus Abb. Alex. Ripa, & aliis apud Covarruviam *in reg. poſſeſſor. part. 2. princ. n. 8.* Atqui apud Theologos viguit, & viget, reſpectu prædictarum materiarum tractandarum, uſus, & quidem tanquam apud habentes jus, ut confitentur, & querantur adverſarii verbis relatis *Sect. 3. Confeſſio autem propria facit plenam probationem, in præjudicium confitentis. l. unic. Cod. de confeſſis.* Ferrar. *in pract. crim. in forma libelli de cauſ. vendition. n. 7.* citans alios. Et quamvis non faterentur adverſarii, attamen factum ipſum loqueretur.

Porrò ad patientiam Adverſarii, vel Adverſariorum quod attinet, ſufficienter illa probatur inde, quòd reperire ſit plures Juriſconſultos, qui vel non iniquo, vel etiam æquiſſimo

198 animo ferant illum usum Theologorum. Nec opus est, ut omnes id æquo animo ferant, cùm non habeant jus succensendi Theologis, ut ex dictis patet, & ex dicendis patebit. Atqui *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. c. Non præstat. de reg. jur. in* 6. Sed potiùs omnes Jureconsulti cum S. Moyse dicere deberent: *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet? Num.* 11. *v.* 29. Requireretur quidem
199 patientia plerorumque, vel omnium, si Theologi vellent deturbare Jureconsultos possessione, & jure pertractandi indicatas materias, nam & *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Reg. 29. in 6. & *In re communi potior est conditio prohibentis.* reg. 56. eodem. Verùm nullus Theologus id unquam somniavit.

Dico II. Possessio, in qua sunt recentiores
200 Theologi, instructa est Titulo sufficiente in hanc rem. Titulo, inquam, *Prohærede*, de quo Lessius *l.* 2. *de just. c.* 6. *dubit.* 7 *n.* 22. & D. Rath. *l. c. cap.* 3. fusè doctéque suo more. Etenim moderni Theologi à suis DD. vivis, & pridem jam Cælo donatis, acceperunt illum usum, ut
201 mox ostendam. Hos autem Doctores loco patrum meritò habent, siquidem *Magistri sunt Patres.* Bartolus *in l. Omnes ff. de just. & jur. n.* 12. Menochius *de Arb. cas. ult.* desumentes ex *l. Liberto, ff. de obseq. à lib.* & Gloss. *ibid.* pluribúsque illustrat Menochius *ibid.* ex Petro Crinito *l.* 24. *de honest. disc. c.* 1. Unde Severus Imperator. *l. Ex divi. Cod. De Locato.* 4 Ulpianum absolutè vocat suum parentem.

202 Accedit generalis Titulus *Pro suo*, quo quis rem possidet ut suam, juxta *l.* 1 *ff. Pro suo*; & D. Rath. *l. c. cap.* 3. *assert.* 4. *& seqq.* Atqui jus tractandi illas materias, de quibus litem movent adversarii, possederunt hactenus, testibus adversariis, Theologi, ut suum, non cupiendo tamen ullo modo excludere Jureconsultos.
203 Quòd si hos Titulos neges hîc habere locum, dicam, nullo esse opus, quia possessio immemorialis, de qua paulò pòst, est vicem Tituli. Covarruvias *in Reg. Possessor. p.* 2. § 3. *n.* 9. D. Rath *de usucap. c.* 3. *assert.* 34. alii innumeri.

204 Dico III. Usum prædictum inchoârunt, & continuârunt Theologi fide quàm optimâ, seu exigas optimam solùm Theologicè, seu ex communi Covarruviæ *loco cit.* §. 7. *n.* 5. optimam etiam civiliter, seu juridicè. Etenim quod
205 attinet bonam fidem Theologicè, præsumitur ea ad præscribendum, nisi probetur contrarium. Gloss. *in cap. Sanctorum, & in cap. Si diligenti & in c. final. de præscription.* Covarruvias *in Epitome part.* 2. *c.* 7. *n.* 4. præsertim in
206 viris tam gravibus, & piis, cùm *non debeat faciliter dari præsumptio delicti l. Meritò ff. Prosocio*; & necessitas, de qua paulò pòst, sæpe bonam fidem gignat iuxta *c. Quod non est. de Reg. juris in* 5.

207 Quod verò concernit bonam fidem civiliter & juridicè, cùm ea nihil sit aliud, quàm non ignorantia, seu scientia juris, illam scientiam habuerunt Theologi, hoc ipso, quòd non debuerint scire, jus sibi resistere; re enim vera nullum jus tantis viris unquam interdixit, explicatione, lucubratione que materiarum, quas suis scriptis illustrârunt; cùm potiùs ex sect. præcedent. constet, eos jure quàm optimo id præstare posse, potuisséque.

Dico IV. Theologi suam quasi-possessio- 208
nem continuârunt tempore legibus præscripto, quandoquidem non solùm longo, longissimóve tempore, sed à multis jam sæculis, atque ab immemoriali tempore fuerunt in quasi-possessione prædictâ. Etenim illa est im- 209
memorialis temporis possessio, cujus initii memoria non extat in contrarium, Fusè Covarruvias *cit.* §. 3. *n.* 6. 7. 8. Ludovic. Molina *Tr.* 2. *disp.* 76. Gaill. *lib.* 2. *observat.* 66. *n.* 7. nullum autem initium scitur nostræ possessionis, cùm nesciatur, quo anno, quis primus inter Theologos ex professo resolverit scripto unam, vel plures, paucas, vel multas quæstiones de rebus, & actionibus imperatis, vel vetitis sola lege humana. Quin potiùs certum est, multis abhinc sæculis id factitatum continuò ad nostra usque tempora, ut breviter ostendo, interim haud nescius, non debere attendere nos, solummodo quid factum sit, sed potiùs quid sit faciendum. text. *in cap. Cùm causam de elect.*

In primis itaque (Hugone de sancto Victo- 210
re, & aliis antiquioribus Magistro præteritis) ipse Magister Sententiarum non unam, sed plures ejusmodi quæstiones proposuit, & exposuit, tum alibi, tum maximè *in* 4. *distinction.* 37. *& sequent.* ubi probat, explicat, defendit impedimenta Matrimonii inducta jure Canonico; ut *distinct.* 37. agens de impedimento Ordinis, & Criminis; *dist.* 40. de impedimento Propinquitatis carnalis; *distinct.* 41. de impedimento Affinitatis; *dist.* 42. prolixè de impedimento Cognationis spiritualis.

Institutum Magistri secuti sunt non imme- 211
ritò (nam primum in unoquoque genere est exemplar reliquorum) tum alii, ut Guiliel. Parisiens. *in Tract. de legibus. de collatione, & pluralitate beneficiorum, &c.* Alexander Halens. *in Summa*, Vincentius Belvacens. *in Speculo Morali*, (si tamen istius ille est autor) tum trium scholarum principes S. Bonaventura, & Scotus in libros Sententiarum, & maximè Angelicus Doctor, qui partim *in* 4. *Sententiarum*, partim *in* 1. 2. *&* 2. 2. *&* 3. *part. ac Quodlibetis* innumeras id genus quæstiones deditissima opera, ex professo fusè, & ut solet, doctissimè ventilavit, disputavit, resolvit. Aliquot earum centurias, aut chiliades deprehendet, qui indicata monumenta, aliáque Angelici Doctoris excussérit.

Nec

212 Nec diffitetur Manrique, sed occurrit *q.* 91. *n.* 7. hisce verbis: *Licèt autem S. Th. plura scribat, de materiis juris* 2. 2. *à. q.* 47. *ad* 171. *quia tamen quidquid ipse docuit, vel scripsit, ipsi divinitus infusum fuit, ut in Festo ejus legit Ecclesia, in alienam messem, manum non misit, sicut alii Theologi.*

213 Verùm hæc ratio, & responsio non subsistit. I. Quia si materiæ, quas in illis Quæstionibus tractavit S. Thomas, pertinent ad solos Jurisconsultos, cùm Manrique non velit S. Thomam, nec possit accensere Jurisconsultis communiter nuncupatis, licèt fuerit propriè Jureconsultus, ut patebit ex dicendis *n.* 315. sequitur ex doctrina Manrique, eum misisse manum in messem alienam. II. Nequaquam testatur, aut legit Ecclesia, *quidquid docuit, vel scripsit* S. Th. fuisse ipsi divinitus infusum; sed sequentia verba de illo legit Ecclesia in ipsius festo: *Sodali suo Fratri Reginaldo dicere solebat, quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quàm divinitus traditum fuisse.* Quæ verba longè alium sensum faciunt, quàm illa Manriqueana, ut quisque videt; vel illum nimirum, qui exprimitur in vita, ipsius S. Thomæ operibus præfixa: *Tradunt* (qui cum eo versati sunt) *quòd pietate, præsertim jejuniis, vigiliis, & orationibus magnam sue doctrinæ partem à Deo sibi promeruerit*; vel hunc: Dicere solebat, si quid verè intelligeret (nam malè intellectorum scientiam non habemus, sed inscitiam) esse acceptum referendum, non tam propriæ industriæ, quàm gratiæ divinæ, quæ ipsum, plerorumque judicio ad sublimiores disciplinas ineptum donaverit aliqua ingenii perspicacia, & consequenter evexerit ad illam qualemcumque doctrinam, quam alii in ipso mirentur. Quare abstinuit sanctus, verax, humillimus Doctor voce: *infusum*, &, ut loqui solet, *inditum*; quia scientiam infundere, vel indere, aliud longè est, quàm præcisè tradere; verbum enim tradendi multò generalius est, quàm indendi, vel infundendi. Vide eundem S. Doctorem 3. *part. q.* 9. *a.* 3. *&* 4. vigesies utentem verbis: *Indere: infundere*, & ne semel quidem verbo: *tradere*, cùm disserit de scientia
215 infusa Christi. Et verò non fuisse S. Thomæ, quantumvis planè Angelico Doctori, omnia divinitus infusa, quæ scripsit, aut docuit, clarum est, tum inde, quòd 1. 2. *q.* 81. *a.* 3. *Corp.* scripserit: *Secundùm fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines, præter solum Christum, ex Adamo derivati, peccatum originale ex Adam contrahant*; revera enim non est secundùm fidem Catholicam id tenendum de Beatissima Virgine, in eo sensu, in quo illum interpretantur (sed probabiliter minùs rectè) communiter Thomistæ, ut patet ex Bullis Sixti IV. Pauli V. Alex. VII. & Trident. *Sess.* 5. *de-*
216 *creto de Peccato Originali*; tum inde, quòd ipse S. Thom. nonnunquam retractet, quæ docuit, & scripsit; ut nominatim 2. 2. *quæst.* 150. *a.* 2. rectissimè tradit, ebrietatem esse ex suo genere peccatum mortale, cùm tamen id negârit *quæst.* 7. *de malo a.* 4. & agnoscit apertè Cajetanus *in cit. art.* 2. *sub finem* S. Thomam hac in re mutâsse sententiam; & *in* 3. *p. q.* 9. *a.* 4. *Corp.* in terminis revocat, quod alibi scripserat, dum negaverat, in Christo fuisse scientiam acquisitam. Atqui, quod divinitus infusum est, retractatione dignum non est. Infrà *num.* 219. Denique Catharinus & ipse Thomista *lib.* 2. *pro Immacul. Concept.* sic scribit, & testatur: *Etiam qui insignes Thomistæ habentur, fatentur ingenuè, eum* (S. Thomam) *variè scripsisse, & posteriùs, quæ antea scripserat retractâsse.*

Confirmatur allata responsio in primis inde, quòd author vitæ S. Bonaventuræ *c.* 7. etiam testetur, ejus doctrinam non solùm summis studiis partam, sed acceptam divinitus fuisse, & tamen nemo illam vocat, vel divinitus infusam, vel infallibilem. Idem de doctrina S. Bernardi Abbat. legitur in Breviario.

Adde his alias plures maximi momenti doctrinas, quas ab eodem S. Doctore esse retractatas confitentur evidentiâ veritatis compulsi ejus primarii discipuli Cajetanus 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 6. & 8. Franciscus Victoria in *Relect. de Simonia num.* 5. Dominicus Sotus *de natura & gratia lib.* 2. *cap.* 3. & *in* 4. *distinct.* 2. *quæst.* 1. *a.* 4. immediatè ante conclusionem primam asserens, S. Thomam meritissimò rejecisse, quod priùs docuerat de effectu gratiæ gratum facientis concedi solitæ in Circumcisione: sicut & correxit, teste eodem Soto in 4. *distinct.* 33. *quæst.* 2. *a.* 1. *circa med.* Doctrinam de asserta indispensabilitate in legibus naturalibus. Qui idem Sotus post plures versus subdit: *Si S. Thomas suam Summam, ubi res limatiùs examinabat, hucusque protraxisset, minimè hac ratione fuisset contentus: adeò videtur debilis, & infirma*; Atqui quod divinitus infusum est, nec debile, aut infirmum, nec retractationis, emen- 217
dationisve indigum rectè dixeris. Unde obiter, simul & evidenter confutatur Xantes Mariales, quatenus in interdicta disputatione prolegòmenâ, suæ *Bibliothecæ Theolog.* convitiis, sarcasmis, illusionibus adipatæ, conatur suis Lectoribus persuadere, omnia prorsus, quæ unquam scripsit S. Thomas, esse ipsissimam veritatem, nec posse à quoquam excogitari pro aliqua opinione Sancto Thomæ circa quamcunque materiam contraria, ullum argumentum firmius eo, quo stabilit suam contrariam S. Doctor.

Confirmatur allata superiùs refutatio Man- 218
riqueani effugii rursum inde, quòd ipsemet S. Thomas 1. *p. q.* 5. *a.* 8. *ad* 2. diserte pronuntiet, authoritatem Doctorum Ecclesiæ (seorsim sumptorum) tantùm esse probabile argumentum; probátque his Augustini verbis: *Solis scripturarum libris, qui Canonici vocantur, didici*

hunc honorem deferre, ut nullum eorum Authorem scribendo errâsse firmissimè credam, alios autem ita lego, ut quantumlibet sanctitate, & doctrinâ polleant, non ideo verum putem, quod ipsi scripserunt. Et quis illam doctrinam infallibilem asserat, quæ sæpe fundatur in Authoritate Aristotelis circa principium naturaliter non evidens, sed sæpe tantùm probabile? Atqui doctrina, S. Thomæ frequenter est talis, ut sciunt, qui vel pauculos articulos in eo legerunt; ergo, &c.

219 Accedit, quòd cùm tam multi piissimi, religiosissimique Doctores etiamnum dissentiant à placitis S. Thomæ, æquè Theologicis, ac Philosophicis; & ipsimet Thomistæ nonnunquam, ut de Franc. Victoria Thomistarum superioris sæculi Coryphæo testatur Melchior Canus *loc. Theologic. l. 12. in proœm.* ubi etiam addit Canus, Victoriam meritum fuisse majorem laudem (ob modestam reverentiam, quâ id agebat) dissentiendo cum S. Thomâ, quàm consentiendo. Cùm præterea nemo unus (nisi voti, juramenti, &c. religio aliud exigat) sit, qui se peccati damnet, si in Quæstionibus utrinque probabilibus amplectatur eam partem, quæ sibi vero similior videtur, esto sciat, D. Thomam apertè tenuisse oppositam, palàm est, neminem mortalium existimare, quidquid scripsit, vel docuit S. Thomas, fuisse divinitus
220 infusum. Tametsi enim nonnulli cum Aragonio *in 3. part. quæst. 1. a. 3.* & Vasquez. *1. 2. disp. 90. cap 4. & 3. part. disput. 61. cap. 4.* existiment, posse fieri, ut DEUS habitum erroneum, aut etiam actum erroneum, seu errorem infundat menti alicujus, non modò tamen opposita sententia est communior, ac verior; ut videre est apud Ægidium Coninck *de actibus supernat. disp. 10. dub. 2.* ac Tannerum *Tom. 3. d. 1. q. 1. n. 151.* sed etiam certum, id hactenus non fuisse à DEO factum, præsertim respectu Ecclesiæ Doctorum. Si igitur quisquam putaret, omnia, quæ scripsit, & docuit S. Thom. fuisse ipsi divinitus infusa, consequenter crederet, se docturum falsum, docendo quidpiam contrarium D. Thomæ. Et sic ipse Manrique debebit fateri, se non semel dissensisse à vero; quandoquidem non semel dissensit à S. Thoma, ut patebit ex dicendis *Sect. 18.* Verùm quia Manrique non fuit Theologus, ut videbimus ibidem, ideo non est mirùm, quòd in hac, & aliis materiis Theologicis deceptus fuerit: *Tractent fabrilia fabri.*

221 Hactenus dicta de S. Thoma, quem submississimè veneror, sunto ad defendendum me, atque omnes illos Theologos, qui cùm nulli Jureconsulto ullum unquam didactrum debuerint, attamen de Juridicis materiis scribunt. Etenim exemplum S. Thomæ, qui communis totius Orbis, ac nominatim nostræ Societatis est Doctor, & docentium, docendorúmque norma, atque amussis, imitari nobis turpe non est, sed gloriosum; sicut honestum 222
est, Magistri sententiam non modò excusare *l. Qualem autem §. unde videndum ff. de arbitr.* seu *de recept. qui arbitr.* sed etiam defendere, si defendi possit.

Cæterùm tum S. Thomæ, tum Magistri, & 223
Scoti exemplum ita strenuè imitati sunt eorum discipuli, ut hisce quatuor proximis sæculis longè plurimas materias, alterutro Jure comprehensas explicârint, atque enucleârint. Ut Richardus de Mediavilla, sub annum 1280. Durandus, Hervæus, Mayronius, Paludanus, Occamus, sub annum 1325. Joan. de Bacone, Holcot, Argentinensis, sub annum Christi 1350. Capreolus, Alliacensis, & maximè Joan. Gerson, sub annum Christi 1412. Joan. Bassolis, Dionysius Carthusianus, & Marsilius ab Ingen; ille sub annum Christi 1460. isti circa 1480. ac paulò pòst Gabriel Biel.

Item prædictorum Triumvirorum discipu- 224
lis annumerandi sunt Summistæ sequentes: Astesanus, qui scripsit Astensem, *ad dandum consilium in foro conscientiæ*, ut loquimur *in præfat.* & ipso anno 1317. dedicavit Cardinali Cajetano; Bartholom. Pisanus, qui Pisanam anno 1335. Jo. de Friburgo, qui summam Confessorum anno 1420. circiter, Angelus, qui Angelicam, sub anno 1480. *principaliter pro simplicibus Confessoribus*, ut ipse loquitur; Pacificus, qui Pacificam, Bapt. Trovamala, qui Rosellam sub idem tempus; Joan. Tabienis; qui Tabienam, Sylvester, qui Sylvestrinam, Cajetan[9], Furnus, Toletus, Henriquez, & permulti
225 alii, quorum princeps est S. Antoninus Florentinus, author tum Summulæ, quæ inscribitur: *Defecerunt*, tum Summæ Theologicæ; in quo utroque opere, præsertim secundo, vix scias, utrùm Theologum agat potius, quàm Jurisconsultum, cùm tamen non fuisse vulgari nomenclaturâ Jureconsultum ostensurus sim *Sect. 13. num. 286.*

Jam verò si accedamus ad Theologos Scho- 226
lasticos, & Morales, hujus, & superioris sæculi, deprehendemus, esse tam multos, tam varios, emunctos, elaboratos, eruditos, copiosos, planè fundamentales, & omnibus numeris absolutos libros, tractatus, disputationes, &c. singulis ferè lustris in lucem ab iis editos, tum de illis ipsis Quæstionibus, quas adversarii volunt à Theologis præteriri, tum de aliis, à solo jure humano pendentibus, ut à vero non sim aberraturus, si dixero, à Theologo, qui Cornerium, 227
Cardinalem de Lugo, Dianam, Pasqualigum, Lezanam, Raynaudum, Joannem de Dicastillo, vel alium eis similem ingenii præstantiâ, laboris assiduitate, eruditionis varietate æquet, posse, ex solis omnino libris Theologorum conscribi Collectanea, & Commentarios, quibus universum jus Canonicum, & multò maximam partem Civile planè, dilucidè, solidè uberrimè enarretur, atque enucleetur. Credet, qui

qui vel ipse evolvit Theologorum monumenta, vel lustravit Collectanea, & Allegationes Augustini Barbosæ refertissima Theologorum citationibus.

228 Ex quibus omnibus conficio hoc serium (tametsi de rigidè sumpto jure præscriptionis possum videri non omnino seriò locutus) argumentum: Si jam ab anno MCC. ad MCCC. non pauci, à MCCC. ad MCCCC. multi, ab hoc ad M.D. plurimi, à M.D. ad hunc annum M. DC. LXXVI. quo hæc sub ultimam incudem revoco, propemodum innumeri Theologi pietate, prudentiâ, sapientiâque excellentes existimârunt, & facto ipso ostenderunt esse sibi, aliisque sui similibus fas, libris vulgatis disserere, ac disputare ex professo de iis materiis Juridicis, quas sufficienter intelligi à se censebant, tum possunt, & hoc ipso toto sæculo potuerunt, atque in posterum poterunt idipsum jure quàm optimo præstare alii etiam Theologi, quos satis facultatis ad id adferre censebunt prudentes, quibus ii noti sunt: nec poterit quisquam æqui, bonique amans id
229 ipsis vitio vertere: atqui verum est antecedens, ut constat ex narratis; ergo D. Manrique, qui non semel profitetur, se tùm veritatis, tum æqui, bonique studiosum, poterat non toties carpere Dianam, Molinam, Lessium, Rebellum, Palaum, & alios eis pares, aut suppares Theologos, qui elucidant dubia de Simonia, Usura, Excommunicatione, Immunitate Ecclesiastica, Lata culpa, & aliis ejusmodi, quæ ego atque alii Theologiæ Professores nostris auditoribus resoluta tradidimus, accepimúsque à nostris in Theologia Magistris, hi à nostris Avis, illi à Majoribus.

230 Poterat sanè hic Doctor hùc applicare Legem XXXV. *ff. de Legibus*, ita pronuntiantem: *Sed & ea, quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita civium conventio, non minùs, quàm ea, quæ*
231 *scripta sunt, jura servantur.* Institutum Theologorum, quo de loquimur, probârunt tacitè, vel apertè per tot sæcula Pontifices, Cardinales, Episcopi, Reges, Principes, Theologi, Jurisperiti; cur jam illud tantopere exagitemus?
232 Cùm præsertim videamus, materias de Legibus, Privilegiis, Dispensatione, Beneficiis Ecclesiasticis, Horis Canonicis, Indulgentiis, Matrimonio, Censuris, Simonia, Voto, Juramento, Festis, Jejuniis, Contractibus, & complures alias, de quibus extant in Jure proprii tituli, esse à Theologis æquè sapienter, ac solidè, atq; ad legislatorum mentem, ad lectorum captum accommodatè explicatas, quàm sunt (si Garciam *de Beneficiis* fortè excipias) expositæ à Jureconsultis. Prostant horum, & illorum monumenta: judicet æquus Lector.

Sed in hanc rem dicam plura *sect. 13.*

SECTIO XI.

Adfertur causa fundamentalis, cur Theologi differant, & scribant de materiis Juridicis.

SUMMARIUM.

Necessitas compulit Theologos ad tractandas materias Juridicas. 233.
Quanta fuerit ruditas Confessariorum tempore Alvari Pelagii. 235.
Hi non debent ignorare Canones. 236. 237.
Confessarii descriptio ex Navarro. 239.
Ignorantia Episcoporum superiore sæculo. 245.
Connubium Theologiæ cum scientia Canonum ex Navarro. 248.
Theologi sunt præferendi Canonistis in munere instruendi Confessarios. 250.

PRincepsratio, quæ posteriorum sæculorum 233
Theologos impulit, ut vel voce, vel calamo edissererent materias Juridicas, præsertim Canonicas, fuit ipsa necessitas moralis, quæ & Legem non habet. *c. Quanto, de consuet. & Quod non est licitum in Lege, licitum facit. c. Quod non est, de reg. jur. in 5.*

Orta autem est illa necessitas quadruplici 234
ex capite, quorum unum hac sectione, tria sequenti exponam.

Primò enim cùm Theologi sæculi XI. XII. & ferè XIII. essent speculationibus Theologicis ita immersi, ut de rebus moralibus, & ad conscientiam spectantibus pauca omnino, pro rei necessitate scriberent, aut docerent, tanta 235
ruditas, atque ignorantia rerum practicarum corripuit ipsos etiam Confessarios, ut Alvarus Pelagius *de planctu Eccles. l. 2. c. 20. vers. Tricesimum* ipse Religiosus de Religiosis suæ ætatis scripserit sub annum Christi 1316. Avenione: *Recurrat ergo quilibet pro casibus ad Jurisperitos, non ad Religiosos; cùm isti*, ut mox subdit, *communiter ignorent Canones.* Erat illa 236
ignorantia oppidò quàm turpis, & noxia multis de causis. I. quia Cælestinus Papa relatus *c. Nulli dist. 38.* scripsit: *Nulli Sacerdotum* (multò minus Confessariorum) *liceat Canones ignorare.* II. quia S. Augustinus relatus *de* 237
pœnit. dist. 1. c. 1. §. caveat, rectissimè scripsit: *Caveat spiritualis judex* (id est Confessarius, nam de tali loquitur) *ut, sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet ut sciat cognoscere, quidquid debet judicare; judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare, discernat.* Cùm itaque 238
Confessarii sæpissime debeant judicare de casibus concernentibus Leges, & Canones, si horum sententiam unà cum verbis ignorent, laborant ignorantiâ probrosâ simul, & noxiâ.

239 III. quia Navarrus *in cit.* §. *caveat n.* 9. meritò sic pronuntiat: *Confessarium undecunque absolutum oportet totam Theologiam Moralem, & Canonicâ Jura simul cum Civilibus callere. Quin imò etiam Constitutiones Synodales, & Leges Civiles Particulares illius, in qua degit, Provinciæ,*
240 *vel Diœcesis probè teneat.* Et quamvis fateor, esse ab hoc eruditissimo Sene descriptum talem Confessarium, qualem Oratorem describit in Bruto Tullius, id est, qualem fortè nunquam vidit orbis, quia tamen qui ad summa, atque prima pertingere nequit, operam dare debet, ut saltem ad mediocria enitatur, (nam in secundis, & tertiis consistere non modò honestum est, teste Tullio, sed multis Confessariis necessarium,) dubitari non debet, quin Confessarios, qui in urbibus obvios quosque Laicos, & Clericos audiunt confitentes, oporteat esse peritos permultorum, quæ in Jure Canonico, Civilique proponuntur.

241 At unde acquirent illam peritiam? Proprio studio? Verùm quotusquisque tam secundâ Lucinâ, & Minervâ natus est, ut nactus sit ingenium, quo solo Magistro talia intelligat, ut
242 par est? Mittet, inquies, cùm occurrerit casus dubius, pœnitentem ad viros doctos. Hoc quidem faciendum ait Cajetanus *in Summa, verb. Confessio.* §. *Confessor sacramentalis princ.* Verùm à Cano *l.* 8. *loc. Theolog. c.* 6. & Navarro *cit.* §. *caveat n.* 27. meritò refutatur Cajetanus, id quippe faceret Confessionem nimis odiosam & gravem, cùm tamen reddenda sit, quo-
243 ad potest facillima. Granadus *part.* 5. *de Sacram. controv.* 7. *tr.* 9. *disp.* 12. *n.* 5. Quod ipsum ferè pari ratione dico, si ipsemet Confessarius cum facultate pœnitentis adeat virum doctum. Etsi quippe id quandoque faciendum est, si tamen crebrò, & in casibus satis communibus contingat, ferent pœnitentes iniquissimo animo dilationem absolutionis, suúmque Parochum spernent ob inscitiam.

244 Audiat, inquies, qui Confessarius fieri vult, priùs Jura saltem Canonica. Hoc quidem vellet D. Manrique, sed non impetrabit; quia ex 20. qui in Confessarios evadere cupiunt, vix unum reperias, cui suppetant sumptus necessarii ad transigendum in Academia aliqua à Sæcularibus administratâ, tantum temporis, quanto opus est, ad excipiendam ex ore Canonum Professoris dimidiam partem requisitæ doctrinæ pro Confessario mediocriter idoneo.

245 Novit universus orbis, quantis ignorantiæ tenebris involutus fuerit Clerus, priusquam erigerentur Gymnasia, in quibus juxta alias inferiores disciplinas Theologia Moralis, cum juridicarum materiarum elucidatione traderetur. Fuit certè caligo tanta, ut non modo inter malæ notæ scriptoris Erasmi Roterodami adagia relatum sit illud sanè quàm probrosum, suóque autore dignum: *Indoctior Monacho*, sed etiamnum inter piissimi, atque modestissimi Thomæ Mori Epigrammata legatur hoc distichon de quodam:

Tam malè cantâsti, possis ut Episcopus esse;
Tam bene legisti, ut non tamen esse queas.

Et præterea testatur minimè arrogans P. Lessius in suis Consiliis *Verb. Societas JESU cas.* 7. *num.* 22. priusquam erigerentur scholæ nostræ Societatis, plerosque Parochos nihil ferè, aut parùm de Conscientiæ Casibus sciviſſe.

Quæ tam intoleranda, noxiáque ignorantia fuit verosimiliter una ex præcipuis causis, cur & Beatus Pius Quintus fuerit Regi Poloniæ autor erigendi in eo nobilissimo Regno tria Collegia Societati nostræ, ut testatur ejus Vitæ Sanctissimæ Scriptor Reverendus Pater Ambrosius Randing relatus à me in Quinta Edit. mearum Experient. *Tr.* 7. *n.* 795. *in App.* & ante eum, adeóque durante sacro Concilio Tridentino *Nuntii Pontificii, & Principum Oratores proposuerint eidem Concilio, tanquam maximum inter cuncta remedia ad Germaniam restituendam, multitudinem, illius Collegiorum, ut liquet ex voluminibus Commendoni & Legatorum.* Et *Cardinalis Borromæus scripserit ad Legatos* (nomine sui Avunculi, Pii IV. præsidentes eidem Synodo) *supervacaneum à se putari causas illis recensere, quibus movebatur Pontifex ad amandam Societatem Jesu, & ad optandum, ut illa in cunctis Catholicorum Provinciis exciperetur, gnarus, Legatos in eosdem sensus convenire, suámque Epistolam clauserit ille Sanctissimus Cardinalis hisce verbis*: Quam ob rem pro certo habeatis, quid quid favoris ac beneficii illis conferetur, tanquam mihi proprium acceptum iri. Vos denique rogo, ut eosdem maximopere vobis commendatos habeatis. Ita testatur Cardinalis Pallavicinus in perquam illustri Historia (quam tamen non nemo Clericorum Regularium nuper persuadere voluit Serenissimo Electori Bavariæ esse infami stigmate notatam Romæ) Concilii Tridentini *P.* 3. *lib.* 24. *cap.* 6. *n.* 6. & 7. adferens ingeniosam, sapientémque (more suo) causam, ob quam meritò ipse censeatur enarrâsse citra jactantiam *Matris suæ* laudes.

Porrò ex superiùs dictis conficitur, necesse fuisse, ut tum intra ipsa claustra Religiosorum, sicuti jam factitabat Fr. Hieron. Tormeli, ut testatur ejus epistola præfixa Summæ Angelicæ, tum in permultis urbibus, atque oppidis extra Universitates, & nominatim in Cathedralibus Ecclesiis juxta Trident. Synodum *Sess.* 5. *c.* 1. & *Sess.* 23. *c.* 18. renovantem antiquas sanctiones, constituerentur viri ejusmodi, qui sine recursu ad alios, instruerent sufficiente eruditione juvenes, ad curam animarum adspirantes. 246

Et nemini quidem dubium esse potuit, quin ad ejusmodi provinciam ritè obeundam futuri 247
esset omnium, cæteris paribus, aptissimi, qui ad

ad eam capessendam accederent, instructi ex-
248 cellenti scientia, cùm in primis Theologiæ, tum etiã jurisprudentiæ. Rectissimè enim, me etiam judice, scripsit sapientissimus Navarr. *cit.* §. *caveat n.* 12. *Sicut Canonum periti Reginam hanc* (Theologiam) *veluti à dextris superni Regis considentem suspicimus, adoramus, ac veluti demiramur, ita quoque Theologi arbitrentur, non eam considere nudam, sed vestitu deaurato, & circumdatam varietate; & sapientiam Canonicam, atque Legalem adeò non renuere, ut sibi ornandæ, & a frigore rerum agendarum ignorantiæ simul, & calore scientiæ plus satis curiosè tegendæ illam passim requirere, maximéque desiderare, & venerari, tanquam alterum Neptunum, qui opiniones adversas, & fluctus velut furentes, visceráque discerpentes illius componat, &c.*

249 Verùm, etsi, ut dixi, dubitari non debuit, quin spartam illam, de qua sermo est, optimè exornaturi forent, qui Jurium, ac Theologiæ simul scientissimi essent, quia tamen tales fuerunt semper aves in terris rarissimæ, necessariò fuêre sæpe operi illi præficiendi, qui alterâ harum quidem disciplinarum probè imbuti, ast
250 non nisi alterius Elementis tincti essent. Utrâ autem imbutos esse oportebat, cùm non liceret utrâque? Sanè Theologicâ; faciliùs enim, qui in Lyceis Theologicis bene profecit, evadet ipse in præstantem Confessarium, ac animarum curatorem, & præstantes formabit ipse, quàm qui similiter in phrontisteriis juridicis laudem boni profectûs est promeritus. Rem per se claram, & authoritate Oecumenicorum Concil. Lateran. & Tridentini, ac præterea Basileensis, ut vidimus *sup. n.* 162. 163. & 164. confirmatam non probo. Ad tria alia capita necessitatis gradum facio.

SECTIO XII.

Triplex alia causa, quæ Theologos adegit, ad tractandum voce, & scripto de rebus Juridicis.

SUMMARIUM.

Theologi tenentur ratione proprii muneris habere peritiam Juris. 251.
Tenentur & idcirco, quòd sæpe consulantur in materiis dependentibus à Jure. 153.
Cur consulantur sæpius quàm Juristæ? 255.
Navarrus dabat responsa nullo pretio. 256.
Et nunquam nisi Scripto. 259.
Theologi rogati scripserunt de rebus Juridicis. 260.
Nominantur complures. 261. & seqq.
Et inter hos Ferdinandus Rebellus, quem singulariter insectatur Manrique. 269.

VIdimus *sect. præced.* caput unum necessitatis, quæ Theologos compulit ad pertractandas materias illas, quas I. C. contendunt esse sui fori. Tria alia proponam hac Sectione. 251

Fuit igitur alterum caput illius necessitatis, Ratio proprii muneris. Etenim *Theologiæ Doctores sunt quasi principales artifices, qui inquirunt, & docent, qualiter alii* (Episcopi, Parochi, Confessarii) *debeant salutem animarum procurare.* S. Th. *quodl.* 1. *a.* 13. *corp.* suprà relatus. Atqui non possunt Theologi alios sufficienter, 252
& cum dignitate docere, qualiter procurent salutem animarum, præsertim per administrationem Sacramentorum, de qua nominatim loquitur S. Thomas, nisi eos doceant permulta deprompta ex penu utriusque Juris: quandoquidem illi, quos docent, vel nolunt, vel nequeunt operam dare Jureconsultis.

Tertium caput necessitatis constituunt Re- 253
sponsa quotidiana. Cùm enim quotidie gravia dubia de rebus, humanum jus concernentibus, conscientias hominum premant, debent utique illi, quibus hujusmodi dubia proponuntur, & à quibus ea resolvuntur, esse præditi scientiâ necessariâ; sicut enim, *si quispiam im-* 254
peritus Mathematis de eo scribat, risui patet. S. Hieronymus, relatus *c. Qui de mensa dist.* 37. ita etiam meritò risit olim Alvarus Pelagius Religiosos, qui de casibus Juridicis respondebant *divinando de sensu proprio, non de Jure,* idque faciebant *præsumptione, ne inscii reputarentur,* ut testatur idem *l.* 2. *de planct. Eccles. c.* 20. *vers. Tricesimum,* subdens: non esse majorem superbiam, quàm si quis suam ignorantiam agnoscere nolit. Atqui consuluntur hodie ut plurimùm Theologi, præsertim Religiosi, exemplo Dominici Soti, de quo *n.* 266. 255
tum aliis de causis, quæ facilè cuivis occurrunt, tum ob illam, quam I. C. Henr. Canisius *in præfat. suarum Institut. edit.* 2. innuit, exprimit autem Theologus Melch. Canus *in Loc. Theol. l.* 8. *c.* 6. quia scilicet *Jureconsulti, & scientiam. & verba locare solent*, ut jam olim observavit S. August. *epist.* 54. post med. Unde 256
Julius Roscius Hortinus in Vita Mart. Navarri, præfixa Tomo 1 ejusd. *edit. Lugdun.* de hoc suæ ætatis Jureconsultorum principe veluti rem cæteris Jureconsultis insolitam bis testatur, ipsum scilicet, exemplo S. Ivonis, responsa *nullo pretio dedisse.* Adde, quòd cùm *frustra ex-* 257
pectetur eventus, cujus nullus est effectus, DD. *ex c. Cùm contingat. de offic. jud. deleg.* frustra consulturi essent ejusmodi dubitantii Jureconsultos; re enim verâ plerique, aut certè 258
plurimi, qui se I. U. Doctores inscribunt, rideri se, aut certè *in sermone tentari* putarent, si propone-

ponerentur ipsis scrupuli circa materias de Simonia, Beneficiis, Horis Canonicis, Sacramentis, Jubilæis, & aliis plerisque expressis *n.* 69. atque hosce scrupulosos rectà remitterent ad Theologos, aut ad Canonum Professorem.

259 Porrò quia fortè nonnulli prædictorum Theologorum more Navarri, ut habetur in ejus Vita, responsum nullum, nisi scripto dabant, factum est, ut tanto majori jure suas commentationes juridicas prælo subjicerent, Consiliáque Moralia ederent, ut Comitolus, Lezana, Lessius, P. Sanchez, Cardin. de Lugo, P. Beja, & alii.

260 Quartum caput necessitatis fuêre multorum preces seriæ, vel etiam importunæ, atque etiam imperia, ut breviter ostendo nonnullorum exemplis, etsi non ignarus *non exemplis* (solis) *sed Legibus esse judicandum. l. Nemo, Cod. de sent. & interloc. omn. jud.*

261 In primis enim Angelus *in Prologo suæ Summæ.* sic loquitur: *Multorum Confratrum meorum charitativâ requisitione compulsus decrevi hanc Summam ordinare.*]

262 II. Cajetanus *in Epist. dedic. suæ Summulæ* sic: Rogatus à multis Summulam colligere
263 decrevi.] In qua quidem tam multa sunt ex Jure Canonico desumpta, ut si ea demas, magna ex parte imperfectam reperturus sis; sicuti observavit Canus *de Loc. Theol. l. 8. c. 6.*

III. Silvester etiam *in Dedic. suæ Silvestrinæ* sic ait: Fratrum nostrorum suasio, &
264 orationum fidentia eò nos perpulêre, quò hoc opus aggrederemur.]

265 IV. Dominicus de Soto *in proœm. suorum* » 10. *lib. de justit.* sic testatur: Cùm publico suf» fragio hæc mihi prælectio de justitia obtigerit, » postulare ex me instantissimè (Patres conscri» pti, & Majores mei) cœperunt, ut quæ in scho» lis dictâssem, prælo committerem, quo & præ» sentes scribendi labore levarentur, & absentes
266 » sudore fruerentur nostro. Annui libentissimè, » nam jam diu ipse hunc parturiebam partum, » tanta erat eorum improbitas, qui me diversis » scrupulis, ac novorum in dies contractuum » consultationibus frequentabant. Neque ve» rò est, quòd Theologis vitio detur, hanc sibi » assumere provinciam, quæ Jurisperitis accom» modatior videri potest; quandoquidem Ca» nonica Jura ex visceribus Theologiæ prodiêre » (arg. *cap. Qualiter & quando 2. de accusat.*) » Civilia verò, ex media morum Philosophia; » Theologi ergo est, Juris Canonici decreta ad » normam Evangelicam exigere, Philosophique » Civilia ex Philosophiæ principiis examinare.] Hactenus Sotus.

267 V. Leonardi Lessii est hoc de seipso testi» monium *in Præfat. ad Lectorem*: Habes, can» dide lector, de Justitia & Jure tractationem, » quam Lovanii publicè dictavi. Non cogitaveram initio typis vulgare; sed crebra mu» torum, & diuturna flagitatio extorsit; quam » non assentatoriam, sed seriam fuisse, vel ex eo » facilè conjeci, quòd à plurimis illa dictata sci» rem magno vel labore, vel sumptu exscribi. » His accedebat voluntas eorum, quibus meæ vi» tæ rationes omnes subjeci.]

VI. Joan. Malderus *in præfat. sui operis de* 268 *virtutibus*, cujus major pars de Justitia tractat, non solùm testatur, se, quando lectionis Scholasticæ munus in Academia Lovaniensi obibat, discipulis prælegisse ea, quæ in eo volumine explicat, verùm etiam addit: Supersedere equidem (editione) meo judicio poteram, sed aliorum cessi sententiæ secùs existimantium; quibus hoc meritò tribuere videbar.]

Denique, ut alios prætermittam, Ferdinan- 269 dus Rebellus, (à quo materias juridicas explicari singulariter ægre fert Manrique, ut patet ex *quæstion.* 104.) Patrem Claudium Aquavivam Soc. Generalem in epistola dedicatoria hisce verbis compellat: Cùm Paternitatis tuæ 270 » præscripto non semel admonerer, & (quod » verissimè dixerim) invitus penè cogerer, ut » ex iis, quæ per multos annos D. Thomam ex» ponens, multa dictaveram, optima quæque » in publicam utilitatem conferrem, ex univer» sa Moralis Theologiæ supellectile præcipuas, » ac difficiliores materias, nempe Justitiæ Ob» ligationes elegi, more Theologico pertrac» tandas.] Ita Rebellus, de quo Gutierez I. C. *in præfat. de Matrim.* ita testatur: *Ferd. Rebellus de impedimentis matrimonii valde doctè examinat Thomam Sanchez*; quem Sanchez idem Gutierez *ibid.* meritò scribit, *mirè, & doctissimè* suum opus de matrimonio elaborâsse.

Quare equidem ignoro, quo jure succense- 271 ri possit Rebello, Dianæ, & aliis consimilibus, prædictas materias vel intra scholæ parietes explanantibus, vel publici juris facientibus, cùm, sicut hac, & superiore Sectione demonstratum est, ad id præstandum eos longæva consuetudo, cujus *non levis est autoritas c. 9. & 11. de consuet.* alliciat: summorum Principum voluntas, quæ *legis habet vigorem* text. *l. 1. ff. de constit. Princ.* adigat: necessitas lege carens *c. Quanto, de consuet.* compellat: scientia, ut ostendam *sect. seq. & 14.* satis idoneos efficiat: tametsi nec à limine salutârint auditoria ICtorum, evasuri tamen utique excellentiores, si illa frequentâssent duobus, tribúsve annis, ut patebit ex sect. seqq.

SECTIO

SECTIO XIII.

Utrùm ad id, ut Theologi aptè resolvant quæstiones juridicas, necesse sit eos frequentâsse scholas Jureconsultorum?

SUMMARIUM.

Difficultas intelligendi sine vivo Magistro Jus Canonicum, & Civile. 272.
Ille vivus magister non est necessariò Jureconsultus, sed potest esse Theologus. 274.
Possunt doctè de materiis Juridicis disserere plurimi, qui non frequentârunt scholas Juridicas. 276.
Probatur experientiâ quotidianâ. 277.
Et judicio illorum, qui fundârunt scholas Theologicas. 278.
Sicut & illorum, qui approbârunt Regulas præscriptas Jesuitis, Theologiam Moralem docentibus. 279.
Illorum quoque, qui Theologis proponunt dubia resolvenda ex principiis Juris. 282.
Et communi fidelium. 283.
Atque præterea ratione naturali. 284.
Sicut & inductione variâ. 285. *& seqq.*
S. Antoninus mirificè didicit Jus. 287.
Diana excellens Jurista. 289.
Nominantur excellentes Theologi è Societate Jesu, qui non frequentârunt scholas Juristarum. 290.
Nominantur multi ex iis, qui sine Magistro vivo didicerunt Jus, Medicinam, Theologiam. 295. *& seqq.*
Confirmatur denique inductio auctoritate S. Pœnitentiaria, & Concil. Trident. 299.

272 DIco I. Excellentem scientiam Pontificii, Civilisve Juris nanciscì absque omni vivo præceptore, est mediocribus ingeniis impossibile, summis perquam difficile. Ratio petitur ex maximâ obscuritate terminorum, sententiarum, apparentium contradictionum, materiarum multarum ab usu quotidiano vel remotarum, vel etiam alienarum, quibus abundant Decretales, scatent Pandectæ. Confirmat experientia *efficax rerum Magistra* c. Quàm sit, *de electione in 6.* quæ docet id esse verum, quod dixi; si qui enim evaserunt αὐτοδίδακτοι Jureconsulti, præcellente ingenio prædìti fuerunt. Et ita etiam præ- 273 sumendum est de præsenti & futuro tempore, quia *ex præteritis fit præsumptio circa præsens & futurum.* c. Mandata *de præsumptionibus.*

274 Dico II. Ad illam excellentem scientiam sine summa difficultate comparandam, non est magnis ingeniis necessarium adire Lycea ICtorum; sufficit operam quadriennem de more, diligentémque navâsse Theologiæ Professoribus, saltem hac ætate. Ratio est, quia 275 hac ætate partim à Theologiæ Scholasticæ, partim à Moralis, (cui etiam unum, alterúmve annum impendunt discipuli scholasticæ,) Professoribus tam multa de plurimis materiis Juris, priùs à S. Thoma vel tactis, vel etiam explicatis, & intactis quoque traduntur, explanantúrque, ut qui magno ingenio præditus ea probè comprehenderit, possit deindè privato studio, & aliquot optimorum auctorum, juxta lectionem Decretalium, & Pandectarum, crebro, methodicóque usu, magno quidem, non tamen maximo labore, sibi comparare nomen præstantis I. C. præsertim si, ut fieri amat, sæpè solliciteur quæstionibus, & casibus quotidianis. Porrò ex Soto *n.* 265. Lessio *n.* 267. Maldero *n.* 268. Rebello *n.* 270. relatis, discès, quàm multa juridica dictari soleant à Theologis in celeberrimis Academiis Salmantinâ, Lovaniensi, Eborensi.

Dico III. De plurimis quæstionibus etiam 276 ex solo jure Humano pendentibus possunt docte, solidéque disserere illi quoque Theologi, qui *nullos lapides discipularibus* posuerunt in scholis Jureconsultorum. Probatur id I. evi- 277 denter, quia argumentatio ab actu ad potentiam evidens 2. *poster.* 16. Clamant Bibliothecæ, clamant Scholæ, clamant Curiæ, acclamat Orbis totus, reipsa etiam ab iis Theologis, qui pedem non posuerunt in Auditoriis Jureconsultorum, de longè plurimis, adde difficillimis materiis utriusque Juris merè humani, perquam excellenter disputatum, scriptúmque. Inductionem paulò pòst adferam.

Probatur II. authoritate ipsius Europæ 278 Universitatem, harúmque fundatorum, qui, & quæ cathedras Theologiæ Moralis, & Scholasticæ demandant Theologis, nullo pulvere juridicarum scholarum unquam aspersis. Et tamen sciunt, tractandas esse ab his permultas ejusmodi materias, & utique tractandas pro Academiæ honore, auditorum verò fructu, ac solido profectu. Repete, quæ de Soto, Lessio, Maldero, Rebello, retuli *sect. præced.*

Probatur III. judicio sapientissimorum 279 Virorum, qui confecerunt, & suo etiam calculo, exemplóque approbârunt, approbántque Regulas præscriptas à Societate nostrâ Professori Casuum Conscientiæ; in quibus præcipitur disertè: ut ejusmodi Professor explicet *Sacramenta omnia, Censuras, hominum Status, & Officia, itémque Decalogum, & Contractus.* In 280 quorum omnium explicationem sufficientem formandis peritis Parochis, seu Sacramentorum administratoribus, (huc enim omnem suam operam, atque industriam conferre jubetur primâ suâ regulâ Professor Casuum) quàm multæ juridicæ quæstiones, & resolutiones incurrant, novit, qui vel scit, quanta scientia necessaria sit administratori Sacramentorum, vel legis

legit enumerationem, quam Henr. Canisius *in præfat suarum Institut. edit.* 2. facit: vel evolvit nostrorum Casistarum Reginaldi, Filliucii, Laymanni, Palai, aut Bonacinæ, vel Sayri Theologias Morales; in iis quippe vix tractantur aliæ quæstiones, quàm quas ego, aliiq; nostris auditoribus tradere consuevimus, more passim recepto, ut testis est Filliuc. *in Præf. ad*
281 *Lectorem.* Et quia mihi dubium non est, quin cæteri Religiosi Ordines etiam quippiam simile statuerint suis alumnis, Theologiæ Moralis Professoribus, ideo judicio communi, atque institutis doctissimorum, prudentissimorúmque Ordinum repugnant illi I. C. qui volunt tales quæstiones præteriri à Theologis, tanquam à minimè idoneis.

282 Probatur IV. Facto; & calculo tot Laicorum, Ecclesiasticorúmque Principum, Dynastarum, Clericorum, Plebeiorum, qui intra, & extra Confessionem Theologis voce, ac scripto proponunt dubia ex Legibus, & Canonibus resolvenda; acquiescentes eorum responsis. Quot ego vivos, quot mortuos Theologos ejusmodi nominare possem, si opus foret? Quod Sotus relatus *n.* 266. de seipso, hoc de Th. Sanchez, Didaco Ruiz, qui anno ætatis 14. Societati nomen dedit, hoc de plurimis aliis testantur varii scriptores. Evolve Lessii Consilia, seu Casuum conscientiæ Resolutiones; fateberis, eum à longè dissitis, à summis viris consultum fuisse circa intricatissimos casus fori externi, & quidem nonnunquam post jam latam sententiam in tribunalibus, Universitatibúsque. Idem de P. Joanne Avila nostro testatur is, qui ejus libro *de Censuris* præfixit Epistolam ad Lectorem, qui quidem Avila Societati nomen dedit in tenera ætate, teste Alegambe, ac proinde rudis literarum juridicarum.

283 Probatur V. judicio fidelium, qui hactenus non dubitârunt, quin illi etiam Theologi, de quibus memini *n.* 180. fuerint in Synodo Tridentinâ sententiam rogati de illis quoque decretis morum, quæ tam multa, varia, gravia illic instaurata, recénsque sancita sunt. Nec dubitant pii Orthodoxi, quin suam illi mentem sapienter, solidè, atque ad rem, veritatémque appositè in consessu sapientissimorum virorum aperuerint; novimus enim in ejusmodi Conciliis suffragia non numerari, sed ponderari, neque illic solere cœcos consuli de coloribus. Consule Pallavicinum in Historia illius Synodi, & mihi adstipulaberis.

284 Probatur VI. ratione. Quia esto, demus, pleraſque materias juridicas esse Cimmeriis tenebris ita involutas, ut perspici non queant, nisi ab eo, cui vivus præceptor collyrio quodam oculos illeverit, attamen jam suprà dixi, necesse non esse, ut is præceptor Justinianæus (sicut suos vocari mandat Justinianus *in præm. ff.*) nominetur; sufficiet Thomista, sufficiet Scotista, si tradat ea, quæ abhinc annis 60. 80. 100. tradi Magistrâ voce solent à Theologiæ Magistris.

Probatur VII. inductione. In primis enim 285
S. Thomas *in* 2. 2. itémque *in Supplemento*, & *in* 4. *Sententiarum* haud paucas materias, quas adversarii contendunt, esse fori juridici, perquam egregiè explicavit; nec tamen ullo
I. C. præceptore fuit usus. Divus Antoninus 286
tum in Summula, quam vocant *Defecerunt*; tum in ipsa Summa Theologiæ, tam multa & varia, ex ipsis visceribus juris utriusque depromit, atque edisserit, ac si Bartoli, vel Baldi Auditor aliquot annis fuisset. Et tamen se nulli Jurisperito operam dedisse testatur ipse *in Proœmio suæ Summæ*; déque eo lepidum illud narrat Suritus, Lippelous, atque alii, cùm annos 287
15. natus ex Joanne Dominico, à quo in Ordinem Prædicatorum cooptari flagitabat, intellexisset, se fore voti tum demum compotem, cùm totum Decretum Gratiani, (cui volvendo jam assuevisse puerum inaudierat Joan. Dominicus, & idcirco cum festivo illo responso eum à se dimiserat,) ita excussisset, ut planè imbibisse videretur, tam pertinaci labore in id studium incubuisse, ut elapso statim anno ad Joan. Dominicum reversus, promptè, & alacriter ad omnia summâ facilitate responderit. Silvestrum Prieratem juris apprimè peritum 288
evasisse testatur ejus Summa; frequentâsse scholas Jureconsultorum, nescio qui testetur. De pluribus (non dico omnibus) Summistis idipsum jure pronuntiaverim.

De Diana, quem toties arguit, increpat D. 289
Manrique, fateretur puto ipsemet Manrique, si, Duodecim Dianæ partes evoluisset, esse ab hoc placidissimi ingenii viro plurimas juridicas quæstiones tam peritè, & ex propriis juris principiis resolutas, ut si iis in unum volumen redactis inscriptum esset Manriqueanum nomen, omnes, qui eas legerent, pronuntiaturi essent: Doctorem Manrique in eo volumine tueri egregiè boni I. C. nomen, quod sibi suarum Resolutarum Vicarialium quæstionum Parte utrâque comparârat.

Quàm enucleatè, perspicuè, solidè, & planè 290
magistraliter longè plurimas, longè difficillimas materias Legales & Canonicas executi sint nostræ Societatis Theologi: Molina, Azor, Sanchez, Lessius, Rebellus, Palaus, Vasquez, Avila, Suarez, Salas, Cardinalis de Lugo, Dicastillo, Filliucius, atque Reginaldus, ut alios plurimos silentio præteream, nôrunt, quibus livor mentem lævam non indidit. Scimus tamen ex Patris Alegambe Bibliotheca, 291
atque Ribadeneiræ Catalogo, Palaum, Rebellum, Salas anno ætatis 15. Sanchez 16. Molinam 17. Vasquez & Suarez 18. Azor & Avilam pene pueros in Societatem esse adlectos, rudes utique Legum, & Canonum, si Suarium excipias; cui tamen ea, quæ id ætatis, & vix 292
mediocri ingenio tunc præditus, ex hisce didicerat,

dicerat, pleraque omnia, si non omnia oblivione deleta fuerunt, priusquam ad Theologiam audiendam accederet; elapsis nimirum multis annis, quos Tirocinio Religioso, Philosophiæ, atque humanioribus literis per omnes
293 gradus impenderat. Patrem Lessium dedisse Jurisperitis mortuis insignem, vivis nullam operam liquet ex *cap.* 3. Vitæ ipsius conscriptæ à Thoma Courtuis J. U. L. Idem dixeris de PP. Laymanno & Wangnereck; quorum ille anno XIX. ætatis, hic junior adhuc, uterque hospes in Jure, Societati nomen dederunt, & tamen uterque Jus Canonicum in publica Universitate Dilingana interpretati sunt voce, libríque in publicum datis. Magnam peritiam Juris utriusque, qua præditus fuit P. Joan. de Dicastillo, testantur Tomi tum de Justitia,
294 tum de Matrimonio. Didacus Ruiz pene puer Societatem ingressus *excelluit ad miraculum, & opinionem usque infusæ scientiæ, cognitione doctrinæ Moralis, atque omnium Jurium*, teste Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societatis.

295 Confirmatur hæc inductio multis aliis alterius generis. Quis enim Galenum, Bartolum, Tuschum, Mascardum, Menochium, Bellarminum, Gretserum, Adamum Contzen, Abulensem, Liranum, Cornelium à Lapide, ipsum S. Thomam, docuit quintam, decimam, vigesimam partem eorum, quæ Galenus de Locis, Bartolus in Pandectas, Abbas in Decretales, Tuschus in tot millenis Conclusionibus, Mascardus de tot modis probationum, Menochius de tot præsumptionibus, déque arbitrariis judicum, atque possessione ex universo jure utroque. Gavantus de Rubricis Missalis, & Breviarii; Cochlæus, Bellarminus, & Gretserus de Fidei controversiis, Contzen, & Scribanius de politicis, Abulensis, Liranus, Cornelius in Sacram Scripturam, Angelicus Doctor in totam Theologiam sapientissimè, doctissimè commentati sunt?

296 Cardinalis Bellarminus Scholasticam Theologiam Lovanii interpretatus est summa cum eruditionis fama, qui tamen non nisi aliquot quæstiones ex prima, & tertia parte S. Thomæ explicari audiverat. Eandem & Lessius, de quo suprà. *n.* 293. ipsis quindecim annis ibidem est interpretatus, tametsi nunquam Theologiæ, nisi suus ipse discipulus fuerit. Autor
297 vitæ Lessianæ. *cap.* 3. & 4. Habuit ergo ille quidem vivum Magistrum in una Parte; aut particulâ eorum, quæ docuit, & scripsit, habuêre & illi, quos nominavi; at quomodo, vel unde sciverunt tam multas alias literas Canonicas, Legales, Theologicas, Medicas, Politicas, quas non didicerunt?

298 Confirmatur eadem inductio, & principalis conclusio authoritate sacræ Pœnitentiariæ, quæ literas dispensationum exequendas committit Confessariis, æquè Theologiæ, ac Canonum Magistris, cùm tamen illæ literæ continere soleant non unam, sed plures difficultates, non nisi ex Legum Canonicarum præscripto decidendas *cap.* 1. *De Consanguin. & Affin. in fine.* Censet ergo S. Pœnitentiaria etiam à Theologis, qui nullum minerval ulli Jureconsulto debent, posse expediri difficultates Canonum.

Confirmatur rursum judicio Concilii Tri- 290
dentini, ac totius Ecclesiæ, quæ Theologiæ Doctores censet idoneos ad Episcopalem dignitatem, officiúmque, ut videbimus *Sect.* 16. Hi sanè Episcopi, & eorum Vicarii, cùm quotidie illis occurrant controversiæ forenses, eásque, ut supponit Ecclesia, possint communiter definire ex sacrorum statutorum norma, poterunt etiam de multis illarum doctè, prudentérque disserere, aut scribere, licèt neglexerint lapides discipulatûs in scholis Juristarum.

Hoc tamen fateor lubens, ab iis Theologis; 300
qui tres, quatuórve annos impenderunt frequentandis privatis, aut publicis scholis Jurisconsultorum, longè (si cætera sint paria) expeditiùs, securiùs, certiùs pertractari quæstiones juridicas, quàm ab aliis; re enim verâ vivi præceptoris vox magis erudit, quàm mortui, Plura in hanc rem *Sect.* 15. sicuti & hactenus dicta confirmabuntur dicendis *Sect. seqq. & 16.*

SECTIO XIV.

Proponuntur, ac dissolvuntur argumenta, quæ contra superiores resolutiones præsertim Sect. 8. & 13. traditas objici possunt.

SVMMARIVM.

Inauditus condemnandus non est. 301.
Quid Respondendum Juristis, dum objiciunt Theologis illud vulgare: Tractant Fabrilia Fabri? 302.
Juristæ sunt Juris Sacerdotes. 308.
Hi ex officio explicant totum Jus, Theologi non ex officio. 313.
Materiæ juridicæ, quas Theologi licitè tractant. 314. & 315.
Quas illicitè? 316. & seqq.
Objectum Jurisprudentiæ. 319.
Quid etiam respondendum ad illud Argumentum: Juristæ non tractant materias Theologicas, ergo Theologi non debent tractare Juridicas? 322. & seqq.
Prava explicatio materiarum Theologicarum est nocentior, quàm prava juridicarum. 324.
Bonus Theologus facilius evadit bonus Jurista, quàm bonus Jurista bonus Theologus. 326.
Juristæ excellunt memoriâ. 328.

Quid ad illud argumentum: Theologi sæpe errant in explicatione legum, & canonum? 329.
Quid ad quoddam argumentum petitum ex S. Thoma? 330.
Quid ad illud, quòd Theologi non possint sine Magistro quidquam solidi scribere in jure? 334. & seqq.
Vnde Theologi didicerint scribere de rebus Juridicis? 339 & seqq.
Boni Theologi sunt verè Jureconsulti. 346.
Nobilissimus modus discendi est discere ex seipso. 351.
Nominantur, qui ex scipsis didicêre varia. 355. & seqq.
Cur Judæi fuerint mirati, Christum Dominum scire Scripturas, cùm non didicerit? 359.
Materiæ juridicæ, in quibus inconsultò consulunt Juristæ. 364.

301 INauditum, indefensúmque condemnare nefas esse, patet ex *Actor. 25. vers. 16.* & ex certa conclusione juris, ut testatur Clarus *in Pract. crim. quæst. 49. num. 13.* quare audiendi sunt etiam in præsenti causa Jureconsulti nobis adversantes. Qui licèt vix ullum pro se argumentum adferant, quò tamen clarior evadat veritas dictorum, agam ego ipsorum causam, & proferam pro iis, quæ fortè prolaturi essent, si præsentes forent. Nec timeo, ne causæ Theologicæ prævaricator dicar. Potissimùm autem petunt *ii* resolutiones traditas *in Sect. præced. & 8.* Incipiam ab hac.

302 Objiciunt itaque I. illud triviale: *Tractant fabrilia fabri*; quod ab Horatio *l. 2. epist. 1.* expressum videntur desumpsisse ex prolog. S. Hieronym. *in Pentateuch.* quo indicatur, ea sola tractanda esse à quovis, quæ ejus sunt pro-
303 fessionis. Utitur hoc telo perfrequenter D. Manrique, & confirmari inde potest; tum quia culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti
304 *l. Culpa ff. de reg. jur.* tum quia nemo debet falcem mittere in messem, quæ alteri videtur esse commissa. text. *cap. Scriptum 6. quæst. 3.* tum quia non oportet pedem in alieno choro ponere. Plutarch. *in lib. de laud. sui ipsius*; & denique non feruntur in navi, aut militia ii, qui
305 se ingerunt in officium alterius. Atqui Canonum, Legúmq; explicatio pertinet ad professionem Jureconsultorum, non Theologorum.
306 Idque probatur validè; quia provincia explicandi leges civiles est ab Imperatoribus, &
307 Pontificibus demandata Jureconsultis. Nam Justinianus *in Proœm. Digestorum* suas Pandectas commendat Antecessoribus, id est Legum
308 Professoribus. Gl. & patet ex textu. Quapropter Ulpianus *l. 1. ff. de just. & jur.* Jurisconsultos vocat Juris Sacerdotes. Idem Justinianus suas Institutiones inscripsit *Studiosæ legum juventuti* ut liquet ex Præf. Et Gregorius IX. ac
309 Bonifacius VIII. ille *in Proœm. Decretal.* hic *in Proœm. Sexti* commendârunt, miserúntque Decretales Doctoribus Bononiæ, utique Juris, explicandas ab ipsis. Ac denique usus omnium Universitatum id ipsum confirmat. Ergo Theologi revera officium alienum occupant, dum Leges, & Canones explicant ex professo.

R. I. Certum esse, hoc argumento nimis 310
multum probari, scil. illas quoque materias, quæ de rebus Fidei decernentes, habentur in Cod. & Decretal. debere præteriri à Theologis, cujus tamen contrarium ostensum est *Sect. 8.*

R. II. Eo non probari, nefas esse Theologis 311
tractare extra scholas de prædictis materiis; nec enim jus, aut consuetudo habet, ut soli Jurisconsulti scribant de quæstionibus juridicis. Ostendatur textus id vetans. Atqui omnia sunt licita, quæ non sunt lege prohibita. Nellus *de testib. n. 1.* seu expressè prohibita Gl. notabilis *in c. 2. de Transl. Episc.* verb. *Non invenitur.*

R. III. Eo argumento demonstrari, Juris- 312
consultos habere jus, prædictas materias tum extra, tum singulariter intra suas scholas edisserendi ex professo; cum illa tamen moderatione, quam circa res Fidei adhibendam dixi *num. 128.* Unde fit, ut si Theologi in suis auditoriis eas explicarent, attrahendo ad se, & abstrahendo à Jureconsultis auditores, meritò querelam instituere possent Jurisconsulti, suo officio bene, utilitérque fungentes.

R. IV. Eo argumento directè, & per se solùm 313
probari, esse officii Jurisconsultorum explicare in scholis totum Jus; non autem probari, esse aliis illicitum, quasdam illius partes etiam in scholis explanare, auditoribúsque dictare. Probo I. Quia alioqui claudendæ forent, aut potiùs eliminandæ scholæ Ethicæ; etenim in Ethica edisseruntur plurima contenta Jure civili. II. Quia similiter observandæ forent 314
scholæ Theologiæ Moralis, utpote in quibus traduntur longè plurima, Corpori utriusque Juris inclusa; has autem scholas approbat universus orbis. III. Quia in toto orbe explica- 315
tur à Theologis Summa D. Thomæ in cujus tamen parte secundâ continetur medulla ipsius Juris Cæsarei; Juris verò Pontificii notabilis pars exhibetur tum in eâdem secundâ parte, tum in tertiâ, & Supplemento. IV. Quia nemo inficiabitur, ea, quæ in alterutro Jure proponuntur ex Fidei principiis, esse Theologici fori potiùs, quàm juridici. *Suprà n. 128.* Sicuti & ea, quæ ex jure Naturæ manifestè profluunt. *Suprà n. 132.*

Dices: Quas ergo materias nefas est Theo- 316
logis tractare, intra scholæ parietes?

R. Pleraque illas; quæ processum judicialem distinctè, & minutè concernunt; quæ in foro conscientiæ non obligant; quæ in usu raro versantur. Ratio est, quia incumbunt Theo- 317
logis explicandæ tam multæ aliæ materiæ usûs quotidiani, & conscientias constringentes, ut

sine harum detrimento non possint aliis vaca-
318 re. Deinde plerarumque Legum, & Canonum ex solo Jure humano pendentium distinctam, accuratámque explicationem ita sibi vendicârunt Juristæ, ut eâ abstinere debeant in scholis Theologi, contenti quadam generaliore, aut summariâ, nisi quatenus aliud circa quasdam, non tamen usque adeò multas obtinuit usus, qui uti in reliquis rebus humanis dijudicandis, ita & in hac plurimum valet; cùm etiam hîc *consuetudinis, usúsque longævi non sit levis autoritas*, text. cap. *Cùm consuetudinis, de consuet.*

Cùm hæc jam scripsissem utrâque priore Editione hujus Tractatûs, incidi in Librum Quartum Responsorum Moralium Eminentissimi Cardinalis Joannis de Lugo, reperíque in illius libri *Dubio* 34. hunc titulum. *Quousque possint Magistri Societatis tradere in Scholis materias Canonicas.* Resolvit autem illud Dubium faciendo discrimen inter docentes in Scholis, & libros edentes in publicum, exprimendóque, posse à PP. Societatis extra Scholas agi de omnibus materiis Juris; sic enim Thomas Sanchez, Ludovícus Molina, & alii Societatis Doctores in suis libris ex professo agunt de materiis etiam *secundæ Classis*, per libros autem *secundæ Classis* intelligit illos, qui explicant materias forum contentiosum spectantes. Non fugiebat autem hunc Cardinalem, PP. Molinam & Sanchez nullam unquam operam navâsse publicam discendo Juri Canonico.

319 Urgebis. Objectum Jurisprudentiæ Civilis universim sunt Leges civiles, seu Politicæ. Tannerus Theol. *Tom. 1. q. 4. dub. 5. n. 6.* sicut Jurisprudentiæ Canonicæ objectum adæquatum sunt Canones Ecclesiastici. Idem Tanner. *n. 7.* ergo Theologi invadunt objectum Jurisperitorum, quando scripto, vel voce exequuntur Leges, vel Canones.

320 R. Non invadunt, sed manent in possessione juris, circa illud se occupandi; circa totum quidem exponendo illud ad normam Evangelicam. *Suprà num. 100.* & 111. circa partes verò, explanando illarum multas secundùm dicta *Sect. 8.* sub alia tamen ratione formali quàm Juristæ. *Sup. n. 90.* Nec rarò fit, ut duo habitus habeant idem objectum materiale.
321 Adde, quòd sicuti frequenter evenit, ut Dominus certa de causa perficiat ea, quæ sunt famuli, & præcingat se, ministrétque huic. *Luc. 18.* Ita etiam Theologo, (cui ancillantur cæteræ scientiæ. S. Thom. relatus *num. 118.*) fas est, ex iis materiis, quas Jurisconsulti explicare deberent, illas sibi explicandas desúmere, quas judicat, hic & nunc edisseri prudenter, utilitérque ad suum finem, qui est procurare salutem animarum. *Suprà num. 174.* Manet nihilominus discrimen inter Theologiam, & Jurisprudentiam, quale indicatum est *Sect. 6.*

Objiciunt II. Jureconsulti non tractant
322 materias Theologicas, & si tractarent, ferrent perægre Theologi; ergo nec hi ferendi sunt, quando juridicas explicant. Hoc argumento non semel Theologos petit Manrique, & roboratur decisione leg. 1. *ff. Quod quisque, &c. Cùm omnes. de constit.* quibus dicitur: *Quod quisque juris in alterum statuerit, ipse eodem utatur.*

R. I. Etiam ipsi Jurisconsulti quandoque 323
saltant in choro alieno. *Infra num. 481.* II. A diversis non valet illatio *L. Papinianus ff. de minor.* est autem hîc diversissima ratio: tum quia pro Jurisconsultis non militant ea motiva, quæ pro Theologis; tum quia longè majus periculum gravium, salutíque publicæ, & privatæ pernicioforum errorum subest, si Jureconsulti tractent sacram Doctrinam, quàm si Theologi Legalem, aut Canonicam. Etenim 324
prava explicatio Fidei articulorum, doctrinarúmque, directè concernentium ipsam conscientiam, longè magis noxia est, quàm inepta, falsáque explicatio quæstionum, forum externum directè spectantium, & variabilium; 325
quippe sicut *pejus est errare in via morum, quam in via pedum*, ut ex aliena phrasi loquitur S. Thom. *quodlib. 1. a. 13.* ita pejus est, errare in via fori interni, quàm externi, quia toto Cælo errat, qui in illa errat, ut magis declarabo infrà *n. 513.*

Adde quòd bono Theologo fit, cæteris pa- 326
ribus, longè faciliùs evadere in præstantem Jureconsultum, quàm huic in præstantem Theologum; nam ne mediocris quidem Theologus evadet, nisi qui Philosophicis disciplinis probè excultus, judicio, ingenio, memoria saltem mediocrib. instructus, contemplationi multùm temporis tribuat. At quotusquisque Ju- 327
risconsultus Theologos æquat Philosophicarum rerum scientiâ? quotusquisque labore speculandi? De ingenii maturitate, memoriæ facilitate nil assero, nil inficior, cùm non habeam, cur illos his, hos illis in hoc genere præferam. Tametsi fateor, à Jurisconsultis plura, 328
quàm à Theologis dari specimina memoriæ tenacis, promptæque; idque necessarium esse, tum quia eis erubescendum est sine lege loqui. Authent. *de trien. & sem. §. consideremus coll. 3.* tum quia Petrus Aureolus *in 1. Sentent. quæst. 1. prol. art. 3.* scripsit, scientiam Legalem, aut Canonicam, non esse in positivis scientiam, sed memorativam retentionem legum. Quanquam Ponzinibus *in Tract. de Lamiis* operosè, doctéque contendit, esse scientiam. Certè Jureconsultos in causarum indagatione longè superant Theologi, ut ex Molina referam. *num. 393.*

Objiciunt III. Theologos sæpe errare in 329
expositione legum, ergo debere his explicandis supersedere.

R. Sicut non diffiteor, Theologos quandoque hallucinari in interpretatione quarundam legum, quandoquidem ipsimet Jurisconsulti non rarò in earundem explicatione fal-

luntur; ita ajo, à permultis Theologis plurimas illarum æquè bene ediſſeri, quàm à Juriſtis. Credunt hoc, imò ſciunt literati; credent hujus rei imperiti tum ex dictis *Sect. præced.* tum ex dicendis *Sect. ſeqq.*

330 Objici poteſt I V. e. S. Th. quòd *quodlibeto 9. q. 7. a. 14.* expreſſè dicat, illam quæſtionem: *An mortaliter peccet, qui abſque diſpenſatione duas præbendas ſine cura animarum habet?* pertinere ad Juriſtas, in quantum ea pendet ex jure poſitivo; ergo etiam omnes aliæ quæſtiones juridicæ pendentes ex mero jure humano pertinent ad Juriſtas.

R. Concedo totum. *Inſtabis*: Ergo non ad
331 Theologos, ergo Theologi officium alienum invadunt, dum eas explicant. Diſtinguo primum conſequens: non pertinent ad Theologos primariò, Conc. ſecundariò, Nego; pertinent enim talia ad Juriſtas primariò, & ita quidem ut explicandi non modo jus, ſed mandatum habeant; Theologi jus habent ſine mandato, niſi in quantum & deficiunt Juriſtæ, &
332 exigit ſalus animarum, ideo hoc ſenſu poteſt dici, tales materias pertinere ad Theologos tantùm ſecundariò; quamvis alio etiam ſenſu rectè dicatur, tantùm ſecundariò ad eos pertinere, quia ſcilicet Theologi primariò, & per ſe agunt tantùm de iis, quæ ſubſunt rationi formali Theologiæ, ſcilicet revelationi; de aliis ſolùm ſecundariò, & quaſi per accidens; ſicuti Phyſica habet alia objecta primaria, alia ſecundaria.

Atque hæ ſunt præcipuæ rationes, quibus
333 impugnari poteſt noſtra ſectio octava, in qua docuimus, fas eſſe Theologis, verbo & ſcripto reſolvere queſtiones, controverſiaſque juridicas. Jam videndum eſt, quid objiciant Adverſarii contra doctrinam Sectionis præcedentis, qua diximus, ad prædictas quæſtiones reſolvendas opus non eſſe, ſcholas Juriſtarum frequentaſſe.

334 Objiciunt itaque Juriſconſulti contra Theologos id factitantes, dicúntque, ut vidimus *num.* 39. intra ſe: *Unde iſti literas Canonicas, & Legales ſciunt, cùm non didicerint?* Alludunt videlicet I. C. ad illud impiorum Judæorum. *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* Joan. 7. Quod dictum Judæorum videtur eſſe conforme communi judicio hominum, conſentium, neminem ſcire literas, qui non didicerit ab aliquo vivo præceptore.

335 Confirmari id poteſt authoritate S. Hieronymi, qui *in epiſt. ad Paulinum* præfixa ſacris Bibliis ſic diſſerit: *Taceo de Grammaticis, Rhetoribus, Philoſophis, Geometris, Aſtronomis, &c. Ad minores artes veniam, & quæ non tam linguâ, quàm manu adminiſtrantur: Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum, lignorúmque cæſores, lanarii quoque & fullones & cæteri, qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricantur, abſque Doctore eſſe non poſſunt, quod cupiunt. Quod Medicorum eſt, promittunt Medici; tractant fabrilia fabri; Sola Scripturæ* (ſola Juriſprudentiæ) *ars eſt, quam ſibi paſſim omnes* (Theologi) *vendicant.* 336

Et nónne videmus in urbibus, in quibus Politia viget, non permitti, ut quiſquam exerceat opificium, quod ipſe non didicerit à Magiſtro? Nónne antiquo proverbio fertur: Remigem priùs eſſe oportere, quàm clavum tenere? 337

Rurſum confirmatur opinio adverſariorum authoritate M. Tullii, qui de ipſa Juriſprudentia ſcribens ad Trebatium diſertè ait, Jus Civile ex libris quaſi αὐτοδιδάκτου (quanquam plurimi ſint) cognoſci haud poſſe, ſed Doctorem, aut Interpretem, ceu lumen requirere. 338

Ad hoc ab adverſariis propoſitum, à nobis ita confirmatum argumentum non eſt ita difficile reſpondere. Quando enim quærunt adverſarii, unde Theologi literas Legales, & Canonicas ſciant, cùm non didicerint? 339

R. I. Nullo modo neceſſe eſt, ut illas ipſas quæſtiones, quas Theologus, Juriſconſultus, Medicus, Philoſophus, Mathematicus reſolvit, earúmve immediata, propria, ſpecialia principia audierit aliquando ex ore cujuſquam hominis, nedum earum facultatum Profeſſoris. Probat id uſus quotidianus, adſtipulatur ratio. Etenim concluſiones particulares latent in principiis generalibus, nam *in toto partem non eſt dubium contineri. reg. 60. in 6.* Et quidem non in ſolis proximis & immediatis, ſed etiam in remotis, mediatis, & valde univerſalibus; è quibus, quia illas deduxerunt noſtri majores ſine præceptore, (alioqui dabitur proceſſus in infinitum,) fit, ut & nos etiam poſſimus abſq; Magiſtro deducere. Nec enim natura ſe novercam adeò parcam oſtendit erga hujus ætatis Theologos, Jureconſultos, Medicos, &c. ut neget eis vim penetrandi per ſe ea, quæ priſci penetraverunt ſolo ductu rationis, directæ generalibus principiis. Ergo potuit Diana, potuêre alii innumeri ex ſola definitione uſuræ (ad quam probè intelligendam, neceſſe non eſt Ulpiano Hecatombe litare) probabiliter pronuntiare de illis duabus quæſtionibus uſurariis, quas à Theologis non vult tangi Manrique, & quas indicavi *n. 46. & 48.* 340 341

R. II. Didicerunt magnam partem à ſuis in Theologia profeſſis Doctoribus, ut cum Caſſiodoro loquar. Poſſem ego exprimere aliquot centurias reſolutionum, ex utroque Jure deſumptarum, & deductarum, quas à meis præceptoribus accepi. Hinc 342

R. III. Didicerunt, & didicimus à Juris peritis vivis, inque eorum ſcholis: Sicut enim *non verbis, ſed ipſis rebus leges imponimus* text. *l. 2. Cod. Communia de legat.*; ita etiam illos rectè Juris peritos nuncupamus, non qui inanes Titulos I. V. Doctorũ pretio, vel prece emptos oſtentant, ſed eos qui veràm peritiam Juris habent. Habent autem etiã Theologiæ Profeſſores haud pauci. Eſt enim Juriſprudentia aliud nihil, teſte 343 344 345

Ulpiano *l. 1. ff. de juſt. & jur.* quàm *rerum divinarum, humanarúmque notitia, juſti & injuſti ſcientia*; hac autem prædita ſunt Theologiæ permulti Profeſſores, æquè atque plerique recèns creati Doctores I. U. quos tamen Juriſperitos nemo non vocat. Quare ſi propriè, & non
346 vulgari; communique modo loquendum ſit; fuêre S. Thomas, Sotus, Silveſter, Molina, Leſſius, Malderus, Diana: *& vocabulo, & merito. cap. fin. diſt.* 36. Juriſperiti, & qui eis operam immediatè vel mediatè dederunt in Athenæis Theologicis, propriè dicendi ſunt operam dediſſe Juriſperitis, in Juriſperitorum ſcholis; licèt ea locutio à communi modo loquendi abhorreat, qui Juriſperitum non adjectivè, ſed ſubſtantivè ſolet accipere. Verùm de verbis contendendum non eſt, quando res habetur, quia *non ſermoni res, ſed rei ſermo eſt ſubjectus. cap.* Intelligentia. *de verb. ſignif.*

347 Nec obeſt, quòd multi Theologiæ Profeſſores longè plurima, aut etiam pleraque ignorent in Jure; ignorant enim etiam recèns creati Doctores Juris plurima, & id quod ſcimus, non eſſe centeſimam partem eorum, quæ ignoramus, conſtat ex Platone. Atque hinc tantùm ſequitur, Theologos communiter non eſſe perfectos Jureconſultos.

348 R. IV. Didicerunt à Theologis mortuis, à Juriſconſultis mortuis. Etenim longè plurimæ difficultates Legales, & Canonicæ ſunt à Theologis, & Jureconſultis tam perſpicuè, editis libris, diſſolutæ, ut talpam, non Theologum meritò dixeris, qui illarum veritatem in eorum
349 monumentis non perſpexerit. Si adverſarii perpendiſſent, quàm exercitato, multarúmque diſciplinárum capaci ingenio, quámque ſano judicio oporteat eſſe eum, qui omnium ſcientiarum principem in publicis Lyceis, ad formandos peritos adminiſtratores Sacramentorum, cum ſatisfactione, atque laude explicat, ſanè advertiſſent, à ſe de Theologis nimis abjectè ſentiri, dum toties inſinuant, non poſſe ab iis rectè pronuntiari de materiis juridicis, etiam poſtquam copioſiſſimi Covarruviæ, ſole clarioris Menochii, Navarri, Julii Clari, Andreæ Gaill, Dyni, Decii, Peckii, Streinii, atque aliorum ejuſmodi practicas Reſolutiones, Concilia, Caſus, Obſervationes, Regularum explicationes, &c. ſuper iis diligenter, meditatéque conſuluerunt.

350 R. V. Diſcunt, & hauriunt ex ipſis fontibus; Decretalibus, inquam, Digeſtis, &c. Didicerunt quippe Theologi verba latina tum inflectere, tum etiam intelligere; & ea quoque, quibus Jus conditum eſt. Quæ ut intelligant non ſolùm ſenſu Grammatico, ſed Legali, juxta leg. *Nominis 6. §. verbum ff. de verb. ſignif.* lumen petunt ab Inſtitutionum, Gloſſarúmq; lectione; ab antecedentibus, & conſequentibus, juxta doctrinam S. Auguſt. *l. 3. de doctrin. Chriſtian. c. 2.* & ab ipſo ſuo ingenio tam mul-

tis aliis diſciplinis exercitato. Non omnes 351
Leges, aut Canones ſunt ejuſmodi nodi Gordii, ut non niſi Bartoli, Joannis Andreæ, Jaſonis, Caſtrenſis, Innocentii, Felini, & aliorum collegarum gladiis diſſolvi poſſint. Tentárunt id, & quidem feliciſſimo eventu quamplurimi Theologi, & eodem ſucceſſu perficient alii, præſertim ſi ſuos gladios acuerint core optimorum Jureconſultorum, quos Religioſorum quoque bibliothecæ ſuppeditant. Certè Covarruviam, & Navarrum; vix eſt accuratus Theologiæ Moralis Profeſſor, qui non perpetuò ad manum, creberrimè in oculis habeat.

R. VI. Didicerunt denique à ſcipſis, adeó- 352
que nobiliſſimo modo. Etenim obſervat ex Ariſtotele *1. Ethic. c. 4.* S. Th. *3. p. q. 9. a. 4.* duplicem eſſe modum acquirendi ſcientiam; ſcilicet inveniendo: & addiſcendo à præceptore: priorem modum, qui eſt per inventionem; eſſe præcipuum; poſteriorem verò, qui eſt per diſciplinam, eſſe ſolùm ſecundarium. Hinc Ariſtoteles *loc. cit.* refert ex Heſiodo ho- 353
ſce verſus:

Optimus eſt, ſeſe qui novit cuncta magiſtro.
Ille etiam bonus eſt, alium qui recta monentem
Audit, & inventis ponit veſtigia latus.

Scimus, facile eſſe inventis addere. Quidni igitur poſſint Theologi principiis, quæ à Jureconſultis tam præclarè explicata ſunt, addere ſuopte Marte concluſiones in nullo autore lectas? Nónne *miſerrimi ingenii eſt, nolle, aut non* 354
poſſe niſi inventis uti? Boëtius *de diſcipl. ſchola.*

Nec obſunt huic reſponſioni ea, quæ tum 355
ex communi judicio hominum, tum ex S. Hieronymi enumeratione protuli *n.* 335. Etenim in primis non eſt commune hominum judicium, quòd planè nemo literas ſciat, id eſt intelligat, qui non didicerit ab alio. Nam, ut cæteros taceam, S. Auguſtinus Categorias Ariſtotelis ſine præceptore intellexit, ut teſtatur ipſe in lib. Confeſſ. Deinde S. Antoninus *in* 356
Prooemio ſuæ Summæ teſtis locuples eſt, ſe in nulla facultate præceptorem ullum habuiſſe, præterquam in Grammatica, & parte Dialecticæ. P. Leonardus Leſſius Græcas Literas nullo 357
Doctore addidicit teſte P. Alegambe *in Bibliotheca Societatis*; ſed ſolùm hoc eſt commune judicium, neminem facilè, qui abſque Doctore multùm literatus evadat: neminem abſolutè, qui abſque Doctore legere ſciat, reperiri. Di- 358
citur verò is literas neſcire, qui nec legere, nec ſcribere novit. *l. Athletæ. §. fin. ff. de excuſ. tutor.*

Nec mirabantur tantopere Judæi, quòd 359
Chriſtus Dominus utcunque aptè diſſereret de divinis oraculis, pro quibus diſcendis nec ad Gamalielis, nec ad alterius Scribæ, aut Phariſæi pedes ſederat, ſed id mirabantur, quod S. Auguſtinus *Tr. 29. in Ioannem* expreſſit hiſce verbis: *Cùm doceret, mirabantur Iudæi; ſed unde admiratio? Quia multi noverant, ubi natus,*

quemadmodum fuerit educatus. Nunquam eum viderant literas discentem: audiebant autem de lege (subtilissimè) *disputantem, legis testimonia proferentem, quæ nemo posset proferre, nisi legisset; nemo legeret, nisi literas* (id est alphabetum) *didicisset.*

360 Deinde verum est, neminem fortè excellere in iis liberalibus, & mechanicis artibus, quas exprimit S. Hieronymus, qui nunquam ullum in iis magistrum habuerit; at non pauci in iis excellunt, qui non nisi paucas præceptiones, paucæ elementa acceperunt à Magistris. Et quia fateor, neminem Theologum evadere in præstantem Jurisconsultum, si nulli planè Jurisperito Justinianeo, Thomistico, aut Scotistico, &c. operam ullam dedit, idcirco nil momenti contra me habet authoritas S. Hieronymi.

361 Adde quòd, qui legerit ea, quæ de rerum inventoribus scribunt Polydorus Virgilius, Majolus, atque alii, dicturus sit, S. Hieronymi sententiam esse cum auxesi, aut hyperbole prolatam. Tulit sanè nostra ætas homines, qui absque Magistro didicêre (errando) Musicas cantiones componere, imagines æri incidere, vel coloribus exprimere, perspicilia, atque Organa Musica, item instrumenta Mathematica, tubos opticos conficere, ædes sacras & profanas struere, &c. idque affabre, & ex arte sine præceptis artis.

362 Ad Tullii authoritatem respondeo, Jus civile totum haud posse à quòquam, qui divino ingenio præditus non sit, intelligi absque omni Magistro, atque interprete; posse autem magna ex parte. Et, amabo, quis primo interpreti legum singularum fuit interpres?

363 Ex hactenus disputatis inferes, laudandos quidem Theologos, & Confessarios, qui pro occurrentibus dubiis circa materias juridicas, consulunt vivos Jureconsultos, quoad commodè possunt; attamen rarò id necessarium esse; quandoquidem supperunt tot mortui

364 Jureconsulti, tot vivi Theologi. Et verò non facilè suaserim, ut quis in dubio concernente sacros Canones à strepitu forensi liberos, adeat Jureconsultum consilii causâ, nisi hic Professor juris sit; pauci enim è certis Doctoribus, aut Licentiatis juris ejusmodi Canones calent: nam & pauci in scholis Canonicis tantum profecerunt, quantum in Justinianeis; & plerique in lites profanas excitandas, dirimendas intenti sunt. Questus fuit olim Tullius *in 3. de Oratore*: *neminem discere Pontificium jus*; meritò querimur, à paucis etiam Jureconsultis illud disci, ut par est. Certè consiliarii Principum, & singulariter Ecclesiasticorum deberent esse illius peritissimi.

SECTIO XV.

De Authoritate Theologorum in materiis juridicis.

SUMMARIUM.

Jurisconsulti nonnulli scribunt, non posse tutò stari responsis, quæ dant Theologi circa quæstiones pendentes à jure. 365.
Eorum fundamenta. 366.
Refutantur judicio innumerorum Jureconsultorum Classicorum. 367.
Et forensium, practicorumque. 368.
Quanti singulariter fiat Molina? ibid.
Quanti Lessius? 369.
Et Carolus Scribanius? 372.
Refutantur iidem Juristæ judicio Summorum Theologorum. 374.
Et Summorum Pontificum. 376.
Ac totius Europæ. 377.
Idem repugnant rationi. 378.
Referuntur textus damnantes imperitiam. 381.
Duo actus faciunt consuetudinem. 388.
Theologorum judicium est judicio Jureconsultorum præferendum in materiis juridicis fidem Catholicam concernentibus. 391.
Et in debito sensu Legum, Canonúmque spectantium ad jus Naturale. 392
Secus, si agatur de sensu, quem reipsa intendit Legislator. 396.
Item. Si agatur de explicatione Legum, & Canonum pendentium ex solo jure Humano. 399
Per accidens tamen sunt etiam hîc quandoque præferendi Theologi. 405.
Probatur variis rationibus. 407. *& seqq.*

365 QUæritur hîc I. *Utrùm sequi tutè quis valeat Theologorum opiniones de materiis juris differentium?*

Negat apertè satis Garcia, & Manrique, ut ostendi *n.* 76. Videtur & negare Alvarus Pelagius *de Planctu Ecclesiæ. l.* 2. *c.* 20. *vers. Tricesimum &c.* dicens: *Recurrat igitur quilibet pro casibus ad Jurisperitos, non ad Religiosos, quia tractant fabrilia fabri.* Confirmari potest hæc negativa pars inde, quòd in obscuris inspiciamus, & sequamur id, quod plerumque fieri solet *cap. Inspicimus in 6. & L. In obscuris. ff. de reg. jur.* Cùm ergo plerumque fieri, opinione horum Doctorum, soleat, ut Theologi labantur in materiis Juris, debemus, quoties aliunde nobis de contrario non constat, meritò habere Theologos suspectos de errore, & lapsu circa illas materias, & proinde illos non sequi, præsertim cùm soleant sine fundamento loqui, & omnes prudentes nôrint, in sequendis tutò opinionibus non esse numeranda suffragia, sed ponderanda.

366 Respon-

Respondendum tamen est, falli haud dubiè Adversarios.

367 I. Quia repugnant judicio ipsorummet Jurisconsultorum Scholasticorum, seu Classicorum. Etenim Navarrus, Covarruvias, Zerola, Graffiis, Ugolinus, Vallensis, suas sententias Canonicas firmant autoritate S. Thomæ, Cajetani, Silvestri, Sanchezii, &c. Gutierez, Bonacina, Barbosa, Moronus, Pax Jordanus, suas itidem à jure Canonico pendentes opiniones calculis plurimorum Theologorum assiduè roborant, sicuti & perpetuò in materia de Irregularitate Riccius, aliique; id minimè facturi, si cum Manrique, & Garcia putarent, Theologos in materia juris solere sine fundamento loqui. Id ipsum factitat Emmanuel Rodriquez, qui tamen se ipsum Jurisperitis accenset *Tom.* 1. *Quæst. Regul. q.* 76. *art.* 4. Idem perpetuò in suis de Justitia sex Tomis P. Christophorus Haunoldus noster, multis annis priùs Jurisprudentiæ quàm Theologiæ auditor; idem novissimè P. Ernricus Pirhing, in suis omnino præclaris Quatuor Tomis in tres libros priores, Quintumque Decretalium; qui tamen in sæculo ultra quadriennium operam impenderat perdiscendæ Jurisprudentiæ, multóque usu didicerat, quanti facienda sit autoritas purorum Theologorum in materiis utriusque Juris. Adde, quòd videamus Scholas Theologorum à Juris Civilis & Canonici Studiosis magno numero frequentari tunc, cùm ab his explicatur materia de Justitia. Denique ipsemet Nicolaus Garcias non modò sexcentiesin toto suo vasto Opere de *Beneficiis* advocat Theologos in patrocinium suarum minùs principalium[1], ex Jure tamen decisarum sententiarum, sed etiam primariam totius illius libri conclusionem, id est definitionem Beneficii Ecclesiastici stabilit singulariter autoritate Cardinalis Toleti, ut videre est in prima part. *c.* 2. *n.* 1. & tamen Titulus XIV. lib. III. Decretalium est hic: *De Præbendis & Dignitatibus.* Profectò sic animus non minùs facto, quàm verbo declaratur. *Paulus, in L. Non tantùm ff. Ratam rem.* Et si plus est rem ratificare facto quàm verbo, *c. Dilecti.* de appellat. Decius *Consil.* 449. & 585. dicendus est Garcias haud paulò pluris æstimare in pertractatione materiarum Jure Canonico comprehensarum autoritatem Theologorum, quàm credi velit Manrique.

368 II. Quia repugnant judicio Juristarum forensium, & practicorum. Audi, quid de Ludovico Molina nostro, (quem Manrique non præfert cuiquam Legulæo primùm heri nato,) testetur Silvester Maurolycus *lib.* 1. *Oceani Relig. Ipse verò Molina*, inquit, *in Theologia Moralitanta est autoritatis, tantáque æstimationis in tribunalibus, & apud juristas, ut sine ullo admiculo, aut copia aliorum autorum adferat lumen veritati, decisionem causæ, terminum litigiis.* Ita Maurolycus. Et certè si quis consideret, quàm eruditè, ac sapienter doctrinas juridicas ad sua principia reducat Molina, quàm exactas definitiones possessionis, aliarúmque rerum tradat, explicet, defendat, fateri cogetur, esse ab ipso magnopere illustratam Jurisprudentiam.

Lessium quoque permagni fieri à Jurecon- 369
sultis ipsis perspicuum est ex singularibus elogiis, quibus omnia ejus opera condecorant tres celeberrimi I. C. Justus Lipsius in peculiari Epigraphe, Andreas Valerius Desselius in sua Bibliotheca Belgica, & Nicolaus Vernuleus in sua Academia, ubi inter reliqua de Lessio hæc leges: *Quidquid publici juris scribendo fecit, omnium Applausum tulit; quidquid è Cathedra dictavit, ab omnibus quæritur, describitur, asservatur. Ita dignum prælo judicatur, quidquid ab ejus ore, vel calamo prodit.* Quis jam dicat Lessium, & ei similes Theologos *solere sine fundamento* loqui, scribereque de Justitia & Jure, de Contractibus, de Beneficiis Ecclesiasticis? &c.

Adde quòd ipsemet Lessius *in præfat. sui Ope-* 370
ris de justit. testetur, antequam illud imprimeretur, fuisse magno labore, vel sumptu à plurimis descriptum. Et audivi ego abhinc annos octo supra quinquaginta quendam Syndicum referentem, se in plerisque dubiis, quæ ratione officii coram Capitulo Cathedrali Augustano, cui serviebat ipse, resolvenda erant, confugere ad Lessium: ab eo ita juvari, atque doceri, ut non sine commendatione doctrinæ, & prudentiæ audiretur.

Quin locuples testis est Riccius *in Praxi Ir-* 371
regularit. decis. 424. fuisse ob autoritatem Suarii, Emanuelis Sa, & Henriquez Theologorum, in curia Neapolitana contra Navarrum, aliósque Juristas resolutum: Homicidam esse, & fuisse capacem pensionis Ecclesiasticæ.

Caroli Scribanii judicium, & sententiam 372
fuisse omnibus mercatoribus Antuerpiensibus, in difficultatibus mercatoriis pro norma irrefragabili, affirmat Alegambe in Bibliotheca.

Non ignoro, esse, fuisséque complures Pro- 373
fessores, Doctorésque juris, qui ne quidem nictante oculo inspiciant, aut inspexerint Sotum de Jure & justitia, Suarium de Censuris, & Legibus, Molinam de Contractib[9], alios Theologos de aliis argumentis juris, quasi vel puderet eos, à Theologis quidpiam discere, aut desperarent, posse se quidquam ab iis doceri. Verùm hos erroris damnant periti rerum, illos rideret Vespasianus, si viveret, cujus illa gnome: *Ex quovis lucro bonus odor.*

III. Quia repugnant judicio omnium Theo- 374
logorum hujus, atque superioris sæculi; illi enim omnes, dum suas opiniones, & judicia de Quæstionibus juridicis proponunt, aliorum quoque Theologorum arbitriis eas firmant. Neque ideirco Theologos alios in suum patro- 375

cinium advocant, & laudant, quòd ea ratione laudari & ipsi, citarique cupiant, sicuti de suæ ætatis Jureconsultis sentit Ferrarius *in pract. Crim. in form. product. test. ad æternam rei memor. verb. Usque ad Calendas n.* 8. facta enim *quæ dubium est* (multò magis quando dubium non est de bono.) *quo animo fiant, in meliorem partem interpretari debemus.* Reg. 2. de reg. jur. in 5.

376 IV. Quia repugnant judicio ipsorummet Summorum Pontificum, adeóque apertæ decisioni Clement. *Et si principalis, de rescriptis*, ubi statuitur, & in hodiernum usque diem observatur, ut Superiores Religiosorum, Priores Conventuales, Guardiani, Rectores assumantur in judices causarum Apostolicarum; sciunt autem Pontifices, plerosque ex his Superiorib. esse Theologos, non autem I. C.

377 V. Quia repugnant judicio totius Europæ Universitatum, sapientissimorum Religiosorum, Principum, Episcoporum, sacræ Pœnitentiariæ, totius Ecclesiæ, ut deduces ex dictis, probatisque *Sect.* 12. 13. 14.

378 VI. Quia repugnant rationi: siquidem ex parte illorum, qui sententiæ cuipiam probabilitatem sua autoritate conciliare debent, sufficiunt tres conditiones, ut scil. sint pii, prudentes, & docti in ea materia, in qua conciliare debent probabilitatem. DD. *in materia de opinione probabili* cum Sanchez *lib. 1. mor. cap.* 9. Atqui adversarii non negabunt utique Theologis eam pietatem, & prudentiam veram, quam nos ultro fatemur præsumi debere de quovis I. C. de quo nil constet in contrarium. De doctrina, quam haud dubiè inficiabuntur adversarii, probo, tum judicio omnium, quos paulò antè nominavi, tum rationibus hactenus factis, tunt quia licèt argumentum à potentia ad actum communiter non valeat, ut nôrunt etiam rudes, valet tamen hîc, & valdè stringit; eámque ob rem sic argumentor:

380 Theologi, qui suum judicium proferunt de materiis Canonicis, & Civilibus possunt, si velint, illas materias bene intelligere, & de iis prudenter judicare, ergo reipsa illas saltem à toto genere intelligunt, & prudenter de iis communiter à toto genere judicant, quando de iis suam sententiam, præsertim scripto promunt.

381 Antecedentis veritas patet ex hactenus dictis. Consequentia probatur, quia alioqui non leviter DEUM offenderent, si ferrent publicum testimonium, atque judicium de rebus, quas non intelligunt. Non enim ignorant illam regulam juris: *Imperitia culpæ annumeratur.* L. Imperitia *ff. de reg. jur.* Sicut nec illam: *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet. reg.* 19. *in 6.* qui, inquam, susci-pit tractandum negotium destitutus scientiâ debitâ, sicuti exemplo Judicis, de quo *L. Si judex ff. de var. cogn.* Medici, de quo *L. Illicitas* §. *sicuti. ff. de offic. præsid.* Artificis, de quo *L. Si quis fundum ff. Locati.* Assessoris, de quo *L. Hoc 2. ff. quod quisque juris.* declarant Dynus *in cit. reg.* 19. & Ferrarius *in L. Culpa est ff. de reg. jur.* 382
Non nesciunt illud S. Hieronymi: *Puerile est, docere quod ignores.* Nec illud ejusdem: *Multo tempore disce, quod postea doceas.* cap. *Sic vive* 16. *q.* 1. Sæpe expenderunt illud Osee. 4. *Quia tu scientiam repulisti. &c.* Sed & sciunt, longè plurimos viros bonos, ac prudentes sentire, atque loqui de se meliùs, quàm scribant Garcia, & Manrique, ac proinde esse plurimos, qui acquiescant in praxi decisionibus juridicis Theologorum, quique sint consequenter in perniciosum errorem inducendi, si Theologi scribant, quæ non intelligunt. Atqui, sicuti de 383
nullo alio facilè debemus præsumere delictum, *l. Meritò. ff. Pro socio*, sed quemque reputare bonum; donec probetur esse malus; *L. Omnimodo. Cod. de inoff. testam.* & *L. Cùm quidam. ff. de Legat.* 2. Dynus, & Canisius *in cap. Semel malus. de reg. jur. in 6.* ita etiam de Theologis non est præsumendum; quòd negligant eam intelligentiam legum, & Canonum, quam tenentur habere, dum de illis ferunt judicium; argum. *cap. In nostra. de procurat.* Adeóque præsumendi sunt idonei, donec aliud in contrarium ostendatur. text. c. fin. de præsumpt.

Non obest, quòd Theologi quandoque ad- 384
modum ineptè, & ridiculè, improbabiliterque nonnullas leges intelligant, atque explicent. Non enim hinc sequitur, eorum autoritatem esse communiter nihili; aut parvi faciendam. Tum quia ipsimet conditores legum quandò- 385
que turpiter in iis condendis errârunt, ut dum approbant concubinatum, usuras, repudium, præscriptionem cum mala fide, destitutionem liberorum ex incesto concubitu natorum, atque alia, quæ Henricus Canisius I. C. *in præfat. suarum Instit. edit.* 2. Joan. Azor Theologus *part.* 1. *Instit. moral. l.* 5. *c.* 26. congerunt; Tum quia & ipsi I. C. interque eos Gratianus 386
ipse, quandoque cum bono Homero dormitant, ac proinde ab aliis excitantur etiam convitio; & ferè singuli Sanctorum Patrum nonnulla improbabilia docuêre; nec tamen inde sequitur, horum, aut illorum autoritatem esse vilipendendam.

Nego autem id, quod cum suo Nicolao 387
Garcia toties ingerit Manrique, scil. Theologos *solere sine fundamento loqui.* Nisi fortè eo 388
sensu hoc de iis pronuntiet, quo Gelasius Papa relatus *c. fin.* 25. *q.* 2. pronuntiavit, duorum Episcoporum cædem à propriis subditis patratam, esse usum, & consuetudinem mactandi, scil. proprios Episcopos. Bis, ter, decies, quin 389
& vicies errâsse Theologos in interpretatione Canonum, & legum facilè do; at nihilominus sexcenties rem acu tetigisse contendo, indéque infero, eorum responsa esse pro sanis, jurique conformibus habenda, quoties non constat, esse

esse difformia, juxta *L. Semper in stipulationibus. ff. de reg. jur. L. In obscuris. eod. c. Inspicimus eod. in 6.*

Patebunt hæc omnia magis ex responsis ad quæstionem sequentem.

Quæritur enim II. *Sitne Theologorum judi-* 390
cium, de materiis alterutro Jure comprehensis, præferendum, postponendum, æquiparandum judicio I. C.?

Silvester *verb. opinio. quæst.* 2. Navarrus *in manuali cap.* 27. *n.* 287. Pasqualigus *in decis. moral. decis.* 366. Baldellus *in Theolog. Moral. lib.* 4. *disp.* 11. *n.* 16. aliique plures, absolutè dicunt, Canonistas in materia Canonica, Legistas in Legali præferendos esse Theologis. Emanuel Rodr. *Tom.* 1. *qq. regul. q.* 11. *art.* 4. Hieron. Rodr. *resol.* 90. *n.* 47. Azor *part.* 1. *l.* 2. *c.* 17. *quæst.* 3. Henriq. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 3. *lit.* T. dicunt, Theologos anteponendos in casibus conscientiam concernentibus; at in dubiis insurgentibus circa Canonum, & Jurium declarationem, si Theologus non est sufficienter in hac Jurisperitia instructus, videtur, quòd sit præferendus Canonista, inquit uterque Rodriq. *loc. cit.* Quo sensu videtur etiam locutus Azor, cùm *l. c.* scripsit: In re juris Canonici, quales sunt Censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ, *aliquando* juris Pontificii interpretum opinionem præponi Theologorum sententiæ. Ego verò

391 Dico I. In quæstionibus Fidem Catholicam concernentibus audiendi sunt Theologi præ Canonistis, esto illæ quæstiones fortè contineantur in Jure Canonico. Ita Canus *lib.* 8. *Loc. Theol. c.* 7. *Concl.* 1. nec dissentiunt citati. Ratio est, quia principia, è quibus illæ quæstiones resolvendæ sunt, proprio jure spectant ad Theologos. *Supra n.* 127. & longè penitiùs examinantur ab his, quàm à I. C. ut demonstrant eorum libri; adferúntque plus facultatis ad pervestigandam veritatem illorum, quàm I. C. ergo Theologis est multò major fides habenda circa hæc, quàm Canonistis.

392 Dico II. Circa debitum, tolerabilem, seu vitio carentem sensum Legum, & Canonum pendentium è lumine Naturæ, præferenda quoque est opinio, & expositio Theologorum, opinioni & interpretationi Jurisperitorum. Ita in reipsa sentit Canus *l. c. concl.* 2. itémque Rodriq. Azor, Henriquez, Pasqualigus suprà relati, atque Terillus *Tract.* de Consc. probabili *q.* 22 *n.* 29. post S. Thomam citatum *n.* 130.

393 Ratio est, quia manifesta experientia docet, verum esse, quod Ludov. Molina *Tr.* 1. *ante disp. primam* scripsit his verbis: *Theologi via, & ratione, ex suisque principiis res* (ad leges justitiámque spectantes) *intelligunt, atque in hoc*

394 *longo intervallo Iurisperitos superant.* Quo etiam sensu locutus est gravissimus Præsul Joannes Malderus *in proœm. Tractat.* 1. *de justit.* cùm dixit: De justitia (addo ego Voto, Juramento, Vi, metúsve causâ factis, Sacrilegio, Matrimonio, &c.) multa quæ apud I. C. intacta, vel minùs explicata erant, ad normam divinæ doctrinæ, eâ methodo ex fundamentis, & principiis propriis tradiderunt Theologi, ut vel hoc ipsorum exemplo commodiùs, breviùs, absolutiùs, perspicaciùs, quantum praxi Theologicæ sufficiat, istud subsidii conscientiarum directores petere jam posse ex Theologica institutione, satis jam compertum sit. Ita Mal- 395
derus. Non tamen nego, quin Ponzinibus *Tract. de Lamiis*, rectè ostendat, ipsos etiam I. C. non rarò argumenta ducere à veris causis. Quia tamen Theologi magis penetrant fundamenta legum, ex jure Naturæ clarè, vel probabiliter deductarum, sicuti ostendit usus; quia insuper ipsi illas proprio jure explicant. *Suprà* 129. fit, ut earundem honestatem ac turpitudinem, si qua insit, certiùs deprehendant; ergo majorem fidem merentur.

Dixi autem: *circa debitum, tolerabilémque* 396
sensum &c. quod est perinde, ac si dixissem: quando quæritur, quomodo interpretandæ sint leges, ut peccatum non contineant? standum esse judicio Theologorum; re enim verâ ipsorum propriè, præcipuéque est definire, utrùm hoc, aut illud sit peccatum, nec ne? totáque Ecclesia insurgeret in Jureconsultos, si sibi arrogarent jus ejusmodi definitionis. Si verò solùm quæratur, quomodo eæ sint interpretandæ literaliter, & præcisè ex mente legislatoris, abstrahendo, utrùm inde sequatur quidpiam, legi naturali, aut divinæ repugnans, necne? tum per se loquendo amplectenda est interpretatio Jureconsultorum. Probatur exemplo desumpto è materia sequê- 397
tis conclusionis, declaraturo utramque. E. G. quæritur: Utrùm leges 20. 22. 23. *ff. de adult.* disponentes de patre, deprehendente filiam in flagranti adulterio, intelligendæ sint eo sensu, ut per eas fiat potestas patri necandi adulterum, & adulteram? an verò ita, ut præcisè indicetur, ei non posse actionem ullam intentari, etsi utrumque perimat? In hoc casu si dicant 398
Legistæ, eas leges esse intelligendas primo sensu, patebit ex dicendis *num. seq.* esse eis credendum. Quòd si verò ulteriùs quæratur: Utrùm illæ leges eo sensu intellectæ contineant iniquitatem, necne? credendum est Theologis, post S. Th. *in* 4. *dist.* 37. *q.* 2. *art.* 1. contra Julium Clarum §. *homicidium n.* 48. *& seqq.* afferentibus, esse ut sic iniquas. Rationem attuli in ipsa conclusione.

Dico III. Per se loquendo est Jureconsul- 399
torum autoritas in explicatione Legum, & Canonum è mero jure humano pendentium pluris facienda, quàm Theologorum. Menoch. de Præsumpt. *lib.* 2. *præs.* 71. *n.* 47. Ratio est, quia 400
cuilibet perito in sua scientia credendum est. *cap. Fraternitatis. de frig. & malefic. l.* 1. *ff. de ventr. inspic. l. Septimo mense ff. de stat. hom.* & Glos.

401 Gloss. *ibid.* Sunt autem Jurisperiti periti, & experti in ejusmodi Legibus, & Canonibus, ut demonstrant doctissimi eorum commentarii, & quidem tanquam in propria scientia. *Suprà*
402 *Sect.* 14. Unde unam legem per aliam, unum casum per alium similem declarare possunt conformiter *l. Non possunt. ff. de legibus*; & quidem meliùs quàm Theologi, cùm leges habeant in longè promptiore memoria, quemadmodum testantur libri, & tractatus sive à Classicis, sive etiam à Proletariis I. C. conscri-
403 pti. Adde, quòd, cùm optima legum interpres sit consuetudo. *cap. Cùm dilectus. de consuet.* censendi sint illi, per se loquendo, meliùs interpretari leges, qui consuetudines, & praxes earum meliùs nôrunt; nôrunt autem communiter I. C. meliùs quàm Theologi; quia ad tribunalia Principum secularium sedent Jureconsulti ferè soli; & in Curiis, Consistoriisque Episcopalibus reperire est non paucos ex eo-
404 rundem numero. Accedit rursum, quòd longè maxima pars Theologorum, qui libros Theologicos, constantes quæstionibus juridicis ediderunt, fuerint Religiosi, Religiosorúmque septis concluſi, ut quisque rerum peritus novit; plerique autem è I. C. qui typis illustrârunt illas quæstiones, sunt sæculares, versantes perpetuò inter seculares, involutos litibus; ut proinde longè meliùs, quàm Theologi, sciant quid sacrorum, profanorúmque tribunalium usu, moréque particulari, vel universali receptum sit.

405 Dico nihilominus IV. Fit per accidens, ut non rarò sint Theologi Jureconsultis anteponendi etiam in interpretatione Legum, Canonúmque, provenientium ex libera voluntate Legislatorum. Ratio est, quia quandoque Theologi meliores, aut plures rationes, pro sua interpretatione adferunt, quàm Jureconsulti; quandoque multò plures, graviorésque Theologi, quàm I. C. tractant ex instituto aliquam
406 quæstionem Canonicam; quandoque Jureconsulti aliquas interpretationes defendunt idcirco solùm, quòd sentiant, nihil ex iis inferri posse adversus naturale, aut divinum Jus; Theologi autem eâdem interpretationes ideo refellunt, quòd censeant, leges sic intellectas repugnare legi naturali, vel divinæ; In his omnibus judico, esse amplectendas explicationes potiùs Theologorum, quàm Jurisperitorum.

407 Probo de primo; quia si Theologorum rationes sunt meliores, tum patrocinatur eis decisio, quæ habetur. §. *Item pretium. Instit. de empt. & vendit.* ubi Proculi sententia dicitur idcirco meritò prævaluisse oppositæ Sabini, *quia validioribus rationibus argumentabatur*
408 *Proculus.* Si verò non sint quidem nec meliores, nec deteriores, attamen sint plures, facit
409 pro Theologis illud Eccles. 4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur*; quo argumento probat Navarrus *cap.* 27. *n.* 286. illam sententiam (si cætera sint paria) præferendam, quæ pluribus fundamentis, & rationibus nititur, licèt satis apertè dissolvi queant.

Probo de secundo; quia licèt *ex multitudine auctorum judicare non oporteat, quod melius,* 410
aut æquius est. text. *l.* 1. *Cod. de vet. jur. enucl.* attamen notabilis excessus in multitudine, & 411
gravitate eorum, qui aliquam opinionem sequuntur, non tanquam oves aliæ alias, quæ præcedunt, sine judicio sequentes, ut loquitur Navarrus *loc. cit. n.* 289. sed ejus fundamenta perscrutantes, & expendentes; addit tantum pondus illi opinioni, ut præferatur prudenter contrariæ, à multò paucioribus (si cætera sint paria) traditæ, juxta doctrinam *Gl. c. fin. dist.* 1. *verb. tota fert.* Nec videtur huic excessui 412
tantopere derogari ob imparitatem intervenientem ex eo, quòd I. C. soleant esse magis practici; quàm Theologi; etenim & Theologis, intra, extráque forum sacramentale, proponuntur plurimi casus planè practici cum suis omnibus circumstantiis; & legunt ipsi ea, quæ I. C. referunt de variis consuetudinibus; quæ duo simul juncta videntur sufficienter defendere allatam responsionem.

Probo de tertio; quia Theologi possunt à 413
toto genere meliùs, quàm I. C. judicare, utrùm aliquid repugnet legi divinæ, aut naturali? ut pater ex dictis tum paulò superiùs, tum *Sect.* 8. Ergo quando dicunt, leges, eo modo, quo explicantur à I. C. esse contrarias legi divinæ, vel naturali, oportet fidem habere Theologis, & consequenter admittere eorum communem interpretationem, non repugnantem principiis fidei, aut luminis naturalis; quandoquidem *in ambigua voce legis ea potiùs est accipienda significatio, quæ vitio caret.* text. *l.* 19. *ff. de legibus.*

Et profectò, qui absque invidiâ, æmulatione, 414
aut præjudicio legit, quæ varii Theologi de variis argumentis Juris prælo subjecerunt, de iis pronuntiabit, quòd Clemens VIII. de P. Thoma Sanchez, videlicet: *Nullum unquam autorem extitisse, qui dubias de Matrimonio.* (Legibus, Contractibus, Censuris, Horis Canonicis, Jejuniis Ecclesiasticis, Rubricis Breviarii & Missalis, Indulgentiis, immunitate Ecclesiasticâ &c.) *controversias uberiùs, & accuratiùs enodâsset,* quemadmodum refertur in præfat. præfixâ Tomo primo Summæ Sanchezianæ.

Agnovit inter cæteros Jureconsultos multò doctissimus, religiosissimus Prosper Farinacius, qui cùm in sua eruditissima, copiosissima Praxi Criminali *lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 101. discuteret illam Jure Canonico cap. *Omnis utriusque.* de *pœnit. & remiss.* insertam controversiam: quatenus puniendus sit Sacerdos secretum Confessionis revelans? & consequenter prompsisset suum judicium de variis dubiis, illud Sigillum concernentibus, sciens autem, obligationem

nem fundari in Evangelio, atque Theologia, sua sensa *n.* 101. moderatus est hisce formalibus terminis: *In hoc puncto, sicut in omnibus aliis similibus* (adeóque pendentibus à vero intellectu principiorum Theologicorum) *dubitationibus, humillimè me submitto Theologorum determinationibus.* Ita ille de se. Ita ego respectu Jureconsultorum de me, in argumentis comprehensis solo, & unicè Jure Canonico, atque singularissimè Civili.

415 Scio equidem, plurimas Juris Canonici, ac Civilis materias esse à Jureconsultis tam copiosè, distinctè, eruditè enucleatas, ut hactenus non emerserit Theologus, qui eos æquaverit; at simul etiam non ignoro, posse texi longiusculum Catalogum earum, in quarum explanatione Theologos præripuisse palmam Jurisperitis, nemo cum veritate negare possit.

SECTIO XVI.

Oporteátne in Episcopum eligi Theologum, an Jurisperitum?

SUMMARIUM.

Rationes quatuor, quibus videtur probari, esse in Episcopum eligendum potiùs Juristam, quam Theologum. 417. *&* seqq.
Concluditur tamen contrarium. 421.
Quæ, & quanta scientia sit necessaria Episcopo? 442. *&* seqq.
Quanta Canonico Cathedrali? 426. *&* 427.
Episcopus debet esse potiùs Theologiæ, quàm Canonum Doctor. 428.
Judicium S. Francisci Salesii de scientia convenientiore Episcopo. 432.
Officia Episcopi quæ? 434. *&* seqq.
Ioannis Eckii dictum de Episcopis sui temporis. 442.
Probatur autoritate S. Ignatii. Ibid.
Clausula. Saltem *quomodo intelligenda?* 444.
Doctrina necessaria Vicario Generali in Spiritualibus. 446.
An valeat hæc argumentatio: Scientia Canonica est Vicario Episcopi magis necessaria, quàm Theologica, ergo & Episcopo ipsi? 450.
Assessor quis dicatur in Jure? 453.
Judicium Patris Laymanni de scientia Canonica necessaria Episcopo. 457.

416 TEstatur P. Azor 1. *p. l.* 2. *c.* 17. *q.* 3. *&* *p.* 2. *l.* 3. *c.* 28. *q.* 10 Pontificii Juris Consultorum communi consensu teneri, in creandis, & eligendis Episcopis, Canonici Juris peritum præferri debere Theologo, tanquam digniorem, & magis idoneum; contrà verò Theologos omnes existimare, Theologum Jurisconsulto esse aptiorem, & digniorem, atque idcirco anteponendum. Sotus de justit. *l.* 3. *q.* 6. *art.* 2. hujus litis, & controversiæ autorem nominat Hostiensem, ignorans quo jure sit ipse eam contestatus.

Et videtur probari posse Jurisconsultorum 417
opinio I. quia Tridentinum Conc. *Sess.* 24. *c.* 16. *de reform.* statuit, ut Capitulum Cathedrale mortuo Episcopo constituat Vicarium *qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus.*

II. Quia Vicarius Generalis Episcopi, 418
quando ex licentia hujus substituit sibi quempiam, debet hic substitutus esse Doctor, aut Licentiatus juris, ut fusè contendit Manrique *p.* 1. *q.* 89. post Riccium *in praxi fori Eccles. tit. Vicariatus decis.* 473. *n.* 2.

III. Quia quando alicui Theologo aliqua 419
causa delegatur à sede Apostolica, tenetur is, adhibere Assessorem Jureconsultum, nisi ipsemet sit graduatus, aut licentiatus in altero Jurium, sicuti in casu, qui contigit, faciendum respondit idem Riccius *tit. Causarum delegat. decis.* 619. eò quòd Leo X. in Concil. Lateran. in Bulla, quæ incipit. *Regimini*, ita ordinaverit.

IV. Quia Episcopi ratione sui officii tenen- 420
tur longè plures, & graviores actiones, requirentes scientiam alterutrius Juris, vel utriusque obire, quàm requirentes scientiam Theologiæ; ergo quando nequit haberi Episcopus, qui utráque scientiâ sit præditus, eligendus est is, qui magis necessariâ. *c. Bonæ* 1. *de postulat. prælat.* & argum. communis axiomatis: E duobus malis minus est eligendum. *l. Quoties nihil. ff. de reg. jur.* est autem hîc minus malum ignorantia Theologiæ, quàm Jurium.

Dicendum nihilominus est, cæteris paribus, 421
esse in Episcopum eligendum Theologum potiùs, quàm I. C. Ita cum Theologis arbitratur nobilis I. C. Jacobus Menoch. *de arbitr. jud. l.* 2. *cent.* 5. *casu* 425. *n.* 25.

Probo I. Quia Theologia est necessaria 422
Episcopis. *Supra n.* 145. *&* 149. ex Paulo *ad Titum. c.* 1. *vers.* 7. itémque Chrysost. Hieron. August. *Ibid.* relatis. Et magis necessariam esse, quàm jurisprudentiam, patebit ex dicendis.

Probo II. Quia Trident. Concil. *Sess.* 24. 423
c. 1. *de reform.* renovat omnes priscos Canones, statuentes de scientia necessaria Episcopo creando; atqui *cap. Omnes 6. dist.* 38. quod desumptum est ex Synodo 7. statuitur, ut diligenter à Metropolitano inquiratur, an is, *qui ad Episcopatûs provehendus est gradum, in promptu habeat legere scrutabiliter tam sacros Canones, & S. Evangelium, quàm omnem divinam scripturam*; móxque subditur: *Substantia enim* 424
summi sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, id est vera divinarum scripturarum disciplina. Quibus verbis manifestum est, à Concilio requiri in Episcopo magis sacrarum literarum, adeóque Theologiæ notitiam, quàm sacrorum Canonum. Unde etiam à pluribus 425

jam

jam sæculis observatum, ut ordinandus in Episcopum interrogaretur: Utùm sciret novum, & vetus Testamentum? Quare Richard. *quodlib.* 4. & post illum Silvester. *verb. Episcopus q.* 4. quærit: An peccet mortaliter ordinandus in Episcopum, si ad prædictam quæstionem respondeat assertivè, cùm fortè non sciat illud totum?

426 Probo III. Ex eod. Concil. Trident. *Sess. 22. c. 2. de reform.* ubi subditur, ut *quicunque posthac in Ecclesias Cathedrales* (regendas, atque adeò ad Episcopatum, uti intelligunt P. Azor *cit. q.* 10. & Laymann. *qq. Canonicarum q.* 180.) *erit assumendus, antea in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus, vel in sacra Theologia, vel in jure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.*

427 Ex quibus verbis infero I. illam saltem doctrinam exigi in Episcopo, quæ exigitur in Canonico Cathedrali, si quidem velis illam sanctionem Tridentini directè intelligere de assumendo in Canonicum Cathedralem; tum quia secundùm Jura *cap. Cùm inter de elect.* & Gl. *ibid. lit. d.* Rectores Ecclesiarum, non nisi ex gremio suæ Ecclesiæ debent eligi; tum quia habent plures functiones magnam doctrinam postulantes, quàm habeant Canonici. Unde ulteriùs

428 Infero II. Episcopum esse debere potiùs Doctorem Theologiæ, quàm Canonum. Confirmatur hæc consequentia, tum quia ex ipso modo loquendi patet, à sacra Synodo Theologum Canonistæ præponi, sicuti etiam præponitur tum abeodem Concilio *Sess. 23. cap. 18. Sess. 24. c. 12. & 18. de reform.* ubi statuit de doctrina necessaria Scholastico, Archidiacono, Examinatori parochorum, tum à Concil. Basileensi *Sess. 31.* præferente in hac ipsa materia sub disjunctione Theologos Jureconsultis, hos Medicis, istos Magistris Artium; tum

429 denique quia verba ambigua unius dispositionis explicanda sunt per clariora alterius dispositionis. *l. 1. ff. de reb. dubiis. & l. Hæredes palam. §. si quid ff. de testibus*, consentiente S. August. *qui lib. 3. de Doctr. Christian. cap. 26.* sic pronuntiat: *Cùm verba Scripturæ apertiùs in uno loco loquuntur, ibi discendum est, quomodo in locis intelligatur obscuris.* Atqui idem Concil.

430 Basil. *eâd. Sess. 31.* post dispositionem factam ita concludit: *Exhortamur tamen ordinarios collatores, quòd in conferendis beneficiis ejusmodi, præsertim quoad dignitates, respectum habeant singularem ad Magistros, nec non Licentiatos, & Baccalaureos formatos in Theologia.*

431 Probo conclusionem IV. ex universalissima, antiquissima praxi Ecclesiæ. Etenim sanctitate clari Episcopi, qui à S. Petro ad nostra usque tempora, vel Romanam, vel alias Patriarchales, Archiepiscopales Episcopales Ecclesias rexerunt, fuêre plerique aut omnes studiosiores, peritiorésque Divinæ Scripturæ, & consequenter veræ Theologiæ, quàm Canonum. Qua de causa etiam fit, ut Romæ Examini Episcoporum præficiantur Theologi potiùs, quàm Jureconsulti.

Et S. Franciscus Salesius etsi I. V. peritissimus, judicavit, se potiùs è Theologia, quàm è sacris Canonibus examinandum, pro Coadjutoria Episcopatus Gebennensis, ut olim legi in uno è tribus diversis libris, qui de ipsius vita conscripti sunt. Et verò cernimus, plerosque Episcopos Germaniæ, (puto & Galliæ,) plus operæ impendisse condiscendæ Theologiæ, quàm Juri Canonico. 432

Probo conclus. V. quia in Episcopum eligendus est is, per se loquendo, qui est præditus scientiâ requisitâ ad magis necessarias, primariásque functiones, argum. cap. *Bonæ 1. de postul. Præl.* & Trident. *Sess. 24. cap. 1. de reform.* aliorúmque jurium statuentium, ut in Episcopos eligantur digniores. Atqui functiones illæ, ad quas requiritur in Episcopo Theologiæ scientia, sunt magis necessariæ functiones, quàm illæ ad quas exigitur jurisprudentia. Si- 433
quidem primariæ functiones Episcopi sunt verbo, & exemplo subditos ad DEI timorem adducere; Sacramenta per seipsum administrare; horum vim, & usum Populis explicare. Probo singula ex Trident. Concil. In primis 434
enim Episcopos teneri per seipsos verbum DEI prædicare, traditur in Trident. *Sess. 5. cap. 2. Sess. 23. C. 1. de reform. Sess. 24. cap. 4.* De bono exemplo similiter traditur. *Sess. 23. cap. 1. & Sess. 25. c. 1. de reform.* De Sacrament. administrat. *cit. Sess. 23. c. 1. & 3. de reformat.* Denique de explicatione vis, & usûs Sacramentorum habetur *Sess. 24. cap. 7. de reform. & cap. Cùm sit de ætat. præfic.* Et hæc ferè omnia exprimuntur *cit. c. 1. Sess. 23.* hisce verbis: *Cùm* 436
præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, &c. Accedit hisce, quòd Episcopi singulari 437
studio cavere teneantur, & ne hæreses in eorum diœcesibus pullulent, & ut exortæ eradicentur, juxta illud Pauli 2. *ad Tim. 1. Argue, obsecra, increpa; erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, &c.* Demum S. Bernardus ad Eugenium multa de functionibus 438
Episcopalibus disserens concludit: *Summam munii Episcopalis contineri verbo prædicationis, & vitæ exemplo.* Constat verò ad hæc omnia 439
longè magis necessarium esse, quadriennem operam impendisse studiis Theologicis, quàm Juridicis, præsertim hac ætate, qua solent à Theologiæ Moralis, & etiam Scholasticæ Professoribus tam multa de Legibus, Justitia, Sacramentis, præsertim Matrimonio, forum externum respicientia tradi, ut qui ea probè, sicuti

sicuti sine scholarum juridicarum frequentatione fieri potest, comprehenderit, possit facili negotio, suopte Marte intelligere in Theologorum, Jurisconsultorum, aut Decretalium libris ea omnia, quæ ad indicatas functiones rite obeundas scitu necessaria sunt.

440 Fateor quidem esse ab Episcopo tractandas multas, crebras, frequentes causas forenses, quæ rectè terminari non possint absque Juris utriusque, singulariter autem Canonici scientiâ. Verùm hæc res non pertinet ad primarias

441 functiones Episcopi, sed ad secundarias. Unde rectè monet Sotus *l. c.* si Episcopus non sit par obeundis, tum illis prioribus functionibus, tum hisce forensibus simul, consentaneum esse rationi, ut exemplo Moysis *Exod. 18.* tractet ipse ea, quæ sunt ad Deum, Sacratiora, inquam, salutémque animorum propiùs, universaliúsque concernentia, at reliqua per ministros idoneos expediat.

442 Quod quidem si præstitissent Antistites superioris sæculi, de iis Joannes Eckius *in Concione Germ. de S. Stephano* non scripsisset: *Episcopi nostri ajunt, sibi incumbere nimis multas functiones spirituales. Quare Pontificales Vicario in Pontificalibus, Spirituales Vicario in Spiritualibus, forenses Officiali, Conciones Monachis, Absolutiones mœstorum peccatorum Pœnitentiario demandant. Ubi autem de censibus, & peculio Episcopali agitur*, das muß man an meinen Gnädigen Herren bringen: *deferri res debet ad ipsum meum Reverendissimum Dominum.*

Huc denique facit, quòd non modò Sanctissimus, simul & providentissimus Ordinis nostri fundator Ignatius nostro Patri Claudio Jaio in Germaniam ad Archiepiscopos, Episcopósque Salisburgensem, Aichstettensem, Augustanum, & alios tendenti dederit in mandatis, ut hos, quoad posset, induceret, ut quisque in sua Diœcesi Collegia (id est seminaria) è lectissimis adolescentibus tenuiorum videlicet Catholicorum liberis, qui divinas literas ad avertenda nova opinionum commenta, scholarum more, perdiscerent, ut loquitur Nicolaus Orlandinus noster *lib. 5. Histor. Societatis n.* 32. verùm etiam Gregorius XIII. aliique Pontifices tum in primis Romæ, tum deinde plurimis extra Romam locis excitârint ejusmodi seminaria, è quibus sperabant esse prodituros summè idoneos integrarum Diœceseon Rectores; hos autem excoli voluerunt potiùs Theologicis, quàm Juridicis disciplinis, ergo revera censuerunt priores esse ipsis magis utiles, quàm posteriores.

443 Ad rationes pro Jureconsultis superiùs allatas non est difficile respondere.

Ad primam dico, licèt D. Manrique *cit. q.* 89. absolutè pronuntiet, Vicarium Generalem Episcopi ex dispositione Tridentini *cit. Sess. 24. cap. 16.* esse debere Doctorem in jure Canonico, vel licentiatum, ego tamen id nego. Illa enim clausula *Saltem*, qua, ut vidimus *cit. n.* 417. utitur sacrum Concilium, non solet esse nisi subsidiaria. Barbosa *Diction.* 355. adeóque non absolutè exigitiva qualitatis adjectæ, sed tantùm approbativa illius, & improbativa deterioris, atque melioris optativa, ut constat tum ex omnibus linguis, in quas vertitur particula *Saltem*; tum ex Servio. cæterisq; Grammaticis dicentibus, eâ designari defectionem; tum ex variis exemplis, quæ habemus *Genes. 16. v. 2. Act. 5. v. 15.* atque alibi; tum ex hoc familiari: Si enim à Pontifice ferretur hæc lex: Calix pro sacrificio Missæ sit 445
saltem argenteus, nemo dubitaret, quin eâ locutione indicaretur, optari quidem aureum, approbari tamen, & in defectu aurei sufficere argenteum, non sufficere verò viliorem argenteo.

Ita in proposito judicat Concilium, non esse in Vicarium Generalem Episcopi assumendum quemquam, qui suæ doctrinæ minùs testimonium habeat, quàm sit titulus Doctoris, vel Licentiati in jure Canonico; ut si e. g. sit Doctor solius juris Civilis, Medicinæ, aut Philosophiæ; fore autem tanto aptiorem, quanto habeat aliud testimonium majus isto, scil. Doctoris, vel Licentiati in Theologia. 446

Confirmo hanc explicationem I. quia 447
quando statuitur, ut non conferatur aliquod certum beneficium Ecclesiasticum ulli, qui non sit saltem in Philosophia Magister, nemo dubitat, quin insinuetur esse longè promptiùs, conferendum illis qui sunt Magistri, seu Doctores in Theologia, Jure, aut Medicinâ. Quam postremam qualitatem pro quibusdam beneficiis Cathedralibus & Collegiatis sub disjunctione exigit Concil. Basileense *Sess. 31.*

Confirmo II. quia Tridentini Patres non 448
utique strictiùs requirunt, à Vicario Generali Episcopi scientiam Juris, quàm ab Archidiacono, utpote quem non modo iidem *Sess. 24. cap. 12. de reform.* nuncupant Oculum Episcopi, sed etiam prisci Canones *cap. 1. & 7. de offic. Archid.* ubi ejus officia recensentur, nominant tum absolutè Vicarium Episcopi, tum cum addito Vicarium Episcopi *in omnibus*. Atqui ab, & pro Archidiacono non requirunt, nisi ut sit Magister in Theologia, seu Doctor, aut Licentiatus Juris, *cit. cap. 12.*

Verùm hæc dicta velim animo potiùs ostendendi, non rectè adductam fuisse *n.* 443. auto- 449
ritatem Tridentini, quàm absolutè inficiandi, Vicarium Generalem esse debere potius Canonistam, quàm Theologum, in qua quidem controversia, à me in medio relictâ, sentiunt cum Manrique Barbosa *de off. & pot. Episc. allegat. 54. n. 54.* & alii.

Itaque directè, & absolutè respondendo ad 450
argumentum *n.* 443. allatum dico, non valere argumentum: Vicarius Episcopi in spiritualibus Generalis debet esse potiùs Canonista,

quàm Theologus; ergo etiam ipse Episcopus. Etenim primariæ functiones ejusmodi Vicarii versantur magis circa objecta fori externi, quàm primariæ Episcopi; ut judicabit, qui ea, quæ de primariis, & quasi essentialibus actionibus Episcopi dixi *supra n.* 434. *& seqq.* contulerit cum fine, ob quem creantur Vicarii Generales, quique exprimitur in proœmio formæ Vicariatûs descriptæ ab Azor *p.2.l.3. c.46.*

451 post Rebuffum. *Tract. de Beneficiis* ne videl. ob Episcopi occupationes alias, Ecclesia ipsius Episcopi *in defensione suorum jurium, & subditi in auditione causarum, & redditione justitiæ, non modicum recipiant detrimentum, & læsionem.*

452 Ad alterum argumentum de Substituto Vicarii Generalis, nego, quod ibi asseritur, quia nullo jure probatur. Et verò contrarium illius, quod ajunt Manrique, & Riccius relati *n.*418. factum fuit hîc Constantiæ anno 1672. D. Vicario Generali aliò ad longum tempus profecto.

453 Ad tertium argumentum similiter nego id, quod ibi absolutè asseritur; siquidem Bulla Leonis, quam allegat Riccius, ita habet. *Judices, & conservatores à Sede Apostolica deputati, si in altero jurium graduati non fuerint, Assessorem partibus non suspectum, ab his partibus, vel earum alterâ requisiti assumere, & secundùm*

454 *ejus relationem judicare teneantur.* Ubi in primis vides, non absolutè statui, ut adhibeatur Assessor, sed tunc, cùm partium una, aut altera id petit. Vides deinde non dici, illum Assessorem debere esse Jureconsultum; sufficit modo sit præditus câ Juris doctrinâ, usúque rerum,

355 ut notabiliter superet Delegatum. Certè Assessor nil aliud hîc significat quàm Consiliarium. Gl. *in cap. Statutum* §. *assessore de rescript. in 6.* Atqui nullum jus statuit, ut consiliarius delegati Apostolici sit Jurisconsultus vulgariter dictus. Quapropter meo judicio, Riccius adegit Theologum illum ad aliquid, ad quod non tenebatur, contra doctrinam cap. unic. *de plus petitionibus.* Quòd si hæc secunda responsio non probatur propter ea, quæ de Assessoribus congerit Castaneus, de *Gloria Mundi Part.* 7. *considerat.* 27. sufficiet prima; re enim verâ non statuit Leo, ut absolutè accipiatur Assessor, sed solùm sub conditione, *si postulet alterutra, vel utraque pars.*

456 Ad quartum argumentum respondeo, licèt plures functiones Episcopales requirant scientiam Canonum, quàm Theologiæ, primariæ tamen, & quasi essentiales exigunt peritiam sacræ doctrinæ, ut patet ex dictis *n.*433. Quapropter ignorantia Canonum in Episcopo est minùs malum, quàm ignorantia Theologiæ.

457 Hoc tamen argumento rectè probatur, verum esse, quod docet Laym. *l. c.* videl. ad Episcopatum, vel Episcopatûs administrationem plerumque non satis idoneum censeri posse, nisi qui utrâque tum sacræ Theologiæ, tum sacrorum Canonum peritia instructus est; & proinde si commodè fieri queat, quærendos esse ad Episcopatum, aut Vicarium Generalem, tales, qui in utroque studio versati sunt. Certè in Episcopo requiri tantam scientiam, 458
adjunctâ prudentiâ, & rerum experientiâ, ut erroribus & deceptionibus obnoxius non sit, sed inter bonum, & malum, aptum & ineptum à suis adjutoribus, seu officialibus suggestum consilium discernere queat. Ita sapienter Laymannus.

In cujus commentariis in jus Canonicum, post hæc pridem impressa editis typo, ad capit, *Cùm in cunctis 7. de elect. & elect. potest.* accuratiùs argumentum pertractans præsentis quæstionis, integrè nobis consentit, ideo etiam pluris faciendus, quòd ipse publicus Canonum Professor, atque usu peritissimus pronuntiaverit pro Theologis, interim providè monens Theologiæ studiosos, ut perpendant, *quanto majorem in Ecclesia fructum facturi, & Episcopis plus adjumenti allaturi sint, si cum sacræ Scripturæ, & Scholastica Theologiæ laudatissimo studio sacrorum etiam Canonum cognitionem conjungant.* Adde his, quod dixi. *n.* 181. & 183.

SECTIO XVII.

Quid censendum de aliis, quæ à Jurisconsultis adversus Theologos dici retuli Sect. 3. & 4?

SUMMARIUM.

Recapitulantur breviter nonnulla, quæ Jureconsulti falsò dicunt de Theologis. 460. & seqq.
Singulariter dum scribunt, nihil de immunitate Ecclesiastica posse à Theologis dici, nisi ex Regulis Juris. 465.
A Theologis introduci fraudes. 467.
Conari eos suffocare Jurisprudentiam. 469.
Nullum ferè Summistam esse in Jure versatum. 471.
Quid sit, esse in Jure versatum? 472.

EXpeditis præcipuis controversiis, & litibus, quas Jurisconsulti nonnulli immeritò 459
movent Theologis; breviter respondebo ad alia, quæ illos de his asserere, ab his requirere, in iisdem carpere ostendi *Sect.* 3. & 4.

I. Itaque falluntur, dum asserunt *n.* 22. 23. 460
24. à Diana & aliis Theologis *statim*, atque adeò præcipitanter componi sententias noxias bono communi: id enim nullo argumento probant; cùm tamen Accusator non nisi legitimis probationibus instructus comparere debeat. text. *in l. fin. Cod. de probationibus.*

II. Fal-

461 II. Falluntur, dum asserunt *n.* 25. Theologos solere *sine fundamento* loqui in materiis juridicis. Falli, patet ex dictis *n.*393.

462 III. Falluntur, dum asserunt *n.* 25. modo, quem retuli *n.* 19. non esse mirum, quòd Theologi in materiis juris labantur. Causam, ob quam id asserunt, satis confutavi *Sect.* 15.

463 IV. Falluntur, dum asserunt *n.*27. quidquid Theologi de materiis Canonicis scribunt, delibare eos à Regulis juris & DD. Contrarium de materiis juris à lumine Fidei, vel Naturæ pendentibus ostendi *Sect.*7. & 8.

464 V. Falluntur, dum generatim & indistinctè asserunt *n.* 28. Theologos non esse præferendos Jurisconsultis in materiis juris. Contrarium demonstravi *Sect.* 15.

465 VI. Falluntur, dum asserunt *n.* 22. nihil posse à Theologis de Immunitate Ecclesiastica dici, nisi ex Regulis juris; nam Immunitas Ecclesiastica est DEI ordinatione constituta.

466 Tridentin. *Sess.*25. *cap.*20. Et *Ecclesiæ, ecclesiasticáque personæ, ac res ipsarum non solùm jure humano, quin & divino à sæcularium personarum exactionibus sunt immunes.* text. *c.* Quamquam *de censibus in 6.* Adeóque Ecclesiastica libertas est juris divini, (Canonistæ plerique apud Azor *p.* 1. *l.*5. *c.* 12. & plurimi Theologi) ergo potest, ac debet Theologus de illa disputare etiam sine Regulis juris, sicut disputavit Suarez in Defensione Fidei contra Regem Angliæ.

467 VII. Falluntur, dum asserunt, *n.*30.32.35. Theologos à Jurisperitis convinci de falsitate, introducere, probare, & suadere fraudes in foro conscientiæ; & non comprehendere facillimas quæstiones de justitia. Etenim hæc omnia asseruntur sine ulla legitima probatione. Atqui Actore non probante, absolvitur Reus. *cap. Cùm Ecclesia. de caus. poss. & propr.*

468 Certè non probabit quisquam Jurisconsultus suaderi à me fraudem in foro conscientiæ, si cum Diana, Reginaldo, Bonacinâ *de Contractibus disp.* 3. *q.* 2. *p.*5. *n.*14. atque aliis negavero, à te (privato homine) delinqui adversus justitiam, dando hodie Cajo centum aureos nummos in solutionem, dando, inquam ipsi secundùm taxam hodie currentem, cùm interim scias, post duos, trésve dies illorum nummorum aureorum pretium notabiliter minutum iri: *Non* enim *videtur quisquam dolo facere, qui jure suo utitur. l.* Non videtur. *ff. de Reg. jur.*

469 VIII. Falluntur, dum asserunt *n.*24. Theologos conari suffocare Jurisprudentiam. Non enim conantur directè; alioquin non impenderent operam illi explicandæ, vel in suarum assertionum robur adsciscendæ. Non

470 indirectè, eo modo, quem indicat Manrique; nam revera Theologi non interponunt se tanquam Patres; & magistri Jurisprudentiæ. Edat adversarius nomen unius puri Theologi, qui id agat. Agit id quidem Silvester, agit Sotus, agunt Molina, Azor, Lessius, Palaus, &c. sed hos esse puros Theologos, & non præstantes Jureconsultos nemo rectè dixerit.

IX. Falluntur, dum asserunt, nullum ferè 471
illorum, qui hac ætate Summas scribunt esse in Jure versatum. Nam fuisse in Jure versatos Toletum, Henriquez, Sanchez, Portel, Lezanam, qui Summas scripsêre, nôrunt omnes eruditi. Et Laymanni Theologia Moralis quid aliud est quàm Summa? An Manrique negabit ei locum in subselliis Jurisconsultorum? An inficiabitur, Palaum fuisse juris peritissimum, qui omnes planè, quos citat (citat autem innumeros) textus Juris, suis oculis legit in ipso Corpore juris, ut testatur ipse *in præfat. 1. partis*? Et quid est, amabo, esse in Jure versa- 472
tum? An non ii sunt in Jure versati, qui & legerunt magnam partem illius, & nôrunt longè plurimas ejusdem decisiones, & generaliores titulos Legum, Canonúmve ita habent comprehensos memoriâ, ut in occurrentibus dubiis sciant erebrò, quo ex titulo petenda sit resolutio. Certè vulgò dicimus, illum esse in 473
S. Scriptura versatum, qui magnam ejus partem ita legit, ut memoriâ teneat multas ejus sententias, historias, parabolas, &c. licèt neque quovis nominato capite, quid in eo contineatur, extemplo referre queat, ut poterat Arnoldus Cathius, neque etiam nominare queat caput, aut librum, quo ea continentur. Unde autem constat, nullum ferè Summistarum modernorum legisse Decretales? nullum tenere memoriâ complures resolutiones Canonicas? nullum scire petere lumen ex jure Canonico in dubiis de materia præsumptionum, testium, accusationum, adulteriorum, qualitatibus ordinandorum, &c. Sunt sanè Summistarum alii in jure Canonico versati, alii optimè versati.

X. Falluntur, dum asserunt Theologos 474
tractantes de materiis fori externi velle fieri per saltum Doctores juris. Possunt quippe, & optimè quidem multò plurimæ quæstiones forum externum spectantes resolvi à Theologo, qui Doctoralem annulum induit nunquam. Patet id evidenter tum ex libris Theologorum, qui sunt præ oculis, tum ex demonstratis *Sect.* 13. 14. 15.

XI. Falluntur, dum à Theologis requirunt 475
ea, quæ indicavi *num.* 29. *& seq.* Ostendi quippe *Sect.* 13. & 14. haudquaquam necesse esse, ut Theologi ad fores Jurisconsultorum veluti ad Delphicum oraculum supplices accedant, dum proponuntur ipsis dubia concernentia materias Juris. Potest sæpe instar 476
trium Jurisconsultorum esse Molina, esse Azor, esse Basilius Pontius, esse Sanchez, esse Sayrus, esse ipsissimus Diana, tametsi nec in

Jurisprudentia educatus, nec in ipsius Gymnasiis discipulus factus, lapides discipulatûs juridici neglexerit, ut verbis Adversariorum utar; si tamen neglexisse dicendus est is, qui operam dedit illis Doctoribus, quos nominavi *num.* 346.

477 XII. Falluntur, dum putant reprehensione dignos Theologos, qui resolvunt quæstiones indicatas *Sect.* 4. siquidem sufficienter ostensum est, nulla lege, aut consuetudine esse id vetitum Theologis: quin imò saltem titulo præscriptionis competere ipsis id juris.

478 Et nominatim certum est errare, quisquis asserat, Theologos in alieno choro saltare, quando ex instituto disserunt de illis quæstionibus usurariis, de quibus diximus *num.* 46.

479 & 48. Exploratum quippe est, usuras esse vetitas *Jure Naturali, & paginâ utriusque Testamenti.* text. *cap.* 4. *de usuris*; & proinde Theologos longè potiore jure de iis disputare, quàm differant Jurisconsulti; sicuti patet ex

480 dictis *Sect.* 8. Imò, sicuti Jus Civile permittens usuras correctum est per Jus Canonicum, ita Jurisconsulti à Theologis corrigendi sunt sæpe circa palliatas usuras, & tenentur illi horum judicio tanquam legitimorum Censorum acquiescere; est enim Theologi definire: Utrùm hoc aut illud sit divinâ, naturalive lege interdictum? S. Thom. relatus *n.* 135. Et videbimus *Sect. seq.* quàm graviter in hac ipsa materia usurarũ errent nonnulli Jureconsulti.

SECTIO XVIII.

Ostenditur breviter, Jureconsultos nonnunquam immittere falcem in messem Theologicam.

SUMMARIUM.

Recensentur multi, gravesque errores, admissi à Juristis in materiis Theologicis. 482. & seqq.
Et singulariter circa varia objecta hæreseos. 485. & seqq.
Nominatimque. An sit hæreticus, qui negat Imperatorem esse Dominum totius orbis? 487.
Manrique non fuit Theologus. 489.
Lapsus fuit circa absolutionem homicidæ. 490.
Et commodationem cubiculi ad fornicandum. 491.
Et descriptionem formalis cooperationis ad malum. 492.
Et malitiam excommunicationis ferendæ sententiæ. 493.
Et rursum circa malitiam proximæ cooperationis. 494.
Et pœnam debitam imperfectionibus. 495.
Et venditorem, qui de valore mercis suæ non monet emptorem. 496.
Et materiam absolutionis Sacramentalis. 497. & 498.
Et malitiam proximæ occasionis peccandi. 500.
Et instructionem Confessarii circa absolutionem confitentis, se peccâsse carnaliter cum matre. 501.
Nominantur aliæ materiæ purè Theologicæ, quas discutit Manrique. 503.
Omnes leges Divinæ obligant sub reatu culpæ. 505.
Canonista carens scientiâ Theologicâ expositus est summis erroribus. 506.
Falluntur dicentes, Scholasticam Theologiam parùm prodesse decidendis Quæstionibus fori Ecclesiastici. 508.
Theologiæ bene peritus facilè discit verum intellectum sacrorum Canonum.

NOrunt omnes illud triviale: 481
Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.
Theologici instituti impugnatores redarguit eadem culpa, cujus insimulant Theologos mittentes tunc, ut quidem contendunt ipsi, manum in messem alienam, quando materias juridicas explicant ex instituto. Attingam nonnullas quæstiones fori planè Theologici, quas tamen à Jurisconsultis ex instituto tractatas, & quidem pleraſque infelici successu, loquuntur eorum libri.

Prima Quæstio est, an Baptismus valeat, à 482
Latino ministro administratus eâ formâ, qua Græci utuntur? Valere negat Innocentius *c.* 1. *de Baptismo*, aliique plures Jurisconsulti; quam tamen opinionem omni probabilitate carere meritò asserit Sotus *in* 4. *dist.* 3. *q.* 1. Nam in essentialibus Sacramentorum non est distinctio Judæi, & Græci. *Rom.* 10. 12.

II. Utrùm testes jure divino teneantur ju- 483
rare? Teneri docet Crottus *part.* 7. *de testibus n.* 228. cum aliis, etsi obiter hanc materiam tangens, probátque suam sententiam ex *Genes.* 31. ubi Laban à Jacob genero exegit juramentum. Quæ probatio minimè Theologica est. Quasi verò factum hominis Idololatræ condat, vel demonstret jus Divinum.

III. De qua culpa in foro conscientiæ te- 484
neatur, qui damno, vel injuriâ quempiam affecit? Hanc quæstionem ventilari à plerisque Jurisconsultis, docebit te Clarus *in pract. crimin. q.* 62. *num.* 5.

IV. An sit hæresis, negare usuras esse illici- 485
tas? De quo disserunt Jason, Ancharanus, alii Jurisconsulti cum Ludov. Carerio *Tract. de usuris n.* 9. negántque esse hæreticum, qui asserat, usuras inter Christianos & Judæos esse licitas. Et addit idem Carerius *n.* 10. licere Judæo errare in fide, & Sacramentis Ecclesiæ. Quàm hæc aliena à vera Theologia? Quæ ex mente S. Pauli *Rom.* 3. 8. negat, cuiquam licere facere mala,

error

error autem in fide & Sacramentis Ecclesiæ est *gravissimum malum.* S. Th. 2. 2. *quæst.* 10. *a.* 3. *in Corp. & ad* 2.

486 V. An ex Pontificis dispensatione licitè exerceantur usuræ? Licitè exerceri tradit contra expressam decisionem cap. *Super eodem. de Usur.* Jason *in l. Cunctos populos de Sum. Trinit.* Carerius *l. c. num.* 10. & plures alii Jurisconsulti negante verâ Theologiâ post S. Thom. 1. 2. *q.* 100. *a.* 8. posse à quoquam dispensari in actionibus intrinsecè malis.

VI. An sit hæresis, negare Imperatorem esse
487 Dominum, & Monarcham totius orbis? Esse fortè hæresin censet Bartolus. *in l. Hostes ff. de capt. & postlim. reverſ.* Esse hæresin absolutè pronuntiant Carerius *l. a. n.* 15. aliique Jurisconsulti apud ipsum, nitentes probare ex Matth. 22. Marc. 12. Luc. 2. & 22. Joan. 19. ad Rom. 13. Verùm Covarruvias *in Reg. Peccatum. part.* 2. §. 9. *n.* 7. affirmat, Bartolum nimis audacter de hæresi locutum, nec satis intellexisse, quid sit hæresis. Azor autem *part.* 2. *l.* 10. *cap.* 8. *q.* 4. à fortiori testatur, opinionem Carerii appellari ridiculam à quibusdam Theologis. Certè contraria est communi expositioni scripturæ interpretum, qui sunt hac in re Magistri, & audiendi, ut loquar cum D. Manrique.

488 VII. An similiter sit hæreticus, qui invocat dæmonem, ut ex eo discat futura? Hæreticum esse tradit Carerius *l. cit. n.* 23. probans ex novo, & veteri Testamento. Verùm ejus probationes infirmas esse ajunt Theologi, docentes cum S. Th. 2. 2. *q.* 10. *a.* 2. & *q.* 95. *a.* 3. atque alibi, hæresin ab invocatione dæmonis differre genere, objecto, subjecto adæquato.

489 Alias permultas de hæresi, & Sacramentis quæstiones ex revelatione divina pendentes, & proinde à solis Theologis expediendas, à cæteris Jurisconsultis tamen operosè, & vitiosè tractatas prætereo, ut referam, quas proposuit, resolvítque D. Manrique. Suppono autem ipsum Manrique non fuisse Theologum; quod quidem videtur ipsemet fateri *q.* 75. *n.* 8. *q.* 109. *n.* 8. & alibi, dum asserit, à se Jureconsulto esse in materia Theologica erroris convictos Theologos. Certè si ipse fuit Jurisconsultus simul & Theologus, non habuit, cur per modum gloriantis diceret, à se Jureconsulto convictos Theologos. Hæc ipsa suppositio confirmabitur, proferendo in medium nonnullas ex iis Quæstionibus Theologicis, quas hic Doctor tractavit, & resolvit contra veram Theologiam errando vel in ipsa resolutione, vel in ratione resolutionis.

490 I. *Quæst.* 80. docet, Confessarium debere absolutionem negare pœnitenti homicidæ, qui non vult curare fieri Missas pro illo, quem occidit, si hic non habeat necessarios hæredes. Est hæc resolutio contra Theologiam, docentem debere pœnitenti ritè disposito non negari absolutionem. Vide autores apud Henriquez *lib.* 6. *c.* 6. *n.* 5. Est autem talis ritè dispositus, cùm nulla lex eum adigat id præstare. Hic verò *erubescendum sit sine lege loqui.* Auth. *de Trient.* §. *consideremus. Coll.* 3.

II. *Q.* 81. Contra Dianam negat, licere etiam 491
ad gravissimum malum evitandum commodare alicui cubiculum ad fornicandum. Et probat hoc argumento, quòd scilicet illa commodatio sit cooperatio ad peccatum, & proximam occasionem peccati præstet; quorum utrumque sit intrinsecè malum, ac nullo casu licitum. Addit quoque, negari non posse, quin 492
præbere occasionem peccati sit actus cooperatorius, & affirmativus; & clarum esse, *quòd tunc formaliter, & non tantùm materialiter cooperemur ad peccatum, quando materia & occasio peccati ministratur.* Unde inferes, Deum cooperari formaliter ad peccatum, quia dat occasiones, & materiam multiplicem peccandi; sicut & qui vendit vinum, carnes, & similia ad peccatum servientia. Consequenter subinferes, Deum esse propriè causam peccati. Hæc autem adversantur veræ Theologiæ, ut videre licet partim apud S. Th. 1. 2. *q.* 79. *a.* 1. partim apud Thomam Sanchez *l.* 1. *Moral. c.* 7.

III. *Q.* 84. negat, excommunicationem fe- 493
rendæ sententiæ obligare ad mortale, eò quòd ejusmodi excommunicatio sit ferenda in futurum, & proinde non possit obligare de præsenti, cùm ipsa de præsenti non sit. Theologi, qui negant censuram ferendam obligare ad culpam mortalem, nec nituntur, nec niti possunt illo fundamento, quòd censura talis de præsenti non sit. Vide Palaum *Tract.* 3. *d.* 1. *punct.* 15. *num.* 3.

IV. *Q.* 94. docet, idem esse jus de causa, & 494
causato, & proinde ubi peccat contra justitiam is, qui est causa remota damni, peccare quoque illum, qui est causa proxima ejusdem damni. Quæ doctrina refutatur vel inde, quòd dux belli non solvens stipendia, cùm posset, sit causa remota injusti damni, quod ejus milites inferunt amicis, ad depellendam extremam necessitatem: hi enim non peccant, peccat tamen ille gravissimè. Lege Coninck *de charit. disp.* 31. *dub.* 7.

V. *Q.* 104. docet reddendam esse Deo ratio- 495
nem ad satisfactionem, & pœnam non solùm de peccatis venialibus, sed etiam de imperfectionibus, idque patere ex illo Psalm. 138. *imperfectum meum viderunt oculi tui; & in libro tuo omnes scribentur*; idque ideo docet, ut evertat opinionem Theologorum, negantium oriri in conscientia obligationem ex culpa levissima, nisi de hoc inter partes convenerit. Theologi ajunt, à Deo puniri sola peccata juxta illud *Rom.* 4. *ubi non est lex, nec prævaricatio*, & consequenter nec pœna.

VI. *Q.* 107. dissentit à Salas, Diana, & aliis 496
docentibus, si in aliqua regione res aliqua

parvi æstimaretur, posse parvo emi, sicut fecerunt Hispani ementes aurum apud Indos. Probat suam opinionem hoc argumento, quòd scil. emptor debeat venditorem monere de valore suæ rei. Sed neque Theologi scribentes in 2.2.*q.*77. neque ipse S. Thom. ibidem tale debitum tam latè patens agnoscunt.

497 VII. *Q.* 112. docet, materiam Sacramenti pœnitentiæ esse quoad signa doloris à Pontifice institutam, atque ei derogâsse Clementem VIII. quando dedit absolutionem homini cadenti è tecto Vaticani; nulli autem Sacerdoti permitti à Pontifice, ut in ejusmodi casu absolvat. In hac resolutione duplicem gravissimum errorem Theologicum contineri, nemo
498 est Theologus qui non videat: Cui addit ibid. tertium, dum ad absolutionem etiam sub conditione requirit materiam certam, negans sufficere dubiam, etiam in extrema necessitate, nisi fortè tunc absolvat Summus Pontifex. Ubi vides non tertium, sed quartum errorem addi, dum Pontifici plus potestatis concedit hîc, quàm cuiquam alteri Sacerdoti. Vera Theologia post S. Th. 3.*p.q.*60.*a.*5.*in Corp.* docet, materias Sacramentorum à Christo determinatas non posse mutari à Papa; & absolutionem inferioris Papa posse se, æquè ac Papæ, extendere ad dubiam materiam, præsertim in articulo mortis, in quo cessat omnis reservatio. Trident. *Sess.*14.*c.*7.

499 VIII. *Q.*114.*num.*15. tradit, non esse grave onus denuo confiteri peccata jam semel confessa, licèt sint atrocissima; probátque hoc argumento, *quia scil. omnes Confessarii sub sigillo manent inclusi.* At Theologi negant consequentiam; docéntque iterationem confessionis non esse imponendam, nisi clara necessitas exigat. Filliuc. *Tr.*7.*n.*151.*&* 154.

500 IX. *Q.*119. Dianam *p.*1.*Tr.*2.*miscel.resol.*47. cum permultis Theologis negantem, teneri quem vitare occasionem proximam peccandi, quando nequit sine magno detrimento in vita, honore, aut pecunia, refutat hac sola ratione, quòd proxima occasio sit perinde ac peccatum ipsum; & quemadmodum hoc, sic illa
501 præcisè vitanda sit. Et tamen illâ eádem quæst. circa illum casum: An filius, qui cum matre ter, vel quater in anno peccat carnaliter, teneatur illam dimittere? dicit: *Sic exequendus hic casus est, ut medius possibilis divertendi assumatur statim. Quòd si nullus sit, suspendatur absolutio, per aliquod tempus, & pœnitentia gravis imponatur in Confessione.* At hunc instructorem non admittent Confessarii, utpote qui videatur nescire, pœnitentiæ injunctionem esse ab absolutione ita pendentem, ut conformiter etiam Legi *Nemo*, 37.*&ff. de Reg. jur.* qui hîc & nunc absolvendi potestatem non habet, careat jure imponendi pœnitentiam; possítque pœnitens respuere omnem pœnitentiam injunctam à Confessario, à quo non absolvitur. Etenim sine absolutione non consistit Sacra- 502
mentum pœnitentiæ, cùm illa sit hujus pars essentialis. Trident. *Sess.*14.*c.*3. pœnitentia verò est ipsius Sacramenti pars saltem integralis. Trid. *ibid.* & DD. communiter; igitur habet talem respectum ad ipsam absolutionem, ut illi, cui non impertitur beneficium absolutionis, non possit injungi onus satisfactionis. Vide P. Dicastillo *de Pœnitent.d.*14. *num.* 166.

Ex his, aliísque ultrò omissis inferes I. Non 503
debuisse toties argui ab hoc Doctore Theologos, quasi mittentes manum in messem alienam, quando materias juridicas exequuntur, quandoquidem hic ipse Doctor tam multas merè Theologicas ex instituto ventilavit, insuper disputans contra Theologos *q.* 45. An delectatio unius conjugis sit licita in absentia alterius? *q.* 71. An per fricationem liceat expellere semen corruptum? *q.* 77. An peccet offerens occasionem peccati propter bonum finem? *q.* 22. An delinquat, qui *minatâ, vel, non minatâ* morte defert literas sui heri ad amasiam? *q.* 85. An similiter culpæ sit reus, qui alteri mortem optat, vel eâ gaudet ob speratam hæreditatem? *q.* 112.*&* 113. An Confessarius possit absolvere moribundum, qui non dedit ullum signum contritionis, nec petiit Confessarium?

Inferes II. Summo jure negatam esse à no- 504
bis *n.* 373. illam consequentiam: Meritò ægre ferunt Theologi, quando Jurisconsulti tractant materias Theologicas; ergo vicissim meritò queruntur Jurisconsulti, quando Theologi juridicas tractant. Siquidem vel ex allatis hîc exemplis liquet, errores, quos contra Theologiam admittunt Jurisperiti, extra orbitam juridicam procedentes, multò perniciosiores esse iis, quos committunt Theologi, malè explicantes Canones, aut Leges ex solo jure Humano profectas.

Fundamentum est, quia omnes leges divinæ 505
obligant sub reatu culpæ. Valent. *Tom.*2.*d.*7. *quæst.*7.*pag.*2. & quidem nonnullæ cum necessitate Medii, excludente excusationem omnis ignorantiæ. At nulla humana obligat cum necessitate medii; multæ etiam immediatè ad solam pœnam. Navarr. in Man. *cap.*23.*n.*55.

Inferes III. Haud ex vano scripsisse D. Jo- 506
annem Caramuelem in Theolog. Fundamentali *num.* 141. in epistola valde prolixa ad Henricum Canisium pridem antè vita functum, atque pro conclusione statuisse hæc verba: *Summis erroribus expositus est Canonista, qui Theologiâ scholasticâ careat*, qui, inquam, careat hac in materiis communibus Theologo, & Canonistæ.

Atque hæc scripta sunt ad solam defensio- 507
nem Theologorum, à quibusdam Iurisconsultis turbatorum in possessione, aut quasi, disputandi

tandi ex instituto, voce, vel scripto, intra, vel extra suas scholas, de Quæstionibus, & argumentis, quorum Tituli, vel Decisiones continentur in Corpore Juris seu Civilis, seu Canonici.

508 Ex quibus omnibus demum concludes, decipi illos, qui sentiunt, & dictitant, Theologiam Scholasticam parùm, aut nihil conduce-
509 re ad decidendas causas fori Ecclesiastici. Rèpugnant enim hi in primis judicio omnium illorum, qui Doctores Theologiæ tam in Episcopos, quàm in horum Vicarios Generales ritè eligi sentiunt. Sentiunt autem & illi, de quibus suprà *Sect.*16. & illi, qui hosce eligunt, ac creant, etiam cùm possent absolutè habere puros Canonistas. Repugnant deinde duplici rationi. Prima est, quam attuli *num.* 439. de multitudine materiarum etiam forensium, quæ hac ætate dictantur à Theologiæ Scholasticæ Professoribus. Altera est, quòd Theologiæ Scholasticæ studium mentem hominis ita illustret, ut, dum bonos tractatores causarum fori Ecclesiastici meditatè consulunt, & legunt Theologi, absque grandi labore, ac citra grave periculum erroris possint perspicere, quid in hoc, illóve particulari casu faciendum sit, præsertim postquam nacti sunt nonnullam praxin, sine qua ne Canonistæ quidem semper rem acu tangunt. Sanè hoc ipso, 510
quòd præstantes Theologi assueti sint speculationi materiarum tam Philosophicarum, quàm Theologicarum, vera & crebro perquam subtilia fundamenta, principiáque juris facili negotio capiunt, & ex iis veras practicas conclusiones deducunt fortè certiùs, quàm deducat Canonista vel Legista.

TRACTATUS TERTIUS DE JUBILEO QVINTVPLICI ET SUSPENSIONE INDVLGENTIARVM NON SINE AUCTARIO MVLTARVM NOVARVM QVÆSTIONVM Atque CUM QUINQUE BULLIS JUBILEIS.

In membra Sectis, & explicatis.

PRÆFATIO

HIc Tractatus, benigne Lector, est quidem ordine decimus tertius inter eos, qui comprehenduntur hoc, & priore Volumine, attamen primus omnium, qui à me sunt in lucem editi, & quo facere volui periculum, an possem divinâ opitulante gratiâ proferre in publicum aliquid, quod aliquam utilitatem, si non multis, saltem nonnullis meorum Lectorum afferret. Attulisse non planè nullam, testatæ sunt postmodum plurimæ Regularium, sæcularium que ad me epistolæ, quibus non modò afflagitabant, ut, distractis intra perbreve tempus omnibus exemplaribus hujus Tractatûs, alteram molirer editionem, sed etiam addebant ea, ex quibus pronum erat sperare, futurum, ut si explicationi Jubilei adjicerem enucleationem Indulgentiarum, id cessurum esset è voto plurimorum; quare illam haud multò post adjeci, exceptam eâdem benevolentiâ Lectoris, qua prior.

Porrò hunc eundem primum Tractatum auspicatus sum mense Junio Anni milles. sexc. quadragesimi noni, quàm primùm videlicet acceperam Româ duas Bullas: alteram, quâ ab Innocentio X. indicebatur Jubileum Anni Sancti, scilicet Milleſimi sexcenteſimi quinquageſimi: alteram, qua suspendebantur Indulgentiæ aliæ.

Hasce duas Bullas si una cum alia quapiam de Jubileo duarum hebdomadarum extra Annum Sanctum celebrari solito, membratim dissectas exponerem, visus mihi fui perfecturus laborem, & tempori, quod instabat, accommodatissimum, & perquam idoneum proponendis, resolvendis plerisque dubiis, quæ moveri possent circa Jubileum tum imminentis tunc anni Sancti, tum aliorum, quibus ex liberalitate Pontificiâ exhilarandæ essent mentes piorum fidelium, adjeci ergo Tertiam impertitam unico anno ante illas duas. Quam sicuti retinui in altera quoque Editione hujus Tractatûs, ita & retineo in hac etiam tertiâ. Cui substituerem illam, quâ S. D. N. Innocentius XI. exhilaravit totum Orbem Orthodoxum, dum ipse optimus Pastor suarum ovium precibus initium, decursúmque sui Apostolatûs initi anno 1676. die vigesimo primo Septembris commendavit

davit Bullâ editâ quarto Decembris ejusdem Anni. Substituerem, inquam, illam promulgatæ ab Innocentio X. nisi viderem, esse tam exiguum & propè nullum inter utrasque discrimen, quoad favores & onera, ut non sit operæ pretium facere ejusmodi commutationem. Attamen non modò sedulò admoniturus sum singulis quibusq; locis, in quonam vel conveniant, vel discordent Decimus, & Undecimus, verùm, etiam sub calcem tertiæ Bullæ Innocentianæ repræsentaturus sum totum Proœmium Bullæ S. D. N. nunc regnantis, & non minùs opere, quàm verbis, tam oves (Prælatos ajo) quam agnos (cæteros Christianos) pascentis: & ideo repræsentaturus, quòd sciam, futurum, ut magno cum gustu lecturi sint quotquot accommodaverint illi Proœmio plùs, quàm paterno suos oculos. Porrò quia prioris Innocentii Bulla differt in quibusdam substantialibus à nonnullis earum, quas publicarunt pro variis necessitatibus, & occasionibus alii Pontifices, id circo de his ipsis commonefaciam meum Lectorem, additurus insuper sexto, & quinquagesimo Capitibus, tres alias etiam de materia Jubilea, tam diversas ab indicentibus annum Jubileum, seu Romanum, atque commune extraordinarium, ut meritò insigniverim hanc Tertiam impressionem Titulo Jubilei Quintuplicis, cùm prima præferret solummodo Titulum Duplicis, altera Quadruplicis.

Quia verò, ut dixi, fuit hic liber prælo liberatus paulò ante exordium anni Jubilei milleſimi sexcenteſimi quinquageſimi, mirum non est, quòd Elencho Auctorum sapius à me citandorum, quem peculiari de causa (nunc cessante) præmiseram tractationi propositæ materiæ, non inseruerim tunc Theoriam, & praxin Jubilei Zachariæ Pasqualigi; etenim illam misit hic in lucem anno propè integro post me, adeò ut hunc meum Tractatum sit nactus, cùm non nisi aliquot quaterniones illius Theoriæ essent excusi, ut testatur ipse q. 127. Et verò haud parùm locupletarem eo libro (in quo persepe facit mentionem mei) hanc editionem, si haberem nunc ad manum, sed habere nequeo, ideóque nec respondere ad fundamenta, quibus mea quædam sensa oppugnat: nec huc transferre non pauciſſima, quæ vel adfert ad robur eorum, in quibus mihi consentit, vel à me præterita supplet. Nihilominus tamen secutus mea adversaria, in quæ nonnulla alibi commorans retuleram, allegabo illum interdum, & aliquanto sæpius ejusdem decisiones Morales.

Sed & prætermisi in eo antiquo Indiculo Appendicem, quam de variis Jubileis P. Antonius Quintanaduennas attexuit suis Singularibus; illa quippe fuit typis excusa Venetiis illo ipso anno, quo hic meus Tractatus Oeniponti in Tiroli, nec à me visa, nisi multis annis post; nunc tamen mihi inserviet singulariter in nonnullis, quæ ego nullâ authoritate, sed solâ ratione definiveram priùs.

Denique non diffiteor, conspici in hoc Tractatu nonnullas quæstiones, quæ aptiùs discuterentur in Tractatu sequenti de Indulgentiis. At in primis eæ nec multæ sunt, nec inutiles. Deinde cùm hanc scriptionem contexerem, nondum tunc fixum erat animo suscipere dissertationem de Indulgentiis; ne verò nunc loco moveam, intercedit ingens mutatio numerorum marginalium atque allegationum, quam necessariò, & non sine notabili incommodo facere deberem; qua etiam de causa rejicio in calcem tres novas, multumque perplexas materias, quas cæteroqui proponerem sub initium, vel medium hujus Tractatûs. Nunc audiamus Innocentium Decimum exhibentem more, ac stylo suorum Prædecessorum, Jubileum Anni sancti.

INDICTIO VNIVERSALIS IVBILEI ANNI SANCTI M. DC. L.

INNOCENTIUS EPISCOPVS, SERVUS SERVORUM DEI, UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS, PRÆSENTES LITERAS INSPECTURIS, SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

APpropinquat, dilectissimi filii, continuis expetitus bonorum votis, Annus sanctificationis atque Indulgentiæ, Annus a partu Virginis Quinquageſimus supra milleſimum sexcenteſimumque. Ad quem in hac Vrbe, sanctitatis regiâ, celebrandum, ex veteri Ecclesiæ ritu, a (quem Bonifacius Papa VIII. Prædecessor noster, intra sæculi spatium, sive institutor, sive instaurator incluſit, ac alii deinde Pontifices Prædecessores quoque nostri in breviores annorum circulos, quò plures fruerentur, Jubilei solemnia redegerunt,) Nos eâdem fulti auctoritate, quæ in Nobis per Dei misericordiam perseverat, vos acceptabili hoc tempore, non ut olim tubis clangentibus, & Hebræorum populum excitantibus ad recolendum annum ab ingreſſu filiorum Iſraël ex Ægypto quinquageſimum annum Jubilei, ac remiſſionis, libertatisque captivorum, hæreditatum, ac possessionum, sed ipsius Altissimi Filii voce compellamus, qui primus per sanguinem suum evangelizavit Mundo Jubilei annum, clamans per ora Prophetarum ad annuntiandum mansuetis missum se, ut medeatur contritis corde, ut prædicet captivis Indulgentiam, & clausis libertatem, & annum placabilem Domino. Audite hæc omnes Christi sanguine redempti: Intrate exultantibus animis portas ejus: Haurite cum jubilo de fontibus Salvatoris aquas salientes in vitam æternam.

Invitat vos sanctarum apertione Portarum Civitas hac Sacerdotalis, & Regia hac Petri sedes,

sedes, & fidei porta, hæc Magistra Religionis, vineæ Domini Turris, communis omnium Patria, & commune perfugium. Hic aperto spirituali ærario divitiæ meritorum Christi, sanctorumque in Ecclesiam congestæ, in hac plenitudine temporis, pleniore in omnes manu dispensantur, & reseratis cœli foribus cœlestium benedictionum manna in Christi fideles abundantiùs pluit. Invitant vos Trophæa Apostolorum, tantâ apud omnes gentes ab ipso nascentis Ecclesiæ Exordio veneratione semper habita, ut ex longinquis mundi partibus ad ea venientes, quamvis viderent vigentibus Imperatorum persecutionibus, detegi se per cultum, & tanquam Christianos observari, atque adeò mortis discrimen adire, non tamen à sacris peregrinationibus absisterent, ac plures ob eam causam Martyrii palma decoraret. Hæc sunt illa Apostolorum sepulchra Imperatoriis manibus ædificata, quorum vel externos Basilicæ gradus, ac limina genibus flexis Imperatores aliquando subiisse legimus, ac Reges magnam gratiam putâsse, si non propè Apostolorum monumenta, sed vel extra Basilicæ vestibula eorum corpora sepelirentur, ac Reges fierent Piscatorum Ostiarii.

Verùm hæc ipsa felicium temporùm recordatio magno doloris sensu angit cor nostrum, dum animo subinde revoluimus, quam longè à Majorum pietate distent hæc tempora, quam multas Provincias ac Nationes a consortio Catholicæ Religionis Hæreticæ labes abscideri, atque ab hac Jubilei lætitia, & cœlestium bonorum communione sejunxerit. At vos Principes, ac Reges, qui vexillum crucis in fronte gestatis; vos filii Promissionis, gens sancta, populus acquisitionis; vos, qui timetis Deum, pusilli ac magni; uno omnes ore offerte in templum ejus sacrificium laudis, & condonatis invicem offensionibus in anno remissionis, ac pacis, abjectisque tandem armis, quæ cum funesta Christiani sanguinis effusione nimis jam diu exercentur, ad communem hanc credentium matrem, ex qua lac fidei omnes pariter suxistis, fraternis, ac jubilantibus animis convenite. Qui vos sanctâ vocatione suâ dignatur, mittet è sede magnitudinis suæ Angelos salutis, qui vos ad hæc sacra Apostolorum limina peregrinantes doceant vias ejus, & dirigant in semitas æternitatis. Erit hæc vestra è variis mundi partibus in domum Domini convenientium frequentia populorum, jucundum cœlo, cœlitibusque spectaculum. Erit & vobis acceleratio divinæ propitiationis, & cumulus gratiarum. Si enim oratio Justi plurimùm valet, quid preces tot millium commuuni charitatis spiritu in unum psallentium non impetrabunt? Erit quoque Religionis hostibus rubor & confusio (utinam & resipiscendi occasio) dum tabescentes videbunt omnia Christi membra suo capiti cohærere, intelligentq; se Patris loco non habere Deum, qui Romanam Ecclesiam matrem non agnoscunt.

Nos interim, quos DEVS nullo quidem meritorum suffragio voluit suorum mysteriorum dispensatores præsidere Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo, de ejus misericordia confisi, sanctissimis Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, eorumque sanctum institutum tenentes, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, universale, maximúmque Jubileum in hac sacra Urbe a primis Vesperis Vigiliæ Nativitatis Sanctissimi Salvatoris nostri Jesu Christi proximè futuræ incipiendum, & per totum ejusdem prænarrati anni M. DC. L. Deo dante prosequendum, auctoritate Dei Omnipotentis, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostrâ, maximâ & inenarrabili nostri cordis jubilatione ad ipsius omnipotentis Dei gloriam, sanctæ Ecclesiæ exaltationem, & tranquillitatem, hæresum extirpationem, Catholicorum Principum concordiam, Christianorúmque omnium populorum solatium, & sanctificationem indicimus, promulgamus, & statuimus.

Qua Sanctissimâ Jubilei celebratione durante, omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus b *verè pœnitentibus & confessis, qui BB. Apostolorum Petri & Pauli Basilicas, Lateran. quoque, ac sanctæ Mariæ Majoris Almæ Urbis Ecclesias semel saltem in die per triginta continuos, aut intermissos dies, si Romani vel incolæ Urbis fuerint, seu per quindecim dies, si fuerint peregrini, aut alias externi, devotè visitaverint, & pro ipsorum fidelium, ac totius Christiani populi salute, pace & concordiâ, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus, impertimúrque.*

c *Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe morbo, vel aliâ legitimâ causâ impediti, aut morte præventi, præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, præmissa exsequi, & dictas Basilicas, & Ecclesias visitare nequeant. Nos pias, promptáque illorum voluntati, quantùm in Domino possumus, benignè favere cupientes, eosdem verè pœnitentes & confessos prædictæ Indulgentiæ ac remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas & Ecclesias, ut præfertur, à Nobis præscriptas reipsa visitâssent.* c

d *Vos autem venerabiles Fratres Nostri, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in partes solicitudinis nostræ vocati, duces & pastores populorum, lux mundi, & sal terræ, capite tubas argenteas, quarum usus est in Jubileo, id est, adhibete prædicationem verbi Dei, & annuntiate populis hoc gaudium, ut sanctificentur, & Dei juvante gratiâ parati sint ad ea cœlestia dona capienda, quæ bonorum omnium Largitor DEI filius dilectionis suæ per ministerium humilitatis nostræ præparavit; adducite fratres verbo & exem-* d

& exemplo parvulos ad hujus charissimæ Matris ubera, quæ eos per Evangelium in Christo genuit, adducite filios ad Patrem, oves ad Pastorem summum, membra ad Caput, fideles ad fidei Petram, in qua omnis ædificatio Catholicæ Ecclesiæ constructa consurgit; adducite populum ad sacram Romanam Ecclesiam, & ad glorioſos Principes terræ Petrum, & Paulum, qui universum Mundum legem Domini docuerunt, & quorum fides, dignitas & auctoritas indigno etiam in hærede non deficit.

Ad sacras igitur Indulgentias, earúmque salutares fructus ipso Jubilei anno Romæ percipiendos vocate cœtum, convocate populum, sanctificate Ecclesiam, docete oves fidei vestræ creditas, quia Advenæ & peregrini sumus in hac vita, & Civitatem hic permanentem non habemus, sed futuram inquirimus. Ideo quia breves sunt dies hujus nostræ ærumnosæ peregrinationis, & nescimus, quâ horâ Paterfamilias & Sponsus Christus venturus sit. Idcirco vigilent, & lampades ardentes & plenas oleo charitatis & misericordiæ gestent in manibus, & festinent ingredi in illam requiem. Nam si unquam alias, nunc potissimùm iræ, rixæ, & contentiones, & inveteratæ odia dimittenda propter Christum; nunc maximè servos decet misereri pauperum suorum, ut Dominus clementissimus etiam debitum dimittat eis; nunc præcipuè omnes carnis impuritates abluendæ, ut templum Dei mundum sit, & unusquisque vas suum possideat in honore, & sanctificatione, & portet Deum in corpore suo. Postremò furta, rapinæ, homicidia, & adulteria, & omnia peccata exterminanda, ut placetur ira Dei, & eos, qui Christiano nomine gloriantur, agnoscant verè Christianos & imitatores Christi, & Sectatores bonorum operum.

e *Docete autem eos, quemadmodum ad salutares indulgentias consequendas in animo contrito, & in Spiritu humilitatis assiduis orationibus & jejuniis, cæterisque pietatis operibus seipsos præparare, atque exercere debeant, & qui substantias hujus mundi habent, aperiant viscera sua, & fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, præcipuè verò erga peregrinos Romam venientes misericordes sint, & sanctam hospitalitatem DEO gratissimam, & quam vetustissimi illi Christiani etiam inter persecutionum fluctus diligentissimè coluerunt, ipsi quoque multâ cum charitate spiritûs renovent. Admonete etiam eos, cùm sanctam peregrinationem susceperint, quâ modestiâ, quâ devotione, quâ fraternæ pacis observantiâ lucere eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco. Præbete autem vos ipsi fratres venerabiles, & omnis Clerus exemplum in primis bonorum operum, & formam gregis, ut vestræ virtutis & religionis, veluti sale cæteri condiantur, & omnem peccati putredinem abhorreant, ac denique omnes unanimes in uno* e

spiritu Christianæ charitatis, atque in omni sanctitate & justitiâ Deo serviamus. Hortamur quoque & rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros Imperatorem, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, ut quò plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tantò ardentiùs, ut par est, ad Dei gloriam procurandam, pio zelo exciteutur, præcipuè verò venerabilium fratrum nostrorum Episcoporum, & Superiorum Antistitum, pastoralem sedulitatem, ac vigilantiam adjuvent, & à suis Magistratibus, & Ministris adjuvari mandent, ut improborum licentia coërceatur, & bonorum studia eorum regiâ ope & gratiâ foveantur, maximè autem erga peregrinos beneficentiam, & liberalitatem exerceant, curéntque, ut tutis incedant itineribus, & nullâ hominum perditorum vexatione perturbentur, sed Hospitalibus, Domibus, & publicis Hospitiis amanter excepti, & commeatu, & rebus ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussione, & injuria institutum iter læti peragant, & cum gaudio in patriam revertantur. His enim Hostiis Reges potissimùm, & Principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & demum in aterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur.

Ut verò præsentes literæ ad omnium fidelium quibuscunque locis existentium notitiam facilius perveniant, volumus, earum exemplis etiam impressis, manu Notarii Publici subscriptis, ac Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ Sigillo munitis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent & ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, quarto nonas Maji, Pontificatûs nostri anno quinto.

SVSPEN-

SUSPENSIO

Quarumcunque Indulgentiarum, durante anno universalis Jubilei 1650.

INNOCENTIUS
EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI AD FUTURAM REI MEMORIAM.

a CUM nos nuper sancti Jubilei celebrationem à Vigilia a Nativitatis Domini nostri IESU Christi anni proximè venturi inchoandam, & usque ad finem ejusdem anni duraturam, universo populo Christiano, de venerabilium Fratrum Nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium assensu, indixerimus, omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus b verè pœnitentibus & confessis, qui Beatorum c Apostolorum Petri & Pauli Basilicas, Lateranensem quoque, & sanctæ Mariæ Majoris Almæ Vrbis Ecclesias visitarent 3 plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis literis plenius continetur.

c Cupientes ut Christianæ Nationes ex omnibus terrarum orbis locis in Almam Vrbem nostram, in fidei ac religionis unitate congregatæ, eodem pietatis ac devotionis spiritu Basilicas & Ecclesias prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubileo visitent, & frequentent: multorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo adducti, d omnes, & singulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum e remissiones, e ac facultates, & indulta absolvendi etiam à casibus sedi Apostolicæ reservatis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis, f contentis, f quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam laicorum, Vniversitatibus, & g piis locis, illorúmq; Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, & tam Sæcularibus, quàm quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus Personis, h Coronisq;, Granis, Imaginibus, & Numismatibus ex metallo, seu quacunque aliâ materiâ confectis, tam singulariter, quàm universaliter, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac etiam i Nos, i etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsis etiam Imperatori, Regibus, Reginis, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacunque aliâ mundanâ, vel Ecclesiasticâ dignitate, etiam speciali notâ dignâ fulgentibus, etiam ad instar Jubilei, aut aliàs quomodocunque, & k ex quibusvis causis, & occasionibus sub quibuscunque tenoribus & formis, ac l cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac aliàs quomodolibet concessas, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, Apostolicâ auctoritate, de eorundem fratrum consilio & assensu, ac Apostolicæ potestatis plenitudine m suspendimus, & suspensas esse declaramus; eásque, & ea, eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere. Irritum quoque & inane decernimus, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel n ignoranter contigerit attentari.

Quocirca per præsentes auctoritate Apostolicâ præcipimus & mandamus o ne interim aliæ, quam indicti à Nobis prædicti Jubilei Indulgentiæ sive publicè, sive privatim, quovis prætextu, vbivis locorum & gentium, sub Excommunicationis p eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio Ordinariorum, instigendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur.

q Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Vniversitatum, Collegiorum, & locorum, aliorúmq; prædictorum r etiam juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Exemptionibus, & indultis Apostolicis, illis eorúmque Superioribus, & personis, aliisque quibuscunque per eosdem Romanos Pontifices Prædecessores Nostros ac Nos, & dictam sedem, ejúsq; Legatos s sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum clausulis, & decretis, & t ex quibusvis causis concessis, confirmatis, & innovatis.

u Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quòd sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis, & individua mentio fiat, illis aliàs in robore suo permansuris, ad effectum præmissum, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Et quia difficile nimis esset, præsentes quocunque, ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ obsignatis, eandem prorsus fidem in judicio, & extra ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis DEI, ac BB. Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, pridie Nonas Maji Pontificatûs Nostri anno quinto.

IVBILEVM UNIVERSALE,

S. D. N. INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ X. ad divinam opem implorandam.

INNOCENTIVS PAPA X.

Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

INter plurimas, eásque gravissimas curas Nostri Pontificatûs illa continenter anxit, ac sollicitum habuit Nostrum animum, quà latè aspeximus assiduis bellorum motibus agitari, ac premi Christianum orbem. Siquidem commiserationem, & lacrymas jugiter poscunt continuæ per tot jam annos populorum cædes, urbiúmque stragis, & tanta undique illata rebus sacris damna, & Catholicæ religioni.

Adeóque ipse Christiani nominis hostis implacabilis Turcarum Tyrannus confidentior factus Christianorum discordiis, vires, atque animos sumit, stragémque & exitium minitatur Europæ universæ.

Et quamquam nos pastorali Nostro munere, ac paternâ erga omnes charitate, jam inde ab initio Nostri Pontificatûs nullam humanam operam, quantumvis in nobis fuit, prætermisimus rebus componendis & conciliandis, eámq; in dies adhibere a conamur, a divinam tamen opem in id imploranda, & cœleste auxilium invocandum esse duximus; ut afflictioni corporum, & contritioni cordium aptas preces adjungentes, paratam in nos Dei iram placemus, & avertamus; propitiatur enim Dominus cunctis; qui in toto corde requirunt eum.

b Hoc autem ut fructuosiùs, & majori cum spiritûs ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ omnium Matris & Magistræ more, in præsentibus necessitatibus ejusdem Ecclesiæ thesauros, quorum dispensatores à DEO constituti sumus, proferre & largissimè erogare decrevimus.

Itaque ex parte Omnipotentis DEI Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, omnes & singulos utriusque sexûs Christi fideles tam in alma Vrbe nostra, quàm alibi, ubicunque locorum constitutos, Apostolicâ auctoritate paternè, enixéque requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infrà scripta devotè peragendum, & implendum, c & c ad Deum Salvatorem Nostrum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ fidem Catholicam protegere, ab hostium conatibus, & insidiis defendere, hæresim extirpare, Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare, ac præcipuè præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subvenire dignetur. Nos enim de Omnipotentis DEI misericordiâ, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis ninimè suffragantibus contulit, universis & singulis Christi fidelibus in almâ Vrbe prædicta degentibus, qui d solemnibus processionibus, quas feriâ d quartâ ab Ecclesia S. Susannæ ad Basilicam S. Mariæ Majoris nuncupatæ, & feriâ sextâ præsentis hebdomadæ ab Ecclesia Nostri Archihospitalis in Saxia nuncupati, ad Basilicam Principis Apostolorum de Vrbe, unà cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Christianorúmque Regum, & Principum apud Nos, & Apostolicam sedem Oratoribus, omnibúsque Prælatis & proceribus, ac universo Clero & populo agemus, aut alteri ex processionibus hujusmodi interfuerint, e vel qui in eâdem, seu immediatè sequenti hebdomade dictas Basilicas sive Ecclesias saltem semel visitaverint, ibique devotè ut suprà DEVM oraverint, f nec non feriâ quartâ, & sextâ ac Sabbatho ejusdem, vel sequentis hebdomadæ jejunaverint, utque peccata sua confessi sequenti g saltem die Dominico Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ reverenter sumpserint, & h eleëmosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint.

Cæteris verò omnibus, & singulis fidelibus extra Vrbem existentibus, in quibusvis civitatibus, terris, & locis, qui i processioni ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis, sive Officialibus, vel de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, k primâ vel secundâ hebdomadâ, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ literæ pervenerint, indicendæ & agendæ interfuerint, l vel Ecclesiam seu Ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut suprà DEVM oraverint, m ac feriâ quartâ, sextâ, & sabbatho alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis jejunaverint, n paritérque peccata sua confessi, ac SS. Communione refecti fuerint, o & eleemosynas, similiter pro arbitrio suo fecerint, p plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra vel extra Vrbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus & elargimur.

q Navigantes verò, aut iter agentes, ut cùm primùm ad sua sese domicilia receperint, suprà scriptis peractis, & loco interventus in processione,

ne, visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majore aut Parochiali loci ejusdem domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint & valeant.

r r *Regularibus autem Personis utriusque sexûs, etiam in claustris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscunque laicis, vel Ecclesiasticis Sæcularibus, Regularibus, etiam in carcere seu captivitate existentibus, vel aliquâ infirmitate, sive alio quocunque impedimento detentis, qui suprà expressa, scil. jejunium, eleemosynam, Ecclesiâq, seu Ecclesiarum visitationem, ac interventum in processione, & orationem, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius, quem, ut infrà, elegerint, eis in alia pietatis opera*

s s *commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eáque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus.*

t t *Cupientes autem omnes Christi fideles participes fieri hujus pretiosissimi thesauri, universis & singulis utriusque sexûs tam laicis, quàm Ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti licentiam concedimus, & facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcunque presbyterum Confessarium tam sæcularem, quam cujusvis Or-*

u *dinis regularem, ex* u *approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus Excommunicationis, Suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris, à jure, vel ab homine quavis causâ latis seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus & delictis, quantumvis gravibus*

x *& enormibus,* x *etiam locorum Ordinariis, sive Nobis & sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expres-*

y *sis, quomodòcunque reservatis,* y *in foro Conscientiæ, & hac vice tantùm, non tamen à crimine*

z *hæresis, absolvere, & liberare valeant,* z *& insuper vota quacunque (Religionis & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus, pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.*

aa aa *Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ Obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Epi-*

scopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscunque Ordinariis locorum, eorúmque vicariis

bb *Officialibus,* bb *vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cùm præsentium literarum transumpta, aut exempla etiam impres-*

cc *sa acceperint,* cc *illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias & Diœceses, Provincias, Civitates, oppida, terras, & loca publicent, & publicari faciant, ac Cleris &*

dd *populis sibi subjectis* dd *solemnes processiones & supplicationes indicant & celebrent, Ecclesiámque seu Ecclesias visitandas designent.*

ee *Non intendimus autem per præsentes super* ee *aliqua irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate, quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro Conscientiæ; neque etiam eàdem præsentes, qui à Nobis & Apostolicâ sede, vel ab aliquo Prælato seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias & censuras incidisse declarati, vel publicè denuntiati fuerint, ff nisi infra tempus celebrationis hujusmodi* ff *Jubilei, satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.*

gg *Non obstantibus Constitutionibus & Ordi-* gg *nationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi, in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles Jubilei, Indulgentiarum & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regula Nostra de non concedendis Indulgentiis ad*

instar, hh *ac quorumcunque ordinum & congre-* hh

gationum, sive institutorum Regularium, etiam juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorúmque personis, quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorúmque totis tenoribus, specialis specifica & individua, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim & expresse ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Vr autem præsentes Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earum præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. *Martii, Anno* 1648. *Pontificatûs Nostri anno quarto.*

Hactenus verba Innocentii X. qui Vndecimum donavit galero Cardinalitio, dignissimum, sanè & illo, & triplici coronâ, & quem loquentem audiamus, alloquentem nos omnes auscultemus, affatur autem hunc in modum.

Ad

AD supremi Apostolatûs fastigium (licèt immeriti) inscrutabili divinæ providentiæ arcano evecti, dum impositi Nobis gravitatem oneris, cum collum humiliter supponere Deo vocanti parendi Nos adegit necessitas, viriúmque nostrarum imbecillitatem, tum luctuosum Christianæ Reipublicæ statum seriò animi intentione consideramus, toti contremiscimus, & obversantem mentis nostræ oculis curarum pontificiarum molem, quam actuoso experimento in hoc Pontificatûs nostri primordio jam delibavimus, contuentes ingenti pavore concutimur, ne in altitudinem maris delati surgentibus undique tempestatum procellis obruamur. Fervet enim gravc, atróxque inter Principes Christianos bellum, quod florentissimas Christiani Orbis provincias cædibus, ruinis, excidiis, & vastationibus complet, omniáque sacra, ac profana miscet. Sancta Dei Ecclesia tot hæresibus, & in Religione dissidiis lacera, multorúmque filiorum suorum à salutari Christi normâ multipliciter deviantium vitiis, fœda facta est, quasi vidua plorans in nocte, & lachrimæ ejus in maxillis ejus; ut meritò exclamare possimus cum Propheta: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Hæc Nos dies, nocteésque in amaritudine animæ nostræ cogitantes manus nostras cum lacrymis, & suspiriis attollimus ad Dominum, eúmque toto cordis affectu rogamus, ut superexaltet misericordia judicium, & qui longanimi patientiâ homines ad pœnitentiam vocat, det eis benignus salutarium lacrymarum fontem, quo peccata sua multa, & gravia, quibus tot mala sibi accerserunt, abluant, eique reconciliati per viam mandatorum ejus ambulent, ac paternam charitatem nostram de eorum salute solicitam laudabilibus suis de virtute in virtutem progressibus solentur; Nobis verò adsit potenti gratiæ suæ auxilio, quo creditum Nobis Apostolatûs officium salubriter exequi, omniáque consilia & actiones nostras ad ipsum dirigere, ac Principes Christianos in pristinæ charitatis compagem restituere, eorúmque consilia, & vires ad Christiani nominis tutelam contra communem illius hostem unire, atque indissolubili vinculo sociare valeamus. Idipsum & vos, quibus pastoralem solicitudinem impendere jam cœpimus, & posthac, quantum divina bonitas dederit, impensuri sumus, sociatis Nobis cum precibus agere oportet. Adeamus itaque cum fiducia ad thronum gratiæ, & depositò per veram pœnitentiam peccatorum pondere, obsecrationibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque pietatis operibus operam demus, divinámque misericordiam supplici, concordique humilitate invocemus, ut Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, det Nobis sedium suarum assistricem sapientiam, qua commissum Nobis Dominicum gregem feliciter regere, ac verbo, & exemplo salubriter pascere possimus, ut cum illo ad vitæ æternæ gloriam perveníre mereamur. Et quia præcipuæ pastoralis nostri muneris partes sunt, omnibus Ecclesiis, quarum Nobis divinitus commissa est solicitudo, idoneos præsules constituere, conjunctis precibus divinam majestatem precemur, ut Pastor æternus, qui vicariam sui potestatem in terris humilitati nostræ concedere dignatus est, tales Nobis tribuat (consistorianis etiam in id ipsum illorum Principum religiosis studiis, quibus ex hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ personas idoneas ad Ecclesias pastoribus viduatas nominandi, vel præsentandi facultas concessa est, aut quorum pro ejusmodi personis supplicantium preces eadem Sedes exaudire consuevit) Ecclesiis universis pastores præficere, qui & ipsi facti forma gregis populum suæ curæ creditum non solùm doctrinâ verbi, sed etiam exemplo boni operis prosperè dirigant, & Ecclesias sibi commissas uberibus pietatis incrementis locupletent; Antistites autem Catholici in partem solicitudinis nostræ vocati in hoc omni studio incumbant, ut eos constituant Ordinis Ecclesiastici ministros, præsertim animarum rectores, qui munus suum dignè impleant, & vivos lapides in ædificium cælestis Jerusalem præparare studeant: Monachi quoque, atque religiosi, & Sanctimoniales ita in conspectu Domini ambulent, ut bonus Christi odor, de bona eorum conversatione fragrans, Sanctam Matrem Ecclesiam recreet, quæ aliorum etiam filiorum suorum in virginali, viduali, conjugalique castitate Deo servientium felici progressu lætetur. Oremus unanimiter, ut Deus pacis Principes Christianos inter se uniat, Turcarum, aliorúmque infidelium vires, & consilia conterat, & dissipet, hæreticos, & Schismaticos ad Catholicæ fidei veritatem, Ecclesiæque unitatem reducat, Ecclesiámque ipsam in hoc sæculo militantem protegere, victricémque præstare, & cælestibus triumphis donare dignetur. Hæc autem, ut fervéntiori charitate, majóreque fructu fiant, priscum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum morem sequentes, Ecclesiæ thesauros dispensationi nostræ creditos proferre, & liberali manu erogare decrevimus. Itaque de omnipotentis misericordia, &c.

Hoc verborum gravissimorum contextu nos allocutus hæres S. Petri (ut se ipsum Leo Magnus compellavit annis abhinc mille ducentis, & quinquaginta circiter,) subjungit ea, quæ in Bulla Innocentii X. à lit. c. usque ad calcem continentur, pauculis omnino, ut jam monui, mutatis.

DE

JUBILEI
NATVRA
ET
ACCIDENTIBVS
CAPUT I.

Jubilei Etymon, Significatum, Definitio.

SUMMARIUM.

Jubilei Etymon, & Significatum. 1.
Favores. 2.
Peculiare quid de Compostellano. Ibid.
Descriptio Jubilei. 3.
Quid intelligatur nomine Jubilei absolutè prolato? 4.
Singulariter à nonnullis Recentioribus. Ibid.
Proponitur, & solvitur argumentum contra definitionem Jubilei. 5.

Quæst. I. *Quodest Jubilei Etymon, & Significatum?*

1 RESP. Hoc nomen *Jubilæum*, *Jubileum*, *Jubilæus*, *Joboleum*, *Iobileum* (ita enim scribunt alii, atque alii, Theologi, antiquioribus Pontificibus ferè scribentibus *Jubilæum*, recentioribus *Jubileum*) significabat apud Hebræos annum remissionis, quo sc. cuivis suæ possessiones, domus, agri, vineæ, &c. quas per hypothecam, venditionem, &c. à se alienaverat; item mancipia suæ libertati, & quidem sine pretio restituebantur; quo etiam anno terra non colebatur, sed vescebantur Judæi iis, quæ partim ex superioribus annis comparserant, partim quæ terra illo anno sponte, & sine cultura proferebat, ut videre est Lev. 25. ubi inter alia *v.* 10. datur Hebræis hoc præceptum: *Sanctificabisq; annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ, ipse est enim Jubileus.* Quam quidem vocem derivant alii cum Sanctarello *Tr. de Jubileo. c.* 1. *dub.* 1. ab Hebræo *Iubal*, quod *producere* significat: nam illo anno, ut dixi, terra producebat fructus sine labore. Alii cum Lirano, & Turrecremată apud Navarr. comment. de *indulg. & jubil. not.* 1. *n.* 2. derivant ab alia voce Hebræa *Iobel* quæ buccinam significabat; buccinam, inquam, cujus sonitu indicebatur *Jubileus*, ut videre est apud Navarr. *l. c.* qui proinde *n.* 9. ait, rectiùs pronunciari *Iobileus*, quam *Jubileum*, & rectissimè *Iobeleum*. Ego cum Ribera *l.* 5. *de Templo c.* 24. in fine dico: *quoniam consuetudo obtinuit, ut Jubileus dicatur, scientiam nobis reservemus* (quod scil. rectiùs dicatur Jobeleus) *usum populo relinquamus*, vide Benzon. *de Jubileo l.* 1. *c.* 1. de Ann. Jub. Judæor. & *c.* 4. *ac* 5. de etym. hujus nominis disserentem.

Quia verò annus ille quinquagesimus erat, ut dixi, annus remissionis; fiunt autem apud Christianos certis quibusdam annis, valde magnæ & solennes peccatorum remissiones, idcirco illi anni rectè vocantur *Jubilei*; rectè quoq; nominantur Anni *Sancti*, eò quòd iis durantib⁹ sanctissima pietatis opera certatim edantur. Sanctarel. *l. c. dub.* 2.

Hoc ipsum Jubilei nomen translatum est ad 2.
illas indulgentias plenarias, quas Summi Pontifices annis incertis, & prout Ecclesiæ necessitates exigere videtur, Christianis omnib⁹ impertiuntur cum variis gratiis; ita ut indulgentia plenaria, quæ in amplissima forma conceditur, Jubileus vocetur. Filliucius *Tr.* 8. *n.* 249. & 263. & Palaus *Tr.* 24. *disput. un.* §. 1. Unde Innocent. X. illam indulgentiam, quam An. 1648. concessit cum favoribus, quos jam jam enumerabo, appellat Jubileum. Nec facilè reperies Bullam, in qua Pontifex dicat, se concedere Jubileum, & non simul concedat saltem tacitè facultates mox indicandas.

Excipe in primis Jubileum Compostellanum ab Alexandro tertio concessum visitantibus ecclesiam S. Iacobi aliquo die illius anni, quo in Dominicum diem cadit festum dicti Apostoli. Etenim Pontifex præter indulgentiam exprimit solam potestatem eligendi Confessarium, qui à Casibus Apostolicæ Sedi reservatis absolvat, non factâ ullâ mentione votorum commutationis. Excipe deinde bullam, quæ anno immediatè sequente Annum Sanctum diversis diœcesibus impertitur, per extensionem, ipsum Jubileum Romanum: etenim illud Breve non dat potestatem commutandi vota, sed solùm absolvendi à reservatis, vt videbimus *c.* 50. Excipe præterea bullam Urbani VIII. de Anno 1640. in cujus posteriore parte concedit exteris unà cum Jubileo jus circa absolutionem, & commutationem, non autem in prima Romanis, & ideo in sola posteriore, quia in hac exigit plura opera, quàm à Romanis in priore Excipe denique ipsum Jubileum Anni Sancti; est enim probabile, per illum non fuisse obtentam nisi indulgentiam, sicuti videbimus infrà *cap.* 49.

Quæst. II. *Quomodo definiendum est Jubileũ?* 3
RESP. Possumus cum Ausonio Noctinot in Summa Dianæ v. *Jubileum*, n. 1. ita describere Jubileum: *Jubileum est indultum Pontificis, ad excitandam fidelium devotionem emanare solitum Indulgentiam plenariam, & magna privilegia, certa opera in Brevi præscripta præstantibus concedens.* Vel cum Lezana in summa *Quæst. Reg. Tom* 3. *V. Jubileum* à n. 1. hoc modo: *Jubileum est Indulgentia plenaria à Summo Pontifice concessa visitantibus certas Ecclesias, ac certa pia opera facientib⁹ cum facultatibus circa absolutionem à casib. reservatis, censuris, & commutationem in votis.* Ita etiam ferè describit, & ad rationem Jubilei non minùs requirit Suarez *disp.* 50. *sect.* 4. *n.* 8. addens, usitata, & adæquata significatione hujus vocis in rigore comprehendi illa quatuor, quæ in hac descriptione indicantur. *tom.* 4. *in* 3. *par.*

4 Quæst. III. *An igitur nomine Jubilei absolutè prolato intelligitur ille triplex favor, qui præter indulgentiam in secunda definitione Jubilei indicatur?*

RESP, Quandoquidem, ut dixi, vix reperio ullam Bullam, quæ concedat absolutè Jubileum, & non simul illam triplicem facultatem, idcirco, si quo casu fieret, ut aliquis Pontifex diceret absolutè, se alicui Communitati concedere Jubileum, censeo illam Communitatem posse, hoc ipso sibi prudenter persuadere, se præter indulgentiam plenariam habere potestatem eligendi Confessarium, qui à censuris & reservatis casibus omnibus absolveret, & vota commutaret. Ratio est, tùm quia verba intelligenda sunt, ut communiter intelliguntur, & usurpantur, cap. *Ex literis*, de Sponsalibus. l, *Labeo*, ff. de supellect. leg. Atqui verbum. *Jubilei* absolutè sumptum accipitur communiter, pro gratia complectente triplicem favorem indicatum; tum quia in definitione Jubilei, quam attuli, ponitur triplex ille favor, testatúrque Lezana, se eam definitionem desumpsisse ex communi doctrina Doctorum, tum denique, quia Sanctarellus *cap.* 7, & 8. & Palaus §. 1. *n.* 7. cum aliis pluribus absolutè docent, in Jubileis etiam extra An. Sanctum, fieri potestatem absolvendi ab omnibus reservatis, & vota commutandi; atq; etiam ita, me citato, tenet P. Andr. Möhr minorita in venusto libello de Indulgentia Portiunculæ. *fol.* 62. *n.* 10.

Vide Emmanuelem Rodr. *qq. Reg. Tom.* 1. *q.* 87. & Hier. Rodr. *q.* 77. *n.* 50. indulgentiam Portiunculæ, de qua disseremus *in seq.* ideo negantes esse Jubileum, quòd ei non sit annexa potestas in reservata, inque vota. Quapropter non assentimur Patri Quintanaduennæ in Appendice ad sua singularia, quatenus tum in præfatione *n.* 3. absolutè scribit, Jubileum idem esse, ac Indulgentiam plenariam, vel plenissimam, tum in tota illa Appendice complectente novem tractatus de totidem celebrioribus indulgentiis plenariis, ubi omnes illas perpetuò affixit nomine Jubilei. Ex quo intelliges, esse cum aliqua modificatione accipiendum, quod tradit Suarez. *To.* 5. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 9. videlicet voce *Jubilei* absolutè prolatâ non designari per se, & communiter plus, quàm indulgentiam plenariam, cùm idem Doctor alibi sequatur loquendi modum communem. Certè ætate ipsius quoque Patris Suarez bullæ, quæ expressè concedebant Jubilea, largiebantur, semper expressè plusquam indulgentiam (ex-

cipio bullam Anni Sancti, 1600) plenariam, ut videre est tum singulariter in Bulla Sacratissimo Ordini Cistertiensi impertitâ à Sixto IV. ex parte relatâ à Reverendissimo Domino Bernardino Abbate Lucellensi, & Mulbrunensi, in Concinna Epitome *Fastorum Lucellensium fol.* 83. *tum* in Bullis Sixti V. Gregorii V. & Clementis VIII. sub quibus Pontificibus meditábatur, scribebátque Tomum quintum approbatum ab ejus Provinciali A. 1599. ideóque illâ Patris Suarezii ætate, perinde atque hac nostrâ, quando Christiani, saltem extra Hispaniam, intelligebant, emanâsse bullam Jubilarem, apprehendebant multò plus, quàm indulgentiam plenariam; siquidem omnes propemodum Christiani non analphabeti nôrunt, plurimas plenarias indulgentias impertiri Confratribus variarum Congregationum, quas nunquam audiêre nominari Jubilea. Sed & ipsemet P. Suarez, ut vidimus *n.* 2. ad rationem Jubilei requirit illa quatuor, quæ *ibid.* protulimus ex Lezana: Quapropter P. Palaus *Tr.* 24. *punct.* 12. §. 1. *n.* 3. Sic rotundè scribit: *Differentia inter Jubileum, & Indulgentiam ea est, teste communi sententia, ut Jubileus ultra Indulgentiam plenariam aliquas facultates contineat tum absolvendi à reservatis, tum dispensandi vota, & similia.* Hanc ob rem tradit ipsemet Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 8. hanc doctrinam practicam: „ Advertere debent, qui denuntiant, vel prædicant indulgentias, ne simplicem indulgentiam „ plenariam, nomine Jubilei pronuncient, ne „ fortasse aliqui decipiantur, putantes, non tantùm propriam indulgentiam, sed alios favores, „ seu privilegia eis concedi, quia *nomen Jubilei* „ *juxta usitatam & adæquatam significationem* „ *hæc omnia in rigore complectitur.* Ita Suarez.

Nec obstat nostræ doctrinæ, tum quòd in quibusdam Jubileis, ut vidimus *n.* 2. non impertiantur omnes illi quatuor favores, sed tantùm aliqui eorum, tum quòd in Romano probabiliter non fiat ulla largitio, quàm indulgentiæ plenariæ, seu plenissimæ. 5

Respondeo enim in primis habere me ad manum, dum paro tertium hunc Tractatum, ultra triginta bullas diversorum Jubileorum: at in nullius harum Rubrica, seu titulo ponitur nomen *Jubileum*, quin postea sequatur impertitio quadruplicis, aut certè triplicis (ut in Jubileo, de quo infrà *cap.* 50.) favoris suprà numerati. Excipio unicam, scil. communem, hoc & superiore sæculo, qua indicitur Jubileum anni Sancti, in quo fateor, non fieri ullam mentionem, nisi indulgentiæ plenissimæ. At in primis est adhuc sub judice lis, an non implicitè involvantur illi favores quadruplices, sicuti declarabimus *Cap. Quadragesimo octavo.* Deinde esto reverà non includatur reipsa plus in ea, quàm in indulgentia propriè dicta, attamen illa unica bulla nullo modo impedit, quo minus & Jubi-

leum definiatur eo modo, quo nos definivimus *n.* 3. ex Lezana, fatente, illam descriptionem fabricatam esse ex communi sensu Doctorum, & intellecto nomine Jubilei concipimus illos favores. Etenim definitiones morales non debent comprehendere omnes omnino casus, argument. *leg. Omnis definitio ff. de reg. jur.* & apprehensio alicujus significati censetur recta, quando est conformis communi apprehensioni, siquidem ex communi usu verba exaudiri oportet. text. *leg. Labeo. ff. de supell. leg.* Adhæc verba Principis, præsertim continentia merum favorem non sunt intelligenda juxta raram, diminutámque significationem sed juxta communem, & adæquatam. *cit. leg. Labeo* & l. *Beneficium. ff. de constit. principum & cap. Odia de reg. jur. in 6.* Atqui Jubileum, teste ipsomet P. Suarez, juxta communem, & adæquatam significationem comprehendit illa quatuor, scil. indulgentiam, absolutionem à reservatis: absolutionem à Censuris, & Votorum commutationem permissas. Utrùm vox *Jubileum*, ponatur in Rubrica Compostellani, ignoro, quia P. Palaus *cit. punct.* 12. §. 2. non refert totam Bullam. Certè ea tacetur in Rubrica bullæ, describendæ infrà *cap. ult.* qua, ut dixi, consuevit anno post Annum Sanctum extendi ad varios Episcopatus ipsum Jubileum Anni Sancti. At nihilo minùs conceduntur tres priores ex indicatis paulò antè quatuor favoribus, sicut & Compostellano. Quapropter est mihi probabilissimũ, non extare villam, præter illam Anni Sancti Bullam, in qua Pontifex diserte affirmet, se huic, aut illi communitati, totíve Ecclesiæ concedere Jubileum, in quo non adjiciatur indulgentiæ plenariæ saltem duplex favor, si nõ triplex.

CAPUT II.

Divisio, Antiquitas, Auctor, & Cæremoniæ Jubilei.

SUMMARIUM.

Quotuplex sit Jubileum? 6.
Quàm antiquus sit mos celebrandi Jubilei? 7.
Quando cœperit celebrari quovis anno centesimo? Ibid.
Quando quovis quinquagesimo anno? Ibid.
Et quovis trigesimo tertio? 8.
Quando quovis vigesimo quinto? Ibid.
Qui Pontifices ita indixerint? Ibid.
Solus Pontifex summus largitur Jubileum? 9.
Memorabiliora de cæremoniis Anni Sancti recensentur. 10.
Porta Sancta unde dicta? Ibid.
Quando & quomodo ea claudatur? Ibid.

6. Quæst. IV. *Quotuplex est Jubileum?*

RESP. Triplex à Palao *Tract. 24. disp. un.* nominatur Romanum, quod Romæ Anno Sancto celebratur: Compostellanum, quod Compostellæ toto illo anno, quo festum S. Jacobi Apostoli occurrit in Dominica, peragitur, & obtinetur à peregrinis: & Extraordinarium, quod extra Annum Sanctum, ob peculiares, gravésque causas indici solet. Ego conformiter dictis in Præfatione, utque tuear Nomenclaturam *Quintuplicis* Jubilei, jungam Romano, & Extraordinario Tertium pro monialibus, de quo infrà *cap. 6.* Quartum pro illis Episcopatibus, ad quos extensum fuit Jubileum Romanum cum clausulis à nemine hactenus explicatis, explicandis autem infrà *cap. 50.* Si Constitutionem quam Clemens X. ipso Anno Sancto edidit pro Regularib⁹ Apostatis, quámque non perfunctoriè explanabo *cit. cap. 6.* velis nomine Jubilei (dat sanè Apostatis causam honestissimi jubili) decorare, orietur nuncupatio *Quintuplicis* Jubilei, quam & indidi. Differt autem Jubileum propriè & rigidè dictum ab Indulgentia plenaria, & plenissima in hoc, quòd includat Indulgentiam plenariam; seu plenissimam (hæc enim duo vocabula idem significant) & præterea facultates in descriptione indicatas. Suarez *Tom. 4. in 3. part. dis. 50. sect. 4. n. 8.* & Lezana *Tom. 3. verb. Jubileum n. 1.* ex comuni Doctorum. Unde monet Suarez *l. cit.* & Palaus §. 1. *n.* 3. ne, qui Indulgentias promulgant, simplicem Indulgentiam plenariam nomine Jubilei pronuntient, ne fortè auditores falsò existiment, dari plus quàm ipsam Indulgentiam.

Quæst. V. *Quàm antiquus est mos apud Christianos celebrandi Jubilei?* 7.

RESP. I. Etsi Polydorus Virgilius, aliique nonnulli censeant, Anni Jubilei inchoationem & institutionem deberi Bonifacio VIII. à quo certum est ex Extrau. *Antiquorum, de Pœnit. & remiss.* institutum fuisse Jubileum anno Domini 1300. attamen dubitari non debet, quin etiam ante ea tempora fuerit celebratus Jubileus, ut ostendunt Navarrus *de Jubileo not.* 1. & Benzonius *l.* 3. *c.* 4. cum aliis, quos secutus Palaus §. 1. principium Jubilei refert ad tempora Apostolorum Petri & Pauli. Innocentius X. in Bulla instantis Jubilei *lit. a.* de initio Jubilei loquitur sub disjunctione.

II. Itaque idem Bonifacius VIII. suorum Prædecessorum exemplum secutus, editâ Bullâ sanxit, ut singulis sæculis, seu centesimo quoque anno celebraretur Jubileus; & qui indulgentiam plenariam consequi vellent, Romam sese Anno Jubileo conferrent.

III. Quia tamen infiniti propè homines extinguebantur, antequam anni centesimi primus dies illucesceret, idcirco Clemens VI. à multis rogatus, edidit Extrau: *Unigenitus*, decrevítque ut quinquagesimo quoque anno id fieret, quod Bonifacius centesimo faciendum constituerat, primúsque illam Indulgentiam, quam alii Pontifices vocabant Plenissimam, vocavit Jubileum. Ita testatur Sanctarellus *c.* 1. *d.* 3. Itaque anno 1350. fuit primâ vice Jubileus quinquaginta annis anticipatus.

8 IV. Urbanus VI. creatus Pontifex anno 1378. instituit, ut ob memoriam annorum triginta trium, quibus Christus Dominus in terris vixit, Jubileus celebraretur quovis anno trigesimo tertio. Benzonius *l.* 3. *c.* 6. & Sanctarellus *c.* 1. *dub.* 3. Denique quò omnis ætas tanti thesauri particeps efficeretur, statuit Paulus II. anno 1470. ut in posterũ Jubileus perageretur anno quolibet vigesimo quinto, sicuti videre est in Bulla quæ incipit: *Ineffabilis Providentia.* in qua idem Pontifex refert, quinam Pontifices fuerint Clementis VI. & Urbani VI. institutum secuti, & ob quas causas hæc mutatio facta. Porrò post Paulum II. indixerunt Jubileos Annos Sixtus IV. pro anno 1475. Alexander VI. pro anno 1500. Clemens VII. pro anno 1525. Julius III. pro 1550. Gregorius XIII. pro 1575. cujus hac de re Bullam verborum, clausularum, & sententiarum nitore, cohærentiâ, & gravitate insignem refert, utilibúsque Glossis illustrat Navarrus not. 31. Clemens VIII. Patrum memoriâ indixit illum, qui annum sæcularem 1600. condecoravit. Antepenultimi, quem suâ Romam profectione, & pietate illustravit Serenissimus Archidux Austriæ Leopoldus, nos participes effecit Urbanus VIII. Anno 1625. Innocentius X. die 13. Maji, Anno 1649. publicavit illum eo modo, quem exprimit Bulla descripta initio hujus Tractatus.

Postremò Clemens X. largitus est die 23. itidem Maji Anni MDCLXXIV. pro anno MDC LXXV. consimilem Innocentiano; quem honoravit suâ præsentiâ serenissimi Comitis Palatini Rheni, Ducis Neoburgici filius Primogenitus, Princeps indolis ad summa natæ.

9 Quæst. VI. *Quis largiendi Jubilei jus habet?*

RESP. Solus Summus Pontifex. Patet tum ex perpetua praxi; tum inde, quòd nullus inferior Papa possit impertiri aut Indulgentiam plenariam cap. *Cùm ex eo, de pœnit. & remiss.* aut reliquos favores, argum. c. *Dilectus de tempore ordin.* junctâ glossâ. *V. Permissa.*

Quæst. VII. *Quænam de Cæremoniis Jubilei Romani, seu Anni Sancti commemoranda hìc videntur?*

10 RESP. In gratiam Lectoris rerum sacrarum curiosi, videtur hìc referenda pars eorum, quæ partim Benzon. *lib.* 3. & 4. diversis capitibus, partim ex eo Sanctarellus *c.* 2. conscripsit, partim ego ex Urbe accepi.

I. Imminente Anno Sancto, die Ascensionis Domini ante annum Sanctum maximo apparatu in D. Petri æde post Evangelium, teste Sanctarello, recitatur publicè Pontificis Diploma de proximi Anni Jubileo. At anno 1649. fuit bis publicatum, scilicet semel ante, & semel post Missam solennem, ab Eminentissimo D. Cardinale Spada, præsente Innoc. X. decantatam: primâ vice ex porticu ad portam templi pro Romanis: alterâ de Summitate frontispicij ejusdem templi pro reliquo Orbe Christiano.

II. In Vigilia Nativitatis Domini, instituitur manè supplicatio celeberrima, cui interest Summus Pontifex cum omnium Principum Legatis, Cardinalibus, Prælatis, &c. Post meridiem Pontifex è Sacello Palatii se confert ad Ecclesiam S. Petri, æquè ac reliquæ, clausam; hujus portam muratam, quæ dici solet *Porta Sancta*, ter ipse malleo argenteo percutit, Summus Pœnitentiarius bis; tum à fabris muratiis dissicitur murus foribus S. Petri oppansus; cujus omnes lapides ac cæmentum, magnâ devotione, rapiunt Populus Romanus, ac peregrini. Dein Pontifex templum subit, interéstque vesperis, dum interim tres Cardinales portas S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris eodem ritu, quo Papa portam S. Petri, referant; nam hæ quatuor Ecclesiæ ex ritu satis antiquo debent visitari ab iis, qui Romæ sacri Jubilei compotes fieri cupiunt.

III. Porta illa, de qua locuti sumus, ideò vocatur Sancta, quòd & qui per eam, ut decet, ingrediuntur, sanctitatem seu gratiam divinam consequantur, & dum ea clauditur, benedicantur lapides, calx & alia id genus.

IV. Ubi per totum annum hæ sacræ ædes visitatæ fuerunt, paucis ante redeuntem Dominí Natalem diebus edicitur, portam Sanctam D. Petri clausum iri in vigilia Nativitatis ejusdem Domini, quod & fit post vesperas, quas præcessit non minùs solennis è Palatio Apostolico supplicatio; quàm quando aperienda erat. Clauditur autem postquam ipse Summus pontifex, & postmodum Summus pœnitentiarius in medium liminis ingressum ipsius portæ Sanctæ jecit calcem trullâ seu cochleari argenteo, ternósque lapides posuit, tum enim mox in altum latúmque murus erigitur, manétque integer, donec redeat alius Annus Sanctus.

V. Dum singulæ Portæ Sanctæ, partim ab ipso Summo pontifice, partim à Cardinalibus ad id destinatis aperiuntur & clauduntur, certæ preces recitantur, quas refert Navarrus in fine Commentarii toties citandi, ubi etiam describuntur cæremoniæ, quibus à Gregorio XIII. anno 1574. apertæ, & anno 1575. clausæ fuerunt Portæ Sanctæ.

CAPUT III.

Quid generatim contineant, conferant, auferant, exigant Bullæ Jubilei.

SUMMARIUM.

Quid contineant Bullæ Jubilei Anni Sancti? 11.
Quam extensionem? Ibid.
Quid exhibeant bullæ Jubileorum Extraordinariorum? Ibid.
Quid conferant Jubilea? 12.

Quid auferant? Ibid.
Quid exigat Jubileum Anni Sancti? 13.
Quid Jubileum extra annum Sanctum. Ibid.
Differentiæ inter Jubilea hujus, & superiorum Sæculorum. Ibid.

Quæst. IIX. *Quid generatim continent Bullæ, quibus Jubilæus promulgatur?*

11 RESP. I. Bullæ, quibus Jubileus Romanus indicitur, continent sequentia. I. Indulgentiam plenariam, ad quam invitant omnes Christianos imæ, summæque conditionis. II. Auferunt vel ipsæ, vel potiùs aliæ mox post ipsas editæ, quasdam gratias, & favores spirituales. III. Exigunt varia opera. IV. Mandant Prælatis, ut Anni Jubilei gratias suis subditis annuntient, edoceántque rationem iis potiundi. V. Rogatur Imperator, aliíque Principes, ut quâ possunt ratione Romipetas juvent. VI. Indulgentiam Anni Sancti extendunt ad illos, qui cœptum ad limina Apostolorum iter nequeunt perficere. VII. Eandem Indulgentiam, & alios favores Anni Sancti extendit Urbanus VIII. & Innocent X. Clemens per posteriorem Bullam etiam ad Moniales, & alios quosdam limina Apostolorum visere non valentes. Hæc omnia reperies in Extrav. *Quemadmodum* de Pœnit. & Remiss. inque Bullis Gregorii XIII. apud Navarr. not. 32. Clementis VIII. apud Cherubinum Tom. 3. fol. 54. Urbani VIII. apud eundem. fol. 30. & 33. & in primâ Bullâ Innocentii & illâ, quam explicabimus infrà *cap.* 6. quibus adde Bullam Clementis X.

II. Bullæ extra Annum Sanctum continent 1. Causam concessi Jubilei. 11. Indulgentiæ largitionem. 111. Certorum operum injunctionem. IV. Alios præter Indulgentiam favores.

12 Quæst. IX. *Quid generatim conferunt, auferunt, injungunt Bullæ Jubilei?*

Resp. I. Bullæ Jubilei Romani conferunt I. Indulgentiam plenissimam, de qua solùm hoc noto ex Benzonio *l. 2. cap.* 52. Quòd ea reliquas certitudine, efficacitate, amplitudine, dignitate, fructu superet. II. Præter Indulgentiam plenariam conferunt probabiliter potestatem eligendi Confessarium, qui à peccatis omnibus, & censuris absolvat, vota commutet, & componat super ablatis incertis, & illicito modo extortis, ut ex Extrau. *Quemadmodum*, in qua hæc postrema facultas extra Romam Anno Sancto suspenditur, deducit Palaus §. 1. *n.* 2. Sed de his vide infrà. *c.* 48. ex instituto, & ultimatè, præsertim in Appendice *Declarationis Authenticæ.*

II. Eosdem favores, excepto ultimo, conferunt Bullæ Jubilei Extraordinarii pleræque.

III. Sixtus IV. eâdem Bullâ seu Extravagante *Quemadmodum*, quâ concessit Jubileum Romanum, abstulit, seu potiùs suspendit extra Urbem Romam omnes gratias, paulò antè enumeratas, sed posteriores Pontifices eas auferunt per Bullam peculiarem.

13 IV. Bullæ Jubilei Extraordinarii nil auferunt, nil suspendunt.

V. Diplomata, quibus indicitur Jubileus Romanus, exigunt expressè tantùm quatuor opera: pœnitentiam, confessionem, visitationem Ecclesiarum, & in iis orationem pro salute populi Christiani, ut patet ex Bulla prima lit. b.

Licèt autem neque in hac, neque in ulla alia intra vel extra Corpus Juris Canonici contentâ Bullâ fiat mentio sacræ Communionis, eam tamen exigi supponit apertè Filliuc: *n.* 250. Eleemosynam, & pœnitentiæ opera exigi negat Sanctarellus *de Jub. c.* 5. *d.* 6. apud quem tamen cum voluptate leges insignia Specimina incomparabilium operum misericordiæ corporalis, & pœnitentiæ, quæ Romani cives utriusque sexûs id temporis exercent.

VI. Bullæ, quæ impertiunt Jubileum extra Annum Sanctum, præscribere solent 7. opera, I. Processionem. II. Visitationem Ecclesiæ vel Ecclesiarum. III. Orationem in illa, vel illis. IV. Pœnitentiam, & Confessionem. V. Communionem. VI. Jejunium. VII. Eleemosynam.

Circa quæ onera, & superiùs indicata commoda, seu favores, observo aliquid, à cæteris nî fallor, præteritum quidem, at non prætereundum, scilicet discrimen quadruplex intercedens inter Jubilea Extraordinaria concessa superiore sæculo, usque ad vigesimum circiter præsentis, & impertita hisce postremis quinquaginta annis. Etenim inter plus triginta Jubileas Bullas, quas penes me habeo, video hasce differentias, quòd editæ à Sixto V. usque ad Urbanum VIII. rarissimè primò exigant processionem, at persæpe posteriores, usque ad nunc regnantem Innocentiũ XI. Secundò priores communissimè diem Communionis relinquunt fidelium arbitrio, dummodo perficiant intra duas hebdomadas: posteriores sæpe alligant hebdomadæ jejuniorum. Tertiò priores, dum Confessarium instruunt facultate absolvendi ab omnibus censuris, exprimunt sæpe *Interdictum*, posteriores nunquam. Quartò eædem priores non modò non solent à generali facultate absolvendi à Casibus, in Bulla Cœnæ contentis excipere (sicut Sixtus V. anno 1589. excepit) hæresin, sed etiam silentio involvunt: at posteriores sæpe, non tamen semper, distertè excipiunt. Omnes verò in hoc conveniunt, quòd & minimùm duas hebdomadas permittant, & de triplici jejunio ita loquantur, ut omnino videantur exigere, ut omnia obeantur intra unam, eandémq; hebdomadam, & conferant, si loquamur de Jubileis duarum hebdomadarum, illos quatuor favores, quos indicavi suprà. Quia verò insinuata discrimina intervenunt, eam ob rem debet providus Confessarius, priusquam officio suo fungatur, accuratè legere, vel illam ipsam Bullam Jubilei, pro quo exponetur, ipse ad excipiendas Confessiones, vel compendiũ, quod Episcopi solét mittere ad Decanos Diœcesanos, non tamẽ debet habere ullũ scru-

scrupulum circa Interdictum, etsi ejus absolvendi potestas non exprimatur specialiter. Licèt enim non sit levis contentio inter Theologos, an, quando non exprimitur, nec excipitur crimen hæreseos, censeatur nihilominus facultas illud tollendi contineri emphaticâ clausulâ, quæ loquitur de criminibus *etiam in bulla Cœnæ contentis*, nullus tamen, quantum scio, hactenus dubitavit, quin vis relaxandi Interdictum comprehendatur clausula: *Ab omnibus censuris, &c.* Plura de quibusdam particularibus tradentur infrà suis locis, priùs tamen noto, Jubilea, quæ ultra duas hebdomadas durant solere non solùm quoad durationem differre ab aliis, sed etiam quoad aliqua alia. Nam Urbanus VIII. anno 1608. pro Jubileo trium mensium exegit ternas visitationes ecclesiæ, vel ecclesiarum. Pro Jubileo duorum mensium, quod impertiit Innocentius X. a. 1651. quódque explicabimus infrà *cap.* ultimo, postulavit quatuor ecclesiarum visitationes quindecim, & tamen non fecit potestatem commutandi vota. Adhæc bulla unius mensis, quæ ob pestem emanavit, an. 1656. fuit contenta uno jejunio, eóque aliquâ feriâ sextâ peracto. Denique quæ sit specialis ratio Jubilei durantis uno anno, adeóque Romani, patet ex dictis capite præcedenti, & dicendis cap. seq.

CAPUT IV.

Resolvuntur breviter nonnullæ practicæ quæstiones circa Jubileum Anni Sancti

SUMMARIUM.

Quomodo intelligenda facultas componendi super incertis ablatis? 14. *&* 15.
Quando incipiat, & desinat annus Sanctus? 16.
Particularia circa hoc ex Filliucio. 17.
Bulla Anni Sancti invitat omnes ad limina Apostolorum, non tamen facit potestatem petendi Romam invitis superioribus. 18.
Quid Speciatim de conjugibus? 19.
Quid de ingressis iter Romanum, at non perficientibus illud ob militaria pericula? 20.
An bi fruantur solâ indulgentiâ Jubilei, an verò etiam aliis favoribus? 21.
An graviter delinquant Prælati, non docentes suos subditos necessaria ad lucrandũ Annum Sanctum? 22.
De visitatione Ecclesiarum Romanarum. 23.

Quæst. X. *Quomodo intelligenda est facultas componendi super ablatis incertis, concessa ex opinione Castro Palai* cit. Tr. 24. §. 1. n. 2. *in Anno Sancto?*

14 RESP. Ita intelligenda est, ut si pœnitens oneratus multis debitis, quæ per usuram, rapinam, furtum, aliáve illicita ratione contraxit, non sciat, quibusnam idcirco sit obstrictus & obligatus, possit à confessario per Bullam Jubilei Romani electo impetrare remissionem, seu condonationem illorum debitorum, vel totaliter, vel ex parte, prout Confessarius judicaverit ejus animæ saluti expedire, cùm cæteroqui ex dispositione cap. *Cùm tu, de Vsuris*, deberet tantundem dare pauperibus, quantum debet creditoribus. Ratio hujus explicationis est, quia eam satis indicant verba Extrau. *Quemadmodum.* in quantum exprimunt, in Anno Sancto extra Urbem suspendi *facultates super malè ablatis incertis, aut per usurariam pravitatem, vel alium illicitum modum extortis, componendi, aut illa sub certo modo remittendi.* Nec dubito, quin hæc facultas extendatur etiam ad Simoniacos propter generalem clausulam: *Vel alium illicitum modum*; item etiam ad res alienas, quas fur adhuc habet in specie.

Dices: *Quid si fur sciat quidem Dominum, at neque ipse, neque hæredibus possit facere restitutionem propter distantiam loci, aut justum metum gravis infamiæ?* Respondeo, videri mihi, quòd etiam in hoc casu possit componere Confessarius; nam *Vbi est eadem ratio, ibi debet etiam esse eadem legis dispositio. l. Idem.* ff. Ad leg. Aquil. præsertim in materia favorabili. 15

Longè magis est hæc doctrina vera, si loquamur de debitis incertis ex justo contractu provenientibus, cùm præsertim probabilissimum sit, non adesse ullam juris naturalis vel positivi obligationem quidquam ratione illorum dandi pauperibus, ut videre est apud Layman. *l.* 3. *tract.* 2. *c.* 4. *n.* 2.

Verùm, quia plerique, si non omnes, post P. Palaum scriptores silentio prætereunt illam potestatem circa oblata, & certissimò eam non inclusit Clemens X. ut ex variis conjecturis, quas innuam infrà *cap.* 48. *in Append. Novissimâ lit.* 11. probari potest, ac probabilissimè nec Innocentius itidem X. nolim eam nunc propugnare facultatem, singulariter attentâ Declaratione authenticâ circa facultates, & favores annexos Jubileo anni M DC. LXXV. describendáque infrà *cit. cap.* 48. in Append. eâdem.

Quæst. XI. *Quando præcisè incipit, & desinit annus Sanctus, adeóque potestas lucrandi Indulgentiam?* 16

RESP. I. Gregorius XIII. & tres ejus Successores secuti vestigia suorum Antecessorum, quorum Bullæ habentur in sexto Decretalium, tam in diplomatis, quibus indicunt Jubileum, quàm in iis, quibus suspendunt indulgentias, edicunt, annum Jubileum inchoandum in Vigilia Nativitatis Domini, & quidem in primis vesperis, ut habent recentiores Bullæ indicentes Jubileum, addúntque duraturum usque ad finem ejusdem anni; quia videlicet annum non modo Jubileum, sed etiam Ecclesiasticum in cho-

inchoant à Nativitate, adeóque à Vigilia Nativitatis Domini, ut apparet vel ex 2. Bulla superius descripta *litt. a* quæ etsi emanavit, a. 1649. attamen Vigiliam Nativitatis Christi Domini imminentem, vocat Vigiliam Nativitatis anni *proximè venturi*.

Similiter testatur Barbosa *Tom. 4. Collectan. in Decretal.* in Clement. I. ex Bartolo, & aliis, exordium anni computari Perusii, & Paduæ itidem à Nativitate Domini, at in Tuscia ab ipsa Incarnatione Dominica, adeóque tribus mensibus integris post Romanos, propè integris, post Germanos, Gallos, alios extra Italiam Populos sumentes initium à Calendis Januarii.

17 II. P. Filliucius Pœnitentiarius Romanus *Tr. 8. n. 250.* has Bullas explicat his verbis: *Annus Jubilei incipit à Vigilia Nativitatis Domini nostri in primis vesperis, & durat usque ad Vigiliam in primis iisdem vesperis festi; ea tantùm est diversitas, quòd vesperæ initio anni dicuntur post apertionem portæ; unde jam ab earum initio cœptus est Jubileus; at in fine dicuntur, antequam porta claudatur; unde perdurat usque ad finem vesperarum. Ex quo patet, eum, qui communionem vel confessionem faciendam differret in diem Natalis Domini, sequentem Vigiliam, in qua clausa est porta, non lucraturum indulgentiam, quia jam annus finitus est in primis vesperis.* Ita Filliucius post Navarrum *not*, 24. qui & ipse Romæ scripsit.

Objicies: Bulla 2. Innocentii X. *lit. a.* expressè dicit, Jubileum duraturum usque ad finem anni M. D C L. ergo non finitur in Vigilia Nativitatis Christi. R. Negando consequentiam, quia ut antè dixi, Annus Ecclesiasticus, de quo loquuntur Pontifices, incipit & definit in Vigilia Nativitatis Dei & Hominis, qua de re videri potest Baronius in Martyrol. *Calend. Januarii* ex Dionysio Exiguo.

18 Quæst. XII. *Cùm Pontifices ad Jubileum invitent Romam omnes Christianos, dántne hoc ipso omnibus potestatem, & facultatem petendi Urbem, non obstante prohibitione Superiorum?*

RESP. I. Nequaquam id universim præsumendum est de voluntate Pontificis, quia vergeret in Religiosæ disciplinæ magnum detrimentum, si cuique Religioso fas esset anno Sancto limina Apostolorum visere, absque expressa Superioris licentia. Et quamvis Benzonius *l. 5. cap. 15. dub. 14.* dubitet, an peccet Monachus, qui sine licentia Abbatis, Romam ad Jubilæum proficiscitur, rectiùs tamen absolutè talem damnat peccati Lezana *de Jubil. n. 4.* Addit Benzonius, nulli Religioso petenti eam facultatem, & se indigere asserenti, negandam esse; at sine dubio potest rationabilissimè negari, cùm vix fingi possit vera necessitas.

II. Clerico habenti beneficium residentiam postulans, nefas est absque facultate proprii Episcopi Romam Jubilei causâ se conferre. Nam in Concilio Laodiceno *can. 22.* dicitur: *Non oportet Ministrum altaris, vel quemlibet Clericum præter jussionem Episcopi ad peregrinandum proficisci.*

III. Quamvis Episcopus sine permissu Papæ non debeat, communiter loquendo, peregrinari. cap. *Magnæ* de voto. & cap. *Non oportet* de consecratione, *distinct. 5.* Attamen Benzon. *cit. cap. 15. d. 14.* cùm Joanne ab Anania censet, omnes Episcopos habere generalem à Papa facultatem se accingendi ad lucrandum Jubileum. 19

IV. Rectè quidem Benzonius *cit. cap. 15. dub. 17.* monet, neque maritum peccare, si sine licentia uxoris, neque hanc, si sine illius licentia Romam lucrandi Jubilei gratiâ concedat, nisi ex causa rationabili negetur accessus; clarum tamen est, posse facillimè occurrere causam rationabilem, ob quam maritus uxori neget tunc licentiam, quando habitant procul Româ; cùm præsertim Laym. in Theol. Morali *l. 5. tract. 10. part. 3. c. 2. n. 3.* ex communi sententia Sanchezii, Coninck, & aliorum ita loquatur: *Licet vir & uxor in eo jure quasi pares sint, quòd neuter absque consensu alterius ad longum tempus discedere debeat; uti constat ex natura contractûs matrimonialis, & significatur* cap. 1. de conjugio leprosorum, *ubi dicitur*: Cùm vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius, *præterquam, si causa necessaria diuturnam absentiam postulet; attamen in hoc maritus est superior uxore, quòd ille arbitratu suo, etiam uxore invitâ, brevem peregrinationem instituere possit, sed non vice versâ uxor, si necessitas non exigat, absque viri consensu peregrinari.* Vide dicta in Exper. *Tr. ult. cas. ult.*

V. Licèt hi, de quibus locuti sumus: absque facultate necessariâ proficiscantur Romam, possunt nihilominus fieri participes Jubilei. Hanc responsionem directè tenet, & probat Benzonius *ll. cc.* nam possunt utique utiliter dolere, quòd sine licentia discesserint.

Quæst. XIII. *Civis Monacensis accinxit* 20 *se itineri Romano, jámq; confecit aliquot milliaria, sed misso veredario revocatur domum, ob improvisam mortem uxoris, aut hostilem incursionem; an potest frui illâ gratiâ, quam Pontifices faciunt iis, qui cœptum iter Romanum prosequi non possunt?*

RESP. Quandoquidem Pontifices generatim dicunt, illos, qui legitimâ causâ impediti nequeunt perficere iter, quòd aggressi sunt, potiri posse Jubileo; existimo & hunc posse potiri, si mors uxoris aut incursus hostilis sit ejusmodi, ut quemvis prudentem ejusdem conditionis virum domi retinerent. Et universim censendum est, cùm prima Bulla *lit. c.* aliæq; similes Indulgentiâ Jubilei donant illos, qui cœptum iter Romanum perficere nequeunt, intelligendum id esse, non tantùm de impotentia physica, sed etiam morali, ut e. g. si post cœptum iter pestis, aut prædones vehementer grassentur per loca, per quæ transeundum est, aut si ejusmodi Romipetæ corripiantur tali infirmitate, cum qua possent quidem physicè Romam pervenire, at non nisi vel cum summa difficultate, vel cum sumptibus triplo, quadruplóque majoribus. Ratio est, quia favores Jubilei amplè sunt interpretandi, & Bulla *cit. lit. c.* absolutè dicit: *Qui morbo vel aliâ legitimâ causâ impediti nequeunt iter perficere*

Interrogabis, *Virùm ad illos, de quibus in hac* 21 *quæstione actum est, extendatur sola indulgentia Jubilei, an etiam favores omnes Anni Sancti?*

Salvo meliore judicio, videntur mihi communicari iis omnes Jubilei Romani favores. Ducor. 1. Quia Innocentius *lit. c.* pronunciat, se cupere talibus favere, *quantum potest.* 2. Quia facit eos indulgentiæ Jubileæ participes, *perinde ac si Basilicas Romanas ipsa visitâssent*; atqui si illas visitâssent, potiti fuissent prædictis favoribus. Confirmo hanc rationem auctoritate Baldi in *l. Omnia* C. de Episc. & Cleric. ubi docet, privilegia concessa uni Academiæ instar privilegiorum alterius, perinde valere, ac illius privilegia; ergo indulgentia alicui concessa instar visitantium Basilicas Romanas, adfert illi eos favores, quos visitantibus. 3. Quia, dum Pontifex *lit. b.* impertitur indulgentiam *plenissimam* iis, qui ipsâ visitant Basilicas Romanas, per vocem *indulgentiam* intelligit saltem concomitanter favores alios præter remissionem pœnæ, ergo etiam illos intelligit in *lit. c.* utitur quippe iisdem omnino verbis. 4. Plerique, de quibus loquimur, longè plus molestiæ pro obtinendis illis favoribus jam ipsâ exantlârunt, quam adferat præscripta illa visitatio Basilicarum, ergo de summa æquitate & paternâ benignitate Summi Pontificis præsumendum est, quòd velit respectu illorum valere regulam 55. in 6. *Qui sentit onus, sentire debet commodum.* Sed tota hæc quæstio est otiosa, supposito eo, quod referam *cap. 48. n. 358 & seqq.*

Addit Benzonius *l. 3. c. 11.* gratiam Jubilei solere extendi etiam ad illos, qui post *præparationem* peregrinandi ad Urbem, impediuntur, quò minùs ad eam valeant pervenire, citátque Bullam Alexandri VI. quæ incipit: *Inter curas multiplices*; quam Bullam non reperio in Cherubino.

Quæst. XIV. *An graviter delinquant Præla-* 22 *ti, si suos non edoceant necessaria ad lucrandum Jubileum?*

RESP. Etsi videri queant aliquod peccatum committere, cùm agant contra præscriptum Pontificis Bullâ I. *lit. e.* meritò tamen Lezana *n. 9.* negat hîc intervenire grave peccatum, quia Bulla nullum, vel leve præceptum continet.

Quæst. XV. *Quænam circa visitationem quatuor Ecclesiarum sciendа sunt?* 23

RESP. Sequentia. 1. Qui non sunt cives, aut incolæ Urbis Romæ, debent illas quindecim diversis diebus visitare. Patet ex Bulla I. *lit. a.* & observant Navarrus, Rodriq. & alii, non potiturum Jubileo, qui paucioribus diebus vellet quindecim visitationes perficere, nisi fiat commutatio. II. Non est absolutè opus intrare per portas Sanctas, quamvis sit melius; sed neque peccat, qui per illas egreditur. Sanctarell. & alii. III. Dum visitantur Ecclesiæ, oportet in iis orare, pro totius populi Christiani salute Liquet ex Bulla I. *lit. a.* IV. Melius est quidem visitare Ecclesias, postquam confessione, vel saltem contritione est expurgata anima, probabilius tamen est, non requiri statum gratiæ; ut patet ex dicendis *num. 58.* V. An si quis sæpius, quàm præscriptum est, visitet Ecclesias, & sæpius confiteatur, ac communicet, possit sæpius lucrari Jubileum? dicam *n. 92. & n. 133.*

CAPUT V.

De Interpretatione Bullarum Jubileos concernentium.

SUMMARIUM.

Bullæ Jubileæ quatenus continent favorem, sunt latissimè interpretandæ. 24.
In dubio de indulgentia an validè, licitéve sit concessa, pronunciandum est, esse validè, & licitè concessam. 25.
Non obest, quòd favores Jubilei videantur adferre Episcopis aliquod præjudicium. 26.
Bullæ Jubileæ quatenus continent gravamen, sunt strictè intelligendæ. 27.

COnstat ex dictis, in diplomatibus, quæ 24
ratione Jubileorum emanant, contineri aliqua admodum favorabilia, alia onerosa; concedi multa, auferri & injungi alia. De his meritò quæritur, quomodo sint, quoad utramque partem intelligenda? Unde oritur

Quæst. XVI. *Verba Bullarum, qua parte continent favorem, quomodo sunt interpretanda?*

RESP. Latissimè, quoad patietur verborum proprietas; nisi in particulari casu vel materiâ, communis praxis, vel Stylus Curiæ Romanæ, aut omnino peculiaris ratio restrictionem persuadeat. Ita sentiunt Suarez tum *cit. 4. Tom. in 3. part. d. 56. sect. 2.* tum *lib. 6. de voto c. 16. n. 3.* Henriq. *lib. 7. c. 30. n. 1.* Sanctarell, *cap. 8. d. 12.* contra Navarrum, Sanchez & alios. Ducor I. Quia ipsimet Pontifices condiderunt, & approbârunt notissimam regulam Juris in *6. Odia restringi, favores autem convenit ampliari.*

II. Quia

II. Quia ex omnibus Jubileorum Bullis conſtat, quòd Pontifices intendant, omnes bonas mentes gaudio & conſolatione ſpirituali perfundere; quidni ergo illorum tanquam liberaliſſimorum Principum gratias & favores latiſſimè interpretemur? Cùm præſertim cap. *Quamvis.* de præb. *in 6.* admittatur & recipiatur Lex *Beneficium.* ff de conſtit. Principum, quæ ita habet: *Beneficium Imperatoris* (& Pontificis) *quod à divina ſcilicet ejus indulgentia proficiſcitur, quàm ampliſſimè interpretari debemus.*

III. Quia *in his, quæ ad Divinum cultum facere dignoſcuntur, benigna eſt interpretatio facienda.* text. cap. *In his.* de privil. idcirco videlicet, quia *ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit.* text. leg. *ſunt perſonæ* ff. *de relig. & ſumpt. funer.* ex Papiniano. Atqui conceſſio Jubilei, ejúſque favores faciunt ad Divinum cultum, etenim *eorum uſus eſt populo Chriſtiano maximè ſalutaris*, text. Trident. *ſeſſ. 25. c. 21.* in decreto de Indulg. patétque evidenter ex fine, ob quem Pontifices dicunt, à ſe impertiri Jubilea, ergo benigna, ampliſſimáque facienda eſt Jubileorum, favorúmque eis annexorum interpretatio.

Et univerſim dico cum Suarez *cit. ſect. 2.* aliiſque contra Navarrum *not. 9. n. 8.* licèt quando dubium eſt, utrùm aliqua indulgentia ple-
25 naria vel partialis, in hoc & illo caſu & ſenſu, validè, licitè, aut prudenter conceſſa videatur, oporteat verba reſtringere ad ſenſum tali incommodo vacantem, *ſemper enim curandum eſt, ut actus potiùs valeat, quàm ut pereat.* l. *Quoties 2.* ff. *de rebus dubiis*, atque adeò, quàm ut illicitè & imprudenter fiat; ſi tamen conſtet, indulgentiam in hoc & illo ſenſu & caſu, validam, licitam, prudentémque eſſe poſſe, dico, inquam, contra Navar: debere verba, quibus illa indulgentia promulgatur, intelligi in illo ſenſu favorabili, inque eo caſu, dummodo eum ſenſum verba illa propriè accepta admittant, nec quidquam aliud peculiare obſtet. Ratio petitur ex dictis.

Nec obeſt, quòd favores Jubilei videantur adferre præjudicium Epiſcopis, & aliis Superioribus, in quantum illi favores dant poteſtatem
26 alium Confeſſarium eligendi, & quidem, qui à caſibus, quos ipſi ſibi reſervârunt, abſolvat. Etſi enim iſte favor reſpectu hujus præjudicii poſſit dici aliquo modo odioſus, non tamen debet idcirco reſtringi; tum quia revera eſt leve præjudicium, quod hinc ſequitur; tum quia utilitas univerſalis, quæ ex ampla favorum explicatione dimanat, abundè compenſat illud præjudicium; tum denique quia Pontifex ſuo exemplo docet, alios ſuperiores debere libenter hîc cedere ſuo jure.

27 Quæſt. XVII. *Quomodo ſunt interpretanda Brevia Jubilea, qua parte continent odium ſeu gravamen?*

RESP. Strictè, quoad patietur verborum proprietas; niſi latiorem interpretationem perſuadeat ſtylus Curiæ, qui pro lege eſt, praxis recepta, vel omnino peculiaris ratio in particulari aliquâ materiâ, caſúve.

Probo 1. Quia illa Brevia ut ſic conſiderata vel auferunt gratiam, vel inferunt pœnam, vel injungunt operationem? Si primum; ſtrictam interpretationem ſuadet tum regula. *Odia*, in 6. tum illa: *Indultum à jure beneficium non eſt alicui auferendum.* eod. Si ſecundum; eandem interpretationem perſuadet regula 49. eod. *In pœnis benignior interpretatio eſt facienda.* Si tertium; pro eâdem interpretatione facit lex 99. ff. *de verb. ſignif.* quæ ita habet: *Quidquid aſtringendæ obligationis eſt, id niſi palam verbis exprimatur, omiſſum intelligendum eſt.*

Probo II. Quia Pontifices, dum Jubilea concedunt, cupiunt omnes Chriſtianos ſuavi, paternóque modo adducere ad integram cum Deo reconciliationem, ut liquet ex Bullis Jubileorum Extraordinariorum, & maximè Romanorum; huic autem ſuavi, & paterno modo, ac intentioni magis utique congruit ſtricta, quàm lata interpretatio verborum, quibus aliqua onerosa ac difficilia exprimuntur.

Ex primæ in hoc capite quæſtionis reſolutione deduces, quomodo ſint intelligendæ Bullæ, quatenus indulgentiam plenariam, & favores eligendi confeſſarium, qui abſolvat, & vota commutet, continent. Ex reſponſione autem ad 2. inferes, ſtrictè eſſe intelligendas Bullas, in quantum præcipiunt certa opera exequenda, in quantum ſuſpendunt indulgentias in anno Sancto, in quantum excommunicant aliquos, &c. Et univerſim hiſce duabus concluſionibus tanquam baſibus innituntur plurimæ ex reſponſionibus, quas in decurſu adferemus.

CAPVT VI.

Deſcribitur, & explicatur Bulla Innocentii X. extendens Jubileum Anni Sancti ad Sanctimoniales, Anachoretas, Incarceratos, & Infirmos.

SVMMARIVM.

Vrbanus, & Innocentius extenderunt Jubileum Anni Sancti ad quatuor genera hominum. 28.
Exhibetur ipſa Bulla Innocentii X. Ibid.
Nomine Sanctimonialis, & Monachi quid intelligat Papa? 29.
Quid per Anachoretas & Eremitas? Ibid.
P. P. Carthuſiani ſunt verè, & propriè Anachoretæ, atque Eremitæ. 29.
Quinam intelligantur per detentos in carcere? 29.
Quinam per præpeditos diuturnâ infirmitate? 29.
Quas conditiones Innocentius exigat reſpectu Anachoretarum, ut hi potiantur Jubileo oblato ab eo? 30.
Quas à Sanctimonialibus? 30.
Quid intelligat per mancipatas perpetuâ clauſurâ? 30.
Ac nominatim de clauſura P. P. Carthuſianorum. 30.
Et Eremitarum ex Declaratione Cardinalis Carpenſis. App. 1. lit. f.
De intentione hypothetica proficiſcendi Romam, quam Innocentius exegit ab Anachoretis, & Sanctimonialibus. 30.
Quænam notanda circa opera præſcripta prædictis perſonis? 31.
Quænam alia obſervanda? 32.

28 OBſervandum eſt, Urbanum VIII. in Januario Anni Jubilei 1625. & Innocentium X. A. 1650. in Februario extendiſſe indulgentiam Anni Sancti, ad quatuor genera perſonarum; at anno inſequente, adeóque 1626. & 1651. ad varios, atque integros Epiſcopatus. Ad hos quidem ad inſtantiam ipſorum met Epiſcoporum, vel Nuntiorum Apoſtolicorum, &c. Ad illas verò motu proprio. Inſeruerunt autem ſuis Bullis non paucas clauſulas inuſitatas in aliis Jubileis, atque obnoxias non parvis difficultatibus, quas tamen, quia nemo, quem legerim, ſuſcepit enodandas, idcirco hunc laborem à me obeundum eſſe duxi. Quare in poſtremo capite hujus tertii Tractatûs exhibebo longam diſſertationem de poſteriore bulla, hîc breviorem, ſufficientem tamen. De priore, ideo hîc, quia priora capita hujus Tractatûs maximam partem verſantur circa rationem & accidentia Anni Sancti. Statuam verò ob oculos ipſummet Motum proprium Innocentii X. cui ſimillimus eſt Urbani, & ideo ſtatuam præcipuè, ut faciliùs perſpiciantur, quæ dicturus ſum; ſecundariò autem idcirco, quòd contineat Proœmium profuturum ipſis Sanctimonialibus, ſi quandoque in mentem eis revocetur ab earum Exhortatoribus. Eſto ergo Bullæ Urbanæ, & Innocentianæ hic tenor.

S. D. N. INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X.

Conceſſio Indulgentiarum præſentis anni Jubilei, pro Monialibus, & Anachoretis, Eremitis, Carceratis, & Infirmis.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

POntificia ſollicitudo, quamvis omnium Chriſti Fidelium ſaluti proſpiciat, præcipuè tamen Sanctimonialium profectibus paternæ charitatis affectu ſtudet providere; ipſæ enim ſunt Filiæ, quæ oblitæ populum ſuum, & domum patris ſui, animi ſplendore cœleſtem Regem oblectant; ipſæ ſunt prudentes Virgines, quæ lampades ſuas charitatis flammâ ſuccenſas providè aptantes meliorem partem elegerunt, & dum vitam cœlitus petitam ducunt, non modò ſibi ipſis ad cœlum viam ſternunt, ſed jejuniis, vigiliis, & Orationibus, cæteris quoque Chriſti fidelibus eam aperire ſtudent. Quare ſummopere optandum eſt, ut vitæ rationem, quæ eas Angelis quodammodo æquat, a conſtantiſſimè retineant, b ac dent a b
operam, ut ſicuti præclaros hîc agunt de carne in carne triumphos, ita poſt hujus vitæ certamina in Cœleſti patria fœliciter coronentur.

Quoniam autem conſimile vitæ genus c quàm plurimi Anachoretæ, atque Eremitæ, d ut ſupernarum rerum contemplationi ſecuriùs vacent, laudabiliter elegerunt, ſpiritu alibus quoque ipſorum incrementis paternis viſceribus maximè ducimus conſulendum. c d

Cùm igitur tam ipſi, quàm prædictæ Sanctimoniales perpetuâ vivant clauſurâ e mancipatæ: Nec non multi, ut accepimus, utriuſque ſexûs fideles carceribus f detenti, partim verò diuturnâ infirmitate præpediti g non ſolùm in Alma Vrbe noſtra, & Italia, ſed aliis etiam Regionibus, Provinciis, & locis reperiantur, qui, & quæ reſpectivè impedimentis hujuſmodi remotis, pro percipiendis præſentis Anni Jubilei fructibus ad Almam Vrbem noſtram omnino h venirent, & Baſilicas, Eccleſiáſque ad id deputatas benedicente Domino indubitanter i viſitarent, ob prædicta impedimenta, ad Vrbem hujuſmodi minimè venire, neque reſpectivè Baſilicas, Eccleſiáſque ipſas viſitare valeant. e f g h i

Nos pro Paſtoralis officii debito, paternâque charitate illorum omnium animarum ſaluti, quantum cum Domino poſſumus; proſpicere volentes: Omnibus & ſingulis Sanctimonialibus, nec non Anachoretis, & Eremitis hujuſmodi k nec k

non utriusque sexûs Christi fidelibus tam carce-
l *ratis, quàm infirmis præpeditis tantùm* l *& qui a-*
m *liàs impedimentis longæ* m *incarcerationis, ac*
n o *diuturnæ* n *infirmitatis cessantibus* o *ad hanc Al-*
mam Vrbem pro thesauris Spiritualibus hujus-
p *modi consequendis venturi fuissent* p *verè pœni-*
tentibus, & confessis, quod in locis, ubi contigerit
eos esse, pia Christianæ pietatis & charitatis opera
juxta formam ab Ordinariis locorum, seu Sancti-
monialium, & Anachoretarum, Eremitarúm-
que hujusmodi Superioribus, vel de eorum man-
q *dato à prudente Confessario* q *in Alma verò Vrbe*
à Dilecto Filio nostro Vicario, seu ejus vices gerente
tantùm præscribenda, pro cujuslibet statu, & con-
ditione, ac loci & temporis ratione habitâ ex-
r *ercendo* r *& alia nostris in literis Indictionis Anni*
Jubilei contenta adimplendo, omnes, & singulas
Indulgentias, & peccatorum remissiones, etiam
s *plenissimas consequantur,* s *quas consequerentur,*
& consequi possent, si in hoc præsenti Anno Jubi-
lei diebus ad id statutis quatuor ad id deputatas
Ecclesias, & Basilicas Almæ Urbis etiam extra
illius muros, pro quibus visitandis Jubileum, &
prædictæ Indulgentiæ concessæ sunt, personaliter
visitarent, & eorum quilibet visitaret.

Eisdémque Sanctimonialibus, & Christi fideli-
t *bus impeditis hujusmodi* t *ut ad effectum præsen-*
u *tium* u *Confessarios presbyteros sæculares, vel cu-*
jusvis Ordinis Regulares ab iisdem Ordinariis lo-
x *corum ad id probatos* x *qui confessionibus eorum*
diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet à qui-
busvis peccatis, criminibus, & delictis, quantum-
eunque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apo-
y *stolicæ reservatis* y *etiam in Bulla Cœnæ Domini*
z *contentis* z *injunctâ eis pœnitentiâ salutari absol-*
vere possint, eligere valeant autoritate Apostoli-
câ tenore præsentium concedimus, & indulgemus.
Non obstantibus constitutionibus, & ordinationi-
bus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscun-
que. Volumus autem, quòd præsentium litera-
rum transumptis etiam impressis manu Notarii
publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in di-
gnitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem
prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus
adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Da-
tum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem,
sub Annulo Piscatoris die XII. Februarii M.
DC. L. Pontificatus nostri Anno sexto.

29 Circa contenta in hoc motu proprio esto

Quæst. XVIII. *Quænam sint observanda circa personas, quibus offertur hoc Jubileum.*

RESP. Sequentia. I. Nomine Sanctimonialium intelliguntur omnes, & solæ mulieres, quæ sunt illigatæ tribus votis substantialibus Religionis; tum quia hæ solæ vivunt perpetuâ clausurâ mancipatæ, ut loquitur Papa *lit. e.* tum quia hæ solæ intelligi solent in Bullis Pontificiis absolutè nominantibus Sanctimoniales. Quare huc non spectant illæ Tertiariæ, quæ apud Pellizarium in Manual. Regular. *Tr.* 10. *cap.* 1. *n.* 9. & 15. profitentur solam castitatem.

II. Licèt Monachus spectatâ Græcâ significatione Grammaticali sit idem, quod Anachoreta, & Eremitæ, confundanturcum Anachoretis, hâc tamen ætate per Monachos intelligimus illos, qui soli vitæ contemplativæ ratione suæ Regulæ addicti vivunt in aliqua communitate; at per Anachoretas illos, qui seorsim ab aliis, sicuti & vulgus per Eremitas intelligit illos solos, qui habitant in aliqua Eremo, seu loco sylvoso. Sed hæc explicatio non habet locum in bullis Apostolicis. Censeo ergo, in hac bulla nomen *Anachoretæ, & Eremitæ* strictiùs sumi, quàm *Monachi*, videlicet pro habentibus habitationem distinctam ab aliis; non enim solùm jam olim erat distinctio inter Anachoretas, & Monachos, ut videre est apud S. Basilium in Monasticis constitutionibus *cap.* 19. & anterioribus, sed etiam hâc ætate, quando absolutè proferuntur hæc vocabula, apprehenditur, indicatúrque per duo priora major segregatio à communitate, quàm concipitur, quando sonat nomen Monachi.

Quia igitur debemus verba ex communi usu intelligere. *l. Labeo ff. de supell. leg.* idcirco per Anachoretas, atque Eremitas debemus intelligere illos solos, qui seorsim habitant. Et quia Patres Carthusiani habitant propriè seorsim singuli, in singulis domunculis muro separatis ab aliis, continuò clausis propriâ clave, nec habent commune dormitorium, rarò utuntur communi refectorio: idcirco haud immeritò dices, illos verè, & propriè designari vocabulis *Anachoretarum, & Eremitarum.*

Quod confirmo responso ad me dato ab Admodum Reverendo, & Religiosissimo Patre, ac Domino Waltero Sager, Veterano professo celeberrimæ Carthusiæ Ittingensis, qui à me ratione hujus ipsius Bullæ literis interrogatus, fuerintne ipsi A. 1650. ceu veri Eremitæ potiti Jubileo, quod hic explico? Respondit in hæc verba: *Fuimus usi gratiâ illius Bullæ, quâ Pontifex A. 1650. Indulgentiam extendit ad Eremitas, & Anachoretas perpetuæ clausuræ mancipatos. Nam Carthusianos verè Eremitas, Monachos, Cœnobitas, diverso respectu tamen esse, latè, clarè, nervosè variis authoritatibus, & rationibus probat, & munit R.P.D. Petrus Sutor Prior Carthusiæ Parisiensis. Et in nostris statutis nominamur modo Solitarii, ac præterea formulam professionis sic pronunciamus: Ego Frater N. &c. promitto stabilitatem &c. coram Deo & sanctis ejus, & Reliquiis hujus* Eremi, *quæ &c.* Hactenus ille annis, meritísque gravis Pater, ut sit sublatus omnis dubitationis locus.

III. Per detentos carceribus, de quibus Bulla *lit. T.* quinam designentur, facilè, puto, quisque intelligit, cùm ratio nulla persuadeat, ut accipiamus impropriè carcerem, sed potiùs ut accipiamus impropriè carcerem, sed potiùs ut sumamus pro loco, in quo asservatur quis, ne evadat. Quare Christiani relegati ad triremes, ut remos trahant, etsi illic religentur, ne aufugiant, navis tamen non est dicenda eorum carcer, cùm non compellantur navim conscendere, ne evadant, sed ut laborent.

IV. Præpediti diuturnâ infirmitate, de quibus ad *lit. G.* sunt omnes, quos in priore Tomo *Tract.* 8. *n.* 83. diximus esse ratione infirmitatis capaces Sacramenti Extremæ Unctionis; nec enim ratio prohibet, quò minùs hoc loco sumamus tam latè istud vocabulum. Non tamen negârim, etiam alios hîc intelligi, ut sunt epileptici, soliti sæpe corripi hoc morbo. Item leprosi, cœci, claudi, saltem si hi multùm distent ab Urbe Roma.

Sed claudus potest equo, cœcus curru vehi, *an nihilominus ipsi infirmitas patrocinabitur?* Respondeo, si ideo solùm dicatur posse vehi equo, aut curru, quòd habeat vires pares tolerandæ molestiæ equitationis, aut vecturæ, patrocinabitur ei sua infirmitas; si enim nequeat nanciscì equum, currúmve, dicetur propriissimè diuturna infirmitate præpeditus, secus si facilè possit equum nanciscì, tunc enim erit usus Legis: *Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur.*

Quid *si autem quis sex, vel octo prioribus mensibus æger, at quatuor, vel sex posterioribus habeat optimè?* Resp. Si potest nihilominus illis posterioribus mensibus adire Romam, debebit, nam Bulla *lit. o.* dicit: *Qui alias cessantibus impedimentis, &c. venturi fuissent, &c.* Secus si sit tam remotus ab Urbe Roma, aut illis ultimis mensibus iter Romanum reddatur ita infestum peste, bello, latrociniis, ut nequeat Romam pervenire, tunc enim erit talis capax Jubilei, si possit syncerè dicere: si morbus cessâsset prius, certò ivissem Romam pietatis ergò.

30 Quæst. XIX. *Quænam conditio, seu dispositio corporis, aut animi specialiter requiratur in personis capacibus præsentis gratiæ Jubileæ.*

RESP. Conditio, quæ in Sanctimonialibus, & Anachoretis, ac Eremitis præsupponitur à Papa, est clausura perpetua. Circa quam oritur grave dubium, quid intelligatur per clausuram *perpetuam*? soláne perfecta juxta sanctionem Trident. Concil. *sess.* 25. *cap.* 5. & Gregor. XV. incipientem: *Inscrutabili* &c. an etiam imperfecta, qualem profitentur, & servant plurima Sanctimonialium Monasteria per totam Germaniam, & nominatim in hac Constantiensi Diœcesi; ut videlicet crebrò exeant è monasteriis negotiorum privatorum, publicorúmque causâ: creberrimè, liberrimè admittant in ipsa monasteria mulieres alias omnis ætatis utriusque statûs, imò etiam persæpe viros. Ratio potissima, dissimulatis aliis, pronunciandi pro clausura etiam imperfectâ consistit in hoc syllogismo. Si hoc Jubileo fruuntur illæ solæ sanctimoniales, quæ vivunt mancipatæ perfectæ clausuræ, tunc nulli Anachoretæ, nulli Eremitæ potiuntur eodem; hoc autem est disertè contra ipsam Bullam. Ergo. Sequela probatur, quia illis solis Anachoretis, & Eremitis offertur Jubileum, *qui & consimile* (Sanctimonialibus) *vitæ genus elegerunt lit. C. & tam ipsi, quam prædictæ Sanctimoniales perpetuâ vivunt clausurâ mancipati. lit. E.* Atqui nulli, certè non plurimi (cùm tamen de plurimis loquatur Bulla *lit. D.*) Anachoretæ aut elegerunt vitæ genus ejusmodi, aut vivunt mancipati perpetuâ perfectâ clausurâ, Ergo.

Ediverso non videtur hæc tam specialis gratia obvenire, nisi illis Sanctimonialibus, quæ observant clausuram perfectam. 1. Quia verba sunt intelligenda juxta materiam subjectam. Canones autem loquentes absolutè de clausura perpetua Monialium, semper intelligunt perfectam, singulariter quando utuntur verbo *mancipatus*, quod significat actum, non debitum. 2. Quia encomium illud amplissimum, quo Pontifex *lit. A.* condecorat Moniales, ad quas dirigit suam gratiam, non videtur integrè congruere nisi reipsa adstrictis perfectæ clausuræ. 3. Quia constat mihi de quibusdam Monasteriis non observantibus perfectam clausuram, in iis non fuisse usum Jubilei. 4. Denique cum omnes posteriores Pontifices Post Trident. Concil. urgeant sanctissimis, justissimis, imò & necessariis, ad vitanda multa, maxima peccata (quorum rationem reddent Episcopi non procurantes, ut possent, illam clausuram) de causis, ut omnia mulierum monasteria reformentur ad perpetuam clausuram, ac propterea observantes hanc prosequantur verè paterno, respuentes autem non nisi vitricali amore, non est credibile, quòd fuerint de iis soliciti in ista tam speciali gratia, cùm etiam essent hæ illam anno sequenti adepturæ.

Hæ in utramque partem rationes faciunt, ut judicem, quod & judicavi Ann. 1675. posse probabiliter utramvis partem defendi, probabiliùs tamen stantem pro solis perfectæ clausuræ cultricibus. Nihilominus tamen credo, Admodum Reverendos Patres Carthusianos observare clausuram huc pro viris requisitam, tum propter ea, quæ superiùs de ipsorum Anachoresi dixi, tum quia è sua cella nemo egreditur, nisi vel ad Ecclesiam, vel speciali de causa, tum quia ne quidem in suas Ecclesias admittunt ullas mulieres, nisi in necessitate inevitabili, ut refert Pater Theophilus Raynaudus in *Brunone punct.* 6. in claustrum verò ne quidem Reginas. Quinam autem alii Eremicolæ, & Anachoretæ tam arctè, vel arctiùs observent clausuram, me latet. Hoc certum est, quòd neque Eremitæ Augustiniani, neque illi

laici, qui in noſtris partibus induti togâ propè talari, jam glauci, jam nigri coloris incolunt loca ſemota ab urbibus, ſint mancipati clauſurâ, de qua hic ſermo.

VI. Conditio, quæ ultra incarcerationem, infirmitatémque in cæteris exigitur, eſt hypothetica, ſeriáque voluntas, atque efficax in actu primo propoſitum viſendi limina Apoſtolorum Jubilei cauſâ, ut liquet ex *lit. H. & O.* Quare Confeſſarii, qui cum incarceratis, & infirmis agunt de Jubileo, debent ante omnia ſciſcitari ex iis, an revera fuerint, ſintve ita affecti animo, ut ſi non adeſſent impedimenta clauſuræ, carceris, infirmitatis, ſuſcepturi eſſent iter Romanum? Si negent, neganda quoque eſt eis hæc gratia, niſi fortè confeſſarius, aut ſuperior exponendo, exaggerando magnitudinem oblatæ gratiæ Pontificiæ excitent in illis illam conditionatam orexim.

At quid, ſi dicant: Si neque carcer, aut infirmitas, neque hoc aut illud ineluctabile impedimentum obſtaret, conferrem me Romam, abeſt autem viaticum, dux, aut comes itineris longiſſimi, deeſt conſenſus parentis, aut Domini, nequeo abeſſe tam diu ab ovibus, quarum ſum paſtor, &c. *quid reſpondebit Confeſſarius?* Certe Papa *lit. K. L.* B. loquitur de ſolis impedimentis clauſuræ, carceris, infirmitatis, haud ignarus, aut immemor aliorum. Hoc de aliis ſilentiũ facit, ut non autumem, poſſe gaudere hoc beneficio, niſi quos aliquod, aut aliquot ex his trib⁹ obſtaculis, aut vinculis detinent domi.

11 Quæſt. XX. *Quidnam obſervandum circa opera pro hoc Jubileo præſcripta, circáque fructum ejuſdem.*

RESP. Seqq. 1. Nullum certum opus exequendum proponitur expreſſè, ſed ſolùm implicitè ea, quæ à Superioribus, vel de eorum mandato à Confeſſariis injungentur hiſce perſonis, ut liquet ex litera. *Q.* Qui quidem Confeſſarii, aut Superiores tenentur ſervare aliquam *pro cujuſlibet ſtatu & conditione, loque & temporis ratione*, proportionem, cum operibus præſtandis Romæ *lit. R.* quæ autem præſtanda ſint Romæ, dixi ſuprà *n.* 13. Proportio verò aliqua deſumi poterit ex iis, quæ infrà *cap. ultimo* referam de præſcriptis directè, vel indirectè, ſeu immediatè, & mediatè à Pontificibus, extendentibus Jubileum Anni Sancti ad integros Epiſcopatus, extendentibus autem anno, qui immediatè ſequitur Annum Sanctum.

II. Favores conceſſi Monialibus, Anachoretíſque ſunt omninò iidem, qui totis Epiſcopatibus impertiti poſt Annum Sanctum, quique à nobis ſigillatim exponentur, quatenus difficultatem aliquam involvunt, cit. cap. ultimo *num.* 469. & 470.

32 Quæſt. XXI. *Quænam alia ſint breviter notanda circa hanc bullam?*

RESP. Seqq. 1. Quomodo clauſula: *ad effectum præſentium* ſit intelligenda, explicabo in ſimili capite ultimo *n.* 451.

II. Non videtur lucraturus Jubileum ille æger, qui primis menſibus morbi inchoati, vel continuati ſub initium Anni Sancti diceret: ſi jam non impediret morbus tam diuturnus, certò adornarem profectionem Romam, imò certò adornarem, ſi fierem tam maturè ſanus, & ſuppeteret ſat temporis, ac virium ad metiendam hanc viam. Ratio eſt, quia Papa *lit. O.* dicit: *qui ceſſantibus*, id eſt, ſi ceſſâſſent ſatis tempeſtivè, non autem ſi ceſſarent. Ergo talis infirmus non lucrifaciet Jubileum, niſi vis morbi tam ſerò remittat, ut nequeat ampliùs, tametſi velit, pertingere tempori Romam.

III. Tametſi prioribus menſibus anni neque carcer, neque morbus impedierint illud iter, neque etiam tunc adfuerit ullus animus jungendi ſe Romipetis; ſi tamen alterutrum ex his impedimentis ſuperveniat, e. g. Menſe Junio duret verò ad menſem Octobrem, atque ob diſtantiam ab Urbe non poſſit pervenirí Romam, priuſquam claudatur Porta Sancta, nihil taliter impedito oberit, quòd non prævenerit hæc impedimenta, modò poſſit dicere: ſi citiùs fuiſſem factus mei juris, certò petiiſſem Romam.

IV. Qui vicini Romæ corripiuntur morbo, aut carcere ſolùm octo vel decem dierum, ita tamen ut poſt illud octiduum nequeant amplius ſatis tempeſtivè Romam pertingere etſi reverâ propriè illos impediat incarceratio, vel infirmitas, quia tamen Papa loquitur de longa incarceratione, diuturna ægritudine, cenſeo, Confeſſarium fruſtra uſurum erga illum commutatione, aut injunctione operum. Plura particularia ſuccurrunt animo, at opus non eſt, ut omnia effundat calamus meus.

Appendix I. Confirmatoria, & Declaratoria dictorum.

Favores, pro omnibus & ſingulis generibus a perſonarum in Bulla Innocentiana hîc deſcriptâ, expoſitáque, omnes & ſingulos etiam impertiit Clemens X. Bullâ per omnia ſimili huic ipſi Innocentianæ die ſexto Febr. Anni Jubilei 1675. cui utrique Bullæ addo ſequentia. 1. Eminentiſſimus Cardinalis Carpineus, Vicarius Generalis Papæ eodem menſe Februario ex autoritate pontificia præſcripſit ſanctimonialibus, & Oblatis Romanis pro lucrando, quod nunc deſcripſimus, Jubileo, ſequentia opera. 1. Ut eſſent verè contritæ & confeſſæ. 2. Viſitarent quatuor altaria, quorum primum eſſet in ipſamet Eccleſia, tria reliqua erigerentur decenti loco in ipſo Clauſtro, ſeu Monaſterio, & ita diſpoſita, diſtantiáque inter ſe, ut poſſent proceſſionaliter viſitari. 3. Viſitarẽt dicta altaria triginta diebus continuis, vel interpolatis, modò quovis die omnia quatuor viſitarentur minimùm ſemel, idque durante Anno Sancto. 4. Viſitarent devotè. 5. Orarẽt ante quodlibet Altare Deum pro exaltatione ſanctæ Eccleſiæ, extir-

extirpatione hæreſum, concordiâ Principum Catholicorum, itémque ſalute & tranquillitate Populi Chriſtiani, ſimul recitando Pſalmos, Litanias, vel Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Coronam aut Roſarium pro cujuſque devotione, & cujuſque capacitate, *con l' intentione applicata a quello, che ſi ricerca per acquiſto di coſi pretioſo teſoro*, ut exprimit exemplar Italicum impreſſum, quo nunc utor, id eſt cum intentione applicata illi, quod exigitur ad acquiſitionem tam pretioſi theſauri.

c II. Idem Cardinalis non contentus injunctione præcedentium operum, hortatur valde ſeriò, ac paternè, tum ad generalem confeſſionem, & ſolitò frequentiorem communionem peragendam, tum ad ſilentium religioſiùs obſervandum, obeundáque opera pœnitentialia diſciplinarum, jejuniorum, aliarúmque mortificationum; tum ut nunquam accedant Parlatorium, ſeu Collocutorium, & Crates, niſi adſit plus quàm urgens cauſa, breviſſiméque expediant colloquium. Domíque tam publicè quàm privatim Deum precentur pro Sua Sanctitate, & occurrentibus neceſſitatibus Chriſtianitatis. Quæ ego idcirco memoro, ut excitem Ordinarios Monialium, Oblatarum, Novitiarum, Converſarum, Puellarum, quæ in monaſteriis morantur educationis cauſâ, ancillarum & fœminarum ſæcularium, etiam in monaſteriis cum facultate Pontificis habitantium (ad hæc enim omnia genera porrigitur prædictum Jubileum) Confeſſarios, ad hæc ipſa bona opera proponenda cum diſcretione piis illis animabus.

d III. Hæc ipſa Bulla fuit pro illis omnibus generibus perſonarum quæ in ea exprimuntur, publicata in hac Conſtantienſi Diœceſi die 26. April. ejuſdem anni 1675. cum injunctione eorumdem operum, ad quæ obligatæ fuerunt Romanæ Moniales. Et quamvis Bulla exprimat, deſignationem faciendam eſſe ab *Ordinariis locorum, ſeu Sanctimonialium* &c. Superioribus, attamen in hac Diœceſi Superiores ejuſmodi nihil potuêre (niſi infirmis, incarceratis &c) injungere, quandoquidem Ordinarius Diœceſanus prævenit, atque ipſemet ea deſignavit opera.

e IV. Fuit in hac eadem Diœceſi nomine Clauſuræ *perpetuæ* practicè intellecta, non modò perfecta, de qua nos ſuprà *n.* 30. ſed imperfectiſſima, omnis illa videlicet quæ conſuevit ſervari in hoc Epiſcopatu, & quæ eſt tam laxa in multis monaſteriis Auguſtinianarum, Benedictinarum, Dominicanarum, Franciſcanarum, ut admittant in ſua Clauſtra in primis liberrimè quaſvis honeſtas mulieres, deinde ſatis liberè ipſos quoque viros, atque præterea quandoque obnoctent ipſæ in ædibus parentum, vel magnorum benefactorum, tunc, cùm hi laborant morbo lethali: perſæpe earum terna, quaternæ in ſuis, extra omne ſeptum, vinetis laborent totos dies. Ut proinde illarum clauſura videatur conſiſtere ſolùm in eo, quòd non liceat ipſis abſque licentia Superioriſſæ vel è monaſterio exire, vel in illud perſonas fœcularesve præſertim melioris ſexûs admittere.

V. Anachoretis, de quibus ſuprà *n.* 30. §. Hæc idcirco nego gratiam hujus Jubilei, quòd nullam planè clauſuram habeant majorem, quàm habeant ruſtici incolentes domos ſeparatas uno horæ quadrante à quavis alia, uti facitatur ſingulariter in Tiroli, & Helvetia: quod Eremitarum genus appellat Socinus *cap.* 1. *de for. competent.* Locuſtas, quæ non habent regem. Ergo intelligendi ſunt alii, ac fortè illi ſoli, qui habitum recipiunt de manu alicujus Epiſcopi; ſeu alterius, qui ad hoc habet poteſtatem, & ſub ejus obedientia vivunt, ut loquitur Aluiſet in Murenul. Vermiculat. *Sect.* 4. *Dub.* 11. contendens, tales eſſe verè Religioſos, licèt habeant *proprium. Tametſi enim Eccleſia damnet proprium in aliis, in Eremitis tamen tolerat, ſicut in Clericis Societatis Jeſu poſt primam profeſſionem. Retinent enim proprium & tamen inter Religioſos computantur.* Ita Aluiſet *loc. cit. n.* 16. cautè legendus, quia nuncupatio votorum, quam facimus biennio probationis exacto, non conſtituit profeſſum, ut evidenter patet ex Noſtris Conſtitutionibus à Sede Apoſtolica approbatis, itémque ex Bulla Gregorii XIII. incipiente: *Quantò fructuoſiùs*, ſed duntaxat *verè & propriè* Religioſum, ut liquet ex eadem Bulla, *Aſcendente* ejuſdem Gregorii. 2. quia licèt tales Religioſi retineant aliquamdiu verum Dominium ſuorum bonorum, quia tamen & illud retinent dependenter à voluntate Superiorum, & de eo ſuâ propriâ autoritate æquè illicitè diſponunt, ac de re prorſus alienâ, idcirco nec abſolutè dici debent habere *proprium*, nec cum eorum paupertatis voto ullatenus comparari paupertas Eremitarum, de quibus Aluiſet, cùm ne quidem ſit ab his ullo voto promiſſa. Ergo rectiùs dixeris; illos Eremitas, de quibus hæc conſtitutio, eſſe illos, qui etſi uno tantùm aut fortè altero voto illigati, attamen & habitu & communi in Eremo cohabitatione imitantur vitam Religioſorum, quos etiam gaudere privilegio fori tradit cùm aliis P. Palaus. Tract. 12. *Diſp. unic. punct.* 2. *n.* 10. & à fortiori P. Laymannus *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 4. attamen veri Religioſi non ſunt; ſiquidem conſtat ex *cap. ult. de relig. dom. & cap. nn. eod. in* 6. nullum poſt Concilia Lateran. & Lugdun. (alia erat ratio prioribus ſæculis) effici propriè Religioſum, niſi tria Subſtantialia vota emiſerit in Religione approbatâ ab Eccleſia. Unde viderit Aluiſet, quo jure illos Eremitas, de quibus ipſe loquitur, ſcribat eſſe verè Religioſos. Potiùs occaſione quæ-

stionis nuper mihi propositæ: *Virum Virgines Vrsulinæ, unà quidem viventes, obstrictáque votis Castitatis, Paupertatis, & obedientiæ, respectu suæ Superiorissæ, at in statu nondum approbato à sede Apostolica* (quales Ursulinæ reperiuntur Lucernæ, Friburgi Helvetiorum, Bruntruti in Rauracia, Dolæ in Comitatu Burgundiæ) *gaudeant privilegio fori?* infero ex doctrina Palai, & Laymanni paulò antè relatâ, illas easdem Ursulinas frui eo privilegio. Insuper noto ex P. Suarez *lib. 4. defension. cap. 29. n. 7.* quem refert sequiturque P. Laymannus. *lib. 4. tr. 9. cap. 7. n. 1.* hanc Regulam: *Quibus Personis ex vi statûs sui competit privilegium Canonis, iisdem etiam privilegium fori seu exceptionis à potestate seculari, & vice versâ.* Quæ reciprocatio utrum in praxi, inque tribunalibus sacris, & profanis integrè observetur, me latet.

h

Appendix II. Solatiosissima.

Quandoquidem Bulla, hoc sexto capite proposita, expositáque emanavit omnino principaliter propter Regulares personas, visum est adjungere illi aliam summi plenam solatii, gignendi in animis non planè desperatorum Religiosorum Apostatarum, atque Fugitivorum; quæ Bulla seu Constitutio, quia & expedita fuit ipso Anno Jubileo, & continet gratiam Jubileo (aliquâ parte) majorem, mihi attulit occasionem literis respondendi ad novella dubia ratione unius, qui inter cæteros & adspirabat ad fructum illius tantæ gratiæ consequendum, & reipsa consecutus est ringente Orco, Lutheranorúmque cætu, & denique à nemine, quod sciam, est hactenus exposita, cùm tamen sperari possit, fore ut pastor pastorum, qui futuro anno Jubileo Millesimo Septingentesimo præerit universo Christi Ovili, imitaturus sit laudatissimum factum Clementis X. sicut & hic censuit esse sibi insistendum Urbani VIII. (nec Innocentius institit, nec alius, quantùm comperi, præivit) vestigiis, eam ob rem speravi fore Lectori gratum, si totam repræsentarem, atque illa nonnulla dubia, quæ paulò antè indicavi proposita mihi fuisse literis, pluráque alia hîc exhiberem, resolverémque. Est igitur Bullæ & Clementinæ & Clementissimæ, hæc epigraphe, tenórque.

Sanctissimi D. N. D. Clementis divinâ providentiâ P. X. Constitutio, ut Regularibus Apostatis liceat ad suos ordines intra præfinitum terminum impunè reverti.

Clemens Papa X. ad futuram rei memoriam.

i

Pastoris æterni vices, licèt immeriti, gerentes in terris, paternæ charitatis nostræ partes esse reputamus, ut oves, quas Sathanæ versutia à caulis Domini abduxit, ad easdem opportunis rationibus reducere, & ne in perpetuum pereant, quantùm nobis ex alto conceditur, providere studeamus. Itaque in præsenti Anno Jubilei, anno scilicet remissionis, & gratiæ, quem ad totius Catholicæ Ecclesiæ consolationem, atque ædificationem, apertis atque largiter prolatis spiritualium gratiarum dispensationi nostræ divinitus creditarum thesauris, indiximus, & benedicente Domino, maximo cum animi nostri gaudio celebramus, pietatis nostræ viscera erga Regulares professionis suæ desertores aperire, eósque ad Christi Ovile, suos videlicet cujusque Ordines, extra quos luporum rapacium insidiis, atque periculis expositi miserabiliter vagantur, quantùm divina benignitas largiri dignabitur, ut ad salutarem vitæ normam, quam amplexi fuerant, velut post-liminio reversi vota sua Domino reddere studeant, revocare cupientes, ac fel. rec. Vrbani PP. VIII. prædecessoris nostri, qui imminente anno Jubilei MDCXXV. ejusmodi Regularium desertorum reductioni Apostolicâ benignitate consuluit, vestigiis inhærentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Regularium statu deputatorum Consilio, autoritate Apostolicâ tenore præsentium misericorditer indulgemus, ac statuimus & decernimus, ut Regulares Apostatæ, & fugitivi, cujuscunque sint ordinis, tam mendicantium, quam non mendicantium, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessariò exprimendi, qui citra Montes intra quatuor, ultra Montes verò intra octo menses à publicatione earundem præsentium literarum inchoandos, suâ sponte ad suam quisque Religionem redierint, tunc pœnarum ipsis propter apostasiam hujusmodi inflictarum, vel infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen, ut debeant à suo quisque respectivè Superiore humiliter petere absolutionem, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri: & vice versâ Superior benignè illos teneatur ab hujusmodi pœnis absolvere, & paternâ charitate complecti, cui propterea, ad effectum præmissum duntaxat, quatenus opus sit, omnem facultatem necessariam, dictâ autoritate, harum serie impertimur. Non obstantibus præmissis, nec non Apostolicis, ac in Vniversalibus, Provincialibúsque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, aliísque quibuscunque, etiam Juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, Statutis, consuetudinibus, stylis & usibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Ordinibus, Congregationibus, Societatibus & Institutis hujusmodi, illorúmque Generalibus & aliis Superioribus, ac personis quibuslibet, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliísque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, irritantibúsque & aliis decretis, etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & aliàs in contrarium præmissorum in genere, vel in specie concessis, ac quantiscunque vicibus iteratis, approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, ac expressa, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & insererentur præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæteríque contrariis quibuscunque. Vt autem eædem præsentes literæ omnibus faciliùs innotescant, volumus illarum exempla ad dilectos filios nostros, & Apostolicæ Sedis Nuncios ac venerabiles fratres, Patriarchas, Episcopos, aliósque Ecclesiarum Prælatos, & locorum Ordinarios transmitti, qui illos quantocius publicare studeant? Ipsarum verò literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem omnino fidem in judicio & extra illud ubicunque locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem. Sub Annulo Piscatoris, die 18. Febr. M. DCLXXV. Pontificatûs nostri anno quinto. I. G. Sluſius.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi 1675. indictione decimâ tertiâ, die verò 21. Februarii, Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Clementis divinâ providentiâ Papæ X. anno quinto, supradictæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe & in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joannem Antonium Scaiola Apostolicum Cursorem.

Agapitus de Magistris Magister Cursorum.

k

Circa hanc Bullam planè auream partim proposita mihi sunt, partim ultro occurrerunt hæc dubia. *I. Quinam hîc veniant nomine Regularium? An videlicet omnes Religiosi, adeóque etiam Militarium Ordinum Sectatores, & Novitii ac Moniales? II. Quæ Apostasia? Illáne videlicet sola, quæ fit ab Ordine, an etiam quæ à Fide? III. Quis & qualis Superior ille sit, à quo sit petenda absolutio? IV. An illa absolutio impertiri debeat in foro sacramentali, an verò sufficiat, si extra illud detur? V. An nullâ omnino pœnâ possit à tali Superiore affici respiscens Apostata? VI. Vbi factæ esse debeat publicatio, à cujus peractæ die incipiant currere illi quatuor, vel octo menses, qui præscribuntur in Bulla? Romæne duntaxat, an in Episcopatibus, ad quorum Præsides dirigitur quantocius publicanda? VII. Quid si Apostata fixerit domicilium in loco, ubi nullus Episcopus aut Prælatus Regularis, ut in Dania, Suecia, Anglia? VIII. Quid si Apostata incestas nuptias contraxit, liberísque ædes implevit? An licebit, aut etiam oportebit hosce deserere? Et quis alet? Ipse, an ejus Monasterium?*

Quò faciliùs persuadeam lectori meas resolutiones, clementiores circa hanc clementinam, volo esse hîc repetita illa omnia Pontificum, Imperatorum, Doctorum effata, quæ suprà *num.* 24. descripsi in approbationem amplissimè, leniſſimè interpretantium gratias, indultáque Jubileorum, ea enim idcirco maximè quadrant præsenti materiæ, quòd ipse S. D. N. expresse profiteatur reputare se *paternæ* charitatis suæ partes esse, ut quantum ipsi *ex alto* conceditur, studeat providere, ne in perpetuum pereant illæ oves. Quibus verbis palàm facit, esse sui muneris, & consequenter suæ nunc voluntatis, ut omnibus, quibus ipse, tanquam *Pastoris æterni* vices gerens potest uti mediis, & rationibus opportunis, ad reducendas oves illas, re ipsâ utatur. 1

Suppono 1. Apostatam à Religione, seu Ordine propriè dictum esse illum, qui propriè dictus Religiosus à Monasterio recedit animo excutiendi in perpetuum jugi Religiosi, Fugitivum autem, prout ab Apostata distinguitur, illum, qui itidem à Monasterio recedit animo excutiendi jugum, at non in perpetuum; quamvis, si nomen fugitivi latiùs accipiatur, omnis Apostata possit vocari fugitivus. P. Sanchez. *Tom. 2. Moral. l. 6. cap. 8. n. 1. & seqq.* ubi etiam *n.* 5. rectè dissentit à compluribus Juristis, qui Apostatis accensent etiam illum, qui præcisè habitum Religiosum tegit alio, ita ut non appareat. m

Suppono 2. Tametsi complures teneant, Apostatas propriè dictos jure communi esse excommunicatos, id tamen rectè negari ab eodem Sanchez *n.* 20. quamvis jure *speciali* nostræ Societatis, & plurium aliorum Ordinum, hæc pœna sit in eos decreta tam *rigidè*, ut ab ea nequeat Apostatam absolvere quisquam, nisi Papa, vel Superior Societatis. At verò eodem jure communi Apostatæ vetantur ministrare in Ordine Sacro, quem susceperunt durante Apostasia, ut latè declarat Sanchez. *l. c. n. 21. & seqq.* negans *n.* 30. esse usu receptum Motum proprium Pauli IV. quo omnes n

Apostatas à Religione suspendit in perpetuum ab omni cujuscunque Ordinis executione, omni gradu, omnibus beneficiis, reddens etiam inhabiles ad quæcunque beneficia & quoscunque gradus. At verò est usu recepta pœna, ut Apostata possit ubique, etiam extra Territorium apprehendi à Superiore suo, sicut & fugitivus; qui si non solùm se furtim subtrahat temerè, seu illicitè, oculis, & protestati sui Superioris ad aliquod tempus, sed etiam abjiciat vestem religiosam eodem pravo animo, & ad tempus, incurrit excommunicationem decretam cap. *Ut periculosa. Ne Clerici vel Monachi. in 6.* His positis.

o Dico I. Omnes Religiosi Ordines, & in specie Militares veniunt in hac aurea Bulla nomine *Regularium*. Ratio est, quia nomine *Regularium* saltem in favorabilibus scriptis, & rescriptis intelliguntur omnes propriè dicti Religiosi, ita ut saltem in favoribus accipiantur pro eodem *Regularis*, & *Religiosus*, ut notant passim Doctores post Abbatem Panorm. *in tit. de Regular. in princip.* Atqui non solùm illi Ordines militares, qui ligati sunt voto perfectæ Castitatis, ut est Ordo Melitensis, seu S. Joannis Hierosolymitani, sunt verè propriéque Religiosi, ut démonstrat P. Suarez *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 4. ex communi, sed etiam qui adstricti sunt solùm imperfecto voto Castitatis, conjugalis videlicet, quales sunt in Hispania Equites S. Jacobi; de quibus idem Suarez *loc. cit. n.* 26. sic scribit: *Hi Equites sunt propriè quoad statum Religiosi, quamvis quoad usum, & observantiam non vivant simpliciter Religiosè, sed valde secundùm quid, hoc enim negare non possumus, nisi adulatores videri velimus.*

p Quod verò spectat, Religiosos impropriè dictos, qui videlicet aut uno tantùm, alterove sunt obstricti voto, aut tribus quidem substantialibus, at in Congregatione nondum approbatâ ab Ecclesia, negandum est hanc gratiam ad eos extendi, quia dispositio quantumvis favorabilis non complectitur res, aut personas non comprehensas verbis, in propria significatione non implicitis. Vice versâ, quia illi, qui in nostra Societate post biennium probationis, ante tamen solennem professionem vota emiserunt, sunt verè & propriè Religiosi, ut contra nonnullos alios Religiosos zelo non secundùm scientiam abreptos in contrariam imaginationem, expressè definivit Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente*, idcirco si hi desciscant à Societate eo modo, quo verè professi, annumerandi sunt veris, propriéque dictis Apostatis, & Apostasiæ reis, ut videre est passim apud nostros Theologos, eorúmque Primipilum P. Franciscum Suarez *Tom.* 4. de Relig. *Tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 2. quem tamen procacissimus Jansenistarum patronus Henricus de Noris scribit vix esse dignum, qui sedeat ad pedes Ægidii Romani, sicut refert eruditissimus Bruno Neuster in suo adversus hunc Jansenizantem perelegante *Prodromo Velitari.*

Novitios quod attinet, quamvis in favorabilibus, ut est præsentis Bullæ materia, comprehendi soleant nomine Religiosorum seu Regularium, ut alibi observo ex communi, tunc tamen non comprehenduntur, quando eis non convenit denominatio subjecti, in cujus gratiam facta est dispositio favorabilis. Cui enim verba legis non conveniunt, non convenit legis aut constitutionis dispositio. *l.* 4. §. *toties ff. de dam. infect.* Atqui verbum Apostasiæ à Religione nullo modo convenit Novitio, quamvis sceleratè se subduceret Monasterio, aut Religioni, quam ingressus erat animo profitendi; si quidem Apostasia à Religione, ut dixi suprà, convenit soli propriè dicto Religioso seu homini illigato tribus votis substantialibus efficientibus verum Religiosum, ut ex communi scribit Suarez. *loc. cit.* sicut eidem soli denominatio *Fugitivi* convenit, de quo etiam Bulla, idcirco *Novitius abiens*, (ut pote nec Apostata, nec fugitivus propriè) non fruitur hoc beneficio, cùm ne indigeat quidem.

q Loquendo autem de Monialibus difficile est de his aliquid certi, seu indubitati statuere. Tametsi enim certum sit, eas per se loquendo comprehendi nomine Religiosorum, æquè atque filia venit saltem in favorabilibus nomine filii, nec etiam sit minùs certum eas subjici pœnis in Religiosos Apostatas sancitis, quatenus earum capaces sunt; attamen quia nusquam nominantur in ea Bulla, cùm potuissent facillimè nominari, potuerit quoque Pontifex meritò cogitare futurum, ut multi opinaturi sint, in eas non extendi hanc Clementiam, idcirco videtur habere in proposito locum, tum generale valde axioma: *Lex si voluisset, expressisset*, Barbosa Axiom. 136. *n.* 7. cum plurimis: tum specialius, aut certè fortiùs iis repugnans, hoc scilicet: *Lex id noluisse præsumitur, cùm facilè exprimere potuisset, neque expressit.* Barb. *ibidem.* Post Menochium & alios.

E diverso non solùm P. Bellizarius post alios in Manuali Regul. *Tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 48. generatim scribit post Suarez: *Dispositio Juris circa Religiosos Mendicantes, comprehendit etiam Moniales ejusdem Ordinis, servatâ proportione*, sed etiam eodem *n.* 48. post eundem Suarez præmiserat hæc verba. *Præcepta, quæ in Jure communi reperiuntur facta Religiosis, à fortiori obligant Moniales, quippe quæ computantur sub nomine Religiosorum, & Regularium* NB. *præsertim in his, quæ pertinent ad decentiam Religionis.* Si eæ ligantur præceptis Regularium, ergo & favoribus gaudent, siquidem qui sentit onus, sentire debet & commo-

modum, Regula 55. *in* 6. saltem quando circa commodum & incommodum est per omnia par ratio personæ suscipientis commodum, & incommodum. Dynus *in cit. Reg.* 55. *n.* 1. Est autem æquè per omnia par conditio Monialium Apostatricum, & fugitivarum circa commodum & incommodum, atque est in Viris, imò videtur esse major: tum quia versantur eæ in periculosiore statu, quàm viri, tum quia magis quàm viri horrent pœnas, quibus affici solent viri ab Apostasia sine promissione impunitatis reversi ad suos ordines. Unde habet hîc à fortiori locum Regula: Ubi est eadem ratio ibi est eadem juris (scriptique favorabilis) dispositio. Atqui ratio, ob quam Pontifices Urbanus & Clemens promulgârunt, novo exemplo, descriptam à nobis Constitutionem, est: quòd *extra suos Ordines luporum rapacium insidiis, atque periculis expositi vagentur*; vagantur autem, vel maximè Moniales fugitivæ & Apostatrices. Denique in cap. *Si quis suadente* 17. *q.* 4. nomine Monachi intelliguntur etiam Moniales P. Layman. in Theolog. Moral. *Lib.* 1. *Tract.* 5. *c.* 5. *n.* 4. ex communi, cur non etiam hîc nomine Regularis, cùm sint propriissimè Regulares?

r Has ob causas ego existimo, posse sine temeritate asseri, gratiam oblatam hic Regularibus pertingere ad ipsas quoque Moniales eâ ratione, ut inprimis graviter peccaturus esset Superior, si Monialem spe veniæ hic oblatæ allectam, reversámque ad Monasterium, vellet graviter punire; deinde ut Superior experturus sit, clementem in supremo agone judicem, si inductus rationibus, quas protuli, & melioribus, quæ fortè occurrent pietatis suæ, pontificiæque viscera, integra aperiat erga talem suæ professionis desertricem.

s Ad axiomata in oppositum proposita superiùs respondeo, sicut nulla regula est sine exceptione, & reipsa vix ullum axioma reperies apud Collectores regularum, axiomatúmque, Juridicorum, sine aliqua exceptione, plurima autem cum quinis, denis, vicenis exceptionibus, limitationibúsve, ita hîc speciatim illa, quæ protuli ex Barbosa, tunc deficere, quando in contrarium stat alia juris dispositio, eruditorúmque persuasio, ut est in proposito, quòd nomine Regularium præsertim in materiis favorabilibus, & quando est eadem ratio, veniant etiam Moniales. Adde quòd Moniales censeantur in Jure exprimi, quando exprimuntur Regulares, saltem si materia metum contineat favorem.

t Dico II. Gratia præsentis Bullæ probabiliter comprehendit etiam illos Apostatas, qui non tantùm ab Ordine, sed etiam à fide desciverunt nequiter. Ratio est, quia apprimè, & particulariſſimè in præsentem materiam quadrat augustissimum pronunciatum, quod refertur l. *Beneficium ff. de Constit. princ.* ita fonans & solans: *Beneficium Imperatoris* (dico ego vel maximè: Pontificis) *quod à divina scilicet ejus indulgentiâ proficiscitur, quàm amplissimè interpretari debemus.* Hoc autem diploma, singulariſſimè profectum est ex divina indulgentia, quia & ad exemplum imitationémque *Pastoris Æterni* & ex potestate Clavium à Christo Deo traditarum.

Accedit, quòd ubi est major ratio, ibi debeat esse par, si non major & amplior dispositio; est autem longè major ratio pelliciendi ad frugem Religiosos Apostatantes à fide & Religione simul, quàm à sola Religione: siquidem hi ab uno tantùm, illi à septem dæmonibus detinentur. Accedit rursum, quòd, ubi lex non distinguit aut restringit, nos nec distinguere, nec restringere debeamus; Constitutio autem, quam explicamus, planè nullam facit vel distinctionem vel restrictionem. Confirmo, tum quia ille, de quo resipiscente sum locutus superiùs lit. L. rediit ad frugem munitus literis solius (quantùm scio) Patris Generalis; tum quia, cui datur jurisdictio, dantur omnia necessaria ad illam expediendam; non poterit autem Prælatus Regularis expedire jurisdictionem in Apostatam hæreticum, nisi hunc absolvat etiam à crimine hæresis, pœnísque decretis in hæreticos: partim quia nullus, planè nullus horum redibit ad Ovile Christi, nisi certus sit de absolutione utriusque vinculi, partim quia in foro sacramentali, ad quod saltem cumulativè spectat hæc absolutio, non remittitur unum peccatum mortale sine altero. His tamen non obstantibus censeo, non esse huic extensioni locum dandum, nisi accedat authentica Declaratio, vel aliud privilegium.

u Dico III. Quilibet Superior, qui mediatè vel immediatè præest toti illi Monasterio, Conventui, Collegio, è quo profugerat Apostata vel fugitivus potest impertiri absolutionem; Siquidem hi omnes comprehenduntur significato *Superioris* accepto propriè. Adeóque Generales Ordinum, Provinciales, Abbates, Priores *Conventuales*, Guardiani, Rectores potiuntur per se absolvendi potestate, sicut & Episcopi, respectu Monasteriorum non exemptorum, & Nuntius Apostolicus respectu omnium in sua Nunciatura; ut proinde si tres resipiscenti Apostatæ fas ad unum ex his Superioribus loci, è quo se subduxit, se conferre.

aa At quid de Prioribus *Claustralibus*? qui scilicet præsunt post Abbatem Conventui, & quos toto suo *de Priore Claustrali* Tractatu intelligit sub nomine *Subprioris* Joannes de SS. Sacramento, (ut liquet ex Part. 1. *princip.* 12.) quamvis nostri Germani Benedictini, Augustiniani, Cistertienses, Dominicani & c nomine *Subprioris* intelligant illum solum, qui est post Priorem, sive ille Prior sit *Conventualis*, ut est Prior

Augu-

Augustinianorum Eremitarum, Carmelitarum, Dominicanorum &c. sive sit *Claustralis* juxta descriptionem paulò ante à nobis allatam, ut est Subprior Monasteriorum habentium propriè dictum Abbatem; hæc enim Monasteria habent Abbatem, Priorem, & Sub-priorem: ceu in Monasteriis Benedictinis, quorum Abbates sunt Principes, ut Sanctgallense, Campidunense, Eremitarum, seu Einsidlense, Abbatem: Decanum: Sub-priorem. Nos in Societate communiter habemus Præpositos in Domibus Professis, in Collegiis Rectores, póstque hos & illos Ministrum, in maximis Collegiis, Rectorem, Ministrum, & Sub-ministrum. Canonici Regulares S. Augustini appellant illos *Decanos*, quos dixi ab aliis vocari Priores *Claustrales*. De quibus proinde Decanis, cæterísque Prioribus Claustralibus, cùm sint propriè Superiores, potientes vero jure imperandi ac vetandi, pœnam non magnam decernendi, varias licentias dandi & quidem jure ordinario, atque vi officii, quod gerunt, síntque teste Joanne à SS. Sacramento *Part.* 3. *n.* 327. veri Prælati, arbitror eos pollere potestate, qua de agitur in hac Bulla. Certè qui absolvuntur à talibus, rectè dicentur esse absoluti à suo quisque respectivè Superiore, etenim dictio: *Respectivè* facit ut singula singulis sint referenda.

bb Accedit summa favorabilitas hujus Bullæ, quæ habet locum etiam in Ordinibus quorum Superior non est Religiosus, sed duntaxat Episcopus; ut proinde Monialis fugitiva vel Apostata possit ab Episcopo, cui, utpote non exempta, subest, absolvi, & ab Abbate, si subest Abbati. Quin imò cùm Religiosi etiam exempti subsint Episcopis in multis casibus (horum plus quinquaginta enumerat Ascanius, Tamb. de Jur. Abbat. *Tom.* 3. *Disp.* 5. *quæst.* 11.) ideóque nominari possint hi Superiores illorum, videntur & hoc loco venire nomine Superioris. Quamquam autem Abbatissa, sit propriè Superior suarum Monialium, utpote obtinens in eas potestatem talem, qualem materfamilias in filios, & Magistratus in cives. P. Sanchez Moral. *Tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. Ascanius, Tamb. *Tom.* 4. *disp.* 12. *quæst.* 4. *n.* 1. attamen est jure communi incapax jurisdictionis spiritualis, Tamb. *loc. cit. disp.* 32. *quæst.* 8. eam ob rem non poterit ipsa absolvere Monialem reversam ad Ovile.

cc Quamquam, quia idem Tamb. *ibid.* observat, posse mulieri per speciale privilegium impertiri jurisdictionem spiritualem; videri potest hoc privilegium concedi in nostra Clementina, quandoquidem ea non modò loquitur generatim de Superioribus sed expressè addit: *Cui* (Superiori) *propterea ad effectum* (absolutionis) *præmissum, quatenus opus sit, omnem facultatem necessariam dictâ* (Apostolicâ) *auctoritate harum serie impertimur.*

Accedit, quòd idem Pontifex derogadd tionem jurium, quæ huic doctrinæ adversantur, faciat terminis rarissimè usitatis etiam in summarum concessione gratiarum, dum scilicet non contentus communibus, etsi efficacissimis, particularissimis clausulis derogatoriis, addit: non obstantibus quibuscunque *stylis, & usibus*, qui duo termini vix in centesima quaque Constitutione reperiuntur, & quamvis non utique derogent stylo, & usui conformi legibus divinis, ut est absolutio à peccatis, quia tamen facultas, quæ hîc conceditur, est respectu pœnarum indicatarum suprà lit. *n.* à quibus potest absque omni dubio mulier quoque per privilegium, vel indultum pontificium absolvere, cùm sint juris merè humani, idcirco licèt stylus, & usus non habeat hac ætate, ut fœminæ etiam Religiosæ, impertiant tales absolutiones (ab excommunicatione videlicet) nihilominus tamen derogatio omnis contrarii styli, & usûs videri queat patrocinari Abbatissæ, & Prioribus saltem Conventualibus. Verùm malo eruditi Lectoris judicio hanc rem tantam committere, quàm quidquam decidere. Illud tamen resolutis ee à me addo, quando bulla ait, Apostatam & fugitivum absolvi posse à suo Superiore, non videri intelligendum de illo Superiore, cui tunc, cùm profugit, suberat, si hic sit interea in Ordinem redactus, seu desierit esse Superior, atque inceperit esse persona privata, apparet enim Superiorem in hac Constitutione accipi non merè materialiter sed formaliter, ut consuevit, adeóque illum terminum: *Superior*, non accipi ampliativè, scilicet pro eo, qui est, vel fuit, sed habere statum, ut loquar cum Logicis, sicut nec nostri Patres Ministri; licèt enim sint veri Superiores, carent tamen omni in nos potestate Spirituali, nisi fortè sint simul Vice-Rectores eo modo quo explicavi in Experient. Tract. 720. *n.* 715. *in Novo Dubio.*

Simi-

ff Similiter quia Abbates, Priores, Rectores, Provinciales Provinciæ A. non sunt Superiores Religiosorum adscriptorum Provinciæ B. idcirco si Apostata, vel fugitivus Provinciæ B. veniat ad aliquem ex Superioribus Provinciæ A. nequibit ab hoc petere impertitionem gratiæ Clementinæ; qui tamen Superior absque omni dubio gravissimè delinqueret, si ad se confugientem durè haberet, haud tamen arguendus peccati, si ob justum metum relapsûs ovem illam arctiùs in suo ovili custodiret, & interim informaret Provincialem, aut Priorem, Rectorémve A. quærens quid agendum sibi sit. Et quid ni valeat talis Prior, aut Rector subdelegare suam potestatem? Etsi enim per se loquendo Delegatus nequeat subdelegare. *cap. Cùm causam. De appellat.* fallit tamen regula, cùm satis constat aliud de mente Principis delegantis, ut hîc constat ex eo, quòd Papa tribuit ad effectum absolutionis *Omnem.* NB. *facultatem necessariam.*

gg Dico IV. Commissarius Pontificius in hac Apostatarum, & fugitivorum materiâ est vel insignitus charactere sacerdotali, vel non insignitus? Si insignitus, absolvet primariò quidem à pœna; hæc enim facultas diserte exprimitur; attamen secundariò, & consequenter, si velit, à culpa; siquidem crimen Apostasiæ etiâ junctæ hæresi reservatur solùm ob annexâ Pontificiam Censuram; ergo hâc per absolutionem directè sublatâ crimen ipsum erit juris communis, seu absolubile per quemvis talem Superiorem. Si verò careat sacerdotali charactere (ut carent Ballivi, Priores, Magni Magistri Ordinum Militarium, atque Moniales, tollent Censuram per delegatum, E. g. Episcopum, absolvetúrque à culpa per quemvis, qui in cætera ejus peccata habet ordinariam, vel delegatam potestatem. Valebit autem absolutio seu à culpa seu à pœna, in foro tum interno tum externo; interno, quia poterit salvâ conscientiâ, si aliud non obstet, privatim suscipere, conficeréque omnia sacramenta, ad quæ habebat jus ante patratum crimen; externo & contentioso, siquidem nemo, cui constiterit de accepta absolutione, validè aut licitè arcebit eum à receptione, administratione-néque sacramentorum. Vide, si placet ea, quæ infrà dicam *n.* 273. 274. 275. & *Tract.* 5. *cap.* 37. *n.* 265. & 261. de distinctione fori interni & externi: pœnitentialis, & sacramentalis.

hh Dico V. Nullâ omnino pœnâ extra forum pœnitentiale potest à Pontificio delegato plecti redux fugitivus, vel Apostata. Est hæc resolutio multò certissima; si quidem si unquam fines mandati sunt religiosissimè custodiendi, & minimè transgrediendi, *L. Diligenter. ff. Mandat.* gravissiméq; puniendus Mandatarius, si excedat notabiliter, ut notant explanatores legis illius, vel maximè in hoc negotio sunt custodiendi; si enim resciretur vel unicum Mandatarium excessisse hosce terminos à Summo Principe fixos, nullus Apostata, vel Fugitivus fidem haberet pollicenti omnem impunitatem; atque ita perirent æternum fratres, pro quibus mortuus est Christus. Hanc Conclusionem idcirco statuo, quia ille, de quo suprà Lit. *a.* memini, valde sollicitè quærebat, utrùm esset omnino certus de integerrima indulgentia, & amnistia, respondíque esse certissimum *objectivè*, & proinde posse esse etiam certissimum *subjectivè*, seu *formaliter*. Debet Superior tales absolvere à pœnis, *& paternâ charitate amplecti*, inquit Pontifex; foret autem non paterna, sed novercalis charitas, si, ii cùm *teneatur* ab omnibus pœnis jure statutis absolvere, ipse arbitrarias injungeret. *Tenetur Superior benignè suscipere*, inquit Pontifex, quoad forum pœnitentiale, seu sacramentale, nihil quidem præscribit; quia tamen viscera misericordiæ & lenitatis effundit in tales, est autem honestissimum sequi morem Pontificis cap. *Ex literis de rescrip.* & melius est propter misericordiam reddere rationem, quàm propter nimium rigorem *cap. Alligant* 26. *q.* 7. consultò aget Confessarius, si imposuerit, quàm lenissimam potuerit (spectatis omnibus) pœnitentiam, memor illius moniti, quod ex S. Chrysostomo refertur *cap. cit. Alligant. Ubi* kk *Pater-familias largus* (in ignoscendo) *ut quid facerdos ejus austerus.*

Dico VI. Nomine publicationis, à cujus die initium sumunt menses, intra quos se ad sua Monasteria recipere debent Apostatæ & Fugitivi, est intelligenda Romana, quæ peracta est die 21. Febr. Anno. 1675. non autem quæ in singulis Episcopatibus, aut Provinciis facta. Ratio particularis est, quia si intelligatur hæc posterior, non apparet causa, cur Pontifex concedat trans seu ultramontanis alterum tantum temporis, quantum iis, qui respectu Urbis Romanæ sunt eis montani, seu citra montes; & adhuc minus rationis apparet, cur postmodum impertierit ferè duplo plus iisdem ultramontanis, adiiciendo videlicet illis octo mensibus adhuc quatuor alios, ut didici ex testimonio viri gravissimi. Atqui minimè cogitandum est, tantam differentiam esse factam absque pergravi causa; quæ gravitas elucescit, si dicatur esse ultra montanis idcirco positos laxiores terminos, quòd ad eorum multos longè seriùs perventura esset notitia tam raræ, inexspectatæque gratiæ, quàm ad multò viciniores Reginæ Vrbium, ad cujus Basilicas affixa fuit Constitutio. Certè qui in Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Moscovia fortasse degunt Apostatæ, indigent multorum spatio mensium, ad comperiendam hujus gra-

gratiæ largitionem, parandúmque & conficiendum iter ad suos Superiores.

ll Accedit illi locali, ut sic loquar, rationi hæc generalis, quòd in rebus dubiis spectandum sit id, quod fit communiter, ut nos docent Regulæ utriusque Juris, fit autem communiter, ut quando Papa vult, ut valor, aut obligatio suæ legis, vel constitutionis inchoëtur à die Promulgationis singulis Provinciis, Episcopatibus, Parochiis, exprimat hanc suam voluntatem ut, liquet ex Bullis Jubileorum pro 15. diebus unóve aut pluribus mensibus impertitorum, itémque ex Decreto Tridentini Concilii circa publicationem Sanctionis de invaliditate Matrimoniorum clandestinorum non inchoandâ nisi post publicationem factam in singulis parochiis.

mm Porro ex eo quòd Pontifex annum integrum, ut retuli, indulsit transmontanis, inchoandum à Romana publicatione, manifestè sequitur, fuisse gavisurum Clementinâ gratiâ etiam illum, qui die XX. Februarii Anni MDCLXXVI. quo ista commentabar, stetisset se Superiori. Quin imò etiam si (ob verum impedimentum) aliquantò seriùs advenisset, non potuisset quidem vi Bullæ absolvi, siquidem constitutio certum tempus determinans vult illud à momento ad momentum computari, *L.* 3. §. *minorem ff. de minor. & ibi not.* sed inprimis valde indiscretè egisset Superior, si ab eo exegisset pœnas graves; deinde minimè dubitandum, quin, si idem superior supplicâsset Sedi Apostolicæ pro omnimoda condonatione, fuisset facillimè consecuturus. *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit*, inquit Clementissimus, & Sanctissimus Gregorius I. relatus *cap.* 2. *de Constitut.* culpâ autem caret, ut suppono, tardior reditus.

nn Dico VII. Tametsi is, qui redit inductus suasionibus, aut etiam precibus alterius, videri queat non redire *sponte* (illud enim solùm dicitur *sponte* fieri, quod fit motu proprio, & nemine petente. Barbosa de Clausulis. *claus.* 79. *n.* 2. post Menochium) quia tamen idem Barbosa *n.* 4. cum communi Doctorum subdit: *quando Princeps scribit, se proprio motu aliquid concedere, id procedit, quamvis constet hujusmodi gratiam fuisse ab impetrante petitam, sed significat Pontificem, non illa petitione, sed proprio motu ductum*, idcirco rectè dicetur is, de quo loquimur, rediisse ductum motu proprio, adeóque *sponte*, tametsi preces, & multò magis si solæ adhortationes, & promissiones intervenêre. Quia igitur tenetur superior Religiosus ex vi cap. ultimi *de Regular.* inquirere in suum fugitivum Monachum, si suâ inquisitione, & promissione impunitatis, vel vehementibus hortationibus persuadeat reditum, dicetur persuasus rediisse *sponte*; secùs si inductus

oo minis, quia spontaneo consensui nihil tam contrarium est, quàm vis & metus, adeóque minæ. Reg. 116. *ff. de reg. jur.*

pp Dico VIII. Si Apostata duxit uxorem (veriùs pellicem) distinguendum est; aut enim duxit consciam apostasiæ, aut insciam? si consciam, non debet is esse multùm solicitus de ejus in futurum sustentatione; siquidem damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet non alteri imputare, cap. *Damnum. de reg. jur. in* 6. & qui parùm diligentem socium sibi assumit de se queri debet, inquit perappositè Justinianus in §. fin. *instit. de socio.* Si verò duxit ignaram, lex naturalis obligat eum, ut, si ea sit inops, studeat prospicere ipsi de alimonia. Etsi enim, qui cum alio contrahit, sit, vel esse debeat non ignarus eius conditionis *L.* 19. *ff. de reg. jur.* & proinde sibi etiam imputare debeat suam ignorantiam, & sequentem ex ea malum effectum, si tamen illa ignorantia fuit, (ut quandoque esse potest) probabilis, seu inculpata, nec habeat, unde se alat, nisi putatitius maritus constanter apud ipsam maneat, vel ei relinquat, quæ acquisivit sine injustitia, relinquere debebit; licèt enim bonorum, quæ Apostata acquisivit donatione, vel contractu ex se honesto, non sint ipsius, cùm paupertatis votum reddiderit illum incapacem dominii, atque arbitrariæ dispositionis, attamen tacita, rationabilisque voluntas Superiorum est, ut satis faciat, si possit, obligationibus justitiæ, adeò, ut, si contraxit debita incerta, & proinde ignoret creditores, vel eis mittere nequeat solutionem, possit eas in pauperes dividere. P. Suarez *Tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 20.

qq At, *quid si susceperit liberos, quibus ad vitam tuendam necessaria sit patris præsentia*? Resp. Cùm jus naturale obliget filium exire è monasterio, ad alendum patrem, aut matrem, quando hi ne queunt aliter, quàm operâ filii, vitam conservare, videtur etiam obligari id ipsum facere ad filios alendos in extrema necessitate. Tametsi enim in hoc parentes præferendi sint, sicut & ipsa uxor filiis, S. Thom. 22. *q.* 26. *a.* 9. & 10. attamen cùm filii sint aliquid patris, eósque jure naturali teneatur alere pater, Covarruvias in Epit. *Part.* 2. *c.* 8. & quidem etiam Spurios, adeò ut etiam dotem teneatur filiæ spuriæ constituere, (ut sufficiente autoritate ista probo infrà *Tr.* 5. *c.* 28. *sect.* 2.) videtur omnino Religio, ex qua iniquè defecit, obligari vel ipsamet eis victum suppeditare, aut per patrem Apostatam, aliúmve ipsis prospicere, ita tamen ut sit in arbitrio Superiorum optio adhibendi hoc aut aliud medium.

Atque hic sit finis Novæ Disceptationis, & Appendicis Solatiosissimæ.

***

Appen-

Appendix III.

rr Hæc omnia jam erant non modò conscripta, sed etiam ab iis, quorum munus est, lecta, approbatáque, cùm accipio literas datas à Viro Religioso nunquam mihi viso, atque hinc dissito plus centum milliaribus, qui allectus lectione tum hujus, tum maximè prioris Tomi, dedit ad me eas literas cum suomet responso ad perquam intricatum Casum de Religioso Apostatâ rogans officiosè, ut sibi perscriberem meum de illo suo responso, factísque judicium, quod certè officiũ negare non potui; nec volui lectorem privare seu notitiâ illius Casus, (utpote & apprime facientis ad præcedentem Appendicem solatiosam, & fortè aliquando habituri imitatorem,) seu resolutione plenâ Zeli Religiosi, doctrináque non vulgaris. Sic ergo ille.

ss Quidam, non tamen nostræ Religionis, nec Laudatissimæ Societatis JESU religiosus, sed alterius cujusdam Ordinis apostatavit, ivit ad partes hæreticas, & ibi accepit quandam puellam in uxorem, quæ tamen nescivit eum esse religiosum. Mansit ibi quinque annis; hæreticus tamen in corde nunquam fuit, quamvis fortassis exteriùs talis ab aliis æstimatus, & cùm importunitatem accusantis conscientiæ diutiùs sufferre non posset, redivit cum sua uxore, & duobus liberis ad partes Catholicas, ibíque conversâ suâ uxore per aliquod tempus mansit, sicut & defacto manet, & volens omnino redire ad frugem, accessit me, mihíque in Confessione totum suum miserum statum detexit, quem ut juvarem efficaciter, totum Casum cum omnibus circumstantiis Romam perscripsi. In prima epistola tantùm interrogans: Utrùm possibile esset pro tali hominе aliquam dispensationem obtinere? Mihi autem fuerunt priùs pro responso aliqua interrogata proposita, ad quæ si responderem, postea se visuros, utrùm pro tam misero homine sit concessibilis, & impetrabilis aliqua dispensatio.

tt Interrogata fuerunt sequentia, & ad ea à me responsum est, ut sequitur. Interrogatum erat 1. An Orator sit sacerdos? Responsum est affirmativè. 2. Interrogatum fuit: An separari possint, ob religionem, quamvis non eandem, sed quamcunque aliam, etiam leviorem, & altera monasterium ingrediendo? Responsum est, quòd talis separatio (saltem ad aliquod tempus) omnino impossibilis videatur, & quidem ex eo; quia sunt parentes trium prolium parvularum, quarum prima mascula est quinque annorum, secunda item mascula, est triennis, tertia puella, est primum trium quadrantum anni, duas ex his prolibus habent actu secum, una verò est apud matrem putatæ uxoris, quæ pessima hæretica est. Non itaque convenit prolem diu relinquere apud ipsam, ne in hæresi educetur. Eam itaque debent parentes ad se accipere, quod & facient brevi, ut à Confessario jussum est, & tunc domi habebunt tres parvulas proles. Cùm autem juxta l. *Si quis à liberis* §. *si mater ff. de Agnoscendis, & alendis liberis*, filios mater & alere, & vestire teneatur, & procul dubio potiori jure pater, hinc clarum est, quòd isti parentes per ingressum ad Monasteria haud possint ab invicem, & minùs à tam parvulis prolibus separari, quibus ex jure educationem, alimenta, & bonam instructionem debent: non enim permittere possunt ex sua absentia proles perire, quæ ob tenellam nimis ætatem omnino indigent parentum præsentiâ, & auxilio. Et quamvis uu etiam summa adhiberetur diligentia, non credo reperiendum esse, qui gratis velit has proles in domum suam suscipere, eásque parentum loco educare, alere, & nutrire. Nec etiam tantam pecuniæ summam, utpote valde indigi, habent, ut ex illius annuis censibus proles possint ab aliis educari, & ali. Et quamvis in hac Urbe sit quædam domus, in quam proles parentibus privatæ suscipiuntur, aluntur, & educantur, in quam, si peteretur, ut suscipererentur, adhuc res valde dubia esset, utrum vel unam susciperent, multò minùs omnes tres simul. Et adhuc dato, quòd omnes susciperent, esset res potiùs non in bonum, sed harum prolium damnum. Nam proles in domo illa satis ruditer, & victu tenui, ut pauperes educantur, & ubi masculi aliquot annos attigerint, inde dimittuntur, & debent manualia opificia, & rudes artes addiscere, quod utique in harum tenellarum, & altioris conditionis prolium non exiguum damnum redundaret. Et casu posito, quòd hæc omnia nil obstarent, non videtur possibilis modus, quo hæ in hac domo ponantur absque parentum infamiâ: quia parentes deberent primùm occultè discedere, ut posset dici, has proles esse privatas parentibus ad effectum susceptionis earum. Si autem genitores hoc modo discederent, cùm jam antea fuerint in partibus hæreticis, statim diceret vulgus, eos denuo ad easdem partes remeâsse, reversos ad vomitum, quod utique infamiam generaret. Quibus ita se habentibus, non video, moraliter loquendo, quomodo per ingressum ad Monasteria amborum hujusmodi separatio sit possibilis.

xx Tertium interrogatum hujusmodi erat: Separatione non possibili, an cohabitare saltem uti frater, & soror absque periculo incontinentiæ possint, donec detur opportuna occasio Oratori absque scandalo declinandi à sæculo?

Factâ hac eis interrogatione, responsum habui, se per gratiam Dei fidere sibi hoc modo simul cohabitare, & ipsam quod attinet, hoc facilè credidérim, est enim fœmina valdè honesta,

sta, modesta, composita, pudica, verecunda, & ut ipso affirmante didici à carnalibus desideriis & illecebris multùm se monstrans alienam. Ipsum verò quod attinet, non minùs confidit in Deo, se ejus gratiâ, & auxilio, absque jactura continentiæ alteri parti posse cohabitare, & quia ambo valde desiderant, ut ex periculoso statu, in quo se esse cognoscunt, quantocius liberentur, non est dubium, quin hoc desiderium magno ipsis freno sit, ne quid incontinentiæ committant, utpote pro obtentu multùm desiderati, cupientes Deum habere placatum, & piæ causæ faventem.

yy Quartum interrogatum hujus tenoris erat: An possit Orator abesse à sua putata uxore sub prætextu alicujus officii, vel exercitii, quod exprimi debet? Antequam hæ duæ personæ ad me pro confessione venerunt, jam instabant pro aliquo officio obtinendo, ubi tunc erant, eos ad hoc urgente indigentiæ necessitate, quod & interim obtinuerunt, unde ipso ad officium aliò abeunte debet eum necessariò & uxor sequi; quæ si ipso discedente hîc maneret, daret procul dubio ansam scisitandi, quare suum maritum non sequeretur, & fortè non deessent, qui hoc in pejorem partem interpretarentur. Et quamvis hoc non esset, vix potest vir ejus præsentiâ carere propter œconomiam domesticam, propter quam faciendam, si deberet aliam personam conducere, novæ fierent expensæ, cùm tamen annuum ex hoc officio salarium non sit valde pingue, & ideo parcere debent potiùs expensis, quàm novas facere. Itaque meo judicio, permittendum erit, ut eum ad suum novum officium abeuntem sua uxor cum prolibus sequatur, & ipsi cohabitet, donec sciamus, quid Sacra Pœnitentiaria circa ipsos in hoc negotio benignè resolvat. Et sic erat ad interrogata proposita responsum. Quia tamen procurator dispensationis in sua epistola petiverat, ut Confessarius perscriberet, quid sibi in hoc negotio videatur possibile factu, sic suam Confessarius in hac parte significavit mentem dicendo.

zz Puto, quòd vix sit aliud remedium, hoc negotium meliori modo accommodandi, quàm si sacra Pœnitentiaria clementi aliqua dispensatione daret bono viro licentiam permanendi in sæculo ut sæcularis Sacerdos: hac enim semel habitâ licentiâ modus esset, quo ab invicem possent separari, posset enim secretâ quadam dexteritate ipsi apud unum Episcopum obtineri Parochia aliqua, ad quam ministrandam non est dubium, quòd ipse optimam capacitatem habeat, cùm jam in sua Religione habuerit curam animarum, tam in concionando, quàm confessiones excipiendo. Posset itaque ipse uni parochiæ sibi procuratæ præesse ab aliqua urbe non ita multùm distante, uxor verè & proles possent poni in illa urbe, & deberet dici, quòd esset sua soror, eò profecta ex partibus hæreticis, cum prolibus, amore fidei Catholicæ, & ideo ipse non posset minùs facere, quàm ut ei cum prolibus media vivendi subministraret, & tunc hac ratione modo licito, & suavi essent, & manerent ab invicem separati, & ambo dixerunt, quòd in talem separationem libentissimè consentirent, unde rogavi illum procuratorem, dignaretur à sacra Pœnitentiaria obtinere licentiam, ut bonus vir posset, ut sacerdos sæcularis manere in sæculo, ad dictô modô subveniendum uxori putatæ, & prolibus, nec non hac ratione obtinendam separationem, quæ procul dubio cum tempore fieri debebit, & non videtur alia suavior, & possibilis: maximè cùm ambo in hanc libenter sint consensuri. Hanc itaque gratiam flagitavimus, quam ut faciliùs impetraremus, putavi conducere, si sequentia notificarem.

Patrinus Oratoris, vir prudens, in quadam aaa urbe consul, dixit omnino, quòd secundùm suum computum Orator fecerit suam professionem ante 16. annum perfectè complecum. Postea, cùm Orator deberet ordinari sacerdos, scriptum est ex Monasterio ad Parochum, ut rescriberet, quot Orator esset præcisè annorum? Respondit Parochus, & scripsit tot annorum. Successu verò temporis cùm Orator venisset ad Parochum, eique dixisset, quòd suus Patrinus omnino dicat, se ante decimum sextum annum completum fecisse professionem, & si hoc ita esset, tunc sequeretur etiam, quòd ante debitos annos fuisset ordinatus. Ad quod Parochus respondit: *Hoc facilè potest esse.* Quia, quando ego interrogatus fui, per epistolam à vestris Superioribus: quot Reverentia Vestra esset annorum? Respondi, quod putavi esse, quia non habebam illum librum baptismalem, utpote tempore belli perditum, & ideo etiam dixi Reverentiam Vestram tot esse annorum, (quamvis certò non sciverim,) ut eò faciliùs posset ordinari Sacerdos.

Ex quo revera patet, quòd Professio Oratoris sit satis dubia, & quamvis ipse mihi dixerit, se suam professionem aliquando apud semetipsum ratificâsse casu, quo non fuisset valida, citat. tamen Pellizar. in suis Quæstionibus regularibus *Tom. 1. tr. 3. cap. 1. quæst. 20. n. 44.* Sanchez Portell. Pegrinis, & alios, qui dicunt, quòd, quando professio fuit nulla, ob defectum ætatis sufficientis, tunc ad revalidandam professionem requiratur novus consensus tam profitentis, quàm Superioris, cùm itaque Orator solus & apud se tantùm ratificaverit suam professionem, secundùm hos autores non sufficiebat ipsa ratificatio, de ea nihil sciente Superiore; ergo si à principio hujus viri professio non fuit valida, ut satis dubium est ex suprà dictis, erit adhuc invalida; ergo tantò bbb faci-

faciliùs poterit ipsi dari licentia, ut maneat Sacerdos sæcularis, & fiat alicubi Parochus. In quo etiam ætas non obstat, cùm sit primùm 41. annorum.

ccc Modus autem, quo ex suo Ordine, & Monasterio fugit, fuit hujusmodi. Debebat ex Ordinatione sui Superioris ad aliud Monasterium proficisci. Tunc occasione, quòd debebat ire ad aliud Monasterium, ipse ex Ordine discessit, sine ullo sæcularium scandalo, putantium, eum iviss ad Monasterium illud, ad quod à Superioribus suis erat destinatus. Ejus itaque discessus fuit manè, tempestivè, per portam ordinariam, sine scitu & scandalo sæcularium. Ivit rectà ad partes hæreticas; mansit ibi quinque annis, in corde tamen nunquam hæreticus, quamvis exteriùs putatus; vivebat ibi ex mediis, quæ una nobilis & dives domina ex alia patriaetiam hæreticâ subministrabat, & toto tempore, quod agebat inter hæreticos, dixit se in Catholicos nulla unquam scommata effudisse, sed honoratè semper locutum. Cùm itaque discessus hujus viri fuerit per portam ordinariam, sine scandalo sæcularium, cùm non ita longo tempore se detinuerit inter hæreticos, cùm suam putatam conjugem reduxerit ad fidem Catholicam, cùm ejus professionis valor sit satis dubius, nec ei obstet, quòd juxta Concilium Tridentinum intra quinquennium non reclamaverit, ut colligitur ex eo, quod Pellizarius dicit *To. 1. tract. 3. cap. 5. n. 48.* cùm ipse, & ipsa vehementer desiderent redire ad bonam frugem, & in statu securitatis animæ suæ se ponere, revera videntur digni commiseratione, & ut omni modo possibili adjuventur, quia tamen meo judicio vix est alius, nisi suprà tactus, scilicet licentia manendi in sæculo, ut sæcularis sacerdos, & cum parochiali officio, quo semel habito *facilè postea separatio fieri potest eorum ab invicem*, ut suprà insinuatum. Et hujus prorsus tenoris erat Romam missa informatio & supplicatio, ad quam sequens missa est, dispensatio, quæ sic habet.

ddd **Consideratis circumstantiis, ac dubio de validitate professionis, per sacram Pœnitentiariam conceditur facultas tibi Confessario, ut auditâ priùs tui pœnitentis, pro quo scribis, sacramentali confessione, ac consideratis considerandis circa statum, ac continentiam pœnitentis, illíque de opportuno remedio circa præfatam continentiam diligenter, & prudenter proviso, à quibusvis sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis, quas propter exposita in tuis literis, quomodolibet præfatus pœnitens incurrerit, & excessibus hu-**

jusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consuetâ: injunctâ ei pro modo culpæ gravi pœnitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum; singulis scilicet hebdomadis vel semel, vel quoties tibi videbitur & aliis injunctis, quæ de jure fuerint injungenda, eundémque pœnitentem, stante præfato dubio de religiosa sua professione, liberum ab omni vinculo suæ professionis declares &c.

Postea datur licentia permittendi, ut si- eee mul sub uno tecto, non verò lecto cohabitent ut frater, & soror, usque dum cum tempore separatio quoad domum etiam fieri possit, cùm modo hæc statim fieri non possit, cùm sequeretur scandalum & infamia, & etiam propter sustentationem prolis.

Hinccùm ad tempus permitti debeat, ut cohabitent simul sub uno tecto, ut frater, & soror, & clausula superiùs dicat: *Consideratis considerandis circa statum, ac continentiam pœnitentis, illíque de opportuno remedio circa præfatam continentiam diligenter & prudenter proviso.* Hinc dubium mihi oritur, quænam propriè sint illa, quæ circa statum, & continentiam hujus pœnitentis, in istis circumstantiis cohabitationis cum illâ, executori sint consideranda? Et quodnam sit illud remedium, quod clausula vult circa præfatam continentiam eidem pœnitenti diligenter, & prudenter provideri?

Solutio itaque hujus dubii, & genuina explicatio hujus clausulæ à Reverendâ admodum Vestrâ Paternitate humiliter rogatur, & petitur, ne, si non debitè, & exactè fieret, quod dispensator per hanc clausulam jubet fieri, posset fortasse valori dispensationis officere, quod utique cautè caveri debet, ut salvetur valor dispensationis.

In quem finem juvabit procul dubio scire fff hunc pœnitentem esse ætatis 41. annorum, ut suprà jam insinuatum est, videtur naturæ sanguineæ, sed sobrius, & superfluo potui non deditus, officium etiam, quod habet, non permittet, ipsum multùm esse otiosum: est vir prudens, & sedatus, & summè aliquod remedium exoptans, quo adjutus, securus in suâ conscientiâ vivere possit; & ideo credere possumus, post executionem dispensationis, eum singularem cautelam adhibiturum, ne denuo incidat in hunc labyrinthum. Ipsa postea est fœmina valde verecunda, modesta, & multùm se monstrans alienam à carnalibus desideriis, & plurimùm dolens, se ita deceptam ad tam miserum statum fuisse reda-

ctam, & ideo summè etiam anhelans ad aliquod dignum remedium. Præter hæc fortasse etiam consideranda sunt (circa hunc pœnitentem, ejus statum, & continentiam) illa, quorum Vestra Paternitas facit mentionem in suis Experientiis. *Tract. 7. cas. 16. num.* 528. ubi insinuat circa recidivos considerandas, & ideo hæc fortasse debent etiam circa nostrum subjectum considerari, si verò non hæc, quæ ergo alia? Deinde quod-
ggg nam sit illud remedium, quod huic subjecto in dictis circumstantiis diligenter, & cautè provideri debet? utrum unum ex illis, de quibus Vestra Paternitas facit mentionem in suis Experientiis *Tr. 7. Cas. 16. n.* 535. *& num.* 550. pro recidivis, & in proxima occasione positis: utrum, inquam, unum ex his remediis pro nostro subjecto quadret, & quodnam ex illis? Si autem nullum ex his quodnam ergo aliud, ut exactè satisfiat clausulæ *Consideratis Considerandis &c.* ut salvetur valor dispensationis.

Non desunt quidem in hoc nostro Conventu viri docti, & sapientes, quorum consilio possem adjuvari, si vellem: attamen ob certam causam judico ego convenire, ut potiùs ex longinquo, quàm ex propinquo postulem aliquod auxilium. Et licèt ego non dubitem, quòd Vestra admodum Reverenda Paternitas sit libenter impensura suam operam, adhuc tamen libentiùs faceret, si sciret tam bene, quàm ego, quantopere ille miserabilis homo doleat, & pœniteat, quòd tam turpiter deseruerit suam sanctam Religionem, & quod contraxerit illas tam sacrilegas nuptias. Huic dolori conjungit maximam solicitudinem procurandi omnibus modis, quibus potest, ut sua putatitia vxor, quæ est omnino talis, qualem ego superiùs descripsi, habeat, unde possit alere non solummodo se ipsam, sed singularissimè suos liberos, quos tam ardenter tam ipsa, quàm parens desiderant educari in Religione Catholica, quòd ego nõ possim sufficiẽter mirari istum tam magnum zelum, præsertim in muliere, quæ fuit nata, & educata inter pessimos hæreticos. Hæc, sicuti dico, si Vestra Reverenda Paternitas tam bene, quàm ego, cognosceret, haberet maximam compassionem cum illis, & adjuvaret me pro omni suo posse. Sed ut ego non videar diffidere charitate in proximum, redeo ad Contextum literarum acceptarum ex Vrbe Roma.

SECUNDA CLAUSULA.

Eundémque Pœnitentem stante præfato dubio de religiosa sua professione liberum ab omni vinculo suæ professionis declares.

hhh UT meum dubium circa hanc clausulam proponam, oportet recordari ejus, quod suprà in informatione Romam missa dictum est, nimirum, Quòd patrinus oratoris dixerit, eum fecisse secundùm suum computum professionem ante 16. annum completum, & cùm orator parocho objiceret suum patrinum hoc dixisse, & ideo etiam non potuisse se esse tot annorum, quot parochus dixerat, cùm de hoc interrogaretur, respondit parochus: Facilè potest esse, quòd Reverentia Vestra non fuerit tot annorum, sed tot respondi, quot putavi, cùm librum Baptismalem non ampliùs habuerim, & ideo sic respondi, ut citiùs possit ordinari Sacerdos.

iii Itaque patrinus qui suscepit Oratorem ex Baptismo, erat vir alicuius autoritatis; quia Consul, & ideo vir prudens; & ideo in suis dictis circumspectus & cautus; nec facilè aliquid dicens, ratione cuius posset alicuius inconsiderationis & ideo imprudentiæ argui; hinc vir in hoc dicto fide dignus; ne dicam testis omni exceptione major, qui facit semiplenam probationem; credendum ergo est, eum verum dixisse. Hoc itaque præsuppositio, tunc oratoris professio fuit invalida. Nec revalidata est per ratificationem, quam Orator fecit apud semetipsum, nil sciente Superiore eius de nullitate prioris professionis. Quia P. Pellizarius *Tom. 1. Tract. 3. cap. 1. quæst. 20.* kkk *num.* 44. dicit, quòd, quando professio fuit nulla ob defectum ætatis, vel quòd annus probationis non fuerit integer, requiratur ad revalidandam professionem per ratificationem novus consensus, tam profitentis, quàm Superioris acceptantis professionem, & ideo non sufficiat, quòd professus apud se tantùm ratificet suam professionem, absque nova acceptione Superioris, conscij nullitatis prioris professionis. Citat pro hac sententia Portellium Pegrinis, & alios. Imò etiam P. Sanchez

Sanchez, qui quamvis teneat oppositam, hanc tamen sententiam vocat probabilem, sed juxta dictum Patrini iste Religiosus fecit suam professionem ante 16. annum completum, ergo per ratificationem penes se solum factam, illam non revalidavit. Idem P. Pellizarius Tom. 1. *tr. 3. cap. 5. n.* 48. sic dicit: Quòd si quæras, an Concilium (dum jubet reclamationem debere fieri intra quinquennium) potuerit efficere, ut, qui invalidam emisit professionem, velit, nolit, sit Religiosus, etsi ex parte illius voluntatis non sit verum, quod præsumitur, ita ut sicut per legem præscriptionis ex efficacia juris res præscripta transfertur in dominium præscribentis, etsi consensus prioris domini nunquam intervenerit, sic Concilium ex efficacia illius decreti induxerit quoddam genus præscriptionis per quinquennium, vi cujus Religio acquisierit jus in Religiosum, & religiosus verè maneat ei subjectus, & incorporatus, esto illius professio revera non fuerit valida, neque ab eo unquam fuerit ratificata, intellige validè.

lll Resp. Concilium non potuisse inducere tale genus præscriptionis, & probatur, quia consensus est adeò intrinsecus professioni, & statui Religioso, ut repugnet fieri sine illo, saltem per humanam potentiam, tum quia de essentia professionis sunt tria vota substantialia, votum autem est actio personalis, quæ sine consensu proprio fieri nequit, ita cum Suarez Pellizarius, sed Oratoris consensus nec in emissione professionis primâ vice, nec in ejus ratificatione fuit validus, juxta superiùs dicta, ergo nec ex hoc manet obligatus Orator, quòd intra quinquennium non reclamaverit.

Idem Autor *Tom. 1. tr. 3. c. 1. q. 28. n. 70.* quærit: An censeatur ratificari professio aliàs invalida hoc ipso, quòd taliter professus susceperit ordines sacros? Respondent aliqui non censeri, tum quia à diversis non fit illatio L. Papinian. ff. de minor. susceptio autem Ordinum sacrorum est res diversa à professione, tum quia id nullo jure sancitum est, tum quia ipsa delatio habitûs professorum, & collatio suffragiorum in capitulo non sufficit ad indicandum, Religiosum emisisse professionem tacitam; ergo multò minus sufficiet susceptio sacrorum Ordinum, quæ non est actus magis proprius professorum quàm delatio habitûs mm professorum, & collatio suffragiorum in Capitulo. Pro hac sententia citatur Rodriquez m *Tom. 3. q. 17. art. 16.* Bonacina de *Clausur. quæst. 2. part. 10. diff. 5. n. 3.*

Insuper idem Pellizarius *Tom. 1. tr. 3. cap. 1. q. 3. n. 6.* citans pro se Sanchez cum aliis *lib. 5. mor. cap. 3. n. 14.* dicit, ad valorem tacitæ professionis requiri quinque conditiones. Prima est, ut actus, per quem inducenda est professio, fiat autoritate, & consensu ejus, cujus est in eam religionem admittere, qui saltem indicetur per ejus scientiam. Hæc jam deficit in nostro casu, ut patet. Aliæ quatuor conditiones possunt videri apud Pellizarium, utrum non adhuc una ex ipsis in nostro casu deficiat, ergo etiam ex hoc capite non potest noster orator dici tacitè professus. Vrbanus ab Ascensione in sua *Theol. mor. tr. 3. tit. 15. cas. 5.* sic dicit. Porro censetur quis tacitè profiteri, qui non reclamando, cùm possit, liberè defert per tres dies continuos habitum professorum, ubi distinctus est exterius ab habitu novitiorum, & illorum actibus miscetur, & electioni, & alteri capitulari (id est actui) professorum tantùm proprio, vel per annum continuum, ubi distinctus non est, & similiter assistit actibus professorum, si modò fuerit antea sufficienter impletus annus probationis de die in diem, juxta Tridentini decretum, aliàs professio tacita non valet. Ita ille. Sed noster orator non sufficienter antè implevit probationis annum de die in diem, ergo. Conformia habet Bordon. *Part. 1. variarum resolutionum resol. 8. n.* nnn 38. in fine. Supposito itaque Patrinum Oratoris ita locutum, (ut suprà) & verum dixisse, & adiunctis iis, quæ hucusque citati autores dicunt, quod jam quæro, est, utrum his omnibus præsuppositis possit verè dici, professionem oratoris esse dubiam, & verè stare, & subsistere dubium de valore professionis illius, & ideo verificari clausulam, quæ dicit: *Stante dubio præfato de religiosa sua professione &c.* Sin autem per hæc omnia non maneret ejus professio dubia, & ideo non staret dubium de ejus professione, valoréque, utrum tamen nihil ominus esset dispensatio valida? Et videtur quòd sic. Quia propter hoc solum, quòd oratoris professio in informatione fuerit significata esse dubia, non videtur dispensatio concessa, quia dispensatio principio sic loquitur: *Consideratis circumstantiis, ac dubio de validitate professionis.* ergo & propter circumstantias in informatione insinuatas, & propter dubium est dispensatum, ubi tamen circumstantiæ primò nominantur, ergo eas videtur esse causam finalem dispensationis, non verò dubium: dubiũ autem fuisse causam minus principalem, & impulsivam tantùm. Et si ad hoc dubium esset, an dubium de professione fuerit causa finalis, vel impulsiva tantùm, tunc debet æstimari causa impulsiva tantùm. Quam sententiam dicit Marcus Paulus Leo, Romanus, in sua praxi super literas sacræ Pœnitentiariæ probabiliorem fol. 62. Deinde Diana *Part. 8. tr. 3. resol.* 24. etiamsi cesset causa minùs principalis, & impulsiva tantùm, adhuc valet dispensatio. Item Marcus Paulus Leo, *loc. cit.* sic dicit: Dispensatio censenda est valida, etiamsi dubium proveniat ex eo, quòd dubitetur, an satisfuerit probata veritas narratorum, & citat textus Juris, & Juristas. Et Vestra Paternitas

in suis Experientiis *Tr. 9. Cas. 23. n. 682.* sic dicit: Dubius, an quod expressit, vel tacuit, sit causa finalis nec ne, satis probabiliter præsumet esse validam, ergo etiamsi dubium de valore professionis non subsisteret, adhuc videtur probabiliter dicendum dispensationem esse validam, nec perire valorē dispensationis, in casu, quòd oratoris professio propter suprà allata non esset dubia. Supra hæc ergo desidero intelligere mentem V. R. Paternitatis, ut magis securus sim in mea conscientia Si V. P. in hoc sentiat mecum, ut sperare volo.

ooo Hactenus verba, rationes, iterata petitio illius perquam Zelosi, doctique Theologi; quæ omnia idcirco huc transtuli, ut si fortè consimilis, aut suppar Casus eveniat (sicuti revera potuerunt facilè omnes hæ circumstantiæ convenire in casu illius ipsius Apostatæ, de quo à nobis in Appendice præcedente facta seme, literúmque insinuatio, habeantur in promptu haud pauca, quæ usui esse queant; ob quam etiam causam subnecto hisce responsum, quod dedi ad duplex dubium propositum supra lit. eee.

ppp Et quidem ad primam clausulam: *Consideris considerandis circa statum, & continentiam Pœnitentis*, respondeo, expendenda esse illa sola, quæ spem, aut desperationem servandæ imposterum ab illo Apostata continentiæ, respectu in primis, & maximè suæ concubinæ, ut per se clarum est, deinde etiam respectu aliorum; vera enim interpretatio rescripti, etiamsi gratiosi, desumi debet ex voluntate rescribentis. *cap. Humanæ aures 12. quæst. 5.* atque ex primaria causa concessæ gratiæ cap. *Intelligentia. de verb. signif.* & cap. ult. *de reg. jur. in 6.* causa autem cur Pontifex nolit eum compellere ad reditum, ad suam, aut aliam religionem, est, quòd supponat remansionem in sæculo non fore ipsi efficacem in actu secundo occasionem vitæ luxuriosæ, alioquin nequiret Papa licitè, & fortè nec validè illum solvere vinculo vitæ religiosæ: siquidem est Pontificia potestas dispensandi data non ad destructionem, sed ad ædificationem 2. *Corinth. cap. 13.*

qqq Porro illam spem, fore ut orator ducat in sæculo vitam incontaminatam, gignunt ferè omnia simul sumpta, quæ enumeranturlit. fff. ut rationibus, & autoritatibus probarem, si opus foret. Duo tamen ex iis, quæ exprimuntur, gignunt aliquale dubium. Primum ætas, non excedens annum quadragesimum primum quo sine dubio multùm adhuc fervet, ferocítque Venus. Alterum complexio sanguinea quæ testibus Medicis, & Philosophis ex se efficit homines salaces. Nihilominus tamen, quia infiniti Religiosi, longè plurimi Sacerdotes constituti etiam in ferventiore ætate, quàm Orator, fortitíque illam complexionem, quæ juncta modicæ melancholiæ efficit, test. Aristotele, homines *egregios*, id est, *sanguineam*, servaverunt singulis sæculis, servántque etiamnum pudicitiam, æmulam Angelicæ, ut cum rubore, confusionéque petulcorum prædicantium, (idcirco pessimè loquentium, scribentium de Clero sæculari, & Regulari, quòd ipsis perdifficile accidat unâ contentos esse uxore.) Testarentur Confessarii, quotquot multis annis excepere confessiones ejusmodi Deo sacratarum personarum. Hanc, inquam, ob rem inducor facilè, ut propter alia commemorata existimem, posse prudenter (certitudinem nec physicam, nec moralem exigit Pontifex, ergo nec nos exigere debemus *cap. 2. de transl. Episc.*) sperari continentiam talem, qualem præstant communiter illi Sacerdotes sæculares, qui commendantur ab honestatæ vitæ.

rrr Nihilominus, quia ille consulens petit, quænam ex mediis, quæ in locis ab ipso citatis exhibeo, arbitrer singulariter profutura illi peccatori? Respondeo videri mihi, fore, ut singulariter profuturum sit votum subeundi gravem pœnitentiam, si fortè contigerit, peccâsse. Item si seriò roget suam illam tam pudicam, sicuti refertur, olim tori sociam, ut si fortè tentatione victus lacessat eam ad turpia, non modò constanter resistat ipsa, sed etiam revocet in mentem eidem suo putatitio marito votum castitatis, quo etiam ratione Sacerdotii obstrictus est. Item illud, quod est primum inter septem, quæ propono illo 550. §. quem innuit idem consulens: rectè facturus, si autoribus quos *n.* 552. scribo consulendos, junxerit Patrem Drexelium in Niceta.

sss Quod attinet clausulam, de qua lit. nnn. existimo, rationibus & autoritatibus ab ipsomet consulente productis, ad probandam nullitatem professionis tum ab initio ob verosimilem defectum ætatis, tum successu temporis ob defectum ratificationis postea non sufficienter secutæ, tum denique ob nullitatem etiam allegatæ præscriptionis, existimo, inquam, sufficienter in sensu communi, qui vel maximè attendendus est in rescriptis pontificiis, probari, stare dubium de nullitate illius, hoc ipso quòd autoritates, rationésque in utramque partem allatæ utrinque obtineant probabilitatem; etenim clarè probo in Clypeo Clement. Judic. seu *Tract. 1.* hujus operis, illud quoque in Jure appellari dubium, & controversum, de quo extant opiniones diversæ præclarorum Autorum.

In hunc ferè sensum partim respondi, partim respondere potui illi optimo, atque perdocto consulenti.

CA-

CAPVT VII.

De Indulgentia in Forma, seu Instar Jubilei.

SUMMARIUM.

Per Indulgentiam in forma Jubilei *nonnulli intelligunt illam, quæ habet annexos omnes favores Jubilei.* 33.
Refutantur ii. Ibid.
Proponitur, & exponitur dubium, ex quodam Brevi Innocentii X. pro Societate Jesu. 34.
Intentio concedentis gratiam est, ut convertat in beneficium. 36.

33 Quæst. XXII. *An per Indulgentiam in forma Jubilei intelligatur illa, quæ habet omnes favores Jubilei Romani, vel Extraordinarii?*

RESP. Id quidem ita videri Laurentio Peyrinis, nam *Tom. 2. fol. 282.* sic scribit: *Indulgentia in forma Jubilei nil aliud significat, quàm quod Papa tribuit facultatem, ut possit quis absolvi, & dispensari super omnibus his, super quibus possunt tempore Jubilei.* Ita ille, cum quo apertè sentit Escobar in Summa *Theolog. Mor. Tr. 1. Exam. 5. n. 56.* favétque aperte Filliucius *Tr. 8. n. 245. & 263.*

Et quamvis hæc explicatio, & opinio mihi aliquando probata fuerit, jam tamen omnino displicet, utpote aliena à veritate. Probo 1. ex Bullis Pauli V. Anno 1605. 1613. 1619. Gregorii XV. 1621. Urbani VIII. 1636. & tertiâ Innocentii *lit. t.* Nam postquam isti Pontifices in citatis Bullis dixerunt, se omnibus Christi fidelibus impertiri indulgentiam *sicut in Anno Sancto*, illorum aliqui subjiciunt, se *insuper* dare potestatem eligendi confessarium, qui absolvat à reservatis, &c. Alii autem, se cupientes, ut omnes Christi fideles participes sese efficiant ejus indulgentiæ, permittere, ut eligant confessarium, qui absolvat, vota commutet, &c. Probo 11. Quia Paulus III. & Gregorius XIII. per proprias Bullas indulgentiam *in forma Jubilei* largiti sunt omnibus, sacro die Circumcisionis Domini visitantibus Ecclesiam, à Superioribus nostræ Societatis designatam, cui indulgentiæ non est annexa potestas absolvendi à casibus Papalibus. 111. Evidenter id demonstro ex Bulla Innocentii X. editâ 22. Decembris Anno 1646. qua Societatis nostræ Religiosis & Novitiis concessit indulgentiam plenariam *in forma Jubilei, citra tamen facultatem eligendi confessarium, qui eos à casibus Sedi Apostolicæ quomodolibet reservatis absolveret*, hæc enim ejus sunt verba.

Interim tamen ex illo ipso: *citra tamen &c.* 34 satis patet, ipsummet Innocentium supponere, quòd non pauci existiment, per indulgentiam *in forma Jubilei* designari potestatem absolvendi à reservatis; nam illud *citra tamen*, habet vim exceptionis in actu signatissimo, hanc autem casuum Papalium, à gratia Indulgentiæ per modum Jubilei factâ, exceptionem non adhiberet, nisi sciret, non paucorum opinione in prædicta Indulgentia includi potestatem absolvendi à casibus Papalibus. Et verò prædictam opinionem confirmare quis potest, inprimis hac ipsa exceptione, quam facit Papa, nam axiomate recepto, æquè apud Theologos, ac apud Jure Consultos dicitur, quòd exceptio firmet regulam in casibus non exceptis; & quamvis verum sit, quòd, ubi lex aliquos casus excipit, non firmet regulam in non exceptis, qui alia lege sunt excepti, imò per illam supplentur, cap. *Ad audientiam, de Cleric. non resid.* & D. Marta de clausulis *parte 2. cap. 51. num. 10.* cum Glossa & Bartolo, quia tamen nulla generalis lex Pontificia, à gratia indulgentiæ per modum Jubilei datæ, excipit facultatem eligendi Confessarium, qui à casibus Papalibus absolvat, idcirco axioma prædictum videtur multùm patrocinari opinioni, quam indicavi.

Quæ præterea confirmari potest auctori- 35
tate, & doctrina Navarri *de Jubil. not. 26. num. 1.* ubi expressè dicit, quòd indulgentia *instar Jubilei*, sit indulgentia instar Indulgentiæ Anni Jubilei: atqui anni Jubilei Indulgentia comprehendit prædictam potestatem, & facultatem. ergo & illa, quæ datur *instar*, seu quod idem est, *in forma Jubilei*, Consequentia confirmatur, tum quia, quod habet instar rei judicatæ, virtutem habet rei judicatæ, ut innuit lex *Instar. C. De Jure fisci*, tum quia privilegia concessa uni Academiæ instar privilegiorum alterius, perinde valent, ac illius privilegia secundùm Baldum receptùm in l. *Omnia* C. *de Episcopis & Clericis.*

Hæ rationes tamen non evertunt nostram doctrinam, quam & confirmabimus Tract. seq. *part. 2. cap. 5.* & etiam satis insinuat Navarrus loco citat. *num. 2.* dicens, similitudinem, quæ intercedit inter indulgentiam Anni Jubilei, & datam instar Jubilei, in nullo alio consistere, quàm in plenitudine remittendi omnem omnino pœnam. Et hæc ipsa declaratio hujus similitudinis sufficit ad respondendum confirmationi al-

latæ ex doctrina Mart. Navarri. At verò ad primam rationem ex vulgato axiomate desumptam sufficienter respondetur potest ex citatis paulò superiùs Bullis. Quare rectè pronuntiavit Suarez *Tom. 5. in 3. part. disp. 7. sect. 5. num. 7.* quando indulgentia conceditur *per modum Jubilei*, nil aliud significatur, nisi concedi indulgentiam plenariam, qualis concedi solet in Jubileis. Quod si simul dicatur, concedi indulgentiam plenariam *ad instar Jubilei*, est repetitio quædam ad majorem explicationem, & commendationem indulgentiæ, non verò est nova concessio.

Interrogabis fortè: *An illa exceptio, quam circa casus Papales posuit Innocentius, non sustulerit, aut suspenderit potestatem absolvendi ab iis casibus Papalibus, à quibus ante illius indulgentiæ largitionem absolvere, & absolvi poterant homines de Societate Jesu?*

36 Respondeo. Etsi non memini cui ea exceptio dubium moverit, est tamen pro certo habendum, quòd Summus Pontifex non suspenderit facultatem quærendi confessarium è Societate Jesu, qui illum absolveret à casibus Sedi Apostolicæ reservatis. Rationem hujus certitudinis, quamprimum dubium illud motum fuit, dedi, desumpsique, & desumo ex reg. 61. in 6. quæ est ejusmodi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Et ratio hujus regulæ est, quia ex una parte lex, & dispositio vires accipit ab intentione Principis, legem, aut dispositionem facientis. cap. *ad aures*, de *rescriptis*; ex altera autem parte intentio concedentis gratiam, est, ut convertatur in beneficium & præmium, non autem in damnum & pœnam: Vivianus *in cit. reg. 61.* Ideo quod favore alicujus constitutum est, non debet ad ejus læsionem, gravamen, dispendium retorqueri; quod utique fieret, si auferretur more planè insolito potestas, quæ antea singulari cum gratia & privilegio valebat. Confirmatur ex Rubr. l. *Quod favore*, 6. C. de *legibus*, quæ ita habet. *Favorabile interpretationem non recipit, quæ eum, cui favetur, ladere possit.* Et certè cùm ipsamet lex, *Quod favore*, dicat: *Quod favore quorundam ordinatum est, quibusdam casibus ad læsionem illorum, nolumus inventum videri*, inter illos autem *quosdam casus* debeant vel maximè computari Jubilei ad plenam cum Deo reconciliationem, ex affectu paterno concessi; clarum est, Jus tam Civile quàm Canonicum stare apertè pro allata responsione.

Quia tamen verba Pontificis aliquid operari debent. cap. *Si Papa.* de *Privilegiis in 6.* sempérque curandum est, ut dispositio & actus potiùs valeat, quàm ut pereat. DD. communiter ex l. *Quoties* 2. ff. *de rebus dubiis*, quæ ita habet: *Quoties in actionibus vel exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est, id accipi quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat*; idcirco explicandum est, quid illa Pontificis exceptio valeat, & breviter

RESP. S. D. N. plus non voluisse, 37
quàm quòd per largitionem indulgentiæ, non dederit cuiquam facultatem eligendi confessarium, qui hoc ipso & ex formali virtute Diplomatis, quo indulgentiam concedebat, potestatem haberet absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis; nam hanc potestatem non intendebat sua Sanctitas cuiquam dare, ratione illius indulgentiæ. Unde quia nostra Societas non habet generatim potestatem absolvendi à casibus in Bulla Cœnæ contentis, idcirco nullus nostrorum Patrum, aut Fratrum, qui incidisset in casum Bullæ Cœnæ, potuisset vi illius præcisè Jubilei, seu indulgentiæ obtinere sui casus absolutionem à quolibet Societatis Sacerdote, imò nec ullius casûs Pontificii, si confessus fuisset illi, cui certa ex causa Superiores antea limitâssent Jurisdictionem ad casus Papales exclusivè, quæ tamen, exceptis, qui in Bulla Cœnæ continentur, gaudent omnes nostri Confessarii approbati, ut videre est in compendio nostrorum Privilegiorum. V-*Absolutio* §. 1.

Porro sicuti non intendit Innocentius X. per suam gratiam conferre cuiquam novam aliquam facultatem in ordine ad confessionem, ita nec auferre jam antea habitam. Quapropter si quis in Hispania (cum permissu Superiorum, nam aliter non valet, ut Cardinalis de Lugo contra nonnullos evidenter demonstrat, *Tom. 3. in 3. p. disp. 20. sect. 9.*) munitus fuisset Bullâ Cruciatæ, potuisset pro lucranda indulgentia, de qua loquimur, obtinere absolutionem à casibus, à quibus permittit ipsa Bulla.

Hæc omnia scripseram in prima editione hujus Tractatûs, cùm Diana nactus meum Thesaurum Indulgent. in cujus Part. 2. *q.* 10. rursum confirmo responsionem directè datam ad quæstionem supra *n.* 33. propositam, non solùm verbatim describit prolixam illam confirmationem *part.* 10. *tr.* 16. *res.* 5. sed illi descriptioni præmittit, se prorsus putare, non esse recedendum ab opi-

opinione Suarezii & aliorum, idem quod ego, sentientium de illa negativa resolutione, etsi dissentiat Pasqualigus *de Jub. q.* 178. post alios. Verùm ubi devenerimus ad citatam quæstionem decimam, respondebimus ad fundamentum Pasqualigi.

CAPUT VIII.

Comparantur inter se Bullæ suspensivæ Indulgentiarum.

SUMMARIUM.

In quibus præcipuè punctis discrepent Bullæ suspensivæ Indulgentiarum? 38. *& seq.*

Antiquiores suspendebant Indulgentias datas etiam pro articulo mortis. 39. *Discrim.* 8.

38 MEmini fuisse in Jubilæo Annorum 1625. & 1650. Theol. Profess. perfrequenter à confessariis, & concionatoribus interrogatos, quidnam ipsis videretur, de quarundam indulgentiarum suspensione; illis annis facta? Quare cùm non dubitem, quin similia dubia sint Jubilæo proximè futuro movenda, proponam illa, quæ partim in Doctoribus, qui post Bullam Urbani & Innocentij scripserunt, reperi; partim quæ mihi ipsi occurrerunt. Ut verò tantò clariùs tum ipsamet dubia, tum illorum solutiones perciperentur, descripsi superiùs secundo loco ipsammet Bullam Innocentii X. quæ est omnium, quæ prodierunt hactenus, accuratissima. Porrò idcirco instituo comparationem inter hanc & vetustiores, quia Theologi, qui ante eam scripserunt, aliqua docuerunt, quæ doceri poterant stando Bullis, quas ipsi viderunt; at stando Bullâ, quam descripsi, non possunt omnia illa cum veritate doceri. Ne quis ergo illorum antiquorum Doctorum lectione decipiatur, operæ pretium erit, præsentem comparationem instituere. Quia verò ii maximè, & frequentissimè sequuntur Bullam Sixti IV. quæ incipit: *Quemadmodum*, refertúrque in 6. Decretalium subTit. de *Pœnit. & Remiss.* itémque Gregorii XIII. quam describit Navarrus *not. 32.* & explicat tam ipse, quàm Barbosa *Tom. 4. in Jus Canonic.* idcirco cum istis duabus faciam præsentem comparationem. Est igitur

Quæst. XXIII. *In quibus præcipuè punctis discrepant hæ tres Bullæ?* 39

RESP. In sequentibus. I. Quòd Sixtus, & Gregorius ita loquantur: Suspendimus omnes & singulas indulgentias *Plenarias*; at Clemens, Urbanus & Innocentius *lit. d. & k.* non facta ulla expressione Plenariarum, dicunt: *Suspendimus* omnes ac singulas indulgentias, *sub quibuscunque tenoribus concessas.*

II. Quòd Sixtus, & Gregorius suspendat ad arbitrium suum, & Sedis Apostolicæ, Clemens verò, Urbanus, & Innocentius *lit. m.* non nisi durante anno Jubilæo.

III. Quòd Gregorius clarè significet, præter indulgentias suspendi à se illas solas facultates, quæ ratione indulgentiarum fuerant impertitæ: At Innocentius *lit. c.* post Urbanum, Clementem, & Sixtum, absolutè suspendit facultates, non facta mentione illarum dependentiæ ab indulgentijs; & quidem Sixtus, & Gregorius plures facultates suspendit, quàm cæteri Pontifices.

IV. Quòd Clemens, Urbanus, & Innocentius *lit. g. & h.* suspendat expressè indulgentias concessas tum singularibus personis, *tum coronis, granis, &c.* At Gregorius non meminit coronarum, granorum, &c. sicut neque Sixtus, qui etiam nil dicit de indulgentiis concessis personis singularibus.

V. Quòd Clemens, Urbanus, & Innocentius exprimant Imperatorem, Reges, &c. non item Sixtus & Gregorius.

VI. Quòd Urbanus & Innocentius *lit. m.* exprimant, etiam ignorantibus nil prodesse, quidquid fuerit contra Bullam Jubilæi attentatum; at Sixtus & Gregorius nil de ignorantibus, aut scientibus specificant.

VII. Quòd Sixtus & Gregorius disertè exprimant, indulgentias Ecclesiarum Romanarum in suo robore permansuras tempore Jubilæi; hoc autem non exprimunt cæteri Pontifices.

VIII. Quòd Sixtus suspendat indulgentias & indulta, in vita, seu in articulo mortis concessas & concessa, concedendas & concedenda. At hanc clausulam silentio prætereunt Gregor. Clemens, Urban. & Innocentius.

IX. Quòd Sixtus non prohibeat, in usum demandari durante Anno Sancto alias indulgentias, cùm tamen hi tres Pontifices *lit. o. & p.* id tam severè prohibeant.

X. Quòd prædicationem, & annuntiationem aliarum indulgentiarum prohibeat Sixtus sub censura *Sententiæ ferendæ*: at posteriores sub excommunicatione *latæ sententiæ*.

XI. Quòd Clemens, Urbanus, & Innocentius in clausula: *Non obstantibus*: excludant illa sola contraria indulta, &c. quæ fuerunt à Sede Apostolica, aut ejus legatis, non autem à Cardinalibus, Episcopis, &c. facta; item quòd derogent, etiam illis privilegiis & indultis, quorum esset cæteroqui specifica, & de verbo ad verbum facienda mentio, quæ tamen duo non sunt in Bulla Sixtina. His omnibus addo, quòd nullus horum, & aliorum Pontificum expresserit indulgentias concessas, aut Altaribus privilegiatis, aut defunctis. Item quòd Sixtus non expresserit datas per modum Communicationis, & Extensionis, expresserit autem Gregorius.

CAPVT IX.

Quæ, & quales Indulgentiæ suspendantur tempore Jubilæi?

SUMMARIUM.

Anno Jubilæo suspenduntur generatim Indulgentiæ plenariæ. 40.
Excipe concessas Ecclesiis Urbis Romæ. 40.
An etiam concessæ oratoriis Urbis? 40.
Ecclesiæ Regularium extra Romam sitæ, etsi forte habeant participationem Indulgentiarum concessarum Ecclesiis Urbis, hæc tamen participatio non habet locum Anno Jubilæo. 41.
Non suspenduntur Indulgentiæ Domus Lauretanæ. 41.
Nec Indulgentiæ Bullæ Cruciatæ. 42.
Privilegia concessa per modum contractûs non censentur revocata, nisi fiat specialis eorum mentio. 42.
Indulgentiæ Altarium privilegiatorum non suspenduntur. 43.
Quid denique pronuntiandum in illa controversia: An indulgentiæ pro articulo mortis suspendantur? 45.
Quid hic intelligatur per articulum mortis? 45.
Nomine Coronæ *quid veniat in suspensione indulgentiarum?* 46.
Indulgentiæ partiales manent Anno Sancto in suo robore. 47.
Solvitur argumentum in contrarium. 48.
Quid de illis, quæ sunt concessæ personis particularibus? 48.

Quæst. XXIV. *An plenariæ Indulgentiæ; & quidem omnes suspendantur tempore Jubilæi?* 40

RESP. I. Tam per Bullam Gregorii, quæ expresse nominat Plenarias, quàm per Bullam Clementis, Urbani, & Innocentii quæ suspendit *omnes & singulas, sub quacunque forma concessas*, suspenduntur plenariæ. Ita omnes Doctores. Patet ex fine, ob quem fit Anno Sancto indulgentiarum suspensio, qui finis est, ne usu aliarum extra Urbem indulgentiarum impediatur accessus ad limina Apostolorum, ut diserte exprimitur in Extrau. *Quemadmodum*. Et indicat Bulla Innocentii *lit. c.*

II. Non tamen suspenduntur per has Bullas omnes omnino plenariæ.

III. Etenim non suspenduntur indulgentiæ concessæ Basilicis & Ecclesiis Romanæ Urbis, nam illas Gregor. expresse, & Urbanus VIII. ac Innocent. tacitè, hoc ipso, quòd dicant,

cant, se suorum Prædecessorum vestigia sequi, exceperunt, ut contra Benzonium docent Filliucius *n.* 252. & Lezana *n.* 5. Quare possunt Romæ existentes lucrari per totum annum Jubilei indulgentias Stationum; atque fuisse hunc de An. 1650. sensum communem sapientum postmodum comperi. Nec malè Navarrus *nor.* 33. *n.* 4. extendit hanc doctrinam ad Ecclesias, quæ sunt extra muros Urbis, ut sunt S. Pauli, Sebastiani, Laurentii: nam verba Pontificum sunt intelligenda secundùm vulgatum loquendi modum cap. *Ex literis* 1. *de Sponsalibus, & l. Labeo. ff. de supel. legat.* Atqui Ecclesiæ extra muros Urbis vulgò vocantur Ecclesiæ Urbis. Et fortè hanc doctrinam extenderent Trullenck. & Diana *resol.* 48. ad Oratoria Urbis, utpote, quæ ex ipsorum opinione comprehenduntur nomine Ecclesiæ, quando agitur de indulgentiis; sed hanc hypothesin negat Fagundez in præcept. Eccles. *præc.* 2. *l.* 4. *n.* 36. & Lezana *tom.* 4. *v. Oratorium n.* 5.

41 Quidquid hac de re (de qua omnino vide quod addam infrà Appendic. II. *lit. S.*) sit, certum est, licèt Religiosorum, & Confratrum extra Romam existentium personæ, aut Templa, vel Oratoria habeant fortè communicationem omnium indulgentiarum, uni aut pluribus Ecclesiis, vel Oratoriis Romanis concessarum; attamen Anno Sancto non valere hanc communicationem, si stetur Bulla Gregorii XIII. Nam *quæst. præcedente* observari; per ejus Bullam suspendi expresse indulgentias datas per modum communicationis.

Et censeo, Doctores post Zerolam in Praxi Episcop. V. *Annus Sanctus n.* 3. idem pronuntiaturos de Jubileis horum temporum, etsi non exprimatur in eorum Bullis suspensivis indulgentiæ per modum communicationis concessæ; nam hæ Bullæ sunt firmatæ exclusivis clausulis efficacissimis; & suspensio talium indulgentiarum est ferè necessaria ad finem, ob quem suspendi solent indulgentiæ; nam multi milliones hominum sunt inscripti Confraternitatibus, & Ordinibus Religiosis; habentibus indulgentiarum communicationem, cum una aut pluribus Basilicis, vel Ecclesiis Romanæ Urbis; quos proinde indulgentia Romani Jubilei non pelliceret ad limina Apostolorum, si possent domi frui indulgentiis per modum communicationis impertitis.

IV. Gregorius XIII. testante Benzonio *l.* 4. *c.* 7. *d.* 5. declaravit, per Bullam Jubilei non suspendi indulgentias Augustissimæ Domus Lauretanæ. De Indulgentiis Portiunculæ, quid
42 sentiendum, dicam Tract. seq. part. 2. n. 353.

V. Similiter declararunt Clemens, & Urbanus VIII. teste Diana *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 97. & Palao, Bullæ Cruciatæ indulgentias non suspendi per Bullam Jubilei; ideo videlicet, quòd Bullæ Cruciatæ privilegia dentur per modum contractûs, quandoquidem pro illis oportet pendere duos Regales, ut reliquos inter testatur Joannes Sancius in selectis *disp.* 51. *num.* 6. Atqui privilegia per modum contractûs concessa non revocantur per generalem clausulam, nec revocari possunt, nisi pro iis fiat aliqua compensatio. Diana *l. c.* Lezana in Summa *V. Jubileum. n.* 5. Palaus *Tr.* 3. *disp.* 4. *punct.* 21. §. 2. *n.* 1. cum multis; qui Palaus *Tract.* 24. *d. un. p.* 12. §. 1. *n.* 8. & 10. addit, indulgentias, & facultates Jubilei Compostellani, &c. Bullæ Cruciatæ non suspendi, nisi exprimatur modus concessionis per contractum, vel cum remuneratione.

Hanc doctrinam probè nota, quia ad explicandas multorum privilegiorum revocationes est perutilis, cùm præsertim illam Diana, Palaus, & Lezana applicent ad Bullam Urbani, & consequenter Innocentii, quæ, si ulla alia, abundat clausulis derogatoriis prægnantissimis, efficacissimis, specialissimis, cùm etiam deroget indultis juramento firmatis, & ex quacunque causâ concessis, & quamvis illorum esset de verbo ad verbum, facienda mentio expressa, ut patet ex *lit. k. t. u.*

VI. Indulgentia concessa Altaribus privi- 43
legiatis non suspenditur per Bullam Jubilei. Gavantus in addit *ad manuale Episcopor.* Peyrinis *tom.* 1. *fol.* 154. & Lezana v. *Altare* quid sentiendum dicam tr. seq. *part.* 2. *n.* 353. citantes Alphonsum Leone, & Martinum Carrillo. Ratio est, tum quia per illam non suspenduntur Indulgentiæ pro defunctis, ut paulò post ostendam; tum quia Urbanus VIII. & Innocentius indulgentias suspendunt non absolutè, & in abstracto, sed in concreto, id est, cum addito, & enumeratione meditata, accuratâque locorum, rerum, personarum, quibus indulgentiæ, quas suspendunt, sunt annexæ, ut patet ex lit. *c. d. e. f. g.* atqui in illa sua tam accurata enumeratione, nec meminêre altarium, nec usi sunt verbo, quo tanquam generico comprehenderentur altaria. Etsi autem non exprimit indulgentias concessas Capellis & Oratoriis, judico tamen suspendi, tum quia sunt quædam publica; tum quia id videntur omnes Doctores supponere.

VII. Indulgentias pro articulo mortis con- 44
cessas suspendi etiam per Bullam Urbani, & consequenter per Bullam Innocentii tenet Laymannus *lib.* 5. *tr.* 7. *cap.* 8. *n.* 3. testans, eundem Urbanum, ex speciali in Societatem JESU favore permisisse, ut qui Anno Jubileo, quem ipse indixerat, & in nostro ordine morerentur; consuetam indulgentiam plenariam obtinerent. Consentit Laymanno Tannerus *Tom.* 4. *d.* 6. *q.* 8. *n.* 109. & Palaus *tr.* 24. *d. un.* §. 1. *n.* 7. & 14. Dissentiunt Gavantus in addit. *ad Manual. Episcop.* V. *Indulgentia*, citans pro se Alphonsum Leone, & Lezana *Tom.* 3. *Summæ* V. *Jubilæum n.* 5. Qui Doctores, quia

Ro-

Romæ scripserunt, & absque dubio rem hanc cum doctis, & usu peritis contulerunt, efficiunt, ut ipsorum opinionem habeam pro probabili; præsertim cum Peyrinis, qui etiâ hanc sententiam tradit *Tom. 1. fol. 153.* testetur, ab Alphonso Leone asseri, quòd Urbanus VIII. ita declarârit, ejúsque declaratio publicata fuerit Romæ à Vice-regente Pœnitentiariæ. Equidem accepi ex Cancellaria Ecclesiastica Illustrissimi Episcopi Constant. exemplum responsi, dati ab Illustrissimo Nuncio Apostolico an. 1625. testante, Urbanum VIII. ita declarâsse. Accedit, quòd respectu Agonizantium cesset finis, & ratio suspendendi indulgentias; atqui cessante ratione legis, vel in universali, ut docent omnes, vel etiam in particulari, cessat ipsa lex, ut demonstrat *Arriaga Tom. 4. disp. 27. n.* 19. Diana *part. 5. tract. 14. resolut. 96.* & D. Joannes Caramuel in Theol. Regul. *disp. 5 n.* 50. ubi citat multos recentiores. Addit ulteriùs idem Peyrinis cum Alphonso Leone, indulgentias pro articulo mortis concessas imaginibus, coronis &c. benedictis, non revocari per Bullam Jubilei, eò quòd hoc ipsum in specie declarârit Vice-Pœnitentiarius.

45 VIII. Indulgentiæ pro defunctis, non censentur per Bullam Clementis, Urbani, & Innocentii suspensæ. Laymannus, Gavantus, Peyrinis, Lezana, Palaus *ll. cc.* post Alphonsum Leone. Ratio pro defunctis est eadem, quæ pro Agonizantibus. Dissentit Tannerus *n.* 106. cui faciliùs assentirer, quoad illas indulgentias, quæ ita defunctis applicantur, ut possent, si non obstaret Jubileum, applicari vivis; quàm quoad illas, quæ ne quidem extra Jubileum possunt prodesse. Equidem cùm Sixtus IV. supra *n.* 40. tam disertè suspenderit indulgentias pro articulo mortis, non autem quicquam dixerit de indulgentiis pro defunctis, videtur ipse, & Successores noluisse illis integrè derogare, argumento communis axiomatis: ex capit. *Nonne. de præsumpt.* quo dicitur: *Qui de duobus propositis alterum negat, alterum concedere videtur.* Confirmo inde, tum quia intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi text: cap. *Intelligentia de verborum signif.* tum quia verba legis etsi generalissima non debent extendi ultra adæquatam legis rationem. Suarez *l. 6. de leg. c. 5.* atqui causa & adæquata ratio suspendendi indulgentias est, ut *quàm maximo fieri potest concursu, omnes Christianæ nationes durante anno Jubileo frequentent Basilicas Romanas*, ut patet ex Bulla *lit. c.* post Sixtum IV. ergo verba suspendentia indulgentias non debent extendi ultra istam rationem & causam; extenderentur autem ultrà, si ad defunctos quoque traherentur; nam etsi defunctis applicentur extra Urbem Romam indulgentiæ, non idcirco tamen minuetur confluxus in Urbem, cùm præsertim indulgentia Jubilei non possit applicari defunctis.

Tres superiores doctrinas de indulgentiis Altarium privilegiatorum, Agonizantium, & Defunctorum confirmavit post hæc impressa universalissima praxis doctorum, & indoctorum, atque insuper ipse Innocentius X. *qui ineunte Anno Jubileo interrogatus in quodam examine Episcoporum; quidnam vellet determinatum de indulgentiis pro defunctis, & articulo mortis? Respondit, non esse revocatas à se.* Hisce verbis mihi 5. Febr. ejusdem Anni scripsit ex Urbe noster P. Nicolaus Wysing omni fide dignus.

Quam declarationem meritò intelliges de articulo mortis etiam præsumpto verosimiliter, juxta ea, quæ tradam Tract. seq. *part. 2. n.* 620. & 621. sicuti in eodem Tractatu scripsi ex occasione, Indulgentiam Portiunculæ pro solo templo Assisiensi fuisse ab Innocentio X. per peculiare Breve confirmatam pro anno ancto, in quo etiâ Tractatu fusè declaro conditiones indulgentiarum pro Altaribus privilegiatis; pro defunctis; pro agonizantibus, de quibus suprà, & quibus nunc addo Cotonium *Celebrior. controvers. l. 2. Controvers. 12. cap. 1. n.* 33. testari, solere in Jubileo Anni Sancti concedi Episcopis potestatem largiendi morientibus indulgentiam plenariam de nocte quidem per alium, de die verò per se. Quo tamen secundo casu, si Episcopus vocetur de die, poterit accessum differre usque ad noctem, & tunc donare hunc indulgentiâ. Ita Cotonius post Pellizarium *in Manuali Regularium Tom. 2. tr. 8. cap. 5. n.* 191. & Diana *part. 10. tr. 16. res. 5. in fin.* quæ doctrina mihi non improbatur, modò illa dilatio non exponat infirmum periculo decedendi absque indulgentia.

IX. Tametsi Urbanus VIII. & post eum In- 46
nocentius loquens de Indulgentiis Realibus, exprimat illas solas, quæ coronis, granis, imaginibus, ac numismatis sunt affixæ, ut patet ex *lit. h.* non dubito tamen, quin nomine *Coronarum* intellexerit coronas tum Christi, tum Beatissimæ Virginis, & consequenter integra rosaria seu psalteria. Nam. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.* reg. 9. *in 6.* atqui psalteria sequuntur, & conficiuntur ex coronis Deiparæ, illis ergo prohibitis & suspensis, suspenduntur psalteria cum suis gratiis.

Quid sit peculiariter sentiendum de suspensione Indulgentiæ pro Communione Generali dicam infra *cap. 27. n.* 156.

Quæst. XXV. *Quid de indulgentiis Partia-* 47
libus pronuntiandum tempore Jubilei?

RESP. Probabile est, illas ne quidem per Bullam Urbani, & Innocentii suspendi, esto Tannerus *n.* 108. neget, hoc esse probabile. Ratio est, tum quia ita censent Filliucius *n.* 252. Peyrinis *tom. 1. fol.* 153. Palaus §. 1. *n.* 7. Lezana *n.* 5. post Bonzonium *l. 4. c. 8. dub.* 7. Alphonsum Leone, & Hieronymum Gratianum, quibus Barbosa in Extravag. *Quemadmodum* jungit, (dissentiens tamen) Franciscum Rodriq. Sanctarellum, Lavorium, Lorichium; tum quia in odiosis saltem locum habet L. *Præcipimus.* C. de Appellat. in fin. ita statuens: *Quidquid in posteriori lege non fuerit expressum specialiter, id veterum legum, constitutionumque regulis relictum esse, intelligendum est.* Atqui in Bulla Clementis, Urbani, & Innocentii non sunt expressæ indulgentiæ partiales, ergo relictæ sunt Veterum Constitutionum regulis; veterum autem constitutionum regulæ, seu Bullæ Gregorij XIII. & Sixti IV. suspendunt solùm plenarias indulgentias, ut tanquam clarissimum meritò supponit Benzonius *Lib. 4. c. 8. d. 2.* Sanctarellus *cap. 5. dub. 7.* patétque legenti utriusque Bullam, dicunt enim: *Suspendimus omnes plenarias indulgentias.* Suprà *n.* 39.

48 Nec obstat, quòd Urbanus dicat, à se suspendi omnes, & singulas indulgentias, clausula autem *Omnes, & singulæ* geminata, omnia singula absque limitatione includat. Glosa in cap. *Ut circa.* vers. *Omnia & singula. De elect. in 6.* Nam hæc doctrina non habet locum in casu, quo Jus ipsum declarat, prædictà clausulà non comprehendi omnia & singula sine limitatione; atqui Lex *Præcipimus.* quam retuli, declarat, non esse extendendam ad omnia, quando Lex prior loquitur tantùm de aliquibus, posterior odiosa non exprimit plura, quàm Lex prior. Hinc probabile est, illos, qui habent numismata affecta indulgentiis quinque Sanctorum, S. Caroli, Urbani VIII. Innoc. X. Alexand. VII. posse etiam Anno Jubilæo obtinere omnes Partiales indulgentias, illis numismatis adhærentes, nisi in sequentium Jubilæorum Bullis exprimantur etiam Partiales. Idem dic de Congregationum, Confraternitatum, Religiosorum indulgentiis 40. Annorum, 1000. Annorum, &c. nam omnes hæ sunt Partiales. At stante Bullâ Innocentii non est probabile id, quod Sa. *n.* 11. absolutè docet, scilicet in Jubilæo non suspendi indulgentias personis particularibus impertitas; nam Bulla *lit. i.* contrarium exprimit.

Verùm leges ea, quæ hanc in rem notabo infrà in App. 3. lit. *a.*

Appendix I. necessaria & grata Lectori.

a Necessaria sanè, siquidem emendanda sunt nonnulla ex iis, quæ in priore Editione scripsi, destitutus authentica declaratione quorundam, quæ interim nacta sunt interpretationem, ob quam & alia nonnulla spèro fore, ut singulariter sint accepta futura, quæ hac, & sequenti Appendice proferam in medium.

Itaque repræsento hoc loco verba formalia, quibus Eminentissimus D. Cardinalis Carpineus Clementis X. Vicarius Generalis ejusdem Sanctitatis mandato, atque approbatione expressâ resolvit dubia de suspensione, & permanentiâ nonnullarum indulgentiarum in Anno Sancto. Dabo priùs verba Italica ex ipsamet Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ. Anno 1675. deinde Latinam interpretationem Laureto ad me transmissam. Est autem Italicæ declarationis hæc phrasis.

b *Per togliere finalmente ogni ambiguità, e che siano certi i fedeli dell' Indulgenze, che ponno conseguire, dichiaramo con l' Oracolo di sua santità, come sopra, che nella sospensione generale dell' Indulgenze contenuta nella Bolla sotto la data de 5. Maggio 1674. publicata à 17. Settembre di detto anno, non s' intendano sospese l' Indulgenze de gli Altari privilegiati per li Defonti, ne veruna altra di quelle concesse nell' istessa maniera per li soli Defonti, mà bensì quelle, che ponno conseguire i Vivi, con facoltà di applicarle per maniera di suffragio à i Defonti; Et ne meno l' Indulgenza conceduta in articolo di morte, e le facoltà di communicare ad altri, si come non cessano in modo alcuno le facoltà del Tribunale della S. inquisitione, e degli Officiali di esso, ò de Missionarii, che dal detto Tribunale, ò dalla S. Congregatione de propaganda fide, ò con autorità Apostolica siano à ciò deputati, e specialmente quelle d' assolvere dall' Eresia coloro, che pentiti l' abjurano, e si rendono di detta assolutione capaci.*

Latina verò interpretatio fidelis ita sonat: c

Ut etiam tollatur omnis ambiguitas, & ut fideles sint certi de Indulgentiis, quas possunt lucrari, declaramus unà cum Oraculo sanæ Sanctitatis, uti suprà insinuatum, quòd in suspensione Generali Indulgentiarum, quæ continetur in Bulla data quinto Maji, 1674. publicata verò 17. Septembris ejusdem Anni: non intelligantur suspensæ Indulgentiæ altarium privilegiatorum pro Defunctis, neque aliæ concessæ eodem modo pro Defunctis; verùm illæ suspensæ habeantur, quas possunt sibi lucrari vivi, ut eas possint concedere animabus Purgatorii per modum suffragii. *Et nec minus indulgentiæ concessæ in articulo mortis, & facultates communicandi eas aliis. Sicut nec cessant modo ullo facultates Tribunalis Sanctæ inquisitionis, & officialium ejusdem, ut Missionariorum, & Ministrorum, qui ab eodem Tribunali, vel à Congregatione propagandæ fidei, vel cum autoritate Apostolica, ad id sunt deputati, & specialiter facultates absolvendi ab hæresi illos, qui abjurato errore redduntur capaces earum gratiarum.*

Hactenus versio fidelis quidem, quia verbo d
verbum reddit, at nihilominus aliquantum ambigua, quia & Italica genuit discordiam judiciorum circa periodum de Indulgentia pro articulo mortis, etsi enim illa periodus: *Nec minus Indulgentiæ concessæ in articulo mortis, &c.* si referatur ad solam immediatè an-

tecedentem, videatur clarè significare suspensam esse etiam Indulgentiam pro illo articulo, si tamen consideretur ea clausula, quæ immediatè sequitur: *videlicet ista: Sicut nec cessant*, emergit ambiguitas: etenim dictio: *Sicut nec* est formaliter relativa ad aliquid antecedens, facit enim repetitionem præcedentis qualitatis. Tuschus *lit. D. Conclus.* 374. *n.* 10. atqui si repetat qualitatem præcedentis, necessariò hæc qualitas est negativa suspensionis, apertissimè enim in hac periodo: *Sicut nec cessat*, negatur suspensio facultatum Tribunalis S. inquisitionis.

e Nos hîc Constantiæ negavimus practicè suspensionem, non obstantibus privatis literis etiam Româ Lauretum, inde ad me 26. Januarii ejusdem datis hisce verbis: *Fuit septimo hujus* (Januarii) *habitus Conventus coram Eminentissimo Cardinale Vicario, cui interfuerunt examinatores Episcoporum Præsul D. Toia, vicesgerens, & Parochi, concluſa quoque & stabilita sequentia: facultatem absolvendi à reservatis, commutandi vota esse solùm penes Pœnitentiarios, & multos Parochos, ut facultas Regularium sit suspensa: Indulgentias pro defunctis non esse aut dari, sive suspensas esse, si Altaria privilegiata pro illis excipiantur: Indulgentias in articulo mortis ei, qui antea non habebat, jam non valere*, &c. Rationem interpretandi in benigniorem partem habuimus duplicem. Primam desumptam ex vi & significatu dictionis: *Sicut* primùm relata; alteram quòd licet Eminentissimus D. Cardinalis professus sit, post illum Conventum, velle se tollere omnem ambiguitatem, Typographus tamen non fecerit debitam interpunctionem, aut sit idem Eminentissimus usus voce ambiguâ, quia æquivocâ; illa quippe Italica clausula: *ne meno* habet duplex significatum, alterum quòd expressit Lauretanus interpres suprà relatus, ac plures alii periti linguæ Italicæ, videlicet: *Non minus*: alterum quod fortè est Italicè cultiùs loquentibus magis comune, videlicet: *Nec etiam*, quam secundam expositionem si admittas, includendo parentheſi illam periodum: *mà ben sì*, &c. *verùm illæ*, &c. omni planè ambiguitate liber eris, seu antecedentia, seu consequentia consideres, conferásque cum illa media periodo. Quanquam etiam si placeat stare priore interpretatione & interpunctione: *Non minus*, poteris dicere: *Non minus non intelliguntur suspensæ*, seu: *Non minus intelliguntur non suspensæ*. Certè hisce scriptis me convenit insignis Theologiæ Doctor, recentissimè Româ redux in patriam, asseruitq; se fuisse Romæ, ubi totum Annum Sanctum transegerat, ibique eam clausulam ita practicè intellectam, ut proinde res sit extra omne prudens dubium.

f Quia igitur Urbanus VIII. & Innocentius X. ut retuli suprà *n.* 44. & 45. postquè hos Clemens X. ut nunc vidimus, declarárunt non fuisse mentis suæ suspendere Indulgentias pro mortis articulo, certum esse debet, illos, qui attingent Jubileum Anni millesimi septingentesimi, posse absque ulla prorsus, alia declaratione reducere in praxin doctrinam hîc propugnatam, siquidem Bulla Indulgentiarum suspensiva, quæ de more publicabitur, sit consimilis illi, quam fuimus hactenus secuti. Ratio est, tum quia in dubio præsumitur Pontifex sequi vestigia suorum anteceſſorum, ut sæpe & necessariò repetimus in hoc Tractatu, tùm quia clausula: *Declaramus*, qua expressè, atque reflexè per os, & calamum Eminentissimi sui Vicarii Generalis usus est Clemens X. in primis nihil novi inducit. Marta de *Iurisdiction. part.* 4. *Cent.* 2. *c.* 152. *n.* 4. etenim qui declarat, nihil dat. Baldus *l.* 1. *n.* 2. *Cod. de Testam. Manumiss.* cùm declarans nihil ponat, nihil faciat de novo. Glossa. verb. *De novo.* Cap. *Per tuas. De Donat.* & alia, quæ referâ Tractatu seq. *n.* 316. & 328. ergo non modò non ipse Clemens, sed nèc Innocentius, nec Urbanus sui Bullis suspensivis incluserunt Indulgentiâ pro agonizantibus. Deinde Lex declaratoria æquè extenditur ad futura, atque ad præterita, ut probo infrà eodem *n.* 328. ergo verum est id, quod dixi de Indulgentiarum pro agonizantibus valore minimè suspenso in Anno Sancto.

Appendix II.

At verò est vice versâ fatendum, suspensam fuisse Indulgentiam nostram menstruam, pro qua scilicet obtinendâ obiri debet in nostris Ecclesiis Sacra Communio, cum addito, ut eam lucrifaciant quidem sibi fideles, attamen possint eandem per modum suffragii applicare defunctis, sicut refero infrà *cap.* 27. ubi etiam describo atque edisserò communem formulam concessionis, de qua quidem ego superioribus Annis ambigebam, utrùm durante Jubileo Romano retineret suum menstruum cursum, sicuti indicavi suprà *n.* 45. nihilominus tamen sub initium Anni 1675. in praxi suasi, ut publicaretur eo modo, quo solet extra Annum Sanctum; ductus eâ solâ ratione, quòd planè constaret, fuisse Anno 1650. in flore, ut ita dicam, & Reverendos PP. Capucinos, qui pauculis Annis antè, sicut & Illustrissima Reverendissima Congregatio Ord. S. Benedicti in vicina Helvetia pro suis respectivè Ecclesiis, eandem gratiam quam nos obtinuerant, perrexêre in publicatione, usurpatióneque illius indulti summè proficui.

At verò innotuit nobis sub mensem Februarium Illustrissimum D. Nuntium Apostolicum ad Helvetios, & ad hunc, aliósque tres Episcopatus, concessisse per decursum Anni Sancti pro tota sua Nunciatura omnibus obeuntibus

bus illud piissimum opus, centum dierum Indulgentias piis manibus applicandas, ut rursum memorabo infrà *App. 3. lit. a.* Mensequoque Martio, accepimus Româ authenticum transcriptum declarationis superiùs descriptæ. Quapropter mox destitimus ab inculcatione, & usu prædictæ gratiæ. At paulò pòst mittitur mihi ex ipsa Italia exemplum resolutionis datæ à quodam celebri Theologo Germano de hac ipsissima materia, petiturque ex duobus vel tribus locis meum de eadem resolutione judicium. Quod quidem nunc palàm faciam, eâ etiam de causa, quòd & didicerim responsum illius Theologi haud displicere quibusdam viris doctis. Priùs autem quàm aperiam, quid mihi videatur sentiendum, repræsentabo formalia illius Doctoris, tam quibus proponitur ab ipso quæstio, quàm quibus respondet is ad eam. Sic ergo scribit:

Vtrùm PP. Societatis IESV in Germania Indulgentias suas menstruas pro defunctis in hoc Iubilei Romani Anno retineant, & fideles lucrari eas dem in eorum Ecclesiis valeant?

Videtur quòd non, sed suspensæ sint perinde, ut aliæ Indulgentiæ. Ratio desumitur ex declaratione Clementis X. super præsenti Jubileo facta. 1. Febr. Anni labentis 1675. ubi prope finem dicitur, suspensas etiam esse Indulgentias concessas vivis, quæ tamen per modum suffragii applicari possint defunctis: atqui prædictæ Indulgentiæ menstruæ Patrum Societatis sunt ab Urbano VIII. concessæ vivis, per modum suffragii defunctis applicabiles, ut habent expressa verba Bullæ, Anno 1634. editæ, ergo sunt suspensæ, perinde ut aliæ Indulgentiæ in hoc Jubilei Anno.

Confirmatur ex praxi urbis & totius Italiæ, ubi ista cœperat, & singulis mensibus nunc peragitur quidem ea devotio, & Sacra Communio, quæ tamen intra Jubilei Annum caret Indulgentiis, & nemo sibi persuadet illas jam obtineri posse. His tamen non obstantibus:

k Resp. PP. Societatis retinere etiam hoc Anno Jubilei suas Indulgentias menstruas in Germania, licitè eas proponere, & à fidelibus easdem in Ecclesiis eorum obtineri posse. Ratio desumitur ex eâdem declaratione Papæ super præsenti Jubileo, ubi sua Sanctitas apertis verbis affirmat, Indulgentias solis defunctis concessas non esse suspensas, sed in suo stare vigore, atqui menstruæ Indulgentiæ PP. Societatis JESU in Germania sunt principaliter, primariò & directè defunctis concessæ, ergo stant nunc in suo vigore, & non sunt suspensæ. Probatur minor. 1. Ex Communi consensu fidelium Catholicorum in Germania, ex quibus nemo unus sibi persuadet Indulgentias hasce menstruas non esse principaliter primariò & directè pro animabus in Purgatorio juvandis concessas, unde communi voce dicuntur Indulgentiæ defunctorum, & in patria lingua **der Seelen Ablaß.** 2. Ex praxi, quia Anno quinquagesimo itidem Jubilei Romani, Indulgentiæ istæ Defunctorum permanserunt intactæ, expositæ sunt, & fideles easdem lucrari studuerunt, non contradicentibus Episcopis, & Nuntijs Apostolicis, imò ipso Summo Pontifice, qui ignorare istud non potuit. 3. Ex modo & circumstantiis celebrandi diem hisce Indulgentiis lucrandis destinatum; solent enim omnia fieri ad pietatem erga animas defunctas excitandam, nempe instituuntur sermones pii de Purgatorio, exponuntur picturæ animarum in igne detentarum, lugubris & niger color in multis adhibetur. 4. Ex ultimato fine, ob quam Societas JESU in Germania petiit Indulgentias istas, & impetravit, nempe ut in Germania articulus fidei de Purgatorio contra hæreticos stabiliretur, simúlque pietas Christiana erga animas Defunctorum exerceretur. Quia verò finis iste primariò, principaliter & directè intentus non poterat absque devotione fidelium obtineri, his ipsis Indulgentiæ illæ fuerunt consignatæ, ut ita isti ad S. Confessionem, Communionem & preces pro defunctis fundendas allicerentur. Quare petitio, & concessio istarum menstruarum Indulgentiarum pro motivo principali, primario & directo, adeóque pro ultimo ferè habuerunt Purgatorium contra hæreticos confirmandum, & animas pias, quæ illic detinentur, juvandas; pro motivo verò minùs principali, secundario & impulsivo ipsos fideles vivos. Ex his.

Resp. ad 1. disting. Mai: Indulgentiæ concessæ vivis, quæ tamen per modum suffragii animabus in Purgatorio applicari possunt, per Declarationem Papæ Clementis X. suspenduntur, si pro principali, primario & directo motivo in postulatione, & concessione habuerunt ipsos vivos concedo, secus nego. Pari modo distinguitur minor, & negatur consequentia.

Ad confirmationem negatur paritas. Quia in urbe & Italia per motivum principale, primarium & directum vivis concedebatur iste favor, secundariò postea, & minùs principaliter animabus in Purgatorio juvandis. At verò PP. Societatis JESU in Germania voluerunt quidem harum Indulgentiarum participationem, & extensionem, non autem pari ratione & motivi ordine, sed primariò, principaliter & directè intenderunt defendere articulum fidei de Purgatorio, & succurrere animabus fidelium ibidem detentis; secundariò autem, minùs principaliter, & indirectè easdem voluerunt vivis, ut sic principalis finis per hæc obtineretur, id quod, ut diximus, apertè convincit Communis omnium Catholicorum in Germania sensus, praxis prioris Jubilei, & finis

nis ultimatus, qui eſt roborare articulum fidei de Purgatorio contra hæreticos, inter quos in Germania vivunt Catholici, & ſuccurrere animabus piis ibidem detentis.

l Ita ad verbum ſcripſit, & per diverſa loca mediatè atque immediatè vulgavit idem Theologus, à cuius tum reſolutione, tum reſolutionis fundamento, ego atque alii poſtea diſſenſimus. A reſolutione quidem ob clariora ſole verba Notificationis. A fundamento autem, quia meritò pro paradoxa habemus illam ſuppoſitionem aſſertivam, quòd Indulgentia, de cuius vigore per decurſum Anni Sancti movetur quæſtio, conceſſa ſit Germanis alio modo, quàm Italis, idque probo inde, quòd Bulla Alexandri VII. qua Ann. 1663. in actu ſignato confirmavit Innocentianam repræſentandam, ut dixi, infrà *cap.* 37. promulgetur, & ad valuas noſtrarum Germanicarum Eccleſiarum, affigatur iiſdem omnino verbis, quibus conſtat exemplum à me ibidem deſcriptum, imò aliquantulo clarioribus, quia ad vocalem *Defunctorum* diſertè adjicitur clauſula: *per modum ſuffragii* ſubaudita quidem ab Innocentio quoque, at non expreſſa; atqui evidens eſt ex illis iiſdem verbis Indulgentiam illam concedi primariò vivis, ſecundariò & per modum ſubſtitutionis defunctis, adeóque defunctos ſubrogari, ſubſtituíque vivis, non autem vivos defunctis, ſiquidem ex ſenſu omnium Jureconſultorum ſcribentium in *L.* 1. *ff. de vulgar. & pupill.* Subſtitutio, ſeu ſubrogatio eſt ſecunda inſtitutio; utique autem illa habenda eſt pro ſecunda, quæ fit ſecundo loco, ut proinde ſi in ulla diſpoſitione, reſcriptóve gratioſo, vel odioſo veritatem obtinet illud m dogma Juridicum: *Ordo literæ eſt attendendus. l. generaliter*, §. *Si quid. ff. De fidei comm.* quia videlicet ordo ſcripturæ, ordinem voluntatis oſtendit *Cap. Mandato. De præb. in* 6. & *ibi* Barboſa cum communi, obtinet in præſenti argumento. Siquidem nulla planè ex iis exceptionibus, quas Theologi, aut Juriſconſulti apponunt ad illud *Ordo literæ eſt ſequendus*, habet hîc locum. Profectò ſi Caius in ultimis tabulis ſcribat: *Lego meum Xanthum Lælio, quem poterit applicare per modum Eleemoſynæ*, (verè ſpiritualem eleemoſynam ſonat vox *ſuffragium* exprimi ſolita in Bullis de præſente materia Pontificiis) *Noſocomio*, excipietur Noſocomii procurator cachinnis, ſi velit immediatè directè vindicare iſti loco, & conſequenter judicabunt omnes, illud legatum fuiſſe ſcriptum primariò, & directè in commodum Lælii, & proinde primarium, principale, & directum motivum legati fuiſſe benevolentiam in Lælium, non in Xenodochium, ideóque & Lælium fuiſſe vinculo gratitudinis Caio magis obligatum, quàm Xenodochium, & ipſummet Xenodochium magis Lælio, quàm Caio obſtrictum, ſi Lælius jure ſuo in Xanthum ceſſit, in gratiam Xenodochij.

Eſt autem pia quidem, attamen mera divinatio, quòd Societas JESU in Germania petierit, & impetrârit iſtam Indulgentiam ex ultimato fine, ut in Germania, articulus fidei de Purgatorio contra hæreticos, ſimúlque pietas Chriſtiana erga animas defunctorum exerceretur. Nihil enim prorſus de *ultimato* (per hunc *ultimatum* finem intelligo principalem & eſſentialem, aut verè motivum, non autem accidentalem, & merè impulſivum, aliquin nec apparenter quidquam virium haberet iſta argumentatio) ſine ſciunt aut juniores Socii, aut ſeniores hujuſce Provinciæ. Reor quòd neque Inferiores Germani, neque Boëmi, Ungari, Poloni, Lithuani, aut Galli, qui tamen nobis ſuperioris Germaniæ Inſolis nihil cedere volent in ſtudio propugnandi, propagandíque articulum de Purgatorio, ſed ab initio uſurpârunt hi, ſicut & nos, præciſè pro ſe illam Indulgentiam, quia videlicet noſtri PP. Itali (& ſine dubio vel maximè ipſe R. P. Claudius Aquaviva Præpoſitus Generalis) impetraverunt pro ſolis vivis, ut monebo infrà *n.* 187. nobíſque Germanis communicavit eam gratiam idem P. Generalis. Poſtmodum Urbanus VIII. etiam rogatu R. P. Mutii Vitelleſci, tunc Generalis adjunxit clauſulam de applicatione faciendâ (ſi luberet) defunctis. Quod quidem verbum *Applico* expreſſum in Brevi Innoc. X. atque in Alexandri VII. (quod obtinuit Admodum Reverendus P. Joannes Paulus Oliva, tunc Vicarius, nunc Præpoſitus Generalis noſter) deberet ex uſu perpetuo in hac materia in voce paſſiva referri ad vivos potiùs, quàm ad defunctos, ſi defuncti obtinerent rationem finis ultimati, adeóque debuiſſent Urbanus, Innocentius & Alexander ſcribere: *Concedimus Indulgentiam animabus Purgatorii*, quam etiam applicare ſibi poterunt viri obeuntes Communionem. Equidem ſi illi duo Pontifices ita ſcripſiſſent, nemo unus ambigeret, quin vivi ſubſtituerentur defunctis, ergo nec ambigendum, quin è contrario per Bullas Urbani & Innocentii utentium phraſi omnino contrariâ, defuncti ſubſtituantur vivis, & proinde in eo ſolo caſu profit illa Indulgentia defunctis, quo vivi poſſent ſibimet quidem comparare, at malunt ſuo jure in favorem animarum purgantium cedere. Sicut enim ſe habet propoſitum ad propoſitum, ita oppoſitum ad oppoſitum, ut loquuntur poſt Ariſtotelicos Juſtinianæi, Thomiſtæ, & maximè Scotiſtæ.

Deni-

Denique ſcitum non Theologiæ minùs, quàm Juriſperitorum eſt: Facta probari debere, non autem præſumi. Ille autem PP. Germanorum finis principalis, primarius, directus, qui ab eodem P. Theologo aſſeritur, nullo, ut reor, argumento probari poteſt.

o Etenim fundamentalis probatio, quæ adfertur, peccat in forma, utpote conſtans quatuor terminis, qui tamen error Logicus, cùm ſine dubio adſcribendus ſit non ſcribenti, ſed deſcribenti, non immororei vel demonſtrando vel in formâ repellendo; fas eſt, ſi reformem eo modo, quem intendebat ipſe author, & proinde Majori illi propoſitioni: *Sua Sanctitas affirmat Indulgentias pro ſolis defunctis conceſſas in ſuo ſtare vigore*, quam ipſe ſtatuit pro baſi ſuæ ſententiæ, ſubjiciam proportionatam Minorem: Atqui Indulgentia menſtrua, ſeu menſtruæ communionis eſt conceſſa pro ſolis defunctis. Probo hanc Minorem: illa eſt conceſſa pro ſolis defunctis, quæ principaliter, primariò & directè conceſſa eſt pro illis: atqui Indulgentia menſtrua eſt talis. Ergo &c.

Sed ad illam primam Minorem reſpondeo eſſe, apertè alienam à vero. Ad probationis aſſumptum reſpondeo in primis involvere implicantiam in adjecto. Quia ubi eſt principale, primarium, & directum, ibi eſt & minùs principale, ſecundarium, & indirectum: ergo ſi illa Indulgentia datur principaliter, primariò & directè pro defunctis, datur minùs principaliter, ſecundariò & indirectè etiam vivis: ergo non pro ſolis defunctis. At eſto, ſit verum illud aſſumptum, nego ſanè ſubſumptum. Ad cujus probationem primam dico, non ſolùm non eſſe neminem unum inter Catholicos Germanos, qui ſibi non perſuadeat illam indulgentiam eſſe principaliter, primariò & directè pro animabus in purgatorio juvandis conceſſam, ſed è diverſo neminem unum è prudentioribus, perpaucos è rudioribus, eſſe imbutos illâ perſuaſione, quia videlicet totius noſtræ Provinciæ (& quid ni etiam aliarum?) mos fert, ut noſtri Concionatores, Catechiſtæ, Confeſſarii, & Præceptores, dum vel docendo, vel hortando, vel invitando ſeculares ad lucrifaciendum hunc theſaurum dicunt: poteris tibi lucrari Indulgentiam, aut ſi mavis donare animæ tui Patris, Matris &c. defunctorum. Equidem non eſt unus è decem ſecularibus, qui ignoret illam Indulgentiam idcirco appellari defunctorum, quòd poſſit donari (geſchencket werden) defunctis. Verbum autem donandi ſupponit dominium in eo, qui donat. Leſſius *l.* 2. *de juſtit. c.* 18. *n.* 77. ex communi, adeóque ſuitatem, qui autem ſuum donat alteri, habet prius, principaliúſque jus in id, quod donat, quàm donatarius ante factam donationem, cùm ante hanc ne quidem habeat per ſe loquendo propriè jus ad rem, nedum jus in re.

Ad alteram probationem de praxi Anno p 1650. Reſpondeo I. eſſe veroſimile, quòd potiùs nemo illorum ſuperiorum, qui tunc expoſuerunt conſuetam tabulam de Indulgentiâ pro defunctis, id fecerit ſine formidine de nullitate ſui actus, quàm cùm opinione firmâ de valore, ut teſtari poſſum de noſtris Ratiſbonenſibus 1675. Quod etiam veroſimiliter formidatum fuit, non ſolùm intra, ſed etiam extra noſtram Provinciam, imò & Germaniam. II. Illi ipſi, qui factitârunt id, quod nos, jam agnoſcunt mecum, ſe errore lapſos humano, ideóque refixerunt tabellas, ut primùm authenticè conſtitit de declaratione Bullæ ſuſpenſivæ ſuperiùs deſcriptâ. Qui abhinc annos 26. ſecuti ſumus errantes, ſequamur, oro, nunc pœnitentes.

Ad tertium, quæ ibi referuntur de ſignis, q miſericordiæ erga defunctos, nullo modo practicantur in omnibus Eccleſiis, in quibus celebratur Communio Generalis. Et quamvis id fieret in omnibus, (quod pervelim) attamen fieret ſolùm eò, ut fideles permoverentur ad cedendum ſuo juri proprio, directo, immediato, in favorem piorum manium. Unde Confeſſarii, qui magno compaſſionis affectu feruntur in functos, dicunt ultro pœnitentibus, ipſos eximum ſpiritualis eleemoſynæ opus præſtituros cruciatis igne purgatorio, ſi hiſce donent ſuammet Indulgentiam; quæ loquendi ratio, cùm ſit aut familiariſſima, aut certè probata omnibus Confeſſariis, hinc rurſum confirmatur ille ſenſus Germanorum communis, quem affirmavi ſuprà *lit. m.*

Ad quartum patet reſponſio ex ſuperioribus.

Ad ſolutionem ſolidiſſimarum rationum, r quas ille Theologus oppoſuit ſibimet, replico, dicóque, ſupponi in ea ſolutione hypotheſes minimè gentium admittendas, ſatíſque confutatas ſuperiùs. Utinam is, qui claves vitæ & mortis (cruciabilior eſt quavis ſæviſſimâ morte minima purgantium pœnarum) Anno 1700. habebit in Petri Cathedrâ, efficiat ſuâ ſingulari benevolentiâ in ſuos filios, fratréſque in Chriſto, cognatos quoque & affines ſecundùm carnem unà cum amicis olim ſuis lamentabiliter expoſcentes omne poſſibile ſuffragium viventium, ut author opinionis, hoc loco propoſitæ, videatur potiùs, veriúſque de futuro, quàm de præterito divinâſſe.

Sicut autem correxi indultus authoritate notificationis meam priſtinam admodum debilem opinionem, de illius menſtruæ Indulgentiæ perſeverantiâ Annæ Sancti, ita etiam per modum aut correctionis, aut meræ obſervationis addo, S. D. N. Clementem X. videri ſuſpendiſſe Indulgentias omnes Baſilicarum Romanarum, cæterarúmque expreſſarum ſuprà *n.* 40. §. 3. ſiquidem in ultimo §. Notifi-

cationis integre describendæ infrà *cap.*48 donat peculiaribus indulgentiis visitantes illas Basilicas, & donat præmittendo hanc clausulam: *Non obstante Generali Indulgentiarum suspensione*, quo loquendi modo videtur mihi satis innuere, illi generali suspensioni fuisse inclusas eas ordinarias Indulgentias.

Appendix III. Brevis & Longa.

a Brevis est quoad primum membrum, longa quoad alterum, siquidem primo loco observo, facto Illustrissimi Domini Nuntii Lucernensis seu ad Helvetios, Domini Odoardi Principis de Cybo, impertiti in ipso Anno Sancto Indulgentias centum dierum, adeóque partiales, ut suprà retuli lit. *b.* haud leve pondus accedere opinioni negantium Indulgentias partiales subjacere Bullis suspensivis, ut observavi *n.*47. siquidem ex una parte liquet, Indulgentiis partialibus accensendas esse eas, quæ sunt annorum centum, mille, aut plurium. Ex altera illum Illustriss. D. Nuntium, utpote styli Romani gnarissimum, haud fuisse facturum illam ab Antecessoribus præteritam gratiam, si pro suspensis habuisset, qui quidem non modò illos centum dies largitus est pro vivis aut defunctis, ad arbitrium obeuntis tunc Sacram Communionem, sed etiam pro solenni SS. Ignatii & Francisci Xaverii nostri festivitate septem annorum suppliciorum ex ære proprio donavit, ut Lucernensium verbis utar. Nisi fortè replices, quandoquidem non suspenduntur Indulgentiæ, nisi quæ sunt concessæ à Pontifice Romano, ut liquet ex verbis Bullæ suspensivæ lit. *b.* & proinde Episcopi largiuntur constanter Indulgentias 40. dierum iis, quibus conferunt ordines sacros, eam ob rem haud multùm virium inesse huic instantiæ. Nihilominus tamen replico; si Episcopi & Infulati Abbates possunt impertiri vel ipso Anno Sancto, vel duraturas etiam Anno Sancto partiales Indulgentias, vix apparere causam, ob quam Pontifices suspendant etiam partiales datas à se.

b Quicquid sit, aio, Indulgentias XXV. dierum à Sixto V. promissas piè ac religiosè pronuntiantibus alterutrum è sacratissimis Nominibus, esse in terminis terminantibus munitas adversus quamcunque suspensionem clausulis tot & tantis, ut piè credam perdurâsse, nuper Anno Sancto. Bullam Sixti ad longum describo infrà *Tract.*4. *Part.*2. *cap.*31. *n.*603. probaverúntque PP. Revisores Romani.

Longa autem, si non longissima, est hujus Appendicis pars altera, quia proponit ac resolvit hanc valde ancipitem quæstionem,

An Indulgentiæ Sanctissimi Sacelli Divæ Virginis Einsidlensis sint in Anno Sancto Iubilei Romani suspensæ?

Judicium PP. Theolog. Einsidlensium.

c Videtur pars affirmativa evinci ex Bulla Clementis X. suspensivâ quarumcunque Indulgentiarum durante anno Universalis Jubilei. In ea namque suspensione habentur hæ clausulæ: *Non obstantibus quibuscunque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, Privilegiis & Indultis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, ex quibusvis causis concessis, confirmatis & innovatis, etiam ex motu proprio, & ex certa scientia, quarum omnium tenores, formas, derogationes & Decreta in ea Bulla pro expressis haberi voluit* Pontifex.

Neque verò efficaciæ istarum clausularum d præponderare videtur concessio Julii II. Anno 1512. & Leonis X. de Anno 1518. item Pii IV. de Anno 1562. concessa Capellæ Einsidlensi divinitus consecratæ, in qua habetur clausula, quòd Indulgentiæ plenariæ à Leone VIII. aliisque Romanis Pontificibus concessæ *sub quibusvis revocationibus, & suspensionibus quarumcunque Indulgentiarum, etiam durante Indulgentia pro fabrica Principis Apostolorum de urbe, & Cruciatâ, concessâ per Sedem Apostolicam quomodolibet, & sub quibuslibet formis, & verborum expressionibus ac clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, factis, ac pro tempore faciendis, nullatenus comprehendi debeant, sed ab illis semper exemptæ existere, dicta authoritate decrevit Pontifex, præsentibus, perpetuis, futuris temporibus duraturis.*

Hæ, inquam, clausulæ non videntur præ- e ponderare clausulis ex Bulla Clementis X. suprà recensitis. Nam clausulæ *derogatoriarum derogatoriæ* satis censentur sublatæ per clausulas subsecutæ Constitutionis: *Etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio ac de verbo ad verbum facienda fuisset*, præsertim accedente etiam clausulâ, *pro expressis*; uti, pluribus Canonistis relatis, tradit Barbosa. Clauſ. 43. *n.*17. Cujusmodi clausulæ, cùm contineantur in Clementis X. Bullâ suspensivâ, videntur satis tollere clausulas *derogatoriarum derogatoriæ* in Bulla Julii II. & Leonis X. positas.

Verùm Barbosa citatus cum Seraphino *De-* f *cis. f*10. mox subjungit sequentem exceptionem: quòd nempe clausulæ derogatoriæ, quando sunt satis prægnantes ad sequentes derogationes, per has sequentes non tollatur præcedens concessio. At hujusmodi videntur contentæ in Bulla Leonis X. & Julii II. cùm Pontifex decernat, ut Indulgentiæ Sacelli Einsidlensis *sub quibusvis suspensionibus quarumcunque Indulgentiarum, sub quibuscunque formis, & expressionibus ac clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis nullatenus comprehensæ, & ab iis semper exemptæ existant.* Quibus verbis continetur clausula prævalens, etiam contra clausulam Clementis X. *Pro expressis.* Item: *Etiamsi de illis specifica & individua mentio esset facienda.* Accedit, quòd etiam durante alia Indulgentia pro fabrica Principis Apostolorum de Urbe, & Cruciata, à quibusvis quomodolibet factis &c. suspensionibus, Indulgentia, Einsidlensis decernatur, exempta, cujusmodi loquendi modus implicat etiam diversas species majores expressis, ut ex Canonistis probat Barbosa. Dict. 110. *n.*6.

g Et verò per suspensionem Indulgentiarum durante Anno Sancto intenditur cultus & honor Principis Apostolorum per personalem ejus liminum visitationem, qui minùs foret frequens, si etiam extra urbem vigerent Indulgentiæ plenariæ. At per Indulgentiam pro fabrica Principis Apostolorum æquè intendebatur honor istius Sancti Principis, qui faciliùs impediri poterat in hisce partibus, dum Indulgentiis pro ejus fabrica durantibus non suspendebantur Einsidlenses Indulgentiæ, cùm ne millesimus quidem, qui intuitu earum Indulgentiarum contribuebat ad eam fabricam, esset durante Anno Sancto ex his partibus Romam profecturus.

h Deinde per Bullam Cruciatam intendebatur vel recuperatio Terræ Sanctæ, vel Ecclesiæ adversus infideles defensio. At finis iste est altioris Ordinis, quàm peregrinationis ad limina SS. Apostolorum faciendæ. Et quia, ad effectum à cruciata intentum, congruebat omnes concurrere fideles, eósque adeò ad id incitari plenariâ Indulgentiâ, majus huic altiori fini impedimentum videri posset in his partibus appositum ex Indulgentia Einsidlensi, quàm ista posset præjudicare visitationi liminum Apostolorum. cùm ne millesimus quidem ad Sacellum Einsidlense pro Indulgentiis plenariis accurrens sit tempore Anni Sancti accessurus sepulchrum Principis Apostolorum, cùm econtra ab omnibus fidelibus per Indulgentias cruciatæ speraretur subsidium pro Bello Sancto.

i Quia igitur Julius II. & Leo X. decreverunt, ut Indulgentiæ Einsidlenses sub nullis suspensionibus, etiam cum expressione Indulgentiarum Bullæ Cruciatæ, & fabricæ Principis Apostolorum, comprehendantur, videtur à majori ad minus, vel saltem à pari argumentando, eas quoque exemptas esse à suspensione pro Anno Sancto, inde vel maximè, tum quòd dictiones illæ ampliativæ aptæ sint includere species expressas etiam majores, tum quòd ratio motiva, propter quam Julius II. & Leo X. noluerunt Einsidlenses Indulgentias sub *quibusvis* suspensionibus comprehendi, fundetur super totius Alemanniæ Christi fidelium ad Sacellum Einsidlense pro animarum suarum salute, concursu. Atqui ob ejusmodi motivum solent Pontifices pro Anno Sancto à suspensione excipere etiam Indulgentias domûs Lauretanæ, nec non, ut mox dicetur, Ecclesiæ Compostellanæ S. Jacobi. Cùm ergo ad causam istam motivam accedant clausulæ tam prægnantes, *à quibusvis suspensionibus, sub quacunque formâ & expressione factis &c. Einsidlenses Indulgentias semper exemptas decernentes*, non videtur ea exceptio coarctanda, quò minus valeat contra suspensionem pro Anno Sancto latam.

Verùm de hoc omnem ambiguitatem tolle k re videntur ea, quæ tradit Castropalaus *d. sp. ac Indulg. & Iubil. Punct.* 12. §. 1. *n.*8. probans à suspensione Generali Indulgentiarum pro Anno Sancto, excipi Indulgentias plenarias, & Jubileum Compostellanum, ex Brevi quodam Sixti V. dato Romæ. 15. Aprilis Anno 1589. in quo Pontifex sic ordinavit: *Declaramus auctoritate Apostolicâ suspensionem per prædictum Gregorium ratione Anni Iubilei factam, à fine dicti Anni expirâsse, & aliquod Indulgentiis vestræ Ecclesiæ juxta formam Concilii Tridentini concessis non generâsse impedimentum; Et propterea Christi fideles eandem Ecclesiam piè & devotè visitantes, illis omnibus perpetuò frui & gaudere potuisse in omnibus, & per omnia, prout anti dictam suspensionem nisi & gavisi fuerant, non obstante suspensione prædictâ.*

Factâ igitur Compostellanæ & Einsidlensis l Indulgentiarum inter se comparatione, apud Castropalaum *loc. cit.* §. 2. videre licet in Bulla Pontificia pro Compostellana Ecclesia non alias contineri clausulas præservativas, quàm quòd ea Indulgentia *ex certa scientia concessa perpetuæ firmitatis robur in perpetuum tenere debeat, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis.* At omnes & singulæ hæ clausulæ cum aliis longè validioribus, specificis etiam clausulis continentur in Bulla Leonis X. & Julii II. Sacello Einsidlensi concessâ; cur ergo non æquè, ac Indulgentiæ Compostellanæ dicenda foret hæc Juliana & Leonina exempta à suspensione Anni Sancti?

Hoc sapientissimum judicium gravissimo- m rum Theologorum Illustrissimi Monasterii *Einsidlensis*, seu *Eremitani* in Helvetia, fuit, mandato Reverendissimi & Illustrissimi D. Domini Augustini Reding de Biberegg S. R. J. Principis & Abbatis Einsidlensis totâ Europa celebrati ob valdè subtiles solidósque sex Tomos in tres Partes S. Thomæ luci datos, ad me die 18. Decembris Anno 1674. transmissum, ab uno veterano ejusdem Principalis & Exempti Cœnobii profundéque docto Theologo, ac mihi familiariter noto, cum literis, quæ

quia continent nonnulla ad resolutionem quæstionis facientia, idcirco earum exemplum hîc repræsento.

Admodum Reverende, &c.

n Mitto Paternitati Vestræ &c. descriptum Theologorum nostrorum arbitrium. Eo perlecto, & bene perpenso, obsecro, & expecto nomine Illustrissimi Principis mei benignum, ac necessarium multis animarum millibus, Romam nunquam visuris, sive suspensæ sint Indulgentiæ nostræ, sive in robore suo permansuræ, responsum. Dignetur autem Paternitas Vestra Admodum Reverenda meminisse.

Inprimis cùm ante hac Juliana Bulla fuisset Illustrissimæ Nunciaturæ exhibita, censum ab ea fuisse, posse nos in bona fide persistere. Deinde, non fuisse ultimo Jubileo Anni Domini quinquagesimo, inscriptionem auream, *(Hic est plenaria remissio omnium peccatorum à pœna & culpa,)* à fronte sanctissimi Sacelli amotam. Insuper esse sacram eremum nostram teste Reverendissimo D. Fornero Proepiscopo Bambergensi, in sua Palma Triumphali cap. *de Virgine Eremitana*, esse, ajo, eremum nostram Germaniæ, quod Lauretum est Italiæ, dignam proinde, ut ejus non minùs durent Indulgentiæ, ac durant Lauretanæ; maximè cùm nostræ Indulgentiæ minùs præjudicioſæ sint fini, & intento sanctissimi Pontificis, quàm sint Lauretanæ. Alia essent etiam plura, quæ ad rem nostram adduci possent, sed ea, cùm videri possint extrinseca potiùs causæ nostræ, quàm intrinseca, &c. prætereo.

Ita literæ, quæ haud immeritò me permoverunt, ut tametsi non ignarus, meum judicium exigit ab illis, à quibus doceri me, corrigique par esset, attamen scripto complexus sim, transmiserimque meum de illa singularissima quæstione animi sensum, hîc repræsentandum, ubi & repræsentavero Breve Apostolicum, quo uno unico nititur tota controversa, & priùs in gratiam gentium exterarum observavero, vocabulum Einsidel esse Teutonicum, sonans prorsus idem, quod *Eremus*, & proinde adjectivum *Einsidlensis*, quo toties usus sum hactenus, & porrò utar, significare idem, quod *Eremitanus*. Est autem Breve Julii editum.

His verbis.

o *Iulius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam Pastoris æterni, qui ut humanum redimeret genus in Ara crucis immolari non abnuit, vices licèt immeriti gerentes in terris, ad id nostri vota cordis desiderantes exponimus, ut quos ipse pretiosissimi sanguinis sui asperſione reconciliare Deo curavit. Nos, quibus illorum regimen, gubernationémque commisit, eos ad salubria, quibus de terrenis immarcessibiles thesauros recondere, nec non patriæ cœlestis possessores effici possint, in reparandis videlicet, & conservandis, ad divini Nominis exaltationem Ecclesiis atque locis, & alia pietatis opera frequenter excitemus. Dudum postquam felicis recordationis Leo Papa VIII. prædecessor noster ex certis causis tunc expressis omnibus Christi fidelibus confessis, & contritis Capellam B. V. Mariæ loci Eremitarum Constantiensis Diœcesis, Provinciæ Moguntin. devotè visitantibus à pœna & culpa per quasdam suas literas inter alia absolverat; piæ memoriæ Nicolaus Papa V. etiam prædecessor noster, per dictum Leonem, & quoscunque alios Romanos Pontifices, & Prædecessores nostros Capellam prædictam, & Ecclesiam Monasterii ejusdem B. V. Mariæ dicti loci, Ordinis S. Benedicti, ubi Altissimus, diversa meritis ipsius Virginis, ut piè credebatur, operari dignabatur miracula, visitantibus concessas Indulgentias, & remissiones authoritate Apostolica, & ex certa scientia confirmans, & approbans Abbati pro tempore existenti, & Conventui dicti Monasterii, à Sacerdotibus ab eis deputandis, ut Christi fidelium ad Ecclesiam & Capellam prædictam pro tempore confluentium Confessiones audire, & eos ab omnibus peccatis, præterquam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, absolvere, & eis pœnitentiam salutarem injungere, ac Eucharistiæ & alia Sacramenta ministrare, & si in iisdem non reservatis casibus pœnitentia publica foret injungenda, illam in aliam pœnitentiam salutarem commutare valerent, & successivè præfato Abbati, pro tempore existenti, ac idoneis per eum pro tempore deputandis Sacerdotibus, quorumcunque peregrinorum ad Capellam seu Ecclesiam hujusmodi in Exaltationis S. Crucis, & quatuordecim sequentibus diebus, quibus Dedicatio dictæ Capellæ (Angelica nuncupata) cum festum Exaltationis S. Crucis hujusmodi in die Dominica occurrit, duntaxat celebrari consuevit, confluentium Confessiones audire, eisque ab omnibus suis peccatis, etiam in singulis dictæ Sedi reservatis casibus, exceptis certis tunc expressis absolutionis beneficium impendere, & pœnitentiam salutarem injungere valerent per diversas suas literas indulsit, prout in singulis literis prædictis plenius continetur. Quare pro parte tam dilectorum filiorum Conradi Abbatis, & Conventûs dicti Monasterii, quàm Oratorum pro parte dictorum filiorum Helvetiorum duodecim Cantonum ad nos, & Sedem prædictam destinatorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut Indulgentiis, remissionibus, & indultis ac literis Leonis & Nicolai prædecessorum hujusmodi pro illarum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, & aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.*

Nos igitur cupientes, & peregrinorum, & alio-

rum Christi fidelium devotio ad Capellam, ad quam ne dum Helvetii, sed etiam totius Alemanniæ Christi fideles singularem gerunt devotionis affectum, & Ecclesiam prædictam ferventiùs invalescat, & animarum earundem saluti fructuosiùs consulatur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, Indulgentias, remissiones & indulta, ac literas hujusmodi cum omnibus in eisdem literis contentis clausulis authoritate prædictâ, & ex certa nostra scientia tenore præsentium approbamus, & illas, quas de novo concedimus perpetuæ firmitatis robur obtinere, & sub quibuscunque formis, & verborum expressionibus, ac clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis factis & pro tempore faciendis, nullatenus comprehendi debere, sed ab illis semper exempta existere, dictâ authoritate decernimus, præsentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationibus, concessionis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Rom. apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1512. 4. Non. Ianuar. Pontificatûs nostri Anno. 10.

Ita Julius II. cuius Rescripto supposito, supposito quoque per remissionem *culpæ & pœnæ*, cujus mentio fit in hac Bullâ, rectè in Epigraphe Sacri Sacelli Eremitani, de qua literæ Patris Theologi Eremitani descriptæ suprà lit. *n.* intelligi *plenariam* remissionem, adeóque Indulgentiam plenariam, conformiter doctrinæ, quam ex nostro Patre Suarez referam primâ Parte sequentis Tractatûs, *n.* 14.

Quæstio Singularissima.

An Indulgentiæ à variis Pontificibus impertitæ Sacratissimæ Ecclesiæ B. Virginis Einsidlensis, seu Eremitanæ in Helvetia, sint munitæ clausulis sufficientibus ad excludendam suspensionem Indulgentiarum factam pro Anno Iubileo. Anni M. DC. LXXV.

p RAtio negandi est, quòd Bulla Jubilei prædicti suspendat, & quidem expressè, omnes Indulgentias, *sub quibuscunque tenoribus, & quibusvis clausulis, & ex quibusvis causis confessas, etiamsi in illis caveatur expressim, quòd sub similibus vel dissimilibus suspensionibus, nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis, & individua mentio fiat.* Atqui in primis dictio *expressim* significat idem, quod *nominatim. Text. in leg.* 98. §. 6. *ff. de solut.* Deinde clausula: *Quicunque* est tam universalis simul & specifica, ut & omnia generatim includat. Barbosa. diction. 317. *n.* 1. & insuper speciatim illa, quorum specifica mentio exigitur. Reinosa. observ. 11. *n.* 12. apud Barbos. *loc. cit.* Ad hæc clausula geminata, sicut geminatur, triplicatur in Bulla suspensiva Clementis X. excludit omnem distinctionem & limitationem. Cravetta referente, Marta *de clausf. part.* 4. *clausf.* 3. *n.* 1. quia scilicet demonstrat enixam voluntatem apponentis eam. Marta *loc. cit. n.* 2. post Rotam & Curtium consil. 66. vehementissimè autem urget clausula: *Quorum omnium tenores, formâ, derogationes &c. præsentibus pro expressis habere volumus.* Etenim hæc clausula habet eandem vim, ac si essent omnia & singula priora privilegia, & gratiæ expressæ in illa ipsa Bulla. Doctores quos refert Marta *part.* 1. *clausf.* 53. & 138. Tiraquellus in legibus *connubialib. Glossa.* 7. *n.* 20. addensans suo more plurimos.

Nihilominus tamen existimo, esse verosimilius, neque Clementis X. neque Innocentii itidem X. aut Urbani, vel Clementis VIII. Bullas consimiles in clausulis suspensivis derogâsse quicquam Einsidlensi seu Eremitanæ. Ratio fundamentalis mea est hæc, quòd certum sit, eas ipsas clausulas præsertim *duas* postremas pati non unam, sed plures exceptiones. Etenim ego in hoc ipso Tract. de Jubileo Quintuplici hoc *cap.* 9. sufficientibus authoritatibus, rationibusque probo, nihil obstantibus omnibus illis, quas pro parte affirmativâ produxi clausulis, persistere Anno Sancto varias Indulgentias & gratias. 1. Basilicarum Urbis Romæ. 2. Domûs Lauretanæ. 3. Bullæ Cruciatæ. 4. Altarium privilegiatorum. 5. Agonizantium. 6. Pro defunctis. 7. Partiales, quibus. 8. Adde ex Palao *Tract.* 3. *disp.* 3. *Punct.* 12. *n.* 8. Indulgentias pro Jubileo Compostellano. 9. Facultates absolvendi à reservatis Papæ non censeri suspensas, nisi quæ & quatenus fuerunt concessæ ratione Indulgentiæ. Doctores, quos ibidem refero. *cap.* 10. Hercle, si has novem Exceptiones non involuit ordinaria Bulla suspensiva tempore Anni Sancti, mirandum non est, si iis addatur decima vel undecima propter causas gravissimas, specialissimas, siquidem de similibus simile est ferendum judicium. *Cap.* 2. *De Transl. Episc.*

Causæ autem gravissimæ & specialissimæ pro incolumitate Indulgentiæ Eremitanæ sunt non una, & ultrà productas à sapientissimis Theologis Einsidlensibus sequentes. Prima; quia sicut Salvator Ædem Lauretanam sacravit sua inhabitatione, ita & Eremitanum Sacellum sua visibili corporali præsentia, quando illam ipsemet consecrare dignatus fuit, sicuti certò

certò conſtat ex Annalibus Eremitanis ad Annum Chriſti Nongenteſimum quadrageſimum octavum; adeò ut ſine periculo erroris in fide negari non poſſe demonſtrârit perquam ſapienter ante ſuam aſſumptionem ad Infulam Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus Auguſtinus Reding, Abbas Princépſque Eremitanus in proprio hac de re ſcripto.

6 Altera cauſa, quòd certum ſit, Illuſtriſſimum D. Nuntium Apoſtolicum N. N. informatum de illius Indulgentiæ publicatione factâ. Anno 1650. poſt Bullam Julii II. de qua paulò pòſt, ſibi exhibitam reſpondiſſe, Patres Eremitanos poſſe perſiſtere in bona fide. Qua non obſtantibus Bullis communibus ſuſpenſivis retinebunt tempore Jubilei Romani, ut retinuerunt Anno M. DC. L. inſcriptionem auream: *Hic eſt plenaria remiſſio omnium peccatorum à pœna & culpa*, in fronte Sanctiſſimi Sacelli poſitam. Quia igitur Nuntii Apoſtolici poſſunt in ſua Provincia omnia, quæ ipſe Papa, exceptis iis, quæ ſibi tanquam Principi ſupremo reſervavit. P. Ernricus Pirhing. *Tom. 1. in jus Canonic. de offic. Legat. n. 4.* quia inſuper iidem Nuntii Apoſtolici æquiparantur Proconſulibus. Idem Pirhing *n. 9. ex cap. 2. de officio. Legati. in 6.* hos autem præditos fuiſſe poteſtate authenticè interpretandi in caſibus particularium locorum, leges ac Diplomata Principum, nemo, ut reor, negârit, idcirco & illa declaratio D. Nuntii Apoſtolici habenda eſt, & pro authentica, & pro tam firma, ac ſi immediatè emanâſſet ex ore Pontificis. Igitur non cenſetur Indulgentia Eremitana peti illis ſuſpenſivis clauſulis, quas produximus, nam & Theologi pro octo vel novem exceptionibus ſuprà relatis allegati negant per ſubſequentes Bullas ſuſpendi re ipſa ullam ex iis Indulgentiis, quas anteceſſores declaraverunt permanere in ſuo vigore, etiam durante Anno Sancto, alioqui fruſtraneæ eſſent, & ridiculæ illæ Declarationes, & Jura Juribus concordanda, non autem evertenda ſunt. cap. *Cùm expediat. De elect. in 6.*

t Tertia & potiſſima ratio deſumitur ex verbis Julii II. in Bulla expedita Ann. Incarnationis Dominicæ M. D. XII. quarto Non. Januar. qua confirmat tum abſolutionem *à pœna & culpa*, id eſt Indulgentiam plenariam. Suarez. *de pœnit. diſp. 50. ſect. 4. n. 10.* tum alias à ſuis prædeceſſoribus conceſſas piè viſitantibus Capellam B. M. V. loci Eremitarum, Ordinis S. Benedicti, confirmat autem cum hiſce clauſulis; ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus quarumcunque Indulgentiarum, etiam durante Indulgentia pro fabrica Principis Apoſtolorum de Urbe & Cruciatæ conceſſæ per Nos & Sedem prædictam quomodolibet, & *ſub quibuſcunque formis, & verborum expreſſionibus, ac clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis factis, ſeu pro tempore faciendis; nullatenus comprehendi debere, ſed ab illis ſemper exempta exiſtere dicta authoritate decernimus præſentibus, perpetuis, futuris temporibus duraturis.*

Ita Julius, circa cuius conſtitutionis verba u obſervo ſequentia. 1. Æquè in iſta atque in ſuſpenſiva Indulgentiæ pro Anno Sancto, Bulla exprimi dictionem *Quibuſlibet*, aliáſque etiam geminatas, adeóque cadere vim rationis in contrarium petitæ ſecundo loco, conſequenter potiùs ſtandum priore Bullâ, quàm poſteriore, quandoquidem in pari cauſa aut dubio eſt potior ratio habenda prioris, quàm poſterioris conſtitutionis *per l. præcipimus Cod. de appell. & cap.* Cùm expediat, *de elect. in 6.* 2. Dictio: *Etiam* eſt eius indolis, ut exprimat caſus maximè dubitabiles, innuens implicitè alios tanquam minus dubitabiles. *Leg. Etiam ff. de verb. ſignif.* atque Doctores cum, & apud Barboſ. Diction. 112. *n. 1.* Quia igitur Julius illam dictionem appoſuit, & præpoſuit clauſulæ: *Durante Indulgentia pro fabrica Principis Apoſtolorum, & Cruciatæ* &c. habuit haſce duas Indulgentias pro magis dubitabilibus utrùm permanentibus & exiſtentibus illis permaneat, & perſiſtat Indulgentia Eremitana; conſequenter voluit minus dubitari, quin durante Anno Sancto duret illa eadem Eremitana. Et verò habuiſſe Julium rationem magis dubitandi de duabus illis, quàm de Jubileo, ſapienter oſtendunt Theologi Einſidlenſes in ſuo conſulto de hac ipſa quæſtione. 3. Dictio: x *Nullatenus*, qua Julius munit adverſus quaſcunque Bullas revocatorias & ſuſpenſivas, ſuam Eremitanam gratiam, non ſolùm excludit quamcunque etiam minimam partem. Gloſſ. in cap. *Nemo poteſt. De reg. Iuris in 6.* atq; alii cum Barboſa. Diction. 226. ſed inſuper omnes caſus & omnem potentiam. Idem *n. 2.* poſt Menoch. Conſil. 182. importátque nullitatem actûs ipſo jure. Idem *n. 4.* poſt Gloſſ. eúmque ita irritat, ut habeat vim latæ ſententiæ. Barboſ. *loc. cit. n. 5. & 6.* poſt Tiraquell. J. C. & Rebellum atque Sayrum Theologos. Certum autem eſt per Bullam Jubilei ſuſpenſivam nec irritari, nec ſuſpendi ullam latam ſententiam, ſiquidem ne verbulo tangitur in Bulla hic caſus, ac proinde omiſſus hic habendus eſt pro omiſſo, relictóque in antiquo Jure, *per Leg. Sed & poſteriores ff. De legibus. & L. Præcipimus. Cod. De Appell.*

Quartò clauſula, qua Julius declaravit ſuo y indulto nullatenus obeſſe debere quaſcunque clauſulas etiam derogatoriarum derogatorias pro tempore faciendas, eſt tam efficax, ut juxta alias prægnantiſſimas, quas hic ponderavimus meritò cenſenda ſit ſervare ſuum robur adverſus Bullas Jubileas; ſiquidem Barboſ. *clauſ. 43. n. 12.* poſt Seraphinum Conſil. 150. abſolutè ſcri-

ſcribit: Clauſulæ derogatoriæ, quando ſunt ſatis prægnantes ad ſequentes derogationes, per has ſequentes non tollitur præcedens Conceſſio. Quæ doctrina, cùm ſit generalis, meritò extenditur etiam ad illas poſteriores derogatorias, quæ conſtant, (ut conſtat Clementina,) illis multùm Emphaticis verbis: *quorum omnium tenores* &c. Equidem Indulgentiæ Cruciatæ, Compoſtellanæ, & Lauretanæ, & aliæ plures non interpolantur occurſu Anni Sancti, tametſi clauſulâ: *Quorum tenores* &c. æquè apertè, (ſi tamen apertè) feriantur atque Eremitana; quem ergo clypeum objicient Patroni illarum Indulgentiarum, eodem aut conſimili contutabitur ſe Eremitana Capella ſacratiſſima, innumeríſque prodigioſis miraculis, (quorum aliquem Catalogum texit in ſua Thaumaturga Einſidlenſi clariſſimus P. Paulus Betſcard ejuſdem Eremi profeſſus,) decorata. Sanè vir graviſſimus D. Fridericus Fornerus Proëpiſcopus Bambergenſis in ſua *Palma Triumphali* capite de *Virgine Eremitana* rotundè teſtatur, eſſe Eremum B. V. in Helvetia Germanis idem, quod Lauretum in Italia.

z Quintò productis in medium accedit authoritas, Theologorum Einſidlenſium, quos ſemper ac præſertim hoc ſeculo, præſtantiſſimos unà cum ſuo Reverendiſſimo capite aluit Eremus, hi autem juſſi ſuam de præſente individuâ controverſiâ ſcripto promere ſententiam, reſponderunt, ne quidem hanc recentiſſimam Bullam Clementis X. derogare quicquam Julianæ, confirmatæ à Leone X. & Paulo IV. Certè cùm ſit turpe viro Patricio errare in proprio Jure, ut pronunciat J. C. nec liceat in rerum ſuarum qualitate errare, *L. quiſquis major. C. De reſcind. vend.* ac proinde non præſumatur aut Patricius in ſuo jure, aut alius in qualitate rei ſuæ decipi, longè potiore jure, præſumuntur illi Theologi ab eruditione, & Religione commendati non falli in intellectu, interpretationéque Indulgentiæ impertitæ ante plus ſeſqui ſæculum ſibi, ſuóque Illuſtriſſimo Monaſterio.

aa Neque hactenus concluſis officit, quòd ſub initium huius reſponſi protuli de ſignificatione dictionis: *Expreſſè*, hæc enim non refertur ad Indulgentias, ſed ad clauſulam: *Derogamus*. Ita tametſi minùs ſapiens ſentio, ſalvo meliori cuiuſque judicio. Conſtantiæ 20. Decembris 1674.

Hactenus meum reſponſum. Quod quia comperi fuiſſe ita probatum tam ipſi eruditiſſimo Principi, quàm toti numeroſiſſimo, doctiſſimo Conventui, ut in uſum & praxin notoriam deduxerint id ipſum reſponſum, patet, quid Anno M. DCC. licitum ſit futurum, ſi Bulla ſuſpenſiva non expreſſerit ſpecificam illius ſacratiſſimi Sacelli mentionem.

CAPVT X.

Aliæ circa Suſpenſionem Indulgentiarum & facultatum quæſtiones expediuntur.

SUMMARIUM.

An ſuſpendantur indulta Indulgentiarum cauſa? 49.
Quandonam incipiat ſuſpenſio Indulgentiarum? 50.
Refutatur quædam Benzonii circa hoc opinio *Ibid.*
Ignorantia ſuſpenſionis officit ignorantibus. 51.
Quandonam deſinat ſuſpenſio juxta bullas recentiores? 51.
Quando juxta antiquiores? Ibid.
Quomodo intelligenda excommunicationis ſententia lata in eos, qui tempore Iubilei prædicant aliquas Indulgentias? 53.
Quomodo reſpectu illorum, qui in uſum demandant alias Indulgentias? 54.
An, quando ſeptennale privilegium viſitantium aliquam Eccleſiam pro obtinenda Indulgentia, deberet ex tenore Brevis inchoari Anno ipſo Iubileo, poſſit initium differri in Annum ſequentem? 55.
Quomodo intelligenda clauſula: citra Annum Jubileum? 55.
Quid de indulgentiis conceſſis pro quindecim Annis, quorum unus cadit in Annum Sanctum? 56.
Quid ſi Breve ita ſonet: Ad proximos ſeptem annos? *Ibid.*
Quid de Indulgentia plenaria, quam obtinent emittentes profeſſionem Religioſam? 57.
Per ingreſſum Religionis obtinetur remiſſio omnium peccatorum. 57.
An Indulgentia plenaria obtingat etiam ingredientibus Novitiatum? 57.

Quæſt. XXVI. *An, & quæ facultates præter Indulgentias ſuſpenduntur tempore Anni Sancti?* 49

RESP. Gregorius XIII. diſertè exprimit, à ſe ſuſpendi omnes facultates, & indulta, quæ Indulgentiarum cauſa fuerunt conceſſa. Urbanus, & cum eo Innocentius X. citatâ Bullâ 2. *lit. b.* ſuſpendit ſolas facultates abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non tamen addit illam limitationem *Indulgentiarum cauſâ*. Nihilominus tamen teſtatur Cardinalis de Lugo *Tom. 3. diſp. 20. n. 145.* Clementem, & Urbanum declaraviſſe, non fuiſſe ſuæ intentionis ſuſpendere, niſi illas facultates, quæ fuerunt aliquibus conceſſæ, in ordine ad lucrandas Indulgentias, ſeu occaſione lucrandarum Indul-

dulgentiarum. Quare qui habent aliunde, & independenter ab Indulgentiis potestatè absolvendi à reservatis, possunt eà liberrimè uti, etiam dum agitur Annus Sanctus. Consentit Laymannus *Lib.5.tr.7.c.8.n.4.* Palaus *Tr.* 24. §. 1. *n.* 9. Tannerus *Tom.4. disp.6. q.* 8. *n.* 112. qui pluribus hoc probat, & *n.* 110. rectè cum Emman. Sa. verb. *Indulgentia n.* 11. præmiserat, per Bullam non suspendi vel Indulgentias, vel facultates ullas, quas Episcopus concessit, sed tantùm, quas Pontifex, aut eius Legatus, nam Bulla *lit.b.* id clarè indicat.

Doctrinam, quàm de permanentia potestatis in Reservata, atque Vota expressi, probavit quidem apud nos praxis indubitata, nihilominus tamen habeo in manibus exemplum duplicis epistolæ, ex Pœnitentiaria Romana datum, paulò antequam emanaret Notificatio in præcedenti capite proposita, in quorum una extant hæc verba: *Suspensæ sunt omnes gratiæ etiam ordinariæ*, (si pro defunctis & vivis in articulo mortis excipiamus) *ita ut nec pœnitentiariis mutandi vota concedatur facultas.* In altera verò hæc: In *Conventu nuper habito coram Cardinale Vicario conclusum fuit, facultatem absolvendi à reservatis & commutandi vota esse solùm penes Pœnitentiarios, & multos Parochos, ut facultas Regularium sit suspensa.* Verùm quia Decretum illius Conventûs nec publicatum est, nec obligat totam Ecclesiam, haud immeritò nos in Germania secuti sumus illam opinionem, & explicationem Cardinalis de Lugo; & singulariter quoad votorum commutationem, tum, quia S. D. N. in sua Bulla suspensiva non facit mentionem *votorum*, etsi faciat casuum *reservatorum*, tum quia postmodum impertiit utramque illam potestatem in suo Notificativo. Quare nisi superveniat alia declaratio authentica, poterunt Confessarii Ordinum Mendicantium Anno M.DCC. absque scrupulo redigere in praxin utramque illam potestatem.

50 Quæst. XXVII. *Quando incipit suspensio prædictorum?*

RESP. Sicuti generatio physica unius est corruptio alterius, Aristot. *Lib.1.de gener. text.* 20. ita Jubilei ortus est interitus cæterarum superiùs enumeratarum Indulgentiarum, & facultatum. Et quia Jubileus incipit ad initium primarum vesperarum Vigiliæ Nativitatis Domini, idcirco etiam ad initium vesperarum eiusdem diei desinunt valere cæteræ Indulgentiæ. Nec credo Benzonio *Lib.4.cap.8.dub.* 6. in prima editione docenti, suspensionem Indulgentiarum incipere, habereque suum effectum, quàm primùm emanavit Bulla suspensiva; nam Clemens, Urbanus, & Innocentius, profitentur à se illas suspendi *durante Anno Iubileo*; Annus autem Jubileus non dùrat, quando nondum est, atqui nondum est tunc, quando publicatur Bulla suspensiva, quia Clemens suam publicavit 29. Maji, Urbanus verò suam die 17. itidem Maji, & Innocentius 13. itidem Maji: unde desumo secundum argumentum contra Benzonium, quia ex ejus sententia sequitur, Indulgentias Clementis, Urbani, & Innocentii fuisse, & esse suspensas plùs quàm per sesqui annum; fuisse quoque reos excommunicationis, qui, dum hæc, pro prima Editione, scribebam, (scribebam autem mense Julio Ann. 1649.) publicabant Indulgentias plenarias.

Porrò etsi verum est, revocationem Indul- 51
gentiarum nil obesse illis, qui invincibiliter eam ignorant, id tamen non habet locum in ignorantibus suspensionem, de qua agimus, quia & Innocentius *lit. n.* ita definit; & licèt non definiisset, haberet tamen hic locum cap. *Ignorantia.* de Reg. juris in *6. Ignorantia facti, non juris excusat.* Est autem ignorantia suspensionis, ignorantia juris notissimi. E diverso siquis ignorans, restitutas esse Indulgentias, quæ fuerant suspensæ, peragat præscripta ad eas lucri faciendas, lucrifaciet, quia ad Indulgentiam comparandam necesse non est scire, quòd extet jus nanciscendi illam. Lugo *n.* 80. Layman. *c.6. n.* 5. cum multis contra Rodriquez.

Quæst. XXVIII. *Quando desinit suspensio, seu* 52
quando incipiunt iterum valere Indulgentiæ, per Bullam Iubilei suspensæ?

RESP. I. Sicut unius corruptio physica est alterius generatio. Arist. *Lib. 1. de generatione text.* 20. ita Jubilei desitio est secundùm Bullam Clementis, Urbani, & Innocentii inceptio, & resuscitatio suspensarum Indulgentiarum: quia hi Pontifices non suspendunt, nisi durante Jubileo. *lit.m.* atqui *n.* 17. ex Filliucio retuli, Jubileum desinere finitis Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini, ergo statim, postquam fuerunt in nostra Germania finitæ vesperæ illius diei, inceperunt valere omnes priores Indulgentiæ.

II. Siederetur Bulla similis Gregorianæ, & Sixtinæ, tunc non revalescerent, ex vi illius, Indulgentiæ, statim post transactum Jubileum; nam illi Pontifices eas suspenderunt ad arbitrium suum, & Sedis Apostolicæ; quare non potuerunt redintegrari, nisi novo consensu Pontificis. Ita Navarrus *Not.* 28. *n.* 31. cum Tannero *n.* 111. testaturque Navarrus *not.* 33. *n.* 7. ita declarâsse ipsum Gregorium XIII. Addit tamen *cit. not* 28. *n.* 31. videri Pontificem eiusmodi phrasi utentem consentire, ut statim post exactum Jubileum reviviscant suspensæ Indulgentiæ; at *cit. n.* 7. se corrigit ob contrariam Gregorii XIII. declarationem, quam ipsi postmodum intimavit Datarius eiusdem Pontificis; & hanc postremam Navarri sententiam tenent Benzonius *l.* 4. *c.*8. *dub.6.*

Zerola

Zerola *ad* 3. etsi à Tannero citetur Henriquez in oppositum, & Palaus §. 1. *n.* 14. dicat constare ex praxi, illud arbitrium & beneplacitum Gregorii XIII. non se extendere ultra Annum Sanctum.

53 Quæst. XXIX. *Pontifices citati feriunt excommunicatione illos, qui durante Iubileo prædicant, annuntiant, aut in usum demandant alias Indulgentias præter Indulgentiam Iubilei; quo sensu est intelligenda hæc excommunicationis sententia?*

RESP. Eo sensu est hæc sententia excommunicationis intelligenda, ut ii soli, & omnes hanc pœnam ultra peccatum mortale incurrant, qui conscii huius pœnæ, audent tamen præter Indulgentiam Jubilei acquirendam Romæ, alias plenarias pro vivis non constitutis in articulo mortis, extra Romam prædicare, annuntiare, vel in usum demandare. Itaque non petit hæc censura eos, qui vel sunt ignari dictæ excommunicationis; (nullam enim censuram reipsa incurri, nisi à conscìis illius, communissima, verissimáque opinio est;) vel conscii quidem, attamen prædicant, annuntiant, in usum demandant illas Indulgentias Partiales, aut Plenarias, quas ex probabili opinione dixi superiore capite non esse suspensas; & nominatim de Partialibus notat Peyrinis *Tom.* 1. *fol.* 154. illas quæ Ecclesiis Minimorum concessæ sunt, posse non obstante quavis prohibitione, liberè & licitè prædicari, propter expressam concessionem Leonis X. factam in Bulla, quam ipse refert *fol.* 152. & 153. Idem generatim de Partialibus, stante etiam Bulla Clementis VIII. quæ, ut dixi, est eadem cum Innocentii, tradit Benzonius. *cit. cap.* 8. *dub.* 7. Et confirmo datam responsionem inde, quòd jura juribus concordare debeamus, quoad possumus. DD. communiter ex Cap. *Cùm expediat.* De elect. *in* 6. & ex *L.* 11. ac 12. *ff. De Legibus.* Ergo has Bullas debemus concordare cum antiquis juribus, statuentibus pœnas in prædicatores Indulgentiarum: atqui in Clementina *Religiosi. De Privilegiis* jubentur plecti illi soli, qui prædicant Indulgentias *Indiscretas*, Indulgentiæ autem, quas prudentes viri censent esse validas, non sunt indiscretæ, ut satis insinuat Silvester V. *Indulgentia*, in fine. Corduba *q.* 41. Sa. *n.* 15. Hanc doctrinam indicat Navarrus *Not.* 33. *n.* 6. Lezana *n.* 5. & alii teste Sanctarello *c.* 5. *dub.* 7.

54 *At, quid intelligunt Pontifices per illam phrasin:* Qui in usum demandaverint?

RESP. Non videntur designare eos, qui tempore Jubilei præcisè conantur lucrari Indulgentias per Bullam suspensas, sed illos solos, qui alios inducunt ad ejusmodi conatum; plus enim non significat, *in usum demandare.* Quare malè quidem ageret, qui requisita ad lucrandas Indulgentias plenarias Quinque Sanctorum, Congregationis Rosarii, Annunciatæ &c. perficeret cum intentione eas omnes lucrifaciendi; attamen excommunicationem non incurreret. Ita censuerunt Viri docti, à me super hoc dubio consulti.

His addo, à Concilio Tridentino *sess.* 21. *de reform. c.* 9. decerni quidem, ut impositorum publicentur Indulgentiæ per Ordinarios, adhibitis duobus de Capitulo; sed in primis hoc decretum non loquitur de Indulgentiis jam usu receptis, ut ex declaratione Congregationis observat Peyrinis *Tom.* 1. *fol.* 154. Sicut nec loquitur de Indulgentiis, quas Papa alicui Superiori concedit pro suis subditis; Peyrinis *ibidem.* Deinde etiam quoad alias Indulgentias, non est in his Germaniæ partibus receptum hoc Tridentini decretum. Nec mirum, quia unus Germaniæ Episcopatus superat amplitudine quatuor aut quinque Italicos, & propterea ad nostros Reverendissimos & Illustrissimos Ordinarios non patet nobis tam facilis accessus, quàm Italis ad suos. Alias circa publicationem Indulgentiarum praxes observandas refert Gavantus in Manuali Episcopor. V. *Indulgentia.* Ex diversis Conciliis Mediolanensibus.

Hisce ad primum typum jam paratis, rogatus sum per literas, meam de duabus, quas mox subjicio, quæstionibus sententiam; ad quas etiam eo modo, qui sequitur, respondi.

Quæst. XXX. *S. D. N. Die* 24. *Maji huius* 55
currentis Anni 1649. *omnibus Christi fidelibus pœnitentibus &c. qui die S. Sebastiani Ecclesiam Parochialem Urbis Landspergensis, Augustanæ Diœcesis visitârint, Indulgentiam plenariam impertiit addendo*: præsentibus ad septennium citra Annum Jubilei, tantùm valituris: *quæritur, cùm prædicta Indulgentia primum suum effectum Festo S. Sebastiani* 20. *Ianuarii Anno* 1650. *sortiri deberet, impediatur verò per Annum Iubileum, an non septennium hoc, Anno* 1651. *inchoandum videatur?*

RESP. I. Certum est, non posse moraliter, seu quoad acquisitionem ipsius Indulgentiæ inchoari Anno proximè sequente; tum propter generalem doctrinam de suspensione Indulgentiarum; tum quia sua Sanctitas in verbis allatis disertè excludit Annum Jubileum.

II. Verosimilius videtur, prædictum septennium tam arithmeticè & materialiter, quàm moraliter, & quoad acquisitionem ipsius Indulgentiæ, adeóque integrè & adæquatè inchoari posse Anno 1651. & proinde finiri Anno 1658. Ratio est 1. quia alioqui S. D. N. gratia non valeret, nisi ad sex Annos, cùm tamen Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, & verba sint propriè intelligenda, & gratia In-

dulgentiarum sit latè interpretanda; & denique semper curandum sit, ut dispositio, præsertim favorabilis, potiùs integre valeat quàm ut ex parte pereat Argum. Leg. *Quoties* 2. ff. De *rebus dub.* 2. Quia nec verbis Brevium, nec rationi, nec, ut puto, stylo Curiæ repugnat, quò minùs generatim loquendo, usus Indulgentiarum ad 7. aut plures Annos impertitarum inchoëtur, saltem rationabili ex causa, biennio, postquam in Cancellaria Apostolica expeditum est Breve, quo conceditur Indulgentia, ergo neque repugnat in præsenti casu, cùm præsertim adsit peculiaris causa & ratio.

III. Quia licèt particula *citra* quæ in Brevi S. D. N. ponitur, possit ita intelligi, ut præcisè significet Indulgentiam per prædictum Breve datam, non posse obtineri Anno Jubileo, longè tamen rectiùs ea particula accipitur hìc pro *extra*, quasi dicas, favorem septem Annis integris, nil obstante, adeóque non computato inter illos septem Annos, Anno Jubileo. Nam prior illa explicatio est nimis rudis. Cur enim 24. Maji moneat Pontifex, illam Indulgentiam non valituram in Anno Jubileo, cùm die 13. ejusdem mensis publicârit Bullam suspensivam Indulgentiarum omnium? At posterior explicatio est dignior, & per eam salvantur generalia illa pronunciata, quæ in prima ratione attuli: propter quæ pronunciata existimo, Indulgentiam pro Communione Generali, quam ad 15. Annos, quinto Februarii hujus ipsius Anni confirmavit sua Sanctitas, valituram 15. Annis post exactum Jubileum, si fortè non viguit hoc Anno currente usus illius gratiæ, durante videlicet adhuc beneficio ab hinc 15. Annis impertito. Idem censeo de omnibus Indulgentiis hoc ipso Anno ad certos Annos impertitis.

56 Et addo, videri mihi verosimile, quòd Indulgentiæ ad 15. Annos e. g. concessæ, & jam per aliquot ab hinc Annos practicatæ, per interventum Anni Jubilei non patiantur ullam in numero Annorum imminutionem, sed solius discontinuationis, seu interruptionis incommodum; nam id persuadent tum Generalia pronunciata, quæ suprà attuli; tum illa ratio, quòd odia sint restringenda, adeóque verbum *suspendendi* ita sit intelligendum, ut quando Pontifex dicit: suspendimus Anno Jubileo omnes Indulgentias, sit iste præcisè sensus: nolumus Anno Jubileo cuiquam prodesse Indulgentias, ut explicat ipse Pontifex in Bulla *lit. m.* ergo non debet hoc verbum extendi ad extinctionem unius ex Annis priùs disertè concessis. Aliud rationabiliter dici posset casu, quo Breve ita sonaret: Concedimus Indulgentias ad *proximos* 7. 15. 20. Annos; Nam *rò proximum* designat formaliter initium, & consequenter finem ejusmodi Indulgentiæ. Vide tamen de his plura Tr. seq. *Cap.* 36. *Part.* 2. singulariter *n.* 663.

Quæst. XXXI. *Indulgentia ingredientibus* 57
aliquam Religionem obvenire solita, suspenditurne in Anno Iubileo?

Ratio dubitandi, quâ is, qui hanc quæstionem mihi proposuit, movetur, est fortè hæc, quòd sicut *in Generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset concessurus.* Reg. 81. *in* 6. ita etiam in Generali prohibitione, adeóque suspensione non veniant eæ Indulgentiæ, quas Pontifex non esset in specie suspensurus; atqui non esset in specie suspensurus illam, de qua instituitur præsens quæstio, tum quia ejus acquisitio nil videtur officere fini, ob quem suspenduntur Indulgentiæ, ut patet repetenti dicta superiùs; tum quia prædicta Indulgentia est omnino speciali notâ digna, & majori longè jure, quàm ullæ aliæ, conceditur.

RESP. Etsi hæc ratio meritò movere potest Pontificem, ut rogatus à Religionum Generalibus, dispensèt in sua Bulla circa emittentes sua vota Religiosa; non audeo tamen sine auctore negare, quia verbis S. D. N. adeò specialibus, simul & Generalibus comprehendatur reipsa suspensio memoratæ Indulgentiæ.

Ad rationem in oppositum, negandum est assumptum, ad cujus primam, (etenim secundæ consequentia neganda est) probationem respondeo inprimis, respectu ingredientium Religionem non omnino cessare finem suspensionis, nam possent ii differre ingressum, & Romam proficisci. Deinde licèt respectu eorum cesset finis, videtur tamen ex Communi sensu Doctorum constare, quòd velit (& potest utique velle) Pontifex, ut nihilominus Lex suspensiva valeat respectu illorum.

Magno tamen his ipsis solatio esse debet id, quod S. Thomas 2. 2. *q.* 189. *a.* 3. *ad* 3. docet, & probat, videlicet rationabiliter credi, quòd per ingressum Religionis consequatur quis (abstrahendo ab Indulgentia) remissionem omnium peccatorum. Quæ doctrina valet utique etiam in Anno Sancto. Porrò censet Rodriq. *Tom.* 2. *qq. regul. q.* 88. *a.* 1. Indulgentiam plenariam promissam ingredientibus Religionem, obtingere non tantùm iis, qui vota Religionis substantialia emittunt, sed etiam, qui Novitiatum ingrediuntur.

CA-

CAPVT XI.

De Conditionibus operum pro Iubileo præscriptorum.

SUMMARIUM.

Ad obtinendam Indulgentiam Iubilei non est opus, ut omnia opera exerceantur in statu gratiæ. 58.
Attamen saltem ultimum opus debet fieri in statu gratiæ. 59.
An ut ita honestè fiant, ut per ea quis mereatur aliquid apud Deum? 60.
Debent omnia fieri integre. 61.
Quid si omittatur pars non notabilis? Ibid.
Quid si perficiantur per alium? 62.
Explicatur Regula: Qui facit per alium &c. *Ibid.*
Quando sint perficienda opera Iubilei? 63.
Factum cujusdam Vicarii Generalis, qui Iubilei tempus arctavit intra unam hebdomadam. 63.
An Diœcesani non potuerint extra illam hebdomadem lucrari Iubileum? 63.
Episcopus nequit injungere plura opera, quàm exigat Bulla Iubilei. Ibid.
Nominantur Iubilea, quæ durârunt ultra duas hebdomadas. Ibid.
Quid intelligatur per mensem, quando datur Iubileum pro uno, aut pluribus mensibus? Ibid.
Quot diebus constare debeant hebdomadæ, quando conceditur Iubileum pro duabus hebdomadis? Ibid.
Nominantur Episcopi Constantienses, qui diversimode computârunt hebdomadas. Ibid.
Illæ duæ hebdomadæ sunt designandæ ab Episcopis. 64.
Quid si quis opera perficiat ante designationem factam ab Episcopo? Ibid.
Quid si ignorans factam designationem perficiat opera post tempus præfixum? 65.
Quinam intelligantur nomine Ordinariorum, per quos facienda definitio hebdomadarum, & Ecclesiarum? 66.
An etiam omnes Prælati Ordinum exemptorum? 66.
An & Prælati non Exempti? Ibid.
Quinam sint illi Prælati Ecclesiarum, quibus sit mandatum, vel facultas publicandi Bullas Iubileas? 67.
An etiam non exempti Abbates? Ibid.
An Parochi? ibid.
An Prælati Religiosi licitè indicant suis subditis Iubilea citiùs, quàm Episcopus suis Diœcesanis? Ibid.
Mortaliter peccant Ordinarii non statim promulgantes Iubileum. 68.
Non tamen idcirco perit jus Iubilei. 69.
Discrimen inter clausulas, quarum una præcipit aliquid Ordinariis, alia aliquid volentibus mereri Iubileum. 70.
Episcopi Germani differunt publicationem, donec accipiant Romæ, vel à Nuncio Apostolico diploma. 70.
Iubileum potest inchoari quovis die hebdomadæ. 71.
Notatur aliquid speciale pro Parochis circa Iubilea, quæ adferuntur paulò ante Dominicam Palmarum. 71.
Refertur Doctrina Pacis Iordani tangens nonnulla ex dictis. Ibid.
Interpretatio Voculæ: Illico : Statim : nullâ interpositâ morâ. *Ibid.*
Stylus curiæ Constantienses circa opera intra unam hebdomadam facienda. 72.
Sunt exequenda diebus præscriptis. 73.
Quid si interceßit oblivio, vel ignorantia? 74.
An obeunda eo ordine, quem servat litera Bullæ? Ibid.
An opera jam aliunde debita validè obeantur pro Iubileo? 75.

Quæst. XXXII. *Quænam de honestate,* 58
gritate, & causa efficiente operum præscriptorum observanda videntur?

RESP. Ea, quæ Doctores verosimiliùs exigunt ad lucrifaciendas alias Indulgentias; quamquam nonnulla eorum peculiarem difficultatem continent respectu Jubilei. Ea laconicè indicabo, accuratiore disquisitione in alium locum dilatâ.

I. Itaque licèt sit tutior opinio Comitoli Resp. moral. lib. 1. quæst. 27. cum Layman *Lib.* 5. *Tr.* 7. *c.* 6. *n.* 2. & aliis, rati, ut quis Indulgentiam Jubilei (nam de eo nominatim agit) integre acquirat, necesse esse, omnia opera præscripta fieri in statu gratiæ, eò quòd per opera in statu peccati mortalis facta, non possint impetrari ea bona, quæ Summus Pontifex intendit largiendo Jubileum; opposita tamen sententia Suarii *Tom.* 4. *Disp.* 52. *sect.* 2. *n.* 7. Dianæ *Part.* 5. *Tract.* 12. *resol.* 4. pluriúmque aliorum existimantium sufficere, si ultimum opus fiat in gratia, est probabilior; tum quia non est necesse, ut omnia opera præscripta dirigantur ad impetrandum id, quod intendit Pontifex; tum quia etiam per bona opera in statu peccati facta potest aliquid impetrari. S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *a.* 6. tum denique quia actualis acquisitio Indulgentiæ provenit ex satisfactione Christi, & Sanctorum, Extrav. *Vnigenitus.* De pœnitent. & remiss. non autem ex operantis dignitate, aut meritis. S. Thom. *in* 4. *Dist.* 20. *a.* 3. *quæst.* 2. Imò quando ultimum opus habet continuationem, sicuti habet e. g. oratio, sufficit, modò quis sit in gratia, dum ultimam partem talis operis exequitur, ut notat Suarez *Ibid.*

II. Non tantùm sufficit, sed etiam requiri- 59

tur ad Indulgentiam Jubilei, ut saltem ultimum opus fiat in gratia. S. Thom. *a. 5. q. 1.* cum cæteris omnibus. Ratio est, quia Indulgentia est relaxatio pœnæ. Extrav. *Vnigenitus*: Pœna autem non relaxatur, nec dimittitur, nisi remissâ culpâ. S. Thomas *Ibid.* cum omnibus; *quia peccati venia non datur nisi correcto.* Regula *5. in 6.* non remittitur autem culpa illi, qui non est in statu gratiæ, nam: *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Joann. 3. addit tamen rectè Suarez *loc. cit. sect.* 3. ad alios favores Jubilei obtinendos per se non requiri statũ gratiæ.

III. Si totum ultimum opus pro Jubileo fiat in statu peccati mortalis, probabilior est opinio Coninck *Tom. 2. in 3. p. disp.* 12. *dub.* 7. aliorúmque plurium contra Dianam *Part. 5. Tr.* 12. *resol.* 4. & Granadum ab ipso citatum, non reviviscere Indulgentiam, obice remoto, seu primo tempore, quo homo deponet onus peccati mortalis: nec enim habemus sufficiens fundamentum credendi, eam esse Summi Pontificis intentionem.

60 IV. Probabilius censent Suarez *Tom. 4. in 3. Part. disp.* 52. *sect.* 6. Lugo de Pœnit. *disp.* 27. *n.* 89. aliique plures contra Comitolum *cit. quæst.* 27. non esse ad Indulgentiam Jubilei obtinendam opus, ut opera præscripta ita honestè fiant, ut per illa quis mereatur apud Deum; sed posse per illa etiam cum peccato veniali, & ex peccato veniali facta acquiri Indulgentiam. Ratio est, quia talia opera manent nihilominus honesta, ratione objecti. Dat Cardinalis de Lugo exemplum de jejunio, & visitatione Ecclesiæ. Excipio hinc Orationem, perpetuis voluntariis distractionibus implicitam, ut iterum dicam *n.* 124.

61 V. Debent omnia opera ita integrè adimpleri, ut si quod illorum ex ignorantia, oblivione, impotentia, negligentiáve penitus omittatur, non obtineatur quidquam de Jubileo. Ratio est, quia offertur Jubileum sub conditione implendi omnia S. Thom. *in 4. dist.* 20. *q.* 3. atqui non existente conditione non consequitur illud, quod sub conditione datur. S. Thom. *Ibid.* & conditionalis, non impleta conditione, nil ponit in esse. DD. communiter. Excipe tum illum, cum quo fit commutatio operis, tum illum, qui nequit dare eleemosynam, juxta dicenda suo loco.

Imò debent ita integrè impleri, ut si aliqua pars notabilis omittatur, nil obtineatur de Jubileo Suar. *disp.* 52. *sect.* 5. *n.* 5. post alios. Ratio est, quia concessio est unica, & quasi indivisibilis sub tali determinata conditione, ergo qui non implet totum, sed omittit partem notabilem, non implet conditionem. Hæc autem doctrina locum habet tum in jejunio, quando interdiu notabile aliquid comedit, tum in eleemosyna, quando Bulla Jubilei præcipiente dari eleemosynam, *secundùm cuiusq; facultates*, aliquis notabiliter minus dat, quàm secundùm facultates dare deberet, tum denique fortè in Processione, quando quis notabilem ejus partem omittit; nisi forsan postmodum visitet Ecclesias præscriptas: Censet autem Suar. *loc. cit.* qui ex præscriptis pro Indulgentia quinque Pater & Ave, omittit unum, omittere partem notabilem. Addit esse dubium, an omittens minimum quid, non excidat Jubileo. Sed rectè concludit, etiam hîc parum pro nihilo reputari. Vide plura *Tr. seq. c.* 17.

VI. Opera in Jubileo præscripta, debet is 62 ipse, qui lucraturus est Jubileum, perficere, & non per alium. Navarr. *Not.* 22. *n.* 2. loquens nominatim de Jubileo, cum aliis communiter. Ratio est, quia non est à proprietate verborum recedendum. L. *Non aliter* ff. De Leg. 2. Atqui propriè non jejunat, orat, confitetur, communicat, visitat Ecclesias, qui per alium hæc facit. Unde non obstat Reg. 76. in 6. *Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum,* nam hæc Regula habet locum duntaxat in iis actionibus, ad quas nec personæ industria electa est, nec à lege aut voluntate Superioris introductum est, ut res non per alium, sed per se ipsum expediatur. Henricus Canisius *in Reg.* 68. Quare Benzonius *dub.* 21. meritò rejicit Joannem de Anania aliud de visitatione Ecclesiarum pronunciantem.

Excipe illum, qui per famulum dat eleemosynam, quia etiam tunc censetur moraliter, & propriè dare. Suar. *d.* 52. *sect.* 7. rectè monens, etsi ille famulus sit in statu peccati mortalis, nil tamen præjudicare juri acquirendæ Indulgentiæ.

Quæst. XXXIII. *Quamlonam sint peragenda* 63 *opera pro Iubileo, & an Iubileum periclitetur, si Prælati non indicant suo tempore.*

RESP. I. Omnia opera perficienda sunt intra tempus præscriptum, id est, intra spatium Anni Sancti, si ejus Indulgentia sit obtinenda. Intra duas hebdomades, si acquirenda Indulgentia Jubilei extra Annum Sanctum; quia communiter pro isto conceduntur duæ tantùm hebdomadæ.

Dicò in primis, concedi duas hebdomadas. Nec enim legi Bullam, quæ Jubileum alliget breviori tempori, Legi autem diploma, quo D. Jacobus N. à Sede Apostolica constitutus Vicarius Generalis Episcopatûs Ratisbonensis publicavit Anno 1591. Jubileum eodem Anno concessum à Gregorio XIV. sub initium sui Pontificatûs. Publicavit autem

Hac insolitâ formâ.

Ad faciendum se idoneum, aut participem nominatæ Indulgentiæ, designamus hebdomadem inter Dominicam Judica, & Palmarum, *id est à* 31. *seu ultimo die mensis Martii usque ad septimum Aprilis hujus currentis Anni* 1591. *qua hebdomade omnia superiùs expressa, & ad hanc*

hanc Indulgentiarum gratiam comparandam requisita opera debent in hoc toto Episcopatu peragi, Sacram autem Communionem volumus peractâ interim confessione obire in hac Vrbe Ratisbona, Dominicâ Palmarum, feriâ V. in Cœna Domini, & Dominicâ Resurrectionis &c.

Quæritur nunc, utrùm si quis Diœcesanorum distulisset vel omnia, vel aliqua ex præscriptis operibus, quæ in Bulla Gregorii erant 1. Triplex jejunium, 2. Visitatio Ecclesiæ, vel Ecclesiarum designatarum, & Oratio in eis. 3. Eleemosyna pro beneplacito. 4. Confessio. 5. Communio &c. *Quæritur, inquam, an talis fuisset nihilominus futurus particeps gratiæ Iubilæi?*

Respondeo autem affirmativè; quia Gregorius expressè, sicuti & alii Pontifices, permittit cuilibet fideli duas, pro commoditate sua hebdomadas, nec uno verbulo innuit, se facere potestatem Ordinariis arctandi illam libertatem; quia igitur generatim loquendo nequit inferior tollere, aut minuere favores, & privilegia concessa ab eius Superiore præsertim alicui Comunitati, argum. Cap. *Cùm inferior. De major. & obed.* ideo non possunt Episcopi arctare limites temporis positos à Summo Pontifice.

Unde etiam suprà negavimus, ex communi posse ab Episcopo injungi pro lucrando Jubileo opera plura, quàm Papa postulaverit. Et quamvis idem Vicarius, sicut & plures Episcopi, declarârit, omnia opera esse obeunda intra unam hebdomadem, non autem dividenda, hæc tamen declaratio non tollit probabilitatem sententiæ opinantium, posse dividi; quandoquidem authentica declaratio legis, aut gratiæ non potest proficisci, nisi à Legislatore ipso, vel ejus successore, Superiorève, nam unde jus procedit, inde & interpretatio procedere debet. Text. *Cap. Inter. De sent. excomm.* Sed neque impedit, quò minùs revera obtineatur Indulgentia ab iis, qui non stant tali declaratione. Nolim tamen fugillare factum ejusmodi Vicarii, tum ob alias causas, tum quia testatur in actu signato, se maturo consilio ita ordinâsse.

Dixi deinde superiore responsione: *communiter* tantùm concedi duas hebdomades; at non dixi *semper*; siquidem & Jubileum Anni Sancti, & Compostellanum durat toto Anno; & præterea Urbanus VIII. impertiit unum, quod tres menses: Innocentius X. aliud, quod duos: Clemens VIII. & Alexander VII. quod unum tenuit mensem.

At quid nomine mensis intelligitur? An triginta & unus dies, si in Martio? An 30. *si in Aprili? An* 29. *si in Anno bissextili, aut solùm* 28. *si Anno Communi in Februario, horumque primo, octavo, duodecimo diebus inchoëtur?*

Resp. Primò, si inchoëtur primo die alicujus mensis, posse totum assumi, quia favores præsertim rectissimè intelligimus juxta Communem sensum, adeóque triginta unum dies, si primo Martii, triginta, si primo Aprilis.

Secundò, si inchoëtur post primam diem mensis, possunt assumi tot, ut juncti diebus præcedentis efficiant 30. dies, etenim mensis appellatione, ubi absolutè fit de illo mentio, intelliguntur 30. dies. Tuschus verb. *Mensis* & Barbosa *De Appellat. eodem verb.*

Tertiò, si inchoëtur primo die unius è mensibus brevioribus, ut e. g. in Februario, videtur esse circumscribendum illo numero dierum, quibus constat talis mensis, etenim, quando Lex, aut Statutum concedens mensem, disponit à quo tempore incipere debeat, accipitur mensis prout occurrit in Calendario. Tuschus, & Barbosa *loc. cit.* &c. atqui Pontifices solent disponere, ut designentur menses proximi post receptam Bullam. Unde Jubileo pro duobus mensibus concesso Anno 1651. assignavit modernus Reverendissimus, & Illustrissimus Episcopus Constantiensis Franciscus Joannes à primo Augusti ad ultimum Septembris; Urbanus verò VIII. pro trium mensium, concesso die 18. Martii Anno 1642. assignavit initium à die datæ, sicut Alexander etiam à die datæ constituit initium unius mensis, dedit autem illud die 21. Julii, Anno 1656.

Dixi tertiò superiùs: *duas hebdomadas*: sed *quot diebus debent, aut possunt utiliter constare illæ duæ hebdomadæ?* Certò quatuordecim vel quindecim, quia temere divinaremus plus, aut minus, loquendo generatim. Et quidem P. Laymannus Germanus *Lib. 5 Tr. 7. c. 8. n. 7.* testatur esse receptum more Germanicarum Ecclesiarum, ut quindecim dies permittantur, totidem permittendos esse scribit P. Palaus Hispanus *Part. 4. Tr. 24. §. 3. n. 3.* totidem Cotonius Italus, Controv. *Lib. 2. controv. 12. n. 16. & 17.* At Cardinalis de Lugo, Bonacina aliique plures Hispani, & Itali aiunt, esse peculiariter permissum, ut Confessio, & Communio peragantur tertia Dominica indicti Jubilei. Ego tametsi non recordor, fuisse minùs quàm quindecim assignatos illis duarum hebdomadarum viginti Jubileis, quibus intra Annos 56. fruitus sum in diversis Episcopatibus, ex quo per Dei misericordiam gesto vestem Religiosam, scio tamen, Andream Cardinalem de Austria Episcopum Constant. non modo expressisse Anno 1595. opera Jubilei, quod Anno præcedente dederat Clemens VIII. esse perficienda intra quatuordecim dies, sed insuper Anno 1597. ordinâsse, ut aliud Jubileum ejusdem Clementis inchoaretur à Dominica die decimo septimo Augusti *inclusivè* ad Dominicam (trigesimum primum) ejusdem mensis *exclusivè*. Jacobus Fuggerus eius successor

ceſſor Anno 1606. nominavit primam, & ſecundam hebdomadem à ſeptimo Auguſti ad vigeſimum eiuſdem *inclusivè*, qui quidem dies ſeptimus incidebat in diem Lunæ, ut ipſemet exprimit. Item Joannes Comes Truckſeſſius etiam Conſtantienſis Antiſtes Anno 1631. & 1636. pro remotis ab Urbe Conſtantia nominat quatuordecim dies, pro Conſtantienſibus ipſis, & vicinis à Dominica ſexageſimæ ad Dominicam *Invocavit inclusivè* intelligendo per illos quatuordecim dies more Germanico duas hebdomades, per duas autem hebdomades quindecim dies naturales, juxta Laymannum *cit. cap. 8. n. 7. in fine*. cur enim remotis conceſſiſſet minùs temporis, quàm vicinis? Idem Antiſtes aſſignavit Anno 1648. *hebdomadem à Sancto die Pentecoſtes, & immediatè ſequentem; id eſt incipiendo à primis Veſperis Sancti dicti Pentecoſtes, & rurſum uſque ad veſperas ſecundæ Dominicæ poſt Pentecoſten.* Verùm idem ipſe Epiſcopus Fugger Anno 1608. abſolutè ſtatuit primam, & ſecundam hebdomadem Adventûs: Anno 1617. utramque hebdomadem inter Transfigurationem Domini, & D. Bernardi feſta, id eſt, à VI. ad XX. *inclusivè* ut ſe ipſum explicat. Qui jam Annis viginti octo Pedum Conſtantienſe tenet Reverendiſſimus, & Celſiſſimus Princeps Franciſcus Joannes de Praſberg, utens etiam illâ clauſulâ: *duas hebdomades inter, &c.* conſtanter, & apertè determinat quindecim dies, ut videre eſt in diplomatibus Annorum 1672. 1670. 1667. 1664. 1661. & aliis anterioribus. Hanc rationem indicendi Jubilei tutò ſequentur, ut arbitror, alii Antiſtites, veluti jam ſaltem Communem, nec ignoratam ipſiſmet Nunciis Apoſtolicis, utpote degentibus in locis in quibus eſt planè notorius hic ſtylus.

64 II. Illæ duæ hebdomadæ, intra quas perficienda ſunt opera præſcripta, deſignari debent *ab Epiſcopis, Eccleſiarum Prælatis, Ordinariis locorum, eorumve Vicariis, vel iis deficientibus, ab aliis, qui curam animarum exercent*, ita enim ſtatuunt communiter Bullæ, & nominatim tertia Innocentii, §. *Cæteris verò*, & §. *Quapropter*. Et ſentio cum Navarro, multiſque gravibus Doctoribus apud Filliucium *Tract. 8. num. 267.* itémque cum Cardinale de Lugo *num. 127.* eum non potiri Jubileo, qui incipit opera præſcripta facere ante tempus ab uno eorum, quos nominavi, deſignatum. Ratio eſt, quia verba Bullarum omnino videntur hanc conditionem executioni operum, atque adeò conſecutioni Jubilei adjicere, nam Bulla tertia *lit. m.* uti & alii ajunt: *qui jejunaverit alterâ ex duabus hebdomadis ab Epiſcopis, &c. deſignatis.* Atqui non obtinetur Jubileum niſi ſervatis conditionibus, ſub quibus offertur, ut jam ſæpe dixi, & dicam. Nihilominus ſentio cùm Filliucio *l. c.* & aliis, poſſe oppoſitum ſecurè in praxi obſervari ex cauſa, quia mens Pontificis non eſt omnino clara pro doctrina, quam attuli.

Addit quoque, ſed minùs probabiliter, judice de Lugo, *n. 119.* Diana *P. 3. Tr. 4. reſ. 151.* & Cotonio *Lib. 2. Controv. 12. n. 17.* cum Bottonio & Lezana *n. 19.* ſi tempore, quo Jubileum in tua patria promulgatum fuit, ex ignorantia invincibili illius, non habuiſti eius notitiam, poſſe te illud lucrari infra dies 15. à die notitiæ, ſicut etiam ſi Jubilei notitiam habuiſti, primùm ſecunda die Veneris, &c. quamvis in hoc ſecundo caſu poſſit utique confeſſarius commutare jejunia. 65

Per Ordinarios locorum, quibus mandatur à Pontificibus ſummis, ut Proceſſiones indicant, duas hebdomades, ad viſitandas Eccleſias deſignent, non intelligi directè Parochos patet ex praxi, nec enim conſueverunt aliquid ejuſmodi attentare, niſi poſt mandatum Epiſcopale, eſto crebrò fiat, & tranſumptum Bullæ Epiſcopalis aliunde acquirant, priuſquam à ſuo Ordinario quidquam accipiant. Unde non modò ſolent Epiſcopi mandare Parochis, ut inchoënt Jubileum ſaltem duabus hebdomadis, poſtquam acquirent patentes Epiſcopales, ſed inſuper Joannes Epiſcopus, de quo ſuprà *n. 63.* in ſuis diplomatis Annorum 1628. 1629. 1632. expreſſit, *ſe permittere*, ut à Parochis nominentur duæ hebdomadæ, &c. Igitur per illos Ordinarios locorum intelliguntur tum ipſi Epiſcopi, tum etiam omnes Prælati exempti, obtinentes juriſdictionem Epiſcopalem in utroque foro, etiam reſpectu ſæcularium, hi enim ſunt verè & propriè Ordinarii illius diſtrictûs, reſpectu cuius potiuntur illa juriſdictione, ut manifeſtum eſt ex iis, quæ de talium Prælatorum prærogativis deſcripſi ex Diez. Tomo priore *Tr. 7. caſ. 2. n. 47.* quibus alia addit tum Lezana *Ibid.* relatus in fine, tum Antonius Cotonius celebr. contr. *Lib. 3. Contr. 6. c. 5. n. 3. & ſeqq.* Imò eâdem clauſulâ involvuntur directè, etſi ſolùm implicitè, omnes Abbates, atque ſuperiores locales Ordinum Religioſorum, exemptorum, hi quippe omnes accenſendi ſunt verè, & propriè dictis Prælatis, ut videbimus paulò poſt; ergo & habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Suarez. *Tom. 4. de rel. lib. 2. c. 1. n. 6.* Pellizarius in Manu. Reg. *Tr. 7. c. 1. n. 6.* liquétque ex Bulla B. Pii V. quæ incipit: *Romani Pontificis*, eſtque apud Rodriquez in Bullario decima tertia, cùm utique polleant ordinaria poteſtate fori interni, & etiam externi ſaltem reſpectu ſuorum ſubditorum Religioſorum. Et quia P. Thomas Sanchez *Lib. 3. De matrim. diſp. 29 n. 5.* abſolutè ſcribit, omnes ordinariam juriſdictionem habentes intelligi, quoties in aliquo fit mentio ordinarii, niſi ſubjecta materia aliud poſcat; 66

poſcat; ideo omnes ſuperiores locales, ſeu qui alicui toti loco præſunt cum poteſtate ordinaria, comprehenduntur in hoc Jubilei articulo nomine Ordinarii locorum.

At quinam ſunt illi Prælati Eccleſiarum, quibus Summi Pontifices præcipere ſolent in virtute S. obedientiæ, ut publicent, vel publicare faciant ſine retardatione Bullas Iubileas?

67 Reſp. 1. *Intelliguntur* omnes, & ſoli propriè, ſtrictè dicti Prælati, hi enim omnes ſunt verè Prælati *Eccleſiarum*. Ille autem omnis, & ſolus dicitur propriè & ſtrictè Prælatus, qui habet juriſdictionem fori interni, ſimul & externi. Silveſter verb. *Prælatus* fuſè, & ex inſtituto; addens, Parochum eſſe ideo Prælatum duntaxat latè, & largo modo, quòd ſit prædituſ juriſdictione ſolius interni fori; conjunctionem autem huius utriuſque poteſtatis appellat Suarez *loc. cit. n. 6.* juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.

2. Itaque per Prælatos Eccleſiarum deſignantur in Bullis Jubileorum omnes Prælati ſæculares, & Regulares exempti, ſimúlque potientes juriſdictione Epiſcopali in ſubditos etiam ſæculares; hi quippe propriè & rigidè ſunt Prælati Eccleſiarum ſibi ſubjectarum. Diez, Lezana, Cotonius, ſuprà relati.

3. Comprehenduntur tum Archipreſbyteri, & Archidiaconi, hi quippe ſunt Ordinarii judices. Pax Jordanus *Volum. 3. c. 50. n. 461. Lib. 13. Tit. 3. num. 117.* & nos infrà occaſione caſûs, qui contigit. Tum omnes Prælati etiam locales Ordinum Medicantium; hos quippe eſſe verè, propriè, in rigore Prælatos, atque potiri juriſdictione utriuſque fori erga ſuos ſubditos Religioſos demonſtrat ex inſtituto Suarez De Relig. *Tom. 4. Lib. 26. cap. 1. n. 8.*

4. Probabile quoque eſt, deſignari etiam Abbates & Superiores locales Monaſteriorum, etiam non exemptorum; tum quia P. Emmanuel Sa. *verb. Indulgentia n. 12.* rotundè, & illimitatè ſic ſcribit: *Iubileum Religioſis etiam promulgare poteſt eorum Prælatus*, tum quia Aſcanius Tamb. *De jure Abbat. Tom. 1. quæſt. 3.* affirmat, ac probat generatim, Abbates, eſſe verè & propriè Eccleſiæ Prælatos.

5. Non veniunt illo nomine Parochi, ut demonſtrat aperta praxis, quia ſcilicet ſunt ſolùm latè Prælati ſuæ Eccleſiæ Parochialis. Silveſter, & Suarez ſuprà.

At *quinam ſunt illi quicunque Ordinarii locorum*, de quibus loquuntur Bullæ in §§. in quibus agunt de publicatione? *Sùnne illi ſoli, & omnes, quos eædem Bullæ exprimunt in §§. in quibus tractant materiam deſignationis hebdomadarum, & Eccleſiarum, & de quibus nos ſuprà locuti ſumus?* Ratio dubitandi eſt, quia ſi intelliguntur illi ſoli, tum clauſula: *quibuſcunque ordinariis* erit ſuperflua in illo ſecundo §. quandoquidem in eodem §. jam ſunt enumerati, & ſpecificati omnes, quos in §. 1. deſignari diximus paulò ſuperiùs; ſi autem non intelliguntur ii ſoli, tum deſignantur Parochi omnes, eſt autem alienum à praxi & Communi judicio aſſerere, quòd Parochis immediatè, & directè demandent Pontifices publicationem ſuorum Jubileorum: hoc enim jus demandandi vendicant ſibi Epiſcopi, & puniretur utique, qui auderet id factitare ſuopte nutu.

Reſp. Nomine *quorumcunque Ordinariorum loci* venire ſolos, & omnes pollentes juriſdictione ordinaria fori interni, & externi; allata enim de Parochis ratio convincit, eos non tangi directè, & per ſe, quia ſcil. habent juriſdictionem quidem ordinariam in Parochianos, ſed ſolùm quo ad forum internum, non quò ad externum, ſicuti ex communi docui Tomo priore *Tr. 4. n. 49.* Nec ideo eſt ſuperflua illa clauſula, ſiquidem uno verbo includit illos, qui pluribus indicabantur antecedenter. Nec eſt inſolens quid enumerationi partium, aut ſubjectorum immediatè ſubnectere, aut præmittere nomen generale hæc, & illas confuſè ſignificans.

Ex quibus infero, in primis videri poſſe, non peccaturos Prælatos Religioſos, præſertim exemptos, ſi ex cauſa rationabili, ac clara ſcandalum indicant ſuis ſubditis Religioſis Jubileum unà, aut pluribus hebdomadis citiùs, quàm Epiſcopus Diœceſanus, id quippe voluit Emmanuel Sa ſuprà relatus, faventque rationes productæ. Adhuc remotiores erunt à ſpecie peccati, ſi itidem pro ſuis Religioſis deſignent, itidem ex rationabili cauſa & citra ſcandalum aliam Eccleſiam, quàm Parochus deſignârit pro Parochianis. Hoc certum eſt ex Bullis, ſi quo caſu fiat, ut ſuperioribus Religioſis non communicetur mediatè, vel immediatè ab Epiſcopo Bulla, aut Parochus differat ex oſcitantia publicationem, poſſe à prælatis Religioſis fieri illam publicationem, & aſſignationem. Nolim autem extra ejuſmodi caſum, aliámve per gravem atque extraordinariam cauſam uſurpari alterutrum ex juribus in hoc diſcurſu explicatis. Equidem ego illis viginti Jubileis, quibus me gaviſum fuiſſe in Societate dixi ſuperiùs, non memini fuiſſe unquâ à noſtris ſuperioribus factam ullam temporis, vel Eccleſiarum deſignationem, niſi ex norma Epiſcopalis publicationis. Et verò conſueverunt Domini Epiſcopi in Rubrica ſuorum Diplomatum Jubileorum affari, nominaréq; ipſos ſuperiores Religioſorum Ordinum etiam exemptorum (exprimendo perſæpe clauſulam: *Etiam exemptis*) in fine autem diplomatum generatim edicere, ſe omnibus ſuprà nominatis mandare, ut publicent ſuis ovibus Bullam Pontificiam, aut extractum illius: nonnulli tamen verbo *mandandi* jungunt verbum *intimandi*:

notificandi ; modernus Constantiensis, consuevit iis uti verbis, quibus nullus summè Exemptorum Ordinum possit ullo modo offendi, testantur id diplomata superiùs indicata.

Infero deinde, Parochos non posse, nisi in casu, quo deficiunt Ordinarii, aut annunciare Jubileum, aut nominare hebdomadas, vel Ecclesias. Ostendi, enim suprà, eos non designari directè verbis relatis, vel ad publicationem, vel ad alia.

68 IV. Quandoquidem Pontifices solent in virtute obedientiæ mandare Episcopis, &c. ut cùm Jubilei literarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, *statim absq; ulla mora*, retardatione vel impedimento per suas Ecclesias: &c. publicari, processionésque indici faciant, ut cum aliis loquitur Innocentius Bulla tertia *lit. bb. cc. dd.* & Sixtus V. *const.* 1. apud Cherubinum (ex cuius mente locuti videntur posteriores Pontifices) disertè imperat, inchoari Jubileum primâ vel secundâ immediatè hebdomadâ, post habitam notitiam Jubilei, idcirco existimo, mortaliter peccaturum Ordinarium, aut Parochum, qui ex negligentia diutius differret indictionem Jubilei; nam videtur materia esse satis gravis.

At quæres: *An tunc nihilominus valeat Iubileum, atque adeò an obtineri possit quarta, vel quinta hebdomada post habitam notitiam?*

69 Respondeo, rem esse dubiam, & proinde hinc confirmari id quod dixi de peccato Ordinarii, differentis sine gravi causâ publicationem, nihilominus mihi videtur, valiturum etiam tunc Jubileum, adeóque obtentum iri ab iis, qui illâ quartâ, vel quintâ hebdomade perficerent opera præscripta. Ducor, tum quia Bulla tertia *lit. m.* absolutè promittit Indulgentiam iis, qui jejunaverint, &c. *altera ex duabus hebdomadis ab Episcopis, &c. designandis*; tum quia Bullæ nusquam indicant, illam properatam Jubilei publicationem esse conditionem necessariam ad lucrandum Jubileum.

Nec obest, quòd eadem Bulla *lit. k.* dicat: qui interfuerit processioni *primâ vel secundâ hebdomadâ* indicendæ; nam ea verba plùs non indicant, quàm quòd delinquant Ordinarii, si absque rationabili causa non indicant processionem primâ, vel secundâ hebdomada ab habita notitia, & ita indicant, ut prima processio (si quidem plures habeantur) instituatur primâ, vel secundâ hebdomadâ, postquam habuerint notitiam authenticam Jubilei, altera autem processio instituatur secundâ vel tertiâ hebdomadâ.

70 Unde obiter noto discrimen inter ea, quæ Bullæ Jubileæ præcipiunt Ordinariis, & ea, quæ volentibus lucrari Jubileum. Priora illa habent rationem solius mandati, posteriora rationem conditionis sine qua non. Priora illa non ingrediuntur rationem quasi contractûs: *Do ut facias*, qui inter Summum Pontificem, & Christi fideles intercedit, sed tantùm extrinsecè habent se ad illum; at posteriora sunt pars substantialis ejusdem contractûs; unde fit, ut si horum aliquid omittatur, non obtineatur Jubileum, obtineri autem queat, etsi Ordinarii non fungantur ritè officio suo.

Etsi autem Sixtus V. voluit suum Jubileum promulgari etiam post *privatam* illius notitiam, id tamen non observatur in Episcopatibus Germaniæ, sed nostri Reverendissimi & Illustrissimi Domini Ordinarii exspectant, donec ex Urbe, vel ab Illustriss. Dominis Nuntiis accipiant transumpta Bullæ Pontificiæ; nec sunt reprehendendi, quia agunt conformiter Bullis modernis, quæ expressè loquuntur de transumptis, etiam *impressis*, ut paulò antè memini.

V. Possunt verò Ordinarii duas Jubilei hebdomadas curare inchoari quocunque die septimanæ, prout occursus festorum, aut alia prudens ratio suggesserit; nam Bullæ nil hîc determinant, quamvis utique conveniat, ita inchoare illas hebdomadas, ut prima incipiat à festo, & secunda, adeóque XIV. vel XV. Jubilei dies desinat in festo.

Quamquam si Episcopale diploma perve- 71
niat ad manus Parochi pridie S. Josephi, e. g. Aut Annunciationis, occurrántque hæc festa in feria tertia v. g. post *Iudica*, & Dominicam Palmarum, providè aget ille bonus pastor, si auspicetur Jubilei celebrationem (nisi Ordinarius expressè aliud statuisset) alrerutro ex his festis, ne videl. Parochiani cogantur jejunare hebdomade prima, & secunda post Dominicam Resurrectionis. Aget quoque consultissimè, si adeptus tale diploma post meridiem Dominicæ *Iudica*, aut Palmarum, publicet illud tempore Vesperarum, aut Catechismi, móxque auspicetur exemplo Episcopi Truckssessii, de quo suprà *n.* 63. Ratio horum est, quia, ut dixi, Pontifex concedit absolutè duas hebdomadas, tam parùm determinando diem hebdomadæ, qua debeant inchoari, quàm parùm determinat diem mensis, quando publicat Jubileum unius, duorum, aut trium mensium. Unde *n.* 63. retuli fuisse ab Episcopo Fuggero datum Jubileo initium ipsâ feriâ secundâ, cum qua tamen nullum festum fori occurrebat. Adde, quòd navigantes, & itinerantes domum reversi validè, ac licitè ordiantur quovis die hebdomadæ ab ipsis electæ opera præscripta, quid ni ergo Parochus, & communitas intra duas Dominicas? Hactenus dicta partim confirmat, partim magis declarat sapientissimus Episcopus D. Pax Jordanus *Elucubration. Vol.* 1. *Lib.* 5. *tit.* 16. *n.* 69. & 70. sequen-

sequentibus verbis: Ad Episcopi Officium præterea pertinet, Pontificias Indulgentias, tempore Jubilei, ingressus ad Papatum, sive alias ad opem divinam implorandam, concedi solitas, ut quàm primùm ad illorum notitiam, & manus pervenerint, suæ civitati, & Diœcesi statim, nullâque interpositâ morâ, publicari facere; neque occasione messis, vindemiarum, vel alterius cujuscunque occupationis, & impedimenti ad aliud tempus differre, etiamsi publica populorum commoditas aliud expoſceret, & obnixis precibus ad differendum requireretur: eò quòd in Brevibus talium concessionum ejusmodi clausula soleat apponi: *quapropter, tenore præsentium, in virtute Sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, &c. Vt cùm primùm literarum transumpta, aut exemplaria, etiam impressa, acceperint, illa statim, absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, civitates, oppida, terras, & loca publicent, ac publicari faciant, &c.* Quæ quidem verba, sunt adeò præcisa, & geminata, ut nulla possit cadere dubitatio, quin talis fuerit Papæ intentio, ut non differatur publicatio. Imò ex verbis illis: *per suas Ecclesias, Diœceses, civitates, oppida, terras, &c.* similiter manifestè apparet, eodem tempore publicationem esse faciendam, pro civitate, & Diœcesi: non autem, ut alicubi factum memini, elapso tempore civitatis, publicare pro Diœcesi, hoc enim directè censetur contrà intentionem Papæ, Verbis suprà dictis expressam. Caveant igitur omnes, ad quos spectat publicare, ne differant, neve separent civitatem à Diœcesi, quoad præfatam publicationem, alioquin non excusabuntur à mortali, quia Papa præcipit illis, in virtute Sanctæ obedientiæ.

Quod verò dicitur, *illico, statim, nullâ interpositâ morâ*, publicationem esse faciendam, &c. moraliter, & civili modo intelligendum est; nimirum, ut non differatur ad tempus magis commodum, vel opportunum; sed prima die festiva, seu aliàs frequentiâ populi aptâ, publicetur. v. g. si infrà hebdomadam advenerit Indulgentia, ad proximam diem Dominicam, vel aliàs festivam, publicatio poterit, imò debebit differri propter populi frequentiam; non autem ea die, & hora publicanda, qua perlata est. Hactenus Pax Jordanus, cujus judicio non se conformant omnes Antistites Theutonici.

Certè Jubileum, quod mense Decembri Anno 1672. perlatum est in Germaniam, publicârunt in Quadragesima Reverendissimi, Salisburgensis, Frisinganus, Basileensis. At Constantiensis ipso Decembri dicti Anni 1672.

VI. Probabilior est opinio Dianæ *Part.* 5. 72
Tr. 12. *resol.* 12. Præpositi, & Naldi, quos ipse citat, itémque Laym. *Lib.* 5. *Tr.* 7. *c.* 8. *n.* 10. Bonacinæ de *Sacramentis disp.* 6. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 24. & Palai *Tr.* 24. *Punct.* 12. §. 3. *n.* 19. quòd non sit opus, omnia opera præscripta facere intra unam è duabus hebdomadis assignatis. Nam Bullæ, quas legi, hanc conditionem non exigunt à Romanis, ut patet vel ex Bulla tertia *lit. c.* & ex utraque Clementis X. imò satis clarè iis permittunt, ut alia hebdomade visitent Ecclesias, aliâ jejunent, atqui dispositio pro Romanis, utpote primis in hoc genere, est norma cæterorum. Adde, quòd testetur Naldus apud Dianam, sic respondisse Patres Sanctæ Pœnitentiariæ, & denique Bonacina *loc. cit.* commodè respondet ad ea, quæ huic opinioni objici possent. Nihilominus opposita sententia Henriq. *c.* 11. *n.* 2. Sanctarelli *c.* 7. *d.* 1. & aliorum est utique tutior. Tum vel maximè si loquamur de tribus jejuniis juxta dicenda *num.* 222. tum etiam pro aliis operibus. Quam tutiorem sententiam sectantes Reverendiss. DD. Episcopi Constantienses, Joannes, & Franciscus Joannes, non semel directè, atque formaliter in suis diplomatis, & nominatim Annis 1670. & 1672. expressêrunt, omnia opera esse intra unam hebdomadam exequenda, etiam quando Communioni non præfigebatur ullus dies cum respectu ad hebdomadem jejuniorum. Idem expressisset Cotonius *Celebr. Controvers. l.* 2. *c.* 12. *n.* 13. si interrogatus fuisset; etenim est cum Cardinale de Lugo *cit. disp.* 27. *n.* 105. rigidus circà conjunctionem omnium omnino operum. Nihilominus tamen quando Episcopi in suis diplomatibus declarant, omnia opera esse intra unam, eandémque hebdomadam peragenda, etsi sua declaratione non auferant veram probabilitatem oppositæ sententiæ, attamen indiscretè agunt Confessarii talium locorum, si sine aliqua necessitate dicant absolutè pœnitentibus, posse illa separari. Cùm enim Episcopi sint terrestres Dii, ut loquar cum S. Clemente *Constit. Apostol. lib.* 2. *c.* 30. oportet eorum authoritatem tueri, quoad fieri potest, sicut utique hîc potest.

VII. Non modò sunt omnia opera intra 73
præscriptas duas hebdomades perficienda, sed etiam iis ipsis diebus, quibus mandantur. Doctores communiter cum Navarro *De Orat. Miscell.* 58. Reginaldo *Lib.* 7. *n.* 84. Sanctarello *De Iubil. cap.* 7. *dub.* 1. Et patebit magis ex dicendis de visitatione Ecclesiarum, Communione, & jejuniis. Ratio est, quia opus perficiendum est juxta formam in concessione Indulgentiæ præscriptam. Nec obest Commune Axioma: Nil refert, quid de æquipollentibus fiat. *Lib. fin. ff. Mandati*; nam huic axiomati non est locus in dispositione conditionali, & aliis,

aliis, in quibus aliquid pro forma traditur, vel ratio diversitatis aliud suadet.

74 Excipiunt tamen hinc tres citati auctores cum Rodriq. & Henriq. illum, qui ex oblivione, inadvertentiâ, ignorantiâ orationem non persolvisset, nec eleemosynam erogasset ante ultimum diem Jubilei, si enim ultimo die Jubilei faciat majorem elemosynam, aut longiorem precationem, quàm prioribus diebus tenebatur, lucrabitur secundùm hos Doctores Jubileum, eò quòd hic locum habeat recepta Glossa *Lex. Tolle pactum.* §. Fine. ff. *De pactis*, quæ ait: *Pro tacitè statuto habendum est id, quod verosimiliter statutum fuisset, si à statuente quæsitum fuisset.* Nam si Papa de hoc casu interrogaretur, quando Bullam Jubilei condit, ita pro sua summa æquitate & pietate responderet. Sed utique deest huic præsumptioni, & piæ interpretationi certitudo.

VIII. Sicuti opera sunt perficienda iis diebus, quibus mandatur; ita etiam eodem ordine, quo mandatur, propter paritatem rationis. Vix tamen unquam præscribitur certus ordo operum inter se, nisi quandoque in Confessione, & Communione, ut dicam suis locis. Quare Communiter nil interest, utrum præscriptorum operum alteri præponas. Hinc observat Layman. *Lib. 5. Tract. 7. cap. 8. n. 7.* etsi in Bulla ponantur hæc verba: *Qui visitaverint Ecclesias, jejunaverint, elecmosynas dederint, &c.* non tamen indicare, quòd eo ordine opera perficienda sint, quo describuntur, idque probat exemplis utriusque Juris.

75 Quæst. XXXIV. *Qualia opera sint pro Iubileo suscipienda? an aliunde jam debita?*

RESP. I. Sicuti generatim longè probabilior est opinio docentium, ad Indulgentiam obtinendam, nil per se loquendo referre, utrùm opera, quæ pro ea obtinenda perficiuntur, suscipiantur spontè, an ex alia obligatione voti, pœnitentiæ, charitatis, fidelitatis, justitiæ, ita etiam sentiendum est de operibus pro Indulgentia Jubilei imperatis. Unde videmus, jejunia Jubileorum sæpissime celebrari in ipsa Urbe Roma, vel in quadragesima, vel in quatuor temporibus Adventus: Layman. *cap. 8. num. 13.* & Lugo *disp. 27. num. 110.* qui oppositam Sylvestri & Rosellæ opinionem meritò falsam vocat.

II. Si indeterminatè præscribatur Ecclesiarum visitatio, oratio, & eleemosyna, sufficit semel visitare, orare, eleemosynam facere, idque quandocunque, etiam die Dominico, ante vel post Communionem. Bossius apud Dianam *In Sum. V. Iubileum. num. 5.*

Sed de his singulis agam infrà suis locis.

CAPUT XII.

De Intentione, & reliquis Conditionibus operum præscriptorum.

SUMMARIUM.

Exhibentur septem modi, qui directè, vel indirectè concernunt intentionem, qua sunt obeunda opera Iubilei. 76.
Opus debet perfici ad præscriptam intentionem. 77.
Ea debet præcedere executionem operis. Ibid.
Quis modus intentionis sit extra controversiam sufficiens pro obtinendo Iubileo? 78.
Quid si quis nihil sciat de Iubileo, nullámque intentionem præfigat operi suo? 79.
Quid si etiam ignarus intentionis præfixæ à Papa dicat: se velle omnia perficere necessaria obtinendo Iubileo? 80.
Videtur talis non satisfacere. Ibid.
Probatur duplici ratione. Ibid.
Probatur & Authoritate. 81. & 82.
Quid si rursum ignarus præfixæ intentionis, attamen generatim dicat, se velle facere opera ad intentionem præfixam fortè à Pontifice? 83.
Quid si oblitus intentionis, quam audivit prælegi, dicat: se facere ad intentionem, quam oblæus est? 84.
An opera sint dirigenda ad quatuor fines intentos à Papa? 85.
Quid si his adjungas aliam? Ibid.
Quænam conditiones requirantur ex parte illius, qui lucraturus est Iubileum? 86.

Quæst. XXXV, *Quandoquidem Pontifices tam pro Iubileo, quàm pro aliis Indulgentiis jubent orari, aliúdve pium opus peragi ad unam, aut plures determinatas intentiones, quomodò oportet illas intentiones exprimere?*

PRiusquam ad hanc obviam quidè, à nullo tamen, quantum quidem scio, ex professo propositam, ventilatámque, vix ab uno alterove obiter tactam quæstionem respondeam,

Suppono I. Fieri posse, ut quis in prædicto casu se habeat uno horum septem modorum. 1. Ita, ut faciat quidem opus præscriptum, sed non cogitet de ulla Indulgentia lucranda, nec sciat quidquam de ulla intentione præscripta. 2. Ita, ut nil sciat de intentione præfixa à Pontifice, faciat tamen opus injunctum, cum animo lucrandi Indulgentiam, si quam fortè lucrari potest, & expressè dicat: *volo & cupio facere omnia, quæ & quatenus sunt necessaria ad lucrandam hanc Indulgentiam, si quæ fortè obtineri potest.* 3. Ita, ut nil quidem audiverit de certa intentione præscripta à Pontifice, dicat tamen: *Istud opus offero ad intentionem Pontificis,*

ficis, siquam fortè præfixit. 4. Ita, ut tantùm in genere audierit, esse à Pontifice præscriptam intentionem, & proinde dicat: *Domine Deus, istud opus tibi offero ad intentionem à Pontifice determinatam, quæcunque illa sit.* 5. Ita, ut in specie audierit intentionem injunctam, & tunc quidem non cogitârit lucrari Indulgentiam, postea tamen opus pro Indulgentia designatum perfecerit, immemor intentionis, dicens tamen expressè, se illud opus offerre ad intentionem Summi Pontificis. 6. Ita, ut, quando audivit nominari intentionem, statuerit facere necessaria ad Indulgentiam, & ex vi hujus propositi faciat opus præscriptum, immemor quidem intentionis, dicens tamen expressè, velle se illud opus perficere ad intentionem præscriptam. 7. Denique, ita, ut, dum se accingit ad opus jamjam faciendum, sit probè memor totius intentionis, dicátque, se velle ad illam dirigi opus, quod præstiturus est, sive interim in decursu operis recordetur actu intentionis, sive non recordetur actu. Hi sunt 7. præcipui modi, quibus solent se homines habere in proposito casu, & qui in plures adhuc alios subdividi possunt.

77 Suppono II. Quando Bulla, aut Breve proponit Indulgentiam, præscribendo operi aliquam intentionem, haud dubiè necesse esse, ut id opus fiat ad præscriptam intentionem, ut cum aliis docet Lugo *disp. 27. n. 85.* Ratio est, quia opus est implendum secundùm formam specificam. Graffius *n. 15.* & alii passim; forma autem specifica in moralibus, maximè desumitur à fine.

Suppono III. Intentionem, in prædicto casu faciendam, fieri debere, antequam opus præscriptum finiatur. argum. Communis doctrinæ, quæ tradi solet in materia de intentione necessaria ad applicationem Sacrificii; sicut enim illa debet fieri ante consecrationem, vel, ut placet Cardin. de Lugo, ante consumptionem specierum. ita etiam applicatio operis ad intentionem à Pontifice præfixam fieri debet, antequam opus integre finiatur. Vide dicta *Tom. 1.* seu in Experientiis *Tract. 3. n. 168.*

78 Suppono IV. Dubitari non posse, quin ultimus ex enumeratis modis sit omnino sufficiens, ad lucrandum Indulgentiam, si nil aliud desit; nam de eo, qui sequitur hunc ultimum modum, propriissimè dici potest, illum orâsse, v. g. ad specialem Pontificis intentionem, esto in decursu orationis, aut operis præscripti, non ampliùs cogitârit; nam tunc propriè adest virtualis intentio, quam in Sacramentis, & Sacrificio Missæ, aliisque operibus admittunt passim Theologi, quamque explicavi Tomo præced. *Tr. 5. n. 64.* Ita quando intendens lucrari Indulgentiam Communionis Generalis e. g. & memor trium intentionum, quæ pro illa præscribuntur, dicis: *Hæc quinque Pater & Ave orabo pro tribus intentionibus, à Pontifice summo ordinatis*, fis utique compos Indulgentiæ, si ores, quod te oraturum dixisti, esto dum oras, nulla tibi occurrat prædictarum intentionum cogitatio.

Suppono V. Similiter dubitari non posse, quin singuli ex reliquis modis sint, sufficientes ad lucrandum Indulgentiam, si Pontifex velit esse sufficientes, & aliunde nil desit; nam tota res pendet ab ejus voluntate, ordinationéque. Quare hic solùm quæritur, utrùm sit verosimile, Pontificem, in casu, quem posuimus, & qui quotidianus est, esse contentum singulis ex prioribus sex modis indicatis?

Et quidem ad primum modum quod attinet, nego, cum illo posse obtineri Indulgentiam, de qua loquimur. Ratio est, quia sequendo eum modum, non oratur ad intentionem Summi Pontificis; atqui non obtinetur Indulgentia, quando non oratur ad præfixam intentionem, ut paulò antè ostendi, & confirmo tam pro hac, quàm pro aliis materiis, & operibus præscriptis; tum quia *Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur.* Reg. 85. *De Reg. Iuris in 6.* concessio autem Indulgentiæ, est quidam quasi contractus innominatus; *Do, ut facias*, tum quia, ficati datum ob causam, causâ non secutâ, obnoxium est restitutioni, uti Doctores communiter in materia De Restitutione: ita etiam promissum & oblatum ob causam, causâ & conditione non secutâ, nec purificatâ, accipi non potest; sequendo autem hunc modum non purificatur conditio, quia revera opus non perficitur ad intentionem præscriptam. Vide Axioma suprà *n. 41.* relatum ex S. Thoma. 77

Alter modus accedit quidem propiùs ad mentem, voluntatémque Pontificis, quàm prior, ut patet, ejúsque sufficientia ostendi potest à simili de sufficientia intentionis pro administratione Sacramentorum, & proinde probabilissimum est, sufficere; videri tamen potest esse probabilius, non sufficere propter sequentes rationes. 1. Cùm certum sit, preces illo secundo modo fusas, non esse ex se tam efficaces ad finem intentum obtinendum, quàm si cognita esset ipsa intentio Pontificis, & ex vi ejus, animus ad orandum excitaretur; fiunt enim communiter cum minore ad rem affectu, nam & cognitio confusa minùs movet, quàm distincta, & actus conditionales non sunt tam ferventes & intensi, quàm absoluti, idcirco verosimilius est, Pontificem non esse illo secundo modo contentum. Confirmatur illud antecedens ex doctrina S. Thomæ *in 4. dist. 45. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1.* communissimè receptâ, quòd scilicet defunctis illæ Missæ 80

in

in quibus sunt orationes ad hoc determinatæ, plùs prosunt, quàm illæ, in quibus non sunt ejusmodi Orationes. 2. Quando Pontifex exprimit in suo Brevi, aut Bullâ intentionem, ad quam vult opera vel preces præscriptas fieri, non ideo exprimit, ut *nos* sciamus, quam ipse intentionem expressam & specificam habeat, sed quam nos habere debeamus, si Indulgentiæ participes esse volumus. Unde fit, ut in uno eodémque Brevi Apostolico, pro quibusdam actibus præscribantur quatuor intentiones, aliis tantùm duæ, pro aliis unica, pro aliis nulla, ut videre est in forma Indulgentiarum Urbani VIII. Mihi autem non videtur satis credibile, tantam intentionum varietatem poni & proponi fidelibus, nisi ea cum conditione, ut & illas cognoscant, & ex illarum cognitione incitentur, dirigantúrque ad opera præscripta facienda.

81 Quapropter consueverunt Romani Pontifices non modò tribus communibus intentionibus, quas præscribunt, jungere unam, alterámve specialem pro varietate temporum, aut necessitatum, sed etiam semper, aut certè plerumque addere notissimam clausulam: *Atque ibi ut suprà oraverint*, scilicet per voculam *suprà* repetendo generatim, seu collectim illas easdem Generales, particularésque intentiones, ac simul satis, ni fallor, clarè demonstrando, illas intentiones esse debere notas precantibus, atque preces esse à quolibet dirigendas ad illas.

Tertia ratio petitur ex auctoritate Doctorum, qui hanc particularem quæstionem attigerunt. Primus est Cardinalis de Lugo, qui *n.* 28. docens ad acquisitionem Indulgentiæ non requiri, ut quis sciat, se posse lucrari Indulgentiam, restringit hanc doctrinam his verbis. *Dummodo non exigantur certa opera, pro aliqua speciali necessitate applicanda. v. g. orationes pro auxilio divino implorando contra talia pericula imminentia, non enim potest, opus fieri cum tali intentione sine aliqua illius notitia.* Ita hic Doctor, manifestè supponens, & debere adesse, vel adfuisse aliquam notitiam specialis intentionis à Pontifice præscriptæ, & ad eam debere dirigi opus præscriptum.

82 Alter est Bossius, quem refert & sequitur Diana *P. 5. Tr. 12. Res.* 33. ita loquens: *sufficit ad orationem pro lucrando Iubileo orare juxta mentem Summi Pontificis, quæ intentio non est necesse, ut sit actualis, sed sufficit virtualis, videlicet, quòd quis, auditâ Iubilei publicatione, determinans, velle illud consequi, habeat tunc propositum orandi & præstandi reliqua juxta mentem Summi Pontificis, licèt postea actualiter non recordetur, dum orat, aut cætera opera præstat.* Ita Bossius cum Diana, qui etsi non expressè dicit, *requiri* illam virtualem intentionem, de qua ipse loquitur, sed tantùm sufficere; satis tamen ipse modus loquendi nostram responsionem confirmat. Accedit auctoritas sapientissimi Patris Claudii Aquavivæ, qui in quadam Epistola, loquens de Jubileo à Gregorio XIII. Anno 1583. concesso Societati JESU, dicit: illos à Societate consecuturos id Jubileum, qui præter alia orarent, *nominatim* pro Hæreticorum & Ethnicorum ad Ecclesiam traductione. Denique hujus opinionis est apertissimè is, qui ad calcem libri P. Martini Roa de Purgatorio addidit admonitionem de Indulgentia pro Communione Generali; nam *folio* 352. & 353. Oenipontanæ Editionis Germanicæ negat expressè, illos lucrifacere eam Indulgentiam, qui orant pro fidelibus defunctis, nisi præterea orent, ad illas tres intentiones, quæ præscribuntur; proinde identidem inculcat, ut istæ tres intentiones formentur, & rudibus explanentur.

Agnosco tamen, Cordubam adversari allatæ Responsioni; dum *q.* 25. *in fin.* sic differit: *Ad lucrandam Indulgentiam requiritur & sufficit, si opus pium fiat piè, & ad id, ad quod ex tenore Bullæ imponitur, fiat principaliter, & ex intentione actuali vel virtuali, quod tunc fit, quando fit principaliter pro lucranda Indulgentia.* Adversatur, inquam, Corduba, adferendo illam suæ resolutionis explicationem, quam in medio relinquo videns non probari viris doctis illam, quam *n.* 80. 81. 82. roboravi. 83

Tertius modus est quidem tolerabilior secundo, & quartus tertio, ut facilè quisque conjicit ex Analogia illius, cum penitus simili & nequaquam reprehendendo modo, quem sequuntur passim Sacerdotes, ratione stipendii, aut obedientiæ, ad certam intentionem sacrificare parati, & practicè valde probabilem esse, non nego, præsertim cùm sciam probari quibusdam viris doctis. Verùm ob rationes, quas contra secundum modum attuli, suadeo, ne quis eum sequatur in praxi.

Quintum modum esse sufficientem, persuadet mihi tum praxis, & persuasio Confessariorum, pœnitentiúmque, tum infinitus numerus rudium hominum, qui nequeunt memoriâ retinere ternas, quas frequenter; quaternas, quas nonnunquam Summus Pontifex præscribit, & consequenter ab aliis, plus non exigere, quàm ut offerentes suas preces ad intentiones ab illo præscriptas, habeant illarum confusam recordationem; tum quia de talibus potest optimè dici, illos orare, v. g. pro pace universali, extirpatione hæresum, &c. si hæ intentiones in particulari sint præfixæ: tum denique, quia concessio Indulgentiarum est potiùs latè, quàm strictè interpretanda. 84

Sextus modus tanquam sufficiens apertè admittitur à Bossio, & Diana suprà relatis, ejúsque sufficientia comprobatur, tum argumentis, quæ pro quinto modo attuli, tum quia, sicuti

sicuti certum videtur, non requiri, ut quis majore parte temporis, quo peragit preces, aut opus à Pontifice præscriptum, recordetur actu intentionis ab illo designatæ, ita etiam certum videtur, hanc recordationem actualem non esse necessariam, quando opus inchoatur. Ex dictis patet, quid ad propositam quæstionem sit tum pro Jubileo, tum pro aliis Indulgentiis respondendum.

Etsi autem Innocentius X. Bullâ tertiâ *lit. c.* exprimat pro suo Jubileo quatuor intentiones, prima tamen non videtur differre à secunda.

85 Quæst. XXXVI. *Sintne omnia opera Iubilei dirigenda ad prædictas quatuor intentiones?*

RESP. Licèt Comitolus *Lib. 1. q. 37. n. 2.* satis indicet, solere in Jubileis præscribi, ut etiam jejunia offerantur ad aliquam certam intentionem, eadem Bulla tamen Innocentii *lit. c. & e.* sicuti & aliæ permultæ non plus videntur exigere, quàm ut oratio offeratur pro fidei Catholicæ defensione, &c. aliis autem operibus non præstituit ullam intentionem. Si autem præstitueretur, dicerem cum Laymanno *cap. 6. num.* 4. per illa cum peccato imperandi vim tollente, facta, non obtineri Jubileum. Ponit Laymannus exemplum ejus, qui die jejunii se inebriat.

Quòd si intentioni à Summo Pontifice præscriptæ adjungas aliam, potiùs reddis dubiam Indulgentiam, quàm certam, quia etiam oratio pro multis fusa, non tam multùm prodest singulis illorum, quàm si pro paucioribus funderetur. Suarez *Lib. 1. De Orat. cap.* 27. cum aliis contra alios.

86 Quæst. XXXVII. *Quænam conditiones requiruntur ex parte illius, qui Iubileum consecuturus est?*

Respondeo ad hanc cæteris Indulgentiis communem quæstionem breviter. I. Debet esse compos mentis, alioqui nequit humano modo præstare præscripta; si tamen omnibus cæteris, præter Confessionem, aut Communionem perfectis, cadat in amentiam, & in amentia absolvatur sacramentaliter, sacráque Communione reficiatur, fiet compos Jubilei, nam sic implet omnino omnia.

II. Debet esse Baptizatus, alioqui non posset confiteri, & communicare. Fortè tamen iis, qui cum Laymanno *c. 6. n.* 1. tenent, Catechumenos esse capaces Indulgentiarum, dicerent, posse iis commutari Confessionem, & Communionem.

III. Debet esse liber vinculo excommunicationis; etsi Henriq. *c. 18. n.* 2. non improbabiliter putet, si per eum non stet, quò minùs absolvatur, posse, si conteratur, & reliqua præstet, potiri Indulgentia Jubilei.

IV. Non requiritur, ut studeat per alia pia opera satisfacere pro suis peccatis. Corduba *q.* 30. Suar. *Tom. 4. d.* 52. *sect.* 11. & alii contra Navarrum *De Iubileo Not.* 21. Nam nulla Bulla Jubilei hanc conditionem exigit, nec exigitur ex natura rei. Nec obest, quòd sit indignus aliena ope, qui sibi non vult opitulari, cùm possit. L. *Bona fides.* ff. *De Deposit.* Nam etiam indignis conferuntur sæpe beneficia, facítque DEUS solem suum oriri super bonos & malos.

V. Non etiam requiritur, ut habeat formalem intentionem lucrandi Jubilei, posito, quòd præscripta rite peragat. Lugo *disp.* 27. *n.* 80. Escobar *n.* 54. & alii plures contra Suar. *Tom. 4. in 3. Part. disp.* 52. *sect.* 6. & alios. Ratio est, quia nulla ratio ostendit, intentionem sacrandi Jubilei debere esse plùs, quàm interpretativam, quam quidem quisque, qui opera præscripta exequitur, habet hoc ipso, quòd perea cupiat seipsum juvare, quoad potest.

VI. Ipsummet Pontificem posse fieri participem Jubilei, quod aliis largitur, observat singulariter & rectè Suarez *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 14.

VII. An, & quomodo lucraturus Jubileum debeat esse in statu gratiæ, patet ex dictis *n.* 58.

CAPVT XIII.

De Operibus respectu peregrinorum & iter agentium.

SUMMARIUM.

Iubileus concessus alicui provinciæ extenditur ad omnes advenas, & peregrinos. 87.
Quid peculiare circa opera præscripta gignat ratio itineris? 88.
An ratio loci mutati? 89.
Singulariter quoad visitationem Ecclesiæ? 90.
Quid si una pars operum perficiatur in proprio Episcopatu, pars in altero? Ibid.
Non teneris ratione Iubilei differre iter à te priùs destinatum. Ibid.
Proponitur Casus Scholarium proficiscentium in patriam tempore feriarum æstivalium, vel autumnalium post jam perfectam in loco suorum studiorum partem aliquam operum. 91.

Quæst. XXXVIII. *Iubileus concessus alicui* 87
Provinciæ, aut Regno, extenditurne ad omnes etiam advenas, & peregrinos ejusdem Provinciæ aut Regni?

RESP. Quandoquidem *qui sentit onus, sentire debet & commodum*, Reg. 55. *in* 6. Omnes autem peregrini, & advenæ, tum qui in aliquo loco, per majorem Anni partem, ut fert multò verior opinio contra Zachariam Pasqualigum in praxi jejunii Ecclesiastici decis. 189. 190. & 203. multósque ab ipso re-

latos; tum qui per minorem Anni partem, ut habet probabilis, minùs tamen probabilis sententia multorum, cogitant habitare, tenentur legibus omnibus illius loci; & præterea usu receptum est, ut gratiæ Pontificiæ alicui loco concessæ extendantur ad peregrinos; idcirco dicendum est, omnes peregrinos, & advenas potiri posse Jubileo concesso Urbi, aut Regno, in quo versantur, idque probat praxis, & tenet Lugo *n.* 126. Longè certius est, Jubileum urbi alicui impertitum extendi ad omnes ejus urbis Clericos & Religiosos.

88 Quæst. XXXIX. *Quid peculiare circa prædicta opera adfert ratio itineris, & loci mutationis?*

RESP. Seqq. I. Bullæ de iter agentibus ita solent statuere: *Navigantes aut iter agentes, quamprimum sese ad sua domicilia receperint, suprà dictis peractis, & loco interventûs in processione, visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci ejusdem domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint & valent.* Vide Bullam tertiam *lit. q.*

II. Per illud *quamprimum* non prohibetur, quò minùs quis post suum reditum duas integras hebdomadas, à reditu proximas seligat sibi pro perficiendis operibus præscriptis: nam Pontifex vult, ut unusquisque habeat duarum integrarum hebdomadarum, inchoandarum feriâ secundâ, tertiâ, &c. si libuerit, spatium, in quo cum quiete, & devotione possit se præparare, inquit Lugo *Tom. 3. disp. 27. n.* 123.

89 III. Operum præscriptorum partem potes in uno, partem in altero loco implere, ita quidem, ut postquam in tua patria est promulgatum Jubileum, licitè, & validè confitearis cuilibet approbato Sacerdoti, etiam in loco, in quo nondum est promulgatum Jubileum. Idem longè magis, de Communione jejunio, eleemosyna, dic cum Cardinale de Lugo *num.* 124. Laym. *Lib. 5. Tr.* 8. *c.* 8. *n.* 11. Diana *Resol.* 53. Ratio à priori est, quia per præsentiam in loco, omnes illic acquirunt verum jus ad Jubileum lucrandum; nam omnibus illic existentibus proponitur, & offertur. Unde fit, ut valor Jubilei sit favor Personalis. Atqui *Privilegium personale personam sequitur.* Reg. 7. *in 6.* Ergo quocunque quis pergat, feret secum istum favorem, & jus utendi omnibus Jubilei facultatibus. Addit quidem Laym. esse tutius omnia perficere in patria, vel saltem in eo loco, in quo Jubileum est promulgatum; sed Diana *P. 5. Tr.* 12. *Resol.* 53. post Lugonem pronuntiat, perinde esse, ubi prædicta peragas, dummodo peragas, postquam est in tua patria publicatum Jubileum, nam ejusmodi operum executio non est affixa loco.

90 IV. Alia quoad hoc, est visitationis Ecclesiarum ratio. Cùm enim illarum solarum, quas Ordinarius designavit, visitatio valeat, idcirco non lucratur Jubileum, qui visitat Ecclesiam in loco, in quo id nondum est promulgatum Layman. & Diana *ll. cc.* Lugo *n.* 127.

Dices, *quid si civis Romanus statim post promulgatum in Vrbe Jubileum, incipiat partem operum perficere, & nondum omnibus peractis veniat Tusculum, illicque reliqua, & nominatim Visitationem Ecclesiarum exequatur, an Jubileo potietur?* Respondeo cum eodem Cardinale, nec Romano, nec Tusculano Jubileo potiturum. Non Romano, quia non visitavit Ecclesias Romanas; Non Tusculano, quia partem operum perfecit Romæ, v. g. Jejunium, antequam Tusculi promulgaretur Jubileum, & per consequens, antequam Tusculana promulgatio daret ipsi tale jus. Potest tamen Confessarius succurrere per commutationem prædictorum operum; potest & hic seipsum juvare modo, quem mox suggero.

V. Licèt in loco, quo publicatum est Jubileum, perstiteris, usque ad ultimum diem primæ, vel secundæ hebdomadæ, & hoc ultimo die iter facias, potes finitò tuo itinere opera, quæ nondum perfeceras domi, exequi utiliter ad obtinendum Jubileum, nam, ut dixi suprà, Pontifex concedit duas completas hebdomadas. Consentit Lugo *n.* 123.

VI. Si iter faciens pervenias ad locum, in quo Jubileum celebratur, fruêris illo æquè ac incolæ, sive perveneris illucante, sive primùm post publicationem. Lugo *n.* 126. Laym. *num.* 11. Ratio est, quia per præsentiam tuam in illo loco statim acquiris jus, siquidem promulgatio facta perseverat semper, & proinde habet tantas vires, quantas, si fieret, præsente te. Unde, si tantùm per dimidium diem alicubi tanquam peregrinus, aut Viator vixeris, partem præscriptorum operum potes ibidem perficere, e. g. visitare Ecclesias, dare eleemosynam &c. partem alibi, aut petere commutationem, si impedimentum occurrat. Laym. *n.* 11. Lugo *n.* 127. qui omnium, quos vidi, optimè hanc itinerantium materiam tractat.

VII. Non teneris ratione Jubilei differre iter aliquod in aliud tempus; nam Bulla sine distinctione offert gratiam iter agentibus. Ex his resolvendus est

Duplex Casus attingens varia capita.

Qui contigit Anno 1667. occasione Jubilei, 91 quo Clemens IX. initium, decursúmque sui Pontificatûs commendavit ardentibus precibus omnium fidelium. Siquidem nos hîc Constantiæ, viciniísque urbi locis, orsi sumus illud conformiter Episcopali diplomati die undecimâ Septembris manè, produximúsque ad vesperam diei vigesimi quinti, quo tempore multi è nostris discipulis ad patrios lares, autumnalésque ferias profecti pervenerunt ad loca, in quibus erat jam magnam partem transactum tempus statutum pro gratia Pontificia lucrifacienda; multi quoque nostræ Societatis Religiosi factâ habitationis annuâ mutatione destinati fuêre ad urbes varias hujus amplissimæ Diœcesis, atque ea loca attigêre, nondum publicato, unde migraverant, Jubileo, jam transacto quò pervenerant. *Quid utrisque agendum?*

Ego interrogatus respondi ex dictis, Scholaribus esse, fuisséque utique fas deligere sibi partim illos dies, quibus adhuc Jubileo vacabatur, in locis, ad quæ se contulerant, partim tot alios proximos, quot necessarii essent complendis vel quindecim ex usu hujus Episcopatûs, vel certè quatuordecim diebus. Illis autem nostris Patribus, qui ad hasce partes venerant post vigesimum tertium Septembris, fas omnino esse potiri privilegio itinerantium, quod explicavimus superiùs. Vide Cotonium celebr. controvers. *L. 2. controv. 12. c. 1. n.* 17. observantem, sicut ille, qui in patria neglexit lucrari Jubileum, posse alibi illud acquirere, si ibi tunc reperiatur, cùm celebratur, ita & te posse, si ex oblivione illud omisisti in tua patria, designare tibi quindecim alios dies, ordiendos à die habitæ notitiæ.

CAPVT XIV.

An obeundo sæpius præscripta opera possit quis Jubileum unum sæpius consequi?

SUMMARIUM.

Refertur ex Filliucio declaratio Congreg. Cardinalium contra opinantes, posse bis obtineri Jubileum ab eo, qui bis facit opera præscripta. 92.

Proponitur, & solvitur objectio ex praxi Jubilei Romani. 93.

Potest bis obtineri Jubileum. 94.

An etiam bis quælibet Indulgentia data in forma Jubilei? 95.

An & cæteræ omnes? 96.

92 Quæst. XL. *Potéstne quis Jubileum sæpius obtinere, si sæpius perficiat opera præscripta?*

RESP. I. Filliucius. *Tr. 8. n.* 281. de Jubileo Romano ita loquitur: *Hoc mense Majo Anno* 1620. *declaravit sacra Congregatio Concilii, tantùm semel acquiri Indulgentiam per Jubileum, & semel tantùm à casibus quempiam absolvi posse, quare huic declarationi standum est.* Sentiunt cum Filliucio Lugo *num.* 122. & plures alii. Quia tamen non constat, utrùm hæc declaratio sit munita omnibus conditionibus, quas declarationes Cardinalium, ad id, ut vim legis, vel authenticæ declarationis habeant, requiri dixi Tomo præced. *Tr. 3. n.* 604. & requirunt apud Dianam *Resol.* 52. & Sanctarellus ac Lezana, qui postea ipsi quoque Romæ scripserunt, nil de hac declaratione sciverunt, ipséque Lugo tacitè fatetur, se de ea nil scire; idcirco assero cum eodem Sanctarello *De Jubileo c.* 5. *dub.* 4. Reginaldo *n.* 155. Navarro *De Jubil. Not.* 32. *n.* 40. Lezana in summa verb. *Jubileum*, Palao *Tract.* 24. *Punct.* 12. *n.* 30. Diana *Part. 5. Tr.* 12. *Resolut.* 28. & aliis multis, contrariam opinionem videri probabiliorem, cùm sit conformior verbis Bullæ.

Nec obstat, quòd Urbanus VIII. currente 93 Jubileo ipsius Anni Sancti Romanis impertierit alium Jubileum per omnia similem iis, qui extra Annum Sanctum concedi solent; ut videre est apud Cherubinum, in Bullâ, quæ incipit: *Divinæ Misericordiæ.* Non videatur autem concessurus fuisse tunc peculiarem Jubileum, si Romani, quorum sine dubio plerique jam erant potiti Jubileo Anni Sancti, potuíssent illum denuo lucrari. Nam respondeo in primis, Urbanum ideo concessisse illum Jubileum, ut novum in Romanis fervorem excitaret, ut satis patet ex tenore Bullæ. Deinde conditiones, quæ ad obtinendum Jubileum extra Annum Sanctum requiruntur, non sunt utique tam difficiles, quàm triginta visitationes quatuor Ecclesiarum tam dissitarum faciendæ à Romanis, frui volentibus Jubileo Anni Sancti.

II. Idem Filliucius *num.* 279. de Jubileo 94 extraordinario loquens, pro parte negativâ, quam cum Cardinali de Lugo *num.* 122. & Laym. sequitur, eorundem Cardinalium declarationem citat, addens ferri, quòd Clemens VIII. ita declarârit. Verùm, quia nil authenticè de Congregationis, aut Pontificis declaratione innotuit, nec Bullæ Jubilei restringunt gratiam ad unam vicem; & *Beneficium Principis latissimè interpretandum est* L. *Beneficium* ff. *De Constit. Princip.* Ideò si primâ hebdomade omnia omnino requisita perfecisti, velisque in secunda repetere eadem opera, valde probabile est, ut etiam fatetur Lugo *n. cit.* imò probabilius est, te æquè potiturum Jubileo, ac si primâ hebdomade non obtinuisses. Lezana, Reginaldus, Diana *ll. cc.* cum plurimis, quos idem Diana refert. Nec contrarium persuadet differentia, quam inter hoc, & Romanum Jubileum adfert Palaus §. 3. *n.* 4. aliud de hoc, aliud de Romano sentiens. Et vel maximè nostra sententia vera est in casu, quo obtento in tuâ patriâ Jubileo, accedens ad alium locum, in quo adhuc celebratur, denuo per-

ficis præscripta opera, quamvis id quoque neget Lugo *loc. cit.* In neutro tamen casu poterit Indulgentia alterutrius hebdomadis applicari defunctis, ut videbimus *Tract. seq. Part. 1. cap. 22.*

95 Quæst. XXXXI. *An etiam aliàs Indulgentias in formâ Jubilei datas, potest quis sæpius obtinere?*

RESP. Eadem harum, quæ illorum est ratio, nisi Pontifex addat limitationem, sicuti addidit in illa, quam sub finem Anni 1646. dedit nostræ Societati, dicens, posse tantùm semel obtineri. Similiter Indulgentiam Plenariam, quæ triduo Bacchanalium viget in templis Societatis nostræ, nemo nisi semel potest intra triduum obtinere, nam ita sanxit Innocentius X. ejusque decessores.

96 Ad alias Indulgentias, quæ nec sunt Jubilei, nec in formâ Jubilei, quod attinet, dubium esse non debet, quin eas quisque possit diversis diebus iterum, atque iterum consequi, quando sine additione, & expressione restrictionis ad certum diem, aut certam occasionem, ut e. g. ad articulum mortis, feruntur hoc modo: *Qui hoc, aut illud fecerit, lucrabitur hanc Indulgentiam: quoties quis rosarium dixerit, liberabit animam è Purgatorio, &c.* Ratio est, tum quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant; tum quia sunt latè interpretandæ, ut constat ex dictis *num. 24. & 25.* Unde immeritò aliqui apud Bonacinam *Part. 5. n. 32.* dissentiunt à nostra responsione, in casu quo Indulgentia dependens à visitatione Ecclesiæ offertur sine determinatione temporis. Sed de hâc controversia disseram pluribus *Tr. seq.*

Quòd si verò Indulgentia proponatur cum determinatione temporis hac ratione: *Quicunque hoc die, hac hebdomade, hoc aut illud fecerit, obtinebit hanc, aut illam Indulgentiam*: multi negant, multi asserunt, posse sæpius obtineri ab illo, qui sæpius eundem actum intra præscriptum tempus repetit. Et quia DD. hanc quæstionem solent tractare, quando de visitatione Ecclesiæ agunt, idcirco dicam *c. 20.* quid mihi circa hoc videatur.

CAPVT V.

De Commutatione operum præscriptorum.

SUMMARIUM.

Nequis propria authoritate mutare unum opus in aliud. 97.
At potest Confessarius, sicut & prorogare. 98.
Non quodlibet impedimentum operis facit Confessario jus commutandi. 99.
Sed debet esse junctum notabili difficultati. 100.
Declaratur exempto jejunii. *Ibid.*
An difficultas excusans à sacro audiendo die festo, excuset etiam à processione? 101.
Quid de Virginibus liberorum Parthenonum non visitantibus Parochialem Ecclesiam? 102.
Et Matronis tempore luctûs solitis manere domi? *Ibid.*
Quid si Confessarius commutavit ob causam insufficientem quidem à parte rei, habitam tamen ab ipso pro sufficiente? 103.

Quæst. XXXXII. *Potestne quis propriâ authoritate, unum ex operibus præscriptis commutare in aliud, saltem melius?* 97

RESP. Non potest, quia non datur ipsi ad id potestas. Nec obest, quòd possit quis suum votum mutare in opus melius, aut etiam æquale; nam id fieri potest, quia Deus admittit talem commutationem, *non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius mutat*, ut dicitur Cap. *Pervenit.* 2. De Jurejur: at eam non admittit Pontifex, ut patet partim ex Bullâ, partim ex praxi.

Quæst. XLIII. *An Confessarii arbitrio possit prædictorum operum prorogatio, & commutatio fieri?* 98

RESP. Potest utrumque fieri à Confessario, sed non nisi cum detentis claustro perpetuo, carcere, morbo, aut alio quocunque impedimento, nam plus non concedunt Bullæ, quas legi. Vide Bullam 3. *lit. r.*

Quæst. XLIV. *Quale autem, & quantum impedimentum requiritur ad legitimam commutationem?*

Ad hanc utilissimam simul, & lubricam quæstionem ab aliis non discussam.

RESP. I. Non sufficit absolutè quodcunque impedimentum, sed requiritur impedimentum cum impotentia. Nam Bulla 3. *loc. cit.* aliæque communiter dicunt; *Qui nequeunt.* Non tamen requiritur impotentia Physica, qua quis omnino nequeat perficere hoc, aut illud opus, ut patet tum exemplo Sanctimonialium perpetuo claustro detentarum, quod exemplum adfert ibidem ipse Pontifex, tum exemplo illorum, quos DD. referendi *n. 211.* putant posse in Jubileo aliquid aliud loco jejunii facere. Sufficit itaque moralis impotentia, atque adeò notabilis; seu magna, & gravis difficultas, ut nominatim de jejunio tradunt Rodriq. *num. 10.* Laymann. *cap. 8. n. 12.* & de eleemosyna pronunciat Diana *Resol. 15.* atque ita habet praxis. 99

Et puto, non modò sufficere, sed requiri hanc quoque notabilem difficultatem; alioqui commutationem fore invalidam, obfuturámque acquisitioni Jubilei, Ducor, tum quia verba sunt propriè accipienda; verbum autem *nequeo* propriè significat impotentiam saltem moralem, atque adeò provenientem 100

ex notabili, gravique difficultate; tum quia alioqui non absolutè negaret Filliucius *Tr. 8. n. 271.* posse existere sufficiens impedimentum, ob quod liceat Confessionem commutare; tum quia de commutatione jejunii ita tenent Rodriquez, Henriq. Laymann, Bonacina, referendi num. 210. & 211. tum quia Rhodes *Tom. 2. disp. 2. sect. 2. §. 6.* & Hauckius *De Jubil. n. 88.* exigunt impotentiam moralem, tum denique quia ita docet usus & consuetudo piorum, doctorúmque Confessariorum, optimus legum interpres Cap. *Cùm dilectus. De Consuet.* Quænam verò difficultas sit hîc & nunc habenda pro notabili & gravi, committitur judicio Confessarii, qui in jejunio e. g. omnem illam habebit pro notabili, ratione infirmitatis, aut laboris, quæ sufficiens est, ut quis quadragenarius excusetur à jejunio Vigiliarum per Annum occurrentium absque dispensatione; nam talis non eximitur, ratione laboris, aut infirmitatis, nisi sit notabilis, seu gravis, ut suppono ex Communi DD. sensu in materia de jejunio: Et fortè erit, qui existimet, omnem jejunandi difficultatem, quæ sufficit ad impetrandam ab inferiore Prælato dispensationem in jejunio Ecclesiastico, sufficere etiam ad impetrandam à Confessario commutationem. Sed hîc nil determino; sufficit aliis dedisse occasionem discutiendi magis hanc dubiam materiam.

101 II. Similiter dubium mihi non est, quin multæ ex causis, quæ excusant ab auditione Missæ die festo, præstent impedimentum sufficiens ad commutationem faciendam in processione, & visitatione Ecclesiæ, ut est tum gravis ægritudo, tum metus infamiæ, aut alterius notabilis mali; tum id, quod de puerperis, mulieribus, vel puellis fœtum furto conceptum gerentibus, matronis tempore luctûs domi sese more patrio continentibus, tradunt DD. in materia de sacrificio Missæ audiendo, nósque distinctè explicuimus Tomo priore *Tr. 5. n. 469. & seqq.*

102 III. Addo, tum Sanctimoniales, etiam quæ clausuram nondum admiserunt, tum Virgines Nobilium, liberorúmque Parthenonum, quæ alienas intra Urbem Ecclesias adire non consueverunt, videri habere sufficiens impedimentum, ob quod visitatio Ecclesiæ Parochialis commutetur iis in aliud opus. Ducor 1. quia scio ita reipsa practicari. 11. Quia est iis molestissimum, sese præter suum morem, immiscere turbæ virorum, mulierúmque. 111. Quia constat, quòd Pontifices nolint talibus dare caussam vagandi, & clausuram minùs strictè, quàm soleant, observandi, argument. Concil. Trident. Sess. 25. cap. 5. de Regul. & Bullæ Urbani VIII quæ incipit: *Pontificia solicitudo* IV. Quia hîc revera habet locum doctrina Glossæ, L. *Tale pactum.* ff. De pactis, dicentis: *Pro tacitè statuto habendum est, quod statutum fuisset, si à statuente quæsitum fuisset.* V. Quia etiam illis Matronis, quæ tempore luctus, & puerperis, quæ ex more patrio domi remanent, solet fieri commutatio. Nec obest, quòd Rodriq. *num. 8.* neget, esse à se visum Privilegium Apostolicum, quo detur potestas visitationem Ecclesiarum præscriptarum commutandi illis Religiosis, aut aliis, qui communiter exeunt, sed monialibus perpetuam clausuram habentibus, itémque infirmis, & incarceratis; nam non loquimur de Privilegio, sed de benigna interpretatione, quæ favet etiam aliis, quàm infirmis, & incarceratis, ut patet ex hactenus dictis. Adde quòd suprà *cap. 6.* descripserim Bullam dispensantem etiam cum Eremitis.

IV. Si Confessarius bona fide ratus adesse 103
sufficientem commutationis faciendæ rationem, commutet tunc, cùm à parte rei non est sufficiens, videtur nihilominus valere commutatio, nec periclitari Jubileum. Ducor, quia non videntur posse aliter sedari conscientiæ Confessariorum, & pœnitentium, præsertim, quando his est impertienda absolutio à reservatis, aut censuris. Et revera hîc locum habet cap. *Cognoscentes.* De Constitut. *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Si verò Confessarius sciens non adesse sufficiens impedimentum operis exequendi, faciat commutationem, existimo Jubileum non obtineri. Ducor, quia sicuti, si Papa non faceret potestatem commutandi, commutatio impediret acquisitionem Jubilei, quia non impleretur conditio, S. Thom. *Art. 4. quæst 3.* Ita quando Papa facit potestatem commutandi, præscribendo modum & rationem, commutatio facta (saltem scienter) contra præscriptum modum, & rationem, reddit irritum Jubileum. Confirmatur ex L. *Diligenter* ff. *Mandati*, cujus hic est tenor: *Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt, nam qui excessit, aliud quid facere videtur.*

CAPVT XVI.

Vtrùm commutandi potestas se extendat ad omnes personas impeditas, & ad omnia opera?

SUMMARIUM.

Etiam illi fruuntur beneficio commutationis, qui non sunt obnoxii ullis censuris. 104. & 105.
Possitne tam Confessio, quàm Communio præscripta commutari? 106.
Ad proroganda opera præscripta non exigitur tanta causa, quanta ad commutanda. 107.

104 Quæst. XLV. *Potéstne commutatio, & Prorogatio fieri omnibus impedimento legitimo detentis, etsi non sint obnoxii censuræ, aut votis?*

HAnc quæstionem propono, quia his omnibus scriptis, reperi in aliquo M. S. quendam virum non ineruditum Anno 1631. interrogatum circa Jubileum eo Anno ab Urbano VIII. impertitum pugnacissimè, & constantissimè respondisse, gratiam eligendi Confessarii, qui unum, aut plura opera ob legitimum impedimentum commutet, dari illis solis, qui aliquâ à reservatis, censuríve absolutione, vel voti alicujus commutatione indigerent, & proinde non illis, qui solam Jubilei indulgentiam comparare vellent. Probabar inde suam opinionem, quòd Bulla illa Urbani VIII. sicuti & tertia Innocentii *lit. r.* iis solis petendæ commutationis gratiam faciat, qui *Confessarium, ut infrà, elegerint.* Atqui *infrà* seu post illum §. nominatur Confessarius, qui à reservatis, censuríque absolvat, & vota commutet; ergo non potest eligi ab illo, circa quem non est actu exerciturus prædictam potestatem.

105 RESP. Certum est errâsse illum bonum virum. I. Quia si ejus argumentatio valet, tum probat non potuisse eligi Confessarium, nisi ab illo, qui & esset reus casus reservati, & simul voto obstrictus; imò non nisi ab illo, qui omnia reservata peccata, præter hæresis peccatum admisisset. II. Quia omnium sæcularium, Regulariúmque praxi repugnantia docuit. III. Qua illa verba: *Confessarium, quem ut infrà elegerint*, summùm indicant, esse eligendum Confessarium, qui jus habet prædictam potestatem exercendi erga pœnitentes, si qui indiguerint, vel frui voluerint, & absolvat in quantum ipsi indigent, atque adeò etiam à venialibus, nam Bulla ait: *Absolvere, & commutare valeant.* IV. Quia ex illa explicatione sequitur, improbissimum quemque esse tempore Jubilei melioris conditionis, quàm Innocentes. Cæterùm praxis ostendit, omnem illum Confessarium, cui quis confitetur tempore Jubilei, pro uno, aut pluribus favoribus comparandis rectè dici *eligi*; etiamsi fortè sit ordinarius, & non habeatur intentio reflexa illum præ aliis seligendi.

106 Quæst. XLVI. *Possuntne omnia opera commutari?*

RESP. Card. de Lugo *n.* 118. atque Coto. nius *Lib.* 2. controversia 12. *c.* 1. putant, stante Bulla Urbani VIII. pro Jubileo Anno 1636. non posse Confessionem, & Communionem commutari, eò quòd Urbanus loquens de hac commutatione exprimat reliqua quinque opera tacéns ista duo, quæ duo tacet etiam Innocentius *lit. r.* cùm tamen idem Urbanus VIII. in Bulla Anno 1619. uti & anteriores Pontifices ita loquantur; *Qui suprà expressa, vel eorum aliqua implere nequiverint, Confessarius omnia, & singula commutare poterit.* Quare cùm clausulæ sint hac in re tam diversæ, oportet ad illas attendere; quamdiu tamen quis nescit, hæcne, an illa clausula adsit in ista, aut illa Bulla, applicet sibi Regulam 65. in 6. quæ ita habet: *Inspicimus in obscuris, quod verosimilius est, vel quod fieri plerumque consuevit*; atqui plerumque consuevit, dari Generalis omnium commutandorum facultas. Hanc eandem Regulam in aliis difficultatibus prudenter quisque adhibebit.

107 Etsi verò censet Filliucius *Tr.* 8. *num.* 272. non posse oriri impedimentum, ob quod (etiam stante Bulla simili illi, quam Urbanus VIII. Anno 1629. ut paulò antè indicavi, edidit) Confessionem sit fas commutare; attamen Lugo *disp.* 27. *n.* 128. rectiùs tenet, occurrere posse casum, in quo ea sit in aliud opus commutanda. Hoc ipso autem, quòd Filliucius subdat, Confessionem esse quandoque prorogandam, facile apparet illum, & quidem rectè, sentire, quòd ad proroganda opera præscripta non requiratur tam gravis causa, quàm ad commutanda.

CAPUT XVII.

Aliæ de Commutatione operum quæstiones resolvuntur.

SUMMARIUM.

Opera præscripta possunt commutari in alia etiam aliunde debita. 108.
Et debent in æqualia. 109.
Unde desumenda illa æqualitas? Ibid.
Quo loco facienda mutatio, & prorogatio? 110.
An etiam ab absente? Ibid.
Facienda est per se intra ipsum tempus Iubilei. 111.
Quid si distulisti tuam Communionem usque ad postremum diem, at manè illius diei edisti aliquid immemor instantis Communionis? 112.
Quid si neglexisti omnia opera, ultimo autem die cupias lucrifacere Iubileum? 113.
Possunt utique commutari etiam illa opera, quorum tempus præscriptum in Bullis jam effluxit. Ibid.
Quid facit Confessarius, dubitans, an suus pœnitens permansurus sit in proxima occasione peccandi? 114.

Quæst. XLVII. *In qualia opera est facienda commutatio?* 108

RESP. I. Sicuti moraliter certum esse debet, per illa ipsa opera, quæ præscribit Pontifex, obtineri posse Jubileum, etiamsi ea aliunde e. g. ex præcepto Ecclesiæ, Confessarii, aut voto, (ut nominatim observat Laymann. *Lib.* 5. *Tract.* 7. *c.* 3. *n.* 13.) debita sint; ita

ita mihi videtur posse per Confessarium opera à Pontifice præscripta commutari in opera, quæ pœnitens jam alio titulo facere tenebatur. Ducor, quia *subrogatum naturam sequitur, & conditiones illius, pro quo subrogatur.* DD. communiter.

109 II. Debet tamen illa commutatio fieri in opera æqualia. Rodriq. *n.* 10. post Navarrum, loquens tam de jejunio, quàm de eleemosyna. Laym. *cap.* 8. *num.* 12. & alii. Ratio est, quia alioquí non foret pura commutatio, sed partialis dispensatio. Hanc autem æqualitatem censeo spectandam, non tam in ordine ad præstantiam ipsius operis specificam, aut pœnalitatem, quàm in ordine ad finem à Pontifice per largitionem Jubilei intentum. Nam *In omni legis interpretatione, maximè spectanda est intentio legislatoris.* DD. Communiter propter L. *Non dubium*, ff. De Legibus, & cap. *Ad aures.* De Rescriptis. Adde, quòd si loquamur de ægris, non videatur Pontifex, utpote benignissimus Pater, ab iis exigere illam æqualitatem, si eam præstare nequeant sine gravi incommodo, præsertim cùm Bulla 3. *lit. s.* dicat: *injungant opera, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt.*

110 Quæst. XLVIII. *Ubinam facienda commutatio, & prorogatio operum?*

RESP. Potestatem commutandi, & differendi prædicta licitè exercet Confessarius extra ipsam Confessionem. Filliucius *n.* 273. Nam ista actio non concernit actum Confessionis, & Bullæ tantùm dicunt, eam posse exerceri à Confessario, quem quis *elegerit.* Et sicuti *num.* 303. dicam, commutationem votorum posse fieri etiam ab eo, cui non cogitas confiteri, modò sit Confessarius approbatus, ita etiam est de istâ commutatione sentiendum, ut in terminis docet Lugo *n.* 120. post Henriq. *cap.* 10. *num. ult.* & Sanch. *Lib.* 4. *mor. c.* 34. *n.* 17. quia pœnitens potest quemlibet eligere ad omnes, vel ad aliquos effectus in Bulla concessos, acciperéque commutationem à quolibet vel præsente, vel etiam absente, ut nominatim tradit Lugo *disp.* 27. *n.* 118. Monet tamen Filliucius *Tr.* 8. *n.* 277. si ab uno Confessario sit pœnitenti prorogatum tempus Jubilei, non competere posteriori Confessario jus exercendæ circa talem pœnitentem suæ potestatis post jam elapsum tempus Jubilei, quod Ordinarius præscripserat.

Quæst. XLIX. *Quandonam facienda est commutatio, & prorogatio?*

111 RESP. Debet Confessarius sua hac commutandi, & prorogandi potestate fungi (saltem inchoativè, & dispositivè, propter ea, quæ dicam *n.* 305.) intra duas hebdomadas, designatas, nam expirat expirantibus illis duabus hebdomadis; Filliuc. *n.* 270. & ita fungi, ut opera dilata jubeat perfici *intra proximum tempus*, nam ita loquitur 3. Bulla *lit. s.* id est, intra duas hebdomadas, si fieri queat, quandoquidem etiam ille, qui ex Jubilei ignorantia invincibili non fecit requisita ad Jubileum, debet, ut hunc lucretur, intra duas proximas hebdomadas à die notitiæ illa opera exequi. Suprà *n.* 25. ex Diana cum Lezana, ubi tamen insinuavi, ignorantiam hoc loco nil prodesse. Et observat Bonac. *p.* 5. *n.* 36. etiam hac in re observandam esse formulam præscriptam, nec ab ea recedendum. Quamquam haud dubiè verum est, quod notat Lugo *n.* 119. scil. non esse necesse, ut opera, in quæ est facta commutatio, perficiantur eo die, quo commutata perfici debebant.

112 II. Si quis perfectis ante ultimam Dominicam omnibus præter Communionem, vellet ipsa ultima Dominica communicare, sed inadvertenter manè jejunium naturale violâsset; posset Confessarius illa ipsa ultima Dominica Communionem commutare in aliud opus; quia revera adest impedimentum communicandi Diana *P.* 3. *Tr.* 4. *Res.* 152. Sanctarellus *c.* 7. *dub.* 1. & alii, repugnante Lugone *n.* 119. propter Bullam Urbani pro Jubileo Anni 1636. in qua non datur facultas commutandi Communionem. Sed hæc Bulla, sicut & 3. Innocentii est quo ad hoc restrictior, quàm aliæ; quare allata responsio habet locum in plerisque aliis Bullis & nominatim in ejusdem Urbani de Anno 1629.

113 III. Similiter si quis spreta Jubilei gratia, nil operum præscriptorum fecit prima, aut secunda hebdomada, attamen ultimo Jubilei die divinitus tactus Confessionem accedat pro lucrando Jubileo, potest Confessarius omnia opera, quorum tempus jam effluxit e. g. jejunia commutare in alias pias actiones, eúmque participem facere Jubilei cum omnibus suis appendicibus. Filliucius *Tract.* 8. *num.* 268. Sanctarell. *cap.* 7. *dub.* 1. Diana *Part.* 5. *cis. Tract.* 12. *Resol.* 26. referens pro hac sententia Polachum, Alphonsum Leone, & alios contra Joannem Præpositum. Ratio est, quia revera iste homo habet tunc verum impedimentum, quò minùs præscripta peragat intra definitum tempus, ergo potest in illum etiam Confessarius suam exercere potestatem. Nec obstat, quòd, *qui voluntariè omittit, non dicatur impeditus*, cap. *Commissa. De Elect. in 6.* nam is, de quo loquimur, omisit quidem antè voluntariè, at jam non omittit voluntariè. Hinc refutantur Lavorius, & Rodriq. qui apud Dianam *Resolu.* 25. dixerunt, à Confessario non posse commutari opera, quorum tempus jam est elapsum, sed solùm illa, quorum faciendorum tempus quidem adhuc adest, at conjunctim cum impedimento.

114 IV. Quando pœnitens omnibus reliquis perfectis venit ultimo Sabbato ad Confessio-

nem, dubitat tamen probabiliter Confessarius, an sit, si eum absolvat, permansurus in occasione proxima peccandi, potest differre absolutionem & Communionem per aliquot hebdomadas, ut eruat illum ab occasione peccandi, & postea illum absolvat ab omnibus etiam reservatis, sicuti etiam, quando ipso tempore Jubilei non potest Confessio propter casus intricatos, integre absolvi, licitè Confessarius impertit tunc absolutionem à Censuris, & Reservatione, dilata in aliud tempus absolutione à peccatis. Diana *Resol.* 26. post Bossium. Et hæc postrema doctrina juxta Lugonem *Tom.* 3. *disp.* 20. *n.* 138. etiam habet locum in Bulla Urbani VIII. pro Anno 1636. & consequenter in Bulla Innocentii, in quarum neutra sit potestas differendi totam Confessionem, & Communionem. Vide de hoc casu Sanchez. *Lib.* 8. *de matrim. disp.* 15. *n.* 17. Sanctarell. *cap.* 8. *dub.* 7. An verò, si interim incidat in novos casus reservatos, possit quoque ab iis per eundem Confessarium absolvi, dicam. *n.* 268.

CAPVT XVIII.

De æquali, & inæquali participatione Jubilei.

SUMMARIUM.

Diligentiùs perficiens opera præscripta plus meretur ex opere operantis. 116.
Non omnes illa obeuntes cum pari fervore referunt fructum parem materialiter. 117.
At referunt parem formaliter. Ibid.
Quid si loquamur de fructibus distinctis ab ipsa Indulgentiâ? 118.
Quid si de ipsa Indulgentia, pro qua inæqualiter laboratur? 119.
Solvitur dubium ortum ex Bulla Bonifacii Octavi. 120.

115 Quæst. L. *An omnia opera pro Jubileo præscripta exequentes consequantur æqualem fructum Jubilei?*

PRoponendæ hujus quæstionis causam dat Bonifacius VIII. qui in Extrav. *Antiquorum. De Pœnitent. & Remissionibus* loquens de Indulgentia Plenaria, quam pro Jubileo Anno M. CCC. concedebat visitantibus Ecclesias Romanas, ita pronunciat: *Unusquisque autem plus consequetur, qui Basilicas amplius, & devotius frequentabit.* Quòd autem Pontifex dicit de visitantibus Basilicas, dici etiam potest, & debet, de obeuntibus alia opera, præsertim processionem, & jejunia. Idcirco generatim

116 RESP. I. Haud dubiè plus (cæteris paribus) apud Deum meretur is ex opere operantis, qui præscripta opera diligentiùs perficit, & ferventiùs. Ratio petitur ex generali Theologorum doctrina de Merito.

II. Non omnes, qui omnia præscripta opera perficiunt cum æquali fervore, & diligentia, consequuntur fructum Jubilei æqualem *materialiter.* Ratio est, quia uni plùs pœnæ, Censurarúmque remittitur, quàm alteri, idcircò videlicet, quòd sit obnoxius pluribus, quàm alter.

III. Omnes, qui omnia opera præscripta 117
perficiunt æquali cum perfectione, adipiscuntur fructum jubilei æqualem *formaliter.* Ita videntur sentire omnes. Ratio est, quia non suppetit causa faciendi ullum in hoc casu discrimen. Dicitur autem à Suarez: *Tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 8. fructus esse æqualis *formaliter*, quando per Jubileum obtinetur reipsa jus ad æquales favores, sive interea obtineantur reipsa, & in actu secundo æquales favores, sive non obtineantur reipsa, quia scilicet unus non indiget tam multis, quàm alter.

IV. Modò reipsa præstentur omnia præ- 118
scripta, & secundùm conditiones generatim à Pontifice requisitas, obtinetur ab omnibus fructus Jubilei æqualis *formaliter*, si loquamur de fructu, & favoribus ab ipsa Indulgentia Plenaria distinctis, esto, illa opera perficiantur inæquali cum fervore & perfectione. Hanc resolutionem licèt nemo diserte, & sigillatim exprimat, puto tamen ab omnibus admitti, & nominatim à Suarez *citatâ sect.* 8. innuitúrque à Comitolo *Lib.* 1. *quæst.* 36. *n.* 4. in fine. Probo illam, tum quia nulla suppetit causa eam negandi; tum quia saltem respectu horum favorum verum est Commune axioma, quòd Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant; tum denique quia innumeri scrupuli orirentur pœnitentibus, & Confessariis, si diversitas perfectionis in obeundis operibus gigneret diversitatem in censurarum, reservatorum, & votorum relaxatione actuali.

V. Perpensis omnibus, quibus Navarrus 119
de *Jubil. Not.* 15. Comitolus *citatâ quæst.* 36. Coninck. *disp.* 12. *num.* 34. fusè contra Suarez *citatâ sect.* 8. contendunt, illos, qui gravium pœnarum Rei, tepidè visitant Ecclesias designatas, aut qui parcè largiuntur eleemosynam, non potiri totaliter Indulgentia Jubilei, sicut potiuntur, qui cum magna pietate obeunt illa templa, magnámque largiuntur stipem; censeo dicendum cum Filliucio *Tr.* 8. *n.* 126. ipsam etiam Indulgentiam plenariam plenariè, & integre, atque adeò non tantùm partialiter comparari ab omnibus omnino, qui opera obeunt communi, seu mediocri cum fervore, sive sint gravibus pœnis obnoxii, sive levibus. Probo, tum quia *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*, sonant autem sine distinctione inter eos, qui mediocri, & eos, qui magno

magno cum fervore perficiunt ea, quæ præscribuntur, tum quia Ecclesia sæpe offert Indulgentiam plenariam pro aliquo opere, quod quintuplo, aut etiam decuplo minus est iis, quæ pro Jubileo injunguntur; tum quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur, inquit S. Thomas *in* 4. *distinct.* 20. *a.* 3. *quæst.* 2. *ad* 4. tum denique quia potest utique Pontifex efficaciter velle, ut Indulgentiæ Plenariæ compotes fiant, etiam illi, qui mediocri cum perfectione implent conditiones à se præscriptas, ergo dicendum est, id reipsa velle, cùm verba Bullarum non plus sonent, quæ quidem esse latissimè interpretanda jam ostendi.

120 Nec videtur huic resolutioni obesse id, quod superiùs retuli ex Bonifacio VIII. nam plus non docet, quàm quòd, quantum est ex parte causæ, cum majore efficacia, certiúsque consequatur totam Indulgentiam is, qui devotiùs & sæpius præscripta opera peragit, ut rectè Suarez *loc. cit. num.* 8. & confirmo hanc responsionem inde, quia si contendas à parte rei, & in actu secundo semper fieri, ut tanto plus pœnarum relaxetur vi Jubilei, quanto ferventiùs obeuntur opera injuncta, sequitur, vel nullum reipsa potiri Indulgentiâ Plenariâ; quia nullus tam ferventer obit opera, quin alius possit obire ferventiùs; vel esse mentem Pontificis, ut illi soli lucrentur Indulgentiam Plenariam, qui ita ferventer pro Jubileo orant, jejunant, &c. ut à nullo alio, etiam piissimo, & religiosissimo superentur in eo fervore; quod quidem dicere est valde alienum à persuasione fidelium, nemo enim putat, solum S. Carolum Borromæum e. g. potitum fuisse Indulgentia Jubilei, posito, quòd ipse omnes omnino Christianos superârit perfectione, & repetitione operum pro Jubileis suo tempore impertitis injunctorum.

CAPVT XIX.

De Processione pro Jubileo.

SUMMARIUM.

Plures processiones indicuntur Romæ pro Jubileo. 121.
Absolutè sufficit indicere unam. 122.
Estque indicenda sub mortali, quando eam præcipit Papa. 123.
Episcopi quandoque eam præcipiunt, licèt Papa non faciat mentionem. Ibid.
Nemo absolutè tenetur interesse processioni. 124.
Quid si qui interest, nihil tunc oret? Ibid.
Aut perpetuò garriat? Ibid.

Quæst. LI. *Sufficitne unicam in singulis locis indicere processionem?*

INdicendas esse plures probari potest, tum quia Romæ indicuntur duæ, ut patet ex Bulla tertia *lit. d.* tum quia sub finem ejusdem Bullæ *lit. dd.* mandatur singulis Episcopis, ut *processiones* indicant, & celebrent, *Ecclesiamque sive Ecclesias* visitandas designent. Ubi pondero tum nomen *Processiones* tum nomen *Ecclesiam* in diverso numero posita.

E diverso sufficere unam, probatur ex ea- 121
dem Bulla, quæ circa medium *lit. i.* loquens de fidelibus extra Urbem existentibus ait: *qui processioni &c. indicendæ, & agendæ interfuerint.*

Accedit praxis tum aliorum locorum, tum Vallis Oenanæ; in qua scripsi hunc commentarium, & ut alia omittam, habeo penes me duo Diplomata duorum Episcoporum Diœcesis Brixinensis, in quibus notificantur Parochis, &c. Jubilea Pontificia, in iis tamen non jubentur Parochi instituere, nisi unam Processionem, ein feyerliche Procession. Et verò in pagis, parvísque urbibus non consuevit, nisi una celebrari, secus in magnis urbibus. Propter has rationes censeo, absolutè sufficere (nisi Bulla exprimat plures) pro singulis locis, singulas indici primâ, vel altera hebdomada. Nec obest, quòd Bulla jubeat indici *processiones*; nam si à singulis Parochis indicantur singulæ, possunt rectè dici esse indictæ processiones in plurali numero.

Quæst. LII. *Estne gravis obligatio indicendi,* 122
& instituendi Processionem?

RESP. Quando Bullæ, quibus conceditur Jubileus, in virtute S. Obedientiæ, & districtè præcipiunt, ac mandant Ordinariis locorum, & curam animarum exercentibus, ut Cleris, & populis sibi subjectis solennes Processiones indicant, & celebrent, mortaliter utique delinqueret Parochus, qui non indiceret saltem unâ, quandoquidè processio est materia gravis. Haud puto tamen idcirco periclitaturum Jubileum; tum quia nemo absolutè tenetur interesse supplicationi, ut mox ostendam; tum quia Jubileus non offertur sub conditione indicendæ processionis. Atque ita sentire videtur Henriq. *c.* 10. *n.* 3.

Cæterùm jam observavi suprà *Cap.* 3. inter 123
cætera quatuor discrimina, quibus Bullæ horum posteriorum Annorum discrepant ab Antiquioribus, esse etiam hoc, quòd Bullæ posteriorum Annorum frequentius indicant Processiones, quàm priorum. Quin imò non nunquam Reverendissimi Ordinarii eas decernunt, tametsi Bullæ altum sileant. Quæ solicitudo ad promovendam pietatem, atque æstimationem thesauri Ecclesiastici meritò est laudanda, attamen qui tali processioni interest non liberatur obligatione visitandi Ecclesiam, si Papa statuit visitari; hæc enim Episcopi pol-

lent

lent jure commutandi pro toto Episcopatu opera diserte præscripta à Pontifice.

Quæst. LIII. *An, & quomodo oportet interesse supplicationi?*

124 RESP. I. Nemo absolutè tenetur interesse Processioni. Nam Bullæ ita loquuntur: *Qui Proceßioni interfuerint, aut Ecclesiam, &c. visitaverint, ibique piè pro exaltatione Fidei, &c. oraverint.* Sufficit itaque alterutrum præstare, unde habet hic locum Reg. 70. *In alternativis* (id est subdisjunctione propositis) *debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri*, atque adeò non est opus, ut Monialibus, ægris, &c. fiat processionis in aliud commutatio, sed vel processionis, vel Ecclesiæ visitationis.

II. Quia Bullæ præcisè dicunt: *qui interfuerint proceßioni*, ille autem etiam propriè interest, qui comitatur, etsi nil oret, ideo etiam nil orando implet conditionem.

At *quid, si perpetuò garriat? tractet nugas?*

RESP. Si ita modestè, & moderatè faciat, ut nihilominus secundùm speciem exteriorem censeatur potiùs sacram, quàm profanam ambulationem instituere, nil oberit garritus, aut nugarum tractatio, ut insinuat Laymann. Theol. Moralis *Lib. 5. Tract. 7. cap. 6. num. 4.* Cæterùm qui antiquitatem, causasque multiplices sacrarum processionum nosse vult, consulat vel Benzonium, *Lib. 3. De Iubil. cap. 15.* vel Gretserum *Lib. 1.* de sacris processionibus.

CAPVT XX.

De Visitatione Ecclesiarum tempore Iubilei.

SUMMARIUM.

Qui non interfuit supplicationi, tenetur visitare Ecclesiam, vel Ecclesias nominatas. 125.
Aut quandoque Oratoria. 126.
Nequit Episcopus plures, quàm Pontifex designârit, Ecclesias nominare tanquam necessariò visitandas. Ibid.
At potest validè designare pauciores. Ibid.
Quomodo visitandæ Ecclesiæ? 127.
Quid si visitentur principaliter ob recreationem? 128.
Quid si nequeas ingredi ipsum templum, sed cogaris stare foris? 129.
Quid si præscribatur visitatio aliquot altarium? 130. & 131.
Quid si adsint pauciora altaria, quàm præscribantur visitanda? 132.
An vicini Ecclesiæ lucrentur, tam multum suâ visitatione, quàm remoti? Ibid.
An sæpius visitans Ecclesiam consequatur sæpius Indulgentiam? 133.
Quid si visitet de die vigesies, trigesies? Ibid.
Quid si Indulgentia concedatur pro una certa die? 134.
Nomine Ecclesiæ visitandæ an veniant etiam Oratoria approbata ab Ordinario? 135.
An atrium, & cubicula Monasterii, cujus Ecclesiæ dantur Indulgentiæ? Ibid.
An etiam Capellæ, & Eremitoria suburbana? 136.

Quæst. LIV. *Estne necessariò pro Iubileo obtinendo visitanda aliqua Ecclesia?* 125

RESP. I. Qui interfuit Supplicationi, non tenetur visitare Ecclesiam pro lucrando Jubileo extra Annum Sanctum, juxta Bullas Pauli V. pro Jubileo 1617. Urbani VIII. pro Jubileo Anni 1629. & 1636. & Innocentii *lit. k. & l.* nam illæ Bullæ utuntur disjunctivâ particulâ. At juxta Bullam ejusdem Pauli V. pro Jubileo Anni 1605. & Gregorii XV. pro Jubileo Anni 1620. Clem. X. pro Anno 1670. oportet absolutè visitare Ecclesias, vel Ecclesiam, vel Oratorium, ut mox dicam, sicuti pro consequendo Jubileo Anni Sancti sunt haud dubiè visitandæ 4. Ecclesiæ, quas Bulla exprimit, & quidem 15. diebus à Peregrinis, seu aliàs externis; 30. à Romanis, tam civibus, quàm incolis. Quid autem hic intelligatur nomine Peregrinorum, Civium, Incolarum, explicant Navarrus *De Iubil. Not. 32. num. 42. 43. & 44.* Benzonius *Lib. 5. cap. 15. dub. 2. & 3.* & Sanctarellus *De Iubil. cap. 4. dub. 4.*

Quæst. LV. *Quæ, & quot Ecclesiæ sunt visitandæ?* 126

RESP. Juxta sex ex citatis septem Bullis oportebat invisere *Ecclesiam, vel Ecclesias* & quidem *designatam, vel designatas ab Ordinario loci*, aut curam animarum habente, alioqui non obtinebatur Indulgentia. Patet ex Bulla 3. *lit. l.* At secundùm citatam Bullam Pauli V. Anno 1605. sufficiebat visitare Capellas, vel Oratoria, vel alia quæcunque pia loca, per Confessarium designata. Verùm Communis stylus stat pro sex prioribus Bullis, aliisque pluribus, quarum nonnullæ, ut Innocentii *lit. l.* sub disjunctione loquuntur de Ecclesiâ, vel Ecclesiis; aliæ absolutè Ecclesias in plurali nominant, quia quandoque sunt plures visitandæ, ut notat Diana *Resol. 55.* observans ex Bossio, etsi extra Romam sufficiat visitare tot Ecclesias, quot sunt Romanis præscriptæ, nec possit Ordinarius validè plures designare, tanquam necessariò visitandas, & quando plures nominat, videatur plures nominare pro sola commoditate; nam revera nec Parochus, nec Episcopus potest graviores aut plures lucrandi Jubilei conditiones suis præscribere, quàm Papa præscribat Romanis; attamen si pauciores designet, quàm in Urbe sint designatæ, valere ejus designationem, dummodo tot

tot designet, quot sunt ex præscripto Pontificis extra Urbem visitandæ. Porro nomine Ecclesiæ puto hic intelligi etiam profanatam, aut nondum etiam consecratam, nam in favorabilibus sic accipitur nomen Ecclesiæ.

127 Quæst. LXI. *Quomodo visitandæ sunt Ecclesiæ?*

RESP. I. Quando præcisè in Jubileo, vel extra illum mandatur, ut aliqua Ecclesia visitetur, requiritur visitatio religiosa, & devota, quam Religiosam devotionem sufficienter demonstrat, qui in templo præscripto exercet actum religionis, ut si oret illic, pectus tundat, profundam reverentiam faciat, vel suâ præsentiâ, inquit Laym. *c. 6. n. 4.* Communem aliorum devotionem approbet, cohonestet; vix tamen moraliter fieri potest, ut quis religiosè visitet templum, & non ibi aliquantulum oret. Filliuc. *n. 3.* Et quantumvis totum iter ad Ecclesiam usque conficiat quis cum peccato, aut ex peccato veniali, aut etiam mortali potest nihilominus dici, devotè visitare Ecclesiam, si modestè illam ingrediatur, & in ea oret, inquit Peyrinis *Tom. 1. fol. 156. n. 7.* post Navarrum *Not. 32. n. 46.* nam Bullæ Jubilei non præscribunt quidquam circa iter ad Ecclesiam, sed circa ipsam visitationem, unde etiam ii, qui intra Ecclesiam habitant, possunt illam visitare, nil itineris faciendo, ut notat Navarrus ibidem.

128 Hinc non absolutè admitto id, quod docet Corduba *q. 25. fin.* scilicet conditioni, quam hic explicamus, non satisfieri ab eo, qui visitat Ecclesiam principaliter ob recreationem, nam talis potest nihilominus in ea Ecclesiâ devotè aliquamdiu orare. Fortè verius est id, quod subjungit idem Corduba, & Rodriq. scilicet illum non comparare Indulgentiam, peregrinantibus ad limina Apostolorum concessam, qui peregrinatur principaliter propter causam merè profanam.

129 II. Quando quis ob concursum hominum nequit ingredi Ecclesiam visitandam, satisfacit visitando extra portam, ibique orando. Lugo *disp. 27. n. 97.* post Bonacinam *disp. 6. q. 2. p. §. n. 26.* & Dianam cum pluribus contra Zanardum, & Glossam. Unde ait Sanctarellus, si quis inveniat januam clausam, sufficere, si oret ante illam; & ita practicari Romæ à peregrinis. Ratio est, quia & hoc modo dicitur moraliter visitare Ecclesiam, & cœmeterium adhærens Ecclesiæ in favorabilibus nomine Ecclesiæ comprehenditur; ideoque absolutè docent Suarez *Tom. 4. d. 52. sect. 1. n. 7.* & Lezan. *verb. Iubileum n. 11.* illum potiri Indulgentiâ visitantibus Ecclesiam propositâ, qui visitat cœmeterium. Sed rectè monet Laym. *c. 3. n. 4.* extra casum necessitatis, semper illud faciendum, quod certius, & securius est.

Quòd si aliqua Bulla præscribat visitatio- 130
nem non tantùm Ecclesiæ, sed trium, aut quinque Altarium, ut præscribitur in statutis Congregationis Rosarii, & Annunciatæ pro lucrandis Indulgentiis Stationum, tum non sufficit orare ita ad foras, sed oportet ipsum templum ingredi, aut tria, vel quinque templa de foris visitare; nam licèt, ut dixi, illa ad portam genuflexio sufficiat ad id, ut dicatur moraliter visitari Ecclesiâ, non tamen sufficit ad id, ut dicatur moraliter visitari hoc, vel illud Altare. Addit Portel. *In addit. n. 7.* quando conceditur Indulgentia assistentibus divino Officio in Ecclesia, eam lucrari existentes in atrio templi, si non possint intrare, nam existentes in atrio habent assistentiam moralem, & sufficientiam ad satisfaciendum præcepto de Missa audienda, inquit Portel.

III. Quando pro aliqua Indulgentia con- 131
sequenda præscribitur visitatio trium, aut quinque altarium, non sufficit præcisè esse in templo, in quo sunt ea quinque altaria, & animo converti ad illa, sed requiritur, ut aliquo gestu, vel conversione capitis, aut corporis, significes conversionem animi ad singula altaria; nam exigitur visitatio sensibilis, hoc est, talis actio, quæ exteriùs significet orationem, aut alium religiosum actum fieri, ad tale altare, ut ratiocinatur Lugo *n. 98.* loquens etiam de illo, qui est in medio templo. Addo cum eodem contra alios, etsi requiratur ejusmodi conversio, & motus corporis, attamen non sufficere, nisi sis in eo loco, aut situ, ut moraliter censeri possis orare ad quodlibet ex iis altaribus, nam aliter nemo dicet visitari à te illa altaria.

Quòd si in aliquo templo sint pauciora al- 132
taria, quàm visitari præscribatur, satisfacies, te versus unum illorum inclinando toties, quoties te inclinares; si omnia requisita altaria adessent, secundùm Escobar & Dianam *Par. 1. Tract. 11. Resol. 102.*

IV. Quando in Bulla Jubilei dicitur, duas, aut tres Ecclesias esse *saltem semel* in die visitandas, sufficit secundùm Joannem Monachum apud Navarrum *Not. 32. n. 41.* hodie unam, cras alteram visitari; non sufficit secundùm eundem Navarrum, & rei veritatem; tum quia Gregorius XIII. teste eodem Navarro dicitur ita declaravisse; tum quia non est sine rationabili causa recedendum à proprio, & communi usu verborum; recedit autem ille, qui sequitur opinionem Joannis Monachi. Unde infero, quando Bulla mandat Ecclesiam visitari duobus diebus, non satisfacturum, qui bis quidem visitaret, sed uno, non autem duobus diebus.

V. Qui est vicinus Ecclesiæ, & etiam Sacer- 133
dotes, ac Clerici, consequuntur tantam Indulgentiam, sicut illi, qui venirent à mille die.

dietis, quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur. Ita loquitur S. Thomas *in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 4.* Nec interesse, sive pedes, sive eques visitet quis Ecclesiam, rectè monet Benzonius.

133 Quæst. LVII. *An, qui Ecclesiam sæpius visitat, consequatur sæpius Indulgentiam?*

RESP. Circa hanc ab omnibus antiquis, & recentioribus agitatam, & huic loco non incongruè insertam quæstionem tenenda sunt sequentia.

I. Quando visitatio Ecclesiæ est tantùm una pars operum præscriptorum, ut e. g. in Jubileis, clarum est illius solius repetitionem non sufficere ad sæpius lucrandam Indulgentiam.

II. Etsi visitatio sit opus adæquatum pro Indulgentia consequenda, & dicatur in formula illius Indulgentiæ: *quicunque visitaverit hanc Ecclesiam, obtinebit talem Indulgentiam*, non lucraberis illâ vigesies intra unam horam, si vigesies intra horam ingrediaris, egrediarisque templum, nam aut videris potiùs tunc nugari, quàm visitare Ecclesiam, aut certè unam continuatam visitationem obire.

134 III. Quando Indulgentia est perpetua, promittiturque omnibus talem, aut talem Ecclesiam visitantibus, toties illam consequêris, quoties prædictam Ecclesiam visitabis, humano, & non nugatorio modo. Hoc ut minimùm docet S. Thom. *Loc. Comm. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 4.* Ratio est, quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant; illa autem, de quâ hic agimus sonat sine restrictione ad unam vicem in vitâ; ergo toties consequêris, quoties visitabis Ecclesiam prædicto modo, ut si egrediens domo, illam visites, & rediens iterum visites, ut loquitur Cardinalis de Lugo *disp. 27. n. 95.* Hinc apparet, quid sentiendum de illis Indulgentiis, in quibus dicitur: qui oraverit ter Pater, & Ave, qui recitaverit Rosarium, qui exercuerit hunc, aut illum actum, consequetur hanc, & illam Indulgentiam; qua de re prolixiùs tractabimus *Tract. seq. c. 6.*

IV. Quando Indulgentia conceditur pro uno certo die, ut quando dicitur: *qui in die Circumcisionis visitaverit tale Templum &c.* posse tantùm semel illo die acquiri eam Indulgentiam ajunt multi, negant multi, utrique verosimiliter. Quamquam loquendo de Indulgentia concessa visitantibus Templa PP. Minimorum in festo eorum Glorioſi Patriarchæ, res est extra controversiam, etenim in Gregorii XIII. Bulla, quam refert Peyrinis *Tom. 4. fol.* 294. expressè dicitur, illam eo die concedi *toties, quoties* quis talem Ecclesiam visitârit, & præscripta perfecerit; testaturque Peyrin. *in Comment. n. 6.* non reperiri similem Indulgentiam uspiam concessam, nisi Ecclesiæ S. Laurentii Patrimonii Regis Hispaniarum.

V. Quando pro una Indulgentia designantur plures dies ob commoditatem populi, negat Card. de Lugo *loc. cit.* eam sæpius posse acquiri; si verò id fieret ad fovendum populi concursum, per totam Octavam v. g. & celebritatem in tali Ecclesia, tum posse singulis saltem diebus obtineri affirmat idem. Ego cum Reginaldo *n. 155.* post Navarr. generatim dico, quoties aliqua Indulgentia proponitur pro pluribus diebus, posse eam quovis illorum dierum obtineri à quolibet repetente præscriptam visitationem, nisi fiat in Bulla limitatio expressa, sicuti fit e. g. pro Indulgentia tridui Bacchanalium. Ratio est, quia non video causam restringendi hîc verba Pontificum.

Cæterùm quia in hoc capite facta est toties 135
mentio Ecclesiæ visitandæ, refero ex nostro P. Quintanadvennâ, quid ipse censeat intelligi nomine Ecclesiæ in Bullis Pontificiis, nominatim loquentibus de Indulgentiis. Itaque in Appendice *Tract. 1. dub. 6. & 7.* scribit, nomine *Ecclesiæ* comprehendi præsertim in favorabilibus, Capellas, Sacella, & Oratoria ab Ordinario pro celebratione Missarum approbata, vel authoritate Pontificis ex privilegio à Superioribus Religiosorum erecta. Item Monasterium seu Religiosam domum, *ergo Jubilea* (id est Indulgentiæ) *concessa Ecclesiæ Societatis, toti domui conceduntur, & in illa ubicunque celebretur, poterunt lucrari*, inquit cit. *dub. 6. n. 2.* sicuti & in *atrio Collegii, nam atrium est pars domûs, magisque specialiter sub Ecclesiæ nomine comprehenditur, illiusque immunitate gaudet*, inquit *n. 4.* subdens *n. 5.* Religiosos, *qui in Valetudinario, aut cubiculis communicant*, lucrari Indulgentias concessas communicantibus in eorum Ecclesia, eò quòd valetudinarium, & cubicula sint pars Monasterii, quod totum cadit sub nomine Ecclesiæ *sicut ambitus Ecclesiæ ad triginta passus*, ut ait *n. 6.* subjiciens *n. 7.* quando pro Indulgentia acquirenda fieri debet oratio in aliqua *Ecclesia*, sufficere si fiat in prædictis Sacellis, & Oratoriis intra Monasteria, & Domus existentibus. Plura referam ex eodem authore infrà *cap. 26. n. 199.*

Idem auctor *in cit. Appendice Tr. 6. dub. 2.* 136
disserens distinctiùs adhuc de Indulgentiis, quas obtinent visitantes oratoria, vel Ecclesias, exprimit, nomine *Ecclesiæ* venire tunc non modò Ecclesias Parochiales, & Regulares, sive consecratæ, sive duntaxat benedictæ sint, sed etiam quascunque Capellas, Templa, Eremitoria, Hospitalia, Monasteria tam virorum, quàm mulierum, si hæc omnia sint ab Episcopo approbata in Communem usum ad Missarum celebrationem, eò quòd hæc omnia in favorabilibus comprehendantur nomine Eccle-

Ecclesiæ, quod intelligendum est, licèt Ecclesiæ, Capellæ, Eremitoria sita sint in carceribus, suburbiis, prædiis, agris, hortis, dummodo ab Episcopis, sint approbata in Communem usum fidelium, quia hæc etiam in ordine ad immunitatem sub nomine Ecclesiæ comprehendi docent Alexander, & Tuschus. Verb. *Ecclesia, conclus. 8. Ergo etiam in ordine ad lucrationem Indulgentiarum comprehenduntur.* Ita ille *l. c. n. 5.* subdens *num. 2.* probabile esse, etiam privata Oratoria, quæ in privatis domibus approbata sunt ab Episcopo, pro Missarum celebratione, huc spectare, sicut & Ecclesias authoritate Episcopi fundatas, licèt nec dum benedictæ sint, nec in iis liceat officia divina celebrare, eò quòd etiam tales sint absolutè Ecclesiæ, gaudeántque immunitate quemadmodum & Ecclesiæ pollutæ, vel interdictæ. Denique hic Author *eod. dub. 2. num. 5.* statuit hanc quartam conclusionem: *Non omnia loca, quæ gaudent privilegio immunitatis sub nomine Ecclesiæ comprehenduntur in ordine ad lucrandas Indulgentias Ecclesiis, vel Altaribus concessas. Probatur, quia plura hujusmodi sunt, quæ nec sacra loca, nec Altaria, nec Ecclesiæ pro missarum celebratione censentur, ut sunt Palatia ab Ecclesiis 40. passus distantia: Scholæ: Principum statuæ: Ambitus Ecclesiæ: Cœmeterium: Campanile: nec non domus Parochorum, Canonicorum, aliorumque Ecclesiasticorum. Sic docent plures Doctores, licèt nonnulla non sint in usu.* Sic ille: sed non video ego, quomodo hæc omnia concordent cum quibusdam, quæ superiùs ex hoc ipso descripsi fideliter? Judicet Lector de horum veritate, ago solùm partes Referendarii.

CAPVT XXI.

De Oratione pro Iubileo.

SUMMARIUM.

An oratio præscripta pro Iubileo debeat esse Vocalis? 137.
Quid si præcipiatur dici quinquies Pater, & Ave? 139.
Quando præscribitur oratio indeterminatè, sufficit brevissima. 140.
Quid si Papa jubeat orari per aliquod temporis spatium? Ibid.
Olim sufficiebat recitare unum Pater, & Ave pro obtinenda plenissima Indulgentia in festo Circumcisionis. Ibid.
At Gregorius XIII. jussit dici quinquies. Ibid.
Illa oratio facienda est ad intentionem Summi Pontificis. 141.
Nec prodest, si fiat cum voluntariis distractionibus. 142.
Nisi Bulla præcisè dicat: Qui hoc, aut illud oraverit. 143.
Ubi facienda sit oratio? 144.

Quæst. LVIII. *Quando in Iubileis, aut aliis* 137
Oratio præscribitur, quas conditiones ea debet habere?

RESP. I. Absolutè debere esse vocalem docet Rodriq. apud Dianam *Resol. 44.* & in dubio ita esse censendum ait Lezana *n. 13.* testante Lugone *n. 11.* communiter præscribi vocalem; ideo fortè, quòd communiter dicatur, *preces esse fundendas*; addit tamen, quando Bulla præcisè dicit *esse orandum devotè*, sicut dicit Bulla 3. Innocentii *lit. e.* tum non esse improbabile, quòd sufficiat mentalis Oratio, quamvis etiam tunc sit tutius aliquid miscere de Oratione vocali, videlicet Litanias, Rosarium, aut aliquid simile. Ego non dubito, quin hoc sit tutius, ajò tamen cum Navarro *De Iubil. Not. 32. n. 48.* in rigore nil referre, utrùm tunc sit mentalis, an vocalis; tum quia Oratio mentalis est propriissimè Oratio, & fusio precum; tum quia constat ex praxi, non rarò ab Ecclesiâ dari Indulgentiam pro actu merè interno.

Undeà fortiori dicendum est, sufficere il- 138
lam Orationem vocalem, quæ ita submissè profertur, ut ne quidem ab ipso orante audiri queat, sicuti in materia de Horis Canonicis fert probabilior opinio Doctorum, quòd Clericus satisfaciat suæ obligationi, etsi ita submissè verba dearticulet, ut seipsum audire nequeat, qua de re plura Tom. priore *Tract. 5. n. 690.*

Attamen quando Indulgentia proponitur 139
dicentibus *quinquies Pater, & Ave*; recitantibus *Rosarium &c.* censeo non obtineri ab iis, qui solâ mente volvunt verba contenta in oratione Dominica, & salutatione Angelicâ; nam verba sunt intelligenda secundùm Communem loquendi modum L. *Labeo.* ff. De suppellect. legat. ubi dicitur: *non ex opinionibus singulorum, sed ex Communi usu nomina exaudiri debere ait Tubero*; Communis autem usus ipsius Ecclesiæ habet, ut quando jubetur quis dicere, seu recitare Orationem Dominicam, utatur voce sicuti patet vel ex præcepto de Horis Canonicis.

II. Per se loquendo nil ad acquisitionem 140
Indulgentiæ Jubileo interest, sive illa Oratio sit longa, sive brevis, sive hac, sive illa lingua, sive alternatim cum socio, sive solitariè, sive stando, sive sedendo fiat; quamvis utique omnibus suadendum est, ut longas, & cum modesto corporis situ, Orationes fundant. Ita pronunciat Diana *P. 5. Tr. 12. Resol. 33.* cum Bossio, & Leone. Et quia Suar. *Tom. 4. disp. 82. sect. 8. n. 5.* rectè universim tradit, quando præscribitur oratio indeterminatè, sufficere minimam, idcirco sine fundamento putant nonnulli esse tunc minimum quinquies *Pater, & Ave* recitandum.

Quid si autem Bulla ita sonet: *Ibique per*

aliquod temporis ſpatium devotè oraverint? ſufficiétne quina devota repetitio Orationis Dominicæ, & ſalutationis Angelicæ?

RESP. Suffecturum, quidquid nonnulli alii judicent; nam & phyſicè, & moraliter dicitur quis per aliquod temporis ſpatium orâſſe, garriviſſe, luſiſſe, foviſſe bonas, malâſve cogitationes (ut nihil dicam de cædentibus ſe flagello, tolerantibus gravia tormenta, pœnâſve Purgatorii) qui has actiones exercuit tanto tempore, quanto ſolent à fidelibus devotè quinquies recitari illæ duæ precationes. Porrò illa phraſi fuit uſus Alexander VII. in Bullis An. 1661. 1663. 1664. At Urbanus VIII. communiter hac ſola clauſula: *Ibique devotè Deum oraverint*: Conſentit à fortiori Quintanadvennas, poſthæc ſcripta lectus à me, in Append. *Tr. 2. dub. 2. n. 7.* ubi loquens de clauſula: *per aliquod temporis ſpatium preces fundat*: ſcribit, ſufficere ſi quis oret, prout unicuique ſuggerit devotio; imò ſe refert ad doctrinam à ſe traditam *Tract. 1. dub. 14.* (imprimendum erat *dub. 13.*) de numero, ſeu quantitate Orationis præſcriptæ in Jubileis, refértque ex Emanuele Rodriq. generatim, unam Orationem Dominicam eſſe modicam, ſufficentem verò eſſe trium Orationum Dominicarum, vel Salutationum Angelicarum recitationem: item Pſalmum quemque ex Pſalterio, excepto minimo: *Laudate Dominum omnes gentes.* Ipſe autem P. Quintanadvennas exiſtimat, illum qui hunc ipſum Pſalmum, aut unicam Orationem Dominicam, unicámve Salutationem Angelicam oraret, ſatiſfacturum, idque probat inde, quòd Paulus III. conceſſerit Plenariam Indulgentiam omnibus ſemel in Anno viſitantibus die deſignato à noſtro Præpoſito Generali Eccleſiam Societatis, ibíque Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam oraverint, ut videre eſt in Bulla ejuſdem Pontificis incipiente: *Licèt debitum.* Verùm obſervandum eſt, Gregorium XIII. poſtea expreſſiſſe, illam Orationem, & Salutationem eſſe quinquies recitandam, ut liquet ex Bulla ejuſdem cujus initium: *Quanta in vinea Domini.* Cur verò Paulus III. fuerit contentus tam brevi precatiuncula pulchram cauſam adfert Hautinus noſter in Patrocinio defunctor. *Lib. 3. n. 981.*

141 III. Illa Oratio debet fieri ad intentionem Summi Pontificis, ut ſigillatim monent Diana *Reſol. 33.* Lezana, & Lugo *ll. cc.* & patet ex Bulla 3. Innocentii *lit. c. & e.* quæ intentio ibidem exprimitur quadruplex, & non ſufficere, ſi quis ignarus illius quadruplicis intentionis in genere dicat: *volo orare ad mentem Summi Pontificis præſcriptam in Bulla*, jam monui, cùm de intentione egi ſuprà *Cap. 12.*

142 IV. Etſi longè probabilior opinio Cardinalis de Lugo *Tom. 3. diſp. 22.* De Sacramentis *ſect. 2.*, probata nobis Tom. priore *Tr. 5. n. 821.* contra Suarez & alios negat, attentionem interiorem intellectûs eſſe de eſſentia orationis vocalis, cenſeo tamen pro lucrando Jubileo non ſufficere Orationem perpetuis voluntariis diſtractionibus implicatam; eò quòd in Bullis Jubilei, ut videre eſt in Bulla 1. *lit. b.* & in 3. *lit. e.* ſoleat præſcribi, *ut devotè oretur, piæ ad Deum preces fundantur* pro Exaltatione S. Matris Eccleſiæ, extirpatione hæreſum, & Principum Chriſtianorum concordiâ impetrandâ; pro impetranda Summo Pontifici gratia ad Eccleſiam rectè regendam &c. atqui nec illæ preces ſunt piæ, quæ fiunt cum prædictis diſtractionibus, nec etiam valent ad impetrandum id, quod intendit Pontifex, nam *Deus illam Orationem non audit, cui, qui orat, non intendit*, ut loquitur S. Gregorius apud S. Thom. *2. 2. q. 83. a. 13.*

V. At verò quando præciſè in formulâ Indulgentiæ alicujus alterius dicitur: *qui hoc, aut iſtud oraverit &c.* probabile eſt, per Orationem etiam voluntariis diſtractionibus inquinatam poſſe, ſi non totam Indulgentiam, ſaltem partem acquiri, quandoquidem Clerici ſatiſfaciunt præcepto de recitando Breviario, etiamſi voluntarias diſtractiones admittant, ut ſuppono ex opinione probabiliore Cardin. de Lugo, & plerorumque antiquorum, nec paucorum modernorum, probavíque in Triga horaria *Diſputat. 3.*

Quæſt. LIX. *Ubi facienda eſt Oratio pro Iubileo?*

RESP. Orationem pro Jubileo extra An- 144
num Sanctum eſſe abſolutè faciendam in Eccleſia, vel Eccleſiis deſignatis, ut docet Cardin. de Lugo *n. 99.* Ego autem de hac re idcirco dubito, quòd Bullæ, quas legi, cum 3. ex deſcriptis *lit. k. & l.* ita loquantur: *Qui proceſſioni interfuerint, vel Eccleſiam, aut Eccleſias deſignatas viſitaverint, ibique orârint &c.* Ubi imprimis apparet non abſolutè præſcribi viſitationem Eccleſiæ, aut Eccleſiarum, ſed tantùm ex hypotheſi, quòd quis non interfuerit Supplicationi, etſi ibidem idem Doctor inter opera abſolutè in Jubileis præſcribi ſolita, videatur numerare viſitationem Eccleſiæ, vel Eccleſiarum. Deinde apparet *ubique oraverint* poſſe ita accipi, ut unà cum viſitatione Eccleſiæ, vel Eccleſiarum, conſtituat adæquatum membrum allatæ diſjunctionis, ita ut viſitare Eccleſias, & in iis orare, ſit neceſſe tantùm exhypotheſi, quòd quis non interfuerit Proceſſioni, & in eâ non oraverit.

Et certè, ſi quis ultima die Jubilei confi- 145
teretur, diceréque ſe interfuiſſe quidem Proceſſioni, & in ea pié orâſſe ad præſcriptas intentiones, non tamen viſitâſſe Eccleſiam præſcriptam, aut viſitâſſe quidem, in ea tamen nil orâſſe, aut orâſſe quidem, non tamen orâſſe ad intentiones præſcriptas, ego probabiliter

liter cenſerem non eſſe adigendum ad viſitationem Eccleſiæ, nec ad preces illic pro conſuetis intentionibus faciendas. Malo tamen aliorum ſuper hoc judicium intelligere, quàm quidquam definitivè pronunciare. Quòd ſi ederetur Bulla ſimilis Bullæ Gregorii XV. in qua proinde viſitatio Eccleſiarum præſcriberetur ſine particula diſjunctiva *vel*, non haberet locum dubitatio ulla; & verò tales Bullæ ſunt ſæpe ante, & poſt illam editæ.

CAPVT XXII.

De Oratione 40. horarum Continuarum.

SUMMARIUM.

Quomodo debeat intelligi continuatio orationis quadraginta horarum continuarum? 146.
Bullæ loquuntur diverſimode de hac continuatione. Ibid.
Diſcrimen inter orationem continuatam per 40. horas, & orationem 40. horarum continuarum. 147.
Practice recidunt in idem illæ duæ locutiones. 148.
Sufficit ad requiſitam continuationem orationis, ſi quandoque coeningat, ut ſolùm unus ſit in templo orans. Ibid.
Aut ſi omnes, qui adſunt, orent cum perpetuis diſtractionibus. 149.
Quis modus, & ritus celebrandi orationem 40. horarum. Ibid.
An ſi oratio publica continuetur horis quinquaginta, cùm tamen Pontifex promiſerit Indulgentiam frequentantibus orationem 40. horarum, poſſit hanc conſequi orans poſt horam quadrageſimam cœptæ publicæ comprecationis. 150.
Debétne omnino ſemper eſſe ſaltem unus, aut alter in Eccleſia, quando inſtituitur oratio 40. horarum? 149. & 151.
Alexand. VII. mitigavit rigorem Innocentii. 151.
Refertur, & refellitur diſcurſus P. Quintanadvennas? Ibid.

146 Quæſt. LX. *Dare quandoque Pontifices Indulgentiam Plenariam pro oratione 40. horarum continuarum; quomodo debet intelligi illa continuitas?*

FAteor equidem hanc quæſtionem ſpectare potiùs ad ſequentem Tractatum, cujus proprium argumentum eſt exhibitio, explicatióque tum Indulgentiarum in genere, tum multarum in particulari, quia tamen, quando præſentem Tractatum parabam primo prælo, ignorabam, eſſétne lucem viſurus ille meus Theſaurus Indulgentiarum, & tamen ratio quædam ſuadebat, ut propter tunc recentiſſimam, & novi juris inductivam Bullam Innoc. X. diſſertationem de quadraginta non interpolatis horis inſtituerem, idcirco hunc locum elegi tunc, nec muto nunc, hæc quippe una mutatio cauſaret multas alias; nihilominus tamen ita nunc diſſeram de hoc objecto, ut ſim relicturus materiam ſuffecturam capiti undecimo partis ſecundæ Tractatûs ſequentis, ubi ex profeſſo nobis erit mentio de hac ipſa Indulgentia. Nunc ad propoſitam quæſtionem.

Reſpondeo, continuitas Orationis imperata debet intelligi ex collatione diverſarum Bullarum, quarum quidem tres refero. Prima eſt Pii IV. quâ Anno 1560. confirmans confraternitatem de Oratione & Morte, omnibus illius confratribus qui Confeſſi &c. interfuerint Orationi 40. horarum *Continuarum*, ab ipſis quot menſibus ſemel inſtituendæ, impertiit Indulgentiam Plenariam. Altera eſt Clementis VIII. qua Anno 1592. pro Regno Galliæ Orationem 40. horarum *ſine intermiſſione die nocteque* in diverſis Romanæ Urbis templis à prima Dominica Adventûs ad Anni uſque finem indixit, *ut ſalutaris conſuetudo ſine intermiſſione devotè orandi induceretur*, & omnibus qui Confeſſi &c. in templo, in quo *ejuſmodi* Oratio haberetur, orarent per unam horam, largitus eſt Indulgentiam Plenariam. Tertia eſt Innocentii X. qui Indulgentiam etiam Plenariam concedit omnibus, qui pœnitentes Confeſſi, & Sacra Communione refecti, & Deum pro Chriſtianorum Principum concordia, extirpatione hæreſum, & S. Matris Eccleſiæ exaltatione precati interſunt orationi 40. horarum *continuatarum*, *non autem interpolatarum*, in templis Societatis JESU Dominica Quinquageſiniæ, & duabus feriis inſequentibus inſtitutæ.

Eſt igitur quæſtio, utrùm in iſtis Bullis exi- 147
gatur Oratio continuata per 40. horas, an ſolùm Oratio 40. horarum continuarum? Videtur quidem prima facie ſecundum membrum hujus quæſtionis coincidere cum primo, ſed revera non coincidit in rigore Grammatico loquendo; ſi enim Oratio ipſa debet eſſe continua per 40. horas, tum debet ipſa non interpolari, ſed ita inſtitui, ut ſine intermiſſione (morali) oretur; at verò ſi ipſæ ſolæ horæ, quibus orandum eſt, debent eſſe continuatæ, tum ſufficit, modò ſingulis horis oretur per octavam, aut duodecimam horæ partem, quia nihilominus verè, & propriè dici poteſt fuiſſe oratum 40. horis continuis.

I. Dicendum eſt, quamvis prima, & tertia 148
Bulla exprimat Orationem 40. *horarum continuarum*, *& continuatarum*, non autem *continuatam* per 40. horas: quamvis præterea, ſi ſecundùm apices Grammaticales res expendatur, faciendum ſit inter duas hasce locutiones diſcrimen; attamen Theologicè, & Canonicè loquendo, ſecundam locutionem tantundem valere, quantum valet prima. Probo primò ex abſurdo, quod inſinuavi, quia ſcili-

cet, si Bullæ sunt intelligendæ de sola continuatione inter horas ipsas, sequitur, si singulis 40. horarum unicus homo sit, precetúrque in templo tantùm per vigesimam partem unius horæ, jam dicendum esse, quòd sit 40. horarum Oratio peracta secundùm præscriptum Pontificum. Probo secundò ex praxi, quæ est optima legum interpres Cap. *Cùm dilectus. De Consuet.* praxis autem Societatis JESU Superiorum (idem haud dubiè factitant Superiores Archiconfraternitatis Orationis & Mortis) habet, ut non obstantibus magnis difficultatibus, quæ aliquando, præsertim in parvis Collegiis interveniunt, curent, ne unquam templum sit vacuum hominibus, quando instituitur oratio, de qua paulò antè sum locutus. Probo tertiò, quia *locutiones dubiæ sunt per claras interpretandæ.* L. 1. ff. *De rebus dub.* & L. *Hæredes palam.* §. *Si quid.* ff. *De testibus*, consentiente S. Augustino, qui *Lib. 3. De doctrina Christiana cap. 26.* sic pronunciat: *Cùm verba scripturæ apertiùs in uno loco ponuntur, ibi discendum est, quomodo in locis intelligatur obscuris.* Atqui clarissima, apertissimáque est locutio Clementis VIII. qua indicit Orationem 40. horarum *sine intermissione, diu noctuque faciendam*, nec minùs clara censeri debet Bulla Innocentii, qua non contentus exigere 40. horas *continuatas*, addidit: *non autem interpolatas.* Et fortè hanc conditionem ita expressit, ob eam causam (partialem, & inadæquatam) ob quam ejus decessor Clemens, ut scilicet salutaris consuetudo sine intermissione orandi inducatur. Denique S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali Mediolan. IV. *fol.* 136. *Tit. De iis, quæ ad Euchar. Sacram. pertinent*, de Orat. 40. horarum, cui etiam Indulgentiam concessam fuisse patet ex Concilio Provinciali VI. *fol.* 301. *Tit. De Indulgentiis Orationis causâ concessis*, ita statuit: *Orationis hujus Curatores videant, ut per 40. ipsas horas continenter fiat, ac ne ad momentum quidem temporis, nec diu, nec noctu intermittatur.*

149 II. Fateor tamen in primis sufficere, si vel unicus homo sit, & oret in templo, nam Bulla plus non exigit. Fateor deinde, etsi contingat in templo per breviusculum tempus neminem esse, aut omnes, qui illic, præsertim de nocte sunt, itidem per breviusculum tempus dormire, non tamen censendum moraliter interruptam Orationem 40. horarum, nam nec moraliter dicitur interrupta comestio carnium, quando iis in principio, & fine prandii vesceris; licet in medio edas pisces; & idcirco si die Veneris ita comedas carnes, sufficit confiteri, te semel, seu in uno prandio edisse carnes. Huc faciunt alia exempla, quæ de Continuatione morali in Confessionibus audiendis, & Communione præbita pluribus, cum fructu leges apud Lugon. *De Pœnit. disp. 16. sect. 14. §. 2.* Vide omnino quæ Tract. seq. *c. 26. n. 520.* dicam de vocula *continuò*; *sine intermissione.* & retuli Tomo priore *Tr. 6. n. 403. & seqq.*

III. Addo, nec Physicè quidem interruptam videri eam 40. horarum orationem, etsi omnes, qui pro implenda hac, aut illa orationis hora sunt constituti, Rosarium v. g. recitent cum perpetuis animi, voluntariisque distractionibus, aut fortè licèt etiam penitus nil orent, modò flectant genua modestè; nam verba sunt intelligenda secundùm usum Communem, ut docet utrumque Jus jam toties citatum, usus autem, penes quem est jus, & norma loquendi, habet, ut dicatur durare oratio 40. horarum, quamdiu aliquis est in templo per modum supplicis, & Religiosum cultum, (qualis utiq; est genuflexio,) exhibentis DEO.

IV. Porrò, qui modum, & ritus habendi Orationem 40. horarum nosse vult, legat acta Eccles. Mediol. cit. Concil. IV. ubi etiam cavetur, ne de nocte reliquantur portæ apertæ, sed singulis ingredi volentibus aperiantur. Epitomen horum suppeditat Gavantus in Manual. Episc. V. *Oratio publica*; sed puriùs ex ipso fonte bibuntur aquæ. Cæterùm, quia attigi illud punctum de Oratione 40. horarum in triduo Bacchanalium, subjungo resolutionem sequentis quæstionis.

Quæst. LXI. *Cùm Innocentius præscripserit Orationem 40. horarum, & præscripserit, ut lucraturus Indulgentiam, Deum precetur durante 40. horarum Oratione; an si continuetur Oratio ad horas 60. sicut continuare consuevimus, fiat compos Indulgentiæ is, qui in templo Societatis JESU orat, primùm post 40. primas horas transactas in comprecatione?* 150

Ratio dubitandi est, quia Innocentius vult orari durante Oratione 40. horarum, qui autem primùm orat, postquam 40. primæ horæ præterierunt, is non potest dici orare durante precatione 40. horarum.

RESP. Etsi hæc ratio nonnullis scrupulum moveat, revera tamen curanda non est, nam qui orat durante precatione 60. horarum, orat propriissimè durante precatione 40. horarum, quia *plus semper in se continet, quod est minus*, Reg. *Plus semper* de Reg. juris *in 6.* Et manifestum est, 40. horas in 60. contineri. Et cùm in omnibus dispositionibus maximè spectanda sit intentio disponentis, Reg. fin. de Reg. juris in 6. & L. *Non dubium ff. De Legib.* nam *non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Cap. *In his. De verb. signif.* intentio autem Innocentii non fuerit prohibere, ne illo triduo oratio ultra 40. horas prorogetur, sed potiùs tacitè optârit prorogari ad 60. & ultra; adeóque 40. horas nominârit non ad restringendam, sed ad ampliandâ suam gratiam, nullo modo dubitandum est, quin menti, & voto sui Pontificis, adeóque Bullæ ab ipso editæ conformissimè agant, qui ultra 40. horas (ut Romæ, & in hac nostra Provincia factitatur) continuant precationem, & proinde certissimum est, perinde esse, seu sub initium, seu sub medium, seu sub finem (non autem finitâ jam Processione) illius 50. aut 60. horarum Orationis visitet quis Ecclesiam, & oret ad intentionem suprà relatam. Atque in hunc sensum respondi, meam ista de re sententiam rogatus.

Appendix.

151 Ita ego de oratione illa 40. horarum scripseram, & quidem sine authoritate, quia nullum reperiebam tractantem hoc argumentum, aut simile, scripseram, inquam, tunc, cùm ex mandato Innocent. X. annectebatur illi orationi conditio prætermissa ab ejus antecessoribus, videlicet continuatio; quam tamen conditionem, quia Alexander VII. gravibus de causis non requisivit, sicuti neque Clementes IX. aut X. utpote, qui ne quidem exegerunt publicam comprecationem, idcirco videri possit nostra hæc dissertatio esse planè inutilis, & obliteranda. Verùm quia, ut retuli suprà, fuit etiam aliàs impertita Indulgentia pro Oratione continuatâ 40. horas, & P. Quintanadvennas in Append. *Tract. 2. dub. 2.* describit Breve ab Urbano VIII. datum Anno 1671. *Domui Professæ Societat. JESU ad Septennium*, in quo etiam extat illa clausula: *qui Orationi quadraginta horarum continuatarum non autem interpolatarum &c.* quia denique fortè est in compluribus locis usus consimilis indulti, eam ob rem non solùm non oblitero, quæ publicâram, nondum viso illo authore, sed eadem confirmo contra eundem, quatenus scribit cit. *dub. 2. num. 4.* dubitâsse quidem nonnullos, sitne necesse Orationem cum clausula: *continuatam*, esse ita continuam per 40. horas, ut in Ecclesia, in qua obtinetur Indulgentia, semper aliqui, vel saltem aliquis orationi insistat; at verò manifestum esse, id non requiri, tum quòd Pontifex dicat: *qui Orationi 40. horarum instituendæ interfuerit*, instituere autem ibi non significet continuare, sed incipere: tum quia alioqui nec esset in potestate orantis, exequi conditiones præscriptas, nec alius sciret, impletam esse illam conditionem de requisita continuatione.

Verùm hæ rationes me non dimovent à responso dato suprà *num.* 148. Ad primam enim respondeo, quandoquidem verbum *Instituo* est apud Grammaticos simul & Jureconsultos admodum æquivocum, ut videre est apud Lexicographos Kahl, Schardium, & alios, determinandum est non per nimiam subtilitatem, vetante id Justiniano *L. unica C. Ut actiones*, quia veritatem lædit. Decianus *Consil. 666.* sed maximè in ordine ad subjecta in materiam juxta vulgata Jura & DD. communem que conceptum *L. Librorum ff. De Leg. 3.* vulgaris enim appellatio pro Lege habetur. Gonzalez. in *Reg. Cancellariæ Gloss. 11. num. 69.* Atqui quando audimus, esse ab aliqua communitate, communitatisve capite institutam vel Orationem 10. 12. 40. horarum, vel solemnem Processionem duplicem, vel jejunium novendiale, vel ludos Olympios, non intelligimus communiter, & vulgariter, ista fuisse inchoata, sed destinata, constituta, decreta.

Deinde esto clausula *Oratio instituta* idem sit, quod *inchoata*, & quòd locutio: *Qui interfuerit institutæ*, idem sit, quod *jam inchoatæ* Orationi 40. horarum continuatarum, non autem interpolatarum, non tamen hinc sequitur, obtineri Indulgentiam eo etiam casu, quo post illud initium non oretur continuò, vel si id sequitur, tunc certè etiam infertur, non acquiri, etsi oretur solis primis, sex, decem, viginti horis. Utrùm verò reipsa nanciscatur illam, qui interfuit inchoatæ orationi quadraginta horarum, alterutro ex his duobus modis, licèt deinde non sequatur illa continuatio, quam conformiter menti Pontificis decreverant, inceperántque impetratores rescripti Pontificii, non disputo, non una ratione contra negativam, & affirmativam responsionem occurrente.

Respondeo autem ad alterum argumentum P. Quintanadvennæ objicientis, si continuatio Orationis intelligatur eo sensu morali, quem indicavimus superiùs, futurum, ut neque sit in potestate orantium exequi omnes conditiones necessarias, neque quisquam possit esse certus se obtinuisse Indulgentiam. Respondeo enim ad primam partem objectionis; hoc ipsum argumentum solvendum esse à P. Quintanadvennas, nec enim possunt singuli è volentibus lucrari illam Indulgentiam efficere, ut vel reipsa absolutè inchoëtur Oratio 40. horarum, vel inchoëtur cum seria intentione efficiendi, ut Oratio continuetur 40. horas, quâ intentione deficiente deficit utique gratia Pontificia. Et verò videtur ex sententia hujus Authoris consequi obtentum iri à me illam, de qua loquimur, Indulgentiam, si ego secundo die inchoatæ Orationis illius precer in designata Ecclesia ter Pater, & Ave, esto nullus alius illo, aut sequenti die ingrediatur orationis causa illam Ecclesiam, hoc autem non videtur dicendum.

Ad alteram partem objectionis respondetur, non esse necessariò à Pontifice statuendas tales conditiones pro acquisitione *actuali* Indulgentiarum, ut singuli scire possint, se revera esse compotes factos Indulgentiæ, cùm actualis acquisitio Indulgentiæ cujuslibet pendeat à statu gratiæ Sanctificantis, & tamen nemo sciat, *utrùm odio an amore dignus sit*; multæ etiam particulares Indulgentiæ sint alliga-

tæ tot conditionibus, ut, licèt possimus scire, eas esse à nobis impletas materialiter, & physicè, ignoremus tamen, utrùm formaliter, moraliter, cúmque illa honestate, quam Deus ipse, & ejus Vicarius requirit. Addo, quandoquidem Pontifices tam disertè exprimunt in indicatis Brevibus clausulam de continuatis, & non interpolatis horis comprecationis, non esse dubitandum, quin suam gratiam largiantur cum ea spe, futurum, ut illæ horæ non interpolentur & gravi onere imposito procuratoribus illius gratiæ, ut dent sedulam operam, ne fiat interpolatio: quanquam, ut monui suprà, debet continuatio intelligi moraliter non mathematicè.

Appendix Historica.

a Memini non neminem, abhinc Annos circiter quadraginta mihi in os dixisse, Jesuitas excogitâsse rem planè stultam, dum excogitârunt, induxerúntque morem instituendi per triduum Bacchanalium comprecationes horarum quadraginta, & insuper conciones, invitationésque ad Confessionem, & Indulgentiarum adeptionem. Respondi quidem ipsi, hac tam gravi censurâ perstringi non minùs Summos Pontifices, qui probaverunt, at nihil de origine, vetustate, varietatéque (nec enim aut id necesse erat, aut cognita habebam ea omnia, quæ nunc) hujus concessionis, & gratiæ Apostolicæ tunc dixi. Jam autem partim ad oppessulanda ora obtrectatorum, si qui fortè adhuc agitentur illo Spiritu, quo is, de quo nunc memini, partim ob aliquorum seu instructionem, seu aliquam oblectationem (solet enim laudabiliter gestorum ordinata narratio, animi ciere voluptatem) repræsentabo breviter ortum, progressum, varietatem modorum successu temporis præscriptorum ad comparationem Indulgentiæ illius, cujus titulum præfert hoc vigesimum secundũ Caput.

b Sciendum igitur est, nostrum laudatissimæ memoriæ quintum Præpositum Generalem P. Claudium Aquavivam studio coërcendi quoad posset effrenem libidinem, divinam Majestatem offendendi singulariter diebus feriam quartam Cinerum proximè antecedentibus impulsum, suscepisse consilium de instituenda comprecatione peragendâ Dominicâ quinquagesimæ, & duobus sequentibus diebus, atque ad eam alliciendi Christianos spe Indulgentiæ Plenariæ. Quare Anno hujus sæculi 1602. supplicavit Summo Pontifici Paulo V. ut particulam thesauri Ecclesiæ partiretur in eos, qui illi comprecationi instituendæ in aliqua nostrarum Ecclesiarum interessent, atque Confessione, sacráque Communione animos expiarent. Annuit Pontifex tertio Januarii Anno 1603. *Pio*, ut vocat, *instituto*, atque concessit omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in dicta Dominica duntaxat orationi quadraginta horarum hujusmodi devotè interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia &c. pias ad Deum preces per *unius horæ* spatium effudissent, Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam.

Ex quibus verbis apparet, illam Indulgen- c tiam non potuisse obtineri nisi ab iis, qui & illa die Dominicâ interfuissent Orationi, & per unius horæ spatium ad dictas intentiones orâssent. Verùm die 2. Febr. Anno 1607. & Anno 1611. ampliavit idem Pontifex suam gratiam his verbis.

Cùm autem ejusdem Claudii Præpositi nomine, d *Nobis*, inquit idę Pontifex, *expositum nuper fuerit, quòd majori cum fructu animarum dicta Oratio ageretur, si prædicta Indulgentia ad duos sequentes dies, dum, seu ad tempus illud totum, quo dicta Oratio durat, extenderetur, ac aliàs, ut infrà, in quibusdam locis concederetur. Nos ad augendum in dies magis, quantùm cum Domino possumus, eorundem fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris intenti, ut institutum prædictum amplioribus favoribus prosequamur, ejusdem Præpositi Generalis precibus annuentes omnibus Christi fidelibus utriusque sexûs, qui verè pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti orationi quadraginta horarum in Ecclesiis prædictorum Religiosorum, ubicunque existentibus (non tamen in locis Ecclesiastico suppositis Interdicto) Dominicæ Quinquagesimæ, aut altera ex duabus immediatè sequentibus Feriis eádem oratione durante per aliquod temporis spatium devotè interfuerint, & ibi, ut suprà, aut aliàs, prout sua cuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum: iis verò, qui Sacra Communione refecti non fuerint, si verè pœnitentes fuerint, & firmum confitendi propositum habuerint, decem Annorum Indulgentiam misericorditer in Domino concedimus. In civitate verò Mediolani; hujusmodi Orationem quadraginta horarum infra quindecim eos dies, qui Dominicam primam Quadragesimæ immediatè præcedunt, tribus diebus, arbitrio ejusdem Præpositi Generalis eligendis, haberi posse concedimus, & iis, qui prædictæ orationi his diebus, quibus agetur, ut suprà interfuerint, Indulgentiam eandem modo præscripto concedimus. Volumus autem, ut toto dicto triduo durante semel tantùm ubique locorum quisque Christi fidelis Indulgentiam prædictam consequatur. Præsentibus ad septennium duntaxat à die publicationis præsentium inchoandum valituris. Ut autem præsentes ad singula quæque loca opportuna faciliùs deferri possint, volumus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii Publici, seu dictæ Societatis Secretarii subscriptis, & Sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis munitis eadem prorsus fides ubique adhi-*

beatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ ad Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 3. Decembris M. DC. XI. Pontificatûs nostri Anno septimo.

e Hactenus Pontifex gratiam suam extendens ad alios duos (disjunctivè) dies, minuens prolixitatem precationis, non communicantibus impertiens minorem Indulgentiam, & denique faciens respectu Mediolanensium mutationem aliquam dierum, tantùm idcirco, quòd Mediolanenses Quadragesimam ordiantur quatriduo seriùs, quàm cæteri Christiani auspicentur.

f Idem Pontifex quarto Julii An. M. DC. XVIII. rursum aliquam mutationem induxit; omissa enim mentione Indulgentiæ pro non communicantibus, reliqua repetiit, sicut & repetiit is, qui omnium primus post ipsum confirmavit illam gratiam Annis 1625. 1632. 1639.

g Urbanus VIII. At verò Urbani successor Innocentius X. Anno 1646. cæteris omnibus servatis addidit illam non paucis permolestam conditionem de continuanda (diu, noctúque, & non interpolata) oratione quam explicavi *Cap.* 22. quam tamen conditionem cùm Alexander VII. in Brevi Anni 1655. & Ann. 1662. non expressisset, meritò habuimus omissam pro omissa, adeóque illam decisionem Legis *Præcipimus. Cod. De appellat.* Quidquid in posteriore Lege non fuerit specialiter expressum, id veterum constitutionum regulis relictum esse intelligendum est, eâ etiam de causa applicavimus illi posteriori Brevi, quòd res quælibet facilè ad suam primævam naturam (pri-

h mam originem) revertitur. Seraphinus De privileg. Jurament. *privil.* 58. *n.* 8. primæva autem hujus Orationis natura, nativitas & origo prodiit à Paulo V. nullam prorsus mentionem faciente de illa continuatione; sicuti nec Innocentii successores Alexander, ut dixi VII. & Clementes IX. & X. ille Anno 1669. hic Ann. 1676. die 16. Martii non modò nihil innuerunt de illa continuatione, sed penitus præterierunt totam Orationem quadraginta horarum, in cæteris omnibus sequentes vestigia Urbani octavi, ac dicentes: *Qui aliquam ex Ecclesiis Clericorum Regularium Soc. IESV &c. Dominica Quinquagesimæ, aut altero ex duabus immediatè sequentibus Feriis, tempore, quo SS. Eucharistiæ Sacramentum publicæ adorationi inibi expositum fuerit, devotè visitaverit, & ibidem per aliquod temporis spatium preces &c.*

i Qui Clemens IX. quemadmodum fuit erga Christianos constitutos extra civitatem Mediolanensem indulgentior, ita è diverso extitit restrictior erga illam nobilissimam civitatem; dum videlicet ita die 17. sanxit: *In Ecclesiis verò dictæ Societatis in civitate Mediolani existentibus, expositionem ejusdem SS. Sacramenti Fertia tertia post Dominicam Quinquagesimæ, & duobus diebus immediatè sequentibus de licentia Ordinarii fieri posse, ac iis, qui eâdem feriâ, aut altero ex duobus diebus immediatè sequentibus hujusmodi tempore, quo prædictum SS. Eucharistiæ Sacramentum publicæ adorationi &c.* Ecce hic Pontifex, quem non rumor, sed fama ex indiciis non sanè contemnendis orta, Sanctorum Cælitum adjunxit consortio non nisi tres dies impertitur Mediolanensibus, cùm decessores largiti fuerint sex.

Quamvis autem, sicuti memini, Clemens k IX. imò & X. nihil meminerint de Oratione quadraginta, vel pauciorum horarum, & potuerimus (quemadmodum hoc ipso Anno M. DC. LXXVII. quo hanc Appendicem Historicam scribo, literis à veterano Theologiæ Professore interrogatas respondi,) absque ulla Indulgentiæ Plenariæ jacturâ omittere indictionem, observationémve quadraginta horarum, precationi destinatarum, nihilominus tamen in hac nostra Provincia Germaniæ superioris (sicut & Romæ Urbium Reginâ) religiosè prosecuti sumus antiquum morem, quòd experti essemus, plurimum facere ad cultum divinum. Sanè Domini, ac cives, ac- l colæque Friburgi Nuithonum illam præsignem pietatem, de qua Tract. sequent. p. 2. cap. 11. haud conservâssent tam constanter, si nostri illic Patres intermisissent illam orationem quadraginta horarum, in quam apprimè quadrat præclarum elogium, quo Urbanus VIII. Anno 1625. condecorat illam itidem quadraginta horarum precationem, quam Reverendi Patres Capucini solent instituere quot Annis semel, etenim eam appellat Urbanus *Pium*, *Sanctum*, *nec non Deo maximè acceptabile opus*.

Hactenus nostra Appendix Historica. Cir- m ca quam observa solùm duo. Primum, omnia, quæ repræsentavi Brevia esse tam perspicuis comprehensa clausulis, ut nullum eorum indigeat expositione, præterquam Innocentianum, quatenus in eo exigitur continuatio Orationis, verùm hanc conditionem satis hoc loco discussi. Alterum. Quia, ut vidimus, Summi Pontifices gnari quemque rei suæ modum ponere posse, cui alter acquiescere teneatur L. *In traditionibus. ff. De pact.* ex causis singulos moventibus jam addunt, jam silentio præteruent unam, aut plures conditiones, seu onera, oportet lectorem singulorum ejusmodi Brevium esse memorem duarum Jure utroque receptarum Regularum, quarum prima est hæc: Quidquid adstringendæ obligationis est, id nisi palàm verbis exprimatur, omissum intelligendum est *Text. in L. 99. ff. De verb. oblig.* consequenter onera, quæ unus, altérve Pontifex injunxit pro lucrifacienda præsente Indulgentia, non transeunt ad illos, qui habent

Breve non exprimens hoc, aut illud onus, sed omissum habetur hîc pro omisso, ut jam indicavi superiùs. Altera: Cadente conditione cadit conditionatum *L. Cedere diem ff. De verb. signif.* opera autem, quæ exiguntur pro hac Indulgentia, sunt quædam conditiones sub, seu cum quibus offertur lucrifacienda Indulgentia antecineralium.

CAPVT XXIII.

De Confessione pro Indulgentia Iubilei & aliàs.

SUMMARIUM.

Quandonam reus peccati mortalis teneatur confiteri pro Iubileo? 152.
An etiam quando ponitur clausula: omnibus pœnitentibus & Confessis? 153.
Particula Et *accipitur sæpe distributivè.* 154.
Clausula: contritis, & Confessis *non exigit perfectam contritionem.* 155.
Confessio sacrilega non sufficit ad lucrandum Iubileum. 156.
Confessus prima hebdomade non necessariò confitebitur secunda, si post Confessionem prioris hebdomadæ labatur in mortale. 157.
Quid si non habeat quis conscientiam peccati mortalis? 158.
Quæ si adsint impossibilitas confitendi? 159.
Aut facta fuit Confessio, sed nequiter negata absolutio? Ibid.
An Confessus quidem, at oblitus peccati mortalis, nec habens copiam illud confitendi, licitè communicet pro Iubileo? 160.

Quæst. LXII. *Estne pro Indulgentia Iubilei consequendâ necessarium confiteri?*

152 RESP. I. Quando in forma Jubilei, aut aliàs ponuntur, sicuti ponuntur in 3. Bulla Innocentii *Ist. n.* hæc præcisè verba: *omnibus sua peccata Confessis* concedimus Indulgentiam; tum qui habet conscientiam peccati mortalis debet reipsa confiteri, & non sufficit contritio perfecta. Ita docet Lezana V. *Iubileum. num.* 15. consentientibus Suarez *disp.* 51. *sect.* 4. *num.* 4. & 15. Filliucio *Tract.* 8. *num.* 114. & aliis, quatenus dicunt, quando in formula Indulgentiæ ponuntur hæc verba: *præmissa tamen debita Confessione*, vel aliquid simile, exigi Confessionem actualem, saltem si quis sit sibi conscius peccati mortalis, nondum in Confessione expositi. Ratio est, quia his verbis satis ostendit Pontifex, à se exigi Confessionem, non tantùm ut dispositionem, sed ut opus injunctum.

153 II. Quando in forma Jubilei non ponitur præcisè hoc participium: seu *Confessis*, seu *peccata Confessis*. sed hæc duo participia: *pœnitentibus*, & *Confessis*, seu *omnibus contritis & Confessis* concedimus &c. verosimilius est, etiam tunc exigi Confessionem actualem, si quis ab ultima Confessione commisit crimen lethale. Navarrus *Nor.* 28. Bellarm. *De Indulg. Lib.* 1. *cap.* 13. Peyrinis *Tom.* 1. *fol.* 156. Lezana *loc. cit.* Sanctarellus *De Iubil. c.* 14. *dub.* 3. plurimos referens contra Svarez. *citatâ sect.* 3. *num.* 12. & alios multos, quos sequitur, citátque Comitolus *quæst.* 39. Probatur, quia non est ratio, cur Suarez in casu præcedentis responsionis dicat, requiri Confessionem actualem, & non in isto, cùm præsertim particula *Et* accipiatur communiter copulativè, & non disjunctivè: atqui *quæ dispositio copulata est, utriusque partis veritatem exigit L. Si hæredi plures ff. De condit.* tum quia verba debent propriè intelligi, tum denique, quia *intelligentia dictorum ex causis est adsumenda dicendi.* S. Hilarius relatus Cap. *Intelligentia, D. verborum significat.* Causa verò, cur Pontifices hac locutione utentes, dent Indulgentiam, est, ut homines adducant ad veram pœnitudinem; rari autem homines peccato mortali inquinati veram pœnitudinem eliciunt, nisi quando confiteri volunt, ut probè observat Navarrus. Confirmatur hæc doctrina ex eo, quod Peyrinis *loc. cit.* refert Bullam Leonis X. in qua PP. Minimorum Ecclesiam Romæ visitantibus concedens Indulgentiam ait: *vere pœnitentibus, & Confessis seu firmum confitendi propositum habentibus*; quæ ultima particula gratis poneretur, si generatim sufficeret contritio.

Fateor tamen, opinionem Suarii esse pro- 154
babilissimam, præsertim cùm illa particula *Et* possit, ac soleat accipi distributivè, sicut accipitur e. g. in Bulla cœnæ, §. 14. ubi dicitur: *Excommunicamus Cancellarios, & Consiliarios Regum &c.* Fateor, eandem sententiam esse ita tutam, ut, qui sibi est conscius peccati mortalis, & tunc vel non vult, vel non potest confiteri, prudenter agat, si pro consequenda Indulgentia eliciat actum Contritionis, præsertim, si ultimo Paschate fuit Confessus, sicut hanc sententiam limitat Comitolus *Lib.* 1. *cit. quæst.* 39. *n.* 3. cum permultis, cùm tamen Silvester V. *Indulgentia num.* 20. eam intelligat etiam de illo, qui cogitat proximo Paschate confiteri. Et quia hæc sententia est probabilis, ideo etiam probabile est, unam Confessionem tunc valere pro pluribus Indulgentiis, diverso valde tempore consequendis, licèt post obtentam primam Indulgentiam incidat quis in mortale, quod etiam docet Comitolus *l.c.* in casu, quo formula indulti ita præcisè sonat: *qui Confessi & Communicati &c.* atque ita respondit in eventu, qui contigit in Italiâ, ipsique propositus fuit.

III. Quam-

155 III. Quamvis in Bullâ offeratur Indulgentia *Contritis & Confessis*, non exigitur tamen perfecta contritio, sed sufficit, si cum Confessione jungatur attritio, cùm enim hæc, etiam cognita, sufficiat ad validam, fructuosámque Confessionem, ut suppono ex moraliter certa doctrina ferè omnium Recentiorum, non est, cur non dicatur, sufficere ad Confessionem pro Jubileo, cùm præsertim nomen *contritionis*, ab ipsomet Concilio Trident. *sess.* 14. *c.* 4. tam pro contritione imperfecta, quàm pro perfecta accipiatur. Cæterùm in forma, qua indicitur Jubileus Anni Sancti, ponitur illa formula: *Verè pœnitentibus, & Confessis, seu contritis, & Confessis*; ut videre est in Jubileo Clementis VI. Sixti IV. Gregorii XIII. Clementis VIII. Urbani VIII. & Innocentii X. *lit. b.* At in ea, qua indicitur Jubileus extra Annum Sanctum, præcisè dicitur: *sua peccata confiteantur*, vel *qui Confessi, & Sacra Communione refecti, &c.* Ut videre est in Bullis hactenus citatis.

156 IV. In illo casu, in quo Confessio actualis pro Jubileo exigitur, non sufficere sacrilegam, sed requiri integram formaliter, rectiùs docet Card. de Lugo *num.* 103. cum Suarez, Filliucio, Sanctarello, aliis contra Faustum apud Dianam *Part.* 3. *Tract.* 4. *Resol.* 148. qui reputat eam sententiam probabilem, malè tamen citans pro illa Henriquez. Ratio est, quia nec præcepto Ecclesiastico de Confessione annua satis fit per Confessionem sacrilegam, ut habet doctrina, jam certa, ut vidimus Tom. Priore *Tract.* 6. *num.* 274. Accedit, quòd per ejusmodi Confessionem non obtineatur finis à Pontifice intentus, scilicet plena cum Deo reconciliatio.

157 V. Qui prima hebdomade Jubilei fecit Confessionem præscriptam, etsi, antequam reliqua opera perficiat, labatur in peccatum mortale, non tamen necesse est, ut iterum confiteatur pro obtinendo Jubileo, sed sufficit contritio. Ratio est, quia Bullæ Jubilei, ut summum exigunt unam legitimam Confessionem, & nullo verbo indicant plurium necessitatem.

Hinc cum Card. de Lugo *Tom.* 3. *disp.* 27. *num.* 101. dissentio à Suarez. *citatâ sect.* 3. pronunciante, illum, qui in casu, quo exigitur actualis Confessio, fecit quidem Confessionem integram formaliter, non autem materialiter: quia scilicet oblitus fuit peccati mortalis, teneri pro Jubileo obtinendo iterum confiteri illud peccatum; tum quia, ut dixi, Bullæ non exigunt nisi unam Confessionem, tum quia, qui in Paschate est oblitus confiteri duo peccata mortalia, non tenetur vi præcepti Ecclesiastici ampliùs illo Anno confiteri, ut ostendi Tomo priore, *Tract.* 6. *num.* 274. Sicut autem in casu priore est ad Indulgentiam consequendam necessariò elicienda contritio, alioquin ultimum opus non esset in gratia factum, ita in hoc posteriore non est ea necessaria, argumento probabilioris doctrinæ, quæ tradit, illum, qui in Confessione est oblitus peccati mortalis, non teneri ante Sacram Communionem elicere actum contritionis, esto epulum Eucharisticum adeat non repetitâ, (quia Confessarii copiam non habuit,) Confessione.

VI. Quando quis non habet conscientiam 158
peccati mortalis, quod nondum sit Confessus, tutior quidem opinio Sanchezii. *Lib.* 8. *De matrim. d.* 13. *num.* 29. Lezana V. *Iubileum num.* 15. & multorum aliorum fert, talem teneri pro Jubileo confiteri in casu, quo dicitur *præmissa Confessione*; communior tamen sententia Card. de Lugo *num.* 100. aliorúmque id negat, cui subscribo cum Comitolo *quæst.* 39. *num.* 2. etiam in casu, quo author Indulgentiæ expressè dicit, se eam non impertiri, nisi verè pœnitentibus, & Confessis. Ratio Communis hujus communioris doctrinæ est, quòd usus Ecclesiæ habeat, ut quando loquitur de Confessione, intelligat Confessionem solorum mortalium, ut constat ex Cap. *Omnis utriusque sexûs. De Pœnit. & remiss.* in quo utique non præcipitur, nisi Confessio mortalium, cùm non possit præcipi ab Ecclesia Confessio omnium venialium, utpote multis moraliter impossibilis. Quorum igitur venialium Confessio præcipitur, si non omnium? An graviorum venialium? Id quidem putavit Corduba *q.* 28. sed sine fundamento.

Unde infero, multò minùs pro ulla Indulgentia requiri, ut quis iterum confiteatur ea mortalia, quæ jam est semel ritè Confessus, nam Ecclesia nunquam exigit duplicem legitimam ejusdem peccati Confessionem. Contrarium innuit Gerson, & Adrianus, apud Suarium, *num.* 8. Et in casu præsentis responsionis locum habet doctrina Jacobi de Graffiis *Lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 34. pronunciantis illud participium *Confessis*, esse ita explicandum: *qui sunt, vel fuerunt Confessi, unde si fuit Confessus ante hanc Indulgentiam, & perseveravit in gratia, est verum, quòd fuit Confessus*, inquit Graffiis.

VII. Quibus casibus pro Jubileo, vel ex 159
probabiliore, vel ex minùs probabili sententia exigitur actualis Confessio, probabile est eum, qui vel non potuit confiteri, vel bonâ fide existimavit, non requiri Confessionem, vel Confessus quidem est legitimè, sed tamen ob Confessarii improbitatem, errorémve alium absolutus non est, posse nihilominus, si reliqua præstet, obtinere Indulgentiam. Ratio est, quia ita censet Navarr. *De Iubil. Not.* 18. & consentiunt Fernandez, Leone, Zanardus, Diana illos referens *Part.* 8. *Tract.* 11. *Resol.*

Resol. 108. & *Part.* 3. *Tract.* 4. *Resol.* 150. Consentit quoque Sanctarellus *De Iubil. cap.* 13. *dub.* 2. & 4. Agnosco tamen oppositam sententiam, quam tuetur Suarez. *num.* 12. esse probabiliorem; quia magis congruit tum verbis Bullarum absolutè Confessionem exigentium, tum doctrinæ generali, quæ, ut suprà declaratum est, tradit oblivionem, & impotentiam non patrocinari in iis, quæ liberali, & gratuitâ alicujus, certas conditiones præscribentis, voluntate dependent.

Appendix.

160 His in prima Editione conscriptis lucem vidit tum Zachariæ Pasqualigi, ut alibi memini, Theoria Jubilei: tum Antonini Dianæ Pars Undecima, in cujus Tract. 7. miscell. *Resol.* 3. resolvit tres quæstiones facientes ad materiam hujus Capitis. Prima est. *An si quis Confessus pro Iubileo recordetur peccati mortalis tunc obliti non habeat verò copiam Confessarii, possit absque Confessione sumere Eucharistiam, ne privetur beneficio Iubilei?* Respondet autem Diana post P. Bardi in select. *Lib.* 5. *quæst.* 3. *num.* 17. contra Pasqualigum de Jubileo *quæst.* 64. *n.* 3. peccaturum communicando, idcirco quòd gratia Jubilei, utpote obtinibilis per tot alias Indulgentias, non sit tanti momenti, ut propter illam sit fas recedere à communi doctrina de necessitate præmittendi Communioni Confessionem omnium mortalium. Verùm doctrinam Pasqualigi habeo etiam idcirco pro verè probabili, quòd in priore Tomo seu Experientiis *Tract.* 6. *num.* 479. tradiderim, posse quandoque magni Jubilei causa omitti materialem integritatem Confessionis, & sic adiri Communionem Sacram. Quam doctrinam, quia scio probatam esse calculo virorum sapientium, ideo à fortiori assentior Pasqualigo saltem in eo casu, quem exprimo illo *num* 479. quando nimirum quis longum, molestúmque iter conficit thesauri Ecclesiastici potiundi gratiâ, quem tamen non nanciscereturr, si privaretur Eucharistia.

Ad rationem Dianæ respondeo, favores, qui comitantur Jubilea, non consuêsse obtineri extra Jubilea. Cæterùm ego in priore Volumine *Tract.* 4. *cas.* 16. latè ostendi nostrum P. Joannem Præpositum malè incusari à Ludov. Caspensi, quasi docuerit, non esse per se loquendo necessarium, ut oblitus aliquod mortale in Confessione, factúsque memor illius ante perceptionem Eucharistiæ, redeat ad Confessarium, priusquam accumbat divinæ mensæ; lege illic dicta *num.* 248. & *seqq.* fateberísque esse illi Doctori factam injuriam.

Altera doctrina Dianæ *loc. cit.* est hæc, quòd si primùm post Communionem jam peractam, nondum tamen obtentâ Indulgentiâ, recordetur mortalis antè obliti, non sit necesse illud peccatum confiteri pro lucranda Indulgentiâ. Quam doctrinam contra Suarez, & Amicum relatos à Diana etiam tenet Palaus *Tract.* 24. *disput. un. Punct.* 9. *num.* 25. præmittens tamen *num.* 24. cum Diana (cujus hæc est tertia doctrina *loc. cit.*) post Suarez contra Nugnum, atque Bonacinam, si post jam peractam Confessionem, & Communionem nondum tamen potitus Indulgentiâ, utpote nondum executus omnia opera præscripta, labaris in mortale delictum; non tibi suffecturam perfectam contritionem, sed necessariò iterandam Confessionem, eò quòd Pontifex præcipiens Confessionem pro Jubileo comparando exigat Confessionem omnium mortalium criminum patratorum ante Indulgentiam, sed quia hæc doctrina faciliùs traditur, quàm probetur, ideò præfero contrariam Nugni, atque Bonacinæ.

CAPVT XXIV.

Aliæ quæstiones de Confessione pro Iubileo proponuntur.

SUMMARIUM.

Confessio præcepta potest perfici Sabbato, aut feria sexta ante primam Dominicam Iubilei. 161.

An possit differri usque ad tertiam Dominicam Iubilei? 162.

Fas est differre Confessionem tamdiu, quàm Communionem. 163.

An Confessio sit in Anno Sancto præmittenda visitationi Ecclesiarum? 164.

Quid si in Bulla exprimatur Clausula: Ante omnia confiteantur? 165.

Theologus solidè respondens ad dubia proposita intuitu alicujus particularis Iubilei, prius legat diligenter ipsam Bullam. 166.

Confessio aliquando injungitur tanquam opus præscriptum pro Iubileo, aliquando ut mera dispositio. 167.

In dubio censenda non est præscribi ut quædam conditio necessaria. Ibid.

Quæst. LXIII. *Necessaria pro Iubileo Confessio quando peragi debet? sufficitne si fiat die Sabbati ante primam Dominicam Iubilei? sufficitne si fiat tertia Dominica post cœptum Iubileum?* 161

RAtio pro prima parte dubitandi est, quia pro Jubileo non conceduntur nisi 14. aut summum 15. dies, atqui hoc pacto impenderentur 16. dies, nam dies Sabbatinus sumptus cum tribus sequentibus Dominicis, incluísque feriis conficit 16. dies.

Ratio pro secunda parte dubitandi est, quia Bulla

Bulla Urbani VIII. pro Jubileo Anno 1636. Innocent. X. *lit. e. f. g. h.* atque aliæ multæ respectu Romanorum ita habent: *Qui in eadem, vel sequenti hebdomade dictas Ecclesias visitaverint, nec non feria IV. VI. ac Sabbato ejusdem, vel sequentis hebdomadæ jejunaverint, atque sua peccata Confessi si quente saltem Dominica Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter sumpserint, & eleemosynas dederint &c.* In his verbis videntur Pontifices non permittere, ut Confessio fiat Dominicâ, quæ tertiam hebdomadem inchoat, quamvis id expressè permittant de Communione sacra.

RESP. I. Sufficit, si Confessio fiat die Sabbati, aut etiam die Veneris ante primam Dominicam Jubilei, seu uno alteróve die, antequam liceat, alia opera peragere, ut docet Layman. *Lib.* 5. *Tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 6. testans nullum esse hac de re dubium, eò quòd propter multitudinem Pœnitentium ita ferat Ecclesiarum praxis, & Confessio non requiratur ab illo, qui non est sibi conscius peccati mortalis; *si ergo qui propridie Dominicæ dicit Confessus est, non admittat ullum mortale crimen, donec omnia reliqua opera peragat, opus ei non est Confessione; at si priùs labatur in peccatum mortale, debet haud dubiè confiteri, si possit.* Ita Layman. satis innuens, illum etiam potiturum Jubileo, qui factâ die Veneris Confessione, admitteret iterum peccatum mortale, & illud ob impotentiam non confiteretur.

162 II. Etsi quando in aliqua Bulla ponuntur ea verba, quæ paulò ante retuli, non improbabiliter negat Filliucius *num.* 272. & Portel *n.* 6. validè differri Confessionem usque ad ipsam tertiam Dominicam, quandoquidem tantam dilationem videntur illa permittere pro sola Communione; attamen probabilius est oppositum, etiam stantibus illis verbis. Probo, tum quia illa verba, quæ citavi superiùs, possunt sine ulla violentia, & improprietate intelligi tam de Confessionis, quàm Communionis dilatione in ultimam Dominicam, tum quia Innocentius in tertia Bulla *lit. n.* agens, de iis qui extra Urbem Jubileum obtinere volunt, nec verbum distinctionis facit inter diem Confessionis, & Communionis, innuens nec propter verba superiùs relata esse faciendam; tum quia licèt verum sit, quod observat Lugo *disp.* 27. *num.* 106. hebdomadam more Ecclesiastico inchoari à die Dominicâ, ob quam rem Ecclesia diem Lunæ non vocat feriâ *primam*, sed feriam *secundam*, attamen usus communissimus habet, ut eadem Dominica sit initiativa sequentis hebdomadæ, & præcedentis finitiva, ut rectè notat Laym.

163 III. Quidquid sit de Romanis, ad quos illa eadem verba diriguntur, vix probabile est, quòd non liceat exteris tamdiu differre Confessionem, quamdiu licet Communionem. Ratio est, quia Bulla Innocentii *lit. n.* & aliæ solent de exteris ita loqui: *Qui oraverint, ac feria IV. &c. jejunaverint, paritérque sua peccata Confessi, ac sanctissima Communione refecti fuerint, & eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam Indulgentiam &c.* In hoc verborum contextu nulla omnino distinctio quoad diem apparet inter Communionem, & Confessionem, ne cæteroqui cogamur dicere, eleemosynam fuisse, stante hac Bulla, dandam uno alteróve die post Communionem.

IV. Qui sperat se à gravi peccato esse abstenturum per octiduum, consultissimè aget confitendo initio primæ, aut secundæ hebdomadæ, & postmodum reliqua exequendo, ut videlicet ea perficiat in statu gratiæ, sic enim erunt illa meritoria, & satisfactoria, habebunt quoque majorem vim impetrandi, & denique reddent certiorem de impetranda ipsa Indulgentia.

V. Etsi Navarrus *De Iubil. Not.* 31. *n.* 39. 164
contendit, in Anno Jubileo Confessionem esse præmittendam visitationibus Ecclesiarum, eò quòd dicat Bulla: qui Cõfessi visitaverint, &c. & ordo literæ sit servandus; L. *Quoties ff. De usu f.* & Cap. *Mandato.* De præbendis. *in* 6. videtur tamen rectiùs id negari à Diana *P.* 5. *Tract.* 12. *Resol.* 30. aliísque apud ipsum; eò quòd praxis communis ostendat, in executione operum pro Jubileo extra Annum Sanctum non necessariò observari ordinem verborum in Bulla positorum, ergo neque pro Jubileo Anni Sancti. Equidem in Cap. *Licet ex quadam. De testibus & attest.* permultæ recensentur actiones in depositione testium præstandæ, quæ tamen non debent præstari illo ordine, quo enumerantur.

VI. Rectiùs fortè diceret Navarr. si quan- 165
dò in forma Jubilei ponuntur hæc verba: *ante omnia confiteantur*; tunc Confessionem necessariam necessariò præmittendam esse reliquis omnibus operibus, quamvis Henriq. *Lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 2. sanè non improbabiliter existimat, hac ipsa phrasi solùm indicari, quòd Confessio tanquam res præcipua, imperetur. Consentit ei Sa verb. *Indulgentia n.* 13. ita loquens: *Cùm dicitur in Iubileo, ut quisque ante omnia confiteatur, sufficit confiteri intra tempus Iubilei.*

Quæst. LXIV. *Quænam Corollaria ex dictis* 166
hoc, & superiore Capite colligenda sunt?

RESP. Potissimùm sequentia. 1. ut Theologus solidè respondeat ad dubia, quæ à Confessariis, aliísque bonis viris proponi solent, quando promulgatur aliqua Bulla Jubilei, legat ipsam Bullam, si nanciscí possit, & clausulas illius conferat cum clausulis aliarum, quas vel habet, vel hìc reperiet; id si fecerit manifestè deprehendet aliquas responsiones, quæ ex omnium sententia quadrant in unam Bullam, vix aut ne vix quidem quadrare in alteram.

ram. Si Bullæ aut Episcopalis Diplomatis exemplar nanciſci nequit, tum, ut jam ſemel monui, adhibebit Reg. 45. in 6. *Inſpicimus in obſcuris, quod veroſimilius eſt, vel quod fieri plerumque conſuevit.* Quam regulam cum clauſula valde practicabili expreſſit Vlpianus L. *Semper 9. ff. de Reg.* Juris in hunc modum: *Semper in ſtipulationibus & in Contractibus id ſequimur, quod actum eſt, aut ſi non pateat, quod actum eſt, erit conſequens, ut id ſequamur, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur. Quid ergo, ſi neque regionis mos appareat, quia varetus fuit? Ad id, quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt.* Cùm igitur Bullæ Pontificiæ Jubileorum ſint variæ, ſumma operum præſcriptorum, quoad quantitatem, qualitatem &c. conſiderata, redigenda eſt ad id, quod inter Communes, ſeu ordinarias Bullas minimum, miniméque oneroſum, & difficile eſt.

167 II. Rectè dicunt DD. Confeſſionem interdum exigi, ut opus injunctum, interdum ut meram diſpoſitionem: quia videlicet Pontifex illam quandoque vult abſolutè, & in ſpecie habere, quandoque autem tantùm ex hypotheſi, aut in æquivalente. Exigitur ut opus injunctum ab omnibus (in peccato mortali conſtitutis) quando aut ſimul exigitur Communio, ut notat Lezana V. *Iubileum. num.* 15. aut in formâ Indulgentiæ ponuntur hæc verba: *Confeſſione præmiſſa*, vel: *verè pœnitentibus, & Confeſſis*, ſicut ſolent poni in Bullis Jubileorum extra Annum Sanctum. At ſolùm, ut diſpoſitio exigitur, quando non fit in Bulla mentio Confeſſionis, & tamen quis eſt in ſtatu peccati mortalis, tunc enim Confeſſio exigitur (implicitè) tamquam diſpoſitio. Quod ſi homo eliciat actum contritionis, tum ne quidem, ut diſpoſitio exigitur, quia talis jam eſt diſpoſitus.

III. Hinc rectè monet Suarez. *Tom. 4. diſp. 52. ſect. 3. n. 5.* Confeſſionem actualem nunquam eſſe inter conditiones, pro Indulgentiæ adeptione neceſſarias numerandam, niſi quando illius fit in formula mentio expreſſa, aut niſi fortè ratio Communionis exigat illam. Quæ doctrina applicanda eſt Indulgentiis S. Caroli Borromæi, quinque ſanctorum, Confraternitatum, Congregationum, & maximè Regularium, nam in horum plurimis, maximis Indulgentiis nulla fit Confeſſionis, nulla Sacræ Communionis mentio.

CAPVT XXV.

An, & qualis Pœnitentia à Confeſſario tempore Iubilei injungenda?

SUMMARIUM.

Confeſſarius tenetur tempore etiam Iubilei imponere pœnitenti pœnitentiam. 168.
Communiter tamen imponet parvam. 169.
Semper autem etiam tempore aliarum Indulgentiarum medicinalem neceſſariam. 170.
Rarò tamen eſt neceſſaria pœnitentia medicinalis diſtincta à vindicativa. Ibid.
Vindicativam minuet occaſione Indulgentiæ obtentæ, vel obtinendæ. 171.
An pœnitens poſſit mutare in aliam? Ibid.
Rarò hac ætate injunguntur graves pœnitentiæ. 172.
Caſus, quibus etiam tempore Iubilei non omittitur ſecundùm aliquos, licitè pœnitentia injuncta. 173.
An iis aſſentiendum? 174.
Quomodo juvandus eſt ratione Indulgentiæ pœnitens, qui queritur de gravitate pœnitentiæ? 175.

Quæſt. LXV. *Eſtne tempore Iubilei aliqua pœnitentia pœnitenti à Confeſſario injungenda?* 168

RESP. Omnino eſt aliqua cuivis, etiam leviſſima Confeſſo injungenda, tum quia Bulla 3. *lit. z.* generatim, & abſolutè dicit eſſe injungendam pœnitentiam ſalutarem; tum quia pœnitentia, ſeu ſatiſfactio eſt de integritate Sacramenti pœnitentiæ. DD. communiter in Tractatu de Sacramento pœnitentiæ.

Quæſt. LXVI. *Qualis, ſeu quanta eſt pœnitentia injungenda in Iubileo.* 169

RESP. Communiter, & per ſe loquendo eſt etiam pro gravibus peccatis imponenda parva Pœnitentia; tum quia opera pro Jubileo præſcripta ſunt vicem ſat magnæ pœnitentiæ; tum quia, quando ſciunt Chriſtiani, ſolere in Jubileis parvas dari pœnitentias, alliciuntur ad obeunda pro Jubileo præſcripta opera, & ſic ſatisfit intentioni Pontificum, hortantium omnes, & cupientium, ut ſe faciant participes tanti theſauri, ut videre eſt in Bulla 3. *lit. b. & c.* tum denique, quia hîc vel maximè locum habet generalis, & Confeſſariis altè imprimenda doctrina P. Jacobi Granadi *in 3. part.* ita pronunciantis: *Cùm ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere ſit unum ex difficilioribus, quæ humanæ naturæ fragilitati in lege gratiæ præſcripta ſunt, oportet reddantur, quoad fieri poterit, minùs difficilia, quæ ad illius uſum, & ſuſceptionem ſpectant.*

Hæc utraque ad utramque præcedentem quæſtionem data reſponſio magis elucidabitur reſponſionibus, quas ad ſequentem, & huic materiæ planè connexam quæſtionem dabo. Oritur enim

Quæſtio LXVII. *Quid cenſendum generatim de Pœnitentia Sacramentali imponenda, admittenda, omittenda, tempore aliarum per Annum Indulgentiarum*, e. g. poteſt quis hodie vel ratione Congregationis, cui eſt inſcriptus, vel benedicti Numiſmatis, vel certi cujuſdam diei, & Templi obtinere Indulgentiam aliquam, *licétne*

licétne tam Confeſſario, qui hanc occaſionem novit, omittere injunctionem pœnitentiæ Sacramentalis, quàm ipſi pœnitenti illius executionem?

170 RESP. I. Confeſſarius tenetur ſemper imponere pœnitentiam Medicinalem, ſeu præſervativam, quando judicat neceſſariam, tenetúrque pœnitens illam admittere, eſto Indulgentia Plenaria certò ſit obtinenda. Tannerus *Tom. 4. diſp. 6. n. 76.* aliique communiter: quamvis rarò, occurrat caſus, quo neceſſaria ſit pœnitentia Medicinalis diſtincta ab illa, quam ipſum naturale præceptum citra omnem Confeſſarii præceptionem imponit, juxta doctrinam Cardinalis de Lugo referendam in fine hujus quæſtionis.

II. Tenetur idem Confeſſarius imponere pœnitentiam Vindicativam, ſeu ſatiſfactivam, quando non eſt ipſi ſatis probabile, obtinuiſſe pœnitentem, vel mox obtenturum eſſe Indulgentiam: Argum. Concilii Trident. *ſeſſ. 14. c. 8.* tenetúrque pœnitens illam admittere, quando ſimiliter non habet probabilem conjecturam, ſe potitum, aut potiturum Indulgentiâ, pœnitentiam adæquante. Argum. ejuſdem Concilii Trid. *loc. cit.* poteſtatem ligandi Sacerdotibus conceſſam extendentis etiam ad pœnitentiæ injunctionem, & communiter DD. contra nonnullos.

171 III. Si tamen probabiliter credat Confeſſarius, pœnitentem jam conſecutum, aut mox conſecuturum Indulgentiam Plenariam, aut aliam æqualem pœnæ ab ipſo promeritæ, poteſt omnem pœnitentiam, in quantum eſt Vindicativa, ſeu Punitiva & ſatiſfactiva, omittere; ſicut & ob eandem cauſam pœnitens etiam abſque conſenſu Confeſſarii. Ita contra Valentiam *p. 3.* cum Duvallio, quem refert Diana *Part. 5. Tr. 12. Reſol. 3.* acriter diſſentientem, docent S. Thom. S. Bonaventura, & plerique antiquiores recentioréſque apud Tannerum *n. 76.* & Dianam *loc. cit.* probátque, & declarat inſigniter Suarez *Tom. 4. diſp. 50. ſect. 2. n. 5. & ſeqq.* cùm Lugone *diſp. 27. n. 31.* abſolutè aſſerente, quòd homo doctus poſſit pœnitentias ſibi à Confeſſario injunctas commutare propriâ authoritate in illud opus, quo Indulgentiam Plenariam acquiſiturus eſt. Ratio eſt, quia pœnitentia Sacramentalis Vindicativa tantùm imponitur idcirco, ut per eam ſatiſfiat totaliter, vel partialiter, pro pœna peccatis debitâ: ergo quando jam eſt per Indulgentiam pro illa ſatiſfactum, aut mox ſatiſfiet, non eſt opus pœnitentiam talem injungere, vel injunctam perficere. Quæ ratio probaret etiam extra occaſionem Indulgentiarum poſſe pœnitentiam Sacramentalem intermitti, ſi poſſet æquè probabiliter credi, eſſe, vel ſatiſfactum iri per proprias, aut alienas pœnalitates, ac probabile eſt ſatiſfieri per Indulgentias. Suar. *ibidem* & Bonac. *de Sacramentis q. 5. ſect. 3. p. 4. n. 8.* referens alios.

IV. Hinc rectè docuit Laymannus *Lib. 5. Tr. 6. c. 15. n. 12.* tempore Jubilei, aut alterius Indulgentiæ Plenariæ, pœnitentem non teneri admittere, niſi leviorem pœnitentiam; quæ ſe habeat per modum Medicinæ, ad tollendas peccatorum reliquias. 172

V. Quando ob Indulgentiam minuitur notabiliter à Confeſſario pœnitentia, debet is monere pœnitentem, ipſi tam levem pœnitentiam injungi propter Indulgentiam, quam lucraturus meritò credatur, ne forsè ob levitatem pœnitentiæ judicet ſua peccata eſſe levia.

VI. Quia hac ætate, ut cum Laym. *cap. 3.* teſtatur Reginaldus *Lib. 7. n. 90.* poſt Suar. ſolent leviſſimæ pœnitentiæ, & quidem vix habentes rationem ſufficientis medicinæ injungi, ideo non debet pœnitens ſpe Indulgentiæ obtentæ, vel mox obtinendæ, facilè omittere, vel minuere pœnitentiam injunctam; ſecus ſi ita ſit gravis; ut appareat eſſe impoſitam per modum ſatiſfactionis.

VII. Probabile eſt id, quod docet Bonac. *loc. cit. n. 8.* ſcil. ſi pœnitenti luxurioſo injunctum ſit jejunium pro remedio, & præſervatione peccatorum, pœnitentem non ſatiſfacere accipiendo Indulgentiam Plenariam, cùm Indulgentia non ita præſervet à peccato, ſicut jejunium. Et teſtatur Hieron. Gratianus apud Sanctarellum. *De Iubil. c. 3. dub. 13.* eſſe omnium ſententiam, quòd pœnitens teneatur Medicinalem pœnitentiam à Confeſſario injunctam perficere. Unde abſolutè infert idem Sanctarellus, ſi tibi à Confeſſario ſit injunctum, ut ſingulis feriis ſextis totius Anni jejunes, te hac obligatione ne quidem per Jubileum eximi. Paulò pòſt tamen addit, ſi cui ſit triduanum jejunium impoſitum, eximi per Jubileum à tali opere, quod non ſatis video, quomodo conſequenter dicatur. Vide Dianam *Reſol.* 39 cum Fausto docentem, illum, qui ex pœnitentiâ tenetur 40. dies jejunare, ſatiſfacere ſuæ obligationi, ſi lucretur Indulgentiam 40. dierum.

VIII. Licèt probabile ſit id, quòd jam primùm ex Bonac. retuli, negare tamen non poſſum, quin etiam ſit probabile pœnitentem non teneri tempore Indulgentiæ Plenariæ, quam lucrari decrevit, ullam etiam Medicinalem pœnitentiam (niſi illam, quàm fortè ipſum Jus naturæ citra omne Confeſſarii præceptum præſcribit) admittere. Nam ita fuſè docet Cardin. de Lugo *Diſp. 27. n. 22. & ſeqq.* probans tum multiplici authoritate illorum, qui ſine limitatione negant, pœnitentem poſſe adigi ad pœnitentiam acceptandam tempore Jubilei; tum eâ ratione, quòd Confeſſarius non poſſit imponere pœnitentiam, niſi ut pœnam ad ſatiſfaciendum pro peccato ergo ſublato debito totius pœnæ, non poteſt, nè Medicinalem quidem imperare, ſed tantùm 174

vel suadere, vel obligationem naturalem, si quæ est, declarare.

175 Quæst. LXVIII. *Quid remedii ex allatis doctrinis dandum est pœnitenti, qui de gravitate pœnitentiæ conqueritur extra tempus Iubilei? &c.*

RESP. Imponenda est ipsi levior à Confessario, jubendúmque, ut alicujus Indulgentiæ participem se efficiat. Estque hæc doctrina probè notanda, & longè faciliùs practicanda, quando dubitatur, sitne pœnitens gravem pœnitentiam peracturus, an contumaciter, aut desidiosè, vel ex fragilitate omissurus, quandoquidem Confessario debet perpetuò ob oculos versari doctrina P. Coninck. *Disp. 10. n. 73.* ita post Suar. pronunciantis: *Sacerdos nunquam talem debet imponere pœnitentiam, quam omnino credat pœnitentem ex aliqua infirmitate non impleturum, quia eum exponeret gravibus periculis peccandi, cùm tamen ipsius sit maximè omnia ea pericula à pœnitente arcere.* Quòd si pœnitenti supersint, ex alia priore Confessione, graves pœnitentiæ, potest Confessarius etiam extra Confessionem, & non auditis prioribus peccatis, illas propter Indulgentiam Plenariam remittere, mox obtinendam; quandoquidem ipsemet pœnitens posset propriâ authoritate post obtentam illam Indulgentiam omittere totam pœnitentiam. Atque ita singulariter docet Card. de Lugo *n.* 31.

CAPVT XXVI.

De Sacra Communione pro Iubileo & Indulgentiis.

SUMMARIUM.

Communio non quidem expressè præcipitur pro Iubileo Anni Sancti, præcipitur tamen expressè pro aliis. 176.
An sufficiat Sacrilega? 177.
Singulariter quando præscribitur ad propitiandum Numen? Ibid.
Quandonam obeunda sit Communio pro Iubileo? 178.
Referuntur Bullæ diversimode loquentes de hac re. Ibid.
Iudicium de illis. 179.
Quatenus una Communio sufficiat, pluribus Iubileis, aut aliis Indulgentiis? 180. 181.
Singulariter pro festo S. Ignatii, & Portiuncula. 182.
Et ratione Communionis Generalis præcedentis, vel sequentis aliquod festum. 184.
Rescriptum quoddam Romanum refertur de Indulgentia Annunciatæ. Ibid.
Quid si unum Iubileum succedat immediatè alteri? 185.

176 Quæst. LXIX. *Estne Sacra Communio conditio necessaria ad percipiendam Indulgentiam favoréque Iubilei?*

RESP. I. Etsi in Bullis Jubileorum Romanorum, seu Anni Sancti non exigatur expressè Communio, jam insinuavi tamen *n.* 17. à Filliucio supponi, illam esse necessariam conditionem etiam pro Indulgentia Anni Sancti.

II. Mihi visa non est Bulla, in qua pro Jubileo extraordinario, seu extra Annum Sanctum non expressè fiat mentio Sacræ Communionis.

III. Adeóque Sacra Communio pro Jubileo extra Annum Sanctum est ita necessaria, ut qui vel ob ætatem, ut pueri, vel ob aliud impedimentum, v. g. tussim, vomitum &c. Sacram Synaxin non adeunt, non possint citra commutationem obtinere tale Jubileum. Diana *Part. 5. Tr. 12. Resol. 17.* cum Fausto contra Fernandez, & Zanardum. Ratio petitur ex generali doctrina de non implentibus conditiones præscriptas. Unde Laym. *Lib. 5. Tract. 4. c. 4. n. 3.* post Henriquez monet, pueros tempore Jubilei faciliùs admittendos esse ad Sacram Communionem, quàm extrà.

IV. Etiam, qui sacrilegè communicat, ordinationi Pontificis Communionem requirentis satisfacit, ex opinione Cardin. de Lugo *disp. 27. num. 103.* eò quòd sacrilega quoque Communio sit propriè dicta Communio. Et censet Diana *Resol. 17.* post Bossium, hanc doctrinam esse veram, etiam tunc, cùm Pontifex dicit: *Qui reverenter, & devotè communicaverint &c.* eò quòd per li *reverenter* intelligi possit reverentia, & modestia exterior: per li *devotè* attentio interior, quàm sufficienter habet is, qui sumit Eucharistiam intentione actuali, vel virtuali colendi Christum, vel lucrandi Jubileum, seu obediendi Ecclesiæ, vel Papæ. Hæc utraque doctrina est ob authoritatem, & ob rationes à Bossio allatas probabilis. At, quidsi Communio percipiatur, ut sæpe fit, in ordine ad propitiandum Deum? *An sufficit sacrilega?* Negat P. Tannerus *Tom. 4. disp. 6. q. 8. dub. 4. n. 79.* & à fortiori Pasqualigus apud Dianam mox citandum, eò quòd talis Communio, utpote valde scelerata, potiùs provocet iram Divinam, quàm mitiget. Quæ ratio quia est valde congrua, nec militat contra jejunia, & preces, peracta in peccato mortali, quandoquidem etsi talia opera, utpote mortua, non prosunt ad meritum, prosunt tamen ad impetrationem, siquidem cæcus Evangelicus fuit, judice S. Augustino, locutus ut cæcus, quando *Ioan. 9.* dixit: *scimus, quia peccatores Deus non audit*; at verò per Communionem sacrilegam nihil potest divinitus impetrari, idcirco est mihi valde verosimile, illam Communionem non sufficere in tali casu, tametsi Diana *Part. 11. Tr. 7. Res. 13.* generatim defendit sufficientiam Communionis sacrilegæ, subjiciens, nostrum P. Amicum parùm modestè scribere, suam (Dianæ, Bardi, & aliorum contra Pasqualigum) sententiam esse improbabilem.

177

Adde his, quandoquidem pro aliis Indulgentiis extra Jubileum sæpe exigitur, sæpe non exigitur Sacra Communio, esse necessariò inspicienda diplomata Indulgentiarum, quas quis vult lucrifacere, ne omittat non omittenda. Adde rursum, sententiam Dianæ, de qua paulò antè, non esse, ut ipsemet agnoscit, extendendam ad casum, quo Communio est ultimum operum præscriptorum; cùm enim istud debeat ex omnium opinione, de qua suprà *Cap. 11. num. 59.* obiri in statu gratiæ, sacrilegium autem comitans Communionem destruat illum statum, idcirco nequaquam tunc sufficiet ejusmodi Communio, suffectura tamen ex opinione Dianæ, si præmitteretur postremo operi exercito in gratia.

178 Quæst. LXX. *Quandonam obeunda Sacra Communio tempore Iubilei?*

Ad hanc quæstionem non sufficit una responsio, quandoquidem non omnes Bullæ Jubileæ eodem modo loquuntur de die Communionis. Primò enim Bulla tertia Innocentii X. descripta initio hujus Tractatûs *lit. n.* nullum diem determinat expressè, sed dicit præcisè *Sacra Communione refecti*, ita etiam loquitur Urbanus VIII. in Bulla Anni 1629. 1631. 1634. §. *Cæteri verò.* Eundem sensum continet formula ejusdem Urbani de Anno 1631. Pauli V. de Anno 1617. 1608. 1606. & Clement. VIII. de Anno 1597. quatenus dicunt: *qui primo die Dominico, vel secundo, vel alio die dictarum hebdomadarum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum devotè sumpserint.*

Secundò Gregorius XIII. Anno 1582. Sixtus V. Anno 1589. Gregorius XIV. Anno 1591. Alexander VII. Annis 1655. 61. 64. &c. & Clemens IX. Anno 1667. Clem. X. Anno 1670. & 1672. (pro necessitatibus Regni Polonici) ac postremò S. D. N. Innoc. XI. in sua longè pulcherrimâ prima Bulla Jubilea, Anno 1676. utuntur hac valde diversa à priore formula, dicunt enim: *Qui Confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia infra eandem hebdomadem reverenter sumpserint.* Tertio Urbanus VIII. Anno 1634. & 1636. §. *nos enim*, Innocentius X. Bulla tertia descripta in capite hujus Tractatûs *lit. g.* ita loquuntur: *qui Confessi sequenti saltem die Dominico SS. Eucharistiæ Sacramentum reverenter sumpserint.*

Et quidem loquendo de secunda formula, clarum est, Communionem esse peragendam aliqua die hebdomadæ, quâ fuit jejunatum, id quippe clarè loquitur litera. E diverso standō primâ clausulâ non suppetit ratio negandi, esse perinde, quocunque die infra alteram hebdomadem obeatur synaxis; nam & verba ipsa, unde accepta, patiuntur hunc sensum, ergo debemus hunc eis, utpote favorabilibus, & nemini molestis concedere, sicut rectè argumentatur Laymannus *Lib. 5. Tract. 7. cap. 8.* & nequaquam cogimur ordinem literæ in negotio tam pio, liberalique sequi. Multò magis certa est, quam dedi, responsio, stante constitutione prima Pauli V. in illa enim expressè sic loquitur: *Dominicâ primâ, vel secundâ, vel aliâ dictæ prioris, vel sequentis hebdomadæ die Sanctissimum &c.*

Denique licèt Laymannus *loc. cit. n. 7.* sentiat, stante sensu, quem efficiunt Bullæ tertio loco productæ, Sacram Communionem non posse obiri ante Dominicam sequentem triplex jejunium, idque longè magis cum Bottono apud Dianam *Part. 5. Tract. 12. Resolut. 17.* diceret Laymannus, si renovaretur Bulla Sixti V. quæ est inter ejus constitutiones prima, ibi enim expressè dicitur: *Die Dominica, quæ dictas eleemosynas* (quæ tribus diebus loco trium jejuniorum fieri debebant) *& orationes proximè sequetur Sacrosanctam Eucharistiam devotè accipiant.* Ego tamen cum Dianâ *loc. cit. Resol. 17.* & Bossio, apud ipsum, censeo esse probabile, imò probabilius, quòd etiam hîc liceat, quocunque die intra duas hebdomadas communicare; tametsi prædicta Bulla, & multæ aliæ dicant: *jejunaverint, & sequentè saltem Dominica communicaverint*: non tamen indicant Communionem esse postponendam jejuniis, sed non differendam ultra 3. Dominicam Jubilei; & ita habet praxis communissima, persuasióque Confessariorum. Unde rectè monet Cardinalis de Lugo *n.* 105. Sacram Synaxin non esse differendam ultra tertiam Dominicam; esto P. Henriquez *Lib. 7. cap. 10.* testetur, Episcopum Salmanticensem, consultis sapientibus viris declarâsse, quòd liceat Sacram Communionem differre in quemcunque tertiæ hebdomadæ diem; cui quidem declarationi meritò refragatur Protel *n. 6.*

179

Adde, quòd Gregorius XV. pro Jubileo Anno 1621. Communionis dilationem ultra secundam hebdomadam non permiserit, nisi de arbitrio Confessarii.

180 Quæst. LXXI. *An & quando sufficiat una Sacra Communio pro pluribus Iubileis, aliisque Indulgentiis?*

RESP. I. Quando plures Indulgentiæ eadem die in diversis Ecclesiis concessæ sunt iis, qui post Confessionem, & Communionem eas visitaverint, & ibi oraverint; tunc unica Communio, & Confessio sufficit ad lucrandam utramque Indulgentiam. Ita loquitur Lugo

disp. 27. n. 93. eò quòd Confessio, & Communio non videatur tunc exigi directè, sed præsuppositivè ad meliorem dispositionem subjecti, ad finem intentum. Adde, quòd Bonacina *disp. 6. p. 5. q. 1.* Escobar *n. 50.* Sa & alii absolutè doceant, per unicum actum posse plures & diversas Indulgentias simul acquiri; de quo nos ex instituto Tract. *seq.* disseremus.

181 II. Idipsum dicendum esse, licèt secunda Indulgentia non eadem die, sed sequenti, vel intra debitam distantiam occurreret, existimat Lugo *loc. cit.* post Comitolum *q. 39.* qui interrogatus, utrùm, qui primo die Augusti Sacramenta Confessionis & Communionis susceperant, nil planè cogitantes de Indulgentiâ, quæ omnibus Confessis, & Communicatis proponebatur ad diem VI. ejusdem mensis, possent sine nova Confessione, & Communione lucrari illam Indulgentiam? rotundè respondit, posse; eam potissimùm ob causam, quòd illi, de quibus erat sermo, verè potuerint dici, esse Confessi, & Communicati.

182 Comitolus integre sequitur Portel. *V. Indulgentia num. 5.* Et quando duobus diebus immediatis sunt duæ Indulgentiæ Plenariæ, requirentes Confessionem & Communionem, sentit cum Comitolo Turrianus *in sel. disp.* relatus à Diana *Part. 4. Tract. 4. n. 166.* non dissentiente, sufficere unam. Turrianum etiam refert, & sequitur Escobar *Tract. 7. Exam. 5. n. 57.* ponens exemplum illius, qui vult obtinere Jubileum Festi nostri S. Patris Ignatii, & Jubileum diei Portiunculæ. Sed in hoc exemplo duo mihi non probantur. I. Quòd hoc exemplum ab eo positum, non sit de duobus diebus ratione Communionis immediatis; nam inter Festum S. Patris nostri, & Portiunculæ intercedit 1. dies Augusti. 2. Quòd vocet Jubilea, cùm nullo modo sint Jubilea; ut nominatim de Indulgentia Portiunculæ observat Rodriquez in qq. Regul. *Tom. 2. q. 88. a. 6.* qui proinde seriò monet suæ Sacræ Religionis asseclas, ne rati esse hanc Jubileum, putent dari sibi facultatem absolvendi à reservatis.

183 Et idcirco facio hîc istius rei mentionem, quia perfæpe sum expertus, à multis pœnitentibus omitti vel Portiunculæ Indulgentiam, idcirco quòd aut pridie pro liberandâ è Purgatorio, ratione Communionis Generalis, animâ, aut propridie in Festo S. Ignatii sacram mensam adierint; vel vice versâ, omitti unam ex hisce duabus posterioribus Indulgentiis, tantùm ideo, quòd differant Sacram Communionem, ad diem Portiunculæ, rati se aliter Indulgentiâ Portiunculæ potiri non posse, cùm tamen utique possent; nam sicuti dixi, non requiritur Communio pro illa Indulgentia: Imò nec Confessionem requiri, si quis pridie, aut propridie sit Confessus, aut si nec tunc quidem Confessus sed extra statum peccati mortalis sit, patet ex dictis suprà de Confessione.

Porrò ut revertar, unde digressus videor, 184
authoritas tot Doctorum, quos citavi, possémque citare, facit, ut tutò quis possit unicam Communionem obire pro duabus Indulgentiis, diverso die lucrandis. Et nominatim id observandum pro Communione Generali est, quando illam immediatè sequitur, aut præcedit aliquod Festum, præsertim B. Virginis; nam plures pœnitentes dicere consueverunt, se, ut loquuntur, non libenter deserere B. Virginem, & tamen non libenter omittere occasionem suffragandi alicui miseræ animæ; quorum aliis ego respondere soleo, posse sperare, quòd una Sacra Communio sufficiat pro utroque; aliis autem, quos scio esse pios, ac sine scandalo vivere, facilè permitto, ut utroque die se reficiant pane cœlesti pro suo solatio spirituali.

Etsi autem, ut dixi, perquam tuta, & probabilis est illa de unius Communionis pro duobus diebus sufficientia, & non scio ullum classicum authorem, qui id neget; scio tamen fuisse aliquando ex Urbe rescriptum, quòd, quando Festum Annunciatæ Virginis cadit in diem Parasceves, Communio celebrata in Cœna Domini, non sufficiat ad comparandam Indulgentiam, quæ Sodalibus Annunciatæ Virginis concedi solet in Festo Annunciationis.

III. Licèt Escobar *loc. cit.* & Turrianus, ut 185
suprà dixi, absolutè pronunciet, quando duo Jubilea occurrunt, duobus diebus immediatis, unum post alterum, sufficere unam, si homo sit in gratia, pro utroque, Communionem; ego tamen contrarium censeo dicendum, quia in eo casu Communio obiretur extra duas hebdomadas, vel primi, vel secundi Jubilei, cùm tamen suprà ostenderim, omnia opera esse intra duas hebdomadas perficienda. Atque ita videtur etiam sentire Cardin. de Lugo *cit. n. 93.* ubi sic loquitur; *Quando Communio exigitur directè, prout in quibusdam Iubileis solemnioribus exigi solet Communio, jejunium, eleemosyna ac preces intra eandem hebdomadem, aut quando conceditur Indulgentia iis, qui singulis mensibus in tali Ecclesia communicaverint; tunc unica Communio non potest deservire ad duplicem Indulgentiam similem, posset tamen deservire illa eadem Communio ad aliam Indulgentiam, ad quam Communio non directè, sed præsuppositivè exigeretur.*

CA-

CAPUT XXVII.

De Communione Generali.

SUMMARIUM.

Causa, cur hîc agatur de Communione Generali. 186.
Origo illius. 187.
Breve Apostolicum de eadem. 188.
Cur vocata Generalis. 189.
Numerus multorum millium frequentantium eam Romæ. 189. & 200.
Debet pro ea visitari Ecclesia aliqua designata à Superiore Societatis. 192.
Et ibi sumi Sacra Synaxis. Ibid.
Atque piè orari. Ibid.
Non tamen necessariò pro anima ulla defuncti. 193.
Multò minùs Communio offerri pro aliqua. Ibid.
Quid si ad præscriptas intentiones recitetur tantum unum Ave Maria? 194. & 200.
Indulgentia hujus Communionis non prodest ulli vivo in decursu Anni Sancti. 196.
Prodest autem defuncto. 197.
Solvitur objectio. Ibid.
Quid intelligatur nomine Mensis, cujus una sola Dominica fas est celebrare Communionem generalem. 198.
An possit Communio Generalis celebrari eodem die in diversis Ecclesiis unius Urbis? Ibid.
An in Villis Collegii, & in prædio suburbano? Ibid.
An in Aula Gymnasii, & ipsâ Ecclesia Societatis simul? Ibid.
Quænam sint illæ Ecclesiæ sæcularium, in quibus est fas celebrare Communionem Generalem? 199.
Ecclesiæ Regularium quæ dicantur? Ibid.
An Ordines Mendicantes participent nobiscum in hac gratia? 200.
An si Ecclesia præscripta visitetur Vespere præcedentis Sabbati, sit impleta conditio de visitatione facienda die Dominica. Ibid.
Quid si precationem præscriptam perficias primùm post occasum solis in templo, cubiculo aut lecto? Ibid.

186 CAussa, cur de hac Communione sim facturus hoc loco, est duplex. Prima, quia peculiarem habet Indulgentia ei annexa difficultatem in Anno Jubileo. Secunda, quia sum certus, esse ex honore Dei, & bono animarum in Purgatorio detentarum, si ad multorum notitiam veniant ea, quæ ad hanc spectant Indulgentiam. Et quia An. 1649. quo hunc tractatum conscribebam, me latebat, an esset, à quoquam Theologo, quidquam Latinè de ea scriptum, censui me de multis bene meriturum, si ex Theologiæ, atque Juris principiis proponerem ea, quæ de illa Indulgentia scire convenit.

Supponendum itaque est, quendam è So- 187
cietatis nostræ Patribus, motum Zelo excitandi in Romanis civibus novum quendam, in obeunda Sacra Communione, fervorem, & frequentiam, petiisse, & impetrasse à Paulo V. Pontifice Max. Breve, quo offerebatur Indulgentia Plenaria omnibus, qui Dominicâ cujusque mensis à nostris Patribus designatâ, Sacram Synaxin adirent. Aliquot Annis pòst, fuit hæc gratia ab Urbano VIII. ita extensa, ut illam Indulgentiam liceret alicui animæ in Purgatorio per modum suffragii applicare. Quod etiam confirmavit Innocentius X. Anno 1649. die 5. Febr. ejus verba apponam quia exprimunt conditiones hujus Indulgentiæ Sic ergo loquitur.

Ad augendam Fidelium Religionem, & ani- 188
marum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus verè pœnitentibus, & Confessis, quâ aliquam Societatis IESV, vel quamcumque aliam sæcularem Ecclesiam, ubicumque existentem, unâ ex Dominicis cujuslibet Mensis, quâ Communio Generalis, sollicitudine Dilectorum filiorum Clericorum Regularium dictæ Societatis, & quoad Ecclesias Sæculares, de licentia Ordinariorum locorum illorumque Rectorum consensu agitur, devotè visitaverint, & iisdem Dominicis, in prædictis Ecclesiis, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ibique pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ Exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam animabus Fidelium Defunctorum applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus ad quindecim Annos tantùm valituris.

Cæterùm divino Consilio fuisse institutam 189
illam, quam ipsi Pontifices Generalem (scilicet ob maximam tunc Communicantium multitudinem) vocant Communionem, liquet vel ex eo, quòd subinde seni Cardinales in celeberrimis Urbis templis illam administrent, tanto piarum mentium, accursu, ut quandoque in unico templo ad 16. aut etiam 18. millia hominum uno die, divino epulo reficiantur: & in templo nostræ Domûs Professæ Romæ, nonnunquam 100. Confessarii aures præbeant confitentibus. Communicata hæc gratia aliis extra Urbem Collegiis, & Domibus effecit, ut semel Olyssipone ad 25. millia, Panormi ad 32. millia sacræ mensæ accubuerint; ut testatur author Synopsis Societatis *Lib 6. c. 15.* Quin Anno 1647. scriptum fuit, Bononiæ unico illius Anni die in templo S. Petronii, & aliis ejusdem Urbis numerata fuisse 50000. Generalem Communionem obeuntium. Strenuè Italorum pieta-

tem æmulantur Germani, noſtrique Tirolenſes nominatim; nam, ut de Civibus taceam: ex altiſſimis montium jugis per hybernas nives ad noſtrum Halenſe, ac Oenipontanum templum turmatim accurrit ruſtica plebs, iis Dominicis, quibus Communio Generalis celebratur. His ſuppoſitis oritur.

Quæſt. LXXII, *Quos favores adjunctos habeat Communio Generalis?*

190 RESP. Habet Indulgentiam Plenariam, quam aliquis poteſt vel ſibi ſervare, vel pro libitu applicare animæ in Purgatorio; non autem poteſt quis & ſibi ſervare, & ſimul animæ applicare. Patet ex verbis ipſius Brevis.

191 Quæſt. LXXIII. *Quæ Conditiones requiruntur ad comparandam hanc Indulgentiam?*

RESP. Sequentes, I. Ut quis ſit verè pœnitens, & Confeſſus. Quam conditionem oportet intelligere ſecundùm dicta ſuperiùs de Confeſſione.

II. Debet devotè viſitare aliquam Eccleſiam, & quidem illam, quam nominaverint Societatis JESU Superiores, ſive ea Eccleſia ſpectet ad Societatem JESU, ſive ſit Sæcularis, dummodo reſpectu Eccleſiæ Sæcularis adſit licentia Ordinarii loci, & Rectoris, ſeu Parochi. Unde colligo, non poſſe à noſtris Superioribus deſignari aliquam Eccleſiam ad alios Regulares ſpectantem; nam privilegia, & favores non debent extendi ultra proprietatem verborum Gloſſa in Clement. *Per literas* de præbend. verbo *directas*, communiter recepta. Porrò debet illa viſitatio Eccleſiæ fieri eâ Dominicâ, quâ *ſolicitudine*, & *ordinatione Superiorum Societatis* celebratur Communio Generalis.

192 III. Debet ſacram Synaxin ſumere prædicta die Dominica, in prædicta Eccleſia. Eſt autem hæc circumſtantia templi planè extraordinaria; etſi enim longè plurimæ Indulgentiæ requirunt Communionem, non memini me legere ullam Bullam, aut Breve, quo determinetur certa Eccleſia pro Communione; ſed ſemper (quantum ego quidem, lectis diverſiſſimarum Indulgentiarum formulis, ſcio) permittitur facultas communicandi in quocunque templo.

Quanquam hiſce jam alteri typo mandatis, comperio aliquid ſimile extare in Bulla pro Confraternitate Sacratiſſimi Roſarii, in ea quippe exprimi Sacram Communionem eſſe in Eccleſiis PP. Prædicatorum obeundam à fratribus, & ſororibus obtinere volentibus (certis diebus) Plenariam Indulgentiam, quod non præteriiſſem ſilentio, ſi tunc habuiſſem compertum.

IV. Debent in prædictâ Eccleſiâ pias ad Deum preces effundere, ad tres intentiones in Brevi expreſſas.

193 Et quia has ſolas conditiones apponit Pontifex, non exprimendo plures,

Sequitur primò, eum, qui Indulgentiam Plenariam vult applicare defuncto, non teneri orare pro illo, aut aliis defunctis, multò minùs offerre Communionem pro ipſis, ſed ſufficere ſi dicat: *Domine Deus, Indulgentiam, quam mihi applicare poſſem, dono huic, aut iſti animæ &c.* Debet autem vel actualiter, vel virtualiter id dici, atque adeò applicatio defuncto fieri priùs, quàm ultimum ex enumeratis operibus ſit peractum; nam poſitâ ultimâ diſpoſitione oritur forma, ut conſtat ex Philoſophia; atqui forma eſt Indulgentia, ultimum opus eſt ultima diſpoſitio. Niſi fiat id, quod dixi, vel nulla omnino Indulgentia acquiritur, vel actu applicatur perficienti prædicta opera.

Sequitur ſecundò, poſſe obtineri hanc Indulgentiam, licèt non plus recitetur, quàm unum Ave Maria ad prædictas intentiones. Nam Pontifex abſolutè dicit: *pias preces effuderint.* Utique tamen conſultum eſt, ſaltem quinquies Pater & Ave recitare, ſicuti & directè orare pro miſeris animabus. 194

Porro, quia toties ſit, ut hæc Communio Generalis immediatè ſequatur, aut præcedat celebria feſta, quibus Chriſti fideles conſueverunt ſacro Chriſti Corpore, ſeſe reficere, practicari ſæpè debebit uterque modus, quem ſuggeſſi ſuprà *n.* 183.

Quæſt. LXXIV. *An, & quatenus, durante Anno Sancto, fas eſt Indulgentiam pro Communione Generali datam quærere?* 195

Ratio dubitandi eſt duplex; prima, quia Innocentius X. ipſo Ann. 1649. ut ſuprà memini illam Indulgentiam ad proximos 15. Annos confirmavit, & extendit; ergo Anno Jubileo ſequente, quem utique præviderat, & animo deſtinârat ſua Sanctitas, valebit; nam *Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.* Reg. 16. *in* 6. Altera oppoſita ratio eſt, quia Excommunicatione feriuntur omnes illi, qui durante Anno Jubileo prædicant, aut in uſum demandant Indulgentias alias ab ea, quæ Romæ tunc obtinetur.

RESP. I. Certum eſt, illam Indulgentiam, durante Anno Jubileo, non poſſe alicui vivo prodeſſe: nam nimis prægnantes ſunt illæ clauſulæ, quibus per Annum Sanctum ſuſpenduntur Indulgentiæ Plenariæ vivorum. Nec obſtat allata ratio; licèt enim ſit decens, ut perſeveret beneficium à Principe conceſſum: poteſt tamen juſtis de cauſſis tolli, aut ſuſpendi, ſi velit Princeps: nam *Res omnis per quaſcunque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* Reg. 1. de Regulis Juris *in* 5. Vult autem ſuſpendi Anno Sancto hoc ſuum beneficium Pontifex, ut patet ex allata ratione. 196

II. Eſt probabile, poſſe defunctis eo etiam Anno acquiri illam Indulgentiam; nam *num.* 45. auctoritate, & ratione firmavi ſententiam,

tiam, abſolutè & ſine diſtinctione docentium, Indulgentias reſpectu defunctorum perſeverare Anno Sancto. Adde dicta *n.* 43. & 44. Adde quoque, quòd P. Eſcobar *n.* 51. teſtetur, ipſummet Urbanum VIII. declarâſſe, quòd Indulgentiis pro moribundis & mortuis nil deroget Annus Sanctus, ſicut & declaravit poſtmodum Innocentius X. relatus *cit. n.* 45. in Append.

III. Quare poſſunt Confeſſarii hortari ſuos pœnitentes, ut faciant requiſita ad hanc Indulgentiam Manibus donandam. Nec eſt hîc timenda cenſura, quia oſtendi *num.* 53. eâ non peti illos, qui ex probabili ſententia in uſum demandant aliquas Indulgentias. Nec dubita, quin intentio, quâ Superiores Societatis jam ab aliquot Annis in ſingulis locis deſignârunt certam Dominicam in Menſe, certamque Eccleſiam, adhuc perſeveret in Anno Sancto, poſito, quòd eo poſſit obtineri prædicta Indulgentia.

IV. Sequitur quoque ex dictis, non tantùm omni culpâ & pœnâ immunes fore, ſed & de fidelibus defunctis optimè merituros Concionatores illos, qui prædictam Indulgentiam ſuis commendabunt auditoribus, dummodo explicent, quâ ſit ea ratione Anno Jubileo applicabilis mortuis, non applicabilis vivis.

197 Sed contra ſecundam Reſponſionem, quæ in hac quæſtione præcipua eſt, moveri poteſt grave dubium: quomodo ſcilicet prædicta Indulgentia applicari poſſit defuncto, cùm non poſſit vivo? Nam ipſe vivus homo, qui opera præſcripta perficit, eſt is, cui principaliter, primariò, directè, & per ſe promiſſa eſt, atque obvenire debet Indulgentia; defuncto autem tantùm acceſſoriè, ſecundariò, indirectè, per accidens, ſcilicet loco vivi, ſuam in alterum gratiam tranſferre volentis; neque valentis *plus juris tranſferre in alterum, quàm ſibi competere dignoſcatur.* Reg. 79. *in* 6. Unde videtur allata reſponſio validè impugnari, tum Regula 42. in 6. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*: tum illo communi Axiomate *Subrogatum naturam & conditiones ſequitur illius, cui ſubrogatur.* Ergo ſi principalis eſt incapax Indulgentiæ, incapax erit etiam acceſſoria anima, quæ illi ſubrogatur, ſicuti cui non permittitur ſtare matrimonio, contra Leges dirimentes contracto, nec permittitur ſervare dotem, quæ eſt acceſſorium quid ad matrimonium. Cap. *De Prudent. De donat.* inter virum & uxorem.

Reſponderi tamen poteſt, licèt ea, quæ opponuntur hîc, ſint per ſe, & communiter vera, per accidens tamen, & quandoque non eſſe vera, ut oſtendit Gloſſ. in cit. Cap. *Acceſſorium.* Et tunc maximè non ſunt vera, quando Princeps, aut Legiſlator aliud ſtatuit de principali, aliud de acceſſorio, aliud de ſubrogato, aliud de illo, cui eſt ſubrogatum, ſicuti in noſtro caſu ſtatuiſſe Pontifices perquam verosimile fit ex iis, quæ de permanentia Indulgentiarum pro defunctis tempore Anni Jubilei tradidi ſuo loco.

Appendix quà Correctoria, quà Exegetica.

Ita ſcripſeram ante Annum 1675. de permanentia etiam in Anno Sancto pro Communione Generali, ſed nunc palinodiam cano, propter convincentem authoritatem Bullæ Declaratoriæ, quam propoſui, & huic individuæ materiæ applicavi *Cap.* 11. in Appendice II. At cæteris, quæ in hoc Cap. XXVII. propoſui, reſolvíque, ſine & notitia praxis & authoritate ſcriptorum, ſiquidem Anno 1649. quo ea ſcripſeram nec dum illuxerat Annus Sanctus, nec prodierant in lucem ſeu Singularia noſtri P. Quintanadvennas, in quorum appendice eſt Legere longum eúmque primum Tractatum de univerſa ratione (excepto dubio de occurſu cum Anno Jubileo) hujus Communionis Generalis: ſeu Patrocinium defunctorum noſtri itidem Patris Jacobi Hautini; in cujus *Lib.* 3. *Art.* 3. diſſerit hic author ex inſtituto de hoc argumento; qui duo ſcriptores: quia non modo explicant pleraque ex iis, quæ hic ego, ſed plura addunt, quàm ego, dabo Synopſin utriuſque. 198

Primò itaque nomine *menſis* ità intelligitur unus è duodecim cujuſvis Anni, ut licèt fortè, quod ſæpe fit, contineat hic, aut ille quinque Dominicas, non tamen liceat pluſquam ſemel eo menſe celebrare Communionem Generalem. Quintanad. *loc. cit. dub.* 1. Unde videtur mihi convenientius, ut prima & ultima Dominicæ accipiantur more Civili, quàm Eccleſiaſtico, quo habetur ratio vicinitatis cum Calendis, atque ità ſervatur in iis Collegiis hujus Provinciæ in quibus vixi.

2. Quia Brevia poſteriora tã diſertè aſſignant diem Dominicam, inutiliter deſignabimus aliam. Quintanadvennas *dub.* 3. Nam tempus Legis, qui non obſervat, non dicitur formam Legis obſervare *L. Obſervare ff. De offic. procenſ.* eámque Dominicam inchoare poſſumus à media nocte, ac protendere etiam ad mediam noctem, non autem inchoare à primis Veſperis. Idem *Ibid.* De qua inchoatione dicemus plura *Tract. ſeq. Part.* 2. *cap.* 30.

3. Tametſi fuit mihi aliquando viſum, non poſſe in iis urbibus, in quibus Societas habet diverſa domicilia, celebrari eodem die in pluribus Eccleſiis noſtris Communionem Generalem, idque ob præcipuas rationes, quas Quintanadvennas tunc à me nondum lectus congerit *loc. cit. dub.* 4. nunc tamen cenſeo cum eodem authore, atque Hautino *cit. a.* 3. *n.* 981. poſſe id fieri; tum quia ita declaravit

R. P. N. Mutius Vitelleſcus teſte Quintanadvenna, tum quia ipſe refero ſuprà *n.* 198. id fuiſſe factitatum Bononiæ.

Nomine autem Eccleſiæ Societatis vult P. Quintanad. *dub.* 4. *&* 5. intelligi tum Eccleſias Seminariorum, ſeu (ut indigitamus in hac, & Boëmica Provincia) Convictuum Societatis, utpote quæ incolant, & regant noſtri, tum Ordinaria, & Capellas, quæ ſunt in domibus, cubiculis, atriis, ſicuti pluribus ex eo retuli ſuprà Cap. 20. num. 135. quibus ipſemet *cit. Tract.* 1. *dub.* 7. addit, multiſque probat, non carere probabilitate, quòd quando Communio Generalis celebratur in Eccleſia Societatis in civitate aliqua ſita, poſſint tam exteri, quàm noſtri lucrari Indulgentiam viſitando aliquod Oratorium exiſtens in prædio ſpectante ad Collegium, ad quod pertinet ea Eccleſia: eſto illud prædium ſit valde remotum à tali urbe dummodo in illo eodem Oratorio precentur ad tres præſcriptas intentiones: tum quia etſi talia Oratoria, Capellæ, aut Sacella ſint ſolius P. Provincialis, & non Epiſcopi authoritate fundata, dici tamen poſſint fundata authoritate Pontificis, & proinde meritò comprehendantur nomine Eccleſiæ; tum quia talia gaudent immunitate Eccleſiaſticâ; tum quia prædium ſeu grangia Monaſterii eſt membrum ſuppoſitum Monaſterio, in quo extat Oratorium ad celebrandum: tum quia omnia ſuburbia, prædia, villæ, horti, grangiæ, & alia loca ſubjacentia alicui civitati comprehenduntur ſub nomine illius civitatis in favorabilibus.

Quæ omnia ſi vera ſunt, tum certè poteſt Indulgentia, quâ de loquimur, obtineri in omnibus Aulis noſtrorum Gymnaſiorum, in quibus quotidie fit noſtris diſcipulis res divina, tum in Eccleſiis, & Sacellis omnibus, quæ diſtantes procul à noſtris Collegiis Monacenſi, Ingolſtadienſi, Friburgenſibus, ſpectant ad iſta Collegia, & quidem acquiri eo die, quo celebratur in Eccleſiis noſtris immediatè junctis ipſis Collegiis, quod ſingulariſſimè habebit locum tum in noſtro templo Marſenſi, tum in Miſeracenſi, tum Fridbergenſi, quorum primum ad Friburgenſe Nuithonum, alterum ad Bruntrutanum, tertium ad Auguſtanum Collegia ſpectant. Quæ omnia cùm ſint contra praxin noſtræ Provinciæ, atque, ut puto, aliarum, idcirco ego cum P. Hautino *loc. cit. n.* 282. *&* 283. pro dubiis habeo, quæ ex P. Quintanadvenna retuli de Sacellis prædiorum, aut etiam infra ſepta Collegii penitus extra Eccleſiam vulgò dictam conſtitutis. Sanè nos hîc Conſtantiæ, ſicut & Friburgi Helvetiorum habemus Sacellum domeſticum propriè conſecratum, quod eſt pars noſtri Collegii remota à noſtra vulgò dicta Eccleſia; habemus & in Auguſtano, Monacenſi, Ingolſtadienſi, pluribus Collegiis aliis itidem Sacella contigua cubiculis, in quibus decumbunt infirmi audientes Miſſas, quæ pro ipſis illic celebrantur, non exiſtimo tamen, cuiquam Doctiſſimorum virorum, ſapientiſſimorum Superiorum, qui ea domicilia incoluerunt, aut etiam rexerunt, probatas fuiſſe ejuſmodi explicationes.

4. Nomine Eccleſiarum ſæcularium, in quibus poteſt celebrari præſens Communio, ſed *ſolicitudine Patrum Societatis*, intelliguntur omnes illæ, quæ ſubjacent poteſtati, atque juriſdictioni Epiſcoporum, ſeu Ordinariorum ſæcularium. Quintanad. *cit. App.* 1. *dub.* 8. inferens *num.* 17. *&* 18. huc quoque ſpectare illorum oppidorum Eccleſias Parochiales, in quas Religioſi obtinent juriſdictionem, ſeu utramque, ſed alterutram, dummodo in iis obeantur functiones Parochiales. Verùm quia Eccleſiæ Regularium non exemptorum ſubjacent etiam juriſdictioni Epiſcopali, eæque ſunt propriè Eccleſiæ Regulares, non exiſtimo eas venire nomine ſæcularium, ſicuti nec credit Hautinus *num.* 985. Igitur per Eccleſias *ſæcularium* intelligi autumo illas omnes, quæ ſunt extructæ principaliter in pium uſum perſonarum ſæcularium: adeóque Eccleſias ſæcularium non opponi hîc omnibus Eccleſiis Regularium, ſiquidem omnis Eccleſia Parochialis pleno jure unita alicui Monaſterio eſt verè, propriéque beneficium Regulare. Rebuffus *De beneficiis.* verb. *Beneficium Regulare.* Suarez *Tom.* 4. *De Relig. Tr.* 8. *c.* 19. Sanchez in Summa *Lib.* 7. *c.* 29. *n.* 13. Garzias De Beneficiis *Part.* 7. *c.* 10. referens multos. Filliucius *Tr.* 41. *n.* 8. & recentiſſimus Petrus de Murga in qq. Parochialibus *Part.* 2. *q.* 6. *n* 8. citans Azorium, Rodriquez, Baſſæum, Pellizarium, & Rotam. Quis autem negabit, poſſe cum facultate ſeu Abbatis, ſeu Parochi, Vicariive ab eo conſtituti, in tali Eccleſia, quæ directè fundata eſt pro ſæcularibus ſine reſpectu ad functiones Monachales, obiri noſtram Communionem? Aliud utique cenſendum eſt de Eccleſiis directè, atque immediatè erectis in uſum Regularium, eſto per extenſionem, aut ſubſequens privilegium potiatur juribus Parochialibus ſicut in noſtra Germania potiuntur permultæ; dum enim Pontifices exprimunt in Brevi ſuperiùs repræſentato Eccleſias *ſæcularium*, hoc ipſo negant nobis jus deligendi Eccleſias *Regularium*, intelligendo per has non utique illas omnes, quæ ſpectant ad Regulares, ſeu cumulativè, ſeu privativè ad Epiſcopos, ſed illas omnes, & ſolas, quæ, ut ſuprà indicavi, ſunt directè, & primariò deputatæ exercitiis Regularium, conſequenter exiſtimo, noſtros PP. Tridentinos e. g. non potuiſſe inſtituere ſine facultate vel Epiſcopi, vel Parochi dictam Communionem in Eccleſia

ſia Parochiali B. Virginis, in qua habebant unum duntaxat Sacellum pro ſacris faciendis, Confeſſioníſque & Communionis Sacramentis.

5. Licentia tam Ordinarii, adeóque Epicopi e. g. quàm Parochi cumulativè requiſita ſufficit, ut ſit tacita. Quintanad. *dub.* 10. Hautinus *n.* 987. ſolicitudo autem noſtrorum, quâ in tali Eccleſia procurari debet Communio, conſiſtit eſſentialiter in eo, ut nos & proponamus Indulgentiam, hoc aut illo die, locóque lucrandam, & ad hanc lucrifaciendam hortemur, invitemus fideles, & vel ipſi confeſſionibus audiendis, Communioníque præbendæ vacemus, vel noſtro hortatu, rogatúve alii hæc præſtent. Hautinus *n.* 986.

200 6. Tametſi ſuperiùs *n.* 184. ſcripſi, unâ Communione poſſe obtineri Indulgentiam cadentem in duos diverſos dies viciniſſimos, nequaquam tamen volui indicare, poſſe unâ Communione obitâ extra diem Dominicam aſſignatam pro hac noſtra Indulgentia, hanc obtineri, contrarium enim eſt clarum, ſicuti etiam obſervat Quintanad. *dub.* 12. *n.* 4. qui *num.* 3. præmiſerat, eſſe probabilius, Confeſſionem in noſtra hac materia non exigi etiam à conſcio peccati mortalis, ſed ſufficere contritionem. Imò ſi poſt Confeſſionem, & Communionem labaris in mortale, inque tali ſtatu perficias ultimum opus, id eſt preces pro communibus neceſſitatibus, non poteris quidem tibi ipſi applicare illum theſaurum, ob Generalem doctrinam traditam ſuprà *n.* 59. at fortè valebis animæ defunctæ, juxta ea, quæ Tract. ſeq. *Part.* 2. *cap.* 23. diſſeram in hanc rem. Certè Hautinus *n.* 992. abſolutè negat, ſtatum gratiæ requiri in eo, qui hanc Indulgentiam tranſcribit alteri.

7. Sufficere, ſi ad tres præſcriptas intentiones recitetur ſemel ſalutatio Angelica, dixi ſuperiùs *n.* 194. conſentiente in terminis Quintanad. *dub.* 13. *n.* 3. diſſentiente in terminis Hautino *n.* 989. tum quia alioqui ſufficeret, (inquit Hautinus,) cum Publicano dicere: *Deus miſerere mihi peccatori*, tum quia non forent plures preces neceſſariæ ad lucrandam Indulgentiam Plenariam, quàm ad unius diei, *quod creditu difficile eſt.* Sed reſpondeo negando primam conſequentiam, oportet enim orare ad tres intentiones præſcriptas, ad has autem non poteſt aptè dirigi illa precatiuncula Publicani, poteſt autem Salutationis Angelicæ ſaltem ultima pars. Ad alterum reſpondetur, eſſe quidem difficile creditu, quòd breviſſima precatiuncula ſola æquè ſit ſufficiens ad lucrandam Plenariam Indulgentiam, atque ad acquirendam particulam unius diei, at non eſſe difficile creditu de illa Oratiuncula, quæ jungitur aliis operibus arduis, ut eſt Confeſſio, & Communio in certo templo, à quo multi diſtant, unius, & plurium horarum itinere, & quidem ſæpe adverſante tempeſtate. Nihilominus tamen omnino ſuadendum eſt illud, quod de quinquè Orationibus Dominicis, & totidem Salutationibus ſcripſi ſuprà *n.* 194. eſtque his contentus ipſe P. Hautinus.

8. Neque hîc Doctor, neque P. Quintanad. explicant, an Ordines Religioſi, qui participant in ampliſſima forma noſtra privilegia, & Indulgentias, poſſint hanc ipſam Communionem Generalem promulgare pro ſuis Eccleſiis. Poſſe exprimit P. Bonagratia Franciſcanus Capucinus in ſummula verb. *Privilegium. n.* 41 citans me in oppoſitum; P. Quintanad. *cit. Tract.* 1. *n.* 2. teſtatur, alias Religioſas familias excitas fructu ſpirituali quem produxerat hæc Communio, poſtmodum impetraſſe à Sede Apoſtolicâ ſimilia, ut vocat Jubilea; ſicuti Illuſtriſſimus Princeps atque ad S. Galli Reverendiſſimus Abbas in ſuo amplò ſanè territorio temporali, & ſpirituali; atque Reverendi PP. Capucini pro Provinciis ſuis Helveticâ, & Sueviçâ inducti zelo ſecundùm *veram* ſcientiam poſtulârunt, impetrârunt-que poſt evulgationem alteram hujuſce Tractatûs, in vere magnum incrementum honoris divini, pietatiſque in pios manes. Ego meam ultimam reſolutionem prudens differo ad Tract. ſeq. *Part.* 2. *cap.* 10. ubi erit rurſum ſermo de hac Communione.

9. Illum fructum quod attinet, teſtatur noſter Quintanadvennas *cit. dub.* 1. *n.* 2. ſe vidiſſe numerum obeuntium in domo profeſſa Societatis JESU Hiſpalenſi excreviſſe ad viginti duo, imò viginti quatuor millia & ultrà; Hiſpalenſes ſuperaverunt Panormitani, Bononienſes, Olyſſiponenſes, ut retuli ſuprà *n.* 189. potéſtque etiam videri Hautinus *n.* 1021. numerans plura loca, & *n.* 1021. ex Regulis Arithmeticæ declarans, quot milliones animarum pœnis Purgatoriis liberentur per eam Indulgentiam in paucis urbibus intra non multos Annos.

10. Fui die 18. Januarii 1658. literis interrogatus, *quid cenſerem de quibuſdam dubitantibus, an non liceret die Sabbati veſperè fundere preces ad tres præſcriptas intentiones, eáſque fundendo perficere unum ex operibus imperatis pro Indulgentia, de qua nunc diſſerimus.* Reſpondi, probabiliter licere, eò quòd tempus Indulgentiæ pro feſto alicujus ſancti conceſſe incipiat à primis Veſperis, finiatur poſt ſecundas, poſtque occaſum ſolis, Dominica verò dies veniat nomine feſti, ut videbimus *Tract. ſeq. Part.* 2. *cap.* 26. *num.* 653. *&* 654. At dum conſcribo hanc additionem reperio noſtrum Quintanadvennam *cit. Tract.* 1. *dub.* 3. *num.* 3. 4. 5. tenere contrarium, eò quòd Papa loquatur expreſſè de Dominica, & hæc non in-

choë-

choëtur à primis Vesperis, sicut Festa, proindéque censet inchoari à puncto medio noctis, protendique ad punctum alterius mediæ noctis. Sed licèt quisque, ut reor, videat, hac ratiocinatione non tolli probabilitatem meæ antiquæ opinionis, non nego tamen eam ratiocinationem esse verosimilem, & consequenter, qui oblitus est interdiu orare ad intentiones determinatas à Papa, si suæ oblivionis recordetur sub examine vespertino, posse post illud etiam tempore hyberno utiliter ire ad Ecclesiam nominatam, ibique peragere quod neglexerat. Imò idem P. Quintanad. pronunciaret, talem posse fieri compotem Indulgentiæ, si illas preces perficeret in cubiculo (& quid ni in lecto) Collegii, ad quod pertinet ea Ecclesia, ut liquet ex suprà relatis ex ipso. At magnopere dubito, propterea, quòd jam dixerim, nomen Ecclesiæ videri ad hoc authore sumi nimis amplè.

CAPVT XXVIII.

De Jejunio pro Jubileo.

SUMMARIUM.

Pro Jubileo Anni Sancti non est necesse jejunare. 201.

An in Jubileis extraordinariis sit jejunandum, quando illa indicuntur pro tempore Paschali? 202.

Aut quando pro tempore, in quod incidit solemnissimum festum? 202. & 203.

Quid actum Constantiæ, quando Bulla advenit post Dominicam Lætare? 204.

Quid tunc licuerit Parochis? Ibid.

Quale Jejunium exigatur pro Jubileo? 205.

An si in Quadragesima sit pro toto Episcopatu permissus esus carnium, censetur jejunare, qui tunc sumit refectionem ex carnibus? 205. & 206.

Qualis Vespertina collatio permittatur in jejunio Jubilei? 208.

Quid si extra tempus concessæ refectionis edatur parum quid, an periclitabitur Jubileum? 209.

An si se quis inebriet? Ibid.

Quid censendum de pueris, infirmis, labore pressis? 210. & 211.

Differentia inter non potentem jejunare, & non potentem dare eleemosynam. Ibid.

Omnia jejunia sunt perficienda intra unicam hebdomadem. 212.

Et quidem diebus nominatis in Bulla. 213.

201 Quæst. LXXV. *An & quale jejunium requiritur ad Jubileum?*

RESP. I. Ad lucrandum Jubileum Anni Sancti, non est necessarium jejunare, quia hæc conditio tunc non præscribitur, ut constat ex Bullâ. At verò pro Jubileis extra Annum Sanctum exigi solet jejunium, adeò, ut non viderim Bullam, quæ concedat Jubileum, duarum hebdomadarum, & simul non injungat jejunium triplex obeundum feria IV. VI. & Sabbato. Excipio tum illam Alexandri III. cujus memini Cap. 1. tum aliam Sixti V. pro Jubileo Anno 1585. quia enim illud Romanis indixerat, pro tempore Paschali, *eo autem tempore jejunia non indicuntur*, ut loquitur ipse Pontifex, idcirco loco triplicis jejunii, injunxit triplicem eleemosynam faciendam tribus illis feriis, quibus cæteroquin erat jejunandum.

Unde deduco, si contingat, ut Jubilei Di- 202
ploma perveniat in Germaniam v. g. duabus aut tribus hebdomadis post Paschà, videri posse, quòd Episcopus, in cujus id manus tunc venit, valeat loco triplicis jejunii, quod in Bulla nominatur; injungere triplicem eleemosynam; cùm enim primum in unoquoque genere sit exemplar reliquorum, ut pronunciant Philosophi æquè, ac Theologi; summus autem Pontifex sit utique primus, & præcipuus, idcirco ejus factum debet esse exemplar reliquorum, præsertim quia nititur ratione universali, quòd scilicet in tempore Paschali jejunia non indicantur. Et quia Urbanus VIII. Anno 1638. declaravit, quando Vigilia S. Joannis Baptistæ incidit in diem Solennitatis Corporis Christi, non esse jejunandum illo die, nec abstinendum à carnibus, sed feria IV. anticipandum; *eò quòd dies festus hujusmodi, quo tanti Sacramenti institutio summâ totius populi Christiani lætitiâ recolitur, è principalibus Anni festivitatibus existat*, idcirco si contingat in feriam IV. VI. aut Sabbatum; indicendi pro Jubileo jejunii, incidere unum è solennioribus Festis, fas erit Episcopo in locum unius ex illis jejuniis substituere elargitionem eleemosynæ peragendam illo ipso die, quo esset jejunandum. Est autem è solennioribus Festis, ipsa etiam Epiphania Domini, cùm habeat Octavam adeo privilegiatam. Et fortè erit, qui de die Assumptionis Deiparæ, atque Patroni dicet, quod de Epiphania insinuavi.

Agnosco tamen factum de tempore Paschali discursum, non esse omnino firmum, eò 203
quòd Urbanus VIII. in Extraordinario Jubileo, quem currente ipso Anno Sancto concessit die 21. April. requisiverit triplex Jejunium, & tamen incidit ille Jubileus in tempus Paschale, quia Anno 1625. Pascha celebratum fuit 30. Martii. Idipsum fecit idem Pontifex in Bulla prorogatoria Jubilei Anno 1634. per Quadragesimam Romæ celebrati, ut videre est apud Cherubinum. At Jubileum Anno 1629. noluit hic ipse Pontifex obtineri hebdomadâ sanctâ, aut Resurrectionis, fortè quia in hebdomadâ sanctâ processiones solitæ non satis congruè instituantur; in hebdomada autem Paschali, difficulter homines ad jejunandum adducantur. Nec dubito, quin, si in Germaniam literæ Jubilei pervenirent Dominicâ Palmarum, possent Episcopi exemplo Urbani VIII. differre Jubileum ad Dominicam in Albis.

204 Placet nihilominus referre, quid fuerit in hoc Constantiensi Episcopatu decretum duobus Annis, quibus Romanæ Bullæ advenerant sub expirantem Quadragesimam, scilicet An. 1661. & 1664. Utroque fuit summa adhibita & meritò, opera, ut quàm citissimè imprimerentur illæ Bullæ, pérque Bidellos deferrentur exemplaria ad Decanos Rurales. Atque ita factum, ut illo Anno 1661. potuerimus in hac urbe, omnibúsque locis non multùm remotis, opera præscripta inchoare ipsa Dominica *Iudica*, finiréque Dominica Resurrectionis, uti & fecimus ex mandato Episcopali; at imperatum remotis, qui non possent se nobis accommodare, ut pro ratione circumstantiarum nominaretur à Superioribus Ecclesiasticis aliud tempus, attamen ante Paschа, vel quamprimum fieri posset.

Alterum verò Jubileum auspicati sumus hîc Dominica Palmarum inclusivè, & continuavimus ad Dominicam in Albis inclusivè. At major pars Episcopatûs (utpote longi itinere sex dierum, & totidem lati,) jussa proximo quoque tempore initium dare huic sancto tempori, & ita quidem, ut neutro horum Annorum fuerit quidquam mutatum circa jejunia, etsi plurimis permolesta in ipsamet lætissima hebdomade Paschali, & hanc proximè sequente.

Nihilominus arbitror, non fuisse necessarium, ut qui Bullam acceperant e. g. feriâ quinta in Cœna Domini indicerent Jubilei initium ante Dominicam in Albis. Quis enim credat, velle Pontificem, ut jejunia inchoëntur ipsâ hebdomadâ Paschali? Est quidem satis molestum & propè repugnans mori indicato à Christo Domino *Matth. 9. v. 15.* ut filii sponsi jejunent tempore tam læto ipsi sponso, non tamen arbitror, molestiam hanc fuisse accensendam iis casibus aut causis, ob quas diximus suprà *n. 99. & seqq.* posse unum è præscriptis operibus commutari in aliud. At potuisset ex suprà dictis *n. 201.* Episcopus commutare pro toto Episcopatu, *cur non etiam Confessarius pro singulis suis pœnitentibus? imò cur non potius? etenim nullæ Bullæ faciunt expressè Episcopo, ut tali, jus faciendi commutationem, faciunt autem Confessario.* Resp. Hoc argumentum roborat id, quod ultro scripsi suprà *n. 203.* videlicet non esse firmam illationem, quam exhibui *n. 202.* cui proinde nec ipse do locum.

II. Jejunium pro Jubileo exigitur tale, qua- 205
le Ecclesia præcipit fidelibus extra Jubileum. Ita Sanchez in Summ. *Lib. 4. c. 11. n. 53.* ex Communi; nam Bullæ nil omnino peculiare hîc statuunt: Et quia in Jejuniis extra quadragesimam non solet imperari abstinentia ab ovis, aut lacticiniis; Bulla autem Jubilei non exigit jejunium quadragesimale, sed Commune; idcirco non est opus ab iis abstinere pro Jubileo, & ne quidem in quadragesima, si quis fortè vel ex privilegio, vel præscriptâ consuetudine habeat jus, prædictis rebus in quadragesima vescendi. Ita plerique DD. repugnante quoad privilegiatum Navarro *Tom. 1. Consil. Lib. 3. De Observat. jejuniorum, Consil. 5.* Cùm tamen idem Doctor sequente *Consil. 6.* expressè ita loquatur: *Videtur sua Sanctitas concedendo facultatem edendi carnes, & lacticinia in quadragesima, virtualiter concedere, ut carnes, & ova sint privilegiato cibi quadragesimales, vel convenientes diebus jejunii, & consequenter, quòd talibus vescens non censeatur vesci, nisi cibis convenientibus diebus jejunii. Ex quo sequitur, quòd comedendo tales cibos non frangit jejunium, & quòd verè jejunat, consequenter consequitur meritum jejunii, sicut credo, quòd consequeretur illud, qui, quia non potest habere panem, & cibos quadragesimales, comederet semel tantùm in die carnes, aut ova, aut lacticinia, quia necessitas facit hos cibos quadragesimales.* Hactenus Navarrus, qui sive consequenter, sive non consequenter loquatur, negandum est cum Lugone *Tom. 3. disp. 27. n. 109.* post Azor *p. 1. l. 7. c. 16.* illum, qui privilegium habet, vel carnibus vescendi, vel cænandi diebus jejunii, satisfacere Jubileo, si utatur suo privilegio, quia abstinentiam à carnibus esse de essentia jejunii Ecclesiastici constans est Doctorum persuasio. 206

Unde infero, Bavaros, Suevos, Francones, qui ex Generali Episcoporum suorum, dispensatione carnes per quadragesimam proximis ante Jubileum Romanum Annis ob defectum aliorum ciborum, comederunt, non potuisse iis diebus, quibus vescebantur carnibus, obtinere Indulgentias promissas jejunantibus.

III. Aliud pronunciandum est de iis, qui 207
habent privilegium anticipandi horam refectionis; nam hæc anticipatio non adversatur substantiæ jejunii, cùm probabilior sententia ferat, quòd hac ætate ad rationem jejunii non spectet ulla certa hora.

IV. Talis vespertina collatiuncula permit- 208
titur pro Jubileo, qualis pro die jejunii currentis; nam Bullæ nullam hîc faciunt restrictionem, &, ut paulò antè dixi, non imperant, nisi commune, seu vulgare jejunium. Unde, si jejunium Jubilei cadat in Vigiliam Nativitatis

tis Domini (ſicuti pluribus locis cecidit Anno 1672.) fas erit duplò, aut triplò majorem ex bellariis refectiunculam ſumere, quàm aliàs, quia ex multorum ſententiâ tanta permittitur illo die; & cenſet Paſqualigus in *praxi jejunii deciſ.* 93. eandem quantitatem permitti in Vigiliâ Paſchatis, & Pentecoſtes, eò quòd hæ ſint etiam Vigiliæ lætitiæ. Sed niſi huic rationi ſuffragetur alicubi recepta conſuetudo, admittenda non eſt, quandoquidem tota veſpertinæ collatiunculæ ratio, & modus pendet non tam à jure ſcripto, aut ratione, quàm à conſuetudine; quæ quidem conſuetudo permittit, ſaltem in Germania, practicari doctrinam Filliucii, Reginaldi, Laymanni *in Tract. De Jejunio*, tradentium, poſſe liberè pro refectiunculâ veſpertinâ tantum comedi ex rebus permiſſis, quantum æquat quartam partem juſti prandii.

209 V. Jejunium ita rigidè obſervandum eſt, ut Suar. *Tom.* 4. *diſp.* 52. *ſect.* 5. dicat, eſſe dubium, utrùm is ſufficienter pro obtinendo Jubileo jejunet, qui extra prandium, & collatiunculam veſpertinam modicum quid guſtat. Puto tamen cum Filliucio *n.* 153. hîc quoque parùm pro nihilo reputari: certè Bullæ non inſinuant hunc rigorem.

VI. Si jejunium injungatur ad impetrandum aliquid à Deo, negat Laym. *C.* 6. *n.* 4. illum, qui ſe die jejunii inebriat, frui Jubileo. Quæ doctrina eſt tunc maximè probabilis, cùm quis ideo ſe inebriat, ne difficultatem jejunii perſentiſcat.

210 VII. Omnes, etiam pueri, tenentur pro Jubileo jejunare, alioqui non conſequuntur favores Jubilei. Lezana V. *Jubileum n.* 12. poſt Rodriq. & Henriq. cum Laym. *Lib.* 5. *Tract.* 7. *c.* 8. *n.* 12. addentes rectè, illis, qui tridui jejunium non poſſunt ſine notabili difficultate perferre, ut ſunt infirmi, pauperes, & mechanici aliqui, Confeſſarium, loco jejunii, alia opera æquivalentia injungere debere: at verò adoleſcentibus non debet præciſè idcirco commutari jejunium, quòd nondum explêrint Annum XXI. ætatis: nam difficultas, quam ſentiunt in jejunando, non eſt communiter gravis. Et exiſtimat Rodriq. in Summa *c.* 184. *n.* 10. non poſſe iis commutari jejunium, niſi ex eo timeatur notabile detrimentum. Quæ opinio eſt conformis Generali doctrinæ, quam de impotentia, & impedimento neceſſariis ad impetrandam commutationem tradidi in ſuperioribus.

211 VIII. Cenſet Navarrus, *De Orat. Miſcell.* 60. & poſt eum Rodriq. *loc. cit.* quando meſſor, aut alius operarius propter laborem, quem alendæ familiæ gratiâ ex neceſſitate ſubit, jeiunare nequit, poſſe Confeſſarium commutare ejus jejunium in aliud opus pium: eſſe autem inter impotentem jejunare, & inter impotentem dare eleemoſynam hoc diſcrimen, quòd hic non teneatur facere, aut admittere commutationem; ille autem teneatur à Confeſſario petere, ſi vult potiri Jubileo. Hæc doctrina, quam fuſiùs defendit Nav. & etiam ſequitur Reginaldus *Lib.* 7. *n.* 185. ideo non diſplicet, quòd operarius, de quo hi loquuntur Doctores, habeat impotentiam moralem ad jejunandum, & conſequenter juſtum impedimentum: atqui propter juſtum impedimentum poteſt fieri à Confeſſario commutatio operum præſcriptorum. Utrùm, verò hæc doctrina ſit extendenda etiam ad illum, qui laborem cum jejunio incompatibilem obit non ex neceſſitate, ſed ob utilitatem, mihi non ſatis liquet: etſi opiner habere locum, quando agitur de magnâ utilitate ſpirituali, vel temporali, non item quando de parvâ.

Quæſt. LXXVI. *Titius pro obtinendo Jubileo, jejunat primâ hebdomadâ ſemel, ſecundâ bis; an acquirit Jubileum?* 212

RESP. Poſt lectas tam multas Bullas ferè mihi certum eſt, Titium non adipiſci Jubilei gratiam: nam hæ duæ phraſes: *Feria IV. VI. & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis*: &: *feria IV. VI. & Sabbato primæ, vel ſecundæ hebdomadæ*, quarum utrâque utuntur Clemens VIII. Paulus V. Urbanus VIII. Innocentius X. Alex. VII. Clemens IX. & X. atque alii, id mihi perſuadent, ſicuti & pleriſque Doctoribus contra Bonacinam *P.* 5. *n.* 34. ubi favente apertè Naldo apud Dianam *Part.* 5. *Tract.* 12. *Reſol.* 24. putat cum Palao §. 3. *n.* 20. contrarium poſſe probabiliter aſſeri, etſi conſulat, ut in praxi obſervetur noſtra reſponſio. Et verò opinionem Bonacinæ, quæ eſt prorſus contraria praxi & publicis Edictis hujus Diœceſis, vocat Lugo *diſp.* 27. *n.* 205. falſam: quare oportebit Titio commutare ſuum tertium jejunium in aliud opus, ſed utique non tam grave, quàm ſi primâ hebdomade penitus non jejunaſſet. Addit pro noſtra ſententia Dian. *loc. cit.* cum Præpoſito hanc rationem, quòd Pontificis ſcopus ſit, ut caro jejuniis maceretur, ad quam magis faciunt jejunia magis unita.

Quæſt. LXXVII. *Si loco diei Sabbatini jejunem feriâ V. fiámne compos Jubilei?* 213

RESP. Etſi cuidam viro docto videtur reſpondendum affirmativè, eò quòd jejunium feriæ V. ſit difficilius, adeóque præſtantius opus jejunio Sabbatino, cenſeo tamen negativè reſpondendum; tum quia omnes DD. ita ſupponere videntur, & in terminis ita docet Lavorius, Rodriq. apud Dianam *Reſol.* 25. cum Navarro & Reginaldo: tum quia opera perficienda ſunt, juxta formam præſcriptam. Nec obeſt allata ratio: nam videntur Pontifices tam conſtanter certos pro jejunio dies deſignare; tum ut uno eodémque tempore, plurimi ſe jejuniis affligant; tum ut vitentur diſſidia, quæ facilè in familiis orirentur, ſi unus hoc die, alius alio vellet jejunare. Et deniq; hoc faciunt ad imitationem quatuor Anni temporum. Accedit, quòd non ſit fas propriâ authoritate opera in Jubileo præſcripta mutare in aliquid etiam melius, ut ſuprà eſt oſtenſum.

CAPVT XXIX.

De Eleemoſynæ facienda pro Jubileo.

SUMMARIUM.

Qui abſolutè nequit dare eleemoſynam, non tenetur aliud opus perficere ejus loco. 214.
Non omnes viventes de quotidiano labore cenſentur non poſſe dare eleemoſynam. 215.
Quid ſi pauper det alteri ſolum unam nucem? Ibid.
Quid ſi dediſti eleemoſynam ignorans eſſe tempus Jubilei? Sufficiétne illa pro Jubileo? 216.
Superiores Societatis qui ſe gerant circa eleemoſynas tempore Jubilei? 217.
Quid aget uxor marito nolente largiri eleemoſynam? Ibid.
Quid nomine eleemoſynæ veniat in hac materia? 218.
An ſemper ſufficiat dare minimam? 219. & 220.

214 Quæſt. LXXVIII. *An Eleemoſynam oporteat largiri in Jubileis?*

RESP. I. Etſi pro Jubileo Anni Sancti non ſoleat præſcribi eleemoſynæ elargitio, ut patet ex Bulla prima, ſolet tamen pro Jubileis extra Annum Sanctum indictis.

II. Etſi univerſaliter omnibus præſcribitur eleemoſyna pro Jubileis, hæc tamen generalis præſcriptio non extenditur ad illos, qui eleemoſynam abſolutè largiri nequeunt, & proinde iſti non tenentur loco eleemoſynæ facere aliud opus pium. Sic cenſent Navarrus *In Miſc.* 60. *De Oratione num.* 133. Henriquez *Lib.* 7. *c.* 20. *n.* 6. *lit. n.* & plures alii. Rationem do, quia caſus riſſimus eſt, quo quis ita ſit pauper, ut planè nil alteri dare queat: rari autem caſus non continentur regulâ generali; *nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter, & facilè, quàm ad ea, quæ rarò eveniunt: quia quæ ſemel, aut bis accidunt, contemnunt Legiſlatores* ait Celſus L. *Nam ad ea.* ff. De Legibus.

215 Ex qua ratione apparet, me non aſſentiri Dianæ *Reſol.* 18. abſolutè pronuncianti, hanc reſponſionem eſſe intelligendam de omnibus, qui vivunt de quotidiano labore, aut oſtiatim mendicant: horum enim magna nimis eſt copia. Et quia etiam loquendo de pauperrimis mendicis tutior, quia verbis Bullæ conformior, opinio tenet, illos quoque contineri hac diſpoſitione, idcirco addo in primis cum eodem Diana *Reſol.* 31. ſufficere, ſi Confeſſarius pauperrimo mendico applicet eleemoſynam, quam hic dare forte teneretur.

Addo deinde, haud dubiè ſufficere, ſi pauper faciat minimam eleemoſynam, v. g unius oboli, aut det fruſtillum panis, pomum, nucem &c. aut roget pro ſe dari eleemoſynam. 216

At, *quid ſi quiſpiam meo id ignorantis nomine det pauperi alteri ſtipem, & ego poſtea ratificem, valebitne illa ratificatio?* Valituram cenſet Sa verb. *Jubileum n.* 4. & Boſſius apud Dianam *Part.* 5. *Tract.* 12. *Reſol.* 15. dummodo hæc ratificatio fiat intra tempus pro Indulgentia lucranda deſtinatum. Videri poteſt conſentire Cardinalis de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 27. *n.* 117. docens, ſi Prælatus Regularis det ex bonis communibus eleemoſynam pro omnibus ſubditis, ipſis id ignorantibus, fore ſatis, dummodò ipſi ſaltem intra unam hebdomadam, & legitimè ſcientes ratum habeant. Hæc doctrina, à qua tamen diſſentit Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *Part. d.* 52. *ſect.* 7. *num.* 4. mihi probatur etiam eo caſu, quo non ſequitur formalis ratihabitio; tum quia intentio efficax lucrandi Jubilei eſt vice ſufficientis ratihabitionis; tum quia, ſicuti quiſque habet generalem, habitualémque intentionem ſe juvandi per ſuamet opera tantum, quantum poteſt: ob quam cauſſam probabilior opinio fert, obtineri poſſe Indulgentiam etiam ab illo, qui nequè ſcit poſſe à ſe obtineri, neque expreſſè intendit obtinere, ita etiam habitualiter cupit quiſque ſibi prodeſſe ea, quæ ejus nomine fiunt ab alio. Qua ratione ductus ipſe Suar. *d.* 48. *ſect.* 3. *n.* 11. docet, mea etiam ignorantis peccata expiari per ſatisfactiones alienas.

Et quò tollatur omnis ſcrupulus, ſolent noſtri Ordinis Superiores, quando publicantur Jubilei, nos in Refectorio præmonere, ſe curaturos dari pro omnibus eleemoſynam, cenſétque Lugo *loc. cit.* conſequenter ad ſuam de ratihabitione ſententiam, talem præmonitionem, aut monitionem eſſe neceſſariam. Addit idem Diana *cit. Reſol.* 31. cum Lezana *n.* 14. ſi Prælatus nolit pro Religioſis ſuis largiri eleemoſynam, tum poſſe quemlibet clàm eo ſurripere quidpiam, & dare pauperi; quamvis tutius ſit petere commutationem. Ego autem cum Homobono, quem citat Diana, ſentio; illam ſurreptionem non eſſe neceſſariam, & proinde illicitam, ſuppoſitâ doctrinâ, quam tradit ipſe Diana, quòd ſcil. pauperes, qui nil habent, non egeant ulla commutatione pro eleemoſyna. Et quidni conditioni de largienda eleemoſyna ſatisfaciat Religioſus dando pauperi cruciculam, icuncula, Agnum Dei? 217

III. Quando maritus non vult dare eleemoſy-

mosynam pro tota familia, censet idem Diana *cit. Tr. 12. Resol. cit. 31.* uxorem, servos, filios familias licitè surripere quidpiam in egenos erogandum, pro Jubileo. Sed hanc doctrinam non admitto, saltem in casu, quo uxor habet bona parapherna, & filius, ac servus proprium peculium; tunc enim non tenetur paterfamilias eorum loco facere eleemosynam.

218 Quæst. LXXIX. *Qualem, & quantam eleemosynam oportet pro Iubileo largiri?*

RESP. I. Non sufficit largiri spiritualem eleemosynam, e.g. orando pro aliquo, vel docendo necessaria ad fidem, vel bonos mores; nam usus fidelium Bullas de Eleemosyna loquentes interpretatur de Eleemosyna corporali. Quare non rectè docet Zanardus apud Dianam sufficere spiritualem.

II. Nomine Eleemosynæ corporalis intelligitur hîc tum in primis elargitio stipis, quæ fit per translationem Dominii in alium egenum, vel etiam commodatio, mutuatio omnino gratis facta alicui indigenti; ut si ægro pauperi commodes equum, vehiculum &c. ad proximum pagum; tum si hospitio, aut tecto excipias mendicum, peregrinum pauperem, Religiosum; & universim, qui erga indigentem exercet gratis unum ex 7. operibus misericordiæ corporalis, videtur satis facere conditioni de dandâ eleemosyna. Probo inde, quia singula ex illis 7. misericordiæ corporalis operibus sunt propriè dictæ eleemosynæ, ut patet ex S. Tho. *2. 2. q. 32. a. 3.* per totum, communiter recepto; ergo qui unum ex illis operibus facit, fecit propriè eleemosynam. Atqui Bulla *lit. h. & i.* plus non exigit, quàm ut faciat quis eleemosynam. Et quamvis Bulla diceret, esse dandam eleemosynam, videretur nihilominus satisfacturus, qui faceret unum ex operibus assignatis, ut deduci potest ex iis, quæ de præcepto dandi eleemosynam tradit S. Thom. *Ibid. a. 5.* & cæteri post eum.

219 III. Spectatis hujus sæculi & ætatis Bullis, sufficit pro Jubileo præbere minimam eleemosynam, quia eæ Bullæ ita loquuntur: *Si Eleemosynas ad libitum, prout Charitas singulis suggesserit, fecerint.* Innocentius Bulla *3. lit. h.* vel *qui eleemosynas pro arbitrio suo fecerint.* Eadem Bulla *lit. p. prout cuique suggeret devotio.* Clemens X. in utraque sua Bulla Jubilea. Quamvis autem Bulla loquatur de eleemosynis in plurali, monet tamen rectè Filliucius, non injungi, ut dentur sæpiùs ab uno; nam propriis Bullæ verbis satisfit, si singuli ex lucraturis Jubileum, dent singulas eleemosynas. Sicuti suprà argumentabamur de indicendis processionibus.

IV. Similiter quando Bulla indeterminatè, & sine addito præscribit eleemosynam dicendo: *qui dederit eleemosynam, acquirit Indulgentiam &c.* censent Bonacina *Punct. 5. num. 18.* & Diana *cit. Resol. 31.* etiam sufficere minimam eleemosynam; at Lavorius apud ipsum, itémque Navarrus *De Iubil. Not. 31. num. 34. & 35.* & Reginaldus *Lib. 7. n. 187.* existimant, tunc teneri quem tantò plus dare, quantò est ditior. Ego censeo, pro opinione Bonacinæ facere Regulam 30. in *6. In obscuris minimum esse sequendum*; illa autem locutio: *qui dederit eleemosynam*, est obscura, cùm possit æquè de magna, ac de parva intelligi, ergo est intelligenda de minima.

V. Si renovarentur Bullæ Superioris sæculi, 220 quæ ita statuebant: *Qui dederit eleemosynam, quantam pro sua cuique facultate visum fuerit*, tum esset cum Corduba *q. 27.* ac Bonacina pronunciandum, non satisfacturos, nisi qui darent juxta conditionem suam, Rex ut Rex; dives, ut dives &c. nam illa locutio esset intelligenda de prudenti judicio, regulato per rectam rationem, cum proportione ad facultates.

CAPUT XXX.

Alia quæstiones de Eleemosynâ expediuntur.

SUMMARIUM.

An si famulus non eroget eleemosynam designatam à Domino, perdat Dominus gratiam Iubilei? 221.
Quinam intelligantur hoc loco nomine pauperum, quibus oportet dare eleemosynam? 222.
Quid si detur fingenti se pauperem? Ibid.
Quandonam largienda eleemosyna? 224.

Quæ. LXXX. *Mando meo Oeconomo, aut famulo, ut ex meis bonis eroget stipem; at non paret mandato: an privor fructu Iubilei?* 221

RESP. Cum Cardin. de Lugo *disp. 27. n. 112.* & aliis apud Dianam *Part. 5. Tract. 12. Resol. 31.* te privatum Jubileo; nam præcipere revera non est dare, idipsum negat idem cum Bonacina *disp. 6. q. 1. n. 22.* in casu, quo ipsemet in manus dedisti famulo pecunias, ut erogaret in pauperes; at hic nequiter sibi eas reservavit. Rationem hanc adfert Lugo, quia dare est transferre dominium; quamdiu autem neque pauperi ipsi sunt datæ illæ pecuniæ, neque quis ejus nomine eas acceptavit, tamdiu dominium illarum manet penes te, potéstque revocare donationem pro Jubileo factam. Hæc ratio etsi optima est, non tamen obest, quò minus practicè probabilis, & tuta sit opinio P. Sa V. *Indulgentia n. 4.* & Lezanæ V. *Iubileum n. 14.* tenentium oppositum, eò quòd quantum est ex tua parte, jam dederis, tradideríque eleemosynam.

Quæst.

222 Quæst. LXXXI. *Quinam hîc veniunt nomine pauperum?*

RESP. I. Nomine pauperum, quibus oportet tempore Jubilei dare eleemosynam, intelliguntur, tum veri pauperes, quibus ex obligatione naturali, aut voto teneris succurrere; tum deinde, qui sunt duntaxat secundùm statum pauperes, seu, qui nequeunt se secundùm statum suum alere; nam hi etiam absolutè veniunt nomine pauperum; tum etiam juxta Bullam Clementis VIII. pro Jubileo Anno 1597. ipsæ Ecclesiæ, & pia, Religiosáque loca: tum insuper illi quoque, qui fingunt se pauperes, cùm revera non sint, quia de ratione eleemosynæ non est, ut detur vero pauperi, sed ut detur ad sublevandam inopis miseriam: atqui ad hunc ipsum finem dat, qui dat existimato pauperi. Et quis credat, quòd Pontifex velit, ut, quò simus certiores de Indulgentiæ adeptione, mendicos interrogemus, utrùm veri sint pauperes, an se mentiantur tales esse? cùm præsertim regulariter in his *minutis* eleemosynis dandis, adsit animus transferendi dominium, etiam in falsum mendicum, ut ex Lessio notat Card. de Lugo *Tom. 3. in 3. p. disp. 27. n. 113.*

223 II. Etsi B. Pius V. revocavit omnes Indulgentias, pro quibus consequendis porrigendæ essent adjutrices manus, seu danda eleemosyna; hæc tamen revocatio non concernit Jubileum, ut singulariter notat Thesaurus *p. 2. V. Indulg. cap. 2.* quia B. Pius V. non loquitur de Indulgentiis, pro quibus obtinendis oportet dare eleemosynam pauperibus indeterminatis, sed pro quibus datur quid ad Ecclesiæ reparationem.

224 Quæst. LXXXII. *Quandonam est danda Eleemosyna?*

RESP. Testatur Leo apud Dianam *cit. Resol. 31.* Gregorium XIII. declarâsse, quòd sit perinde, quocunque die duarum hebdomadarum det quis eleemosynam, etsi det ultimâ Dominicâ post Communionem. Et puto etiam perinde esse, si considerentur pleræque Bullæ, ex iis, quas hactenus citavi; licèt enim eæ, & nominatim tertia Innocentii, & utraque Clementis X. Eleemosynæ largitionem ponat ultimo inter opera loco, jam tamen aliquoties monui, ejusmodi ordinem literæ non esse curandum; at si renovaretur Bulla Sixti V. pro Anno 1585. tum loco triplicis jejunii oporteret feria IV. VI. & Sabbato præbere eleemosynam.

CAPUT XXXI.

De facultate eligendi Confessarium tempore Iubilei.

SUMMARIUM.

Quisque Sæcularis habet certò jus eligendi tempore Iubilei quemlibet Confessarium ex approbatis. 225.
An etiam quivis Regularis, dissentiunt Doctores. Ibid.
Proferuntur varia in favorem sententiæ affirmativæ. 226.
Quid de PP. Capucinis sentiat P. Bonagratia? Ibid.
Quid de PP. Carthusianis eorum Prior? Ibid.
Sententia affirmativa est certa saltem respectu Monialium. 227.
Referuntur conditiones requisitæ in Confessario eligibili pro Iubileo. 228.
Per loci Ordinarium non rectè intelligitur Prælatus Religiosus. Ibid.
At verò rectè intelligitur nomine Ordinarii absolutè sumpto. 230.
Qui proinde potest sufficienter sæcularem approbare pro Confessionibus suorum subditorum. Ibid.
Non tamen Parochus pro suorum Parochianorum. 231.
An & ille Religiosus est eligibilis, quem Episcopus quidem approbavit, at proprius Prælatus suspendit à munere audiendi Confessiones? 232.
Saltem talis graviter peccaret obeundo tale munus. Ibid.
Quid de approbato cum restrictione ad certum locum, aut genus personarum? 233.
A quonam Episcopo debeat esse approbatus Confessarius Iubilei? 234.
Et singulariter is, qui obtinet beneficium Parochiale? 235.
Excommunicatus nequit fungi officio Confessarii. 236.
An irregularis, depositus, aut degradatus. 237.
Bullæ Iubilei non tollunt nisi defectum jurisdictionis. Ibid.

Quæst. LXXXIII. *Esne omnibus omnino* 225 *Christianis fas pro Iubileo eligere sibi aliquem ad libitum Confessarium?*

RESP. I. De Sæcularibus qualibuscunque nemo rationabiliter dubitare potest, quia non solùm in Bullis nominantur universi, & singuli utriusque sexûs, tam Laici, quàm Ecclesiastici *Sæculares*, sed etiam non est ulla ratio, quare hac gratia privati dicantur nonnulli ex Sæcularibus.

II. At de Regularibus dubitari potest rationabiliter. Nam eos quoque sine licentia suorum Superiorum confiteri posse Sacerdotibus,etiam Sæcularibus, docet expressè Diana *P.* 5, *Tract.* 12. *Resol.* 37. citans Bossium,& Leonem. Consentiunt Suar. *Tom.* 4. *De Relig. Tr.* 8. *l.*2. *c.*12. *n.*2.7.8. Lugo *Tom.* 3. *disp.* 20. *n.* 186. Filliucius *Tr.* 8. *n.*276. Peyrinis *Tom.* 3. *c.* 4. *n.* 3. Sanctarellus *c.* 7. *dub.* 1. Alloza in Floribus V. *Indulgentia sect.* 4. *n.* 31. Navarrus *Lib.* 5. *Consil. Tit. De Pœnit. & remiss.* antiquæ edit. *Consilio* 19. multis hoc probans, addirque Portel V. *Confessor.* in addit *n.* 6. Navarri sententiam posse practicari.

Non posse hoc facere sine licentia Superiorum tenent Lezana V. *Jubileum n.* 16. testans ita etiam tenere Novarium cum multis, item ipse Diana *P.* 3. *Tr.* 2. *Resol.* 94. cum Tamburino, & Molfesio, quem *cit. Resol.* 37. pro hac sententia refert. Denique Ausonius Noctinor in Summa Dianæ V. *Jubil. n.* 17. apertè asserit, Bullam Jubilei, quoad hunc articulum, non suffragari Regularibus.

226 Pro prima sententia faciunt aperta verba Bullarum, quæ non solùm dant potestatem *omnibus, & singulis Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis & Instituti, eligendi sibi Confessarium quemlibet tam sæcularem, quàm Regularem, qui ab omnibus casibus absolvat &c.* sed etiam hanc potestatem concedunt, *non obstantibus quibuscunque privilegiis iisdem Ordinibus concessis, etiamsi de illis specialis mentio facienda esset*; ut videre est in Bulla 3. Innocentii *lit. t. & bb.* & utráque Clementis X. & primâ S.D.N. Innocent. XI. Facit æquè apertè responsum Romanum, quod vidi; in eo quippe rescribitur, esse standum verbis Bullæ.

Pro secunda sententia non minùs apertè facere videtur privilegium à Gregorio XIII. datum Societati JESU, quo decrevit, ne personæ nostri Ordinis, absque Superiorum expressa licentia utantur facultatibus Jubileorum. Quia tamen P. Filliucius testatur huic Privilegio derogari per Bullas Recentiorum Pontificum,idque satis indicare videntur clausulæ derogatoriæ,quibus utuntur, atq; responsum Romanum, idcirco valde propendeo in primam sententiam, licèt determinare nihil velim, paratus me submittere judicio illorum, qui plus me sapiunt.

Quæ de præsenti argumento scripsi, cùm multis Annis pòst legisset P. Bonagratia Habsensis, atque eorum mentionem fecisset in sua Summula verè *Selectarum Quæstionum Regularium* verb. *Absolutio quoad Fratres in Additione* ad *num.* 50. edit. 2. *fol.* 214. atque nominatis à me pro hac Prima affirmativa sententia Doctoribus junxisset sui sacri instituti sectatores P. Gesualdum & P. Coriolano, subdit,se firmiter, & constanter retinere oppositam sententiam negativam, eâ de causa, quòd Cap. *Inter cunctas* Extravag. comm. *De Privileg.* vetetur, *ne quis Religiosos absolvat invitis eorum superioribus.*

Verùm pace hujusce Patris existimo, hanc ordinationem Benedicti XI. haud multum (si præcisè spectentur clausulæ Bullarum) patrocinari illi sententiæ, quandoquidem certum est,illam Constitutionem limitandam esse ad casum, quo Superior talium Superiorum invitorum dat potestatem alii absolvendi etiam subditos; etenim, ut alia jura silentio prætream, *dignum est, ut majori minor, & Superiori inferior deferat*, inquit idem Benedictus *Ibid.* loquens de horâ prædicationis, atqui Bullæ Jubileæ, nudè spectatæ revera magis favent sententiæ affirmativæ, cùm disertissimè nominent Regulares *cujusvis Ordinis, Congregationis, & instituti*, & derogent non solùm omnibus statutis, privilegiisque Regularium, sed etiam Constitutionibus, *& Ordinationibus Apostolicis*; est autem illa Extravagans verè Constitutio Apostolica.

Quare mihi persuadeo, si præsens lis determinanda sit solâ communi, & legali interpretatione verborum, quibus constant omnes, quas vidi,Bullæ hujus sæculi impertientes Jubileum Universale duarum hebdomadarum, fas esse quibusvis Regularibus cujuscunque instituti, insciis, aut etiam invitis Superioribus Regularibus eligere sibi Sacerdotem quemvis, si huic nihil aliud obstet, quàm repugnantia Superioris Religiosi. Atque ita fine dubio sentiunt tum DD. quos ego, & P. Bonagratia nominavimus pro Prima sententia, tum præter illos P. Pellizarius in Manual. Regular. *Tr.* 8. *c.* 2. *n.* 7. atque Anton. à Spiritu S. in Directorio confessar. *Tr.* 5. *disp.* 15. *sect.* 4. *n.* 13. 29. testans, ita declarâsse Gregorium XIII. & nominatim sui Ordinis Carmelitani Alumnos posse frui hac gratiâ.

Quia tamen Clemens VIII & Urbanus VIII. referente eodem P. Bonagratia in sua peraccommoda Isagoge, quam præmisit Summulæ *n.* 31. expressè declarârunt, intentionem suam nunquam esse, aut fuisse, ut vigore ejusmodi Indultorum liceat Regularibus eligere Confessarium, qui eos à reservatis absolvat, hanc ob causam scribit non solum Bassæus apud eundem P. Habsensem in cit. Additione *fol.* 215. sed etiam ipsemet Bonagratia verb. *Absolutio quoad sæculares. n.* 50. tutum non esse sequi,sententiam illam affirmativam.

Verùm meo judicio neutra illarum Bullarum quidquam officit huic liberaliori sententiæ; etenim Clemens in Constitutione, ad quam se refert Urbanus,& quæ est apud Cherubinum LXII. hujus Pontificis, incipiens: *Romani*, solùm loquitur de *concessione Sanctæ Cruciatæ, & aliorum Indultorum particularium.*

Atqui

Atqui Jubilea, de quibus loquimur, nullo modo sunt Indulta Particularia, sed Universalia, ut liquet ex ipsa Rubrica. Rursum, quia Urbanus in Bulla confirmativa, & declarativa illius Clementinæ, incipiente: *In Specula* apud Cherubinum *n.* 106. nec verbo ampliat illam clausulam: *Indultorum*, ideo censendus omnino est, reliquisse Clementinam integre in hac clausula per expressum textum in L. *Quidquid Cod. De Appellat.* à me descriptum suprà *num.* 47.

Quapropter unica ratio, ob quam videatur sententia negativa esse præferenda affirmativæ respectu Regularium nobiscum participantium, est mea opinione illa, quòd, ut suprà dixi, Gregorius XIII. disertè declaravit, se nolle ut Religiosi Societatis utantur facultatibus Jubileorum sine facultate suorum Superiorum. Cui simile Bullam, seu Breve haberi à Reverendis Patribus Carthusianis scripsit mihi ante multos Annos Admodum R. Pater Prior Carthusiæ Ittinganæ; potest autem videri nihil tam speciali declarationi derogare clausulas Jubileorum, etsi per quam Generales.

Sed ultimâ declaratione hujus litis relictâ sapientioribus me, censeo esse tempore Jubilei universalis saltem id faciendum, quod nos quandoque factitamus, ut tunc videlicet nominentur publicè aliquot è domesticis Sacerdotibus, qui præter ordinarios habeant expressè jus absolvendi juxta tenorem Bullæ. Nec existimo, ullum è nostris Superioribus localibus esse consentaneè menti Præpositorum Provincialium, aut Generalium acturum, si minimam difficultatem faceret in concedenda alicui domestico facultate confitendi cuicunque alteri seu incolæ, seu advenæ sui Collegii.

Appendicula.

His jam priore prælo vulgatis prodiit Notificatorium Decretum Clementis X. integre exhibendum ad calcem Capitis 48. hujus Tractatûs ita statuens de Regularium Confessionibus: *Imò & Religiosis Confessariis eadem* (vota absolvendi, & commutandi) *datur facultas respectu sui ordinis*: tam illis, qui tunc Romæ versabantur, quàm illis, qui eò venturi erant illo Anno Sancto *ad quem se extendit tantùm hæc facultas*, inquit Vicarius Pontificis. Quæ ordinatio sicuti patrocinatur apertè illi meo judicio de permittendo in Jubileis Extraordinariis à Superioribus, ut sui subditi eligant è suo Ordine, quemcunque maluerint Confessarium, ita adversatur arbitrantibus, esse eisdem fas accedere quemcunque alterius Ordinis, aut etiam sæcularem Confessarium.

227 Moniales quod attinet, dubitari nequit, quin stante Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *Pontificia solicitudo*, valeant eligere sibi quemcunque legitimè approbatum Confessarium, id quippe ipsis permittitur directè, & expressè in ea Bulla, & huic simillima illa, quam explicamus suprà *cap.* 6. An verò id etiam tunc liceat, quando Bullæ faciunt illam potestatem solùm in hac Generali clausula; *omnibus utriusque sexûs Regularibus*, sicuti facit tertia Innocentii descripta in principio hujus Tractatûs, & omnes aliæ concedentes Jubileum Universale, dubium est, & controversum; siquidem stant pro negativo, & affirmativo responso permulti apud Pellizarium in Manuali Regul. *Tr.* 10. *q.* 9. *c.* 10 & Dianam. Pars utraque est sine dubio probabilis speculativè, & quid ni quoque practicè? cùm Urbanus VIII. Anno 1625. ut dixi, & Innocentius X. Anno 1650. ut retuli suprà *cap.* 6. atque Clementes IX. & X. itémque S. D. N. Innocentius XI. expressissimè fecerint hanc illis potestatem.

Equidem non video majorem in praxi difficultatem aliis Annis, quàm illis quinque quos explicitè, vel implicitè nominavi, ideóque multùm inclino in sententiam recentissimi Antonii à Spiritu S. *in Direct. Confessar. De Sacram. Pœnit. Tr.* 5. *disp.* 25. *sect.* 4. pronunciantis pro Monialibus. Vide tamen moderationem, quam circa hasce fecit Anno 1651. Illustrissimus D. Ordinarius Constantiensis, ut videlicet ad plura vota eligeretur unus pro omnibus. Notat verò idem Pellizarius, posse ex rationabili causa Episcopum differre ad octiduum publicationem Jubilei pro Monialibus,ita ut hæ octiduo seriùs incipiant, quàm urbs, in qua habitant eæ.

Quæst. LXXXIV. *Quæ conditiones requirantur in Confessario eligibili per Bullam Jubilei?* 228

RESP. Sequentes I. Debet esse approbatus à locorum Ordinariis, ut loquuntur Bullæ Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. & Innocentii X. *lit. u.* idest,ab Episcopis; non autem à solis Prælatis Religionum, ut habet probabilior opinio Henriquez *Lib.* 6. *c.* 6. *n.* 4 Suar. *Tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 6. Cardinalis de Lugo *Tom.* 3. *d.* 20. *n.* 143. aliorúmque plurium, contra Sanctarellum & alios apud Dianam *Part.* 5. *Tr.* 12. *Resol.* 37. dicentes, posse etiam, stante hac clausula, Regulares tempore Jubilei confiteri alterius Ordinis Religioso approbato à suo solo Prælato. Quæ doctrina, etsi ob authoritatē & rationem est probabilis, opposita tamen est,ut dixi,probabilior: quandoquidem per *loci Ordinarium* non rectè intelligitur Prælatus Religiosus, ut agnoscunt passim DD. atqui Bullæ dicunt, Confessarium Jubilei esse debere approbatum *ab Ordinario loci.* Et possunt Pontifices habere justas causas, ob quas nolint pro Indulgentia Jubilei

valere Confessiones Regularium, factas iis, qui sunt approbati solùm à Prælatis ipsorum.

229 Oppositа tamen, ut dixi, sententia est etiam probabilis, ut docet Bonacina *d. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 25.* Diana *loc. cit.* & alii, ac tuta in praxi, tum quia *favorabile interpretationem non recipit, quæ eum, cui favetur, lædere possit*; ut habet *Rub. in Leg. Quod favore 6. C. De Legibus*, favente apertè Regula 61. in 6. quæ dicit, *Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*; atqui Bulla Jubilei læderet Regulares plurimos, si præter suum morem cogerentur quærere Confessarium ab Ordinario loci approbatum, & fortè illum quærere extra suum Monasterium; tum quia clausula, *Ordinariis locorum*; potest intelligi ampliativè, quasi dicat Pontifex: possint volentes potiri Jubileo, confiteri etiam illis, qui ab Episcopis solis sunt approbati, esto non sint approbati ab ipsorum propriis Prælatis.

230 Quodsi in Bulla præcisè poneretur nomen *Ordinarii*, tum absolutè dicerem cum Filliucio *Tr. 8. n. 275.* Lezana *Tom. 1. c. 19. n. 29.* & aliis, sufficere pro Regularibus approbationem Prælati Religiosi, quia & testatur Filliucius, non semel ita fuisse in sacra Pœnitentiaria responsum; & nomine *Ordinarii* absolutè prolato intelligi (nisi subjecta materia aliud poscat) quemvis ordinaria jurisdictione (exteriore) præditum, tradit ex Communi Sanchez *Lib. 3. De Matrim. disp. 29. n. 4.* Et denique constat generatim ex vi Concilii Trid. pro Confessionibus Regularium audiendis sufficere approbationem Prælati Religiosi.

231 II. Adde, quòd Gallus, & Mantius apud Henriq. *Lib. 6. c. 6. n. 2. lit. f.* absolutè doceant, posse Parochum tempore Jubilei dare viro docto sufficientem approbationem, ut audiat suos Parochianos; Et censet Henriq. *loc. cit.* cum Ludovico Crucio apud Dianam *Resol. 47.* hanc sententiam esse probabilem, in casu, quo accurrunt valde multi pœnitentes, & non potest facilis ad Episcopum longè distantem esse recursus. Quin negant iidem Mantius, & Gallus apud Henriq. *loc. cit. lit. e.* Prælatum Regularem indigere ullâ ullius approbatione, ut ipse audiat Sæcularium quoque Confessiones, eò quòd Prælatura Regularis æquiparetur Beneficio Parochiali; certum autem sit ex Concil. Trid. Parochum hoc ipso, quòd sit Parochus, esse approbatum. Propter quam rationem, aliorúmque DD. authoritatem censet apud Dianam *loc. cit.* Bossius hanc sententiam practicè esse probabilem. Malè tamen pro eadem refert Diana Henriquezium: nam dubitat ibi Henriquez nil affirmat. Et utique contraria opinio Suar. *cit. disp. 28. sect. 8.* est longè communior, conformior-que Concilio Trident. exigenti vel approbationem Ordinarii loci, vel Parochialis beneficii titulum: & idcirco mihi tenenda videtur, tum respectu Prælati Regularis, tum respectu approbati à solo Parocho.

III. Etsi Diana *Part. 1. Tract. 11. Resol. 13.* 232 testetur, se semper consuluisse, ut pro eligibili ad Confessiones tempore Jubilei audiendas, haberetur etiam ille Confessarius, qui est quidem ab Episcopo approbatus, attamen à suo Superiore prohibetur Confessiones audire: suámque doctrinam expressè extendat ad illum etiam, qui est suspensus à suo Parocho, idémque apud ipsum *cit. Tract. 12. Resol. 49.* doceat Trullenck, loquens expressè de illo Religioso, qui sive per simplex mandatum, sive per sententiam à suis superioribus prohibetur, ne Confessiones sæcularium audiat, extendens quoque ad casum, quo nec Jubilei, nec Bullæ cruciatæ privilegium suffragatur: quamvis etiam negare non possim, quin hæc sententia, saltem in quantum loquitur de tempore Jubilei, sit practicè probabilis, ob permultorum authoritatem Doctorum: non dubito tamen, quin ejusmodi Religiosus graviter peccaret, saltem in casu, quo est per sententiam suspensus: nam graviter delinqueret adversùs obedientiam, à qua illum non eximit Bulla Jubilei. Et verò ejus absolutiones esse invalidas rectiùs docent apud Dianam *cit. Resol. 49.* Rodriq. & Jo. Crucius de statu relig. *Lib. 2. c. 6. dub. 2.* Licèt enim Bulla faciat potestatem eligendi quemlibet approbatum à locorum Ordinariis, debet id tamen intelligi, de iis approbatis, quibus nil cæteroqui deest, aliàs fas esset eligere depositum, aut degradatum, quod utique est absurdum, ut paulò pòst ostendam.

Interrogabis: *An si contingat aliquem approbatum esse solùm ad audiendum certum genus hominum, aut certi oppidi personas, possit tempore Iubilei audire Confessiones alius generis hominum aut oppidi?* 233

RESP. Verior est opinio Filliucii *n. 262.* Dianæ *Part. 5. Tract. 12. Resol. 48.* & aliorum contra Bossium, & alios apud Dianam; nec licitè nec validè posse; eò quòd sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundùm quid ad secundùm quid. Sicuti ergo nullum noxâ Lethali infectum validè absolvit Sacerdos nullo modo approbatus: ita etiam secundùm quid approbatus, invalidè absolvet illos, respectu quorum non fuit approbatus. Et hæc doctrina tunc maximè est probabilior, quando ob doctrinæ defectum non indiscriminatim fuit approbatus; nam tempore Jubilei solent proponi casus intricatissimi de restitutione, veneficiis, simoniâ &c.

Quæst. LXXXV. *A quonam Episcopo debet Confessarius Iubilei esse approbatus?* 234

RESP. Licèt probabilior sit opinio illorum, qui approbationem ab Episcopo, vel pœnitentis, vel loci, in quo sunt audiendæ Confessiones, vel ipsiusmet Confessarii, datam sufficere, & requiri asserunt: negari tamen non potest, quin etiam probabile sit, sufficere cujuscunque tandem Episcopi approbationem; ita videlicet, ut quicunque est ab aliquo Episcopo legitimè, & absolutè approbatus, possit ubivis locorum (nisi quid aliud obstet, v. g. Bulla Urbani VIII. de Anno 1628. ob quam negat Card. de Lugo *Tom. 3. d. 21. n. 29.* esse jam probabilem hanc sententiam: quod ad summum verum est in locis, in quibus ea recepta est: non est autem ubique recepta in his locis) excipere Confessiones tempore Jubilei. Ratio est, tum quia ita cum Henriq. sentiunt nobilissimi Theologi, quos magno numero refert, sequitúrque cum Angelo Bossio, non obstante prædicta Bullâ, Diana constanter tum *cit. Tract. 11. Resol. 7.* tum etiam *cit. Tract. 12. Resol. 52.* malè tamen his annumerans Filliucium, & Coninck; tum quia verba Bullæ requirentis, ut sit approbatus ab Ordinariis locorum, non malè, præsertim in hac favorabili materia, intelliguntur de cujuscunque loci Ordinario. Vide tamen quæ hanc in rem scripsi Tomo priore *Tract. 7. n. 57.*

235 Addit Diana *cit. Tract. 12. Resol. 47.* sibi videri certam opinionem Suarii *Tom. 4. disp. 28. sect. 4. n. 18.* aliorúmque contra Laymannum *Lib. 5. Tract. 6. c. 11. n. 7.* aliósque, asserentis, illum, qui alicubi Parochus est, posse tempore Jubilei ubique audire Confessiones. Et præmiserat, sibi, Rodriquezio, & aliis pluribus videri probabilem sententiam, asserentium idipsum de illo, qui fuit olim Parochus, sed beneficio renunciavit, aut eo per sententiam spoliatus fuit, eò quòd privatio beneficii non privet approbatione, sed solà jurisdictione. Ego contrariæ sententiæ Suarii *loc. cit. n. 20.* adhæreo propter contrariam rationem.

236 Quæst. LXXXVI. *An Censura Ecclesiastica nil obsit Confessario per Bullam eligibili?*

RESP. Omnino obest; nam etiam Jubilei Confessarius debet esse liber vinculo Excommunicationis, & Suspensionis (ab exercitio jurisdictionis) ut singulariter notat Bonac. *De Sacram. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 5. n. 20.* ubi etiam fusè probat, & defendit, ineptivisse illos, qui censuerunt, posse tempore Jubilei complicem sceleris eligi in Confessarium in Diœcesi Mediolanensi, in cujus Synodalibus decretis adimitur potestas Confessario absolvendi suum complicem, idque sub pœna Excommunicationis.

237 An Irregularis Sacerdos sit eligibilis per Bullam, tacent DD. fortè supponentes, & meritò quidem, Irregularitatem partialem, quæ sit solùm respectu Sacrificii, nil obesse; obesse autem si sit respectu jurisdictionis. Longè magis est hoc dicendum de depositо, vel degradato; & universim pronuntiandum, quòd per Bullam non fiat circa Confessarium alia dispositio, quàm quòd ille omnis possit eligi, cui aliud nil deest, nisi jurisdictio: si autem præter jurisdictionis defectum, adsit adhuc aliud impedimentum Canonicum, non tollit illud Bulla Jubilei. Ratio universalis pro his responsionibus petitur tum ex praxi universali, tum quia censuræ, Irregularitas, & pleræque reliquæ inhabilitates, quæ licitæ, aut validæ administrationi Sacramenti Pœnitentiæ suapte naturâ obsunt, ex sacrorum decretis Canonum tolli solent, ac debent, per sententiam Judicis in foro interno, vel externo; atqui Pontifices, dum Bullas Jubileas promulgant, non exercent officium Judicum, nec quemquam absolvunt, aut suo gradui restituunt. Ergo censuratis, & aliis ejusmodi, nil patrocinantur generalia illa verba: *Confiteantur cuilibet approbato Confessario.*

CAPUT XXXII.

Agitur generatim de potestate Confessarii per Iubileum electi.

SUMMARIUM.

Datur Confessario Iubilei quadruplex potestas. 238.

Confessarius potest illam potestatem quadruplicem exercere etiam post exactum Iubileum. 240.

Licèt in Bulla fiat mentio Confessarii in numero singulari, potest tamen pœnitens petere ab uno Confessario unum, ab alio ulium favorem. 241.

Iubileus semel obtentus dat jus omni tempore etiam post Iubileum eligendi Confessarium pro iis gratiis acquirendis, quas poterat tempore Iubilei. 242.

Hæc Doctrina est perutilis, & declaratur, probatúrque distinctè. Ibid.

Et singulariter de commutatione Voti faciendâ etiam post Iubileum. 243.

Pontifices etiam in Bullis determinant quidem certum tempus pro executione operum præscriptorum, non tamen pro consecutione gratiarum. Ibid.

Declaratur exemplo. Ibid.

Applicatur ea Doctrina singulariter Religiosis. Ibid.

Quæst. LXXXII. *Quotuplex facultas conceditur Confessario per Bullam Iubilei electo?* 238

RESP. Quadruplex. I. Absolvendi à quibuscunque censuris. II. Absolvendi à quibuscunque peccatis. III. Commutan-

di vota. IV. Commutandi opera præscripta. De ultima facultate egi superiùs; de tribus primis proponam succincte ea, quæ huc faciunt.

239 Quæst. LXXXVIII. *Vbi hæc quadruplex facultas exerceri potest?*

RESP. Secunda in ipso Confessionali, reliquæ vel in ipso Confessionali, vel, si placet, extra. De quarta jam ostendi suo loco, de reliquis itidem ostendam suis locis.

240 Quæst. LXXXIX. *Quandonam exerceri debet usus illius quadruplicis potestatis?*

RESP. Potest ante Confessionem, post Confessionem, tempore Jubilei, post exactum Jubileum, ut declarabo sequentibus Capitibus. Ut verò, quæ dicam, evadant clariora, præmittam hic, & jaciam duo fundamenta, quibus insistent secuturæ responsiones.

241 Primum fundamentum: Licèt in Bulla Jubilei fiat mentio Confessarii in singulari numero, attamen potest quis favores Jubilei petere à diversis, singulos à singulis. Hoc fundamentum tradit in terminis Card. de Lugo *Tom. 3. in 3 p. disp. 27. n. 120.* ubi asserit, quòd tempore Jubilei possit quis quemlibet ex approbatis Confessariis, etiam cui non solet, aut non vult confiteri, eligere, & quidem vel ad omnes effectus in Bulla concessos, vel ad aliquos tantùm; nec necesse esse, ut quem eligit ad unum, eligat ad reliquos omnes. Consentit quoad operũ præscriptorũ commutationem Henriq. *L. 7 c. 10. n. ult.* & tam quoad operum præscriptorum, quàm quoad votorum commutationem Sanchez. *Lib. 4. mor. cap. 34. n. 17.* Ratio hujus fundamenti est, quia Bullæ Jubilei, quas novissimi Pontifices ediderunt, nõ indicant ullam necessitatem petendi hos favores ab uno, & eodem Confessario; ergo non debemus illam fingere, cùm præsertim favores Jubilei esse amplissimè interpretandos ostenderim *n. 24.*

242 Secundum fundamentum: Jubileus semel obtentus dat jus omni tempore, etiam post Jubileum, eligendi Confessarium, pro iis gratiis acquirendis, quæ tempore Jubilei obtineri poterant, & tamen obtentæ non fuerunt.

Appendix.

Persæpe sum post excusum hunc Tractatum expertus, nactúsque intra extráque Confessionale occasionem recurrendi ad hoc fundamentum, comperi quoque, esse complures etiam è Confessariis, qui de eo nihil scirent, cùm tamen ejus notitia sit perutilis, quare dixi, esse hoc loco magis declarandum stabiliendúmque.

Cùm itaque jus pœnitentis tempore Jubilei extendat se ad postulandam relaxationem. 1. Peccatorum. 2. Censurarum. 3. Votorum, & quæri possit, *utrùm illi soli Confessarii, qui poterant tempore Jubilei eligi, an verò etiam alii, qui tunc non poterant, (quia vel carebant approbatione, vel nec dum noti erant,) eligi possint? videndum est, an, & quo pacto nostrum fundamentum obtineat veritatem respectu omnium hic indicatorum.*

Dico igitur primò. Quando cœpisti tempore Jubilei mihi confiteri, at distuli ex causa absolutionem, potero tamen transacto Jubileo te absolvere ab omnibus peccatis, censuris, votis, à quibus poteram durante Jubileo. Busenbaum in Medulla *Lib. 6. Tr. 4. dub. 4. n. 3.* aliique communiter. Ratio est, quia cœptâ causâ apud Judicem delegatum durat hujus potestas, donec finiatur causa. *Cap. fin. De Off. Legati.* 243

Dico II. si es à me absolutus seu legitimè, quia scilicet feci sti Confessionem formaliter integram, sive (juxta nonnullos mihi non probatos) illegitimè, quia sacrilegam, poteris (dummodo reliqua rite peregeris) postmodum à quovis, qui id temporis habebit potestatem in Communia tua peccata mortalia, petere absolutionem peccatorum, quæ priùs eras oblitus, aut malitiosè reticueras. Hanc Conclusionem, quatenus tangit confessos cum integritate formali, elucido, ac probo inferiùs *num. 261. & seqq.* ubi etiam loquat de censuris reservatis, & præter illic citandos videri potest Navarrus in Manuali *cap. 26. n. 13.* atque Laymannus *Lib. 5. Theologiæ Moralis Tr. 7. c. 8. n. 9.* nobis consentiens. Item Cotonius *Celeb. Controvers. Lib. 2. c. 12. n. 54.* loquens etiam expressè post Dianam *Part. 5. Tr. 4. Resol. 150.* de casu, quo ideo non es penitus Confessus, quia non habebas conscientiam gravatam mortali delicto.

Dico III. Qui fecit omnia ad Jubileum requisita, potest multis etiam Annis post Jubilei tempus transactum obtinere à quovis id temporis approbato Confessario commutationem votorum omnium, quorum commutationem, est oblitus petere, excepto castitatis perpetuæ & Religionis. Ita contra Suarez, Bonacinam & alios citatos à Diana *Part. 2. Tr. 2. Miscellaneo. Resol. 22.* quos etiam sequitur P. Layman. *Lib. 5. Tr. 7. c. 8. n. 9.* tenent tum quos pro sequente conclusione nominabo, tum Sairus in Clavi *Lib. 6. c. 12. n. 17.* fusè hæc probans. Henriq. *Lib. 7. summæ c. 11. n. 4.* & ita etiam à parte rei sentit Cotonius, paulò antè citatus, egóque, ut verum fatear, hoc ipso die, quo hæc scribo, practicavi cum aliquo Doctore Theologiæ.

Dico quippe IV. Etiam illa vota possunt per quemvis approbatum Confessarium commutari post tempus Jubilei, quorum commutationem certa de causa noluisti petere, & tamen omnia præscripta mandâsti executioni. Ita omnino sentit magnus in re morali Magister P. Thomas

Thomas Sanchez *Lib. 4. De voto cap. 34. n. 39. & 41.* Lessius *Lib. 2. De Iustit. cap. 40. n. 109.* Sanctarellus de Jubileo *cap. 13. n. 1.* Portel *De dubiis Regularium verb. Indulgentia pro Jubileo n. 7.* Palaus *Part. 4. Tr. 24. Punct. 12. §. 1. n. 7.* Diana *Part. 2. Tr. 2. Miscell. Resol. 11.* & reipsa Cotonius *loc. cit.* nam fundamentum, quo ibi nititur Cotonius, vel nihil probat, vel probat hanc conclusionem, à qua tamen dissentiunt, qui à præcedente; ut revera bene sit facturus Confessarius, illam, & hanc sequendo in praxi.

Unde ego non semel dicentes mihi, se ante octo, vel decem Annos edidisse hoc, vel illud votum, quo nunc liberarentur libenter propter hanc, aut illam non irrationabilem causam, mox interrogavi, an non interea essent potiti aliquo Jubileo, respondentibus affirmativè commutavi illud votum ob vim, & energiam obtenti Jubilei. Etsi quippe ego polleo potestate Ordinibus Mendicantibus communi commutandi vota pœnitentium omnium, quia tamen commutatio facta vi Jubilei non exigit tam gravem commutationis causam, quàm quæ sit vi privilegiorum Apostolicorum, ut liquebit ex dicendis infrà *n. 296.* idcirco prudenter usurpatur doctrina traditi fundamenti, singulariter quando Confessarius intelligit, pœnitentem sat crebro egisse contra suum votum, idque propter aliquam novam, etsi non gravem circumstantiam supervenientem. Ratio autem nostri fundamenti est tum hæc non mala, quam adfert Diana *cit. Resol. 6.* quòd scilicet in formula Bullæ Cruciatæ exprimat Pontifex, ejus favores, & privilegia omnia expirare transacto Anno, nihil autem ejusmodi innuitur in Bullis Jubilei, tum hæc fundamentalis, quia nimirum licèt Pontifices in Bullis Jubilei operum præscriptorum executionem affigant certo tempori, scil. spatio 2. hebdomadarum, favores tamen, quos intuitu illorum operum impertiuntur, non alligant ulli certo tempori; non enim dicunt: *qui intra duas hebdomadas designatas jejunaverit, confessus fuerit &c. poterit eligere Confessarium, qui intra duas illas hebdomadas absolvat &c.* sed, *qui intra duas hebdomadas jejunaverit & c. poterit eligere Confessarium, qui illum absolvat, vota commutet &c.* Legatur 3. Bulla §. *Cupientes*, & omnes aliæ. Confirmatur primo, quia beneficium Principis est amplissimè interpretandum L. *Beneficium. ff. De Constit. Principum.* Confirmatur deinde, quia locutio indefinita æquiparatur universali, ut traduut passim DD. in hac materiâ. Confirmatur tertiò, quia sicuti si Papa diceret: *qui hoc Anno pugnaverit contra Turcam, eligere sibi poterit Confessarium, à quo tunc legitimetur, si fortè sit illegitimus*; nemo dubitaret, quin etiam 30. Annis post pugnam contra Turcam pugnatam, posset hic eligere sibi Confessarium, à quo tunc legitimaretur: ita & in proposito, nam discrimen nullum ostendi potest.

Unde existimo, illos Religiosos, quibus sui Superiores, occasione alicujus Jubilei, aut peculiaris Festivitatis, dederunt potestatem confitendi cuilibet Sacerdoti sui Ordinis quælibet peccata reservata, posse hodieque, & post 20. Annos hac ipsa potestate (loquendo de peccatis tempore illius Jubilei, vel festivitatis commissis, loquendo etiam de Confessario, qui jus habeat aliunde absolvendi talem pœnitentem à mortalibus) uti, nisi Superior expressè limitaverit ad certum tempus, aut ipse, vel ejus successor revocârit, vel Constitutiones, stylúsve illius Ordinis repugnent. Ratio est; quia sicuti contractus particulares censentur fieri secundùm Communem rationem legum, nisi aliud exprimatur, ut docet Palaus *Disp. 2. De Leg. p. 2. n 4.* & alii, ita etiam particularia indulta conformanda sunt universalibus Ecclesiæ indultis, nisi aliud exprimatur.

CAPVT XXXIII.

De Potestate Confessarii circa absolutionem à Censuris.

SUMMARIUM.

Describuntur verba Bullarum, quatenus agunt de potestate Confessarii respectu absolutionis à Censuris. 244. & 245.

Difficultas propter clausulam: Tantùm *expeditur. Ibid.*

Facultas absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ non datur, nisi exprimatur 246.

At datur, potestas absolvendi ab Episcopalibus, etsi hæc non exprimatur. 247.

In facultate absolvendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ includitur etiam casus hæresis. 248.

Ante Annos quadraginta excipiebatur longe frequentius casus hæresis, quàm nunc. Ibid.

Nominantur Pontifices, qui exceperunt, & qui expressè includerunt; item qui non fecêre ullam mentionem specialem Ibid.

In Generali facultate absolvendi à casibus Cœnæ includi etiam hæresin probatur novo argumento. 249.

Quando expressè excipitur hæresis, non excipiuntur hoc ipso casus hæresin sapientes. 250.

An potestas absolvendi à casibus Cœnæ, & hæresis extendatur ad hæreticum & schismaticum specialiter denunciatos. 251.

Quid de notorio percussore Clerici? 252.

An Ordinis Mendicantis Confessarius possit etiam extra Jubileum absolvere talem? Ibid.

Quid de ingressu in monasteria Sanctimonialium; duello, & procurante abortum? 253.

Pœnæ

Pœnæ statutæ in mulieres ingredientes claustra virorum Religiosorum non sunt receptæ in Germania. 254.

Quid de absolutione commissorum, spe, aut tempore Iubilei? 255.

An possit quis sæpius à Censuris absolvi tempore Iubilei? 256.

244 Quæst. XC. *Quomodo de potestate electi per Bullam Confessarii solent loqui Diplomata Pontificia?*

RESP. Duæ Bullæ Pauli V. una Gregorii XV. tres Urbani VIII. una Sixti V. sic in rem præsentem loquuntur. *Sibi eligere possint Confessarium tam sæcularem &c. qui eos ab omnibus Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, ac Censuris à Iure, vel ab homine, quovis modo, & causâ latis, seu inflictis, nec non ab omnibus criminibus quantumvis enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in literis die Cœnæ Domini, legi solitis, contentis, & aliàs quomodocunque reservatis in foro conscientiæ tantùm, & hac vice absolvere, & liberare valeant.*

245 Verum quidem est, quòd duæ ex his Bullis, & præterea Bulla 5 Innocentii *lit. u.* non exprimant *Interdictum*; item quod eadem Bulla Innocentii, uti & aliæ duæ ex citatis ita habeant: *in foro conscientiæ, & hac vice tantùm.* Sed in primis de Interdicto certum est, licèt non exprimatur, ejus tamen absolutionem contineri in generalibus verbis: *aliisque Ecclesiasticis Censuris.* Deinde ad exclusivam particulam *tantùm* quod attinet, sicuti quando ponitur in medio illarum duarum clausularum: *in foro conscientiæ*, et, *hac vice*, afficit utramque clausulam, ita etiam afficit utramque, quando ponitur post secundam in prædictis formulis, sicuti ponitur in citata Innocentii Bulla *lit. y.* & patet ex praxi; his enim Annis, quibus nos Pontificum paterna pietas tot Jubileis exhilaravit, nemo, puto, repertus est, qui in foro externo, & contentioso absolveret quempiam à censura, nisi aliunde præditus hac potestate. Et confirmatur; quia clausula posita in una parte dispositionis, refertur ad omnia membra, ut tradunt DD. ex C. 2. *Requiris. De Appell.*

Subjiciunt prædicti Pontifices limitationem, suæ gratiæ, nolentes illam extendi ad aliquam Irregularitatem, aut ad eos, qui Censurâ notati, nondum satiffecerunt partibus.

246 Quæst. XCI. *Quomodo sunt intelligenda prædicta Diplomata?*

RESP. Intelligenda sunt iis modis, quos succinctè propono. I. Confessarius per unam ex prædictis Bullis, electus post absolvere ab omnibus Censuris, tamà Papa, quàm ab Episcopis latis, & quidem ab omnibus Censuris in Bullâ Cœnæ Domini contentis. Liquet hoc ex tenore ipsarum Bullarum, & consensu omnium Doctorum.

II. Proinde illæ duæ clausulæ: *etiam locorum Ordinariis, &: in literis Cœnæ Domini &c.* referri debent, non tantùm ad proximum membrum, scilicet ad *Censuras*; quia non posset Confessarius absolvere à peccatis, nisi posset à Censuris. Excipit hinc Urbanus VIII. & Innocentius *lit. y.* casum hæreseos.

III. Si aliqua Bulla Jubilei præcisè diceret: 247
poterit absolvere ab omnibus Censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, per illam non daretur potestas absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, censeretur tam hoc ipso data potestas absolvendi à Censuris Episcopo reservatis.

Prima pars hujus doctrinæ est Navarri, Covarruviæ, Graffiis: quos refert, & sequitur Suarez. *Tom. 5. in 3. p. disp. 7. sect. 5. n.* 11. eò quòd ex more Ecclesiæ, & stylo Curiæ habeatur, quòd Censuræ in Bulla Cœnæ Domini contentæ propter suam specialem rationem, gravitatem, & reservationem non censeantur in generali concessione contineri, nisi exprimantur. Putat tamen Bossius apud Dianam *Part. 4. Tract. 12. Resol. 34.* contrariam sententiam non esse improbabilem; imò, ut satis probabilem defendit Palaus *Tr. 24. p. 12. §. 2. n. 9.* eò quòd Bulla Cœnæ sit posterior Jubileo; clausula verò generalis non deroget speciali antecedenti, cujus expressa facta mentio non est, C. *Caterùm*, de rescriptis. Ego ægre à Communi DD. persuasione recedo.

Altera pars ejusdem doctrinæ est ejusdem Suarez. *Ibid. num.* 14. cum plurimis contra non paucos; & probatur, quia tum ipsa praxis, tum favor Jubilei demonstrat, hîc habere locum Regulam 53. in 6. *Cui licet quod est plus, licet utique, quod est minus.* Et extendit Suarez cum plurimis hanc doctrinam etiam ad casum, quo extra Jubileum datur generalis facultas absolvendi ab omnibus casibus etiam Papalibus; nam, ut notat Palaus *loc. cit. §. 2. n. 9.* particula *etiam*, quæ apponitur, est implicativa, & ponit casum magis dubitabilem, minùs dubitabilem supponendo. Verùm de hoc plura infrà, *c. 50. n. 491.*

IV. Istæ Bullæ hoc ipso quòd dent in Jubi- 248
leo potestatem absolvendi ab omnibus Censuris, *etiam in Bulla Cœnæ, & quomodocunque reservatis*, dant etiam potestatem absolvendi à Censura hæresis, nisi hanc excipiant expressè. Ita contra Navarrum, P. Suarez. *loc. cit. n.* 12. & Barbosam in Concilium Trid. *sess. 24. c. 6. De Reformat. n. 53.* plurimos nominantem, tenent P. Azor *P. 1. L. 8. c. 10. q. 12.* P. Filliucius *Tr. 8. n. 265.* P. Sanctarellus *c. 7. dub.* 3.

Quibus accedunt multi Recentiores, & inter hos doctus Cotonius, celebrior. controversiar. *Lib. 2. Controv. 12. n. 43.* citans etiam Cardinalem de Lugo *disp. 23. De Fide n.* 102. & 103. cui jungo Ferdinandum Hauckium in Epinomia *De Iubil. n. 5.*

249 Ad quam responsionem firmiùs probandam observo, hæresin fuisse ante Annos propè centum, & infrà infrequentiùs multò exceptam expressè à potestate Generali absolvendi à casibus etiam in Bulla Cœnæ contentis, quàm hisce posterioribus. Etenim Gregor. XIII. Gregor. XIV. nunquam, quantùm nemini; Urbanus VIII. haud semper excipiunt hæresin, ut videre est tum in aliis horum Pontificum Bullis, tum in Editis Ann. 1582. 1591. 1595. 1597. 1601. 1605. 1608. 1617. 1628. 1651. &c. At verò idem Urbanus Anno 1629. 1631. 1632. 1636. 1641. Innocentius X. Anno 1648. Alexander VII. Anno 1656. exceperunt formaliter crimen hæresis, tametsi idem Alexander Annis 1659. 1661. 1663. 1664. sicuti & Clemens IX. Ann. 1667. 1670. 1672. nullam fecerint mentionem hæresis, sicut nec Innocentius X. Anno 1651. aut Innocentius XI. Anno 1676. Et tamen hi ipsi Pontifices tam pinguibus, ut ita loquar, clausulis respectu absolutionis à peccatis, & Censuris sunt usi, quando non exceperunt hæresim, quàm quando exceperunt expressè, imò fuerunt usi planè iisdem.

Unde fit mihi verosimillimum, existimâsse futurum, ut plerique Christi fideles, qui essent Bullas sine mentione diserta hæreseos lecturi, essent quoque sibi persuasuri, posse impertiri absolutionem ab hæresis crimine. Et singulariter poterant hoc præsumere de Theologis in historia, ut ita loquar Jubilea versatis, est quippe rationi perquam consona hæc argumentatio: *Pontifices aliquando quidem edixerunt apertè, suæ intentionis non esse excipere à suis quantumvis Generalibus, favorabilibusque clausulis casum hæresis, at multò sæpius non meminerunt ullius exceptionis ab iisdem clausulis, tametsi scirent permultos doctissimos viros, pleroscque è mediocriter doctis Confessariis habituros hoc silentium pro negatione exceptionis, & cogitaturos: si Papa modernus voluisset excipere, poterat exprimere Cap. 2. De Transl. Episc. quia ergo non expressit non ignarus, nos esse cupidos hujus potestatis, tacendo consentire videtur.*

Adde, quòd & in obscuris inspici soleat id quod frequentiùs fit, & quidquid in posteriore Lege non fuit expressum, id veterum Constitutionum Regulis relictum intelligendum sit. Atqui ex una parte multò sæpius fuit omissa exceptio hæresis, quàm expressa, ut liquet subducenti calculos; ex altera antiquissimi Pontifices Gregor. XIII. & XIV item Clemens VIII, & Paulus V. silentio præteriêrunt eandem, sicuti & postremi nominatimque modernus successor Petri Innocentius XI, igitur nullus est hîc movendus scrupulus.

Confirmo hanc rationem novo quidem, at firmo argumento, quòd Pontifices loquentes de facultate commutandi vota, non utantur tam emphaticâ clausulâ, quàm respectu absolutionis à peccatis, & censuris, & tamen prudenter timent, ne fideles sibi persuadeant sub ea minùs emphatica clausula comprehendi potestatem commutandi vota castitatis, & Religionis, ideóque semper apponunt horum formalem exceptionem: quantò magis verendum est, ne, quando non excipitur diserte hæresis, omnino censeatur contineri illis efficacissimis verbis? quandoquidem ex tanta vicinitate horum duorum actuum planè prudens præsumptio desumi potest, juxta Communem doctrinam de præsumptione ex vicinitate actuum; qualis etiam vicinitas appareret in eo, quòd dum Pontifices loquuntur de absolutione etiam contentorum in Bulla Cœnæ, semper addant parenthesin hanc (*in foro conscientiæ*, et *hac vice tantùm*) cur non jungunt exceptionem hæresis, si haberi volunt pro excepta? Cur tacent tam diu, non ignari, tam multos omnium nationum Theologos docere, eorum auditores, aut lectores probabilissimè practicare sententiam, pro qua hîc pugnamus? Unde possumus intrepidè, singulariter nos Confessarii septentrionales tam sæculares, quàm Regulares, in usum deducere hanc doctrinam, cùm præsertim hæresis in istis sit partibus vix annumeranda, propter suam frequentiam, casibus reservatis, ut scripsit olim P. Paulus Laymannus. Vide alia quæ dicam *n.* 469.

Appendicula.

At priùs observa, non esse locum dandum nostræ resolutioni, si verè emanavit illa decisio, seu declaratio Innocentii X. ad Inquisitionem Toletanam, quam ego hisce jam mandatis priori impressioni reperi descriptam à Diana *Part. 12. Tr. de Conclavi Resol. 25.* in qua decisione generatim declaratur, potestatem absolvendi ab hæresi tempore Jubilei haud dari, nisi exprimatur. Fortè erit, qui dicat, eandem declarationem, tametsi supponatur esse factam, restringi tamen intra Iberiæ limites, utpote citra quos & habeantur Inquisitores, præditi vel maximè jurisdictione absolvendi eo crimine, & idipsum scelus sit in Hispania longè exitialius, quàm in partibus Septentrionalibus. Sed & erit fortè, qui replicet, cùm Diana sit unicus testis illius Rescripti, unus autem unicus testis non mereatur fidem indubitatam, ut ex utroque Jure, & DD. probo, declaróque infrà *Tract. 5. c. 42.* posse absque omni temeritate adhuc sustineri doctrinam de potestate illius absolutionis traditam hoc *n.* 249. cùm præsertim huic unico testi opponi valeat alius, haud minore fide dignus, scilicet

cet noster P. Vincentius Filliucius, qui, ut referam infrà, *n.* 469. in terminis testatur, fuisse Ann. 1617. in Sacra Pœnitentiaria resolutum, potestatem absolvendi ab hæresi inclusam esse, & fuisse facultati absolvendi ab omnibus casibus etiam in Bulla Cœnæ contentis, quæ resolutio cùm fuerit utique facta interrogato priùs, ut solet, Pontifice, oporteátque præsumere, quòd posteriores Pontifices potiùs legant vestigia prædecessorum, quàm ea obtenerant, idcirco nunc quoque vim obtinere; singulariter in Germania, ob doctrinam, quam ex P. Laymanno, & Wangnereck refero in Experient. *Tract. 7. Cas. 8. in Append. ad num.* 371. Edit. Einsidlensis, seu Eremitanæ.

250 Addo his cum Cotonio *loc. cit. num.* 45. post Dianam *Part. 4. Tract. 4. Resol.* 140. & Sanchez contra Ledesmam, etiamsi quandoque excipiatur hæresis, non tamen idcirco excipi casus hæresin sapientes, ut est lectio hæreticorum librorum, & ceteri positi in articulo primo Bullæ Cœnæ, & juxta postremum decretum Alexandri Septimi, solicitatio ad venerem facta, in Confessione &c. Ratio est, quia talia delicta non possunt ulla cum verborum proprietate dici hæreses. Sed & illud observavi ex parte superiùs, fuisse superiore sæculo, & initio hujus in more, ut inter censuras, à quibus absolvit Confessarius, ponerentur disertè Interdictum, ut cernere est in Bullis Sixti V. Gregorii XIV. Clemens VIII. Pauli V. Anno 1605. at quinque postremi Pontifices semper, sicut & Paulus V. Anno 1617. omiserunt, nemine dubitante, quin sufficienter comprehendatur sub universalitate censurarum, ut ibi dixi.

251 V. Significat quidem Filliucius *n.* 264. potestatem absolvendi à Censuris Bullæ Cœnæ, & hæreseos non extendi ad hæreticum, & Schismaticum specialiter denunciatum, vel damnatum: sed quia hic jus non distinguit, nec ego distinguendum censeo.

252 VI. Similiter P. Coninck *n.* 248. negat, notorium Clerici percussorem, itémque publicum hæreticum (etiamsi in Bulla exprimatur hæresis) absolvi posse virtute Jubilei. At ego cum Diana *Part. 1. Tract. 11. Resol. 26.* sentio, contrarium esse dicendum; quia nec hîc video, cur, jure non distinguente, nos distinguamus, & tam universales, emphaticas, favorabiles, & propriè nemini præjudicantes clausulas dicamus limitandas in casu, quo Bulla non expressè excipit hæresim, & ejusmodi percussionem. Nec dubito quin hujus ipsius sententiæ sit etiá Sayrus *Tom. 1. Lib. 2. c. 20. n. 29.*

Et subjicit (quod ego propter nonnullos aliter sentientes noto) idem Diana, Ordines Mendicantes posse eodem modo absolvere prædictum Clerici percussorem, & quidem in casu, in quo res deducta est ad forum contentiosum, & lis nondum finita; quod & haud dubiè censet Sayrus *loc. cit.* quamquam Avila loquens in specie de percussione Clerici *P. 2. cap. 7. disp. 3. dub.* 10. cum aliis meliùs dicat, ejusmodi absolutionem esse validam quidem, non tamen communiter licitam, propter offensiones, quæ communiter sequuntur; quas offensiones esse cavendas monet prudenter Collector nostrorum privilegiorum V. *Absolutio. §. 1.*

VII. Similiter per Bullam Jubilei tolli po- 253
test Excommunicatio incursa, tum propter introductionem fœminarum in monasteria virorum, & ingressum in monasteria fœminarum; tum propter duellum perpetratum, tum propter causatum vel procuratum abortum. Ita Diana variis locis, cum aliis contra alios apud Noctinot V. *Bulla Cruciata. num.* 40. *& seqq.* Ratio omnium est, quia verba Bullarum, quæ retuli, sunt valde emphatica, generalia, & specialia simul.

VIII. Idem Diana pronunciat idipsum de 254
suspensione à Divinis, quam incurrunt intromittentes fœminas intra septa Regularium. Idem de suspensione incursa per ordinationem, ante legitimam ætatem, aut sine titulo. *Part. 3. Tract. 2. Resol. 66. P. 4. Tract. 4. Resol. 115. P. 5. Tract. 10. Resol. 53.* Verùm quoad excommunicationem, vel suspensionem ob introductionem mulierum in Monasteria virorum vix necessaria est apud nos illa Dianæ extensio: rectè enim scribit Laymannus *Lib. 4. Tract. 5. c. 12. n. 4.* in Germania Bullas prohibentes intromissionem, vel ingressum mulierum in claustra Regularium, vel non esse receptas, vel non cum illo rigore, quem præseferunt. Est autem probè notandum, quòd Diana, ea, quæ ex ipso retuli, asserat nominatim de Confessario electo per Bullam Cruciatæ: quæ quidem certò non est, quoad hanc rem, amplior, quàm Bullæ Jubileorum.

IX. Absolutio, quam Confessarius vi Jubi- 255
lei tribuit, valida est respectu Censurarum, vel spe Jubilei, vel primùm post ejus promulgationem incursarum, nisi contrarium in Bulla exprimatur. Navarrus *De Iub. Not. 32. n. 4. & 6.* Lugo *Tom. 3. disp. 20. num.* 130. cum aliis contra alios nodum in scirpo quærentes. Ratio est, quia favores ampliari, non autem restringi debere, clamant omnia jura.

Quæst. XCII. *An potest quis sæpius intra tem-* 256
pus Iubilei absolvi à Censuris?

RESP. Qui primâ hebdomade lucratus est Jubileum, si secundâ incidat in aliquam censuram Pontificiam, aut Episcopalem; poterit illius quoque absolutionem consequi vi Jubilei, si denuo perficiat opera præscripta. Ita Navarrus *De Iubil. cit. Not. 32. n. 27.* Henriq. *De Iubil. Lib. 7. c. 11. n. 2.* cum multis contra Lugonem *Tom. 3. in 3. p. disp. 27. n. 121.* qui

qui tamen nostram sententiam meritò vocat probabilem. Ratio est, quia superiùs docui, posse utráque hebdomade, adeóque bis ab uno obtineri Jubileum, & consequenter ejus favores.

CAPVT XXXIV.

De loco & tempore absolutionis à Censuris.

SUMMARIUM.

Absolutio à Censuris potest tibi in Iubileo dari etiam ab illo Confessario, cui non cogitas confiteri. 257.
Solvuntur duæ objectiones. 258.
Diana sæpe id practicavit. 259.
Suarez mutavit sententiam. Ibid.
Quid si dicas approbato Confessario solùm hæc verba: Si sum obnoxius alicui censuræ, peto, ut me absolvas? 260.
Absolutio à Censuris potest impertiri etiam ante executionem ullius ex operibus præscriptis. 261.
Et tenebit absolutio, licèt mutato proposito non perficiantur postmodum opera injuncta. 262.
Nec peccat graviter, qui ita mutat propositum. Ibid.
Referuntur quatuor Casus, quibus absolutio à Censuris licitè datur post jam elapsum tempus Iubilei. 263. *& seqq.*
Primus, quando vel ex oblivione, vel ex justa causa non petisti tempore Iubilei absolutionem. Ibid.
Alter, quando justa de causa non fuisti Confessus, aut absolutus. 264.
Tertius, quando es Confessus, at sacrilegè. 265.
Quartus, quando absolutio debuit differri. Ibid.
Absolutio, quæ validè datur post Iubileum, validè impertitur à quolibet Confessario prædito Communi Iurisdictione. 266.
Solvitur objectio ex clausula: Hac vice tantùm. *Ibid.*
Explicatur sensus illius clausulæ prolatæ à Prælato Religioso. 267.
An dilata absolutione possint, quando ea dabitur, tolli etiam illæ Censuræ, quæ post Iubileum sunt incursæ? 268.

Quæst. XCIII. *Vbi nam debet, aut potest im-*
pertiri absolutio à Censuris?

257 RESP. Potest dari extra Confessionem, adeóque ab illo, cui non cogitas confiteri. Ita Sanchez Lib. 8. De Matrimon. *disp. 34. n. 30.* Avila, & alii permulti, quos congerit, sequiturque Diana *Part. 2. Tract. 11. Resol. 25.* contra Sanctarellum de Jubileo *c. 8. dub. 8.* & Thesaurum *Part. 1. cap. 27.* qui pro sua probabilissima utique opinione profert stylum sacræ Pœnitentiariæ, & multos DD.

Ratio est, quia tantopere dissident istæ duæ, scilicet à *Peccatis*, & à *Censuris*, absolutiones, ut nullo modo sit necesse, utramque in foro sacramentali exercere.

Nec obest I. quòd Sixtus V. in sua Bulla ex- 258
pressè dicat: *Eligant Confessores, qui eorum Confessionibus diligenter audatis eos absolvant &c.* nam inprimis reliquæ Bullæ non habent istam clausulam; deinde etiam quando ponitur ista clausula, referri debet non ad absolutionem à censuris, & commutationem votorum, sed ad absolutionem à peccatis.

Non obest II. quòd Pius V. contrarium declaravit; nam declaravit pro suo Jubileo, non pro secuturis secundùm Villalobos & Dianam *loc. cit.*

Addit Diana, se sæpe ita practicâsse, & sæ- 259
pe expedire, ut ista sententia practicetur; habétque locum etiam in Religiosis, qui vi suorum privilegiorum absolvunt à Censuris, etiamsi forma privilegii dicat, absolutionem esse dandam in foro Pœnitentiæ. Diana *Part. 5. Tract. 11. Resol. 13.* post Præpositum *in 3. p.* contra Suarez. *Tom. 5. in 3. p. disp. 7. sect. 5. n. 36.* & Lib. 6. De *Voto*. Hanc tamen sententiam mutavit, & nostram amplexus est idem Suarez Tom. 4. De Rel. *Tr. ult. l. 9. c. 2. n. 27. junctis n. 28. 30.* & 32. quibus locis forum *Pœnitentiæ* à foro *Conscientiæ* negant distinguendum in hac materia; sed utrumque opponi soli foro exteriori, & contentioso: nec obesse, quòd in nostris privilegiis dicatur: *Auditis diligenter eorum Confessionibus absolvat*; nam sicuti verbum absolvendi sumitur hîc, prout est genus ad absolutionem Sacramentalem, ita etiam Confessio sumitur, prout est indeterminata ad duplicem Confessionem duplici absolutioni accommodatam, ita ut pro absolutione à Censurâ non requiratur illa Confessio, quæ requiritur pro absolutione ab ipso peccato. Ita Suarez pluribus hæc declarans. Vide dicta à me Tomo priore *Tract. 7. n. 642.*

II. Quia idem Suar. *cit. sect. 5. n.* 20. docet, 260
eum, qui habet jus absolvendi extra Sacramentum Confessionis, posse hac potestate uti, etiam erga illum, qui tantùm dicit: *Si sum irretitus aliqua Censura, peto absolutionem*, idcirco apparet, quid consequenter possit cum probabilitate asseri de eo, qui secundùm dicta *num. præced.* habet jus absolvendi. Porrò quando Confessarius dicit: *Absolvo te à vinculo Excommunicationis, si quam incurristi*, dicitur absolvere *ad cautelam.*

Quæst. XCIV. *Quandonam potest impertiri* 261
absolutio à Censuris?

RESP. I. Absolutio, de qua actum quæstione præcedente, potest dari, antequam quidquam operum præscriptorum faciat pœnitens; nam dixi *n. 161.* Confessionem posse unc, alteróve die ante primam indicti Jubilei hebdo-

madam peragi; debet tamen tunc adesse animus, & ut loquitur Rodriquez, firmissimum propositum præscripta perficiendi; alioqui non valet absolutio. Patet ex tenore omnium Bullarum.

262 *Quid si autem postmodum vel ex impotentiâ, vel ex oblivione, vel ex merâ pigritiâ omittantur omnia; permanebitne nihilominus effectus absolutionis, & non redibunt Censuræ?*

RESP. Permanebit; Ratio est, qui absolutio Jubilei datur, & dari debet purè & simpliciter, non autem sub conditione de futuro; ergo sortitur mox effectum. Atqui ita etiam sentiunt Suarez *loc. cit.* Sanchez. *L. 4. De Voto c. 54. n. 44.* contra Rodriq. & alios.

Est autem mihi probabilissimum, non peccare mortaliter, qui post acceptam absolutionem à Censuris, Reservatis &c. mutat ex mera pigritia propositum, non perficiens reliqua opera præscripta, adeóque Indulgentiam Jubilei: nam talis non peccat graviter contra fidelitatem, justitiam, pietatem, constantiam. Et ita etiam sentit Cardinalis Lugo *De Pœnit. dub. 20. n. 100.* Sanch. *c. 54. n. 54.* contra Suarez.

263 II. Potest eadem absolutio dari etiam post transactum tempus Jubilei, & quidem secundùm, alios, atque alios DD. in quatuor Casibus. Primus Casus est, quando quis in Confessione manifestationem peccati censurati omisit vel ex oblivione, vel ex causa justa. Filliucius *Tr 8. n. 279* Sanctarellus *De Iubil. c. 13. dub. 4* Palaus *Tr. 24 § 3. n. 9.* loquentes etiam de casu reservato, Lugo *disp. 20. n. 99. 100. & 101.* loquens tam de Censurâ, quàm de peccato reservato, & extendens ad casum, quo quis negligit reliqua opera perficere. Ratio pro hac doctrina, quam admitto, est clara ex fundamento allato probato *n. 242.* ubi dixi, Jubileo semel obtento haberi jus, quocunque secuturo tempore favores ejusdem in actu secundo comparandi. Quanquam si in hoc casu Confessarius dixit: *Absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis &c.* non est opus alia absolutione à Censura, sed à solo peccato.

264 Alter Casus, quando quis penitus non est Confessus, idcirco quòd vel bonâ fide putaverit se immunem à peccato mortali, ut vult Sanctarell. *loc. cit. dub. 2.* loquens de casu reservato cum Lugone *disp. 27. n. 102.* contra Portel. *in addit. n. 19.* & Palaum *Punct. 12. §. 3. n. 9.* vel Confessarii jussu Confessionem dissuaserit, ut subdit idem Sanctarellus *cap. 8. dub. 7.* Lugo *n. 132.* cui omnino assentior, quoad hanc secundam hujus secundi casûs partem; quoad primam, non item, nisi Confessio omissa sit in eo Jubileo, quo ea non exigebatur.

265 Tertius Casus est, quando quis Confessus quidem est suum peccatum censuratum, sed faciendo Confessionem sacrilegam ex defectu doloris, propositi, integritatis &c. Ita docet Comitolus *Lib. 1. q. 30.* nec improbabiliter, teste Diana *P. 2. Tr. 11. Resol. 18.* admittitque hanc doctrinam Lugo *d. 20. n. 113.* tunc, quando talis pœnitens cogitat aliam Confessionem facere, extendens eandè doctrinam ad habentem peccatum reservatum, & volens esse absolutè veram, quando pœnitens non notat substantialem defectum, esto non cogitet facere aliam Confessionem. Hæc sunt probabilia quidem & practicabilia, quia tamen superiùs docui, Confessionem sacrilegam non sufficere pro Jubileo, ideo non admitto has doctrinas, nisi respectu Censurarum, & quando adest animus iterum pro Jubileo confitendi, aut quando pœnitens non notat substantialem defectum.

Quartus Casus est, quando cœpta tempore Jubilei Confessio non potuit absolvi, sed debuit differri juxta dicta suprà *n. 242.*

Quæst. XCV. *A quonam potest prorogata absolutio dari?* 266

RESP. I. Absolutio, quam post Jubileum dari posse dixi, impertiri potest à quolibet simplici Confessore Communem Jurisdictionem habente. Ita loquitur Suarez Tom. 4. *in 3. p.* seu de *Pœnit. disp. 31. sect. 4. n. 20.* Sanchez *Lib. 4. Summæ c. 54. n. 39.* Sanctarell. *c. 13. d. 1.* seu à quolibet Sacerdote communem Jurisdictionem in mortalia habente, ut loquitur Lugo *loc. cit. n. 99.* qui *n. 89.* observaverat, per absolutionem reservationis (& Censuræ) factam à Superiore, peccatum, cui ea reservatio erat antè annexa, non fieri melioris conditionis, quàm alia mortalia, & proinde non posse postmodum absolvi, nisi per illum Sacerdotem, qui posset ab eo absolvere ab initio, si reservatum non esset.

Nec huic doctrinæ obstat, quòd Bullæ Jubilei potestatè absolvendi à Censuris dantes dicant: *hac vice: hac tantùm vice* absolvat. Nam non est sensus, quòd solo tempore Jubilei possit quis absolvi; siquidem rectè ostendit Lugo *cit. disp. 20. n. 131.* posse contingere, ut pœnitens incipiat Confessionem tempore Jubilei, & absolvat illam primùm post Jubileum. Itaque sensus est, quòd hac vice tantùm, id est, hoc solo tempore, quo durat favor Jubilei adepti, vel adipiscendi, possit obtineri absolutio, commutatio &c. Quanto autem tempore duret ille favor, aut favores, non definit Pontifex, sed relinquit Theologis disputandum.

Cæterùm quando Superior dicit alicui: do 267
tibi potestatem, ut hunc absolvas *pro hac vice tantùm*, vel: ut eligas Confessarium, qui te absolvat *pro hac vice tantùm*, hujus potestatis usum posse quandoq; tantùm ad exiguum tempus, quandoque ad triennium differri, ostendit & declarat Lugo *disp. 20. n. 125. & seqq.*

II. Quando quis de Confessarii Consilio 268
distu-

distulit Confessionem ultra tempus Jubilei, absolutio, quæ tunc illi impertitur, debet extendi ad illas solas Censuras, quas quis incurrerat ante tempus Jubilei exactum, non ad illas, quas fortè post id tempus incurrit. Ita probabiliùs aliquanto sentiunt Sanctarellus *De Iubil. c. 8. d. 7.* & Lugo *disp. 20. n. 134.* Loquuntur enim de casibus reservatis: contra Dianam *Part. 3. Tr. 4. Resol. 147.* & *P. 5. Tr. 12. Resol. 27.* itémque Bartholomæum à S. Fausto, & Bossium apud ipsum, extendentes suam doctrinam ad absolutionem à reservatis, & commutationem votorum. Ratio, ob quam hæc sententia mihi aliquanto magis arrideat, quàm opposita, est, quia per dilationem Confessionis non acquirit Confessarius majorem Jurisdictionem, quàm antea habuerat; sicuti ergo tempore Jubilei non potuit absolvere à Censuris, & peccatis post Jubileum admittendis, ita neque ab admissis post illud. Vide tamen eundem Dianam *Part. 11. Tr. 2. Resol. 54.* adhærentem nostræ opinioni contra alios, quos refert.

Quæst. XCVI. *Quid intelligunt Pontifices n. 269 245. dicentes: se non impertiri potestatem absolvendi, nisi satisfecerint &c?*

RESP. I. Per satisfactionem intelligunt restitutionem honoris, famæ, bonorum &c. ob quorum læsionem fuerat quis Excommunicatus &c. Per *Partes*, cum quibus est concordandum, intelliguntur illi, ob quorum læsa bona fuit quis excommunicatus, suspensus &c. non autem intelligitur ipse judex excommunicans.

II. Licèt Pontifices dicant, se non intendere, ut Bulla Jubilei suffragari possit iis, qui nondum satisfecerunt &c. si tamen Pœnitens non potest satisfacere ante absolutionem, & absolutio nequeat diu differri; poterit Confessarius illam validè & licitè impertiri, modò pœnitens præstet cautionem, vel pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel juramentum pro rei qualitate. Ita censet Suarez *Tom. 5. in 3. Part. disputat. 7. sect. 5. num. 41.* cum aliis contra alios. Rationem hanc ego do, quia posita hac cautione, juramento &c. omnino meritò creditur, partem læsam non cupere, ut qui læsit, maneat diutius præcisus à Communione fidelium: cùm ergo Pontifices prædictam limitationem statuant, vel unicè, vel certè præcipuè in favorem partis læsæ, æquissimum est, ut hac consentiente absolvatur pars lædens. Quòd si constaret partem læsam repugnare absolutioni, antequam sit sibi realiter satisfactum, censeo irritam fore absolutionem: nam verba Bullæ nimis expressam, claramque exceptionem & limitationem faciunt.

At, *quid si in casu, quem concessimus, absolutis pœnitens non stet promissis, adeóque non satisfaciat, redibitne Excommunicatio, à qua erat absolutus?* 270

RESP. Non redibit: nam per Bullam Jubilei non absolvitur quis ad reincidentiam, ut loquuntur auctores, id est, non sub conditione, ut si non fecerit hoc, aut illud, reincidat in priorem Excommunicationem. Docet tamen Moscosus apud Dianam *Part. 3. Tract. 9. Resol. 25.* in prædicto casu redire Censuram, quoad forum externum.

III. Si Confessarius absolvat, parte non- 271
dum satisfactâ, cùm potuerit ei ante absolutionem satisfieri, asserit Suarez *loc. cit. n. 42.* absolutionem esse invalidam: esse validam putat Diana *cit. Tr. 9. Resol. 12.* referens Tannerum, Hurtadum, & alios: interim agnoscens, ejusmodi Confessarium peccare mortaliter. Ego puto verba Bullæ, quæ retuli, stare apertè pro Suarez, nam Pontifices disertè negant velle se, ut sua gratia illis prosit, qui nondùm satisfecerunt. Confirmo hanc responsionem ex L. *Diligenter ff. Mandati*, jubente fines mandati diligenter custodiri, alioquin agi contra mentem mandantis.

CAPVT XXXV.

Aliæ quæstiones circa absolutionem à Censuris expediuntur.

SUMMARIUM.

Per satisfactionem partis, de qua loquuntur Bullæ Iubileorum, intelligitur restitutio honoris, & honorum. 269.

Quid si pœnitens, qui nondum satisfecit, præstet cautionem de satisfaciendo? Ibid.

Redibitne excommunicatio, si postea non præstet satisfactionem, pro qua dederat cautionem? 270.

An valebit absolutio, si detur illi, qui nondum satisfecit, & poterat tamen ante absolutionem satisfacere. 271.

An nulla planè irregularitas possit tolli virtute Communium Iubileorum? 272.

Quid de suspensione, privatione officiorum, & inhabilitate ad ea? Ibid.

Potestatis absolvendi limitatio pro foro conscientiæ operatur duo. 273.

Quid autem ipsa potestas absolvendi pro tali foro? 274.

An standum in foro externo testimonio Confessarii? 275.

Quid in Germania? Ibid.

Non solemus dare schedam absolutionis, quando casus est notorius. 276.

An faciens potestatem absolvendi à casibus reservatis, eo ipso faciat absolvendi etiam à Censuris reservatis? Ibid.

Quandonam censeatur dari facultas absolvendi in solo foro interno? 277.

Alia, quæ ad hanc satisfactionem, ejúsque circumstantias spectant, suppeditat Suarez *loc. cit.* Diana *ll. cc.* quos studiosè congessit Noctinot. V. *Bulla Cruciatæ, n. 51. & seqq.* Vide etiam, quæ affinia huic rei tradidi Tomo priore *n.* 144 *&* 145.

272 Quæst. XCVII. *Cùm Pontifices n. 245. relati dicunt, à se non dari per Bullam Iubilei potestatem dispensandi in aliqua Irregularitate; loquuntúrne de omni omnino Irregularitate?*

RESP. Diana *Part. 1. Tract. 11. Resol. 27.* censet, probabilem esse opinionem Arragonii, Naldi, Salas, & multorum aliorum, existimantium posse in Jubileis dari absolutionem omnis Irregularitatis, provenientis ex puro puro delicto, eò quòd illa sit propriè dicta Censura. Unde infert idem Diana *Part. 4. Tr. 2 Resol. 77. & 81. in fin.* probabile esse, quòd vi Jubilei possit in foro conscientiæ absolvi Clericus, qui vel ante ætatem ordinatus, aliquáve Censurâ irretitus, vel ordine Presbyteratûs carens Missam celebravit, vel Confessionem excepit, dummodò delictum sit occultum. Sed eam Dianæ doctrinam veram esse negat Suarez *Tom. 4. De Relig. Tract. 10. lib 9. c. 2. n. 42.* Sanctarellus *De Iubileo c. 7. dub. 5.* & alii communiùs ac verbis Bullarum conformiùs. De suspensione in perpetuum vel ad tempus, itémque de privatione officiorum, & inhabilitate ad illa, fortè idem, quod de prædictis Irregularitatibus Diana, pronunciabunt partim Laymannus *Lib. 1. Tract. 5. cap. 4.* partim Sanch. *Lib. 6. mor. c. 15.* & Lezana *Tom. 1. c. 18. n. 46.* Sed repugnat Thesaurus *P. 1. c. 1.* Ego verba Bullarum pro suspensionibus qualibuscunque rectè allegari, ad inhabilitates non nisi invita trahi judico; nam Bulla 3. *lit. ee.* non permittit dispensationem in inhabilitate.

273 Quæst. XCVIII. *Bullæ n. 244. transcriptæ de absolutione à Censuris & peccatis limitant ad forum conscientiæ; quid hæc limitatio operatur?*

RESP. Duo operatur. Primum, ut non obstante absolutione, quam Confessarius per Bullam electus impertiit, possit Judex Ecclesiasticus cognoscere de delicto per absolutionem dimisso, & imponere satisfactionem competentem foro publico & contentioso. Alterum, quia debet absolutio à Confessario data non quidem reiterari, attamen declarari, & confirmari in foro externo, juxta modum & exigentiam Censuræ, alioqui nil proderit juxta dicta Tomo priore *Tr. 7. n. 143.* Horum autem neutrum necessarium est, quando Confessarius validè absolvit, etiam quoad forum externum, quia jura communiter non permittunt, ut reus legitimè in foro externo absolutus, denuò molestetur.

274 Quæst. XCIX. *Quid commodi adfert absolutio data in foro Conscientiæ seu interno tantùm?*

RESP. Id commodi, ut si quis occultâ Censurâ antè tenebatur, possit post absolutionem illius datam in foro interno seu Conscientiæ, publicè & privatim se gerere, ac si nunquam fuisset ullâ Censurâ notatus. Si verò Censura erat publica, tum si constet eum fuisse in Jubileo absolutum, poterit etiam publicè se gerere, ac si nunquam fuisset reus Censuræ; at si non constet publicè, quòd fuerit absolutus, debet vitare scandalum. Et verò Judex Ecclesiasticus credere debet Confessario asserenti, abs se fuisse talem absolutum. Ita Suarez *cit. sect. 5. n. 52. & seqq.* post Navarr. in Summa, *c. 27. n. 22.* cum Diana *Part. 1. Tr. 11. Resol. 16.* Revocat hanc sententiam suam idem Suarez *Tom. 4. De Rel. Tr. ult. l. 9. c. 2. n. 36.* eúmque sequitur Thesaurus *p. 1. c. 22.* agnoscens quidem decere, ut Judex Ecclesiasticus credat Confessario, concludens tamen, in rigore non teneri credere, & proinde habere jus declarandi, illum esse irregularem, qui in foro interno absolutus ab Excommunicatione sacrificavit, testatúrque Suarez ita habere praxin.

Verùm de hac praxi, quæ certè valde de- 275
primit auctoritatem Confessarii, nil scio in Germania; nec videtur admittenda: tum quia nimiùm restringit singularem favorem à summo Pontifice concessum: tum quia cedit potiùs in destructionem, quàm in ædificationem: tum denique, quia sunt plurimi casus, in quibus creditur, & credi debet unius testis depositioni, unius chirographo: quidni ergo in nostro casu credere oporteat sacratæ Personæ? cùm præsertim & ejus attestatio in nullius verum præjudicium cedat, & ipse testetur de facto proprio, testanti autem de facto proprio habetur fides tunc saltem, quando ex publica authoritate fungitur officio, de cujus facto testatur ipse, sicuti authoritate Doctorum probavi in Experientiis *Tract. 9. n. 283.* Atqui Confessarius præsertim tempore Iubilei electus, fungitur ex publica authoritate officio absolvendi à Censuris, utpote tunc delegatus Pontificius. Adde, quòd omnia jura clamant esse reo favendum in dubiis, sicuti demonstravi in nostro Clypeo; quid ni ergo etiam ipsi faveatur in hac causa, quam adeò ancipitem reddunt contraria judicia Doctorum?

Adde hisce, quæ de Confessariis extra Ju- 276
bileum privilegiatis, & ex privilegio absolventibus à Censuris tradidi Tom. priore *Tr. 7. n. 645.* siquidem allatæ doctrinæ locum habent etiam in absolutionibus, quas Confessarii Mendicantes impendunt vi suorum privilegiorum. Diana *Part. 1. Tr. 2. Resol. 26.* tametsi nos saltem in hac Provincia superioris Germaniæ non solemus præbere schedam testem absolutionis à Censura notoria, obsecuti videlicet

cet monitioni extanti in Compendio nostrorum Privilegiorum verb. *absolutio in Annot.* qua monentur Superiores, *ne usu hujus Privilegii offendant Ordinarios, monéantque pœnitentes, absolutionem à Censuris, siquam impenderint, nihil eis profuturam in foro externo*, nihil, inquam, profuturam, si testimonium exhibeatur rigidiori superiori Ecclesiastico, volenti uti jure illo, quod faciunt ipsi tot Doctores.

His adde insuper, doceri à Texeda apud Dianam *Par. 10. Tract. 14. Resol. 4.* quando Pontifex, aut alius dat potestatem à casibus reservatis, eo ipso dare potestatem absolvendi à Censuris reservatis, eò quòd hæ soleant venire nomine Casuum reservatorum. Qui author *ibid.* præmiserat, quando Papa largitur Jubileum, requirendo Confessionem pro eo obtinendo, & tunc non faciendo expressè mentionem de potestate in censuras, posse nihilominus, si ad eum non pateat accessus, tolli per inferiorem Confessarium indirectè censuram reservatam, ne propter eum negligatur Indulgentia, tolli autem cum onere, se postea sistendi Pontifici juxta ea, quæ tradidi Tomo priore, seu in Experientiis *Tract. 7. n. 367.*

277 Quæst. C. *Quinam censetur per aliquam Bullam dari facultas in foro interiore?*

RESP. Quando additur particula exclusiva; *Tantùm, solùm.* Si verò hæc particula non addatur, & aliunde non possit colligi eam subaudiri, tum censenda est esse facultas data etiam quoad forum externum. Ita docent Rodriquez *in qq. Regul. quæst. 61. a. 6.* Filliucius *Tract. 11. num 291.* & alii multi cum Suarez *cit. sect. 5. n. 31.* Editionis Lugdunensis Anno 1604. qui tamen *cit. cap. 2. n. 34.* omnino contrarium tenet allegans pro hac suâ contrariâ opinione citatam sectionem quintam, sed nescio cujus Editionis. Ratio hujus doctrinæ est, quia superiùs ostendi, favores Jubilei esse amplissimè interpretandos. Certè cùm possit Pontifex hanc gratiam impertiri, si ejus verba admittant extensionem ad illam, sicut revera admittunt; non debemus restringere illa verba, nisi, ut dixi, in particulari casu constet aliud de mente Pontificis.

CAPVT XXXVI.

De Absolutione à Casibus Reservatis.

SUMMARIUM.

Confessarius Iubilei validè absolvit à peccatis Reservatis etiam in Bulla Cœnæ & hæresi, nisi hæc excipiatur. 278.

At num absolvit validè nisi in foro Sacramentali. 279.

In quo valet absolutio etiam post impletum tempus Iubilei. Ibid.

An si Confessio facta in Iubileo fuit sacrilega? 280.

Quid de Confessione facta Religioso privilegiato, facta autem sine expressione casus reservati? 281.

Quæst. CI. *Quid juris circa peccata reservata competit Confessario per Bullam Iubilei electo?* 278

RESP. Id juris, ut ab omnibus casibus etiam Episcopalibus, etiam Papalibus, etiam in Bulla Cœnæ contentis, adeóque ab ipsa hæresi, nisi excipiatur, validè licitéque absolvat. Patet ex verbis Pontificum relatis *n.* 244. & ex dictis *n.* 246. *& seqq.* Et observa, quòd, in quibus casibus dixi *ibid.* posse, aut non posse quem intra vel extra Jubileum absolvi a Censuris, possit & non possit in illdem absolvi à peccatis reservatis: nam auctores, quos ibi retuli, loquuntur expressè de casibus reservatis; quare doctrinæ illic traditæ, huc applicandæ sunt.

Quæst. CII. *An ergo possit Confessarius, de quo loquimur, absolvere à reservatis extra forum Sacramentale?* 279

RESP. Hîc omnino est facienda exceptio, quandoquidem usus Communis docet, veram esse doctrinam Cardinalis de Lugo *Tom. 1. in 3. p. disp. 20. n. 111* quòd Confessarius per Bullam electus non habeat vi ejus, potestatem auferendi reservationem extra Sacramentum; sicuti illam habet v. g. Superior, qui potest etiam non audità Confessione sui subditi, tollere reservationem casûs, in quem incidit ille subditus.

Hoc fateor, illa peccata reservata, quæ quis vel ex oblivione, vel justa ex causa omisit in Confessione tempore Jubilei factâ, possetransacto Jubileo remitti per quemlibet simplicem Confessarium, nam Jubileus semel obtentus facit hujus beneficii potestatem.

Quin censent Comitolus, & Cardinalis de 280
Lugo, etsi Confessio fuerit sacrilega, posse nihilominus obtineri post Jubileum absolutionem reservatorum, dátque Lugo *disp. 10. n. 113.* hujus rei hanc rationem, quia scilicet Confessarius ex privilegio & delegatione absolvens, tollit reservationem peccati, licèt Confessio sit invalida ob defectum Pœnitentis etiam cognitum, dummodò non sit circa integritatem debitam in reservatis, ergo etiam id dicendum est, de Confessario absolvente virtute Jubilei. Verùm censeo non posse vi Jubilei reservationem tolli per Confessionem sacrilegam, quandoquidem faciens sacrilegam Confessionem non implet conditionem de faciendâ Confessione, ut dictum *n.* 156. cum eodem Cardinale.

Faciliùs assentior eidem Doctori *Ibid. num.* 281

105. docenti : quando confiteris Privilegiato v. g. Religioso ex Ordine Mendicantium, & obliviscéris peccati reservati, posse te postmodum illius absolutionem consequi à quolibet in mortalia habente Communem Jurisdictionem, eò quòd superior v. g. Papa sustulerit reservationem hoc ipso, quòd tu ejus delegato te stiteris bonâ fide, & intentione.

Plura de peccatorum reservatorum absolutione eruditè tradit idem Doctor, quem si legeris, non pœnitebit.

CAPVT XXXVII.

De Votorum Commutatione Tempore Iubilei.

SUMMARIUM.

Confessarius Iubilaris validè commutat omnia vota præter duo. 282.
Clausula posterior quando non referatur ad priorem. 283.
Ea non obest, quin votorum commutatio possit fieri extra Confessionem. Ibid.
At dispensatio nulla fieri potest. Ibid.
Præditus potestate dispensandi pollet facultate commutandi. 284.

282 Quæst. CIII. *Ecquæ generatim scienda sunt circa Votorum tempore Iubilei commutationem?*

RESP. Sequentia. I. Omnes Bullæ Jubilei Universalis duarum hebdomadarum, quas legi, dant potestatem contentam his verbis : *Poterunt eligere Confessarium, qui vota quæcunque ab eis emissa (Castitatis & Religionis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutet.* Vide Bullam tertiam *lit. z.*

II. Verum quidem est, quod Sixtus V. clausulæ, qua dat triplicem potestatem, scilicet absolvendi à Censuris, absolvendi à reservatis, & commutandi vota, præmittat illam conditionalem : *eorum Confessionibus diligenter auditis* ; ea tamen conditionalis non refertur ad omnia membra, quibus ipsa præponitur ; licèt enim clausula posita in una parte dispositionis, sive ponatur in principio, sive in medio, sive in fine, censeatur referri ad omnia contenta in eâ dispositione, ut ex c. 2. *Requiris. De Appellat.* desumunt multi DD. ea tamen doctrina est vera solùm tunc, cùm eadem est illorum, quæ in principio, fine, & medio ponuntur, ratio, ut bene observat Sanchez *Lib.* 4. *Summæ c.* 54. *n.* 16. & Lezana V. *Clausula. n.* 3. atqui non est utique eadem ratio commutationis Votorum, quæ absolutio-
283 nis à reservatis. Quamvis igitur non possit quis, stante illâ clausulâ, *eorum Confessionibus diligenter auditis*, absolvere à reservatis, nisi audita Confessione ; potest tamen eà non auditâ & absolvere à Censuris, & commutare Vota, ut etiam sentiunt Henriquez *Lib.* 7. *c.* 30. *n.* 6. Sanchez *cit. n.* 16. Diana *Part.* 5. *Tract.* 12. *Resol.* 50. aliique plures, quos refert Sanctarellus *De Iubil. c.* 8. *dub.* 8. dissentiens tamen à nobis. Et extendit Sanchez, itémque Diana *Part.* 4. *Tract.* 4. *Resol.* 8. cum Ascan. Tamburino & aliis, hanc doctrinam ad Regulares, qui vi suorum privilegiorum absolvunt. Et meritò quidem, quia illa privilegia data sunt, sine clausula : *Auditis Confessionibus.* Caveat tamen particularis Religiosus, ne hac in re agat contra receptum fortè in sua religione morem.

III. Non tamen datur per Bullam Jubilei 284
potestas in ullo voto, intra vel extra Confessionem, dispensandi ; nam dispensare est nomine DEI absolutè condonare voti obligationem : commutare est condonare cum onere, nempe ut loco prioris obligationis ; suscipias aliam ; atqui tenetur Confessarius aliquod pium opus substituere in locum materiæ, seu actionis per votum promissæ, ut expressè tradunt Bullæ. Unde apparet, quòd sit majoris potestatis dispensare, quàm commutare : & quisquis etiam delegatam dispensandi potestatem habet, habeat etiam commutandi, ut reliquos inter, contra Navarrum, docet Lessius *Lib.* 2. *De Iust. c.* 4. *n.* 108.

IV. Confessarii, qui in commutatione vo- 285
torum non sunt multùm versati, vel nimiùm scrupulis anguntur, meminerint identidem doctrinæ propè moraliter certæ, quòd scilicet tutissimâ Conscientiâ possint hac in re sequi quamlibet opinionem practicè probabilem, sicuti demonstratum est in *Clypeo* :

CAPVT XXXVIII.

Quid hîc nomine Voti, & quæ Vota intelligantur?

SUMMARIUM.

Nomine Voti venit in Iubileo etiam iuramentum factum Deo soli. 286.
Adeòque etiam vota iuramento firmata. 287.
An quoties datur potestas dispensandi in votis, toties detur & dispensandi in iuramentis? Ibid.
Nomine voti commutabilis intelligitur etiam pœna adjecta voto conditionali. 288.
At quid nomine iuramenti facti soli Deo? Ibid.
Quid de promissione facta alicui Sancto? 289.
Nequit per facultatem Iubilei commutari votum in præjudicium alicujus tertii. 290.
At potest illud, cujus te commutationem non petiturum vovisti. 291.

Sicut

Sicut & omne Editum ex metu injustè incusso. 292.
At commutatione non indiget vel Editum cum ignorantia obligationis. 293.
Vel dubium. Ibid.
Declaratur, quomodo illud axioma : In dubio melior est conditio possidentis, *applicetur possessori libertatis à lege.* 294.
Et quid agendum cum petentibus commutationem voti editi ante pubertatem? 295.
Quando possint commutari ipsa quoque vota reservata? 195. *remissivè.*

286 Quæst. CIV. *Cùm in Iubileo datur potestas commutandi vota ; quid nomine voti intelligitur?*

RESP. I. Nomine voti hoc loco intelliguntur etiam juramenta soli Deo facta, circa eam materiam, circa quam versantur ipsa vota per Bullam commutabilia. Sic tradit Suarez *Lib.* 6. *De voto c.* 14. *num.* 6. Sanch. *Lib.* 4. *Summ. cap.* 53. *n.* 8. Tannerus *Tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 5. *n.* 38. contra Lessium, Azor, alios. Ratio est, quia, si rem pensiculatiùs examinemus, quando Pontifex dat potestatem dispensandi, aut commutandi vota, de quibus loquimur, habet rationem solius juris, quod Deus per votum acquisivit ; nam suum favorem impertit intentione relaxandi aliquatenus illud jus ; idem autem jus acquisivit Deus per votum, quod per juramentum.

287 II. Proinde intelliguntur quoque vota juramento firmata, sive illud juramentum non sit emissum ad ea vota firmanda, sed tantùm concomitanter se habeat ad illa ; sive sit emissum ad eadem novo robore firmanda, Suar. *cit. c.* 14. *n.* 19. Diana *Part.* 1. *Tract.* 11. *Resol.* 43. contra Lessium *Lib.* 2. *De Iustit. cap.* 40. *dub.* 11. & alios. Ratio est, quia juramentum voto firmando superadditum, non parit DEO majus jus, quàm si votum firmaretur per sui renovationem ; sicut igitur votum millies renovatum, potest per Bullam Jubilei commutari, ita & firmatum per mille juramenta.

Addit generatim Basil. Pontius *Lib.* 8. *De Matrim. cap.* 11. *n.* 4. sibi videri certam regulam, quoties datur potestas ad dispensandum in votis, toties dari ad dispensandum in juramentis, eò quòd juramenta votis æquiparentur, & pro votis habeantur, in quibus Deus constituitur creditor. Consentit Diana *Part.* 5. *Tract.* 12. *Resol.* 56. & 57. cum aliis docens, virtute Jubilei commutari posse, tum juramenta solvendi usuras, & injusto metu extorta, contra Layman. *Lib.* 4. *Tract.* 3. *c.* 11. *n.* 8. tum jutamenta piè facta, & votis addita, vel non addita.

288 III. Nomine voti commutabilis venit etiam consequenter ipsa pœna, quam promiseras te persoluturum, si votum transgredereris, esto reipsa jam incurreris illam pœnam. Ita etiam censent Suarez *cit. Lib.* 6. *c.* 20. *n.* 19. Sanchez *Lib.* 4. *moral. c.* 52. *n.* 10. contra Navarrum, & alios. Ratio est, quia votum quodammodò magis obligat ad directam materiam, in quam cadit, quàm ad pœnam : si ergo possum commutare illud quoad materiam, cur non quoad pœnam?

IV. Nomine voti *soli Deo facti* intelliguntur etiam omnia illa, quæ sunt quidem facta in gratiam alicujus hominis, sed nondum acceptata : ut v. g. si quis vovit Deo, se alicui monasterio prædium, obvio mendico pallium donaturum. Sanchez *cap.* 41. *num.* 9. Suar. *cit. Lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 3. & 11. cum Communi, ut testantur, adversus Archidiaconum, & Sarmientum. Ratio satis manifesta est hæc, quia tunc nec monasterio, nec mendico est acquisitum ullum jus in re, aut ad rem : revera enim injuriam monasterio non faceret, qui ejusmodi voto non staret. Posset tamen, antequam sit facta commutatio, monasterium implorare officium Judicis Ecclesiastici, ut ventem juberet suo voto satisfacere ; ut admittit Suar. *loc. cit.* Graffiis *Lib.* 2. *c.* 30. *n.* 11.

V. Etsi promissio facta alicui Sancto non 289
sit propriè votum, *nisi quatenus homo vovet Deo, se impleturum, quod Sancto promisit.* S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *a.* 5. *ad* 3. si tamen quis vovit, seu promisit quidpiam alicui Sancto, non cogitans de Deo, potest Confessarius tempore Jubilei, tale votum, seu potiùs talem promissionem commutare ; licèt enim non sit propriè votum, solet tamen à vulgo votum nuncupari ; & proinde potest ad illam extendi privilegium commutandi *quæcunque vota*, quandoquidem saltem in favorabilibus verba accipienda sunt, secundùm communem usum. Itaque vi hujus privilegii potest commutari tum illa promissio, quam facis dicendo : *Voveo Deo & Beatissimæ Virgini, me in hujus honorem esse ter dicturum rosarium* : tum illud, quo dicis : *Sanctissima Virgo tibi promitto, me omnibus diebus Sabbatinis jejunaturum in tuum honorem.* Et puto omnino ita habere praxin Confessariorum. Consentit satis apertè Suar. *loc. cit. n.* 10.

Quæst. CV. *Possuntne omnia Vota vi Iubilei* 290
commutari?

RESP. Alia non possunt, alia possunt quidem, ut non debent.

I. Etenim non possunt commutari vota reservata Castitatis, & Religionis, ut explicabo inferiùs ; etsi possunt vota triplicis peregrinationis.

II. Nec possunt per Bullam, commutari illa vota, quorum commutatio cederet in præjudicium tertii, ut v. g. quando jam sunt acceptata. Suarez *loc. cit. n.* 11. Et hæc potestas semper tacitè negatur, quando solùm dicitur :

do tibi potestatem commutandi quælibet vota. Suarez *ibid.*

291 III. At verò possunt vi Bullæ commutari etiam illa, tum quorum commutationem se non petiturum quis vovit; nam revera talia non sunt reservata: tum illa, quæ quis emisit post Jubilei Bullam jam publicatam, ut rectè Suarez *cit. L. 6. c. 18.* fusè id probans cum Sanchez *c. 53. n. 26.* referente multos contra Sotum, Cordubam, alios. Probatur firmiter inde, quia planè gratis restringitur privilegium commutandi, cùm potiùs esse ampliandum ex principiis utriusque juris probatum sit superiùs.

IV. Sed & eorum commutatio dari hîc potest, quæ quis edidit ob spem, & confidentiam obtinendæ brevi commutationis. Ratio eadem, quæ pro doctrina § præcedentis.

292 V. Votum qualecunque ex metu injustè incusso emissum potest quidem à Confessario commutari, rectiùs tamen pronunciatur esse nullum, & irritum jure vel divino, vel Ecclesiastico, adeóque non egere commutatione, si quidem ille metus fuerit gravis. Sanchez *c. 3. num. 11.* cum plerisque. Si verò ille injustus metus fuit tantùm levis, tum negat quidem rectè ipse Sanchez *num. 24.* cum aliis multis esse irritum jure naturali, aut Ecclesiastico, & proinde asserit indigere commutatione; verùm meritò tam ipse, quàm Lessius *De Justit. Lib. 2. c. 40. num. 7.* fatentur oppositam sententiam Navarri in *Manuali cap. 22, num. 51.* Rodriquez, Hostiensis, & aliorum esse probabilem. Lege si placet, ea quæ hanc in rem ex instituto, & diffusè hisce jam alteri prælo mandatis, scripsi in Alphab. Quadrupl. Part. prima *Cas.* 5. & de votis conditionatis an sint reservata? *n.* 329.

293 VI. Quando pœnitens dicit se fecisse quidem votum, sed non sciviss̃e, quòd pareret gravem obligationem, non est opus commutatione, quia votum est nullum ob errorem substantialem.

VII. Quando quis verè dubitat, utrùm aliquod votum emiserit, seu utrùm verè promiserit Deo, an tantùm proposuerit, locum non habet commutatio, sed declarare oportet, quòd non sit votum. Ita Suar. *Lib. 4. De Voto cap. 5.* cum plerisque contra Vasquez.

294 Hanc responsionem, quam in aliis similibus materiis constanter semper tenui & docui, ostendo ex illo communissimo Theologorum, ut alicubi vocat Bonacina, axiomate: *In dubio est melior conditio possidentis*; quod sic applico. Homo in puris naturalibus consideratus habet potestatem & libertatem, plurimas actiones innoxiè, seu sine peccato exercendi, & omittendi e. g. jejunandi, uxorem ducendi, rosarium recitandi &c. debétque dici manere in possessione hujus libertatis, quamdiu non ostenditur esse illâ spoliatus, quia non potest spoliari, nisi per mutationem; mutatio autem cùm sit aliquid facti, non præsumitur, sed demonstrari debet. Porrò illa mutatio non potest habere ortum, nisi ab aliqua Lege positiva, promissione, aut contractu &c. Et quia hæc etiam sunt aliquid facti, debent etiam demonstrari, consequenter, quamdiu non demonstrabuntur, tamdiu censebitur homo permanere in prædicta possessione; atqui quando dubitatur utrùm facta fuerit promissio, utique non demonstratur esse facta promissio, ergo relinquitur homo in possessione suæ libertatis; ergo ejus in dubio est conditio melior, quàm illius, qui ab eo exigit executionem promissionis, ergo debet repelli Theologus, qui loco Dei exigit ejusmodi executionem, ergo à primo ad ultimum, debet illi Dubitantio dici, eum non teneri ullâ obligatione, sed esse, ac fore sui juris, & libertatis, quamdiu non adferetur contra ipsum clara promissio, quam ediderit. Junge his ea, quæ in cit. Part. 1. Alphab. Quadrupl. *Cas.* 12. differo de obligatione voti dubii.

VIII. Si quis petat commutationem voti ante pubertatem emissi, debet ei potiùs dici, ut à patre, aut iis, qui ipsius personæ curam gerunt, petat irritationem omnimodam, quàm ut admittat commutationem; quamquam hæc ei neganda non est, si irritationem petere non vult. 295

Hæc ideò moneo, quia expertus sum, magnopere conducere, ut Confessarii in Jubileis habeant in recente memoria casus, in quibus vota ob defectum cognitionis, libertatis, & similium, sunt nulla, aut irritabilia, de quibus quidem omnibus nos in cit. Alphab.

IX. Addo, nomine votorum per Jubileum commutabilium, intelligi tum quandoq; ipsa vota reservata, quando scilicet desinunt esse reservata Pontifici; tum multa reservatis perquam similia: de quibus omnibus sigillatim tractabo inferiùs.

Addo quoque speciatim potuisse, & posse à Confessario Jubilari commutari hoc

Rarum Votum.

Quo videlicet honesta vidua promisit Deo quidem castitatem vidualem, at sub conditione: *Nisi paupertas ipsam impelleret ad nubendum*; illi quippe ad me à longinquo remedii causâ missæ responsi die 26. Junii Anno 1677. vel posse illud votum in alia pia opera commutari, vel per se cessare jam omnem obligationem. Etenim asseruit mihi, se quidem illis 16. Annis, quibus est superstes marito, habuisse unde vitam sustentaret, nunc autem fortunas esse ita accisas, ut, nisi transeat ad secunda vota, deventura sit ad tantam inopiam, ut in quotidianum victum habitura nihil sit, nisi ma- a

macram offulam, & quandoque aliquid alterius edulii; cùm tamen hactenus unum, quandoque duos ultra offam, seu jusculum habuerit cibos. Porrò adesse septuagenarium senem, fortunæ sat lautæ, qui ipsam deposcat in uxorem, cujus conjugium, si respuat, futurum, ut neminem alium sit repertura, à quo possit victum honestum sperare.

b Ego contemplatus (ut par erat) hæc narrantis in propatulo vultum, cognito quoque, & esse perbonæ complexionis, & necdum omnino quinquagenariam, potui prudenter conjicere fore, ut vitam produceret ad septuaginta circiter Annos; & utique non fuisse, dum nuncupabat votum, ejus intentionem conjicere te in tantum periculum ejusmodi egestatis, quæ revera magna est respectu mulieris rusticanæ quidem, sed natæ parentibus honestiore victu traducentibus vitam; & ipsamet in matrimonio priore habuerit unde honestius victitaret. Qua propter censui extinctam esse voti obligationem, siquidem vota conditionata cadunt cadente conditione, sub qua sunt edita; sicut ex Communi edissero in Alphab. Quadrupl. *Part. 1. Cas. 1.* atqui illud votum, de quo hic fermo, fuit propriè conditionatum, est enim sic exponendum: *Voveo vidualem castitatem, si potero servare absque verosimillimo periculo labendi in magnam paupertatem.*

c Quòd si ponamus illud periculum fuisse valde exiguum, vel etiam nullum, quia tamen votum viduitatis perpetuæ est commutabile per Bullam Jubilei, cùm non sit nisi imperfectæ castitatis, ut videbimus infrà *cap. 40.* eam ob rem potuissem commutare in alia pia opera, partim vi privilegiorum Apostolicorum, seu à Sede Apostolica nobis impertitorum, partim vi illius fundamenti, quod ego jeci suprà *Cap. 32. n. 242.* dum scripsi: *Jubileum semel obtentum dat jus omni tempore, etiam post Jubileum eligendi Confessarium pro iis gratiis acquirendis, quæ tempore Jubilei obtineri poterant, & tamen obtentæ non fuerunt.* Illa autem bona vidua primùm hoc Anno (ut nihil dicam de duobus aut tribus superioribus) lucrifecerat Jubileum à S. D. N. Innoc. XI. hoc ipso Anno promulgatum in hac Diœcesi.

d At verò neutrum horum jurium usurpare volui, erga aliam etiam viduam è Superiore Rhetia destinatam ad me, & exposcentem, se voto ingrediendæ Religionis obstrictam transiisse nihilominus ad nuptias, fluxisse autem jam viginti hebdomades, ex quo maritum sepeliverit, nullis ex eo susceptis liberis, nunc scisciitari, sitne extinctum suum votum, an verò tantisper, sopitum revixerit.

e Etenim cognito primò, haud esse majorem quadraginta Annis. 2. perbonæ complexionis. 3. facilè reperturam monasterium, quod sibi, suisq; non contemnendis facultatibus ostium aperiret, respondi esse absque ullo dubio obligatam (in hisce circumstantiis;) subire illud, aut aliud monasterium, quandoquidem in eam conveniat illud Augustini pronunciatum: Exigit (Deus) oblatum, qui non exegerat offerendum *Cap. nuptiarum 27. q. 1.* certúmque est ex Cap. *Per tuas De vot. & vot. redempt.* ubi Innocentius III. rescribit Gratianopolitano Episcopo, qui antequam promoveretur ad hanc sedem, votum suscipiendi habitum regularem emiserat: *Si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resigna Ecclesiæ, & redde Altissimo vota tua.* Ratio præterea est, quia nuptiæ celebratæ sacrilegè non sustulerunt vinculum voti, quandoquidem nemo de sua malitia commodum reportare debet Cap. *Intelligimus. De transact.* ergo, sicut qui non potest aliquid facere eo modo, quo oportet, debet id præstare eo modo, quo potest, ut sæpe repetit Navarrus; ita mulier voti rea, quæ nequit constante matrimonio ingredi invito marito religionem promissam, debet, ubi erit libera à lege mariti, reddere vota, quæ ante nuptias distinxerant labia ejus.

Si tamen eadem illa mulier fuisset vel ad- f
modum debilis complexionis, vel ætatis jam excedentis Annum quinquagesimum, fortè non fuisset obliganda ad solicitandum pro admissione ad hoc, aut illud monasterium, esto fortè sperare potuerit se intuitu optimæ dotis, quam allatura erat, fusceptum iri. Ratio est, quia in omni promissorio juramento subintelligitur conditio: *si res in eodem statu permaneant*, sicuti probo, & explico in Alphab. Quadrupl. *Part. 2. n. 501. & seqq.* ita & in voto. Est autem jam vel valde infirmæ, vel jam quinquagenariæ, status longè alius, quàm natæ 16. 20. 24. Annos, intra quos commu. nissimè, supra quos rarissimè admittuntur in monasteria mulieres, utpote tunc inhabiles ad dediscenda, quæ malè consueverunt, addiscenda, quæ non consuevêre facere.

Porrò quia hîc facta mentio voti desinentis ob metum paupertatis memoro hunc

Casum multò rarissimum.

Quo videlicet ipse ego à Sacra Pœnitentiaria g
petivi, & petitam dispensationem super voto perpetuæ, perfectæque castitatis impetravi allegatâ hac unicâ causâ, quòd Orator nequeat aliter sese alere, quàm suo opificio, quod quidem sibi cœlibi non liceat exercere nisi famularem operam navando magistris, quos difficillimum sit reperire post Annum ætatis quadragesimum, nunc esse se majorem triginta Annis, offerrique conjugium, quale fortè non sit nacturus, si nunc respuat.

Hanc, inquam, solam causam allegavi, & tamen impetravi dispensationem pro illo uno matrimonio, & cum omnibus solitis præscri-

bi

bi in concessione hujusmodi gratiæ, attamen is, qui rogatu meo proposuerat preces, rescripsit mihi, miratum fuisse Eminentissimum D. Pœnitentiarium, cò quòd non extaret ullum exemplum talis gratiæ concessæ, ob talem causam motivam.

h At ánne etiam virtute Jubilei commutari potest

Votum adolescentis, Indolis perquam inconstantis?

Qui ceterâ perquam probus laborat vitio facilitatis, & ad emittenda, & ad emissa retractanda pœnitudine vota, ob quam rem convenit illi cum Confessario id suadente, ut nullum, planè nullum ederet votum inconsulto eodem Confessario, aut, si quod nuncuparet, hoc non prius interrogato, irrita foret promissio. Vix abiere tres, aut quatuor hebdomadæ, cùm resiliens à diuturno proposito ingrediendi religionem quandam minùs strictam, pollicitus est Deo, se transiturum ad strictiorem, idque eâ de causâ, quòd censeret fore pergratam Deo hanc mutationem, resolutionémque heroicam sibi ipsi difficilem. Paulò pòst tactus pœnitudine facti accedit Confessarium (alterius Ordinis) narrat factum, petit remedium, & ipse Confessarius (ut dixi alterius Ordinis) à me Consilium.

i Respondi cum distinctione: Aut enim ille adolescens erat pacti initi, cum Confessario memor tunc, cùm pollicebatur Deo ingressum in illam strictiorem religionem, aut immemor? Si immemor, haud subsistit votum: etenim nolunt, & rectè nolunt Juristæ præsumi voluntatis mutationem, sed probari, igitur præsumendum est, permansisse (donec aliud probetur) habitualiter in ipso voluntatem, non obstringendi se validè ullo voto sine approbatione Confessarii. Si autem memor, quia ex una parte non abstulit (imò nec auferre potuit) sibi physicam vim agendi contra pactum initum cum Confessario, ex altera actualis recordatio initi pacti satis indicat voluisse uti illâ physicâ potestate, seu facultate, (quia similiter Jurisperiti perpetuò inculcant præsumptionem de volendo exercere actum utilem potiùs, quàm inutilem, seu invalidum,) omnino censeo, exortam fuisse actualem obligationem subeundi Ordinem strictiorem, modò sit aptus.

k Nihilominus tamen, quia ejusmodi votum non est unum è reservatis, quandoquidem si fiat illius commutatio in alium Ordinem mitiorem, erit ea non circa substantiam, sed solùm circa circumstantiam & modum. Sotus, Navarrus, Sanchez, Lessius apud & cum Patre Laymanno *Lib. 4. Tr. 4. c. 8. n.* 8. idcirco poterit illa commutatio fieri à Confessario vel Jubilei, vel Ordinis Mendicantis, ne dicam ab Episcopo; & verò censeo faciendam, eò quòd illa tanta mobilitas animi adimat spem fore, ut maneat constans in illa rigida religione.

Quòd si illam conditionem de interrogando Confessario ita intellexit, ut voluerit non subsistere votum, donec à Confessario haberetur pro rato, revera non subsistet ante ratificationem, quâ secutâ habebit nihilominus fortasse locum doctrina censentium, ne quidem impletâ conditione, sub qua est emissum votum castitatis, vel religionis, censeri hæc esse accensenda reservatis, ut etiam notavi in Alphab. Quadrupl. *Part. 1. n.* 328. & 329. sed nollem dare locum huic doctrinæ in proposito, nisi metuerem (& meritò possem metuere) ne ingressum in talem Ordinem sequeretur aut brevi, aut pòst duos, trésve Annos gravis & noxia pœnitudo.

CAPUT XXXIX.

De modo & tempore commutandi vota Iubilei.

SUMMARIUM.

Confessarius Iubilei potest vota commutare in opus aliquanto minoris valoris. 296.

Et debet absolutè, non autem conditionatè commutare. Ibid.

Singulariter non sub conditione: si fueris lucratus Jubileum. 297.

Peccat Confessarius negans commutationem petenti. 298.

Episcopus nolens cum subditis dispensare quando potest vocatur infidelis. Ibid.

Quid si pœnitens non adferat causam, cur petat commutationem? 299.

Ad faciendam etiam extra Iubilæum commutationem in opus æquale, non exigitur gravis causa. Ibid.

Quomodo specialiter commutanda vota peregrinationum? 300.

Quæ generatim commutationes sint percommodæ? 301.

Faciendæ sæpe in res, quas pœnitens solet facere ex devotione. 302.

Facienda etiam pœnitenti optio. Ibid.

Commutatio recte fit ante omnem inchoationem operum præscriptorum. 303.

Potest & fieri illius, quod emisisti pòst jam factam aliorum commutationem. 304.

Ita quoque, ut subrogatio peragatur primùm pòst tempus Iubilei. 305.

Vel ut remittatur ad judicium alterius viri docti, etiam Laici. Ibid.

Quid si autem interim urgeat actualis obligatio voti? 306.

Quid si Confessarius dicat: Commutabo pòst tres vel quatuor hebdomadas? 307. *Quid*

Quid si fecisti omnia necessaria lucrando Iubileo, at oblitus es petere commutationem? 308.

Aut reflexè noluisti petere? 309.

Aut non fecisti Confessionem tempore Iubilei? Ibid.

296 Quæst. CVI. *Ecquæ circa modum commutandi vota in Iubileo videntur præcipuè observanda Confessario benigno?*

RESP. Sequentia. I. Potest commutationem facere in opera aliquantò minoris valoris, seu aliquantò minùs grata Deo, quàm fuerit actio, aut res per votum promissa. Ita Lessius *Lib. 2. De Iustit. cit. c. 40. num.* 109. cum permultis, quos sequitur Diana *Part. 1. Tract. 11. Resol. 40.* contra Sanchez *Lib. 4. Moral. c. 54. num.* 13. & alios. Ratio est, quia probabilissimum est, quòd quis propria auctoritate possit suumet votum commutare in rem evidenter æq; bonam, ut suppono ex Tractatu de voto, & probo, declaróque practicè in alleg. Alphab. Quadrupl. Part. 1. *n.* 356. *& seqq.* ergo Confessarius potest in aliquantò minorem commutare, ne cæteroqui privilegium sit frustra contra rationem. Cap. *Si Papa. De Privilegiis in 6.*

II. Commutatio facienda est absolutè, non autem sub conditione de futuro. Licèt enim vota commutandi potestas in hoc etiam differat à potestate absolvendi à Censuris, & Reservatis, quòd graviter peccaret Confessarius, qui diceret *absolvo te ab hac Censura, & ab hoc peccato, dummodo reipsa exequaris opera præscripta*, non autem per se loquendo peccaret, qui diceret: *commuto tua vota, dummodo reipsa exequaris opera in Bulla præscripta*; meliùs tamen est, si commutatio fiat absolutè, quia melius est, non facere restrictionem, ubi non facit Papa.

297 Et singulariter notat Suarez *Lib. 6. De voto cap. 6. num.* 10. cavendum, ne unquam Confessarius commutet sub conditione: *Si ipsammet Indulgentiam fueris reipsa consecutus*: quis enim sciet unquam, se reipsa potitum esse Indulgentia? Hinc quando auctores dicunt, sicut nos suprà *n.* 242. illum, qui semel lucratus est Jubileum, habere jus ad consequendos omnes favores illi annexos, hæc locutio est intelligenda de Jubileo, non prout includit remissionem pœnæ temporalis in actu secundo obtentam; sed prout dicit concessionem talium facultatum, quas Pontifex largitur omnibus facientibus talia, vel talia opera. Lugo *dub. 20. num.* 103. vel, si vis, dic, in ea locutione Jubileum accipi causaliter, & in actu primo, scilicet pro executione omnium operum præscriptorum, non autem formaliter, & in actu secundo.

298 Commutatio ita debet necessariò fieri, quando quis eam petit, ut graviter peccet Confessarius, si recuset facere. Ratio est, quia sicuti Episcopus dispensare nolens cum subdito, dispensationem ex justa causa petente, vocatur meritò infidelis, C. *Quinto, 2. quæst.* 5, ita & meritò hoc epitheton tribuetur Confessario per Bullam electo, non item Regulari nolenti communibus Ordinis privilegiis uti, nam potestas commutandi voti datur Ordini Religioso in favorem Ordinis; nemo autem tenetur suo privilegio, & favore uti, cap. *Si terra. De Privil.* & argum. *Reg. 61. in 6.* at facultas commutandi vota in Jubileo, datur directè & principaliter in favorem & commodum pœnitentium, unde acquirunt jus ad exigendam commutationem, saltem ab illo, cui confitentur ea intentione, ut eam impetrent.

Atq; *quid si pœnitens petat commutationem, non adferens ullam aliam suæ petitionis causam, nisi quia ita ipsi placet?* 299

RESP. Oportet ei acquiescere, modo habeat veram intentionem opera præscripta exequendi; nam illorum executio est vice justæ causæ. Ita sentiunt Sanchez *De voto cap. 50. n.* 19. & Suarez *cit. lib. 6. c. 19. n.* 10. loquentes quidem de commutatione in rem æqualem, potest tamen rationabiliter extendi hæc doctrina ad commutationem in rem aliquantò minorem. Confirmatur, quia Bullæ absolutè, & sine ulteriore exactione dicunt: qui opera præscripta fecerit, poterit eligere Confessarium, qui vota commutet.

Addit idem Suarez *n.* 14. ad faciendam commutationem in rem æqualem, etiam extra Jubileum, sufficere parvam causam, scilicet ut vovens libentiùs, & alacriùs Deo serviat, & ut gratitudo quædam ex parte Dei ostendatur. Unde rectè infert, ferè semper posse excusari commutationes à Confessariis Ordinum Mendicantium factas in opus æquale.

IV. Votum peregrinationis ita commutan- 300
dum est, ut habeatur ratio expensarum in itu faciendarum, ita ut illæ jubeantur dari pauperibus, aut certè in aliud opus commutentur, si fortè majores erant faciendæ, in itu, quàm domi C. *Magna. De voto*, ubi dicitur: *Tibi pro te, & familis tuis licentiam concedimus, votum peregrinationis taliter commutare, ut expensas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui religioso committas, in necessarios usus terræ illius* (Sanctæ, ad quam Trecensis Episcopus, de quo est hic sermo, peregrinationem voverat) *sine diminutione qualibet transferendas.* Consentiunt Theologi & Canonistæ apud Sanchez *cap. 56. num.* 11. nec scio, qui dissentiat. At verò quoad expensas in reditu faciendas dissentiunt à doctrina citati Capituli Henriquez *Lib. 7. cap. 30. n.* 5. Angles & Rodriq. apud Sanchez cum Graffio *Lib. 2. cap. 30. num.* 9. eò quòd vovens peregrinationem, voverat itum, non autem reditum.

sum ; ergo expensæ in reditu faciendæ non indigent commutatione. Verùm opposita sententia est communior & verior. Non dico tamen cum Suarez *Lib. 6. cap. 19. num.* 10. opinionem Henriquezii non esse tutam, quia auctoritas quatuor tantorum Doctorum, & aliorum facit tutam, sicut & ratio, quam adfero in cit. Alphab. *n.* 463.

301 V. Illæ commutationes sunt percommodæ, quibus vota personalia in personalia, realia in realia mutantur, e. g. peregrinationes in opera, per quæ persona exerceatur, & fatigetur, ut sunt orationes, vigiliæ, & jejunia; testatúrque Graffius *cit. cap. 30. num.* 10. ita practicari in Pœnitentiaria Romana. Non tamen est necesse observare hunc modum, sed potius attendendum, quid sit conducibilius saluti Pœnitentis: ut etiam providè notat Lessius *cit. cap. 40. num.* 109. ubi tamen docet, peregrinationes etiam longas mutandas esse in jejunia, eleemosynas, crebras Confessiones & Communiones.

302 VI. Quin sæpe expedit, ut commutatio maximè tempore Jubilei, quo laxatur sinus misericordiæ, & benignitatis divinæ, fiat in res, quas vovens solebat ex devotione facere, ut in recitationem Rosarii, sacri quotidiani auditionem. At non facienda in res, jam aliunde ex gravi obligatione præstandas: quia sicut *non debet aliquis locupletari cum alterius jactura Cap. Locupletari*: De Reg. Juris *in 6.* ita etiam *mutare Consilium quis non potest, in alterius detrimentum* Cap. *Mutare. Eodem.* Atqui mutatio, de qua hîc est sermo, cederet in detrimentum, & imminutionem divini cultûs; nam una actio loco duarum obiretur.

VII. Prodest quoque plura opera proponere pœnitenti, & illi dare optionem, ut loco sui voti, modò hoc, modò illud faciat, modò isto, modò illo die, nam *nil refert quid de æquipollentibus fiat.* argument. *L. final.* ff. *Mandati.*

303 Quæst. CVII. *Quandonam à Confessario Iubilei facienda est commutatio votorum?*

RESP. I. Commutatio fieri potest, antequam quis illum ex præscriptis operibus exequatur, dummodo habeat animum exequendi. Ita plerique; nam Pontifices potestatem commutandi, nullo vocabulo restringunt ad opera jam perfecta. Et proinde potest etiam fieri ante Confessionem, & quidem ab illo, cui non cogitas confiteri, ut docet nominatim Henriquez *Lib. 7. cap. 30. n. 6.* Sanchez *De voto c. 54. n.* 15. contra Sairum, Beiam, Sorbum. Ratio est, quia commutationis actus non habet ullam ab actu Confessionis dependentiam, ergo non est opus, ut fiat Confessario, ut Confessario. Nec verum est, quod aliqui docent, scilicet votorum obligationem reviviscere si contingat vel ex inconstantia, vel ex impotentia omitti prædictorum operum executionem, quia commutatio communiter fit absolutè, & non sub conditione de futuro.

II. Si initio prioris hebdomadæ facta est 304
votorum tuorum commutatio, & ante eam exactam iterum aliud edas, potes adhuc illius, eâdem hebdomade durante, commutationem obtinere; nam conceditur saltem una integerrima hebdomada pro omnibus Jubilei favoribus acquirendis. Quin, si secunda hebdomade illud votum emitteres, & opera præscripta iterum perficeres, posses tunc acquirere ejusdem commutationem, suppositâ intentiâ, quam suo loco probavimus, quòd scilicet Jubileum possit bis obtineri. Atque ita sentit Henriquez *c. 11. n. 11.*

III. Potest verò commutatio voti intra tem- 305
pus Jubilei ita fieri, ut tamen tunc non fiat actualis subrogatio in locum materiæ voto promissæ; nam potest Confessarius dicere pœnitenti: Ex nunc commuto tuum votum in illam rem, aut res, quam, aut quas tibi designabo post tres, quatuor hebdomadas. Sic docet Sanch. *Lib. 4. De Voto c. 54. num.* 31. post Rodriq. & alios. Probo hoc inde, quia, ut *num.* 308. ostendam, posset Confessarius post 10. Annos designare illas res, etiamsi tempore Jubilei nil audisset de tuo voto: quantò magis si ei illud exposuisti? Et ita me citato censet Diana *Part. 10. Tract. 14. Resol. 27.* contra Texedam, nimis acriter repugnantem.

Imò potest Confessarius dicere: *Commuto tuum votum in rem illam, quam talis aut talis vir doctus à te consultus judicaverit prudenter substituendam.* Ita Less. *cit. n.* 109. Ratio est, quia ille, qui præcisè substituet aliam rem, non exercebit ullum actum jurisdictionis; ergo ei poterit dari potestas substituendi.

Inquies: *Ergo Confessarius posset etiam hominem laicum designare pro illo actu subrogationis?*

RESP. Vera est sequela, & consequens.

Quid si autem, antequam ab illo docto Laico fiat 306
actualis subrogatio, occurrat occasio voti observandi?

RESP. Non peccabit pœnitens, illud non observando: nam reverà jam est facta commutatio, adeóque cessat voti obligatio, & adest jam alia, scilicet acceptandi onus, quod ab illo viro docto imponetur: quod quidem onus non debet subire, antequam injungatur, ut optimè Sanchez *loc. cit. num.* 32. Lessius *cit. n.* 109. Portel. in addit. *num.* 17. contra Rodriquez.

IV. Quia sicuti *Cùm quid prohibetur, omnia* 307
prohibentur, quæ sequuntur ex illo. Reg. 39. *in 6.* ita etiam, qui dat potestatem, dat simul omnia, quæ ad illam moraliter consequuntur, seu ad convenientem ejus usum necessaria sunt.

sunt idcirco quando Confessarius vult attentiùs considerare, vel qualitatem causæ, vel modum commutationis, potest ipsammet commutationem differre, in unam, alterámve hebdomadam post Iubileum, dicendo pœnitenti: *commutabo tuum votum, ubi maturiùs cogitavero, quid ad animæ tuæ solatium, & profectum maximè expediat.* Sic arbitratur, & rectè quidem Suar. *Lib. 6. De voto c. 16. num.* 15. Sanch. *loc. cit. num.* 33. Portel. *loc. cit.* Et quidem potest hoc facere Confessarius, etsi nullum in specie votum intelligat: si enim pœnitens dicat, se habere plura vota, quorum commutationem petat, potest Confessarius impeditus aliis negotiis ei respondere; *Illa vota mihi post exactum jubileum indica, & commutabo.* Sic Sanchez *loc. cit. num.* 37. & Palaus *Tract. 24. Punct. 12. §. 3. n.* 8. contra Suarez. Et extendit hanc doctrinam Sanchez ad vota reservata Pontifici extra Iubileum. Hujus & aliarum doctrinarum paulò antè traditarum, & tradendarum rationem submini strat secundũ fundamentum, quod attuli *n.* 242.

308 V. Si pœnitens tempore Iubilei oblitus est petere sui voti commutationem, fecit tamen omnia opera præscripta, poterit illius commutationem exigere, à quocunque Sacerdote approbato, etiam post Iubileum, Ita Portel. *n.* 7. Sanchez. *n.* 36. Less. *cap. 40. cit. num.* 109. expressè dicens, posse etiam *post Annum* peti talem commutationem, & quidnî post vicennium? Ratio petitur tum ex citato fundamento secundo; tum ex dictis de absolutione censurarum, & casuum reservatorum post Jubileum; est enim eadem omnino ratio.

309 Dices: *Quid si fui quidem memor mei voti, sed tamen noluí petere commutationem?* Resp. Poteris æquè illius commutationem post decennium petere, ac si tempore Jubilei esses oblitus; nam favores Jubilei semel acquisiti, non magis prosunt oblitis, quàm iis, qui fuêre memores. Atque ita etiam sentiunt Sanchez *Ibid. n.* 40. Lessius *loc. cit.*

Adde, hanc ipsam responsionem Judicio Sanctarelli *De Iubileo c.* 13. *dub.* 2. aliorúmque habere locum, etiam in casu, quo non fecisti ullam Confessionem, idcirco, quòd bonâ fide existimares te esse in statu gratiæ: & admittit Sanchez *n.* 41. supposito, quòd Confessio venialium non sit necessaria ad Jubileum lucrandum: quod & ego admitto, casu, quo Confessio etiam mortalium non fuerit à parte rei posita inter Conditiones Jubilei.

CAPUT XL.

Quomodo liceat, aut non liceat commutare votum Castitatis?

SUMMARIUM.

Quinque Vota reservantur Pontifici. 310.
Eorum commutatio non censetur permissa, nisi exprimatur permissio. Ibid.
Vt votum Castitatis sit reservatum debet esse castitatis & perfectæ, & perpetuæ. 311.
Quandonam censeatur voveri castitas perfecta? 312.
Referuntur varia castitatis imperfectæ exempla. 312. & 313.
Quid si octogenarius senex voveat, se viginti Annis victurum castissimè. 314.
Vota castitatis emissa à conjugibus quomodo sint tantùm imperfectæ castitatis. Ibid.
Non omne votum castitatis perfectæ est reservatum, 315.
Et nominatim quando est dubium. Ibid.
Aut emissum ex metu justo. 316.
Aut cum animo obligandi se solùm sub veniali. Ibid.
Aut quando votum Castitatis est pœnale. 317.
Vel propriè conditionale. Ibid.
Quid si jam sit impleta conditio, aut incursus pœnæ reatus? Ibid.

SUppono I. ex communiore doctrina apud 310
Sanchez *Lib. 4.* Summæ *cap. 40. n 6.* solùm quinque vota esse reservata Pontifici, scilicet vota peregrinationis Romanæ, Compostellanæ, Hierosolymitanæ, Castitatis, ac Religionis: & quidem solum primum ex jure, reliqua ex consuetudine, cùm spectatâ rei naturâ posset Episcopus in omnibus dispensare.

Suppono II. illa quinque vota esse ita reservata, ut eorum dispensatio, vel commutatio per nullam Bullam censeatur concessa, nisi exprimatur: & ita quidem, ut si in Bulla ponantur hæc præcisè verba: *Damus potestatem commutandi omnia vota, etiam triplicis peregrinationis*, non intelligantur vota Castitatis, & Religionis. At quando Bulla habet, sicut communes Bullæ Jubilei: *Damus potestatem commutandi omnia vota, exceptis votis Castitatis, & Religionis*, hoc ipso dari potestatem commutandi votum triplicis peregrinationis, ut docet usus. His suppositis, cùm votum Castitatis, & Religionis in omni Jubileo reservetur, oritur

Quæst. CVIII. *Vt votum Castitatis censeatur esse reservatum, quot debet habere conditiones?* 311

RESP. Generatim duas: debet enim esse perfectum, & de Castitate perfectâ. Patebit utraque hæc conditio ex dicendis.

§ Quæst.

Quæst. CIX. *Quid nomine Castitatis perfectæ*
231 *intelligitur hîc?*

RESP. Perpetua in futurum abstinentia ab omni voluntaria delectatione venerea, tam extra, quàm intra conjugium: Doctores communiter, nominatim Suar. *Tom. 3. De Relig. L. 9. cap. 2. num. 1. & 2.* junctò *c. 12. n. 1. & 2.* & alii, quos paulò pòst referam. Hinc votum Castitatis reservatum vocatur à Suarez *Lib. 6. De voto cap. 21. num. 9.* votum *negativum* Castitatis *simpliciter*.

Quæst. CX. *Quenam species, aut partes Castitatis, dictis, aut indoctis videntur esse Castitatis reservatæ, incommutabilis per Iubileum, & tamen non sunt?*

RESP. Sequentes. I. Virginitas, si videlicet votum illius servandæ, expressè restringas ad abstinendum à primo actu peccati carnalis, per quem Virginitatis flos deteritur. Quòd si dicas: *Voveo Deo Virginitatem*, & non restringas expressè ad continentiam ab uno, aut pluribus actibus turpibus, censeris edere votum Castitatis *perfectæ*, adeóque reservatum. Sanctarell. *loc. cit. dub. 2.* ex communi. Unde infert S. Thomas *2. 2. quæst. 88. a. 3. ad 2.* mulierem, quæ vovit Virginitatem, si postea corrumpatur, debere servare quod potest, scilicet *perpetuam continentiam*. Quamquam non planè displicet opinio Portelli V. *Votum n. 50.* contra Sanchez dicentis, eum, qui vovit Virginitatem, non obligari, nisi ad temporalem Castitatem, si dubiret, an voverit Castitatem perpetuam, an solùm abstinentiam à primo actu; nam vota gratuita sunt benignè interpretanda. C. *Ex parte. De censibus.*

313 II. Si voveas dicendo: *Voveo me nunquam ducturum uxorem; permansurum in statu viduali: futurum Sacerdotem: facturum cras votum perpetuæ Castitatis: nunquam facturum ullam mulierem: nunquam ullo impuritatis peccato Deum offensurum: matrimonii leges sanctè servaturum: ab omni licitâ & illicitâ Venere per* 10. *imò* 20. *Annos abstenturum &c.* nullum horum votorum seorsim sumptum reservatur Pontifici, sed singula sunt tempore Jubilei commutabilia; nam per quatuor priora non promittitur Castitas ipsa; per quatuor posteriora promittitur illa quidem, sed imperfecta, ratione objecti, vel temporis. Quòd si diceres: *Voveo me centum Annis abstenturum ab omni carnali illecebra*, censereris juxta Lessium De jur. & just. *Lib. 2. cap. 40. n. 113.* Sanchez *c. 40. n. 49.* fecisse votum reservatum, eò quòd vita hominis præsumatur non diutius durare, imò nec tamdiu, ut notavi in Experient. *Tract. 9. n. 259.*

Inquies: *Ergo si quis octogenarius diceret: Voveo me 20. Annis fore castissimum, tale votum reservatis adnumerandum esset?* Resp. Hæc illatio est verosimilis; quamvis Less. *loc.* votum 20. Annorum absolutè annumeret temporibus, at non ego ob indicatam rationem.

III. Quando vel unus tantùm conjugum, 314
sine, aut cum alterius licentia, vovit se non petiturum debitum; vel uterque Communi consensu, se neque petiturum, neque etiam redditurum debitum promisit, tale votum potest tempore Jubilei commutari; nam non est promissa perfecta Castitas: nec enim contra suum votum peccaret talis conjux, etsi admitteret adulterium, aut dissoluto matrimonio per mortem alterius conjugum, transiret ad secundas nuptias.

IV. Quando unus conjugum sine, aut cum alterius licentia vovit perpetuam, perfectámque Castitatem, potest fieri, ut illud votum sit reservatum, præsertim quando est emissum ante consummationem matrimonii, cum animo ingrediendi religionem, potest quoque fieri, ut non sit reservatum, ut explicat latissimè, nec sine fructu, (quidquid fastidiat Pontius *Lib. 8. De Matrim. c. 9. n. 2.*) P. Sanchez *Lib. 8. De Matrimonio disp. 11.* referens multos Authores pro se, & contra se, succinctè autem cit. *cap. 40. n. 52. & seqq.* Porrò solius perfectæ Castitatis votum esse Pontifici reservatum, habetur potiùs ex traditione, & consuetudine, quàm jure scripto.

Quæst. CXI. *An omne votum Castitatis Per-* 315
fectæ est ita reservatum, ut nequeat commutari per Confessarium Iubilei?

RESP. Negativè; quia non sufficit esse votum Castitatis perfectæ, sed debet ipsummet in se, suisque adjunctis esse perfectum. Ita sentiunt communiter Doctores, intelligendi cum sequentibus declarationibus.

I. Quoties est dubium de valore voti Castitatis, sive sit dubium juris, sive facti, etsi illud dubium fortè non sit tantum, ut deobliget ventem, potest commutari vi Jubilei. Ita Suarez *Lib. 6. cap. 26. n. 6. De Voto.* Ratio est, quia tale votum non est reservatum; nam non est perfectum, hoc ipso quòd sit dubium; & reservatio, cùm sit res odiosa, utpote derogans juri Episcoporum, restringi debet ad casus certos, non ad dubios. Et extendit Sanch. *Lib. 4. Summ. c. 44. n. 3.* itémque Thesaurus *P. 2. V. Vota reservata*, hanc doctrinam ad casum, quo quis scit, se protulisse verba clara obligationis, dubitat autem, an cum animo se obligandi. Verùm quia *nemo dicere præsumitur, quod non habet in mente*, ait Tubero relatus in *L. Labeo ff. De Supell. leg.* idcirco hæc extensio, quantumvis sit tuta, non tamen est certa.

II. Idem votum potest vi Jubilei commuta- 316
ri, quando fuit emissum ex injusto metu gravi, aut levi. Sic Lessius *n. 127.* & Sanchez *n. 31.* Ratio est, quia tunc quoque non est perfectum; nam deest ipsi perfecta libertas.

III. Idem

III. Idem dic, quando est emissum cum animo se obligandi solùm sub veniali. Sanchez. *n. 47.*

IV. Idem dicendum esse putat Gutierez, quando fuit emissum ab impubere, eò quòd cùm sit à patre irritabile, sit etiam hoc ipso valdè imperfectum. Verùm hanc doctrinam à Suarez *loc. cit. n. 3.* & Sanch. *n. 27.* rejectam, & à nemine alio, quantùm scio, admissam, ego quoque rejicio, quia ista imperfectio est nimis extrinseca voto, tametsi in Alphab. Quadrupl. *n. 174.* cum communi teneo, omnia vota impuberum esse irritabilia à patre, & successoribus patris, quos nomino *Ibid. n. 187.*

317 V. Quod dixi de voto Castitatis dubio, dico etiam, tum quando votum Castitatis est pœnale; ut cùm dixisti: *Si hoc Anno me inebriavero, voveo me servaturum perpetuam Castitatem*: tum quando est propriè conditionale, ut cùm dicis: *Si Deus me hac tentatione liberaverit, promitto perpetuam Continentiam.* Et hoc votum utrumque potest commutari, ante & post impletam conditionem, pœnámque incursam; tum quando est disjunctivum, ita ut altera pars non sit reservata, ut si dicas: *voveo aut perpetuam castitatem, aut perpetuam à carnibus abstinentiam: voveo me futurum vel Sacerdotem, vel cæteroqui servaturum perpetuam Castitatem.* Et hæc commutatio potest fieri, tum antequam abjicias animum suscipiendi sacerdotii, aut abstinendi semper à carnibus; tum postquam supervenit impedimentum, ob quod non possis fieri Sacerdos; tum denique etiam postquam libere constituisti non suscipere Sacerdotium. Ita contra Suar. *Lib. 6. De voto c. 22. n. 11.* & Pontium *Lib. 8. De Matrimon. c. 9.* docent permulti Doctores, quos partim citant, partim sequuntur Sanch. *cit. cap. 40. n. 81.* Lessius, *Lib. 2. De Iustit. cap. 40. dn. 130.* Sanctarellus de Jubil. *c. 11.* Laymann. *Lib. 4. Tract. 4. c. 8. dn. 10.* Diana *Part. 1. Tr. 11. d Resol. 79.* qui omnium postremam sententiam, à solo Maldero traditam, vocat *Resol. 65.* multùm probabilem, ego multùm alienam à Communi sensu, non tamen improbabilem: sicuti neque Bossius apud Dian. *cit. Tr. Res. 60.* non malas pro illâ rationes adferens; at oppositam cum Sanctarello *c 9. dub. 4.* præfero; reliquas assertiones absolutè defendo; & hanc generalem rationem cum Lezana T. *Votum n. 13.* do, quia votum Castitatis pœnale, non est perfectum; nam non fertur ex satis perfectò in ipsam Castitatem amore, sed potiùs ex amore aut metu alterius rei; & cùm votum sit actus Religionis, quo quis rem sibi gratam offert Deo; in ejus cultum, id perfectè dicetur tale, quod ex directa rei promissæ voluntate oritur. Plura de voto Castitatis post hæc data in lucem scripsi in Alphab. Quadruplici toto *Cas. 8.*

CAPVT XLI.

De Commutatione voti Religionis.

SUMMARIUM.

Per votum Religionis quid intelligatur? 318.
Quando illud votum est perfectum, non tollitur nisi à Papa. 319.
Secus si sit imperfectum, adeóque dubium, factum ex metu, vel conditionale. Ibid.
Confessarius Iubilei commutare potest vota Castitatis, & Religionis in omnibus Casibus, in quibus Episcopus ratione ordinariæ potestatis. 320.
Non autem in Casibus, quibus ipse commutat tanquam delegatus Sedis Apostolicæ. 321.
Qui sint ii Casus? Ibid.
An Episcopus dispenset ex ordinaria potestate cum conjuge, qui ante conjugium voverat perfectam castitatem? 322.
An Confessarius Iubilei, vel alias privilegiatus valdè commutet materiam, in quam Papa fecit commutationem voti reservati. Ibid.
An juramentum de perpetua castitate servanda, vel ingredienda religione sit reservatum? 223.
Pœna decreta in dispensantes in votis reservatis non extenditur ad commutantes. Ibid.

Quæst. CXII. *Quid per votum Religionis in-* 318
telligitur?

RESP. Intelligitur tum præcipuè votum ingrediendi aliquam Religionem; tum etiam ipsa tria substantialia vota, per quæ quis sit verè Religiosus. Ita supponunt passim authores, confirmátque usus perpetuus, & docet in terminis Suar. *Tom. 3. De Relig. l. 4. c. 7. n. 2.* Intelligi quoque non incongruè illa omnia vota, quæ nonnullæ Religiones solent tribus substantialibus addere, ut est tum votum Patrum Minimorum de vita Quadragesimali, tum Monialium S. Claræ de clausurâ, tum illa peculiaria Societatis nostræ vota, quæ præter nostros scriptores chumerant Rodriquez *Tom. 1. q. 26. a. 1.* & Miranda *Tom. 2. q. 9. a. 6.* existimat Suarez *Tom. 4. De Relig. Tract. 8. lib. 2. c. 12. dn. 30.* fusè contra Thesaurum *p. 2. V. Religiosi. c. 4.* & alios, probans, hæc vota esse reservata Pontifici. Sed hæc res indiget longiore disputatione, hîc non necessariâ; nam in Jubileis non occurrit usus hujus; aut illius sententiæ.

Quæst. CXIII. *An non in quibusdam* 319
circumstantiis possit commutari votum Religionis?

RESP. Etsi, quando est omnino perfectum, & absolutum, non possit commutari,

nisi à Papa, ejúsque commutatio excipiatur in omnibus Bullis Jubilei, attamen, quando non est omnino perfectum, commutari potest; & nominatim quando est pœnale, conditionale, ex metu, ut suprà dixi de voto Castitatis: item ex probabili, quando mutatur votum solius perseverantiæ, aut rigidioris Religionis in mitiorem; aut denique solum tempus, ut si vovisti te ingressurum religionem hoc Anno, & Confessarius mutet in Annum sequentem. Ita censet Sanch. *c.* 40. cum aliis contra alios. Sed his probandis non immoror, sufficit nunc pro praxi scire, hæc probabiliter dici. Alia, quæ de voto Religionis tradunt DD. suppeditat nostrum Alphabetum Quadrup. *Part. 1. toto* Casu, seu c. 9.

320 Quæst. CXIV. *Potéstne Confessarius vi Iubilei commutare vota Castitatis, & Religionis in omnibus casibus, in quibus Episcopus ipse extra Iubileum?*

RESP. I. Potest in omnibus casibus, in quibus Episcopus extra Jubileum dispensat, aut commutat, ex sua ordinaria potestate. Ratio est, quia tunc jam desinunt per se reservata esse Pontifici. Unde præcedente capite citavi aliquos authores pro opinionibus *ibid.* assertis, qui tamen non loquuntur expressè de potestate commutandi, quæ habetur in Jubileo, sed de potestate ordinaria Episcopi: idipsum ego cum Sanchez *Lib.* 4. *Summæ c.* 54. *n.* 19. Sanctarello, & aliis assero de potestate Confessarii per Bullam Jubilei. Assero & idipsum de Confessariis Ordinum Mendicantium: nam ipsi quoque extra Jubileum possunt commutare vota Religionis & Castitatis in omnibus casibus, in quibus Episcopi ex ordinaria potestate: atque adeò in omnibus, quos approbavi *Quæst.* 99 100. & 102. Possunt quoque in iisdem, saltem de voluntate suorum Superiorum dispensare, ut réliquos inter declárat. Portel. V. *Dispensatio n.* 54.

321 II. At verò quando Episcopus in hisce votis dispensat, non ex ordinariâ potestate, sed tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, nequit ea commutare Confessor per Bullam electus, ut rectè Sanch. *cap.* 40. & 43. & 44. & *lib.* 8. *De Matrim. disp.* 9. Sanctarellus de Jubileo *c.* 9. *dub.* 9. Lezana V. *Votum. n.* 21. permultos referens, ut v. g. quando quis voto Castitatis obstrictus, versatur in proximo periculo fornicationis, nisi uxorem ducat; aut puellam imprægnavit, quam ducere vellet, priusquam infametur; aut caret pecuniis ad impetrandam dispensationem; aut non patet facilis Romam aditus. Sanchez *cit. disp.* 9. Hujus doctrinæ ratio est, quia tunc nihilominus manent reservata; & potius dicitur tunc Papa dispensare quàm Episcopus, habétque hîc locum illud Axioma: *quod quis facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.* Argum. cap. *Potest quis* De Reg. Juris *in* 6. Refert quidem absolutè Lessius *cit. c.* 40. *n.* 134. ex compendio privilegiorum, posse Mendicantes (& consequenter Confessarios Jubilei) commutare omnia vota, in quibus potest Episcopus: sed utique limitanda est hæc doctrina, eo modo quo limitavimus, consentiente, méque allegante Diana *Part.* 11. *Tr.* 7. *Resol.* 6. Idem Lessius *n.* 127. absolutè dicit, quòd Pontifex permittat, ut Episcopus suâ ordinariâ potestate ad dispensandum in votis reservatis utatur, quoties est difficilis ad Papam accessus; sed Communi doctrinæ conformius dices, illum uti potestate extraordinariâ, seu delegatâ, adeóque non posse in eo casu fieri commutationem per Confessarium Jubilei. Vide alia huc facientia in cit. Alphab. *n.* 350.

III. Cùm idem Lessius *n.* 125. absolutè do- 322
ceat, posse Episcopum dispensare in simplici voto Castitatis, post quod emissum contraxit aliquis matrimonium, non improbabile videtur, id quod nonnulli teste Sanctarello *De Iubil. cap.* 9. *dub.* 8. docent, scilicet posse hoc votum commutari à Confessario Jubilei: quamvis utique contrarium sit probabilius, & praxi conforme, idcirco quòd in eo quoque casu Episcopus dispenset solùm ut delegatus.

IV. His addo, quando Pontifex votum Religionis, & Castitatis commutavit in aliquod, aut aliqua opera, posse per Bullam Jubilei, atque adeò per privilegia Mendicantium (nam hac in re est inter hæc paritas) illud, vel illa opera commutari in alia: quia tunc non est commutare ipsum votum reservatum.

V. Addo insuper, juramentum de Castitate 323
perpetua servandâ, aut ingrediendâ Religione, etsi non contineat ullam promissionem, non tamen posse commutari per Bullam, nisi in ijs circumstantiis, in quibus posset simile harum rerum votum commutari. Sanch. *Lib.* 4. *Summæ c.* 54. *n.* 21. Layman. *L.* 4. *Tr.* 3. *c.* 11. *n.* 8. & Portel. V. *Voti commutatio. n.* 100. nam Bulla non loquitur de juramentis, sed potestas commutandi juramenta, deducitur solùm ex potestate commutandi similia vota. Putat tamen Diana *Part.* 5, *Tr.* 12. *Resol.* 59. post Alph. Leone contrarium non carere probabilitate.

VI. Addo postremò, etsi Sixtus IV. in Extrav. *Etsi Dominici* 2. De pœnit. & remiss. excommunicat dispensantes in votis reservatis, tunc, cùm sunt revera reservata, hanc tamen pœnam, malè à nonnullis extendi ad commutantes illa, ut rectè observat Lezana V. *Votum n.* 20. post Sanch. nam *in pœnis benignior interpretatio est facienda.* Reg. 49. in 6.

CAPVT XLII.

Paradigmata seu exempla quarundam Commutationum, quæ ad alias multas applicari possunt.

SUMMARIUM.

Referuntur varia exempla, seu modi commutandi vota. 324. *& seqq.*
Singulariter votum peregrinandi. 325.
Non ineundi matrimonii. Ibid.
Suscipiendi sacros ordines. Ibid.
Iejunandi omnibus per totam vitam feriis sextis. 326.
Non peccandi peccato luxuriæ. Ibid.
Ingrediendi Ordinem Prædicatorum. 327.
Aut generatim ingrediendi Religionem. 328.

324 UT Confessarii in Jubileo electi & expositi, qui sæpe nesciunt: in quam, & quantam rem vota commutare debeant, timéntque, ne vel nimis gravent suos pœnitentes, vel non sint fideles dispensatores, seipsos aliquibus Regulis practicis potiùs, quàm speculativis juvare queant, referam quædam exempla commutationum particularium, quæ partim tradit, partim ab aliis tradita refert Sanch. *Lib.* 4. *Summæ c.* 26. *à num.* 39.

325 I. Quando pœnitens vovit peregrinationem pedestrem, potest unius diei iter commutari in unius diei jejunium: at equestris itineris quatuor dies in unicum jejunium. Sic judicat Sanch. *n.* 40 post Sairum, Azorium, Anglem. Quid de expensis itineris sentiendum sit, dixi *n.* 300. Vide de hoc casu Portel. V. *Voti commutatio* in addit. *n.* 105.

II. Votum non ineundi matrimonii commutari potest in Confessionem singulis mensibus biennio, aut triennio faciendam, itémque in novem sacra, extra ordinem facienda. Ita judicat idem Sanchez. *n.* 42. cum quibusdam Neotericis doctis.

III. Voto suscipiendi Sacerdotii, subrogari potest quotidiana recitatio Officii Beatissimæ Virginis, aut Rosarii; præterea Communio decimo quinto quoque die obeunda, procurandáque unius sacri quot mensibus celebratio; & insuper faciendum votum Castitatis in statu laicali, vel certè singulis hebdomadis semel jejunandum. Iidem recentiores cum Sanchez *n.* 43.

326 IV. Voto jejunandi omnibus per totam vitam feriis sextis, rite substitues Communionem annuam decimo quinto quoque die obeundam, triúmque sacrorum procurationem: vel si mavis, recitationem Rosarii, cum modica eleemosyna sextis quibusque feriis per totam vitam. Iidem viri docti cum Sanchez *n.* 44.

V. Voto non admittendi peccatum adversus castitatem, si voventi multùm prosit ad vitandam impuritatem, rectè succedet Confessio menstrua per totam vitam: si verò tale votum non multùm prosit, sed potiùs obsit, ideò quòd illo obstrictus, crebrò ex fragilitate labatur in peccata carnis, substituatur recitatio calculorum Virgineorum semel quolibet mense per triennium.

VI. Qui potestatem habet commutandi vo- 327
tum ingrediendi Ordinem Prædicatorum, attendere debet, assumpto illo habitu, recitandum esse quotidie Officium Canonicum, jejunandum septem mensibus cujuslibet Anni, abstinendum in Hispania, non in Germania perpetuò à carnibus. Hoc considerato, ità commutare debet, ut pœnitens jejunet totâ vitâ feriis sextis, confiteatur, & Eucharistiam sumat decimo quinto quoque die, & erogeat eleemosynam juxta suas facultates. Ita sentiunt Med. & Sairus apud Sanch. *n.* 41. ratum, hanc commutationem non sufficere pro absoluto voto Religionis, satísque indicantem, sufficere pro commutando voto conditionali, aut pœnali itidem Religionis.

At Graffius *Lib.* 2. *c.* 30. *num.* 10. ita loqui- 328
tur: Religionis votum in perpetuas orationes, & alia pia opera commutari debet, ad eum finem, ut ea implens meminisse debeat voti Religionis, quo astringebatur: debet etiam commutari in frequentiam Sacramentalis Confessionis peccatorum singulis saltem mensibus: & ita est in praxi Romæ in officio Pœnitentiariæ, sicuti mihi pluries commissum fuit. Ita ille.

Generales Regulas in commutatione observandas subministrat P. Suar. *Lib.* 6. *De Voto c.* 19. *n.* 21. alias particulares, præter suprà traditas, proponit, & elucidat P. Sanch. *cit. c.* 56. quem omnium, quos vidi, leges utilissimè: & generatim observabis in commutatione attendendum esse in primis, ut commutatio voti fiat in rem, maximè, quoad potest, conducibilem ad finem, ad quem votum fuerat emissum: cumprimis autem attendendum est, ut cedat in majus emolumentum spirituale voventis. Sed vide de his omnibus Haunoldum in Epinomia *De Iubil. n.* 49.

CAPVT XLIII.

Qua parte hebdomadæ, aut Anni Sancti acquiratur Indulgentia, favoréque Iubilei.

SUMMARIUM.

Indulgentia Anni Sancti comparatur eo momento, quo peractum est ultimum opus. 329.
Idem de Indulgentia Iubilei extraordinarii. 330.
Quid si id opus ultimum præsletur in statu peccati mortalis, an erit integre actum de Indulgentia? Ibid.
Reliqui favores Iubilei quo puncto temporis comparentur. 331.
Indulgentia Iubilei nequit applicari defunctis. Ibid.

329 Quæst. CXV. *Quâ parte Anni Sancti obtinetur Indulgentia Anni Sancti?*

RESP. Benzonius *Lib. 5. De Iubil. c. 15. dub.* 11. acquiri completâ ultimâ visitatione, eò quòd positâ ultimâ dispositione forma secundùm Philosophos introducatur. Supponit igitur Benzonius, visitationem debere esse ultimum opus. Sed hoc non esse necessarium judicant alii, rati Confessionem posse differri, donec omnes visitationes sint peractæ. Et meritò quidem: quia jam sæpius dixi, non esse inter opera præscripta servandum necessariò in executione ordinem, quo exprimuntur in Bulla.

330 Quæst. CXVI. *Quo die primæ, vel secundæ hebdomadæ fit quis compos Iubilei extraordinarii, & favorum illi annexorum?*

RESP. I. Ipsiusmet Indulgentiæ fit quis, compos ille ipso, seu tempore, seu momento, quo ultimum ex requisitis operibus perficit, si quidem sit tunc in statu gratiæ: nam *conditionalis dispositio, statim post impletam conditionem, suum sortitur effectum, & non antè*, ut traditur clarè L. *Cedere diem.* ff. *De verb. signific.* Quòd si tunc non obtineatur Indulgentia Jubilei, nunquam comparabitur; nam positis omnibus ad agendum necessariis causis, & conditionibus, effectus necessarius aut mox aut nunquam sequitur; est autem Indulgentia effectus, saltem ex suppositione, necessarius: quia qui fecit omnia ad Indulgentiam requisita, non potest impedire ortum, ut ita dicam, Indulgentiæ. Contrarium tenent tum illi omnes, qui, ut dixi *n. 59.* ajunt, recedente fictione Jubileum sortiri suum effectum; tum nominatim Henriquez, qui *Lib. 7. c. 9. n. 5.* ita loquitur: *Quòd si communicavit in peccato, & sine fructu, adhuc supereſt tempus lucrandi, si eo die per contritionem justificetur, quasi hæc sit ultimum opus.* Et hanc sententiam sequitur Escobar in Sum. *Tract. 7. Exam. 5. num. 56.* & probabilem vocat Diana *Part. 3. Tract. 4. Resol.* 148. citans pro ea Fernandez, & Faustum, pro nobis Zanardum & Leone. Ego judico, satius esse hanc doctrinam practicare, quàm in casu posito omittere contritionem.

II. Reliquos Jubilei favores consequitur 331
quis, quamprimum cum vero animo perficiendi opera præscripta adit Confessarium, eorúmque communicationem postulat cum modis, & circumstantiis indicatis in decursu; mox enim illos potest ipse conferre. Quamquam per accidens fieri potest, ut actualem illorum consecutionem & effectum obtineat primùm uno aut pluribus Annis post jam transactum Jubileum juxta dicta *n.* 308.

III. Ita fortitur quis Indulgentiam Jubilei, ut nequeat eam defunctis applicare, ut singulariter notat Navarrus *De Iubil. Not.* 21. *n.* 1. nam nulla Indulgentia potest applicari defuncto, nisi author illius faciat expressè potestatem applicandi. S. Thom. *in 4. dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. practicè hanc rem declarans, & nos Tract. seq.

CAPVT XLIV.

De probabilitate opinionum circa Iubilei actualem acquisitionem.

SUMMARIUM.

Probabilitas opinionis à parte rei falsæ nihil prodest ad acquisitionem ipsiusmet Indulgentiæ. 332.
At prodest ad reliquos favores. 333.
Declaratur exemplis. Ibid.
Confessarius tenetur etiam quandoque tempore Iubilei sequi partem tutiorem. 334.
An facilè sibi quis persuadere possit, se esse potitum Iubileo? 335.
Aut Confessarius, suum pœnitentem esse illum revera lucratum? Ibid.

Quæst. CXVII. *Quid ad Iubilei realem acquisitionem juvat probabilitas sententiæ, quam quis in eo consectando secutus est?* 332

RESP. Cum distinctione: aut enim loquimur de adeptione ipsius præcisè Indulgentiæ: aut etiam de aliis favoribus adnexis Indulgentiæ Jubilei. Si de Indulgentia præcisè: tum ad ejus acquisitionem nil planè conducet, secutum fuisse probabilem, aut etiam probabiliorem opinionem, nisi ea sit à parte rei, & coram Deo vera. Ita nominatim Bonacina *disp. 6. q. 1. p. 5. n. 27.* & Diana *Part. 5. Tract. 12. Resol.* 32. Ratio est, quia *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*, seu, ut loquitur S. Thom. *quantum prædicantur*, & non plus: quantum, inquam, sonant, conformiter menti, & prudenti arbitrio eas impertientis,

tientis, & adstringentis ad conditiones, & circumstantias, quæ ipsi placent, & quas judicat attendendas, sive nos judicemus, sive non judicemus. Idem tamen Diana *Part.* 10. *Tract.* 11. *Resol.* 34. contrariam aliorum sententiam vocat satis probabilem.

333 Si verò loquamur de reliquis Jubilei favoribus, tum pronuntiandum est, obtineri posse sequendo sententiam probabilem, esto ea sit à parte rei falsa. E. g. probabilissimum est, illum fieri Jubilei participem, qui partem operum præscriptorum perficit in peccato mortali, aut non omnia in una hebdomade: hæc ipsa sententia, etsi fortè à parte rei sit falsa, & proinde, qui ei se in praxi accommodat, non nanciscatur Indulgentiam Jubilei, seu relaxationem pœnæ suis peccatis debitæ; attamen quia probabiliter putatur adipisci, ideo valent absolutiones à reservatis, & censuris, commutationésque votorum factæ ex suppositione hujus probabilis sententiæ, ut rectè Diana *loc. cit.* Ratio est, quia quando est ob rationem, Doctorúmve authoritatè probabile, quòd alicui Sacerdoti competat facultas, seu potestas absolvendi, validè absolvit, esto, illa sententia sit à parte rei falsa; nam ad præcavenda maxima animorum damna, solet Ecclesia in eo casu tribuere Jurisdictionem, ut tenent plerique Doctores cum Cardinale de Lugo *Tom. 3. d. 19. sect. 2. §. 1.* Vide dicta Tomo priore *Tr. 7. n. 112. & seqq.* fusè.

334 Etsi autem unicè vera est opinio hodie communis, quòd scil. possit quis optima conscientiâ sequi quamlibet sententiam certò practicè probabilem, esto sit minùs probabilis, quàm opposita, sicut tamen Minister Sacramenti sæpe ex charitate, aut justitia obligatur cum proximo procedere, secundùm tutiores sententias, seu secundùm eas, secundùm quas certiùs obtinetur Sacramentum, ita etiam Confessarius tenetur quandoque tempore Jubilei, aut aliarum Indulgentiarum erga suum pœnitentem sequi tutiorem.

335 Quæst. CXVIII. *Estne tam facile Iubileum lucrari, ut pœnitens, aut Confessarius possit communiter, & nisi peculiaris ratio dubitandi occurrat, supponere probabiliter, Iubileum obtentum esse, vel obtentum iri?*

RESP. Etsi Navarrus *De Iubil. Notab.* 17. oratoriè probat, se non immeritò dubitare, ne plus satis verum sit id, quod ait Glossa singularis *Clement. 1. De Reliq. & venerat. Sanctorum*, scil. *paucos Indulgentias consequi*, quia tamen hactenus retuli tam multas probabiles opiniones, quæ facilitant conditiones requisitas, ad potiendum Jubilei omnibus favoribus, idcirco existimo Confessarium communiter, nisi quid omnino peculiare obstet, posse cum suo pœnitente quoad pœnitentiæ mitigationem, censurarum, votorúmque relaxationem procedere, perinde acsi revera sciret eum implêsse, vel impleturum esse omnes conditiones requisitas, adeóque lucraturum esse, vel jam lucratum fuisse jus ad favores Jubilei. Addo, idipsum posse prudenter credi à pœnitente, etsi rectè monent Reginaldus, Bonacina, & alii, illos crebrò sibi malè consulere, qui spe Jubilei obtenti vel obtinendi, negligunt, vel differunt opera satisfactoria. Sæpe enim fit, ut reipsa non obtineant, & proinde experiantur indirectè veritatem Regulæ 25. *in* 6. *Mora sua cuilibet est nociva.*

CAPVT XLV.

An delinquat, qui Iubileum negligit?

SUMMARIUM.

Negligens ex contemptu Iubileum peccat mortaliter. 336.
Negligens ex defidiâ delinquit venialiter. 337.
Per se loquendo non peccat, qui omittit lucrari non ex contemptu, aut negligentia, esto non suppetat ei causa peculiaris. 338.
Practicè tamen, & moraliter loquendo talis neglectus non caret aliquâ culpâ. Ibid.
Et sic intelligendus noster S. Fundator, cùm scripsit, non leviter delinquere, qui negligit Iubileum. Ibid.

Quæst. CXIX. *Estne reus alicujus peccati,* 336
qui, non conatur lucrari Iubileum, seu, qui omittit occasionem lucrandi Iubilei?

HANC quæstionem proponit, & solvit P. Suarez *Tom. 4. De Relig. L. 9.* De Instituto Societatis JESU c. 5. *n.* 14. occasione doctrinæ, quam S. N. Fundator Ignatius in aureo Exercitiorum Spiritualium libello tradit, dum sub initium agens de peccatis, pronuntiat, illum *non leviter* delinquere, qui monitiones Pontificum ad lucranda Jubilea adhortantium *aspernari audet, ac transgredi.* Ad quam quæstionem.

RESP. I. Qui ex contemptu, ut Lutherani, omittit lucrari Jubileum, delinquit mortaliter: nam est contemptus rei gravis.

II. Qui omittit ex causa gravi & rationabili, non delinquit; nam *ubi non est lex, nec prævaricatio.* ad Rom. 4.

III. Qui omittit ex negligentia, propriè dictâ, delinquit venialiter; quia negligentia propriè dicta est peccatum, ut latè explicat Cajetanus 2. 2. *q.* 186. *a.* 9. *ad* 4. ea quippe propriè est segnities, incuria, & torpor animi vitiosus. Quare non absolutè assentior Suarezio, neganti intercedere hîc peccatum, quandò intercedit sola negligentia. 337

IV. Secluso contemptu, & negligentiâ

propriè dictâ, non est per se peccatum omittere occasionem lucrandi Jubilei. Ita Suarez. Ratio est, quia non agitur tunc contra ullum præceptum, per se loquendo. Et facillimè hæc responsio defenditur ab iis, qui tenent, dari in individuo actus indifferentes.

338 V. Nihilominus moraliter loquendo, si homo sciens, ac videns, & directâ voluntate omittat Jubileum, vix fiet sine culpa aliqua; vel quia est quasi prodigalitas quædam bonorum spiritualium: vel quia turpis est pars, quæ non conformatur toti, quod etiam moraliter non sit sine aliquo scandalo: vel quia homo est nimis negligens in subveniendo spiritualiter communi bono, propter quod Jubileum concedítur. Igitur in hoc etiam sensu dici potest, *non leviter* peccari; nam ad hanc locutionem sufficit, quòd moraliter conjungatur culpa.

Illud autem, *non leviter*, non debet sumi pro peccato mortali, sed pro gravi, & non contemnendo veniali. Ita loquitur & resolvit sapienter Suar. *loc. cit. n.* 15. Vide alia nonnulla hanc in rem *Tom. priore*, seu in *Experientiis Theologicis Tract. 6. n.* 299.

CAPVT XLVI.

An mortuo Pontifice expiret gratia Iubilei?

SUMMARIUM.

Casus Pontificis mortui ante perfectam publicationem Iubilei ab ipso concessi. 339.

Si causa, ob quam indictus est Iubileus, persistat adhuc post mortem Pontificis, qui illum concessit, non desinit per se Iubileus. 340.

Id ipsum dic generatim de Indulgentiis aliis. 341.

Et Episcopus, qui nondum publicavit Iubileum, si ante publicationem intelligat obiisse Pontificem, nihilominus mandabit publicari. 341.

Quid verò agendum, quando non amplius subsistit causa, ob quam est impertitum Iubileum? 342.

Gratia facta, per accidens perit, mortuo concedente. Ibid.

Quid censendum de illis; qui ignoratâ morte Pontificis obiêrunt opera præscripta ab ipso, ob causam non amplius extantem? 344.

Quando publice ignoratur mors Episcopi valent ea, quæ post illam egit ejus Vicarius. 345.

Potestas delegati diutius durat, quàm potestas Vicarii Generalis. Ibid.

Omnes Confessarii electi per Bullam Iubilei sunt quidam delegati Pontificii. Ibid.

Quæst. CXX. *An mortuo Pontifice expiret gratia Iubilei?*

339 AD elucidationem Tituli præsentis Capitis, ac Responsionem sequentium præmitto hunc

CASUM RARUM

Omnes Antonius Fachinetus Presbyter Cardinalis tituli SS. Quatuor Coronatorum creatus Pontifex tertio Calend. Novemb. diêbus Innocentius Nonus, coronatus tertio Nonas Novemb. Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo primo, obiit tertio Calendas Ianuarii Anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi, adeòque vixit in Pontificatu duos duntaxat menses, quibus nondum exactis indixit pro more antecessorum Iubileum Universale, quod, ut testatur P. Paulus Comitolus noster in Responsis moralib. Lib. 1. quæst. 108. *multùm fatigavit ingenia Theologorum, eò quòd esset quidem illud Iubileum publicatum in quibusdam Diœcesibus adhuc superstite Innocentio, at nondum peracta omnia opera, in aliis verò ne quidem publicatum.*

Igitur disceptatum fuit acriter tam de harum, quàm de illarum Diœceseon incolis & subditis, an eo potiri possent, aut potuerint?

Ut resolutio hujus difficultatis sit utilior, hypothesin ad thesin reduco, & quæro: *An mortuo Pontifice expiret Iubileum ab ipso concessum?*

RESP. I. Si causa, ob quam concessus est 340 Jubileus, persistat post mortem Pontificis, & nil aliud peculiare obstet, persistere adhuc facultatem lucrandi Jubilei, perinde acsi viveret adhuc Pontifex. Ita sentit Comitolus *loc. cit. n.* 1. ego probo. Nam Jubileum est gratia facta: atqui gratia facta non expirat cum morte facientis seu concedentis, ut patet ex C. *Si super gratia. De offic. & potest. Legati.* Accedit Reg. 16. in 6. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.*

Hinc colliges primò, idipsum esse generatim dicendum de Indulgentiis, quòd videlicet jus eas lucrandi perseveret, nisi quid aliud obstet, etiam post mortem illius, qui eas concessit: idque est manifestum ex praxi. 341

Colliges secundò: si Ordinarii, qui nondum publicârunt Jubileum, intelligant mortem Pontificis, posse & debere nihilominus illum publicare, si, ut dixi, subsistat causa, ob quam est Pontifex Jubileum largitus, sicuti solet subsistere in plerisque Jubileis, & nominatim in Romanis, & aliis similibus illi, quem in Bulla 3. descripsi.

RESP. II. Si causa, ob quam Pontifex lar- 342 gitus est Jubileum, non subsistat post mortem illius, tum non posse, per se loquendo, post eam mortem obtineri illud Jubileum. Hanc responsionem tenet directè Comitolus *loc. cit.* & probat tum auctoritate præstantium Theologorum, qui de Jubileo Innocentii ita sensérunt,

sunt tum hac præcipua ratione, quia scil. non obtinetur Jubileum, nisi præstentur opera præscripta; atqui in casu, quem ponimus, ne quidem possunt ampliùs præstari opera præscripta. Declaratur ipsâ facti contingentiâ: nam Innocentius, ut & alii consueverunt Pontifices, sub initium sui Pontificatûs dederat Jubileum, præscribendo, ut eum lucrifacere volentes, peterent sibimet, Pontifici inquam, à Deo gratiam, ad Ecclesiam rectè gubernandam, hanc autem gratiam, non potuit quisquam prudenter petere mortuo jam Pontifice. Confirmatur tum ex iis, quæ de Intentionis necessitate dixi *n.* 77. & 79. tum quia, ut ait S. Thom. *in 4. dist.* 20. *a.* 5. *Remota causa removetur effectus.*

343 Nec obest, quòd ad probandam priorem responsionem dixerim, gratiam factam non expirare per mortem concedendis; nam ea doctrina vera est per se loquendo; per accidens autem potest esse falsa: quale accidens apparet tunc, cùm gratiæ factæ additur causa formaliter, vel virtualiter determinata ad tempus.

Hinc inferes, illos Episcopos, qui intellectâ morte Innocentii publicârunt Jubileum, non rectè fecisse; illos quoque non lucratos esse Jubileum, quibus erat quidem is ante mortem Pontificis publicatus, at pars operum pro eo præscriptorum peracta fuit primùm, postquam iis palàm innotuit obitus Papæ.

344 At inquies: *Quid censendum de illis, qui mortuo jam quidem Innocentio, at ejus morte nondum cognitâ, fuerunt vi Iubilei absoluti à censuris, & obtinuerunt commutationem unius voti?*

RESP. Etsi Comitolus *n.* 4. existimat, illas absolutiones, & commutationes fuisse invalidas, ego tamen censeo, contrarium posse probabiliter defendi. Probo 1. Quia ad evitanda animorum pericula consuevit Ecclesia Jurisdictionem dare etiam iis, qui eam non habent, si videlicet adsit error publicus, & adsit aliquis titulus; ut latè ostendit & declarat Sanchez *Lib. 3. De Matrim. disp.* 37. dixique *n.* 243. Sequitur quippe Ecclesia dispositionem juris civilis, indicatam L. *Barbarius.* ff. De Offic. Prætoris, ut probavimus Tom. priore *Tract.* 7. *Cas.* 3. *num.* 107. Atqui in nostro casu intervenit error publicus & communis, ut supponimus; adéstque in Confessariis titulus delega- 345 tionis Pontificiæ. Ergo. Probo 2. Quia eadem est potestas Vicarii Generalis, quæ Episcopi, ut proinde mortuo Episcopo mox expiret potestas Vicarii Generalis, & quidem in causis jam cœptis ut videre est apud DD. nominatim Sanch. *loc. cit. disp.* 30. & tamen docent Henriq. *Lib.* 3. *De Pœnit. c.* 3. & Lessius *Lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 8. *num.* 67. quamdiu publicè ignoratur mors Episcopi, valere acta Vicarii, & dimissorias literas ab eo datas; ergo longè probabilius est, valere absolutiones & commutationes post mortem Pontificis factas in locis, in quibus ea communiter ignoratur, esto sint factæ vi Jubilei per se jam quasi extincti, & non ampliùs valentis; nam potestas Delegati, post mortem Delegantis diutius ex dispositione juris durat, quàm potestas Vicarii, siquidem etiam post cognitam mortem Delegantis perseverat usque ad finem causæ ante ejusdem Delegantis obitum cognitum cœptæ, Cap. *Gratum.* De offic. Deleg. & Ibid. Henricus Wangnereck non item potestas Vicarii Generalis. Atqui omnes Confessarii per Bullam Jubilei electi, sunt quasi quidam Delegati Pontificii; nam authoritate Pontificis absolvunt à censuris & commutant vota. Dico: *quæ*, nec enim in iis reperitur Dignitas, quæ reperitur in propriè, & absolutè Delegatis C. *Statutum.* De Rescript. in 6. Sed hoc non obest, quò minùs procedat argumentum: etenim potest & debet nihilominus habere locum id, quod dicitur L. *Idem.* ff. De Leg. Aquil. *Vbi est eadem ratio, ibi est eadem juris dispositio.*

Sed contra resolutionem, quam *n.* 342. de- 346 di applicavíque Jubileo Innocentii Noni, replicari potest, causam quidem partialem concessi Jubilei corruisse sublato è vivis Innocentio, non verò adæquatam; etsi enim impertiverat illud Jubileum eo fine, ut fideles impetrarent sibi à Deo gratiam, *qua omnia ejus Consilia, & actiones in Divini nominis Gloriam, fidelitumque, atque animæ suæ salutem dirigerentur*, sicut post ipsum paulò post suam coronationem expressit Clemens IX. in Bulla, qua Ann. 1667. & Clem. X. Ann. 1670. Jubileum indixit, nihilominus tamen junxit huic intentioni aliam, ut scilicet *Deus religionem Christianam propagare, fidem Catholicam protegere, hæreses extirpare, ac pacem, & veram concordiam inter Principes Christianos conservare, & si ubi excidisset, suaviter restituere, atque firmiter solidare dignaretur*, quemadmodum loquitur idem Clemens IX. in eadem Bulla, & ferè Clemens X. etiam in sua. Quibus sanè verbis, non unus, sed plures indicti Jubilei fines, iique à primo diversi exprimuntur. Sicuti ergo licèt causa una, ob quam lex aliqua sancita est, corruat, non idcirco corruit lex, quando aliæ maximi momenti persistunt, ita etiam licèt prima causa, ob quam Innocentius IX. largitus fuit Jubileum, cessarit cessante ejus vita, non tamen idcirco debuit cessare gratia Jubilei, subsistentibus adhuc tot aliis causis, iisque gravissimis.

Ad hoc argumentum respondetur primò, 347 non subsistere argumentationem à Lege, ad Bullam Jubileam, idcirco, quòd lex non præcipiat executionem alicujus operis, ex quo pendeat jus legis, at verò Bulla Jubilea præcipit, seu præscribit semper plura opera, à quorum executione pendet gratia, favórque Bullæ, sicuti declaravimus supra *cap.* 11. ex Communi

sensu

sensu Doctorum. Atqui mortuo Pontifice nequeunt fundi preces, quibus exoretur ipsi gratia sanctè regendi Ecclesiam. Respondetur secundò, cessante causa legis primaria, atque verè finali cessare etiam legem, esto. persistant aliæ causæ accidentariæ, secundariæ, & impulsivæ: Doctores *In Tractatu De Legibus*. Atqui primaria, veréque finalis causa, ob quam Innocentius edidit illam Bullam, erat impetratio Divini Auxilii pro salutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine, quemadmodum habere solet Rubrica, seu titulus Bullarum editarum initio aditi Pontificatûs, & à qua Rubrica desumitur omnino principalis, atque essentialis finis legis. DD. cum Eman. Rodriq. *Quæstion. Regul. Tom. 1. q. 11. a. 6.*

Appendicula Mortualis.

Mortualem voco, quia morti Innocentii Noni jungit suprema facta Clementis X. de quo toties hîc nobis sermo; siquidem hic ipse Pontifex quarto Julii Ann. 1676. expedivit quidem Bullam Jubilei, de qua *Cap. quinquagesimo*, pro hac Diœcesi Constant. at è vivis sublatus fuit die. ejusdem mensis, fortè etiam aliquibus Diœcesibus eandem gratiam largitus duobus, tribus aut quatuor diebus antequam apoplexia tactus excederet è vivis; *obfuitne illa mors Episcopatibus ad quos pervenit aut promulgata fuit primùm post ejus obitum cognitum, aut non cognitum*? Respondi interrogatus nihil prorsus obfuisse, quandoquidem causa, ob quam prodiit illud Jubileum integerrimè persistere pergebat; ergo locum habebat responsio data suprà *n.* 340.

CAPVT XLVII.

Expediatne crebrò Iubilei gratias impertiri populo Christiano?

348 Quæst. CXXI. *Estne ex honore Dei, & bono animarum, ut supremus Ecclesiæ Oeconomus thesaurum frequenter aperiat, Jubileique gratias largiatur*?

RESP. Testatur Henriquez *Lib. 7. c. 13. n. 6. & 8.* sua ætate Jubileum recurrisse quolibet septennio, imò ferè quot Annis, & ideo murmurâsse Sotum; sed meritò illum reprehendit Henriq. Usus enim apertè docet, plurimùm animarum saluti prodesse frequentes Jubileorum publicationes, utpote in quibus solent permultæ egregiæ actiones à Christianis elici, exonerarique Conscientiæ immanibus ponderibus flagitiorum, quibus miserabiliter premebantur Annos bene multos, quemadmodum fatebuntur unà mecum omnes longo usu docti Confessarii. Adde varia dona cœlestia, quæ Misericordiarum Pater non potest non liberalissimè elargiri suæ electæ plebi, toties concordi animo preces ferventissimas conjungenti. Quare commendanda est Sedis Apostolicæ hoc in genere Liberalitas, Jubileique gratiâ ita utendum, ut æterno lætissimóque cum Jubileo, eâ nos esse usos meminerimus, gaudeamus.

CAPVT XLVIII.

Accuratior Disceptatio de favoribus annexis Indulgentiæ Anni Sancti.

SUMMARIUM.

Proponuntur tres quæstiones principales discutiendæ toto hoc capite. 349.
Bulla Innocentii X. de Iubileo Anni Sancti intelligenda est eo sensu, quo aliæ priores de hac ipsa materia. 350.
Omnino probabile est, fuisse ante Innocentium X. annexos Indulgentiæ Anni Sancti favores circa absolutionem à reservatis, ac censuris, votorumque commutationem. 351.
Probatur ex Iure Canonico. Ibid.
Et facto Sixti Quarti. 352.
Et Auctoritate Doctorum. 353. & 354.
Est tamen etiam probabile, quòd antiquitus non fuerit etiam tunc plus concessum, quàm sola formaliter Indulgentia. 355.
Sicut è diverso probabile, quod Innocentius X. concesserit alios favores præter Indulgentiam. 357.
Tametsi oppositum est propè certum. 358.
Probatur testimonio Dianæ, atque Cardinalis de Lugo. 359.
Et literis unius tunc Romæ degentis. 360.
Literis quoque P. Martini de Esparza etsi olim alieni ab hoc oppositо. 361.
Ac judicio, relationéque aliorum quatuor Theologorum. 362. & 363.
An foret incusandus temeritatis, qui futuro Anno M. DC. LXXV. sequeretur sine novâ declaratione opinionem de gratiis Anni Sancti benigniorem? 364.

349 SCripsi in Præfatione, me ad finem hujus Tractatûs discussurum tres quæstiones, seriò agitatas primùm, postquam hic Liber fuit primo prælo liberatus; indicavi quoque causam, ob quam potiùs distulerim ad hunc locum quàm inseruerim, seu, immiscuerim aliquanto opportunioribus. Prima earum quæstionum est hæc: *An illi favores, quos expressi ipse suprà c. 3. n. 12. revera fuerint Anno 1650. conteste iis, qui Romæ adepti sunt Iubileum Anni Sancti, & consequenter an si Bulla, qua indicetur Iubileus adventantis Anni 1675. non consectetur clausulis diversis ab ea, quam exhibuimus primo loco ad initium hujus Tractatûs, possint, debeántque*

que Confessarii Romani erga suos pœnitentes se gerere, perinde, ac si in ea Bulla fieret expressa vel concessio, vel negatio illorum tam magnorum favorum. Non equidem me latet, eos habituros ad manum oracula viva, è quibus possint certiùs, quàm ex hoc Tractatu cognoscere veritatem, nihilominus tamen videor non acturus actum, si protulero nunc in medium ea, quæ tum de illa ipsa Indulgentia Anno 1650. tum de priorum Annorum Sanctorum didici, à vivis & mortuis. Altera quæstio est: *An Indulgentia Anni Sancti obtenta semel, possit deinde per totam vitam sæpius acquiri*? Tertia est: *Quomodo intelligenda clausulæ Iubilei, quod solet ad instantiam Episcoporum impertiri immediatè post Annum Sanctum*? Duas posteriores quæstiones expediemus *cap.* 49. & 50. primam præsenti. Sit igitur in nomine Domini hæc ordine

350 Quæst. CXXII. *An revera fuerint Indulgentiæ Iubilei Universalis Anni* 1650. *annexi favores, qui solent comitari Indulgentiam plenariam Iubilæorum Extraordinariorum, & insuper unus adhuc alius*?

Antequam promam meum de hac quæstione judicium, proponam argumenta, quæ videntur fulcire & affirmativam, & negativam responsionem; sed priùs suppono, vix nobis suppetere sufficientem rationem dubitandi, quin Bulla Innocentii X. de qua instituitur, præsens dissertatio, sit intelligenda eo sensu quo priores pro Annis Sanctis Bullæ, constantes iisdem clausulis, quibus postrema hæc: tum quia Pontifex in dubio præsumitur vestigia suorum Antecessorum sequi. Cap. *Verùm. De Iurejur.* & reipsa ipsemet Innocentius in prima Bulla *§. Nos interim* profitetur, se suorum Antecessorum vestigiis inhærere, tum quia quod in Lege posteriore omissum est, censetur esse relictum dispositioni priorum *Text.* in L. *Præcipimus Cod. de Appell.* tum denique quia jura juribus concordanda sunt Cap. *Cùm expediat. De Elect. in* 6.

Igitur vix dubitandum est, quin Doctores, qui ante Bullam Innocentii X. scripserunt, prædictos favores esse annexos Indulgentiæ Jubilææ, & rationes, quibus hi sunt nixi, faciant etiam pro Indulgentia Innocentii, & econtra: est igitur nobis dispiciendum. 1. *Quid fuerit in Iubileis Anni Sancti ante Innocentium X. factitatum in hoc genere ex sensu, & interpretatione eruditorum*? 2. *Quidnam viri docti senserint speciatim de Iubileo Innocentii*? 3. *Quid proinde videatur esse verosimiliùs pronunciandum de illo ipso Iubileo, seu de asserta negatáve concessione favorum ipsi conjunctorum*?

351 Dico igitur I. Omnino probabile est, fuisse ante Innocentium X. annexos Indulgentiæ Anni Sancti favores circa absolutionem à peccatis, ac censuris, votorúmque commutationem, (de potestate dispensandi circa ablata incerta, de quibus suprà *n.* 12. nolim quidquam asserere, ob causam adferendam infrà *n.* 364.) Probatur imprimis authoritate, ac facto ipsius Bonifacii VII. Etenim Joannes Monachus, seu Glossa ordinaria, Extravag. *Antiquorum. De pœnit. & remiss.* verb. *plenissimâ* testatur, Bonifacium VIII. in Consistorio Cardinalium, cui ipse Joannes Monachus, utpote & ipse Purpuratus intererat, declarâsse, secundum pro Jubileo Anni Sancti impertiit Indulgentiam, non solùm *plenariam*, & *largiorem* sed etiam *plenissimam* largitum esse adeò plenam, prout Clavium potestas se extendit.

Quam quidem declarationem non modò approbat, ut par est, ipsa Glossa, & Gregorius Tolosanus Partit. *Lib. 1. Tit. 17. cap. 2.* sed insuper eadem Glossa *loc. cit.* verb. *confitebuntur* vers. *dixit etiam*, præmiserat, eundem Papam declarâsse, posse votorum non exceptorum commutationem obtineri vi Jubilei à se indicti, ergo potuit etiam obtineri in Jubileis postea secutis, siquidem declaratio authentica extenditur ad omnes casus similes, etiam futuros tanquam si lex ab initio cum tali interpretatione fuisset promulgata. text. express. in authent. *De mulliere rapt. passâ.*

Probatur deinde facto Sixti IV. in extravag. 352
Quemadmodum De pœnit. & remiss. ubi suspendit potestatem eligendi Confessarium, qui à reservatis absolvat, vota commutét &c. & quidem idcirco, *ne Annus Iubileus intermittatur* ut exprimit ipse Pontifex; atqui Annus Jubileus, seu accursus ad lucrandum Romæ Indulgentiam Anni Jubilei non intermitteretur perseverantibus extra Urbem dictis facultatibus, nisi possent Romæ obtineri vi Jubilei.

Tertiò Clemens VIII. Urbanus VIII. Innocentius X. in Bullis, quibus extra urbem Romanam partim durante adhuc Anno Sancto, partim immediatè post eum exactum, prorogantes ipsummet Annum Sanctum expressè impertiti sunt ultra Indulgentiam plenariam favores indicatos suprà *c. 6.* indicandósque infrà *c. 50.* ita ut Indulgentia Anni Sancti fuerit ipso Anno Sancto instar fontis, Anno sequenti instar rivi, quis autem credat fuisse minus in fonte, quàm in rivo?

Quartò retuli *cap. 1. num. 4.* insignes scri- 353
ptores, approbantes expressè, vel implicitè descriptionem Jubilei *num. 4* productam ex Lezana, quibus junge Coriolanum *Part. 1. sect. 3. n. 13.* disertè pronunciantem *semper in Annis Iubileis* concedi facultatem absolvendi à reservatis.

Quintò cùm sint à peregrinis, qui ad Urbem invitantur solenniter, exantlandæ molestiæ, perficienda opera decuplo, centuplo, imò à quibusdam millecuplo difficiliora, quàm in communibus Iubileis Extraordinariis, imò

quàm

quàm in illis ipsis, quibus participatur per extensionem ipsemet Jubileus Romanus, & de quibus tractavimus suprà, *cap. 6.* tractabimúsque *cap.* 50. quis facilè credat, minus favoris impertiri hospitibus tam charis, & pretiosis, quam iis, qui vix pedem efferre è domo coguntur? Unusquisque plus merebitur, qui Basilicas frequentius visitabit. Extravag. *Antiquorum De pœnit. & remiss.*

354 Sextò denique confirmatur probabilitas nostræ conclusionis authoritate Theologorum signatè loquentium de Anno Sancto, quos inter sunt Bossius, Lavorius, & alii teste Pasqualigo in Theoria, & praxi Jubilei Anni Sancti *q.* 128. *&* 175. est & Ferdinandus de Castro Palao *Part.* 4. *Tr.* 24. *p.* 12. *n.* 5. ubi in terminis scribit, & argumento, quo sumus usi loco secundo, probat, conjungi cum Indulgentia Anni Sancti illas prærogativas, quas expressimus suprà *n.* 12. *resp.* 2.

Adde his Georgium de Rhodes, qui disputation. *Theolog. Tom.* 2. *disp.* 2. De Pœnit. *q.* 5. *sect.* 5. §. 3. inter cæteras prærogativas, quibus Jubileus Anni Sancti superat omnes vulgares Indulgentias, ponit tertio loco hanc: *Privilegia plurima, ut à quolibet Confessario à reservatis possit quilibet, & in plerisque votis, dispensationem obtinere.* Consentit his ipsis etsi à se non nominatis P. Andreas Mohr in Portiuncula Theologica *Particulâ* 1. *c.* 2. *dub.* 1. me referens.

355 Dico nihilominus II. Est etiam probabile, in ipsomet Anno Sancto solere concedi solam plenam remissionem peccatorum. Ita sentit Illuminatus Moronus, *Resol.* 94. *n.* 87. absolutè negans, dari in Anno Sancto Jubileo facultatem absolvendi à reservatis, votáque commutandi, eò quòd tanta facultas non sit asseveranda, nisi reperiatur expressa. Ejusdem opinionis sunt, quos referam pro Conclusione quarta.

Probatur in primis authoritate plerorumque Summorum Pontificum, impertientium Jubilea duarum hebdomadarum, consueverunt enim Pontifices, ut jam observavi *cap.* 7. *n.* 33. postquam concesserunt Indulgentiam, *sicut in Anno visitantibus quatuor Ecclesias*, subjicere, se *insuper* ut e. g. Alexander VII. in Bulla Anno 1664. aut *cupientes, ut omnes fideles fiant participes tanti Thesauri*, concedere, ut eligant Confessarium; ergo potestas eligendi talem, non includitur in Indulgentia Anni Sancti; nam & clausula; *insuper*, est idem quod *ultra*, seu *ulterius*, atque importat diversitatem à præcedente, uti in simili observavi Tomo priore *Tract.* 7. *Cas.* 19. *n.* 606. ergo concessio quærendi, seu eligendi Confessarium orta ex desiderio, ut fideles ditentur Indulgentiâ, indicat, illam eligendi facultatem non subintelligi sub acquisitione Indulgentiæ.

Deinde Sixtus IV. in Bulla incipiente: *Sacrosanctæ Religionis vestræ*; quæ est apud Rodriq. XLV. alloquens Cistertienses, suo multiplici merito Sedi Apostolicæ meritò charos; eisque impertiens *Sanctissimum* (id est Anni Sancti) *Iubileum*, ac simul explicans, quid sit Jubileus Anni Sancti, nullam facit mentionem illius duplicis facultatis, dicit enim: *Remissionem omnium peccatorum de quibus corde contriti, & ore Confessi fueritis, plenariam remissionem, nec non Sanctissimum Iubileum, sive* (en explicationem) *omnes, & singulas Indulgentias, & plenariam omnium peccatorum remissionem fidelibus Anno Iubilei Romam venientibus &c. concessas impertimur.* Tertiò probabilitatem eidem responso generant ultra Moronum suprà citatum illi, quos referam Conclusione quartâ. 356

Dico III. Non est omnino improbabile, 357 fuisse in ultimo Anno Jubileo Anni Sancti, adeóque Anno 1650. ultra Indulgentiam plenariam fas eligere Confessarium pro obtinenda absolutione, commutationéque votorum, consuetâ in Jubileis duarum hebdomadarum. Ducor 1. quia probabile est, hanc facultatem viguisse in prioribus Jubileis Anni Sancti. Suprà *n.* 350. ergo cùm Innocentius X. in sua Bulla non declaraverit contrarium, non est improbabile, fuisse secutum vestigia suorum Antecessorum.

Ducor deinde, quia P. Georgius de Rhodes misit in lucem suas doctissimas disputationes Theologicas primùm post Annum quinquagesimum hujus sæculi, & tamen scripsit de Jubileo Anni Sancti generatim id, quod ex ipso retuli suprà *n.* 354. Legi quoque ipso Anno 1650. libellum lingua Italica conscriptum à viro Theologo, in quo tradens modum, & rationem practicam potiundi Jubileo illius Anni Sancti, sine cunctatione, & limitatione asserit, permissam esse electionem Confessarii, qui absolvat à quibusvis peccatis, & vota commutet. Quin testatur Diana *Part.* 16. *Tract.* 18. *Res.* 5. *sub med.* quosdam Confessarios reipsa practicâsse, absque ullo alio privilegio id, quod ipsis permissum esse jam primùm retuli ex scriptore Italico.

Dico nihilominus IV. esse propemodum 358 certum, quòd Innocentius X. non intenderit lucraturis suum Jubileum largiri plus quàm Indulgentiam, seu remissionem omnium omnino peccatorum quoad reatum culpæ deletorum; adeóque nequaquam voluisse vi sui Jubilei vel dari ullam absolutionem extraordinariam, vel fieri commutationem votorum &c. Rationem hujus certitudinis vel quasi nullam habeo, nisi petitam partim ex illo principio, quòd Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, ut explicabo Tract. seq. *c.* 5. *n.* 43. partim ab authoritate fide dignissimorum, quos utique non latuisset illa Innocentiana gratia, si

si verè facta fuisset, & tamen inficiati sunt esse factam.

359 Primus est, quem jam primùm nominavi, Diana; etenim *loc. cit.* sic loquitur: *Ex his* (quæ ipse describit illic ex me citato ad longum) *Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo, & ego in quodam examine Episcoporum coram S. D. N.* (Innocentio X.) *rectè diximus, malè quosdam Confessarios Anni Iubilei* 1651. (imprimi debuit 1650.) *absque alio privilegio absolvisse à casibus Papalibus, dispensásse in votis &c. non enim habebant authoritatem hoc faciendi ex vi Iubilei Anni Sancti.* En, pro uno teste habemus duos, imò tres; etenim Innocentius silentio, quo fuit usus, audiendo illam crisin, incusationémque talium Confessariorum, videtur eam approbâsse, & consensisse juxta vulgatissimam Regulâ: *Qui tacet* &c. Si illa censura Cardinalis, & Dianæ fuit iniqua, revera tenebatur Innocentius corrigere utrumque: cedebat enim in non sanè leve detrimentum animarum.

360 Alter aut tertius potiùs testis, qui adhuc inter vivos degebat, dum hæc inserebam alteri Editioni, est noster P. Nicolaus Wysing, qui cùm Romæ ageret Revisorem librorum, à me interrogatus literis: An, & quæ facultates essent reipsa annexæ ipsi Jubileo Anni Sancti? de quo tam multa scripseram in hoc Tractatu. Respondit hisce formalibus: *De facultatibus nupero Iubileo annexis iterum interrogavi plures, etiam ex Pœnitentiariis, qui ajunt, nullam in praxi fuisse usurpatam facultatem vel absolvendi à censuris, aut casibus reservatis, vel commutandi vota, nisi eam, quæ extra Iubileum in similibus erat concessa. Imò est, qui mihi dixit, negatam in re simili facultatem absolvendi uni, qui putaverat, eandem sibi vi Iubilei competere, pro securitate tamen ad superioris interpretationem recurrerat. Romæ* 13. *Martii Anno* 1652. Ita ille Pater idcirco usus copulativa particula *Iterum*, quòd cùm Anno 1650. die 24. Julii scripsisset; *In hoc ultimo Iubileo nulla prorsus facultas dispensandi, absolvendi &c. addita fuit*; & die 2. Decembris ejusdem Anni. *In ultimo Iubileo nulla talis facultas dispensandi fuit communiter concessa*, ego rogâram, ut interrogaret plures, qui de praxi testari possent, quod ubi præstitit, reddidit illas, quas descripsi.

361 Quartus testis est emeritus Theologus Romanus R. P. Martinus de Esparza, quem cùm pridem cognovissem fuisse ipso Anno Sancto, quo Romani Collegii Cathedram Theologicam ornabat docendo, ejusdem opinionis, quam mihi placuisse expressi suprà *n.* 12. arbitratus sum, non posse me à quoquam edoceri de communi sensu sapientum Romanorum certiùs simul, & fideliùs, quàm ab ipso. Quare dedi 8. Aprilis Anni 1669. literas ad ipsum orans; ut verbulo mihi indicaret, quid ipse jam sentiret. Mox verò, qua est is humanitate, respondit in hæc verba. *Incredibile equidem mihi visum fuit, & prorsus valde mirabile, non tantundem, ut minimus, concedi in Iubileo Anni Sancti Confessoribus, & pœnitentibus pro maximo, ac celeberrimo Iubileo, quantum eis concedi solet pro extraordinariis, quibusvis aliis Iubileis. Cæterùm legenti, & relegenti Bullam prædicti Iubilei apparet clarè, in ea minimè contineri potestatem pro reservatis, atque interrogatis variis æstimatis à me peritioribus circa praxin, omnes stringunt humeros, & uno ore respondent: Quod non est in Bulla, non potest esse in praxi, nec mihi aliud, quod respondeam occurrit. Romæ* 4. *Maji, Anno* 1669.

Consentit, & Cotonius *celebr. controvers.* 362 *Lib.* 2. *Controv.* 12. *n.* 25. ubi loquens de Bulla Innocentii rotundè scribit: Patere ex verbis, non esse concessos illos favores. Ferdinandus verò Hauckius scriptor recentissimus *De Iubil. n.* 50. sic ait: In Jubileo Anni Sancti tam in Extravag. quàm in Bulla Urbani VIII. nulla fit mentio, neque de Confessario eligendo, neque de casibus. Romæ tamen deputantur plures cum facultate omniú casuum Papalium etiam Bullæ Cœnæ Domini, exceptis duobus, vel tribus.

Præterea cùm Zacharias Pasqualigus *in Theoria, & praxi Iubilei* sit totus in enumerandis, amplificandis gratiis prædicti Anni Sancti, non audet tamen illam duplicem, aut triplicem facultatem ei attribuere, sed quæstionem 275. concludit his verbis. *Quando ista gratia non exprimitur, investiganda est mens Summi Pontificis, eò quòd pendeat ab ejus voluntate.*

At quid si ipsemet Pasqualigus interrogâsset 363 Innocentium? *Quale fuisset responsum relaturus?* Probabilissimè simile illi, cujus me certiorem fecit is, de quo plura capite sequenti, R. P. Henricus Lamparter, qui cùm & ipse Comitiorum Generalium causâ fuisset Annis 1651. & 1652. versatus Romæ, reversus inde scripsit mihi in hæc verba: *De aliis gratiis Indulgentiæ Anni Sancti annecti solitis S. D. N. rogatus, expressè negavit, se illas concedere.* Hoc testimonium æquat fide priora, superat directâ efficacitate omnia; si enim ipsemet Papa expressè id negavit, nulla argumentatione opus est, ad probandum meam, meorúmque Asseclarum aut Antecessorum benigniorem opinionem fuisse meram divinationem.

Postremò hæc ipsa negatio talium gratiarum fuit ita indubitata cuidam alteri Romano multarum palmarum Theologo; ut cùm non valeret capere, quo pacto prudenter credi posset, non esse factam in Año Sancto ab Innocentio X. aliquam, ut sic loquar, compensationem illarum gratiarum, ne alioqui peregrini plenissimi spe comparandi thesauri æquè saltem pretiosi, atque est, cum suis Ap-

pendicibus, Indulgentia Extraordinariorum Jubileorum, excogitârit novam de Indulgentia Anni Sancti, inauditámque in Ecclesia Dei sententiam, à nobis capite sequenti proponendam, de qua quidem sententia ne quidem hiscere ausus fuisset, si compertam habuisset illam annexionem duplicis, aut triplicis indulti, habuisset autem compertissimam, si impertita fuisset, quandoquidem ipse tunc Romæ comorans accuratè inquisivit in rei veritatem.

364 Hæc omnia simul considerata pariunt moralem ferè certitudinem, aut summam probabilitatem conclusioni, quam statuimus *n.* 358. ac proinde si contingat emanare pro Jubileo futuri Anni 1675. Bullam omnino similem Innocentianæ, Urbanæ, & Clementinæ, vix evasurum temeritatis notam Confessarium, qui sine ulla declaratione Pontificia assumeret jus in censuras, casus reservatos, & vota, multò minùs, si in compositionem illam, de qua fui ex opinione nostri Doctissimi P. Palai locutus, *c.* 4. *n.* 12. & quam nunc non admitto, videns tam multos, qui ante, & post Palaum scripsêre de Anno Sancto, dissimulare illam compositionem.

Dixi autem, nostram conclusionem quartam esse nunc propè certam certitudine morali, nec enim ausim pronuntiare esse omnino certam, cùm & ab ea tam multi dissentiant graves scriptores, & rationes pro se habeant perbonas, & contrariis possit prudenti responso, atque solutione satisfieri. Si R. P. Lamparter scripsisset mihi, se ex ore ipsiusmet Papæ audivisse, quod de eo testatus est ex relatione aliena, foret mihi eius testimonium loco duorum, atque ideo in ore, aut calamo illius unius staret meum verbum, meáq; finalis responsio.

Appendix novissimæ gratiæ Pontificiæ.

Quæ hîc repræsentavi, atque Anno 1670. in publicum dedi cum approbatione illorum, qui spongiam in manibus habebant, haud equidem omnia præcisè, ut hîc jacent, dedissem, si Innocentius X. cujus Bullam Jubileam explicabam, judicâsset esse à se illi Bullæ publicè adjiciendas gratias, & declarationes, quas adjecit suæ omnino simillimæ Clemens itidem X. celebrandus in posterum, & meritò calamis omnium, qui scripturi sunt de favoribus annexis triplici Bullæ, primæ, qua indicitur Jubileum Romanum; Alteri, qua suspenduntur Indulgentiæ occasione illius Bullæ; Tertiæ, qua Jubileum Romanum extendi solet ad Episcopatus intra extráque Italiam sitos. Suspensivæ transumptum, hîc propono oculis Lectoris ex Italico typis Romanis excuso conversum Romæ in Latinam linguam, atque inde Lauretum, Laureto ad me transmissum, hoc verborum tenore.

Notificatio gratiarum, & Declarationum factarum à Sanctissimo Domino Nostro Papa Clemente X. occasione præsentis Jubilei, Anni Sancti &c.

Caspar, Tituli Sancti Sylvestri in capite S. R. E. Presb. Cardinalis Carpineus S.D.N. Papæ Vicarius Generalis.

Cùm Sanctitas Domini nostri, a (*prout nobis vivæ vocis oraculo mandavit, cupiat magis dilatari gratias concessas omnibus illis, qui convenerunt, veniátque Romam, consecuturi plenissimum Jubileum hujus Anni Sancti, mandavit nobis exponere infrà scriptas concessiones, declarando* b *etiam illa, quæ in dubio erant, aut vocabantur, non sine fidelium turbatione & scrupulis conscientiarum, quarum paci & quieti consulturus Summus Pontifex hæc statuit.* c *Ut itaque Confessarii, & operarii multiplicentur ad majorem commoditatem, & consolationem fidelium utriusque sexus* d *in omni plenitudine paternæ charitatis, concedit amplam facultatem Pœnitentiariis Basilicarum D. Petri, S. Pauli, S. Ioannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris, sive illi sint ex numero antehac esse soliti, sive ex jam auctо, & deinceps augendo. Ad hæc eadem facultas* e *Parochis tam secularibus, quàm Regularibus omnium Parochiarum Romæ (durante tamen Jubileo Anni Sancti) absolvendi videlicet in ordine ad lucrandum præsens Jubileum fideles ab omnibus sententiis, & censuris Ecclesiasticis, contra illos pronunciatis, & fulminatis à sacris Canonibus, aut Iudicibus, quacunque de causa: & ab omnibus peccatis, & excessibus, ac delictis quantumcunque gravibus & enormibus: etiam à casibus reservatis non solùm ab Episcopis, aut aliàs à Prælatis inferioribus* f *verùm etiam à Pontifice ipso, & à Sede Apostolicâ, etiam in Bulla* g *Cœnæ Domini, & in aliis* g *quibuscunque constitutionibus* h *Summorum* h *Pontificum, in foro conscientiæ tantùm: ut tamen sua Sanctitas declaret* i *se non intelligere* i *aut dispensare, nec dare facultatem dispensandi, aut habilitandi, & in pristinum statum restituendi, quæ ad Irregularitatem publicam, aut occultam; vel notam, defectum, incapacitatem, & inhabilitatem, quomodocunque* k *contractam, spectant, ne quidem in foro conscientiæ* l *neque vult sua Sanctitas ut præsens* l *facultas illis suffragetur, qui à Summo Pontifice, aut Iudicibus Apostolicis; vel aliis Ecclesiasticis excommunicati suspensi, vel interdicti sunt declarati vel publicè denunciati, ob sententias, & censuras Ecclesiasticas, quas incurrerunt; ita ut si omnes absolvi non possint,* m *nisi prius* m *satisfecerint aut obediverint, & partes sibi contrarias pacificas antè reddiderint. Ita ut iidem Pœnitentiarii & Parochi durante hoc Anno Iubilei Sancto, commutare* n n *omnia vota (exceptis Castitatis, & Religionis) in alia opera pia, imponendo nihilominus hisce fidelibus, & quibusque aliis pœnitentiam salutarem, & alia opera pia, quæ iidem Confessarii præscribent, possint.*

o *Concedit pariter sua Sanctitas Confessariis Religiosis, Regularibus cujuscunque Ordinis, Congregationis & Instituti, qui à nobis, vel à nostro vices gerente sunt approbati, aut deinceps approbabuntur; eandem facultatem paulò antè explicatam absolvendi à censuris, & casibus reservatis, commutandi* p *vota, modò* p *non ea sint substantialia Religionum, Ordinum, institutorum: imò & Religiosis Confessariis eadem datur facultas respectu* q *sui Ordinis: & illis æquè, qui modo Romæ versantur, quàm illis, qui huc sunt venturi hoc Anno Sancto, ad quem se extendit tantùm hæc facultas.*

r r *Ut etiam facilitetur iisdem Religiosis consecutio Anni Sancti, & Jubilei, tantique thesauri spiritualium gratiarum, & ut illi suo exemplo populum ædificent, compareántque debito cum decore, qui decet personas Deo dicatas; significatur eisdem, suam Sanctitatem contentam esse, ut illi visitent quatuor assignatas Ecclesias ter, tribus diebus continuis, aut interpolatis unà simul, aut quoad majorem partem, euntes & incedentes, respectu eorum, qui in eodem Conventu aut Domicilio versentur; & sic consequantur Sanctissimum Jubileum, ac si visitâssent eadem Ecclesias triginta vicibus, aut diebus; ut tamen observentur cætera, quæ in Bulla Jubilei continentur. Hortamur & nos eosdem Religiosos in Domino: ut incedant servato Ordine, quàm modestissimè, recitantes Psalmos, vel alias preces, & laudes divinas decantantes.*

s s *Idem indultum, ut visitentur tamen quatuor diebus continuis, aut interpolatis eadem Ecclesia, concedit Summus Pontifex etiam Alumnis, & convictoribus juvenibus, qui operam dant scientiis, & liberalibus artibus, & vivunt in eodem convictu; modò & illi eant saltem quoad mediam partem, quos comitabitur Præfectus, aut Rector, vel alii, qui eisdem præsunt, ut eadem gratia fiat iisdem Præfectis, Magistris & famulis, monentur tamen hi omnes, ut servent modestiam, & ordinem inter eundum, orantes, vel pium quid tractantes.* t *Regulares verò aliunde* t *huc profecti ad lucrandum Jubileum Sanctum, si voluerint se conjungere aliis suæ Religionis, habebunt eandem facultatem, & lucrabuntur Indulgentias, si eodem modo ter visitaverint Ecclesias suprà dicto modo. Si verò non possent expectare aliorum commoditatem; aut advenirent, cùm alii lucrati sunt Indulgentias, concedit sua Sanctitas, ut illi quinquies visitando Ecclesias per quinque continuos aut interpolatos dies lucrentur easdem Indulgentias, quas fuissent lucrati visitando per quindecim dies, easdem Ecclesias, prout Bulla præscribit.* u *Conceditur etiam Congregationibus* u *& Confraternitatibus, quæ aliunde huc venerunt, ut simul, semel visitando Ecclesias, & bis separatim Fratres, aut sorores satisfaciant visitationibus præscriptis in Bulla, ac si quindecies visitâssent.*

x *Et cùm maximè sua Sanctitas secundum* x *viscera paterna compatiatur paupertati ac multiplicibus miseriis advenarum, eorúmque plurimorum, qui non habent, unde se tamdiu alant, vel neque sufferre possunt tot visitationum intra quindecim dies, remittit arbitrio, discreto tamen & prudenti, dictorum Pœnitentiariorum, & Parochorum, ut quivis dispenset juxta cujusvis pœnitentis indigentiam, & possibilitatem in assignando numero visitandarum Ecclesiarum, dando eisdem omnem facultatem circa id necessariam, & opportunam.*

y *Eodem modo, quia Cives & Incolæ Ro-* y *mani, qui inceperunt visitare Ecclesias, sed morbo impediuntur prosequi secundum opus; ne priventur fructu laborum inchoatorum, & piæ intentionis, quæ aggressi sunt opus, ne affligantur corpore & animo, concedit eisdem Pœnitentiariis & Parochis facultatem commutandi opera injuncta in alia visitandarum Ecclesiarum per triginta dies, quæ viderint esse proportionata possibilitati dictorum Civium & Incolarum infirmorum. Quòd si repentè mors immineat, antequam obtineant*

hanc commutationem: concedit illis sua Sanctitas Jubileum, ac si omnia opera necessaria explevissent.

z *Ut etiam finaliter tollatur omnis ambiguitas, & ut fideles sint certi de Indulgentiis, quas possunt lucrari, declaramus, unà cum oraculo suæ Sanctitatis, ut suprà insinuatum; quòd in suspensione generali Indulgentiarum, quæ continetur in Bulla datâ 5. Maji 1674. publicatâ verò 17. Septembris ejusdem Anni, non intelligantur suspensæ Indulgentiæ Altarium Privilegiatorum pro Defunctis, neque aliæ: concessæ eodem modo pro Defunctis; verùm illæ suspensæ habeantur, quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere animabus Purgatorii per modum suffragii: & nec minus Indulgentiæ concessæ in articulo mortis, & facultates communicandi eas aliis. Sicut nec cessant modo facultates tribunalis Sanctæ Inquisitionis, & Officialium ejusdem, aut Missionariorum, & Ministrorum, qui ab eodem tribunali, vel à Congregatione propagandæ fidei, vel cum authoritate Apostolicâ ad id sunt deputati, & specialiter facultates absolvendi ab hæresi illos, qui abjurato errore redduntur capaces earum gratiarum.*

aa *Ut autem conservetur pium institutum, & consuetudo visitandi templa, in quibus celebratur comprecatio quadraginta horarum; & præcipua Sanctuaria colendi hac* bb *in Urbe: concedit sua Sanctitas non obstante ea generali Indulgentiarum suspensione, ut Indulgentias solitas consequi possint Fideles utriusque sexus, quas aliàs consequebantur: si visitent septem Ecclesias & scalam Sanctam, diebus determinatis eo modo, & his cum conditionibus, quibus illæ fuerunt concessæ: easdem lucratur In-* cc *dulgentias.* cc *Quivis insuper, qui visitat templa, ubi habetur expositum Venerabile, & est comprecatio quadraginta horarum circularium, & Ordinariarum, quæ sunt in publico folio, à nobis exponendo & publicando, hujus Anni Sancti decursu, ita ut ibidem aliquo tempore inter preces detineatur, prout illi videbitur, Confessione priùs, & Sacra Communione peractis, aut saltem concepto firmo proposito confitendi; lucretur is septem Annorum Indulgentias, & totidem quarentanas, toties, quoties id præstiterit. Datum Romæ ex ædibus nostris die 1. Februarii 1675. Jubilei.*

G. Cardinal. Vicarius.

Raphaël Fabretus Secret.

Circa hanc Notificationem notanda sunt de sequentia. Primò, penultimum §. in quo est sermo de suspensione Indulgentiarum, fuisse jam quidem propositum superiùs Cap. IX. quia illic ex Instituto differebam de ea materia, ideò autem hîc repeti, ut & tota illa Notificatio indivisa staueretur ob oculos, & quæ in hoc ipso capite addam rursum de suspensione, commodiùs conferantur cum eo §.

Secundò, valdè reflexè observandam esse dictionem copulativam *Et*, expressam in Titulo, Palmarius enim error foret, si quis existimaret omnia, quæ continentur illo Cardinalitio scripto habere vim Declarationum; cùm enim præcisa Declaratio nihil aliud sit, quàm eorum, quæ priùs constituta erant, explicatio, siquidem ab omnibus recepta est illa doctrina, quam Glossula marginalis ad *Cap. 2. De decimis in 6.* exprimit his verbis: *Declarans non dicitur novum jus edere, sed antiquum* (Ideſt sivè diu, sive brevi antè conditum) *declarare.* Cùm, inquam ratio præcisæ declarationis ita se habeat, evidens est, hoc oraculum Cardinalitium non esse merè declarativum illius Bullæ, ratione cujus emanavit hæc Notificatio, sed esse ex parte (maximâ) constitutivum novi juris, seu potiùs impertitiuum aliquarum gratiarum, quæ revera nè implicitè quidem continebantur in Bulla, pro Anno Sancto; siquidem dictio *Etiam*, qua Cardinalis utitur, suprà *lit.* b. includit species diversas ab antè expressis. Barbos. Dict. 113.

Tertiò, proinde illos, quibus illuceſcet alumus Phœbus Anni MDCC. malè, pessimè applicaturos has omnes gratias, Jubileo illius ipsius Anni, si is, qui tunc sedebit in Cathedra Petri, nihil addiderit suæ Bullæ. Insinuabo infrà, peroptandum esse, ut secuturi Pontifices aliquid disertè statuerent circa gratias Jubileas; voti compotem me, aliósque fecit Clemens X. Faxit Deus, ut ejus laudatissimum exemplum sequantur successores, & singulariter circa potestatem commutandi vota in Jubileo, quod explanabimus Cap. L.

Quar-

gg Quartò, generatim loquendo posse illo Anno MDCC. severè absque ulla ulteriore declaratione usurpari illos articulos hujus Notificationis, quos clarum est, fuisse à S. D. N. expressos per modum meræ declarationis; siquidem Lex, Statutum, Rescriptum &c. declarativum extenditur ad præterita & futura, loquentia de eadem materia seu subjecto, uti non semel notavi ex constanti sensu Theologiæ æquè ac Jurisperitorum. E diverso ea, quæ Clemens X. per suum Vicarium adjecit veluti gratiam, nullo modo inclusam in Bulla Universalis sui Jubilei, non debent applicari secuturis Jubileis, nisi sequentes Pontifices, vel expressè, vel implicitè aliquo signo post Bullæ promulgationem edito manifestârint, à se impertiri omnes, aut has vel illas particulares gratias, quas mense uno post jam cœptum Jubileum largitus est S. D. N. Ratio est, quia ex una parte certum est ex dictis, illas de quibus hîc sermo, non contineri implicitè, seu obscurè in Bulla Jubilea: ex altera non subsistere hanc consequentiam: Clemens X. superaddit suæ Bullæ hanc aut illam gratiam, ergo etiam superaddit reipsa hic aut ille ejus successor, facta enim non præsumuntur, sed probanda sunt, ut toties, & necessariò repeto in hoc & priore volumine. Nec obstat, quòd Pontifex in dubio censeatur sequi vestigia prædecessorum, hoc enim intelligitur de dubio rationabili, quale non apparet in præsenti materia, continente tam specialem, & à verbis Bullæ tam diversam gratiam.

hh Quintò, cùm declarare statutum, legem, rescriptum, contractus, instrumentum nihil planè aliud sit, quàm ostendere, quænam explicita vel implicita mens, intentióque testantis, contrahentis, statuentis &c. fuerit tunc, cùm reipsa contraxit, ultimas tabulas scripsit, legem sanxit &c. ad prudenter divinandum conjiciendúmve de mente, quam tunc habuit implicitè, vel explicitè S. D. N. vulgando suam pro Anno Sancto Bullam, quámque habebunt ejus in eadem sede & publicatione Jubilei successores, possunt debentque adhiberi illæ regulæ, ex quibus Jure consulti, (hi quippe crebriùs & accuratiùs, quàm Theologi exequuntur hoc argumentum,) volunt conjici, deprehendíque intentiones testantium, contrahentium, donantium, privilegium impertientium &c. ubi generatim supponitur esse quidem temerarium colligere, conjicereque mentem, intentionémque Principis, quando est perquam obscura, & facilè impetrari potest ab eo interpretatio. Aretinus *in L. Ex facto ff. De vulgar. & pupill. substit.* secus, si aut non sit multùm obscura, aut nequeat obtineri authen- ii tica declaratio. Alciatus & Mascardus *De Probat. Volum. 1. quæst. 14. n. 10.* Conjecturæ autem, ex quibus verosimiliter aut certò colligitur mens concedentis beneficium, & gratiam, sunt inprimis verba, quæ quidem, cùm habent duplicem significationem, sunt interpretanda in benigniorem, seu liberaliorem partem, *per Leg. Beneficium. De Constit. Princ.* interpretanda quoque conformiter mori aut ipsius Principis, aut ejus antecessorum. Item cùm æquè factis, ac verbis mens nostra declaretur, ut notant omnes *in Leg. Labeo ff. De Supell. leg.* si Papa concedens Jubileum aliquid egit, quod non egisset, nisi hanc aut illam intentionem habuisset, præsumendus est habuisse. Sicut vice versâ, si ex nulla significatione verborum, quibus usus est Princeps, in impertienda gratia, nullòque alio facto ipsius, potest prudenter præsumi, aut conjici (hæc duo vocabula pro uno accipimus, ut sæpissimè Doct. apud Mascardum, *tit. q. 14. & 10.*) eum noluisse suam gratiam extendi ad hunc & illum casum, ad hunc aut illum favorem: favor omissus habetur pro omisso; si enim voluisset aliquo saltem modo expressisset, argum. vulgatissimi. *Cap. 2. De Transfat. Episc.* Hisce suppositis decidenda est hæc

Perambigua Quæstio.

Quinam ex favoribus expressis in Decreto Notificativo videantur contineri verbis declarativis antiqui juris, adeóque comprehendi sensu communi Bullarum Anni Sancti, quinam verò novitèr, & extra sensum illum concessi? kk

RESP. I. Certum est penultimum §. seu notatum *lit. z.* spectare ad classem articulorum declarativam; siquidem illic expressè dicitur: ut tollatur omnis ambiguitas, *declaramus*, Quam clausulam non modò non est, ut impropriè intelligamus, sed nec cur non intelligamus de omnibus membris in eo §. contentis, siquidem generalis Regula est, clausulam in principio dispositionis positam referri ad omnia membra sequentia inclusa eâdem periodo, ut notant Tuschus, Marta, Barbosa, alii, scribentes de intellectu clausularum positarum in fine aut principio. Consequenter si Bulla, qua Anno MDC, XC, IX. indicabitur (de more) suspensio omnium Indulgentiarum, durante Anno MDCC, constet terminis observatis hoc seculo, adeóque proximè elapso, ac Anno 1674. poterit in favorabilibus, debebit in odiosis observari dispositio illius penultimi §. non expectatâ novâ declaratione, si autem publicetur nova, oportebit hæc stare, quatenus fortasse discrepabit à Clementina.

RESP. II. Quæ in eodem Notificativo de- ll creto præterea exprimuntur, (exceptis duobus articulis de potestate absolvendi à reservatis &c. itémque commutandi vota, de qua utraque potestate est magna Controversia,) adeò palpabiliter spectant ad novum jus, sunt-

que tam manifeſtè extra omnem Grammaticalem, Legalem, & Communem ſenſum Bullæ Jubileæ, ut dubitari non poſſit, quin habeant rationem diſpoſitionis planè perſonalis, recentiſſimæ, & proinde nullo modo incluſæ in Bulla Jubilea. Ergo futuro Anno MDCC. erit neceſſariò expectanda declaratio circa illa.

mm RESP. III. omnino videtur mihi, per hanc Notificativam diſpoſitionem confirmari ſententiam, quam ſuprà *n.* 356. expreſſi, & *n.* 359. ac *ſeqq.* probavi, quòd ſcilicet Bulla Jubilea Anni Sancti nihil hoc ævo contineat, niſi Indulgentiam plenariam, non verò implicitè, aut explicitè poteſtatem eligendi Confeſſarium, qui abſolvat à reſervatis, & vota commutet, longè minùs poteſtatem, componendi ſuper ablatis incertis, de quibus ex Palao mentionem feci *ſuprà n.* 12.

Ratio prima petitur à teſtimonio virorum omni fide digniſſimorum. Etenim Noſter P. Antonius Richeomus, Pœnitentiarius ad D. Petri Lauretum die 12. Januarii, priuſquam videlicet S. D. N. Romanos exhilararet ſuo Notificativo Decreto ſcripſit in hæc verba: *Annus Jubileus omnium quidem ſolenniſſimus, & ſimul ſteriliſſimus eſt, quòd ſint ſuſpenſæ omnes gratiæ etiam ordinariæ (ſi pro defunctis, & vivis in articulo mortis excipiamus) ita ut nec una concedatur ſive Pœnitentiariis, ſive alii cuivis Confeſſario in genere diſpenſandi, abſolvendi à caſibus, & cenſuris reſervatis, mutandi vota &c. Repræſentatum eſt hoc Summo Pontifici, etiam exterorum incommodum, quod evenit ex tam parca gratiarum diſpenſatione. Reſpondit proinde ſua Sanctitas curaturam ſe, ut huic malo obvietur; expectamus benignam reſolutionem.* In eundem ſenſum ſcripſit alius itidem Pœnitentiarius die 19. ejuſdem menſis exprimens hæc verba: *Non conceditur, ut eligatur Confeſſarius, abſolvaturque à caſibus reſervatis &c.* per quod &c. utiq; innuit defectum poteſtatis in vota. Ante utrumque hunc (quia undecimâ ejuſdem Jan.) ſcripſit alius: *Die ſeptimo hujus* (Januarii) *habitus eſt Conventus coram Eminentiſſimo D. Cardinale Vicario, in quo concluſum & ſtabilitum fuit, facultatem abſolvendi à reſervatis, commutandique vota eſſe ſolùm penes Pœnitentiarios, & multos Parochos, ut facultas Regularium ſit ſuſpenſa.* Ita ille. Certè hi teſtes, præſertim juncti illis, quos nominavi ſuprà *n.* 358. & *ſeqq.* tametſi ſingulares, tollunt à me omnem de præſente materia dubitationem, tametſi non me lateant, quæ de vi teſtimonii à ſingularibus teſtibus perhibiti inculcent Crottus, Gabrielius, Maſcardus Tuſchus, & alii.

nn Altera ratio, eáque validior, ni fallor, petitur ex ipſo Decreto Notificatorio, utpote in quo in primis clauſulæ; *Declarat* &; *Concedit* ponuntur quaſi membra contradictoria, quando eſt fermo de poſitivis gratiis. Deinde vocula: *Concedit*, ponitur in præſenti, non autem in præterito: in quo tamen non poni debebat, ſi promulgando Bullam noluit hoc ipſo Pontifex largiri haſce duas controverſas poteſtates. Præterea non modò datur omnino ſeorſim Pœnitentiariis & Parochis ex una parte, ex altera Regularibus quibuſcunque approbatis, jus in peccata, & vota, ſed etiam poſtquam ii ſoli donati ſunt hoc jure, additur: *Imò & Religioſis Confeſſariis datur eadem facultas reſpectu ſui ordinis.* Profectò ſi Bulla Jubilea ex inſtituto Eccleſiæ, ſeu tacito, generalíque conſenſu Summorum Pontificum complectitur illos duos favores, non eſt, cur tam reflexè ſiat illa, quam produxi diſtinctio, ſi ejus ſubjectum jam continebatur in Bulla, in qua etiam reperitur hæc inſolita reſtrictio, quòd non quivis approbatus ab Ordinario Sacerdos ſecularis, ſed ſoli è Clero Parochi potuerint eligi in Confeſſarios. Unde ſic argumentor: Si facultas eligendi Confeſſarium pro abſolutione & commutatione involvitur per ſe in conceſſione Bullæ Jubileæ, tum ſanè involvitur poteſtas eligendi quemlibet approbatum, quandoquidem talis poteſtas conceditur in omnibus planè aliis Jubileis, atqui nequit ſine temeritate aſſeri illam tam amplam poteſtatem fuiſſe in Jubileo Romano impertitam ante Notificationem, de qua ſuprà.

Tertia ratio eſt, quòd nullum ex iis indiciis, oo ex quibus dixi ſuprà *lit. ii.* poſſe conjici prudenter tacitam, abſconditam intentionem Legiſlatoris, teſtatoris, ſubminiſtret cauſam prudenter credendi, Pontifices tunc re ipſa permittere hanc controverſam facultatem, quando edunt Bullam Sancti, Sanctiſſimi Anni; ergo imprudenter præſumuntur concedere eam. Certè non ipſo facto, ſiquidem hoc ſaltem ævo actualis largitio Jubilei Anni Sancti, non eſt ſignum illius duplicis gratiæ, ut demonſtrant, quæ hactenus attulimus. Sed neque mos (ex quo ſcribunt Juriſconſulti eſſe teſtatoris mentem conjiciendam, præſumendámque) Pontificis ullius ſubminiſtrat argumentum ullum: partim quia nullus hactenus attingere valuit Annos Petri, etſi nonnulli, ut Urbanus VIII. fuerint proximi; nullus igitur publicavit, niſi ſemel Jubileum Anni Sancti, atqui mos, ſeu conſuetudo: etſi in criminalibus inducatur duobus actibus. Text. *in cap. fin. 25. quæſt. 2* in civilibus tamen ne quidem tribus, juxtà Gloſſ. *ibid.* favente apertè *L. 3. De Epiſc. authent. ſub fin.* Unde licèt duo aut tres Pontifices id feciſſent, haud tamen concederet Gloſſa invectam fuiſſe conſuetudinem. Quanquam autem agnoſcam ſolere Pontifices ſequi veſtigia prædeceſſorum, quia tamen ex una parte præſumuntur potiùs viciniorum, quàm

quàm remotiorum inſiſtere veſtigiis, nullo autem argumento probatur Innocentium X. Urbanum VIII. Clementem VIII. fuiſſe ita liberales, imò contrarium de Innocentio probavi ſuprà *n.* 359. & 360. idcirco nullum poteſt hinc peti argumentum, ex altera nemo jam defendit, fas eſſe vi Jubilei Romani componere ſuper ablatis incertis, cùm tamen Sixtus IV. in Extravag. *Quemadmodum De Pœnit. & Remiſſ.* eam non minùs conceſſerit, quàm Jus in cenſuras & vota; ergo nihil ſolidè poteſt inferri ex præcedentium Pontificum factis.

pp At dices: Bulla expreſſè ita ſonat: *pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam remiſſionem ac veniam miſericorditer in Domino concedimus, impertimúſque.* Quæ verba cùm contineant merum, & nulli prorſus præjudicioſum favorem, debent ſecundùm Leges & Doctores in primis tam latè intelligi, quàm patitur proprietas, & communis uſus verborum. Deinde debent ſumi ſine ullo vitio, adeò ut etiam ſolius vitium Latinitatis reddat ſcriptum ſubreptitium. *Cap. Ad audientiam. De Reſcript.* & ibi Gloſſ. Atqui ex una parte dicetur juxta communem loquendi modum dare pleniſſimam Indulgentiam peccatorum, ſi omnia, etiam quoad culpam, remittat per quemlibet Sacerdotem; item ſi per ſe immediatè tollat (ut ſanè poteſt) quamlibet cenſuram reſpectu illorum, qui confiteri volunt, ita, ut dictio: *Indulgentia* referatur ad remiſſionem pœnæ debitæ in foro Dei, hoc enim propriè indicat: vox *Remiſſio* autem referatur ad ipſam culpam: vox *Venia* ad pœnam Eccleſiaſticam, adeóque ad cenſuram. Ex altera parte niſi hæc admittatur explicatio, oportebit fateri hæc tria nomina *Indulgentiam*: *Remiſſionem*: *Veniam*: idém omnino ſignificare, & proinde vitioſam tautologiam hîc admitti.

qq RESP. Hoc argumento nec in ſpeciem probari facultatem commutandi vota: quam poteſtatem, quia non reor poſſe nunc ulla probabili ratione defendi, idcirco nequeo adduci, ut opiner quidquam probabilitatis nunc ineſſe ſententiæ adſtruenti illud jus. At verò loquendo de abſolutione ab omnibus peccatis & cenſuris, omnino darem aliquid probabilitatis ineſſe illi ſententiæ, niſi ultra ea, quæ produxi *n.* 355. & 356. obſtarent alia, quæ ex Notificatione adduxi in ratione ſecundâ.

Ad argumentum de latiſſima interpretatione favorabilium diſpoſitionum, fateor, illud tunc exſerere vim ſuam, quando concedens favorabile ſcriptum vel ibidem, vel alibi non ſatis clarè oſtendit (ut in præſenti caſu Clemens X.) qua ratione ſit intelligendum & reſtringendum.

Tautologiam debent omnes agnoſcere in hac ipſa periodo, quam deſcripſi, quandoquidem *rò concedimus*, *rò impertimur* differunt ſolis elementis Grammaticis. Nec Tautologia tunc eſt vitiola, quando uſurpatur ad objectum magis inculcandum, pluris faciendum &c.

Hinc ego credo non fore immunem à peccato Confeſſarium Romanum qui Anno MDCC. fultus ſolâ Bullâ ſimili Clementinæ commutaret ulla vota, vel abſolveret à reſervatis peccatis, cenſuríſque. Jam videamus breviter quædam alia in Notificativo Decreto.

I. Quandoquidem crimen hæreſis & meritò rr exoſiſſimum Summis Pontificibus, & nihilominus tamen S. D. N. illud à ſua gratia non excepit in ſua Notificatione, tametſi optimè ſciens, illius abſolutionem contineri propriiſſimâ ſignificatione criminum, quorum remittendorum facultatem dabat Romanis Confeſſariis, imò declarat, officium Sacræ Inquiſitionis etiam quoad poteſtatem abſolvendi hæreticos reſipiſcentes, non ſubeſſe illi ſuſpenſioni, eſt mihi veroſimillimum potuiſſe tolli per Confeſſarium Jubilei.

II. Tametſi Pontifex *lit. o.* faciat Religioſis ss Confeſſariis vim commutandi aliorum ſui Ordinis vota omnia, *dummodo non ſint ſubſtantialia Ordinis*, arbitror tamen, per vota *ſubſtantialia* intelligi non modò illa, quæ ſunt de ſubſtantia Religioſi ſtatûs in genere, ut ſunt paupertatis, caſtitatis, obedientiæ, ſed etiam quæ in quavis particulari Religione habentur pro *ſubſtantialibus*, ut in Ordine *Minimorum* abſtinentiam à carnibus, atque lacticiniis, & in noſtro Ordine tum omnia, quæ expreſſè, & in ſpecie ſunt à Sede Apoſtolica recognita & approbata, P. Suarez. *Tom. 4. De Relig. Tract. 10. Lib. 1. c. 4. n. 13.* Atqui Gregorius XIII. in Bulla *Aſcendente* expreſſè approbat quatuor ex iis, quæ noſtri Profeſſi quatuor votorum emittunt poſt Profeſſionem, tum generatim illa, quæ includuntur in ſubſtantialiſſimo voto obedientiæ; cùm enim ſubſtantia hujus voti nequeat ex Jure Societatis approbato, commendato à tot Summis Pontificibus, conſiſtere abſque emiſſione (quando hæc mandatur vi regulæ) aliorum votorum ſimplicium, quæ ſolemnibus ſuperaddit Noſter S. Fundator, meritò nuncupantur *ſubſtantialia* noſtri in individuo ſumpti Inſtituti. Ratio hujus explicationis eſt, tum quia illam ſatis indicat ipſe S. D. N. tum quia omnes Pontifices (teſte inter reliquos Clemente VIII. in Conſtitutione *de largitione Munerum*, pro re natâ incumbunt *in conſervationem eorum, quæ à Religionum Fundatoribus ſanctè inſtituta, ab ea ipſa Sede Apoſtolica approbata, collaudatáque ſunt*, ut ſingulariſſimè Paulus III. Gregorius XIII. & Paulus V. fecêre reſpectu votorum, quæ ut, dixi, novi Profeſſi privatim, ſeu in Sacriſtia, aut alio ſe-

cretiore loco nuncupant, attamen semper præsente superiore & aliis quibusdam; non igitur ullo modo cogitandum est, horum & similium relaxationem permitti tempore Jubilei Romani. *In uno solo nitore pristino Societatis retinendo vis Religionis nostræ consistit*, teste Paulo V. in Bulla: *Quantum Religio Societatis &c.* ergo non est ad illius destructionē aperienda via per Jubilea Romana. Accedit, quòd in omnibus Jubileis Extraordinariis fiat potestas generalis commutandi vota exceptis Castitatis, & Religionis, hactenus tamen nemo unus, uti credo, inventus est, qui aut peteret, aut daret relaxationem illorum nostrorum votorum particularium.

tt Non me fugit Pasqualigum eò temeritatis prolapsum fuisse, ut ausus fuerit implicitè vel virtualiter, certò tamen, impietatis damnare (& quidem adductus rationibus, quæ ne Tironem quidem Theologiæ permoverent ad assensum præbendum tam infrunitæ seu impudentiæ, seu, ut mitiùs loquar, *imprudentiæ*) Nostros Sanctos, Ignatium, Franciscum Xaverium, & Franciscum Borgiam, doctissimos PP. Suarez, Vasquez, Sanchez, & universim omnes *quatuor*, ut appellamus *votorum Professos*, damnare, inquam, hos stolidæ impiæque superstitionis dum obsecuti Constitutionibus nostris à Sede Apostolica, quoad *omnia, & singula ex certa scientia approbatis & confirmatis* (ut loquar cum Gregorio XIII. Gregorio XV. & Paulo V.) emiserunt votum de amplectendo Consilio Reverendi Patris Generalis Nostri, si ad dignitatem Ecclesiasticam promoti, eúmque consulentes judicarent Consilium ab hoc suggestum, esse melius suomet. Non, inquam, ignoro hoc votum fuisse ab illo Theologo impietatis damnatum, haud tamen reor fuisse quenquam hactenus repertum, qui illud, quantumvis sit simplex, ausus sit saltem ante promotionem ad Prælaturam, commutare, aut commutari petere, ne dum ob futilissimas rationes Pasqualigi pronuntiare irritum; de quibus rationibus vide Cardinalem Pallavicinum in *Vindiciis Societatis IESV*.

III. Quæ in eadem Notificatione *lit. i.* dicuntur de negatione potestatis in irregularitates, eadem ad verbum continentur in Bulla Jubilei Extraordinarii descripta sub initium hujus tractatus, nec indigent explicatione ullâ, sicut nec novam exigit clausula: *In foro conscientiæ duntaxat* apposita ad censuræ absolutionem; etenim suprà *cap.* 35. *n.* 274. *& 275.* exposui, quid sit absolvi in foro *conscientiæ tantùm*.

CAPVT XLIX.

Nova opinione de Iubileo Anni Sancti MDCL.

SUMMARIUM.

Refertur nova omnino opinio de perpetua revivíscentia Indulgentiæ Anni Sancti. 365.
Videtur favisse illi ipse Innocentius. 366.
Probabilis visa fuit quibusdam. Ibid. & seqq.
Ea sententia est omnino nova, & quidem in re magni momenti. 371.
Et contraria sensui Ecclesiæ, & quidem in re usus quotidiani. 372.
Ex eadem videtur sequi, non subsistere illud principium, quod optima legum interpres sit consuetudo. 373.
Indulgentia instar Iubilei est quoad vim remittendi pœnam talis, qualis ea, quæ datur in Iubileo. Ibid.
Eadem nova sententia est contraria firmis rationibus. 376.
Innocentius non plus concessit in sua Bulla, quàm expresserit verbis. 379.
Non verbo, nec facto declaravit, sibi probari illam novam sententiam. 380.
Etiam Rescriptum gratiæ non est extendendum ad inusitata. 382.
Sermo simpliciter prolatus consummatur in uno actu, & una vice. 383.
In interpretatione etiam gratiarum spectandus est genius concedentis. 384.
Non est satis credibile, quòd Innocentius concesserit Indulgentiam ampliorem, quàm fuerit olim concessa cruce signatis. 386.
Solvitur primum argumentum pro illa nova sententia. 387. 388.
Quæ Indulgentiæ dicantur æquales formaliter, quæ materialiter? 389.
Solvitur secunda objectio. 394.
Et tertia. 396.
Et quarta. 398.
Et quinta. 401.
Atque sexta petita ex eo, quòd Indulgentia Iubilei sit omnium plenissima, & tamen non habeat alios favores adjunctos. 402.
Author non absolutè damnat illam novam sententiam. 406.
Quid censendum de iis, qui fuerunt in Iubileo Innocentii absolute à casibus reservatis? 407.

365 PAter Ferrantinus, Theologus Romanus, persuasum habens, non fuisse in postremo Iubileo Anni Sancti plus concessum, quàm Indulgentiam, seu plenam remissionem omnium pœnarum debitarum peccatis, quoad culpæ reatum deletis, excogitavit hanc sententiam, quòd videlicet Indulgentia Anno Iubileo M. DCL. concessa, extensa fuerit eo usque, ut valeret non solùm quoad remissionem pœnæ pro peccatis præteritis; sed etiam pro futuris per reliquam totam vitam, ita ut, qui trigesies visitavit Ecclesias præscriptas, & cætera requisita peregit, lucratus sit Indulgentiam plenariam pro peccatis commissis, & si deinceps in alia peccata mortalia incidat, similiter obtineat remissionem pœnarum pro illis, & sic toties, quoties peccârit, & ad gratiam per Confessionem vel contritionem redierit usque ad finem vitæ; sic, ut in altera nihil luendum supersit pro peccatis etiam post Iubileum obtentum commissis, & per Confessionem, vel contritionem remissis.

366 Hi sunt formales termini, quibus ad me scripta fuit illa sententia ab eo, quem debiti honoris causa superiore capite nominavi, R. P. Henrico Lamparter, qui è Comitiis Generalibus Romæ celebratis Anno 1651. redux, insequenti videlicet 1652. ad suum, cui præerat, Collegium Neoburgense, misit ad me Ratisbonam die 3. Maji ejusdem Anni chartam, à se allatam ex Urbe, in qua exprimebatur verbis repræsentatis illa sententia, unà cum argumentis, quibus eam fulciebat author; addebat autem ille Pater, eam opinionem non displicuisse Innocentio X. sicut nec Theologis Romanis, & Ingolstadiensibus. Quia verò in iisdem literis scribebat, se libenter intellecturum, quid ego de ea opinione, ejúsque firmamentis sentirem, conscripsi mox ea, quæ jamjam proponam, omnia, quibus lectis rescripsit mihi die 24. ejusdem mensis, verbis, quæ exhi-
367 beo; *Libentissimè legi dissertationem &c. de sententia Patris Ferrantini, quam R. V. cum gratiarum actione remitto. De aliis gratiis Indulgentiæ Anni Sancti factis S. D. N. rogatus expressè negavit, se illas concedere, & tamen aliis sufficienter significavit, se majorem gratiam in illa Indulgentia Anni Sancti, quàm sit plenaria Communis, agnoscere: inde igitur cogitandi occasio. Nec nimirum est, alios DD. communiter aliud protulisse, cùm non haberent aliud indicium, quàm ea, quæ recepta jam erant. Quia verò constat, omnem Indulgentiam quoad remissionem pœnarum erga viventes promi in Anno Sancto, quæ est in potestate Ecclesiæ, rejectis aliis, quoad alias obligationes, non videtur omni speculativa probabilitate, si de facto loquamur, (nam de possibili, & congruo non est dubium,) carere sententia P. Ferrantini, maximè si revivíscentia illa per Pœnitentiam non extendatur ultra alium Annum Sanctum, sicut & annua nostra Indulgentia instar Iubilei ultra Annum durare non posset. Vnde forsan plures DD. erunt, quibus, si innotuerit hæc opinio, non videatur spernenda. Neque tamen continuò sequetur ullus in praxi; cùm in his non sufficiat sequi opinionem probabilem, ne si fortè reipsa vera non sit, nihil agatur. Nec terret novitas: quanta enim quotidie in moralibus exponuntur in lucem à Recentioribus? Fortè post sufficientem discussionem Doctorum alius Pontifex in alio Iubileo clarius dicet, quod Modernis tanquam nimis serò proposicum, & adhuc amplius considerandum determinare noluit, verè enim ostendit, sibi non improbari. Sed de his disputare jam meum non est, hæc colloquii familiaris causa obiter scripsit.*

Hactenus ille mihi apprimè Venerandus Pa- 368
ter, utpote meus olim in Philosophicis, atque Theologicis Magister solertissimus. Quæ huc transtuli idcirco quòd & exprimant occasionem novæ opinionis, quam proposuimus suprà, hícque ventilabimus, & indicent aliorum de ea judicium. Et verò occasionem novæ hujus inventionis fuisse illam ipsam, quam expressit P. Lamparter testatus fuit etiam ille, de quo suprà *n.* 360. Pater librorum Revisor, literis ad me ex Urbe datis Anno 1651. etiam memorans ex aliorum relatione in alia Epistola exarata 29. Junii Anno 1652. eam opinionem propositam Innocentio X, huic non displicuisse, profitens quoque, tametsi ea opinio nondum habeat multos approbatores, eam tamen apparere sibi probabilissimam expensis rationibus pro ea, & objectionibus in contrarium.

Ego maximopere desiderans, ut vel ea opi- 369
nio apertè approbetur ab iis, quorum interest, vel ab iisdem roboretur communior inter scriptores doctrina, quòd Indulgentia Anni Sancti implicitè involvat facultates circa absolutionem à censuris, & casibus, circáque commutationem votorum; cupiens quoque, ut eruditi, qui dignabuntur legere in hoc libro mentionem & originem hujus controversiæ, incumbant in ejus dilucidationem, proferam in medium ea, quæ An. 1652. conscripsi de hoc invento, & quidem primo loco ea, quæ opinionem Patris Ferrantini impugnare, secundo quæ eam defendere valeant; impugnationes proponam per modum conclusionum, defensiones per modum objectionum, induturus personam magis, quàm sim, infensi illi opinioni, nec futurus reus magni peccati, si de novo argumento differam novo modo; examen eorum, quæ promam, dabit doctioribus ansam ponendi in lucem ipsam veritatem, quæ ut magis elucescat; comprehendo controversiam illis ipsis brevibus verbis, quibus eam mihi proposuêre literæ Romanæ.

An videlicet Indulgentia Anni Sancti va- 370
leat per totam vitam, ita ut toties revivíscat quoad effectum, quoties homo eam semel lucratus à peccato resurgit. Ita revivíscere existimavit P. Ferrantinus, quem videntur fortiter impugnare quinque argumenta. 1. Quòd hæc opinio sit nova in re magni momenti. 2. Quia adversatur judicio, & praxi totius Ecclesiæ in materia quotidiana. 3. Quia ex ea sequi videntur plura absurda. 4. Quia impugnatur firmis

mis rationibus, §. Quia propugnatur rationibus vel nihil probantibus efficaciter, vel nimis multum probantibus. Singula declaro.

371 Dico itaque primò, illam sententiam esse novam, & quidem in re magni momenti. Probo 1. Quia nemo nominari potest, qui eam tradiderit, nec præteriisset ejus Author, si sciviſſet quemquam. 2. Quia tanquam planè noviter inventam mirati, sunt Romani. 3. Quia ferè omnes DD. qui Indulgentiæ plenissimæ rationem in Jubileis dari solitæ explicuerunt, attulerunt explicationem contrariam huic opinioni, dum alii dixerunt, plenissimam à plenaria differre solùm in eo, quòd per illam remittantur pœnæ debitæ peccatis etiam non confessis: alii asseruerunt, solius amplificationis, aut tollendorum dubiorum, circa vim Indulgentiæ plenariæ ortorum causâ, vocari plenissimâ, cùm tamen à parte rei per ipsam nõ remittatur plus pœnæ, quàm Per quamlibet plenariam, & cùm usus Jubileorum jam cœperit vel à temporibus Apostolorum teste Palao *Part. 4. Tr. 24. n. 10. §. 7.* vel certè diu ante Annum 1300. teste Benzonio de Jubileo *l. 3. c. 5.* & ipse Bonifacius VIII. eodem Anno 1300. in Extravag. *Antiquorum, De Pœnit. & Remiss.* ejúsque Successores communiter Indulgentiam Anni Sancti sub, & cum titulo plenissimæ promulgârint, nec non diligentissimi quique Canonistæ, ac Theologi laboraverint in explicatione hujus voculæ, nullo tamen verbulo indicaverint, expositionem Theologi, ejúsve sententiam; videtur ob solam etiam novitatem esse pro suspecta habenda, cùm, ut dixi, sit de re magni momenti, per illam enim poterunt, qui semel eam adepti sunt, renuere omnes pœnitentias vindicativas, seu punitivas, quas tamen injungendi jus habent Confessarii juxta Trident. *Sess. 14. c. 8.*

372 Dico II. Opinio illa videtur esse contraria sensui totius Ecclesiæ, & quidem in re usus quotidiani. 1. Quia non reperitur ullus doctus, vel indoctus, qui ante Annum 1650. non putaverit, elapso Anno Jubileo expirâsse potestatem reiterandæ, & rursum lucrandæ Indulgentiæ Anni Sancti. 2. Quia non invenitur Confessarius, qui putaverit, se sui pœnitentis, triennio ante adepti Jubileum Romanum, pœnitentiam posse minuere eâ solâ ratione, quòd is fuerit ante triennium decennium &c. probabilissimè, & in actu secundo potitus Jubileo Romano. Atqui potuissent, imò, pœnitente petente, debuissent hactenus Confessarii eo intuitu minuere, pœnitentias juxta ea, quæ ex Communi disserit Suarez *Tom. 4. in 3. Part. disp. 50. sect. 2.* & Cardinalis de Lugo de pœnit. *disp. 27. n. 31. 3.* Innumeri DD. è quibus multos nominabo *n. 402.* nimis perspicuè contrarium docuerunt, voce & calamo, quorum proinde doctrinæ, opinionique credidérunt, ut fieri amat, indocti, adeóque tota Ecclesia, ut in aliis materiis loqui solent Theologi. 4. Versari hanc rem in usu quotidiano, patet ex quotidianis confessionibus illorum, qui lucrati sunt vel Jubileum Romanum, vel aliam Indulgentiam in forma Jubilei, eandem quippe esse hujus, quæ est illius, rationem constabit ex dicendis *n. 354.* Cùm igitur *minimè sint mutanda, quæ interpretationem semper certam habuerunt* Text. L. *Minimè ff. De Legibus* admittenda non est hæc nova opinio, utpote mutans sensum, & praxin hactenus indubitatam omnium fidelium.

Dico III. Ex prædicta doctrina videntur se- 373
qui varia absurda. Primum falsum esse illud in utroque Jure expressum Principium: *Optima Legum* (Privilegiorum, gratiarum) *interpres est consuetudo*, & praxis. Si enim vera est illa opinio, tum tribus, quatuor, quinque & pluribus sæculis fuit consuetudo, & praxis pessimè interpretata Bullas Jubilei, tam Romani, quàm Extraordinariorum, & Indulgentiarum datarum in forma Jubilei.

Probo sequelam, quæ continebit secundum absurdum. Si enim potitus Indulgentia Anni Sancti toties postmodum iterum obtinet, quoties per confessionem, aut contritionem acquirit condonationem culpæ lethalis, tũ etiam cui semel obtigit Indulgentia vel Jubilei extraordinarii, vel in forma Jubilei, seu instar Jubilei, toties eandem rursus lucratur, quoties ipsi confesso dimittitur culpa mortalis. De primo probo, quia in omnibus Bullis Jubileorum Extraordinariorum, quas legi, legi autem plurimas, exprimitur, dari Indulgentiam *plenissimam, sicuti in Anno Sancto.* De secundo etiam probo, quia Indulgentiam etiam instar, seu in forma Jubilei jam aliquot sæculis usitata in Ecclesia est quoad vim remissivam pœnæ talis, qualis concedi solet in Jubileis. Navarrus *De Indulg. & Iubil. notand. 26. n. 1.* Suarez *Tom. 5. in 3. Part. disp. 7. sect. 5.* atque omnes alii explicantes rationem hujus Indulgentiæ; illam enim, quoad amplitudinem remissionis integræ æquiparant Indulgentiæ Anni Sancti. Quis autem hactenus est inventus, qui tales Indulgentias putaret toties redire, & rediviſſe?

Hinc rursum infertur aliud, adeóque ter- 374
tium absurdum, scilicet totam Ecclesiam per tot sæcula ignorâsse summam prorsus, & inæstimabilem gratiam, sibi toties in Jubileis Romanis, atque Extraordinariis oblatam, etsi captu facillimam, summi solatii plenam, & miseris peccatoribus, atque Confessariis, ut indicabo inferiùs, mirè proficuam.

Unde iterum sequitur unum magnum ab- 375
surdum, quòd scilicet tota Ecclesia, per tot sæcula non intellexerit vocem suorum summorum Pastorum, quantumvis toties, toti orbi per tot Bullas explicatas in scholis, & templis loquentium.

Dico

376 Dico IV. Illa eadem opinio est contraria firmis rationibus. Primò enim Gregorius XIII. Clemens VIII. Urbanus VIII. & Innocentius X. in Bullis, quibus indixerunt Annum Jubileum, expressè ita loquuntur: *Quo Anno Jubileo durante omnibus fidelibus &c. qui visitaverint &c. plenissimam Indulgentiam impertimur.* Cùm igitur ablativus absolutus conditionem limitativam importet. DD. ex Leg. *A testatore. ff. De Condit. & Demonstrat.* limitatur illa Indulgentia ad durantem Annum Jubileum.

377 II. Sixtus IV. in Extravag. *Quemadmodum De Pœnit. & Remiss.* testatur à se concedi pro Anno Jubileo, quem indixit ad Annum 1475. omnes Indulgentias, quas ejus prædecessores dederant Superioribus Jubileis; & tamen illas, quas tunc impertiit, vocat solùm *plenarias*; ergo Indulgentiæ plenissimæ, & plenariæ jam ætate Sixti, non differebant in Jubileis; atqui si Innocentius X. in sua Bulla expressisset, ut Sixtus, à se offerri Indulgentiam plenariam, nemo illam extenderet, ad ejusmodi revivi-scentiam; ergo non rectè extendit Ferrantinus plenissimam, etenim *æquipollentium eadem est ratio.* Argum. *L. fin. ff. Mandati.*

378 III. Innocentius X. plus non concessit in sua Bulla, quàm verbis expressit, quia *Indulgentiæ tantum & non plus valent, quantum sonant.* S. Thomas *in 4. dist.* 20. ab omnibus receptus, plus autem non expressit, quàm cogitavit; *quia nemo existimandus est dicere, quod mente non agitaverit.* Text. *L. Labeo. ff. De supell. leg.* atqui mente non agitavit illam prætensam extensionem, cùm nullus alius agitârit antè, *& in obscuris inspiciamus quod plerumque fieri solet.* Et profiteatur Innocentius, se adhærere vestigiis Antecessorum.

379 IV. Bullæ sunt interpretandæ secundùm vulgarem, seu usitatam, notámque significationem, non autem secundùm novam, incognitam, inusitatam, *nec enim ex opinionibus singulorum, sed ex Communi usu nomina exaudire oportet, aut Tubero Text. in L. Labeo §. De supell. legat.* Atqui illa significatio vel *Iubilei*, vel *Indulgentiæ plenissimæ*, quam adfert supponítque ille Doctor, est non tantùm non vulgaris, sed inaudita, nec potest ipse ex ullo verbo Bullæ desumere tam extraordinariam, & inauditam gratiam, nisi ex eo superlativo sic explicato. Nonne erubescendum est hîc sine Lege loqui? Et ut utrumque præcedens argumentum roboretur

380 V. Sic argumentor. Si Pontifex fecit illam extensionem, tunc facto, vel verbo, expressè, vel implicitè eam declaravit; Indulgentiarum quippe concessio debet signo externo exprimi. Lugo *De Pœnit. disp. 27. n. 137.* cùm non plus valeat; quàm sonet. Si facto, quodnam illud est? Et qualecunque illud sit, debet plebi Christianæ constare, esse ejusmodi facto annexam istam tantam, inæstimabilémque gratiam. Cuinam hactenus autem constitit? mihi non, Incolis hujus Collegii non, aliorum, & aliis non. Si verbo, quonam illo? an, quia professus est, se concedere Jubileum? aut se impertiri Indulgentiam plenissimam? at neutrum horum verborum significat expressè illam revivi-scentiam. Sed neque implicitè illud declaravit; alioqui debuisset ipse, aut antecessorum aliquis aliquando declarâsse esse suam mentem, ut quando dicturus esset, se Jubileum dare, vel Indulgentiam plenissimam; intelligeretur, ille indesinens reditus plenariæ Indulgentiæ. Quis autem Papa hoc declaravit facto, vel verbo? quis testis hujus declarationis? quis conscius? Nemo. Atqui asserenti incumbit probatio. *L. Qui accusare C. De edendo.* An stylus Curiæ ita fert? At quando cœpit is stylus? Quis ejus testis? Viveret D. Maraldus, pernegaret, se quidquam scire de hoc stylo.

VI. Nullus unquam cogitavit, quando 381
Princeps jubet fieri restitutionem plenissimam, aut promittit condonationem plenissimam, innui, toties repetitam, & repetendam restitutionem, condonationem, quoties iterum offendet, veniámque petens in gratiam restituetur.

VII. *Semper in obscuris, quod minimum est,* 382
sequimur. L. Semper in obscuris ff. De Regulis juris. Quæ regula in favorabilibus hoc saltem indicat, quòd concessionem etiam gratiosissimam non debeamus extendere ad summa, inusitata, incogitatáque. Ergo non debemus gratiam Jubileam nisi summùm eò extendere; ut Indulgentia illa toties redeat, quoties repetuntur opera præscripta; aut, ut valeat tam in Anno Jubileo, tum etiam semel in mortis articulo, & semel adhuc in decursu vitæ; aut, ut possit applicari defunctis; hi enim soli sunt modi liberalissimè concedendi Indulgentias hactenus usitati in Ecclesia.

VIII. Sermo simpliciter prolatus in uno 383
actu, & in una vice consummatur; DD. ex *L. Boves ff. De verb. signif.* ergo non est extendendus ad innumeros actus, præsertim sine repetitione conditionis adjectæ.

IX. In interpretatione gratiarum maximè spectanda est consuetudo, & genius concedentis gratiam. DD. omnes ex aperto textu L; *Si servus ff. De Legat. & fideicommiss. 1. §. finali;* ubi Ulpianus sic pronunciat: *Si numerus nummorum legatus sit, neque appareat, quales sunt legati, ante omnia ipsius patris familias consuetudo spectanda est.* Atqui Innocentii X. Pontificis consuetudo non erat facere tantas gratias.

X. Solent in Jubileis imprimi Romæ, aliis- 384
que Italiæ locis libelli variis linguis, quibus etiam cum exaggeratione explicantur favores Jubilei, venduntúrque volentibus lucrari

Jubi-

Jubileum, & scripti sunt à viris doctis, peritisque, cum approbatione Superiorum; an omitteretur expressio omnino præcipui, & principalis hujus favoris, si sperandus esset? Legi ego unum, alterúmve talem, sed nil ejusmodi reperi, nil repererunt peregrini, ad quorum tamen instructionem, spem summi thesauri acquirendi excitandam, spiritualéque solamen, erant editi typis; saltem sub dubio erat proponendus ille favor, si affulsisset species probabilitatis.

385 XI. Cruce signatis dabantur olim Indulgentiæ, & quidem ex longè gravissima causa, scilicet ut excitarentur omnes Christiani ad sumenda arma pro terra Sancta, cum incremento ingenti Catholicæ Religionis, recuperanda; nec dubium, quin illæ Indulgentiæ fuerint plenissimæ. Suarez *Tom. 4. disp. 52. sect. 8. n. 7.* & tamen non continebant illam reviviscentiam. Quantò plura millia Christianorum dedissent nomen illi militiæ, si oblatus ipsis fuisset tantus favor; singulariter à S. Bernardo, qui etiam hic Constantiæ Cruce signavit milites Jerosolymitanos, ut post alios observat Reverendissimus D. Bernardinus Abbas Lucellensis, & Mulbrunensis, in consultissimè scripta Epitome Fastorum Lucellensium. fol. 35.

386 XII. Sequitur ex argumentis pro illa nova sententia, posse Indulgentiam Jubilei applicari defunctis; atqui hoc est contra omnes Theologos, qui post S. Thom. *in 4. dist. 20.* in terminis negant, posse Indulgentiam applicari defunctis, nisi Papa expressam facultatem det. Sequela patebit ex referendis jam argumentis, quibus P. Ferrantinus roboravit suam sententiam.

387 Dico enim V. Sententia hactenus impugnata nititur rationibus apparenter firmis, at reipsa debilibus, vel nimis multùm probantibus, ut ostendo referendo, & refutando singulas.

Objicit quippe I. Ferrantinus; Indulgentia Jubilei, vel est tanta, quantam dare potest Pontifex, & habemus intentum; vel est saltem tanta, quantam aliquando concedere solet, aut certè non minor, cùm sit plenissima, & maxima ex consensu omnium fidelium; atqui solet non rarò concedere plenariam pro articulo mortis, adeòque pro peccatis committendis usque ad illum articulum, & pro commissis tempore, quo fit ea concessio, ergo non fit minor remissio per Jubileum. Consequentia probatur, quia certum est, Indulgentiam Jubilei valere pro peccatis committendis post concessionem saltem usque ad finem Anni Sancti. II. Quia imaginibus, & metallis datur Indulgentia plenaria toties, quoties certa pia opera quis peregerit, atque hoc usque ad mortem; ergo nisi Indulgentia Jubilei similiter duret usque ad mortem, multò minor erit quàm ea, quæ passim conceditur Metalliis.

RESP. Hanc argumentationem non esse in forma constringente, seu legitima; si enim est hæc forma legitima, inferam ex ea consequens negandum ab omnibus, & ab ipsomet opponente, sic quippe subsumam: atqui Papa potest tantam Indulgentiam concedere, ut extendatur ad defunctos, & ad omnem pœnam Ecclesiasticam; ergo Indulgentia Jubilei ad illos, & ad hanc exporrigitur. Exporrigi ad defunctos negant omnes; extendi ad remissionem pœnarum Ecclesiasticarum, negat expressè ipse author referendus *n. 402.* 388

Si verò in majore propositione pro: *potest dare* ponatur: *dat unquam*, tum iterum subsumam: atqui Papa dat aliquando tantam Indulgentiam, ut extendatur ad defunctos, & absolutionem à censuris, casibus reservatis; ergo Indulgentia Jubilei etiam extenditur ad hæc. Si denique major propositio ita exprimatur, *quantam aliquando, seu subinde dat*, tunc erit propositio particularis, ex qua nihil poterit concludi.

Quare palàm est, illas duas priores propositiones debere ab omnibus vel absolutè negari, vel distingui, vel negari consequentiam. Negari non debent illæ propositiones, quia primam, & consequenter secundam tradidit in quadam declaratione Jubilei Bonifacius VIII. ut testatur Gloss. Extravag. antiq. *De Pœnit. V. plenissima*, ergo distinguendæ sunt; *Et quia non intentio, aut res verbis, sed verba intentioni & rebus deservire debent.* Cap. *In his. De verb. signif.* quò meam distinctionem clariùs explicem, reducam ad terminos rotundiores, æquivalentes tamen, utramque illam propositionem hoc modo: Indulgentia Jubilei est æqualis cuilibet Indulgentiæ à Papa dari solitæ, imò etiam dabili, atqui Indulgentia pro articulo mortis est dabilis, imò dari solita, ergo ei æqualis est Indulgentia Jubilei. Assumptum in hoc syllogismo concedo de æqualitate formali, nego de materiali; & concesso subsumptò applico distinctionem consequenti. Dico autem, sicut jam dixi *n. 117.* cum Suarez *cit. disp. 52. sect. 8. n. 1.* illas duas Indulgentias esse æquales formaliter, per quarum unam potest ex vi intentionis Pontificiæ remitti tantum pœnæ, quantum per alteram, & vicissim; sicut æqualitas materialis tunc adest; quando reipsa per unam tantum remittitur, quantum per alteram. 389

Fit autem ob varias circumstantias, ut una duarum Indulgentiarum formaliter æqualium sit inæqualis materialiter, sicut vice versâ fit, ut duæ Indulgentiæ formaliter inæquales sint materialiter æquales. Cùm igitur possint per Indulgentiam Jubilei expiari tam multæ Myriades dierum, Annorum, sæculorum, quàm per Indulgentiam pro articulo mortis, fit ut rectè dicantur formaliter æquales; & sæpissime 390

me etiam sunt æquales materialiter, quia plurimis eorum, quibus obvenit Jubileum Romanum, reipsâ remittitur tanta pœna, quanta aliis multis in articulo mortis; & circumstantia articuli mortis est merè materialis, qualis est præsentis, & futuri.

Jam si contendat P. Ferrantinus, Indulgentiam Jubilei debere etiam materialiter esse æqualem cuilibet, quæ dari potest, aut solet, id non probabit, quandoquidem id fieri nequit, nisi detur infinita. Quòd si rursum loquatur de illa Indulgentia pro articulo mortis, quæ simul etiam obtineatur ante articulum mortis, seu illo tempore, quo eam concedit Papa, tum majori propositioni applico sequentem distinctionem.

391 Licèt enim distinctio præcedens possit dari ad instantiam de Indulgentiis toties, quoties repetitur opus præscriptum, do tamen aliam ei, & paulò antè indicatæ magis, ac proprièconvenientem: sicque formo syllogismum. Indulgentia Jubilei est æqualis cuivis alteri simplici concedo, multiplici nego. Atqui Indulgentia, quæ datur toties, quoties &c. est Indulgentia simplex nego, multiplex concedo; re enim verâ sunt numero distinctissimæ remissiones peccatorum, & consequenter Indulgentiæ, quas quis heri manè, & heri vesperi obtinuit ex vi numismatis quinque Sanctorum e. g. unde rectiùs dixeris, illi numismati esse affixas *Indulgentias*, quàm *Indulgentiam*. Et unde, amabo, probabitur, Indulgentiam Jubilei esse æqualem decem aliis simul sumptis aut universis? Singulis est æqualis, non universis, hoc enim nulli Papæ, nulli docto, vel indocto venit in mentem.

392 Et cur hic author ita argumentatur: *Datur sæpe Indulgentia obtinenda toties, quoties repetitur aliquod certum opus bonum, ergo Indulgentia Jubilei potest etiam millies acquiri ab uno, eodémque homine, licèt non repetat opera præscripta?* Nónne omnes sciunt: A diversis non valere illationem? *L.* Papinianus *ff. De Minoribus.* Rursum cùm dicit ipse, certum esse, Indulgentias Jubilei valere pro peccatis committendis, saltem ad finem Anni Sancti. Resp. Id esse certum, casu, quo quis usque ad finem Anni Sancti distulit ultimum ex præscriptis operibus, tunc enim primùm fit compos Indulgentiæ; nam conditionalis dispositio statim post impletam conditionem suum sortitur effectum, & non antè *L. Cedere diem. ff. De verb. signif.* Si verò intelligat ipse, Indulgentiam Jubilei pro peccatis usque ad finem Anni Sancti valere etiam respectu illius, qui primo dimidio Anno jam fuit lucratus Jubileum, & repetit opera præscripta, tum ejus assertio non est certa, sed tantùm probabilior.

393 Denique ut etiam respondeam ad instantiam de extensione ad defunctos, & ad censuras indicatam *n. 388.* ad quam solidè vix respondebit propugnator novi inventi, sic rursum distinguo illam meam solemnem propositionem: Indulgentia Jubilei est æqualis cuivis alteri, æqualis, inquam, formaliter concedo, consecutivè, & accidentaliter nego. Et quia in formali ratione Indulgentiæ non includitur extensio ad hos duos favores, sed à Pontifice per novam, distinctámque concessionem adjiciuntur ipsi formali rationi Indulgentiæ, ideo eo argumento non probatur, Indulgentiam Anni Sancti posse applicari defunctis, aut habere adjunctos favores commutationis votorum, aut absolutionis à censuris, quamquam probabiliter habere, ostendi suprà *n. 350.*

Objicit II. Pater Ferrantinus: *Indulgentia Jubilei est omnium, quæ à Summo Pontifice concedi solent, plenissima, ergo interpretanda latissimè.* 394

RESP. Concedo totum. Si subinferas: ergo est tanta, quanta Indulgentia pro articulo mortis, & quanta illa, quæ obtinetur toties, quoties repetitur opus, concedam secundùm datam antè distinctionem. Quamquam, si per Indulgentiam *omnium plenissimam* intelligit ipse illam, quæ ex se formaliter habeat vim expiandi plus pœnarum, aut sæpius quàm ulla alia plenaria, seu plenissima, nego antecedens; siquidem *privilegia, & gratiæ non plus operantur, quàm verbis exprimant.* Cap. *Privilegia Distinct. 3.* & cap. *Porrò. De privilegiis.* Atqui gratia Jubilei non exprimit verbis, aut alio modò illam vim plus, aut sæpius expiandi. Potest tamen etiam idcirco vocari peculiariter, aut per antonomasiam plenissima, quia ut loquitur Benzonius *l. 2.* de Jubileo *c. 52.* certitudine, efficacitate, amplitudine, dignitate, fructu superat reliquas plenarias, superat, inquam, consideratâ cum suis causis, & effectibus accidentariis.

Cæterùm si hoc argumentum illius Patris, aliquid probat, tum probat illam Indulgentiam esse tantam, ut possit etiam donari defunctis, habeátque adjunctos favores votorum commutationis, censurarum absolutionis &c. nec enim video, quo pacto negari possit hæc sequela. 395

Ex his patet responsio ad confirmationem, quam petit P. Ferrantinus ex authoritate P. Lessii docentis, facultatem dispensandi, datam Ordini religioso esse amplè interpretandam, plus enim hinc non infertur, quàm quod ultro jam admisi.

Objicit III. *Indulgentia Jubilei datur tantùm semel intra 25. Annos: ex gravissima causa: maximo cum apparatu, & designatione difficillimorum operum, ergo debet ea continere maximum beneficium Pontificis, quod ex Vicario DEI liberaliter speratur.* 396

RESP. I. Concedo totum, atqui nemo

puto, ſperavit id, pro quo pugnat P. Ferrantinus, nec puto potuiſſe prudenter ſperari, utpote quid inauditum, & ab ingenio, conſuetudinéque Innocentii Pontificis alienum, quem nimirum conſtat, multò proniorem fuiſſe ad Indulgentiarum multitudinem, magnitudinem minuendam, quàm adaugendam. Longè plurimi docti, & indocti nixi authoritate librorum impreſſorum, & Theologiæ Profeſſorum ſperaverunt, ſe Romæ obtenturos vi Jubilei commutationem votorum & abſolutionem à reſervatis, nec irrationabiliter ſperaverunt, & tamen ſpes eos fefellit teſte eodem Patre; ergo illa Indulgentia non continuit maximum beneficium, quod ſperari poterat, cùm ne minus quidem fuerit conceſſum. Et nónne hinc ſequitur, illam Indulgentiam potuiſſe applicari defunctis? nónne id potuit ſperari ex Vicarii Chriſti liberalitate?

397 RESP. II. Etiam Indulgentia pro Cruce ſignatis dabatur rarò: ex graviſſima cauſa: cum deſignatione longè difficillimi operis, & cum ſummo apparatu, utpote quam promulgabant Sanctiſſimi viri, ut S. Bernardus, aliique celeberrimi. An idcirco potuit centies, millies in vita iterum obtineri?

398 Objicit IV. *Senſum fidelium, qui tanto ardore, labore, numero, diſcrimine Romam petunt, ut hoc bonum conſequi poſſint, ergo judicant, maximum quid eſſe, & extraordinarium planè, quod non eſſet, ſi non duraret uſque ad mortem.*

RESP. I. Id longè majore jure inferam de Indulgentia Cruce ſignatorum, inferam quoque extenſionem ad defunctos. II. *In re clara, apertáque dubium proponere, ſuperfluum, & verecundum eſt.* Bartolus apud Manrique *q.* 118. *Et conjecturis in re clara utendum non eſſe*, docent omnes cum Menochio *De præſumpt.* non igitur debemus divinare de ſenſu fidelium, cùm omnes, qui interrogabuntur, ſint apertè & claré dicturi, nunquam ſe in ſcholis, templíſve didiciſſe, vel docuiſſe, aut cogitâſſe, quod conjicit ille vir optimus.

399 Profectò diligentiſſimi Navarrus, Benzonius, Toletus, Bellarminus, Lugo, Sanctarellus, Diana, Filliucius, Lezana, Paſqualigus, qui omnes, excepto Benzonio, Romæ ſcripſerunt de hac ipſa materia, & ipſimet partim lucrati ſunt Indulgentiam Jubilei, partim cum innumeris, qui ſe ea potitos, vel potiri velle dicebant, locuti ſunt, quando tam operoſè indagabant diſtinctionem Indulgentiæ Jubileæ, ac Pleniſſimæ à plenaria, explicábántq; ipſammet Indulgentiam Jubilei, & quidem praxin, ut fecit Paſqualigus, non fuiſſent præterituri illam tantam amplitudinem, quantam deſiderat Pater Ferrantinus, ſi eis, aut cuiquam illorum, cum quo contulerunt, ipſa in mentem veniſſet.

400 Porro cauſa, quæ homines Romam Anno Sancto trahit, non eſt opinio de extraordinaria, prorſúſque incognita amplitudine, aut reviviſcentia Indulgentiæ, cùm, ſicuti dixi, exploratum ſit, aut nemini, aut certè paucis ſpeculativè, nemini practicè eam cognitam fuiſſe. Locutus ego ſum cum nonnullis, eò tendentibus, inde redeuntibus, nullus eam cauſam mihi attulit, ſed diverſi diverſas, quas quiſque facili conjecturâ aſſequi potuit. Ego ſi Romam Jubilei cauſâ profectus fuiſſem, nihil ejuſmodi ſperâſſem, & tamen tunc legeram jam omnes omnino authores, quos de Jubileo tractantes nancíſci potueram, fuerámque uti & nunc, in ea opinione, quòd favores Jubilei ſint quàm ampliſſimè interpretandi.

Objicit V. *Tempore Jubilei Innocentius X.* 401 *plenariam Indulgentiam ſuæ benedictionis præſentibus dedit in Feſto Omnium Sanctorum &c. nunquam tamen ſcitur dediſſe Indulgentiam Anni Sancti, ergo maximum diſcrimen eſt inter utramque. Quod aliud? niſi id, ut Indulgentia Anni Sancti extendatur ad pœnas totius vitæ?*

RESP. 1. Quid aliud, niſi quòd ea defunctis applicari poſſit? 2. Retorqueo hoc Enthymema: Summus Pontifex dedit ipſo Anno Jubileo ſæpe Indulgentiam plenariam, & nunquam *totalem* aut à *pœna* & *culpa*: ergo eſt magnum diſcrimen inter has Indulgentias. Item nemini facilè dabant olim Pontifices Indulgentiam Cruce ſignatorum, niſi Cruce ſignatis, ſed alias plenarias, ergo inter has, & illam intercedebat diſcrimen, quod hîc aſſeritur? Reſp. 3. Dedit Innocentius X. implicitè, non explicitè, ſeu verbis formaliter, aut grammaticaliter exprimentibus Indulgentiam Anni Sancti. Cur autem Papa uno ſynonymorum fuerit potiùs uſus, quàm altero, hemo divinando aſſequetur, niſi neget, Principes perinde ac plebeios, uti verbis hîc & nunc allubeſcentibus.

Objicit VI. *Hæc Indulgentia eſt non tantùm* 402 *Plenaria, ſed Pleniſſima, & non ratione facultatum commutandi vota, abſolvendi à reſervatis &c. quia in hoc Jubileo nullæ tales facultates fuerunt, ergo iſta, quod duret per totam vitam eo modo, quo dictum eſt.*

RESP. I. Ergo iſta, ut poſſit etiam ad defunctos transferri, alioqui non erit omnium maxima. 2. Innumeri Theologi, & Canoniſtæ cum Palud. S. Anton. Majore, Adriano, Cordubâ aliíſq; attulerunt explicationem Indulgentiæ *pleniſſimæ*, diſtinctionémque à *plenaria*, & tamen nullus eorum innuit illam, quam P. Ferrantinus, imò plerique negant, eſſe ullam. 3. Quandoquidem in ſuperioribus Jubileis fuit probabiliſſimè data ſaltem tacitè, & implicitè facultas commutationis & abſolutionis à cenſuris &c. ſicuti oſtenſum eſt ſuprà, & fatetur ipſe P. Ferrantinus. Eam ob rem ſentio, vel etiam fuiſſe datam tacitè in nupero Jubileo, cùm Priores Pontifices nullis aliis verbis fuerint

rint uſi, quàm Innocentius X. eorundem veſtigia ſequi ſe profeſſus; vel ſi Innocentius X. non dedit illam facultatem, tum dico, ſicuti ipſe in reliquis gratiis concedendis fuit minimè prodigus, ita etiam fuiſſe in Indulgentia Jubilei parciorem, quàm teſtimonio plurimorum Doctorum fuerunt alii. Mihi ex ejus agendi modo dubium non eſt, eum non dediſſe ampliorem Indulgentiam, quàm ejus Anteceſſores, & ſi dedit, *poterit expreſsiſſe Cap. 2. De tranſlatione Epiſcop.*

Ad alia, quæ objicit P. Ferrantinus non reſpondeo, quia vel nihil obſunt ſententiæ hactenus defenſæ, vel jam ſunt in ſuperioribus ſoluta.

403 Illud tamen prætereundum non eſt, quòd ipſe ſibi objicit, & ſolvit: *Neque quartò dicas, etiam idem de aliis plenariis Indulgentiis dicendum, quòd durent uſque ad mortem, nam contrà primò: illæ expreſsè conceduntur tantum pro una vice, vel pro uno tantùm tempore, aut loco, qualis reſtrictio Jubileo non additur. 2. Neque alia conveniunt, ex quibus colligimus Jubilei gratiam extendi ad totius vitæ peccata, ut meritò dicatur pleniſſima.*

Contra has duas ſolutiones replico I. In Jubileis univerſalibus extraordinariis, qualia hac ætate ſingulis circiter, trienniis, ætate verò Soti ſingulis ferè Annis impertita ſunt, perpetuò poſitam hanc formulam: *Omnibus Chriſti fidelibus confeſſis &c. pleniſſimam omnium ſuorum peccatorum Indulgentiam, ſicut in Anno Jubilei viſitantibus certas Eccleſias &c. concedimus.* Nec fit in iis ulla prorſus reſtrictio loci, aut temporis pro ipſa Indulgentia, licèt fiat pro operibus exequendis, ut ſit etiam Romæ in Anno Sancto; & pro abſolutione à cenſuris; licèt quoque Indulgentiam Jubilei, quam An. 1651. extendit Innocentius ad pleroſque Epiſcopatus, ipſe præter morem Summorum Pontificum, reſtrinxerit ad unam vicem, ut videbimus infrà *n.* 412. Unde plerique authores traduntur, Indulgentiam Jubilei æquè Romani, atque Extraordinarii poſſe obtineri ſæpius; ſi ſæpius intra debitum tempus peragantur opera præſcripta.

Et quia omnes, qui hanc quæſtionem tractant, expreſſè requirunt, ut toties repetat quis omnia opera præſcripta, quoties vult fieri compos Indulgentiæ Jubilei, etiam Romani; ideo iterum patet, quantopere omnes diſſideant à P. Ferrantino non petente, niſi Confeſſionis, aut contritionis repetitionem.

404 II. Omnibus fidelibus in die Circumciſionis Domini viſitantibus &c. templum aliquod Societatis JESU datur Indulgentia in forma Jubilei, adeóque tanta, quanta eſt Jubilei Romani, per dicta *n.* 474. & tamen non apponitur ulla particula eam magis reſtringens ad locum, & tempus, quàm fiat in Jubileis Romanis, ſicuti fatebitur, qui horum Bullas, illius Breve contulerit. Idem dic de multis aliis Indulgentiis plenariis, *in forma Jubilei*, quarum uſum eſſe in Eccleſia antiquum, patet vel ex Extravag. quemadmodum *De Pœnit. & remiſſ.* Quare certum eſt, non ſubſiſtere illam primam ſolutionem.

Sed nec ſubſiſtit ſecunda ſolutio; licèt enim 405 verum ſit, ſuppetere majores cauſas, cur Pontifex illam reviviſcentiam adjungat Indulgentiæ Jubilei Romani potiùs, quàm aliorum Jubileorum, nulla tamen cauſa efficaciter probat, id eſſe re ipſa factum, & ſi factum eſt, tunc illa gratia etiam extenſa eſt ad omnes Indulgentias datas inſtar Jubilei, ſeu *in forma*, ſeu *ſicut in Anno Jubilei*, omnes enim doctores, qui explicant Indulgentiam, *in forma Jubilei*, tradunt; hanc eſſe ſaltem in ratione Indulgentiæ, & remiſſionis tam amplam, quàm eſt Indulgentia Jubilei Romani, ut jam notavi *n.* 374. confirmatúrque inde, quòd favor Indulgentiarum ſit ampliſſimè interpretandus per ea, quæ ipſe hic Pater ex Leſſio refert, & approbat in confirmatione ſui ſecundi argumenti. Unde Joannes Præpoſitus *in 3. Part.* Indulgentias *in forma Jubilei*, vocat ex communiore perſuaſione æquivalentes Jubileo.

Atque hæc, præter alia, occurrerunt mihi 406 ſeu dicenda, ſeu dici poſſe, contra illam novam doctrinam, quam ſicuti nolo apertæ falſitatis, damnare, cùm noverim non diſplicuiſſe quibuſdam perquam ſapientibus Theologis; imò ob horum authoritatem credam, nec ipſimet Papæ Innocentio fuiſſe improbatam, ita nec volo ei ſubſcribere, ea etiam nova de cauſa, quòd tres præſtantes Theologi, expenſis, quæ hactenus ſcripſi, judicârint, nihil favorabilitatis eſſe dandum illi opinioni.

Videor tamen mihi non peccaturus in reverentiam humillimam ſacræ Sedi à me debitam, ſi ſcripſero, momenta rationum, quæ pro ſuo ingenioſo invento protulit P. Ferrantinus, eſſe ejuſmodi, ut tametſi non probent, fuiſſe ab Innocentio Papa conceſſam illam perpetuam reviviſcentiam Indulgentiæ Jubileæ, attamen ſubminiſtrent iis, quos ſecuturi Pontifices conſulent, priùs quàm Bullas Jubileas expediant, cauſas, & rationes, ob quas meritò deliberent; an non ſit, aut approbanda illa ſententia, aut certè exprimenda facultas circa abſolutiones, & commutationes, ſic enim proſpicietur quieti, & ſecuritati conſcientiarum, quibus tam differentes opiniones maximorum Doctorum gignunt perplexitates, fortè etiam & pernicioſos errores, quorum occaſione propono hunc

Specialem Caſum.

Diana, ut vidimus ſuprà n. 359. *teſtatur,* 407 *aliquos Confeſſarios Romanos nullâ, niſi ſubilei poteſtate præditos impertiiſſe abſolu-*

tionem à censuris, commutasseque vota, ratos id juris factum fuisse in Bulla; at verò Innocentius ipsemet negavit, se cogitâsse de ejusmodi jure, an nihilominus subsistunt coram Deo dictæ absolutiones, & commutationes?

408 Respondeo, nequaquam esse certum, quòd subsistant; quandoquidem hæc certitudo nequit asseri, nisi certum sit, vel potestatem illam fuisse factam ab Innocentio, vel jurisdictionem nitentem seu probabili opinione, seu errore communi, esse certò sufficientem ad tollendas in foro Dei censuras, reservationes, votorúmque obligationes. Atqui neutrum horum est certum. Non quidem Innocentii liberalitas, ut liquet ex dictis in decursu; non vis opinionis probabilis, sicuti ex instituto probavi Tomo priore *Tr. 7. n.* 114. non etiam vis erroris communis, cùm Juris error hîc nullas vires habeat, ut monui ibidem *n.* 107. sed solius facti; atqui tales Confessarii, sicut & pœnitentes probabiliter laborabant errore juris, cùm sit probabile, eam facultatem non fuisse contentam in Bulla Jubilei, quæ quidem Bulla est instar legis.

Quæ toto hoc capite 49. protuli adversus novam illam opinionem de jugi revivíscentia Indulgentiæ Anni Sancti, conscribendi ansam non dedisset Optimus & Doctissimus P. Ferrantinus, si expertus fuisset tam liberalem Innocentium X. quàm nos Clementem X. una enim unica causa excogitandi eandem revivíscentiam fuit, quòd Innocentius nullum prorsus favorem (extra Indulgentiam plenariam) tribuerit Romipetis, tribuit verò Clemens X. generatim duplicem, scilicet circa absolutiones & commutationem, ut vidimus capite præcedenti. Quamvis autem rebus stantibus, ut nunc stant, videri possit labor ille meus planè supervacaneus, non est tamen, cur illam disceptationem eliminem ex hac Nova Editione, partim quia nihilominus reperiet benevolus (malevolus si quis sit, eum non moror) Lector nonnulla non planè ingrata; partim quia in aliis quibusdam locis feci mentionem hujusce quadragesimi noni Capitis; deciperetur ergo Lector, si nihil hîc reperiret.

CAPVT L.

De Jubileo diversis Episcopatibus concesso immediatè post Jubileum Anni Sancti.

TRACTATIO OMNINO NOVA.

SUMMARIUM.

Nominantur tres Pontifices, qui Jubileum Anni Sancti extenderunt Anno 1650 ad varias Diœceses. 409.

Concesserunt autem non motu proprio, sed ad instantiam. Ibid.

Et addiderunt conditiones valde diversas ab aliis. 410.

Describitur Bulla, qua Innocentius X. publicavit dictum Jubileum pro Diœcesi Constantiensi. 412.

Referuntur tres quæstiones, quæ circa illam Bullam fuêre propositæ Authori. 414.

Item aliæ quinque. 415. *& seqq.*

Et rursum aliæ quatuor. 419.

Et una alia de quodam Archidiacono. 421.

Ac denique aliæ quatuordecim. 424. *& seqq.*

Resolvuntur illæ viginti septem quæstiones 427. *& seqq. usque ad* 515.

Bulla, & Breve quid sint? 518.

MEmini non semel in decursu, ac nominatim Capite præcedenti, de Jubileo Anni Sancti, per extensionem concesso Provinciis extra Italiam quoque sitis, & concesso quidem statim post exactum Annum Sanctum. Talem extensionem fecêre Clemens VIII. An. 1601. Urbanus itidem VIII. Anno 1626. & Innocentius X. Anno 1651. Fecerunt autem non motu proprio, sed ad instantiam vel Nunciorum Apostolicorum pro Provinciis, in quibus agebant legatos Pontificios, vel singulorum Episcoporum solicitantium pro suis Diœcesibus. Et verò non facilimè concedi hanc gratiam docet diploma quo Illustrissimus D. Joannes Georgius de Halyweil Episcopus Constantiensis ab incomparabili Zelo, solicitudinéque laudatissimus Imperii Princeps, publicavit suis Diœcesanis, Jubileum, quo Clemens VIII. dicto Anno 1601. honoravit Constantiensem Episcopatum ad instantiam Illustrissimi Domini Joannis Comitis Turriani ad Helvetios, eísque confœderatos Nuntii Apostolici; siquidem memoratus D. Joannes Georgius testatur, illum D. Nuntium *ferventissimè* Pontifici pro ea gratia supplicâsse, *& denique* Pontificem motum ejus precibus annuisse. 409

Annuit autem, sicut & ejus duo successores, præscribendo conditiones multùm diversas ab iis, quæ solent in cæteris Jubileis extraordinariis præscribi, ideóque fuerunt seminarium quoddam multorum quà facilium, quà etiam difficilium dubiorum, quorum magnam partem, ut elucidarem, rogatus fui tum coràm, tum literis datis è diversis Episcopatibus, atque idcirco rogatus, quòd sub idem tempus in complurium manus devenisset hic ipse tunc recens Tractatus, quem locupletatum hisce tribus postremis capitibus, variisque additionibus, & Appendicibus hinc inde insperſis, committo huic tertio prelo. Quia verò meritò confidimus fore, ut vel S. D. N. Clemens X. 410

vel

vel certè successores ipsius facturi sint Anno 1676. eandem, quam tres decessores, gratiam Episcopis pro ea supplicaturis, & proinde consimiles scrupuli, dubitationésque sint orituræ, frustrà verò eorundem solutiones quærendæ sint in libris ante hunc in lucem datis, cùm non reperiam quemquam, qui animum appulerit ad elucidationem præsentis Jubilei, existimavi, me de compluribus Confessariis, & fortè etiam de aliis bene meriturum, si proferrem in lucem illas pristinas quæstiones, ad quas Ratisbonæ commorantem respondere me oportuit, meáque responsa tunc data, vel fortè hisce defœcatiora, cùm dies posterior sit prioris magister, certè copiosiùs conscripta iisdem subjicerem.

411 Quò verò clariùs percipiantur, quæ dicturus sum, exhibeo exemplar Bullæ, ab Innocentio X. transmissæ Reverendissimo & Illustrissimo Principi Episcopo Constantiensi (è cujus Cancellaria Ecclesiastica sunt mihi petenti gratiosè commodatæ plurimæ Bullæ Jubileæ) Francisco Joanni, nunc quoque divino munere superstiti, cui exemplari fuêre simillima Ratisbon. Frising. Passavienſe, aliáque plura; at in tribus, vel quatuor articulis dissimile illud, quod à Clemente VIII. impetraverat is, cujus suprà memini, Illustrissimus D. Nuntius Apostolicus ad Helvetios, sed ignoro, sitne diversum ab eo, quod Urbanus VIII. Anno 1626. misit ad Episcopatus diversos. Hoc certum, quòd nullum (& miror, cur nullum) exemplar hoc genus Bullarum extet in Bullario Cherubini de Anno 1651. quo solutor; eámque ob rem suppetit mihi ratio peculiaris mandandi typis illud, quod habeo præmanibus, & cui subjiciam tum Epistolas ad me, repræsentantes varia quæsita, tum alia præterea dubia, atque horum omnium solutiones. Est igitur Bullæ ad Illustrissimum D. Ordinarium hujus Diœcesis Constantiensis hoc summarium, & tenor.

SUMMARIUM.

Innocentius exigit pro hoc suo Jubileo Confessionem, & Communionem. Lit. i.

Et visitationem quatuor Ecclesiarum, vel locorum piorum deputandorum. Lit. k. l.

Visitandorum autem per XV. dies. Lit. n.

Excipiuntur detenti legitimo impedimento. Lit. r.

Et Capitula, Congregationésque processionaliter visitantes loca designata. Lit. x.

Præcipitúrque recitatio Orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ. Lit. bb.

Ac datur Facultas eligendi Confessarium ex designatis ad Episcopo. Lit. ff.

Qui absolvat à Casibus etiam Cœnæ. Lit. kk.

Ad effectum Jubilei consequendum. Lit. nn.

Episcopo fit potestas dispensandi pro arbitrio circa varias personas. Lit. ss.

Jubileum illud extenditur ad bimestre. Lit. uu.

INNOCENTIVS

Papa X. &c.

AD futuram rei memoriam. Salvator noster Dominus noster JESVS Christus DEI filius, cujus licèt immeriti vices gerimus in terris, ad hoc nobis ligandi, & solvendi potestatem tradere voluit, ut saluti ejus gregis, nostræ curæ divinitus commissi paterno affectu, ac solicito studio incumbamus. Hinc est, quòd nos attendentes, Christi fideles a *in civitate, & in Diœcesi* a
b *Constantiensi Provinciæ Mogunt. diversis* b
impedimentis c *detentos, ad hanc almam Urbem, nostrámque pro Cœlestibus thesauris Jubilei Anni præteriti consequendis accedere non potuisse* d *& propterea è illorum spirituali con-* d
solationi, ac animæ saluti providere volentes supplicationibus f *venerab. fratris Episcopi* f
Constantiensis, Provinciæ Moguntinæ Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque Sexus Christi fidelibus g *civitatis, & Diœcesis hujus-* g
modi h *verè pœnitentibus, & Confessis, ac* h
sacra communione refectis i *quatuor* k *Ec-* i k
clesias, vel Capellas, aut loca pia, per ordinarium Constantiensem Provinciæ Moguntinæ arbitrio suo l *semel* m *tantùm deputan-* l m
da per quindecim dies n *continuos, vel inter-* n
polatos, quos pro personis infirmis o *seni-* o
bus. p *Prægnantibus, Virginibus,* q *Vi-* p q
duis, & aliis, quovis alio legitimo impedimento r *detentis, ac Capitulis* s *Congregatio-* r s
nibus tam sæcularium, quàm Regularium Sodalitatibus, Universitatibus, t *Confrater-* t
nitatibus, u *Ecclesias vel Capellas, aut loca* u
pia hujusmodi processionaliter x *visitanti-* x
bus, atque ob alias causas, y *prout ipsi Ordi-* y
nario videbitur, z *ad minorem numerum ar-* z
bitrio pariter suo aa *reduci posse volumus,* aa
devotè, & reverenter visitanda, & ibi quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam bb *pro peccatorum suo-* bb
rum remissione, ac deinde pro pace inter Principes Christianos conservanda, & hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, atque præsentibus Ecclesiæ necessitatibus cc. *piè ad Deum orando, plenariam* cc

ejusdem Anni Iubilei omnium peccatorum suo-
dd *rum Indulgentiam & remissionem: semel* dd *tantùm consequantur, perinde, ac si quatuor Ecclesias dictæ almæ Vrbis pro consequendo Jubileo hujusmodi deputatas, statutis ad id diebus personaliter visitâssent, & alia ad hoc requisita adimplevissent.*

ee *Et ad hunc effectum* ee *illis ut Confessarios, quos dictus Ordinarius, Iubilei hujusmodi*
ff *causa in statutis Ecclesiis deputaverit* ff *sibi eligere valeant, presbyterósque Sæculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, qui Confessioni-*
gg *bus eorum diligenter auditis* gg *eos, ac co-*
hh *rum quemlibet à quibusvis* hh *peccatis, criminibus, excessibus, ac delictis, & quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam Sedi*
ii *Apostolicæ reservatis* ii *ac in literis quæ in*
kk *die Cœnæ Domini* kk *legi consueverunt, con-*
ll *tentis, nec non censuris & pœnis* ll *Ecclesiasti-*
mm *cis ad effectum* mm *ipsius Iubilei consequendum, tamen injunctâ eis pœnitentia salutari, absolvere possint, nec non illi qui forsan Romam venerunt, ad Iubileum ipsum quovis*
nn *modo consecuti sunt, denuo* nn *& illud juxta tenorem præsentium consequi valeant, authoritate Apostolica harum serie concedimus, & indulgemus.*

Præterea eidem Ordinario, ut cujusvis Or-
oo *dinis Monialibus* oo *ac Orphanorum, alia-*
pp *rúmque mulierum, in Communi viventium* pp *Congregationibus, ad Iubileum intra monasterium, domósve suas consequendum conditio-*
qq *nes, modum & tempus præscribere* qq *& deni-*
rr *que* rr *in præmissis omnibus, & singulis ejus*
ss *arbitrio facere* ss *Ordinare, providere, & quæcunque sibi visa remedia opportuna adhibe-*
tt *re possit, prout animarum saluti* tt *expedire judicaverit, facultatem tribuimus, & impen-*
uu *dimus, præsentibus ad bimestre tantùm* uu *à*
xx *die* xx *illarum publicationis valituris.*

Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ ad S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. Maji. M.DCLI. Pontificatûs nostri Anno septimo.

413 Hactenus Breve Innocentii, cujus quâ visum est aliquibus esse obscurius, elucidandi causa exhibeo viginti septem quæstiones, quarum dimidiam partem continent Epistolæ è diversis Episcopatibus ad me exaratæ à viris doctis. Eæ verò quæstiones, quia versantur circa verba, clausulásque Bullæ, ut clariùs simul, & breviùs eas expediam, secui Bullam in membra characteribus Alphabeticis distincta, ad quos characteres referuntur pleræque meæ responsiones. Porrò primæ ex datis ad me super hac eâdem Bulla Epistolis erat hoc exordium, & argumentum.

Recurro ad Reverent. Vestr. & ejusdem judi- 414
cium exquiro, occasione mihi data à Reverendissimo D. Officiali nostro (Passaviensi) apud quem Reverentiæ V. judicium est &c. authoritatis collectæ ex libro de Iubileo nuper impresso; cui D. Officiali injecisse videntur nonnulli Doctores scrupulum circa Iubileum, in eadem forma missum, qua Episcopo Ratisbonensi. Primò enim aliqui ducti his verbis Bullæ: Omnibus & singulis &c. quatuor Ecclesias, vel Capellas aut loca pia per Officiales arbitrio suo semel tantùm deputanda: *suadere conantur, quatuor Ecclesias iis in una tantùm civitate deputandas esse, & ab omnibus totius Diœcesis fidelibus esse visitandas, at pro Passaviensi Diœcesi, in civitate Passaviensi solùm, & in nulla alia civitate, aut Decanatu assignandas esse, & consequenter omnes subditos hujus Diœcesis, si velint lucrari Iubileum, debere venire Passavium, & quatuor illas Ecclesias visitare, quemadmodum exstantes extra Romam, si velint lucrari, debent visitare Ecclesias Romæ assignatas. 2. Quid circa Confessarios, an vi Bullæ sit assignandus certus numerus? 3. Quid de illorum potestate, an alligetur ad locum, vel Ecclesiam, in qua est deputatus ad audiendas Confessiones, ita ut pœnitens non possit absolvi ab hujusmodi Confessario extra Ecclesiam, in qua est deputatus ad audiendas Confessiones? Ignoscat R. V. Passavii &c.* Ita P. Paulus Rosmer noster, posteà celebris nominis, ob editos Tractatus de Justitia, & Actibus humanis.

Aliæ alterius, & quidem ex hac Constantien. 415
si Diœcesi petebant enixè nomine scribentis, & plurium, ut ajebat, aliorum, resolutionem sequentium dubiorum propositorum his formalibus quoque verbis; 1. *Cùm nulla fiat mentio in Bulla de commutatione votorum, an nihilominus Confessarii omnes designati commutare possint, uti alias in similibus Iubileis potuerunt, in quibus expressa fuit concessa facultas dispensandi; cùm verò in hac nova Bulla concedatur quidem facultas absolvendi à censuris, nihil verò dicatur de commutatione votorum, quidam putant, eam nihilominus concedi, quod colligunt ex Ræ. Vræ. Tractatu de Iubileo* Cap. 1. quæst. 3. & cap. 3. quæst. 9. 2. *Si Congrega-* 416
tiones, & Confraternitates instituant quinque Processiones, & sic satisfaciant, ut non teneantur Ecclesias visitare decies quinquies, an etiam illæ satisfaciant, qui se processioni adjungunt, cùm tamen non sint membra Congregationis; & quid si fœminæ jungant se processioni nostrorum Socialium? 3. An per absolutionem à pœnis, & censuris *intelligi etiam possit dispensatio in irregularitate, præsertim ex delicto orta, ut ex homicidio occulto, vel occulta violatione censuræ. 4. Quid sibi propriè velint verba illa Bullæ de absolutione à censuris*: Ad effectum ipsius Jubilei consequendum? *Cæterùm omnes Bullæ ad diversas Diœceses missæ videntur esse ejusdem tenoris, certè Frisingensis cum nostra omnino convenit, nec* 417
dubito quin & aliæ. 5. Si quis occultè excommunicatus conjungeret se processionibus institutis à Confraternitatibus, an nihilominus satisfaceret, quia Ecclesia tales excludit à suis publicis officiis, licèt quidam dubitent, an privatæ Fraternitatum, & Congregationum Processiones sint publicis Ecclesiæ Officiis annumerandæ? Quæso &c. Constantiæ. Anno 1651.

419 Tertiæ ex alia Diœcesi proponebant hasce quæstiones 1. *Cùm verba Bullæ indicent, templa esse decies quinquies visitanda, etiam non unà computatis processionibus quatuor, videtur non esse æqua proportio inter pagos & urbes: illi duabus supplicationibus absolvunt ipsum Iubileum; isti verò præter quatuor supplicationes tenentur undecies visitare templa, quæritur* 1. *An non sufficiat tantùm interesse quatuor supplicationibus?* 2. *An sufficiat per undecim dies visitare templum unum, & in eodem sacrum audire, atque hoc ordine absolvere numerum intra bimestre, ita tamen, ut singulis diebus unum templum visitetur? 3. Quænam esse debeat discretio Confessariorum mutantium visitationem templorum* 420 *in alia ægris, Senibus &c? 4. Dubitarunt alii, an PP. Carmelitæ, qui non sunt in numero Confessariorum designatorum, possint vi Iubilei pro Iubileo audire ratione templi sui? Auxit dubitationem substitutus Consistorii N. in suis ad Capitulum nostræ Collegiatæ datis, quæ ita ambiguè loquuntur, ut videantur trahere Mendicantes Religiosos ad audiendas Confessiones in Ecclesia Collegiata; præcipuè cùm in vulgus emanarit rumor, quòd omnes, quotquot volunt lucrari Indulgentias, obligentur in Ecclesia Collegiata confiteri. Ignoscat &c. Straubingæ* 19. *April. Anno* 1651.

421 Quarta Epistola continebat hoc singulare dubium, *Gaudet, inquit scriptor, Prælatus A. titulo Archidiaconi nati, ideòque exercet omnes actus Iurisdictionis instituendo Synodos, & visitationes, ferendo censuras, absolvendo, & dando Vicariis potestatem absolvendi à reservatis Ordinario, idque ex eo maximè, quia Ordinariis ex authoritate, & mandato N. Principis prohibetur per hanc Provinciam exercere jurisdictionalia, pro Ordinibus tamen, & dimissoriis passim omnes*

ad illum recurrunt. Elapso igitur nuper Anno 1651. quo Pontifex Iubileum ad bimestre passim concesserat, dubitatum fuit, an Prælatus A. tanquam Archidiaconus natus potuerit per suum Archidiaconatum, & subjectas 14. *Parochias Bullam Iubilei, quæ aliis Episcopis, ut N.N.N. concessa fuerat, promulgare. Et judicatum fuit, quodnon, itáque etiam observatum, & neglectum apud nos Iubileum; quia Bullæ omnes, quas vidi diversis Episcopatibus concessas, dicebant, Indulgentiam Iubilei ad singulorum instantiam Episcoporum in suis Diœcesibus tantùm concessam, cùm autem hic non constiterit, Ordinarium suprà memoratum institisse, aut impetrâsse à Papa Bullam similem, etiam Archidiaconus noster gratiam aliis vicinis Episcopatibus impertiam authoritate sua non est ausus extendere.*

Quæro jam ex Ra. Va. an non revera potuerit 422
dictam Bullam Iubilæam promulgare, *sicut & aliis Annis alia Iubilea promulgavit, ipse & alii Archidiaconi, authoritate, & ex officio Archidiaconi; præcipuè cùm decreta, & literas Ordinarii alias non admittant, nec admittere audeant propter prohibitionem Principis N. me commendo &c. Viennæ Austriæ* 25. *Febr. An.* 1652.

Hæc tredecim dubia fuerunt mihi, ex qua- 423
tuor diversis Episcopatibus perscripta, ex quibus apparet, non fuisse ubique servatum eundem modum exequendi Bullam Pontificiam. At verò coram me interrogatus singulariter de hoc per accidens singulari Casu. Etenim illo Anno 1651. quo commorabar Ratisbonæ, instabant Comitia Imperialia futuro præsente Augustissimo Cæsare Ferdinando III. eámque ob rem conceserant Ratisbonam multi peregrini. Quærebatur igitur 1. *Verùm hi peregri-* 424
ni, & advenæ gaudere possent beneficio Ratisbonensibus Diœcesanis concesso. 2. An Episcopi potuerint sine consensu Parochorum dare Religiosis facultatem excipiendi Confessiones in eorum Ecclesiis. 3. An illa ampla potestas absolvendi ab omnibus etiam Bullæ Cœnæ casibus se exporrexerit ad absolutionem ab hæresi. 4. An etiam se porrexerit ad absolutionem ab omni suspensione, & interdicto locali. 5. Nomine Senum, & Virginum, quinam intelligantur in hoc Brevi; an omnes, quos ratione senectutis excusant Theologi à jejunio? An omnes puellæ, quæ putantur Virgines esse, & non sunt? 6. Quid nomine legitimæ impeditorum veniat? 7. Quid itidem nomine Universitatum? An etiam pagi? 8. An Religiosi e.g. qui Iubileum lucrati in una urbe, in qua domicilium habebant, fuêre à superioribus translati ad aliud ejusdem, vel diversi Episcopatûs habuerint jus novum ad idem Iubileum. 9. Quomodo intelligenda clausula: à die publicationis? *10. An illi soli fuerint capaces hujus gratiæ, qui propter impedimenta nequiverunt priori Anno accedere limina Apostolorum? 11. An, quia nulla*

fit mentio absolvendi à casibus Episcopalibus, cen-
425 *senda sit potestas in tales exclusa?* 12. *An si Parochus decernat alia opera, quàm Episcopus demandârit, teneantur Parochiani perficere illa?* 13. *An Diœcesanus possit extra Diœcesin commorans lucrari Iubileum?* 14. *An Episcopi potuerint vi illius finalis clausulæ* rr. ss. Denique in præmissis omnibus, & singulis ejus arbitrio facere, ordinare &c. possit, facultatem tribuimus. *An, inquam, vi istius tam amplæ, favorabilisque clausulæ fuerit penes Episcopi arbitrium disponere de omnibus in Bulla requisitis, augendo, vel minuendo tempus, numerum Ecclesiarum, visitationum &c?*

426 Farrago tot dubiorum, & ipsamet litera præsentis Bullæ firmant veritatem illius, quod dixi suprà, scilicet & esse valde diversam ab omnibus aliis, quæ conceduntur extra Annos immediatè sequentes Annum Sanctum, & turgere dubiis, quorum dissolutionem non sit reperire in explanatoribus Jubileorum. Conabimur autem cum divina gratia iis satisfacere, respondendo ad singula eo ordine, quo proposui. Ne autem præter morem meum creem lectori fastidium oratione non intercisâ, sed continuatâ per multa folia, dividam hanc in quatuor classes illas, quas quaternæ Epistolæ absentium, interrogationes præsentium indicant.

CLASSIS I.

Qua respondetur ad dubia proposita num. 414.

SUMMARIUM.

An Episcopus posit diversas Ecclesias in diversis Vrbibus suæ Diœcesis designare? num. 427.
Quid fuerit factum in Diœcesi Constant? ibid.
Quid Ratisbonæ? 431.
Quid faciendum fuerit stante Bulla Clementis VIII. pro Anno 1601? 432.
Bulla Innocentiana non vetat nominari tot Confessarios, quot placuerit Episcopo. 434.
At nequeunt absolvere vi Iubilei, nisi designati ab Episcopo. 435.
Possunt autem excipere Confessiones etiam extra Ecclesiam strictè dictam. 438.
Episcopus non potest exemptis Religiosis mandare, ut tunc excipiant Confessiones. 440.
Quid fuerit factum Ratisbonæ. 441.

427 Ad primum dubium propositum *n.* 414. utrùm videlicet necessarium sit, ut pro qualibet Diœcesi, fruente gratia hujus extraordinarii Jubilei designentur ab ordinario in una, eadémque urbe quatuor Ecclesiæ pro omnibus & singulis Diœcesanis? Respondeo 1. certum esse, quòd hæc designatio non sit ita necessaria, quin Episcopus possit vi clausularum sequentium dispensare cum Monialibus, senibus, infirmis. Id enim juris facit ipsis Pontifex *lit.* l. & aa. atque multorum Episcopatuum notoria praxis demonstrat, esse satis probabile, quòd possit itidem Ordinarius saltem per modum dispensationis constituere quaternas Ecclesias in diversis locis sui Episcopatûs; est quippe certum, quòd permulti Episcopi id facitârint Annis 1601. 1626. & 1651. siquidem, ut alia taceam, habeo penes me diplomata Ordinariorum Constantiensium de An. 1601. & 1651. in quibus sit expressè potestas Parochis faciendi designationem; at Illustrissimus Vitus Adamus Frisinganus eodem Anno 1651. in diplomate, quod habeo, designavit ipsemet per totam Diœcesin Parochiales cujuscunque loci Ecclesias, vel Ecclesiam, & ubi sunt aut quatuor, aut pauciores quàm quatuor, designavit omnes, adéoque etiam Capellas. Et verò multiplicationem numericam unius Ecclesiæ visitandæ designatam, ab Illustrissimo D. Joanne Georgio, de quo suprà *n.* 408. approbavit ipsemet Nuntius Apostolicus Turrianus, ut liquet ex literis ab eodem Joanne Georgio ad illum, & illius ad hunc responso de die 21. Nov. Anno 1601.

Quod pauculis omissis est ejusmodi. *Quoad difficultates varias, quas adducit sua Reverendissima Dominatio in publicatione & susceptione, præsentis Iubilei, facillimè illas potest sua prudentia, diligentia, & solicitudine, tanquam de sua Diœcesi satis instructa & informata, tollere, prorsusque auferre. Quod enim à nobis magna distantia disjunctis petat super publicatione Iubilei, Ecclesiarum deputatione, Confessariorum nominatione, dierum quindecim præscriptorum ad minorem numerum reductione, ac cum aliis legitimè impedimento detentis dispensatione, ac in alia pietatis opera commutatione, ipsa per se poterit tutò præstare, aptéque disponere; Sicut jam Reverendissimus D. Episcopus Curiensis præstitit maxima animæ & operis promptitudine in ipsius vasta & distracta Diœcesi, quod quidem Reverendissimam Dominationem Vestram pariter facturam confidimus. Si enim videtur nimium brevitate temporis arctari, ut vobis, quantum in Domino possumus, Consilio opitulemur, in potestate Reverendissimæ Dominationis Vestræ erit prius diem publicationis, Ecclesias visitandas, & Confessarios nominandos præscribere, ut omnibus sic dispositis & ordinatis menstruum tempus citius, quàm oporteret, non præterlabatur. In reliquis*

quis si opus erit nostro auxilio, libenter præstò erimus.

Lucerna VI. Novembris MDCI.
Perillustris & Reverendissimæ D. V.

Studiosissimus Amicus Ioannes Episcopus Vegliens. A. N.

Ita ille Illustrissimus D. Nuntius, cujus authoritate fultus D. Joannes Georgius fecit, id, quod retuli.

Idem respectu quaternarii Ecclesiarum numeri præscripti ab Innocentio X. factârunt Anno 1651. Ordinarii Ratisbonensis, ut sum testis oculatus. Item Passavienſis, Eichstadianus, Basileensis, Bissuntinus &c. aliique permulti, sicut & sum testis de Anno 1626. in Diœcesi Frisingana. Quis credat, tot sapientissimos Ordinarios cum suis Consiliariis errâsse in re tanti momenti?

428 Eorum factum, & Consilium defendo hac ratione, quòd videlicet versemur in materia merè favorabili, & proinde debeamus istas Bullas tam latè interpretari, quàm patitur verborum proprietas. Suprà *cap. 5. n. 24.* patitur autem verborum proprietas, ut dicamus; illa clausulâ: *visitantibus Ecclesias ab ordinario tantùm semel deputandas*, mandari duntaxat Ordinario, ut minimùm quatuor loca pia designet visitanda: visitanda, inquam, non ab universis (nec enim textus nos cogit, ad hasce angustias) sed à singulis Diœcesanis, & quidem semel duntaxat designet, id est permaneat constans in designatione semel facta, non autem illam mutet. Atqui si Ordinarius deputet pro incolis hujus districtus quatuor Ecclesias *a. b. c. d.* pro alterius districtûs habitatoribus templa *e. f. g. h.* propriissimè dicetur designâsse quatuor loca pia visitanda à suis ovibus, idque semel.

429 Confirmatur hujus explicationis probabilitas ex textu Regulæ 67. *ff. De Reg. Iur.* ita statuentis: *Quoties idem sermo duas sententias exprimit* (seu duplici modo commodè explicari potest. Decius *ibidem* & ejus Additionarii) *ea potissimùm accipietur, quæ rei gerendæ aptior est.* Atqui nostra explicatio est rei gerendæ, seu operibus præscriptis adimplendis aptior quàm opposita, ergo fuit, & erit potissimùm accipienda, præsertim in Germania, & Poloniâ, in qua visuntur Episcopatus longitudinis 4. 5. 6. dierum, & propè totidem lati. Equidem si omnes, & singuli debeant se conferre ad unam civitatem, & quidem vel summâ hyeme, vel tempore messis, idque quando Jubileum circumscribitur spatio unius mensis, (ut concludebatur id, quod dedit Clemens VIII.) maxima pars, imò plerique omnes plebeji cogentur carere gratiâ Pontificiâ, quod sanè esset contra intentionem Ordinariorum supplicantium pro ea gratia.

At huic explicationi oppones fortassis, ex ea 430
sequi, quòd Episcopus possit designare planè omnes Ecclesias sui Episcopatûs, adeóque non appareat, ut sic, ratio, ob quam Pontifex det tam specialem simul, & generalem facultatem dispensandi quoad visitationem quatuor Ecclesiarum cum omnibus viduis, & virginibus, ita quippe objiciebant, qui dicto Anno 1651. censebant (& verò erant multi hujus opinionis) esse omnino duntaxat quatuor loca pro universo Episcopatu designanda.

Respondeo, hanc sequelam admitti à me 431
in sensu accommodo, quid enim obstat, quò minùs Episcopus edicat: *In quocunque oppido, seu urbe stant quatuor Ecclesiæ, eas omnes cives visitanto decies quinquies*: In *quocunque Decanatu rurali sint Ecclesiæ viginti, dividuntor hæ in quinque æquales numeros, atque ita hæ quaternæ visitantor ab incolis pagorum a. b. c. d. illæ quaternæ ab e. f. g. h.* Quin lego in Episcopali diplomate Anni 1651. hanc in Latinum è Germanico translatam formulam: *Nos pro quatuor Ecclesiis in urbe Constantia nominamus in locis illius; & iis, qui ibidem Iubileum lucrari volunt, nostram Ecclesiam Cathedralem, Dominicanorum, Capucinorum, Iesuitarum Ecclesias &c. extra urbem verò permittimus Parochis cujuscunque loci designationem quatuor Ecclesiarum, ubi tot extant, aut in quovis loco tot, quot seu Ecclesias, seu etiam altaria reperire est. Vbi autem extat una solùm Ecclesia, poterit ea, vel pro ratione locorum adhuc una alia, vel plures è vicinis deputari.* Quam tam liberalem dispensationem in Bulla Innocentiana, tametsi ignoro, an fecerint alii præter Frisinganum, de quo suprà, Antistites, non dubito tamen, quin illi sint secuti securiorem, qui exemplo Ratisbonensium pro singulis circiter Decanatibus nominârunt 4. Ecclesias, etsi à multis fuerit confectum iter trium, vel quatuor horarum. Certè advenerunt, expansis vexillis, ad civitatem (nomine civitatis decorat Curia Romana illa sola loca, in quibus residunt Episcopi) Ratisbonensem supplicum ritu è permultis circum circa pagis dissitis ad 4. vel 5. horas, imitati Frisinganos Anno 1626. qui non nisi in paucis locis quaterna loca deputârunt, indéque factum, ut confessionalia nostri templi Monacensis, in quo facilè 24. dabant operam excipiendis, confessionibus, acceperint à confertissimis rusticis invicem impellentibus damnum non leve. Et quia potuerunt utique Episcopi templa tam multùm, aut etiam longius remota deputare, idcirco necessarium fuit habere potestatem dispensandi cum senibus, virginibus &c. & sic satisfactum est utrique argumento, quò petebatur nostra responsio.

At

432 At difficilius mihi occurrit legenti Bullam Clementis VIII. de Anno 1601. etenim in ea non solùm fit mentio unius duntaxat Ecclesiæ necessario visitandæ ab omnibus, ut jam observavi suprà *n.* 411. Catholicis Helvetiis, nam pro hisce solis supplicaverat ab initio Apostolicus Nuntius, sed etiam unius unicæ visitandæ ab omnibus omnino Diœcesanis Constantiensibus, ad quos Pontifex multùm rogante prædicto Domino Nuntio extenderat eam gratiam, atque ita expressè fuit pro suis Diœcesanis illam Bullam interpretatus unà cum suis Consiliariis Illustrissimus D. Joannes Georgius, qui proinde fecit potestatem quidem singulis Parochis nominandi suas proprias Parochias, aut si qua in urbe essent plures, nominandi primariam, at professus, ut jam insinuavi *n.* 428. simul est, se eam facere potestatem, eò quòd D. Nuntius Apostolicus commiserit suo arbitrio designationem Ecclesiarum, & ad hanc tam facilem conditionem eum impulerit consideratio incommoditatum hybernæ tempestatis (decimo Decembris fuit editum diploma) atque itinerum.

433 Ex hoc facto Clementis desumitur hoc difficile argumentum, quòd scilicet in dubio sit posterior dispositio interpretanda juxta clarum sensum prioris, sicuti ex variis juribus probavi suprà *n.* 348. Atqui Clementis dispositio de unica pro toto Episcopatu Ecclesiâ est clarissima; Innocentii verò de quatuor est dubia, imò primo aspectu clara de quatuor pro omnibus, & singulis, seu pro omnibus collectivè, & copulativè Diœcesanis; ergo debet ita intelligi: & omnino censeo esse ita intelligendam, ac proinde licèt illo Anno 1651. totus propenderem in sententiam severiorem lectâ solâ Bullâ illius Anni, ideóque existimarem, non posse sine dispensatione nominari plures in toto Episcopatu Ecclesias, quàm quatuor, nunc tamen non solùm in illâm ipsam sententiam magis propendeo, verùm prorsus credo, esse veram, abstrahendo à praxi, quam absit ut damnem.

434 His circa primum dubium fusiùs disputatis sequentia succinctiùs expediam.

Itaque ad secundum dubium *n.* 414. propositum: An fuerit vi Bullæ assignandus certus numerus Confessariorum? Respondi, & respondeo, non fuisse, quia Bulla nullam prorsus restrictionem facit respectu numeri Confessariorum.

435 An verò Confessarii deputati debuerint excipere Confessiones in illis duntaxat Ecclesiis, quæ erant visitandæ? quod est tertium dubium ex propositis sub *n.* 414. controverti potest. Ratio siquidem id asserendi est hæc fundamentalis, quòd in Brevi fiat potestas eligendi non quoslibet Confessarios, sed quos *dictus Ordinarius Iubilei hujusmodi causa in statutis Ecclesiis deputaverit.* Augetur difficultas ex eo, quòd cùm Clemens VIII. pro Jubileo, de quo suprà, voluerit unicam Ecclesiam designari, loquens de Confessariis dicat: *eligendi Confessarium, quem idem Nuntius noster in illa, vel alia Ecclesia nominabit.* Ex quibus verbis deducitur, 436
Confessiones fuisse in primis audiendas in Ecclesia, non autem extra; deinde non in qualibet Ecclesia, sed solùm in una è designatis. Cùm enim Clemens disjunctivè dicat, Confessionem esse peragendam in designata, vel alia diversa, Innocentius verò abstineat disjunctivâ, videtur & nos debere abstinere, quia quod lex non dicit, nec nos dicere debemus. *Cap. Illa. Ne sede vac.*

Hæc sanè ratio videri potest, perquam firma, si abstrahatur à praxi, at spectando praxin communem, non subsistit. In primis enim non est credibile, quòd Religiosi homines, qui solent suas Confessiones peragere in cellis, seu conclavibus suorum confessariorum, vel in Capitulo, volentes fieri participes talis Jubilei, fecerint Confessionem in Ecclesia. Deinde in diplomate, quo fuit Jubileum, de quo nunc agimus, promulgatum, fiebat omnibus Confessariis extra urbem Constantiensem degentibus, & approbatis excipiendi Confessiones adspirantium ad gratiam Jubilei, at sine mentione loci, in quo deberent fungi hoc officio, sicut & omnibus approbatis (sine itidem mentione loci) Anno 1651. Antistes Frisinganus. 437

Qua de causa dico in primis, nomine *Ecclesiæ* non intelligi hoc loco Ecclesiam vulgari modo dictam, sed etiam stylo Canonico, quo nomine Ecclesiæ venit Monasterium junctum Ecclesiæ, juxta ea, quæ ex P. Quintanadvenna tradidi suprà *cap.* 20. Equidem est quandoque tantus concursus volentium id temporis expiare conscientias exhomologesi, ut nequeant omnibus præberi aures in ipsa Ecclesia propter defectum Confessionalium. Certè nullum habui circa hoc scrupulum, cùm Ratisbonæ agerem, nullum alii nostri Patres, sive in peragendis suismet, sive in excipiendis alienis Confessionibus. 438

Deinde ajo, non dici in Bulla Confessiones 439
esse faciendas in Ecclesia, sed faciendas illis, qui sunt deputati in statutis Ecclesiis; omnes autem, quibus communicatur ab Episcopo potestas excipiendi Confessiones obligatorum visitare hanc, aut illam Ecclesiam, rectè dicuntur esse deputati pro illa Ecclesia, tum quia sunt destinati pro visituris fructuosè talem Ecclesiam, tum, quia hoc ipso, quòd sint ab Episcopo deputati ad excipiendas Confessiones visentium hanc, aut illam Ecclesiam, debent hoc officium obire in illa, si necessitas exigat. Unde licèt videatur Episcopus non posse 440
extra necessitatem, seu quando alii Sacerdotes

tes numero sufficiente non adsunt, exemptis mandare id ministerii, si tamen designati ab eo pareant, ut sanè convenientissimum est, debebunt consequenter Confessiones audire in deputata Ecclesia, si Episcopus judicet, id esse necessarium, seu ad notabile commodum pœnitentium.

441 Hinc factum, ut cùm dicto Anno 1651. essent ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Francisco Comite de VVartenberg Episcopo Ratisbonensi, & postea Cardinale omnes Sacerdotes nostri Ratisbonensis Collegii nominati pro Confessariis, ego aliique nonnulli Patres, petente ipso, iverimus ad Ecclesiam Cathedralem, quando erat magnus accursus, ut sæpe fuit, peregrinorum, ibique præbuerimus hisce aures, aliis Patribus præstantibus hoc officium in nostra Ecclesia, utpote quæ erat una ex designatis quatuor. At id non esse actum Constantiæ eodem Anno, quo etiam nostri fuêre accensi Confessariis, comperi, cùm hæc scribebam.

CLASSIS II.

Dubia proposita suprà n. 415. & seqq.

SUMMARIUM.

Non licet, stando Iubileo Anni 1651. commutare nulla vota. 442.
Solvitur duplex objectio desumpta ex verbis authoris. 443. & 444.
An, qui non sunt membra Capituli, aut Confraternitatis, comitando hanc, vel illud processionaliter incedentia, fruantur peculiari gratiâ factâ Capitulo, vel Congregationi processionaliter euntibus? 445.
Dubitandum in eo casu non est de iis, qui se jungunt Capitulis; esto sint ipsi minimè Capitulares. 446.
Et verosimiliter defenditur idipsum de aliis, qui comitantur Confraternitates; esto non sint membra harum. 448.
In dicto Iubileo non licebat dispensare in ulla irregularitate, vel manifesta, vel occulta quidem, sed non proveniente ex delicto. 449.
Probabiliter autem licebat; si fuit occulta simul & orta ex solo delicto proprio. 450.
Excipiendum homicidium. Ibid.
Nomine pœnæ *an comprehendatur irregularitas? Ibid.*
Sensus illius clausulæ: Ad effectum ipsius Jubilei consequendum *est difficilior, quàm appareat.* 451.
Excommunicatio Minor incurritur etiam ob peccatum veniale. 452.
Et suspensio non privat usu Sacramentorum. Ibid.
Quis sit propriè sensus Clausulæ: Ad effectum ipsius Jubilei consequendum. 453.
An excommunicatus Immiscens, se processioni institutæ pro Iubileo satisfaciat? 454.
Singulariter si sit processio Laicalis duntaxat? Ibid.

AD primum ex illis quinque Dubiis re- 442
spondi, & respondeo, nequaquam licuisse vi illius Jubilei ulla vota commutare. Ratio est, quia hoc ipso, quòd Papa fecerit expressum jus petendi absolutionem à reservatis, & censuris, non factâ ullâ mentione votorum commutationis, hanc nequivisse fieri prudenter infertur, ex C. *Nonne. De præscript.* Accedit, quòd & Bulla, quam hîc explicamus, sit valde diversa à ceteris, unde non mirum, quòd non jungat potestati absolvendi à peccatis, & pœnis, potestatem in vota. Accedit quoque, quòd à diversis non valeat illatio, hæ autem duæ potestates sunt diversissimæ. Denique Indulgentiæ tantum valent quantum sonant. Infrà in App. *lit. e.*

Quia verò idem, qui Epistolam scripserat, 443
addebat, nonnullos esse, qui ex dictis à me in hoc Tractatu *cap.* 1. *n.* 4. & *cap.* 3. *q.* 9. deducebant illam potestatem, respondeo, non rectè deduxisse; licèt enim primo loco scribam, si contingat, quòd Pontifex absolutè dicat, se alicui communitati concedere Jubileum, illam communitatem hoc ipso posse sibi prudenter persuadere, se præter Indulgentiam plenariam habere jus petendi ab alio Confessario electo absolutionem à censuris &c. & commutationem votorum: huc tamen nihil facit illa doctrina, quia Innocentius nec dicit, nec absolutè dicit, se dare Jubileum. Non dicit, ut liquet ex litera, tametsi faciat potestatem lucrandi Jubilei Romani. Non absolutè dicit, quia exprimit, quid ultra ipsam Indulgentiam largiri intendat. Secundum locum, 444
qui ex hoc tractatu contra me adducebatur, quod attinet, tametsi illic in prima Editione absolutè scripserim, præter Indulgentiam in Anno Sancto concessam conferri potestatem circa vota, id tamen intellexi loquendo de illâ ipsa Bulla, quâ promulgari solet Jubileum Anni Sancti, sicuti de suâ expressè seu declaravit, seu statuit Clemens X. ut vidimus *cap.* 9. Append. 1. non de alia per quam confertur Indulgentia talis, qualis in Anno Sancto; & confertur cum clausulis non existentibus in Bulla Anni Sancti, & ex se indicantibus exclusionem unius, aut alterius ex facultatibus, quæ probabiliter comitantur Indulgentiam ipsiusmet Anni Sancti.

Ad alterum dubium propositum *n.* 416. An, 445
quoniam Illustrissimus Constantiensis declaravit, quinque visitationes quatuor designatarum Ecclesiarum fore sufficientes Capitulis, Confraternitatibus, & Communitatibus pro-

cessio-

cessionaliter eas peragentibus, illis quoque essent futuræ sufficientes, qui se jungerent dictis Capitulis, & Confraternitatibus, etsi non forent earum membra. Respondeo, rem esse dubiam, quia ex una parte verba sunt intelligenda propriè *L. Non aliter ff. De Leg.* 3. per Capitula verò, & Congregationes facientes aliquid, intelliguntur propriè sola Capitulorum membra; siquidem eadem est vis propositionis Exponibilis & Exponentis; Exponens autem est hæc: *Capitulares: Confratres &c.* qui processionaliter visitaverint; ex altera autem parte dubitari non debet, quin, quando Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum instituunt tales processiones, harum beneficio fruantur ministri quoque, qui videlicet Labara gestant, Candelabra ferunt; cantu processionem animant &c.

446 Unde in primis dico, Capitula quod spectat, nullum esse dubium, quin, quotquot se iis processionaliter incedentibus licitè jungunt, potiantur privilegio ipsorummet Dominorum Canonicorum; tum quia verba sunt intelligenda cum effectu Juribus vulgatis, adeóque cum circumstantiis, & conditionibus solitis decenter adhiberi; tum quia Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiatæ assolent indicere, aut instituere Supplicationes publicas maximè propter plebem, ut hanc excitent ad pietatem. Itaque nullum potest de his esse dubium rationabile, sicuti, meo judicio, neque de aut personis necessariis ad decorem processionum, à Confraternitatibus institutarum, aut de famulis comitantibus de more suos Dominos foras procedentes, uttisque enim hoc genus hominibus patrocinatur prima ex adductis paulò antè rationibus, sicut & Communis doctrina de famulis, comitantibus suum Dominum, fruentem privilegio audiendi sacri, vel in oratorio privato, vel tempore interdicti.

447 At loquendo de personis non habentibus ullam peculiarem relationem ad Confraternitatis processiones, & singulariter de illo pio femineo sexu, qui consuevit in hac urbe Constantiâ legere vestigia Sodalium inscriptorum Congregationibus Dominicanorum, Civium, & Scholasticorum, Lauretanam ædem solenni cum modulatione visentium, omnino rationabiliter dubitatur, an ad eos extendatur favor Bullæ, quatenus disponit de processionibus, quia neutra allatarum suprà rationum ipsis patrocinatur communiter loquendo.

448 Quia tamen in omni dispositione maximè spectandus est finis à disponente intentus, & secundum hunc regulanda dispositio. Regul. *fin. in 6. & Not. Ibid.* non videtur autem esse mens Pontificis, loquentis de processionibus fratrum facere specialem gratiam hisce, ut talibus, seu ut conflantibus talem aut talem communitatem, sed potius, ut conflantibus multitudinem piè & ordinatè, cum aliqua Solennitate procedentem processionaliter, ad hanc verò conflandam concurrunt omnes, qui sese piè, & ordinatè jungunt Confratribus, idcirco est mihi perquam verosimile, ejusmodi personas æquè gaudere favore processionaliter visitantium Ecclesias, atque gaudent ipsimet fratres & sorores. Et quis neget, Sodales Rosarii, qui tunc intersunt processionibus Sodalium Annunciatæ, aut rusticos Parochiæ proximæ, vel remotæ à Parochia E. utiliter ad propositum nostrum interesse processioni Parochiæ D, si Ecclesia, ad quam progreditur Parochia E, sit etiam designata pro subditis Parochiæ D?

Ad tertium dubium *n.* 417. productum circa absolutionem ab irregularitate, seu generatim, seu speciatim occulta simul, & orta ex delicto, respondeo primò, esse certum, quòd non possit vi hujus Jubilei dispensari in ulla irregularitate vel manifesta, vel occulta quidem, at aliunde, quàm ex delicto proprio ortâ; tum quia nullus, ut puto, Doctor hactenus ausus est hoc permittere in Jubileis communibus toti Ecclesiæ: tum quia irregularitas orta aliunde, quàm ex delicto, nimis impropriè dicitur tolli per absolutionem, cùm tamen in nostra Bulla non tribuatur respectu defectuum potestas nisi absolvendi: tum quia irregularitas manifestà, seu ex defectu manifesto est tam difficilis dispensationis, ut non censeatur dari potestas dispensandi in illa nisi exprimatur. At si originem duxit ex delicto occulto, 450 poterit auferri per Confessarium hujus Jubilei juxta Dianam relatum à nobis suprà *n.* 272. nequibit ex Suarezii veriore opinione relatâ Ibid. *n.* 272. Equidem cùm Innocentius non fecerit Confessariis seu mediatè, seu immediatè, & directè potestatem absolvendi, nisi à censuris &c. peccatis reservatis & pœnis *lit.* in nomine autem *pœnæ* non intelligatur ulla irregularitas juxta Communem doctrinam relatam à nobis Tom. *priore Tract. 7. Cas.* 20. *n.* 641. stando hâc Communi sententiâ nequit Confessarius tollere etiam irregularitatem pœnalem, ut ita loquar. Quia tamen *cit. n.* 641. scripsi, posse in casu necessitatis dari locum arbitrio Soti, & aliorum existimantium; voculâ: *pœna* comprehendi irregularitatem ortam ex delicto occulto, eam ob rem poterit & Confessarius nostri hujus Jubilei id facere in casu itidem necessitatis. Nolim tamen id extendi ad irregularitatem ex homicidio saltem voluntario, propter ea, quæ tradunt Palaus *Tr. 25. disp. un. p. 8. §. 4. n. 3.* & Diana *Part. 5. Tr. 3. Resol.* 81.

Ad quæstionem quartam, *cit. n.* 417. ex- 451 pressam, quid videlicet sibi propriè velint illa verba Bullæ *lit. mm.* de absolutione à censuris:

ris: *Ad effectum ipsius Iubilei consequendum*? Respondeo, latere hic majorem difficultatem, quàm appareat multis; etenim sensus obvius horum verborum est, Confessarium electum vi hujus Bullæ, non posse absolvere ab illis censuris, quæ non impediunt effectum Jubilei, per quem effectum intelligitur duntaxat Indulgentia ipsa, ut liquet ex contextu sententiarum, quibus constat Bulla; atqui illæ solæ censuræ impediunt consecutionem Indulgentiæ, quæ impediunt, ne vel licitè obeantur opera præscripta pro consequenda Indulgentia, vel operibus præscriptis obitis obtineatur ipsa Indulgentia, ut si quis perfectis omnibus excepto ultimo jejunio labatur in majorem excommunicationem; etsi enim talis utique licitè validéque peragat ultimum, non tamen adipiscetur Indulgentiam, nisi absolvatur ab excommunicatione majore latæ sententiæ, cùm & talis excommunicatio involuat, seu supponat peccatum mortale, & nequaquam sit mens Ecclesiæ, expendere thesaurum Ecclesiæ in membra ab ea præcisa. Atqui non omnis censura impedit vel legitimam executionem operum præscriptorum, vel adeptionem ipsius Indulgentiæ.

452 Nam in primis excommunicatio minor sæpe contrahitur ob solum peccatum veniale, Suar. *Tom. 5. in 3. Part. disp.* 24. *sect.* 3. ex Communi; licèt ergo privet participatione Sacramentorum, ideóque si ultimum opus pro Jubileo sit Communio, oporteat ad hanc licitè percipiendam tollere vinculum talis excommunicationis, si tamen incurrat quis excommunicationem primùm post Confessionem, & Communionem, sed ante jejunia, non impedit consecutionem Indulgentiæ; ergo non poterit dari absolutio illius. Item suspensio ab omni beneficio, vel officio non privat usu Sacramentorum, nec impedit licitam visitationem Ecclesiæ &c. ergo videtur Confessarius etiam non posse ab hac absolvere vi Jubilei.

Respondeo nihilominus posse; nam suspensio, sicut & excommunicatio major, atque interdictum non solet inferri nisi ob peccatum mortale DD. communiter; atqui peccatum mortale impedit Communionem, sicut & ipsammet acquisitionem Indulgentiæ. Nec obest, quòd excommunicatio minor non impediat hanc acquisitionem, sufficit, quòd sit apta impedire Sacram Communionem; est autem per accidens, quòd primùm post hanc peractam, aut ante ultimum opus executioni mandatum, quis hanc incurrerit.

453 Sed instabis: Si absolutio Confessarii valet solùm ad effectum Jubilei, ergo & obtento Jubileo redibunt censuræ, quia sublata causa tollitur effectus, & excommunicatio quatenus privat communicatione in profanis, & suspensio quatenus respicit beneficium Ecclesiasticum, seu hujus administrationem, non poterit tolli per Confessarium, quia hi respectus nihil faciunt ad finem Jubilei.

Respondeo; ut his, & similibus objectionibus satisfiat dicendum est, sensum Bullæ dicentis: *Ad effectum ipsius Iubilei consequendum*, esse hunc planum, quòd non detur potestas absolvendi, nisi illos qui animum habent potiundi Jubileo, qualem habent omnes illi, & soli, qui intendunt obire omnia præscripta; Item, quòd Papa det quidem his omnibus, & solis potestatem eligendi Confessarium, qui integerrimè, & sine metu reincidentiæ absolvat ab omnibus censuris, at hanc tam amplam potestatem non esset facturus, nisi ad hanc liberalitatem eum permoveret desiderium, quò optat, ut omnes fideles perficiant omnia opera demandata, & sic illi tum integrè reconcilientur Numini, tum impetrent illa externa bona e. g. concordiam Principum Christianorum, ob quorum impetrationem tanquam finem mediatum suscepit Pontifex consilium de aperiendis tam liberaliter thesauris Ecclesiæ. Est porrò notandum, prædictam clausulam reperiri non solùm in hisce Jubileis tam multa particularia habentibus, sed etiam in omnibus quindecim dierum Jubileis, sicut & nominatim in illo, quod ad Moniales extensum ipso Anno Sancto explanavi suprà *cap.* 6.

Ad quintum dubium *n.* 418. propositum 454 de excommunicato immiscente se Processioni institutæ pro lucrando Jubileo, an satisfaciat? Respondeo, tametsi talis utique peccat juxta Cap. *Excommunicatos* 11. *q.* 3. non tamen impedit excommunicatio, quò minus propriè dici queat interfuisse Processioni, & sine dubio omnes, qui ante Alexandri VII. Decreta condemnantia 43. propositiones ajebant, per Confessionem, aut Communionem sacrilegam impleri conditionem de obeundis hisce Sacramentis, idem à fortiore dixissent de tali excommunicato.

An verò processiones, de quibus mentionem injiciebat consulens, institutæ à Confraternitatibus annumerandæ sint officiis Ecclesiasticis, à quibus excluduntur singulariter excommunicati, autumo respondendum, eas non contineri sub tali nomine, quandoquidem sunt ex se Confraternitates Laicorum; officia verò Ecclesiastica sunt obeunda principaliter à personis Ecclesiasticis. Nec videntur tales supplicationes esse magis functiones Ecclesiasticæ, quàm recitatio publica Rosarii; quam laudabilissimè quoad possunt, promovere in templis, & campis conantur PP. Prædicatores.

CLASSIS III.

Qua expediuntur quæstiones propositæ n. 419. & seqq.

SUMMARIUM.

An quando Episcopus declaravit, sufficere undecim visitationes Ecclesiarum, casu quo instituerentur quatuor processiones, potuerint fieri participes Iubilei illi fideles, qui visitârunt Ecclesias solùm sexies, aut septies? 455.

Qualis continuatio processionum, & visitationum fuerit facta Ratisbonæ? 457.

Qualis Constantiæ? Ibid.

An additio sacri habeatur pro visitatione Ecclesiæ? 458.

In quo consistat Confessarii discretio circa visitationis diminutionem respectu impeditorum? 459.

Etiam Mendicantes Religiosi non poterant à reservatis absolvere, si non erant nominati ab Episcopo. 460.

Archidiaconus, potest per se loquendo promulgare Iubileum. 461.

Casus, quo certus quidam Archidiaconus non poterat. 461.

455 AD primam ex quæstionibus illis respondeo, Diœcesanos illorum locorum, in quibus Episcopus voluit loco quindecim visitationum sufficere undecim, si instituerentur quatuor Professiones, videri revera excidere gratia Jubilei, si non visitent undecies. Ratio est, quia subrogatum habet vim illius, cui subrogatur, ut constat ex communi doctrina, & axiomate apud Tuschum *lit. s. Concl.* 757. Episcopi autem subrogantur Summo Pontifici, quia ipse communicat iis suam potestatem circa ordinationem horum operum, ut liquet ex litera; utique autem si Papa præscriberet undecim visitationes cum quatuor Processionibus, censeretur non lucrari Indulgentiam, qui negligeret aliquot Supplicationes. Et nonne quando Confessarii ex potestate sibi factâ commutant ad instantiam suorum pœnitentium unum opus in alterum, privabuntur pœnitentes Indulgentiâ, si non obeant illud, quod Confessarius substituit?

456 Itaque non videtur esse hac de re ambigendum, si illæ quatuor Processiones sint non valde notabiliter difficiliores. Dubitabit autem quis fortè ulteriùs: An Episcopus possit decernere, ut omnes non impediti, volentes tamen evadere participes Jubilei, interfint his tam difficilibus, & tamen teneantur visitare undecies Ecclesias? Sed revera non est locus prudenti dubitationi, quandoquidem deduxi suprà *n.* 433. ex tenore Bullæ, esse penes Episcopum designare quatuor pro toto Episcopatu Ecclesias; quæ designatio acidet quidem multis molestissima, attamen tenebit factum Episcopi.

Porrò tametsi fuerit in Episcopatu Ratis- 457
bonensi facta combinatio Processionum, & visitationum talis, qualem memorant literæ conficientes hanc tertiam dubiorum Classem, in hac tamen Diœcesi Constantiensi non fuit facta ulla talis combinatio. Siquidem Anno 1601. mandavit Illustrissimus D. Ordinarius Joan. Georgius ab Halvveil institui à Parochis Supplicationes, at nihilominus voluit impleri numerum quindecim visitationum. E diverso modernus Illustrissimus D. Ordinarius noster Franciscus Joannes à Prasberg Anno 1651. liberavit onere visitationis ulterioris omnes illos, qui processionaliter visitâssent designatam Ecclesiam: ut proinde videantur illi satisfeciisse, quorum Parochus quinquies, ut solent diebus Dominicis, circuivit cum suis suam Parochialem Ecclesiam, cúmque sunt comitati; etenim fit in utriusque diplomate jus Parochis, in quorum pago, vel oppido extat una solùm Ecclesia, designandi hanc unam, sine solicitudine adeundi alteram; quæ sanè moderatio est tanta, ut major fieri nequeat.

Ad secundum dubium sub eod. *n.* 419. Re- 458
spondeo, auditionem quidem sacri etiam die solis esse, si fiat in designata Ecclesia, legitimam Ecclesiæ visitationem, quandoquidem possunt etiam opera ex voto, vel præcepto Ecclesiæ debita computari inter sufficientia ad Indulgentiam suprà *n.* 75. non tamen sufficiet in iis locis, in quibus præscribuntur visitandæ plures Ecclesiæ, visitatio quotidiana unius unicæ, quia, ut jam alibi retuli ex S. Thoma, non existente conditione non consequitur illud, quod sub conditione datur. Nec obstat, quòd non refert, quid de æquipollentibus fiat. *L. Fidei commissa §. Si cui ita. De Legat. 3.* nam id verum non est, quando Superior mandat in specie aliquid fieri.

Ad tertium indicatum *n.* 419. Respondeo, 459
discretionem Confessarii circa mutationem visitationis Ecclesiarum pro senibus, & aliis impeditis in eo consistere, ut in primis attendat, quid maximè expediat saluti talis infirmi; sicuti enim Papa non dat Episcopis potestatem disponendi de omnibus præscriptis, nisi *prout animarum saluti expedire judicaverit*, quemadmodum loquitur Bulla *lit.* tt. ita & Parochus, utpote Episcopi substitutus, eive subrogatus, non habet potestatem nisi in ordine ad salutem proximi. Deinde debet perpendere, an opus, quod cogitat subrogare visitationi Ecclesiæ, sit omnibus consideratis æquè profuturum ad finem à Pontifice intentum, ac profutura Ecclesiæ visitatio; etenim maximè spectandus est hic finis, ut in simili dixi

dixi suprà *cap.* 17. *n.* 109. Cavere autem debet, ne injungat actionem notabiliter molestiorem, quàm visitatio ab Episcopo imperata soleat accidere plerisque Parochianis. Ubi paterfamilias largus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Cap. *Alligant* 26. *q.* 7. est autem Episcopus Paterfamilias, S. Clemens *Constitut. Apostol. L.* 2. *c.* 30.

460 Ad quartum *n.* 420. propositum, Respondeo, certum esse, quòd Patres Carmelitani ut sic nequeant fungi officio Confessariorum Jubileorum, quandoquidem Papa clarissimè restringit suam gratiam ad Confessarios designatos ab Episcopo; atqui fines mandati sunt diligenter custodiendi *L. Diligenter ff. Mandati.* Videtur autem esse satis mirum, quòd Epistola insinuet, illorum Ecclesiam fuisse è deputatis, & tamen ii non fuerint annumerati Confessariis, cùm & verba Bullæ indicent, faciendum contrarium, & fuerit eis molestum pati, ut Sacerdotes alieni exciperent Confessiones in eorum Ecclesia, ipsismet verò non liceret; debuissent autem id tolerare juxta discursum allatum suprà *n.* 430. Mirum & illud fuisset, si omnes Confessiones fuissent excipiendæ in Ecclesia Collegiata; cùm & id moraliter fuerit impossibile, & non debuerit sine necessitate imponi Religiosis Mendicantibus tantum onus.

461 Ad interrogationem de Archidiacono factam *n.* 422. An fuerit ipsi fas promulgare Jubileum? Respondi non fuisse, propter rationem fundamentalem quam ipse consulens exprimit in suis literis; verè enim non faciunt Pontifices ulli loco gratiam illius, quod hîc explicamus, Jubilei, nisi ad instantiam præsidentium illis, communiter quidem Episcoporum, nonnunquam verò etiam Nuntiorum Apostolicorum, ut vidimus suprà *n.* 408. aut etiam Principum Sæcularium; nisi enim me fallit memoria, Jubileum, quod An. 1626. Urbanus VIII. extendit ad Bavaros, petierat religiosissimus Elector, & Dux Bavariæ Maximilianus. Cùm igitur ignoraretur, utrùm quis ejusmodi præses aut supplicâsset, aut post supplicationem impetrâsset; id beneficium Jubilei, illicitè promulgâsset Archidiaconus, siquidem ea, quæ sunt facti, non præsumuntur, sed probari debent.

462 Subit autem mirari, cur ille Archidiaconus non inquisierit debitè hanc in rem, certè potuisset comperire facilè veritatem, aut dando literas ad loca alia, aut mittendo proprium nuncium; publicatio quippe, & celebratio Jubilei est actio summè notoria. Quòd si comperisset, fuisse ab Episcopo supplicatum pro tali gratia, eámve obtentam, oportuisset ulteriùs inquirere: Anne postulâsset pro suo toto Episcopatu, an pro illis solis Episcopatûs partibus, in quas actualem habet jurisdictionem; re enim verâ potuit fieri, ut postulârit pro solis illis districtibus, qui ejus mandata recipe- rent. Constito, obtinuisse pro omnibus, poterat talis Archidiaconus publicare sine mandato Episcopali, tum quia supponitur in specie facti, quòd ille Archidiaconus fuerit solitus ex ordinaria potestate id præstare in aliis Jubileis, adeóque sic potuit titulo præscriptionis id juris acquisivisse, tum quia omnes propriè dicti Archidiaconi habent jus publicandi Jubilei, saltem eo casu, quo Episcopus non fungitur suo officio. Suprà *c.* 11. tum quia nominatim Archidiaconi possunt id præstare, cùm ii sint propriè Judices Ordinarii. Pax Jordanus relatus suprà *n.* 67.

CLASSIS IV.

Qua satisfit quæstionibus propositis num. 423. & seqq.

SUMMARIUM.

Iubileo concesso Diœcesi Constantiensi potuêre frui quasi-incolæ. 464.

Imò & alii peregrini. 465.

Iubileum Anni 1651. non erat favor merè personalis. 466.

Etiam Peregrinus in Diœcesi Constantiensi potest vocari Christi fidelis Diœcesis Constantiensis. Ibid.

Episcopi poterant in illo Iubileo dare Clericis unius Ecclesiæ potestatem audiendi Confessiones in Ecclesia alterius, irrequisito consensu Rectoris. 468.

An sub potestate absolvendi ab omnibus casibus etiam Cœnæ *intellecta fuerit potestas in hæresin?* 469.

An potestas absolvendi à suspensione se extenderit ad omnem omnino suspensionem? 470.

Quinam fuerint intellecti nomine senum? 471.

Et an nomine Virginum etiam clam corruptæ? 474.

Quid sit Universitas? 475.

An pagus veniat nomine Universitatis? Ibid.

Religiosi, qui erant jam lucrati Constantiæ Iubileum; & postea missi Ratisbonam, poterant rursum lucrari Ratisbonæ. 476.

Refertur ex P. Pirhing generalis doctrina utilis ad multa. 477.

Quomodo sit intelligenda clausula: A die publicationis. 479.

Refertur explicatio ex P. Georgio Lyprando. 480.

Præpositio A, quando locum, vel tempus dividit; significat immediatum locum, aut horam. Ibid.

An morituri entes valeant pridie publicationis Iubilei per dispensationem Confessarii, vel Episcopi lucrifacere Iubileum? 481.

Quid si ille morituriens convalescat præter omnem spem? 483.
An illi soli fuerint capaces Iubilei Innocentiani, qui nequiverunt petere Romam ipso Anno Sancto? 485. *& seqq.*
Respondetur ad rationes probantes responsionem affirmativam. 489.
Confessariis tunc deputati, potuerunt absolvere à casibus etiam Episcopalibus. 491.
Vis particulæ: Etiam. 492. *&* 494.
Movetur novum contra illam absolutionem dubium ratione cujusdam sententiæ prohibitæ ab Alexandro septimo. 494.
Respondetur ad illud. 495.
Si Parochus imperet difficiliora, quàm Episcopus decreverit, non subsistit illud imperium. 496.
An subditi Episcopatûs gaudentis Iubileo, existentes tamen extra Episcopatum, possint illud adipisci? 497.
An Episcopi potuerint pro suo arbitrio mutare omnes omnino conditiones requisitas à Papa? 499.
Adfertur causa asserendi valde difficilis explicatu. Ibid.
Quid in Iure intelligatur per liberum arbitrium? Ibid.
Quid sit arbitrium boni viri, aut regulatum? Ibid.
An Episcopi potuerint pro suo arbitrio disponere de omnibus conditionibus, ad quas apertè referebatur clausula: Arbitrium? 501.
In Bulla Iubilei Innocentiani exprimuntur duodecim clausulæ, ad quas non refertur apertè clausula: Arbitrio tuo. 502.
Referuntur diversa Axiomata de sequentis clausulæ relatione ad præcedentem. 502. *&* 503.
Episcopus non potuit saltem respectu alicujus totius communitatis commutare omnia omnino præscripta ab Innocentio. 505.
Nec ea, quibus Innocentius apposuit clausulam: Tantùm, *aut* semel. 506.
Nec illa, ad quæ clausula; Arbitrio tuo *non refertur saltem probabiliter.* 507.
Ad quas personas extendatur clausula finalis, quæ habetur lit. ss? 509.
Ad quas non extendatur? 510.
Quid censendum de Episcopis, qui fortè dispensarunt liberaliùs, quàm dispensandum fuisse indicavimus? 511.
Bulla, & Breve quid sint? 516.
I. Quærebatur: *An peregrini quoque possent frui beneficio Iubilei illius, in gratiam Episcoporum petentium concessi?*

363 RAtio fundamentalis negandi erat, quòd Bulla Innocentii contineret, illum favorem concedi *omnibus Christi fidelibus Civitatis, & Diœcesis Constantiensis verè pœnitentibus &c.* Sed qui existunt Constantiæ ut peregrini, & viatores, non sunt fideles Civitatis Constantiensis.

Nihilominus respondi tunc, & respondeo 464
nunc, in primis non esse dubitandum, quin ea gratia extendatur ad illos peregrinos, & habitatores, qui vocari solent *quasi-incolæ*, qui videlicet non quidem habent proprium domicilium in aliquo loco, utpote non cogitantes in eo claudere vitam, juxta descriptionem domicilii allatam à nobis *Tom. priore Tract. 8. n. 291.* (qui locus est in editione Monacensi A. 1669. mendosè impressus, debet enim sic exprimi: alterum, ut ibi reipsa versetur, alterum, ut versetur &c.) attamen destinaverunt manere illic, per majorem Anni partem; cùm enim plerique DD. censeant, hosce ligari omnibus legibus loci, possintque illic omnia præter Ordinis, Sacramenta percipere, ut docet constantissimus usus roboratus Communi calculo Doctorum, non est ambigendum, quin & de isto beneficio participent; ut e.g. famuli, ancillæ, studiosi literarum.

At de aliis augetur hinc difficultas, quòd & 465
Jubilei favor sit personalis, & non localis judice Hauckio de Jubileo *n.* 78. & Pontifex soleat se accommodare precibus supplicantis Cap. *Inter dilectos* 5. *Cæteris De fide Instrum.* Rodriquez *qq. Regul. Tom. 1. q. 11. n. 6.* adeóque non plus concedere, quàm fuerit petitum; Episcopi autem non supplicant nisi pro suis Diœcesanis, dicúntque cum Apostolo, etsi non sensu Apostoli: *quid mihi de iis qui foris sunt*, seu foras pertinent?

Respondeo tamen secundò, videri, omnes peregrinos posse probabiliter lucrari, si opera præscripta perficiant, hoc quoque Jubileum. Causam hujus responsi attuli suprà *n.* 87. Confirmo inde, quòd optimus interpres gratiæ à se Anno 1651. petitæ Reverendissimus & Illustrissimus D. Franciscus Joannes in suo diplomate profiteatur, & se pro suo Episcopatu impetrâsse hoc Jubileum, & omnes, ac singulos (sine restrictione ad subditos, seu Diœcesanos) qui opera præscripta essent legitimo modo peracturi: potituros Jubileo. Secunda ex his clausulis clarissimè comprehendit æquè peregrinos, quàm cives. Prima ostendit, Jubileum illud fuisse privilegium mixtum, scilicet personale simul & locale: atqui beneficio privilegii localis frui potest quisquis in loco illo existit, sicut Reali, qui re prædità beneficio utitur, nisi fortè speciatim id interdicatur.

Ad rationes *n.* 465. allatas in oppositum, 466
respondeo in primis negando, Jubileum esse favorem merè personalem; quandoquidem ejus acquisitio pendet à certa Ecclesia, vel Ecclesiis, ea quadam ratione, qua Indulgentia, ac Communio Generalis, de qua suprà *cap.* 27. Addo, quòd diploma nostri Jubilei se habeat instar

instar legis communis, ut proinde sit de eo ratiocinandum, sicuti (exceptâ obligatione) ratiocinamur de Legibus; nec puto Henriquezium rectè citari ab Hauckio, nam non plus in eo hanc in rem reperio, quàm quòd favor Bullæ Cruciatæ sit personalis; atqui nullo modo est à Bulla Cruciata argumentandum ad Jubileum, utpote rem diversissimam. Ad alteram rationem ajo, sicuti Leges alicujus Provinciæ feruntur directè, ac primariò pro subditis, & tamen ex multorum opinione ligant indirectè, ac secundariò etiam forenses, atque viatores; ita Jubileum particulare alicujus Episcopatûs prodest primariò quidem propriè subditis dictis Diœcesanis, secundariò autem
467 non subditis existentibus in ea Diœcesi. Rursum ad rationem *n.* 463. productam respondeo, etiam illum, qui existit tanquam peregrinus in Diœcesi Constantiensi, posse pro tunc vocari Christi fidelem Diœcesis Constantiensis, tum si sit quasi incola, ut facilè quisque, mea opinione, fatebitur, tum etiam si sit duntaxat viator; siquidem ista locutio potest sic exponi: *omnes fideles existentes in Diœcesi Constantiensi.* Versamur in materia favorabili, cujus verba sunt amplianda. Ludov. Romanus *Consil.* 436. ex Baldo; ergo ampliemus.

468 II. Quærebatur: *An Episcopi potuerint Religiosis dare facultatem excipiendi Confessiones in parochialibus Ecclesiis nominatis pro visitatione, irrequisito Parochorum consensu?*

RESP. Affirmativè, tum quia Episcopus est Parochus Parochorum; tum quia, sicuti qui dat jurisdictionem, dat omnia necessaria ad illam expediendam *L. 2. ff. De jurisd.* ita etiam Papa faciens Episcopo jus omnia disponendi, prout judicârit expedire in Domino, dat etiam hoc particulare jus.

469 III. Quærebatur: *An sub illa tam ampla potestate absolvendi ab omnibus casibus, etiam Papalibus in Bulla Cœnæ contentis lit.* kk. *intelligeretur potestas absolvendi ab omnibus casibus hæresis?*

Respondi constanter affirmativè, propter rationes allatas *n.* 245. quibus addo, esse ponderandum, quòd P. Filliucius *Tr. 8. n. 265.* expressè testetur, ita fuisse Anno 1617. responsum in sacra Pœnitentiaria occasione Jubilei, quod tunc concesserat Paulus V. & de quo Jubileo ipse tunc scribebat, & scribebat ipsemet Pœnitentiarius, atque fungens officio Responsoris *quæstionibus*, ut loquitur, *conscientiæ*, ita ut dubitari nequeat de veritate hujus testimonii.

470 IV. Quærebatur: *An potestas absolvendi ab omnibus censuris lit.* ll. *extenderet se ad omnem suspensionem, & interdictum locale?*

Ratio dubitandi erat, quòd potestas absolvendi concessa esset duntaxat ad finem Jubilei consequendum, suspensus autem ab officio potuerit nihilominus adipisci Jubileum, sicut & interdictus ab Ecclesia; siquidem talis poterat orare ante Ecclesiam designatam, esto non liceret intrare. Sed ad hoc dubium utrumque patet responsio ex dictis suprà *n.* 452. *&* 453.

V. Quærebatur *de senibus, & iis, quæ putantur virgines, & tamen non sunt.* 471
De quibus Bullæ *lit.* b. *&* q.

Ad primum respondeo, nomine *Senum* intelligi haud dubiè omnes illos, quos rigidiores Theologi solos eximunt ratione senectutis, à lege Jejunii; siquidem hisce accensent illos solos, quos senectus reddit ita infirmos, ut nequeant sine notabili incommodo perferre Jejunium. At dubitatur non immeritò de sexagenariis in discriminatè sumptis, quando-quidem hosce omnes eximios à jejunio pronunciant non ignobiles scriptores, soléntque ii vocari senes.

Et quidem si standum sit praxi Germaniæ, 472
talibus non patrocinabitur generatim sua senectus, saltem quando Ecclesiæ non sunt multùm remotæ; quam moderationem idcirco addo, quòd clausulæ *lit.* o. *& seqq.* in quibus fit mentio *infirmorum, senum, virginum, prægnantium, & viduarum*, non referantur nisi ad visitationes Ecclesiarum, numerúmque illarum.

Cùm autem sit in prudenti arbitrio Episco- 473
pi designare Ecclesias propinquas, vel remotas, remotæ autem adferant peculiarem difficultatem, atque molestiam quinque illis generibus personarum, meritò tribuit Papa Episcopis peculiarem potestatem seu dispensandi, seu Bullam interpretandi in horum favorem, atque in favorem Senum tunc generatim, quando Ecclesiæ multùm sunt remotæ, at quando sunt propinquæ, non ita generatim, quia non subest tunc generatim causa rationabilis.

Quam doctrinam applicabis proportionaliter aliis personis suprà enumeratis, observato singulariter de Virginibus, non suppetere in Germania tot causas dispensandi cum his, quot fortasse in aliis quibusdam Provinciis, in quibus non tam facilè permittitur Virginibus exitus è domibus, & accessus ad templa viris plena, adeóque processiones solennes, quàm in Germania. Causas malo relinquere veris conjecturis lectoris quàm exprimere.

Ad illud verò, quod singulariter quære- 474
batur de occultè corruptis, facilis est responsio, cùm constet, Papam de occultis non judicare *Cap. Vnic. Vt benefic. sine.* & talium egressus possit tentationes parere æquè ipsismet, & aliis, quàm integrarum.

VI. & VII. Ad id, quod proponebatur de 475
impeditis, & Universitatibus, respondeo, illos ipsos censeri in hac Bulla impeditos, quos aliæ Bullæ habent pro talibus, quia jura juribus

aptare oportet; at quosnam hæ, explicavi suprà Cap. 15. *n.*99. & 100.

De pago verò respondeo, si sit populosus, habens proprium Parochum, meritò vocari universitatem, cùm Universitas, de qua *lit.* t. sit corpus quoddam, quod ex multis invicem collectis conficitur. Ludovicus Romanus *Consil.* 400. *n.*4. postíque de illo dici, quod de Universitate, quòd scilicet secundùm se consideratus nec animam habeat, nec possit in eam excommunicationis sententia proferri. Romanus *Ibid.* Idem probabiliter dici potest de parvo etiam pago, habente aliqua bona spectantia non ad singulos, sed ad totam communitatem illorum. Faciunt huc ea, quæ distinctè tradit de Universitate idem Romanus *Consil.* 436. *n.*5. ubi disserit de Collegio, significque Collegii, quod etiam à tribus confici, & Universitatis nomine venire scribit.

476 VIII. Quærebatur: *Vtrùm Religiosi, qui lucrati in uno Episcopatu illud Iubileum, fuerunt à superioribus translati ad aliam Diœcesin, in qua nondum fuerat celebratum, potuerint illud secundò lucrari?*

Ratio singularis dubitandi erat, quòd Pontifex expresserit *lit.* m. hanc clausulam: *semel tantùm consequendum*, cùm in aliis Bullis non ponatur hæc clausula, sed alia, scilicet: *hac vicè tantùm.* Judicavi tamen, tales Religiosos potuisse indicatâ ratione bis lucrari, possumus enim commodissimè illam restrictionem particularem: *Semel* referre ad unum eundémque Episcopatum, dicendo, esse hunc sensum, quòd nemo possit in eodem Episcopatu bis lucrari; etsi compos factus in sua Parochia se conferat ad aliam negotiationis, aut famulatûs causâ.

Quanquam si talis esset eo potitus in priore Parochia, tanquam verus incola, verus Parochianus, & commigraret ad aliam, ibi constituens domicilium, relicto priore, non sanè improbabiliter dici posset, illum faciendo intra præscriptum tempus omnia, quæ erant designata pro suis novis contribulibus, fore denuo participem; arbitror quippe, esse valde verosimile, quòd Pontifex solùm intenderit illis negare repetitam consecutionem, qui in una, eadémque Parochia fecissent primo e.g. mense omnia, & eadem repetivissent ibidem sequenti mense; aut qui lucrati in sua primo mense dedità operâ excurrerent altero mense ad aliam allecti solâ spe secundæ Indulgentiæ. Ratio est, quia sicuti verba Bullarum Jubilearum debemus, quatenus offerunt gratiam, explicare, quàm latissimè patitur verborum proprietas. Suprà *n.* 24. ita restringere, quatenus eam restringunt ipsæmet voces. Suprà *n.* 24.

477 Huc, & ad plura ex superioribus responsis facit generalis doctrina, quam eruditissimus Canonista P. Ernricus Pirhing noster Tom. 1. in Decretal. *De Rescript. n.*23. tradit his verbis: *Si verbum, vel vocabulum aliquod in propria, & stricta significatione accipi possit genericè, & latè, vel specificè, & stricte, tum in dubio, si de mente statuentis non constet, & seclusâ fraude, vel elusione statuti, aut dispensationis, in materia odiosa, vocabulum illud accipi debet stricte & specificè: in materia verò favorabili vel indifferenti, accipi debet latè, & genericè.* Ita ille declarans hanc regulam desumptam ex Abbat. *in Cap. Rodulphus. De Rescript.* variis exemplis.

Quia verò, ut vidimus, Papa tam reflexè ne- 478
gat, hocce Jubileum posse plusquam semel (juxta explicationem nostram) obtineri, confirmatur id, quod suprà *n.*92. diximus, videlicet, si quis in Jubileis quindecim dierum repetat omnia præscripta opera, posse & repetitâ Indulgentiâ potiri. Sanè si voluit Pontifex non posse, debuit exprimere; ostendimus autem ibidem clausulam: *hac vice tantùm* nihil obesse huic doctrinæ.

IX. Quærebatur: *Quomodo intelligenda sit* 479
clausula: A die publicationis? Nam dicit Bulla Jubilei *lit.* xx. *ad bimestre tantùm à die publicationis valituras*, dubitabatur quippe: *Vtrùm per illum diem publicationis intelligeretur is, quo Parochus è suggestu recitat diploma Pontificium, aut Episcopale? An verò ille, ad quem indicitur inchoatio?*

Hoc dubium propositum mihi ab aliis pro- 480
posui & ego literis præstanti nostræ Provinciæ Theologo, P. Georgio Lyprando, qui plus triginta Annis pubem Academicam Ingolstadiensem excoluit disciplinis Philosophiæ, Theologiæ Moralis, Speculativæ ac Mysticæ, scilicet Exercitiis spiritualibus N. S. Fundatoris; respondit autem hisce formalibus: Sentio „
primò, resolutionem propositi dubii stare in „
arbitrio Ordinarii ob clausulam finalem, quam „
Pontifex adjecit suo brevi his verbis: *Denique* „
in præmissis omnibus & singulis ejus arbitrio fa- „
cere, ordinare, providere, & quæcunque sibi bene „
visa remedia opportuna adhibere possit prout „
animarum saluti expedire judicaverit, facultatem tribuimus & impertimur &c. Cùm ergo „
uterque sensus utriusque sententiæ sit proba- „
bilis, poterit etiam vigore prædictæ clausulæ, „
Ordinarius sequi, quam judicaverit Christi fi- „
delibus esse utiliorem. „

Præscindendo à dicta clausula sentio secun- „
dò, posteriorem sententiam esse probabilio- „
rem: tum quia Pontifex videtur tantùm vo- „
luisse, ne Jubileum à se concessum ultra duos „
continuos menses extendatur, parùm autem „
curâsse, an isto, vel illo die inciperetur; tum „
quia ea interpretatio Legis in dubio est melior „
& tenenda, quæ minùs recedit à Communi „
Jure, & Lege, ergo etiam ea interpretatio „

Bre-

„ *Brevis* in dubio erit melior, & tenenda, quę mi- „
„ nus recedit à recepta consuetudine Ecclesiæ: „
„ atqui recepta consuetudo Ecclesiæ hactenus „
„ semper habuit, ut Jubileum non illo ipso die „
„ inciperet, quo in templo promulgatur, sed in „
„ die, ad quem illud indicitur per promulga- „
„ tionem; tum quia licèt propositio A. termino „
„ præscripta non rarò sumatur inclusivè, regula- „
„ riter tamen accipitur exclusivè, maximè in „
„ odiosis, in minùs favorabilibus, & etiam dis- „
„ positionibus, quæ statuunt certum tempus „
„ e.g. à die contractûs, à die appellationis, ra- „
„ tificationis &c. in quibus dies termini non „
„ computatur in termino, ut ex communi no- „
„ tat Barbosa in Tract. De dictionib. *dict.* 1. Cur „
„ ergo in nostro casu non accipiamus etiam ter- „
„ minum exclusivè, cùm hoc sit favorabilius, ut- „
„ pote commodius Christi fidelibus? Nec ob- „
„ stat, quòd præpositio A. quando tempus, vel „
„ locum dividit, significet immediatum tem- „
„ pus, aut locum, ut post alios docet Barb. *loco* „
„ *allegato.* adeóque Jubileum juxta nostram senten- „
„ tiam incipiendum esse die Lunæ immediatè „
„ diem promulgationis sequenti contra rece- „
„ ptum Ecclesiæ morem. Non obstat, inquam, „
„ sicut enim Barbosa ibidem asserit, dictionem „
„ A. quæ regulariter exclusivè accipitur, inclusivè „
„ stare, quando materia subjecta aliud postulat, „
„ vel natura contractûs, aut mens disponentis, „
„ seu favor, id suadet, vel ut evitetur absurdum „
„ seu correctio; ita & ego proportionaliter dico; „
„ licèt dictio A. quando tempus, aut locum di- „
„ vidit, regulariter significet immediatum tem- „
„ pus, aut locum, aliud tamen dicendum esse, „
„ quando materia subjecta aliud postulat, & „
„ maximè, ut vitetur correctio consuetudinis ab „
„ Ecclesia receptæ. Addo, quòd juxta dictam „
„ consuetudinem, si proximo die Dominicæ „
„ post promulgationem Jubileum inchoëtur, re- „
„ tè significet immediatum diem Dominicum, „
„ cùm inter illum, & istum nullus dies Domini- „
„ cus mediet; ut simile quid dicitur, de tribus, „
„ vel pluribus immediatis Annis utilibus. Ha- „
ctenus literæ hujus Doctissimi Patris, mei olim in Ethica Magistri.

481 X. Quærebatur: *Vtrùm moriturientes possint pridie publicationis gaudere hujus Iubilei gratia?* Quærebatur autem occasione cujusdam Nobilis Matronæ Friburgensis Helvetæ, probè mihi notæ, atque in extrema vitæ linea constitutæ propridie, quàm publicaretur hoc Jubileum, cujus favoribus muniri peroptabat ante obitum.

Respondi, tametsi verosimilior opinio ferat, non potuisse, sicuti liquet ex dictis suprà *n.*64. adeò ut Cardinalis de Lugo *disp.* 7. *De Pœnit. n.*127. scribat: *Si aliquis die Dominica paulò ante promulgationem Iubilei visitâsset Ecclesias designandas, illa visitatio non sufficeret*, nihilominus tamen esse in tali articulo juvandam illam bonam animam, quandoquidem P. Filliucius, quem Ibid. refero, non solùm testatur *n.*267. doctissimos viros Anno 1617. de Jubileo Pauli V. tunc concessò, & constante illa ipsa clausula, quam attigimus *cit. n.*64. censuisse, actualem publicationem non fuisse absolutè necessariò præmittendam executioni omnium bonorum operum, sed addit: *Ex causa* credit enim, securè in praxi adhiberi posse priorem, scilicet opinionem illorum, quos dixi doctissimorum hominum.

Accedebat Axioma, quod alibi retuli ex Jo- 482
ane Sanchez: In negotiis, in quibus nihil perdi, at magnum lucrum sperari potest, esse audacter procedendum. *At Ecclesiæ nondum erant tunc designatæ?* Resp. Poterat Confessarius, sicuti alia opera, ita & etiam Ecclesiæ esto ignotæ visitationem commutare in aliud opus. Filliucius *loc. cit.* Quam doctrinam omnino cupio & mente teneri, ut loquar cum Canonistis, Summulistísque, & in praxin redigi cum constitutis in tali periculo, dummodo habeatur certa notitia Bullæ jam communicatæ Ordinario.

At, *quid si illa vidua, de qua suprà, præter* 483
omnem spem produxisset vitam usque ad promulgationem inclusivè? Respondeo, tunc debuisse repeti obita prius bona opera, vel alia prudenti arbitrio Confessarii.

Hæc tamen dicta velim eo solo casu, quo 484
Confessarius habuit ab Episcopo, seu ejus Vicario potestatem commutandi opera; etenim constat ex ipsa Bulla, Confessarios nihil posse ex vi Jubilei præstare, nisi post designationem factam ab Ordinario. Itaque resolutio præsentis casûs potest semper respectu moriturientium habere locum in Jubileis dierum 15. Siquidem Papa solet in iis facere pœnitentibus jus eligendi quemlibet ab Ordinario approbatum, at in hoc Jubileo exigitur ultra approbationem designatio, deputatióque Episcopalis, quam non est semper facilè obtinere propter periculum, quod est in mora conveniendi Episcopum. Non videretur autem talis Ordinarius fungi officio pii Pastoris, si cognito judicio Doctorum, de quibus suprà, cunctaretur facere potestatem.

XI. Quærebatur: *An illi soli capaces fuerint* 485
Iubilei nostri, qui propter impedimenta nequiverant ipso Anno Sancto petere Romam? Etenim Innocentius videtur exegisse hanc conditionem, sic enim loquitur *lit.* a. *Nos attendentes, Christi fideles in civitate, & Diœcesi Constantiensi diversis impedimentis detentos, & hanc almam Vrbem nostram pro cœlestibus thesauris Iubilei Anni præteriti consequendis accedere non potuisse, & propterea illorum spirituali consolationi, & animæ saluti providere volentes &c.* Ex quibus verbis, quorum simillima exhibet Bulla Clementis VIII. de Anno 1601. formatur hæc

ratiocinatio: Verba Rescripti debent intelligi ex proœmio, nam ex præfationibus statutorum probatur mens statuentium. Rodriquez *Tom. 1. qq. Regul. q. 11. a. 6.* ex Bartolo; & verba etiam privilegiorum debent intelligi secundùm id, ad quod principaliter proferuntur à privilegiante. Idem *Ibid. Lex. 1. §. Non autem ff. De flumin.* Atqui liquet ex proœmio Innocentii, fuisse sermonem de impeditis ab itinere Romano; liquet quoque, quòd hoc Jubileum concesserat in impeditorum consolationem & animæ salutem; ergo illius gratiâ poterunt frui soli impediti.

486 Confirmatur hæc ratiocinatio primò ex Capitulo *Intelligentia. De Verb. signif.* ubi expressè dicitur: *Intelligentiam dictorum esse assumendam ex causis dicendi.* Confirmatur secundò inde, quòd & jura juribus concordare, & posterius Rescriptum ad normam prioris expendere, & obscura verba unius dispositionis per

487 clara alterius exponere debeamus. Atqui ipse Innocentius Anno 1650. in Bulla, quam descripsimus suprà Cap. 6. n. 28. loquês de materia persimili præsentis, vult, ut illi soli longâ carceratione, vel diuturnâ infirmitate prædediti utantur beneficio Romani Jubilei ad tales extensi, *qui, & quæ respectivè impedimentis hujusmodi remotis pro percipiendis Anni Iubilei fructibus ad almam Vrbem omninò venirent, & Basilicas deputatas indubitanter visitarent, & ob prædicta impedimenta ad Vrbem minimè venire valent.*

488 Sed his non obstantibus constanter tenendum est, capaces nostri Jubilei fuisse illos quoque, qui nullam habuêre cogitationem de suscipiendo unquam itinere Romano. 1. Quia alioqui damnare deberemus omnes Episcopos, omnes Confessarios, quorum interventu fuit illud Jubileum redactum in usum; nam neque Episcopi in suis diplomatis, neque Confessarii in confessionalibus habuerunt ullam rationem, & fortè nec cogitationem de illa intentione peregrinationis Romanæ. 2. Quia verba generalissima Rescripti saltem favorabilis, quale est Jubileum concessum ad instantiam alterius, non sunt restringenda ad conditionem iis nullo modo significatam; sicuti liquet ex variis juribus, atque generali Regula, quam tradit P. Ernricus Pirhing suprà *n.* 477. verba autem Innocentii facientia Constantiensibus e.g. jus eligendi Confessarii &c. sunt generalissima, ut liquet legenti, nec verbulo indicant illam conditionem de priùs facto animi decreto adeundi limina Apostolorum.

489 Ad rationes in oppositum allatas *n.* 485. Respondetur, illa axiomata esse intelligenda in casu dubiô, seu quando ea, quæ disponuntur, significantur verbis obscuris, & ancipitibus, non autem quando claris, & determinatæ significationis, quia in claris non est confugiendum ad præsumptiones, aut alia obscura principia. Suprà *n.* 398. Atqui illa clausula *omnes Christi fideles* est sole meridiano clarior; non igitur ex proœmio discendum, an intelligantur de illis solis, qui prædediti non susceperunt iter Romanum. Idem dic de illa Regula, quòd intelligentia dictorum sit desumenda ex causis dicendi. Quamquam illud multorum impedimentum non fuit Pontificis causa, sed sola occasio quædam largiendæ illius gratiæ; vera enim causa fuère preces Episcoporum, qui quia certissimò non petierunt aut solùm, aut principaliter pro impeditis priore Anno, sed pro omnibus Diœcesanis, seu pro toto Episcopatu, verbisque claris exposuêre Pontifici hanc suam Generalem intentionem, nec Pontifex eis contradixit vel verbulo, idcirco est indubitatum, quòd Pontificis voluntas sese extenderit ad universum Episcopatum.

Alia est ratio illorum incarceratorum, atque 490
infirmorum, de quibus fit mentio *n.* 487. est enim apertissimum, quòd Papa requisierit ad veram consecutionem suæ gratiæ, ut præcesserit in eis efficax sub conditione possibilitatis propositum se conferendi in Urbem, sicut liquet ex descriptis, & scriptis suprà *c. 6.* Hæc verò tam manifesta Ordinatio Pontificis non est argumento, quòd idem Pontifex Anno proximè sequente exegerit idem efficax hypotheticum propositum: siquidem, ut dixi, palàm est, non expostulâsse; inferrem tamen ego hoc secundum ex illo primo, si obscurum, vel dubium esset, quid significet in nostra Bulla illa clausula: *omnes Christi fideles*, aut an postulaverit Illustrissimus Ordinarius.

XII. Quærebatur: *An, quia in Bulla nostri* 491
Iubilei nulla fit expressa mentio, potestatis absolvendi à casibus Episcopalibus potuerint nihilominus deputati Confessarii absolvere ab illis?

Censui tunc intrepidè, non esse dubitandum, quin illa tam generalis clausula, quæ exhibetur in Bulla exporrigerer ipse ad Episcopales quoque. Ducebar primò, quòd favor Jubilei nos quodammodo adigat ad clausulas gratiam continentes explicandas, quàm latissimè possimus servatâ verborum proprietate, sicuti non semel in decursu dixi, probavique; atqui si illam clausulam: *quibuscumque criminibus, quantumcunque enormibus* accipiamus, quàm latissimè patitur proprietas verborum, utique comprehendet etiam casus Episcopales; etenim dictio: *quivis* præcipuè, quando in Dativo seu Accusativo casu pluralis numeri posita reperitur, universalis est, & omnia comprehendit. Expressè Barbosa diction. 325.

Ducebar secundò, tum quòd particula *etiam* 492
exprimat casum magis dubitabilem, & implicet minùs dubitabilem, Barbosa *diction.* 112. referens pro hoc axiomate plures quàm triginta Jure-

Jureconsultos, & quatuor decisiones Rotæ: atqui ille singularissimè casus: *Etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis*, qui exprimitur in Bulla hujus ipsius Jubilei est casus summè dubitabilis, adeò ut non censeatur intelligi sub ullis etiam generalissimis clausulis, nisi exprimatur. Suprà *n.* 247. casus verò Episcopales sunt multò minùs dubitabiles, quia longè minoris importantiæ, quàm Papales, ergo hosce involvit, implicátque clausula: *Etiam*, cùm & includat specie diversos ab expressis. Barbos. *loc. cit. n.* 4. & augeat dispositionem ad qualitatem, cui adjungitur. Tuschus *lit.* E. *Concl.* 275. Atqui hæc particula adjungitur ad qualitatem criminis, ergo hanc auget, & ampliat, cùm sit de natura ejus extendere, implicaréque, quod priùs non erat dictum. Rota apud Farinacium, & Barbosam. *n.* 8.

493 Ducebar tertiò, quòd ipsimet Episcopi petant à Pontifice communicationem Indulgentiæ Anni Sancti, non ignorantes, esse stylum Curiæ, ut inserantur illæ clausulæ, quas indicavi, non etiam dubitantes, quin Confessarii sint eas exposituri eo modo, quo nos exponimus, & tamen in diplomatis, quibus consuêverunt repræsentare Synopsin Bullæ Pontificiæ, ne verbulo quidem tangant casus à se reservatos, ergo esset pro nimis scrupuloso habendus Confessarius, qui tunc ambigeret de Episcopi sui consensu in absolutionem à casibus Diœcesanis.

494 Nihilominus tamen scrupulum injicit Alexander VII. dum Anno 1665. in suo primo decreto, de opinionibus prohibitis *n.* 12. annumerat vetitis doceri, & in usum redigi hanc: *Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis reservatis non obtentâ ad id Episcoporum facultate*; annumeravit autem non nescius, Mendicantes plurimos istud jus vindicâsse sibi, ductos verbis formulæ privilegiorum ita præcisè sonantium: absolvendi ab omnibus criminibus &c. *etiam Sedi Apostolicæ reservatis*, ergo judicavit Pontifex, voculam *etiam* non esse implicativam casuum Episcopalium.

495 Sed non obstante hac novâ non levissimâ sanè objectione, standum est data resolutione, ac respondendum, tametsi Alexander fortè non approbaverit tam generalem, & prorsus illimitatam significationem Dictionis: *Etiam*, non tamen improbâsse; quando eadem Dictio & subjungitur Dispositioni valde singulari, & ampliatur ad casum infrequentem; certum enim est, quòd Alexander non intenderit improbare illam explicationem dictionis *etiam*, quam superiùs primo loco produxi; cùm sit consentanea judicio omnium eruditorum, atque communissima in schola, & foro; stat ergo illa etiam stante Decreto Alexandri; qui quamvis noluerit esse ei locum in casu de Religiosis ita argumentantibus, sicuti eos induximus, non tamen negavit ejusdem vim in nostro casu, utpote valde diverso: diverso, inquam, in eo, quòd privilegia facientia potestatem Mendicantibus absolvendi quoscunque Christi fideles ab omnibus casibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis non addant quidquam de casibus Cœnæ, at verò addit expressè istos Bulla nostra; quæ additio cùm soleat reperiri in solis Jubileis, liberalissimè offerentibus Claves S. Petri, meritò habetur ipsius specialis ratio. Et esto Alexander noluerit valere in privilegiis merè Papalibus hanc argumentationem, non idcirco vetuit valere in Papalibus, & Episcopalibus simul, cùm à tam diversis non valeat argumentatio, nostrum autem privilegium est Papale & Episcopale simul, utpote impetratum, & publicatum ab, & per Episcopum communicantem (per superiùs dicta) suam potestatem Confessariis, à se cum matura deliberatione delectis. Nec repugnat noster discursus Bullæ, Clement. X. incipienti: *Superna*, ut patet legenti attentè.

XIII. Quærebatur: *An si Parochus desideret* 496
alia; & difficiliora opera, quàm Episcopus indicaverit, lucrentur Iubileum, qui ea non perficiunt e.g. Episcopus manifestat in suo diplomate sufficere si visitentur duæ Ecclesiæ decies quinquies, Parochus verò nominat quatuor: An frustrabitur gratia Iubilei, qui non visitavit nisi duas?

RESP. Non frustrabitur, siquidem Parochus se habet hîc respectu Episcopi, sicut Episcopus respectu Papæ, quandoquidem Papa committit hîc arbitrio Episcopi designationem operum, ut liquet ex litera, & videbimus paulò inferiùs; atqui Episcopus respectu Papæ sic se habet, ut nequeat plus imponere, quàm Papa præscripserit. Suprà *cap.* 20. *n.* 126.

XIV. Quærebatur: *An Diœcesani Ratis-* 497
bonenses commorantes extra Episcopatum, ut e.g. qui operam literis dabant Ingolstadii urbe Episcopatûs Eichstadiensis, potuerint gaudere hoc favore suorum Civium Ratisbonensium?

RESP. Duo esse hic certa. Primum, non posse gaudere Ingolstadii e.g. si visitatio Ecclesiarum commutetur, à Confessario alio, quàm deputârit Ordinarius Ratisbonensis. Patet ex hactenus dictis. Secundum, gaudere autem, si Ingolstadio in unum è vicinis, (ut verè vicini sunt Ingolstadio) pagis Diœcesis Ratisbonensis excurrat, illiúsque Ecclesiam, si est è denominatis per Episcopum sufficiens, visitet 15. diebus, aut quotidie ad eam excurrendo; aut per 15. dies manendo in loco Ratisbonensis Diœcesis, è quo possit visitare quatuor è designatis, esto nulla earum quatuor sit ipsius Parochialis, nam saltem poterit in hac re illum per commutationem juvare quilibet Parochus, quem in Confessarium elegerit.

At dubitari potest 1. An Vicarius Generalis 498

lis possit tali facultatem dare, ut eligat Ingolstadii Confessarium, qui erga ipsum utatur jure Confessariorum Ratisbonensium? Secundò: An Confessarius Ratisbonensis excurrens ad talem scholarem, possit facere commutationem, & absolvere à reservatis? Tertiò: An Confessarius Ratisbonensis manens Ratisbonæ, possit in illum Ingolstadii subsistentem uti jure commutationis, perinde ac si studiosus ille Ingolstadio descendisset Ratisbonam, secundo Danubio?

RESP. Ad primum, me non dubitare de potestate Vicarii saltem in Germania, in qua Episcopi communicant Vicariis Generalibus, amplissimè sua jura. Ad secundum respondeo etiam affirmativè, quia designatus ab Episcopo commutat obligationem Diœcesani tam præsens physicè & moraliter, quàm si id fieret Ratisbonæ. Ut ad tertium etiam affirmativè respondeam, suadet doctrina, & fundamentum allatum *c. 32. n. 241.* quòd scilicet non sit necesse petere ab uno Confessario omnes favores Jubilei; ne sic respondeám, dissuadet heterocliſis, & peregrinitas responsi affirmativi. Lector esto hujus litis diribitor.

499 XV. Et postremò quærebatur: *Anne valuerint Episcopi pro arbitrio disponere de omnibus planè, & singulis in Bulla requisitis, addendo, demendo, mutando &c?*

Ratio unica asserendi esse potest, quòd in clausula finali Bullæ *lit.* ss. legantur hæc verba: *Denique in præmissis omnibus, & singulis ejus arbitrio facere, judicare, providere, & quæcunque sibi visa remedia opportuna adhibere possit, prout animarum saluti expedire judicaverit, facultatem eidem Ordinario tribuimus.*

Ad hoc gravissimum dubium, ut solidè, & distinctè respondeatur, observandum est primò, dum Episcopo conceditur potestas disponendi, *pro arbitrio suo* de his, aut illis à Papa requisitis, non esse perinde ac si daretur potestas pro suo libero, & pleno arbitrio, nam posse disponere pro suo libero, seu pleno arbitrio, est posse disponere de sua sola voluntate, & beneplacito; siquidem liberum arbitrium est meum arbitrium, consistens scilicet in sola voluntate illius, cujus libero arbitrio committitur res aliqua. Zasius in §. *Præterea n. 6. Institut. De Action.* repugnante Marta *Tract. De Claus. Part. 1. Claus. 97.* & aliis, adeóque est concessio à Lege, vel homine facta, quâ possit talis, semoto jure, & æquitate, sed proprio ductus appetitu, à dolo tamen alieno, quod placuerit statuere. Menochius *De arbitrar. Iudic. L. 1. q. 6. num. 3.* tantam autem potestatem non facit Papa Episcopo, ut mox apparebit, sed committens ejus arbitrio dispositionem circa requisita pro lucrando Jubileo, intelligit arbitrium *regulatum*, ut loquitur Zasius *loc. cit.* seu arbitrium *boni viri*, ut perpetuò vocat Menochius *loc. cit. q. 8.* & singulariter ad propositum nostrum Ibid. *n. 29.* arbitrium autem regulatum, seu boni viri (quod quidem semper intelligitur, quando quidpiam alicujus arbitrio permittitur) est, quo delegatus potest, quid sentiat jure, ratione, & æquitate animi sui proferre sententiam, statueréque. Menoch. *cit. q. 6. num. 2.* quænam verò ratio, æquitásque hîc spectanda sit, indicat ipse Pontifex illâ clausulâ *lit. tt. prout animarum saluti expedire judicaverit.*

Observandum est secundò, clausulam illam: 500
Arbitrio suo, esse quinquies insertam nostræ Bullæ: ter quidem explicitè, & formaliter, bis autem implicitè, & æquivalenter. Inseritur formaliter ad *lit.* l. aa. ss. ubi agitur de Ecclesiis deputandis: numero visitationum minuendo: Monialium, Orphanotum oneribus moderandis. Inseritur autem implicitè, & æquivalenter *lit. z.* cùm dicitur: *prout ipsi Ordinario videbitur*; ubi quidem est sermo de numero visitationum minuendo respectu processionaliter visitantium, & *lit. ff.* dum est sermo de Confessariis, quos Ordinarius *deputaverit*: nec enim dubitari debet, quin utrobique committatur res prudenti Episcopi arbitrio, singulariter in ptima clausula, cùm dicitur: *prout ipsi Ordinario videbitur*, hæc enim forma loquendi designat regulatum, prudénsque arbitrium. Menochius *loc. cit. q. 8. n. 11.* junctis iis, quæ habet *q. 7. n. 14. & 17.*

Observandum est tertiò, non posse rationa- 501
biliter vocari in dubium, quin sit in prudenti arbitrio Ordinarii positum disponere, & ordinare de illis omnibus, ad quæ immediatè, clarè, apertè refertur clausula *arbitrium*, seu formaliter & explicitè, seu duntaxat æquivalenter, & implicitè solùm referatur: alioquin frustrà poneretur illa clausula: Et verò sicuti generatim loquendo est sæpissime impliciti, & expliciti, æquipollentis, & formalis eadem vis, & energia, ita etiam speciatim hoc loco; cùm præsertim hoc Jubileum concesserit Pontifex, inclinatus supplicationibus Ordinarii, ut habetur *lit. t.* Igitur dubium solum superest, de iis, quibus clausula: *arbitrio tuo* seu formaliter, seu æquivalenter sumpta non apponitur apertè, sicut non apponitur apertè Confessioni, & Communioni *lit. i.* nec vocalæ quatuor *lit. k.* ubi sermo est de numero designandarum Ecclesiarum, nec dictioni: *semel lit. m.* ubi agitur de Ecclesiis tantùm semel deputandis; nec vocalæ quindecim dies *lit. n. & seqq.* quatenus comprehendit ea non impeditos; nec numero, aut qualitati fundendarum precum *lit. bb.* nec numero, & qualitati intentionum, ad quas dirigendæ sunt preces *lit. cc.* nec vocalæ *semel*, *lit. dd.* quatenus exprimit, Jubilei Indulgentiam posse tantùm semel obtineri; nec clausulæ *quos deputaverit lit. ff.* ubi est sermo de deputandis Confessariis in plurali numero, nec clausulæ *lit. gg.* disponenti de Confessionibus diligenter audiendis ante absolutionem à censuris &c. nec dictioni *quibusvis*, *lit. hh.* quatenus respicit peccata per Confessarium electum absolubilia, nec adverbio *denuo lit. nn*, quatenus sit iis, qui Anno præcedente fuerant Romæ potiti Jubileo, potestas idem rursum lucrandi; nec denique vocalæ *Bimestre tantùm*, *lit. uu.* quo loco Papa restringit tempus Jubilei ad duos menses.

502 Hîc vides Lector duodecim clausulas, atque conditiones spectantes ad rationem Jubilei, de quibus aliter, quàm litera sonat, nulla fit aperta permissio Episcopo; quin imò in tribus videtur manifestè ipsi negari, ut videre est in materiis, quas digito demonstravi paulò antè literis m. dd. & uu. Dubium igitur est, an arbitrium Episcopi nihilominus versetur circa omnes hasce clausulas, an circa nullas, & si circa aliquas, circa quasnam? Potissimam dubitandi rationem præbent hæc tria effata Jureconsultorum, admissa passim à Theologis.

Primum: *Clausula in fine dispositionis posita refertur ad omnia præcedentia*, Marta Jureconsultus de clausulis *Part. 4. Claus. 23. n. 1.* cum innumeris, quos nominat Barbosa de clausulis *Claus. 70. n. 1.* P. Sanchez Theologus de matrimonio *Lib. 6. disp. 22. num. 19.* & quidem etiam si diversa contineant. Marta *Ibid.* cum aliis contra Sanchez *loc. cit.* & alibi constanter, ac meritò cum aliis apud Barbosam *loc. cit. n. 5.* repugnantem. Atqui clausula: *arbitrio suo*, posita ad *lit. ss.* sequitur ferè omnes præcedentes; ergo est in arbitrio Episcopi, disponere de ferè omnibus illis duodecim articulis, quos excerpsimus.

503 E diverso: *Clausula generalis, & finalis non refertur ad omnia, quando eam præcedit aliqua specifica clausula*, nam tunc generalis restringitur ad specificam. Marta ipse cum aliis *cit. Part. 4. Claus. 1. n. 2.* Atqui illam generalem, quæ ponitur ante *lit. ss.* præcedit valde specifica de Monialibus.

504 Denique tertium pronunciatum Juris est id, quo sæpe uti soleo, quòd videlicet qui è duobus unum asserit, alterum tacendo, videatur negare hoc alterum. Cap. Nónne, *De præsumpt.* Cùm igitur Papa apposuerit solùm ad quinque clausulas permissionem arbitrii, arbitrandique Ordinario factam indicantes, videtur hoc ipso negâsse illam respectu cæterarum è duodecim. Accedit, quòd possit videri vel ridicula, vel frustranea expressio, enumeratióque tam variarum conditionum, & circumstantiarum, si licet Ordinario, pro suo, quantumvis suâ opinione, prudenti arbitrio mutare quadrata rotundis, augeréque, & demere quæ placent. Ob has in utramque partem rationes.

505 Dico I. Nequaquam fas est Episcopo respectu alicujus communitatis totius mutare omnia expressa in Bulla. Ratio præter indicatas est hæc fundamentalis, quia arbitrium illius, cui permissa est à Papa mutatio, debet esse regulatum, seu prudens. Suprà *n. 498.* atqui nequit suppetere prudens causa, & ratio mutandi omnia respectu alicujus totius communitatis. Imò ne quidem respectu alicujus privatæ personæ possunt, nisi respectu quorundam moriturientium omnia rationaliter commutari. Patet examinanti singula.

Dico II. Nec potest Ordinarius facere mu- 506
tationes circa materias illas tres, quibus additur limitativa particula: *semel*: vel: *tantùm*. Ratio est, quia licèt poneremus esse Ordinario datam à Papa sub aliqua generalitate potestatem mutandi omnia, nihilominus censeretur adhuc esse locus Regulæ LXXXI. *in 6.* pronuntianti: In generali concessione non venire ea, quæ quis verosimiliter non fuisset in specie concessurus; atqui videtur Pontifex non fuisse concessurus in specie fieri mutationem circa materias indicatas *literis* m. dd. & uu. Accedit ratio, quam mox afferam.

Dico enim III. Superat Episcopi potesta- 507
tem facere mutationem circa ullam ex iis conditionibus, ad quas clausula: *arbitrio tuo*: non extenditur vel certò, vel verosimiliter. Ratio est tum illa, quam expressi suprà *n. 504.* de negato uno ex duobus, quando alterum asseritur, tum hæc, quòd sicut leges privatæ, contractúsque privati, debent in dubio regulari, intelligique juxta sensum, normam, & praxin communium legum, contractuúmque. Ferdinandus de Castro Palao *Tract. De Legib. disp. 2. p. 2. num. 4.* ita etiam gratiæ speciales juxta intellectum generalium. Jubileum autem, cujus adjuncta hîc explicamus, est gratia particularis, utpote concessa solùm singulis Episcopis, & quidem ad ipsorum supplicem instantiam, ergo est intelligendum, sicut intelliguntur, & explicantur Jubilea universalia concessa toti orbi Christiano; hæc autem speculativè simul & practicè intellecta, fuerunt ita concessa, & non licuerit Episcopis facere mutationem, multiplicare, minuere, convertere conditiones; sed in iis locum obtinuerit illa gnome Petri Peckii *in Reg. 66. in 6. n. 6: Conatio ad amussim observanda, & adimplenda est.* Adde, quòd gratia motu proprio concessa 508
favorabilior sit, quàm concessa ad instantiam partis. Barbosa in clausulis: *motu proprio, num. 25.* Jubilea verò universalia conceduntur motu proprio, hæc particularia solùm ad instantiam, ut jam expressi, Ordinariorum, & tamen illa favorabilitas major non admittit mutationem, cur ergo admittant minùs favorabilia?

Dico IV. Clausula illa finalis, quæ habetur 509
lit. ss. & quæ tribuit Episcopo tam illimitatam

pote-

potestatem, non extendit se, nisi ad illas personas, quæ continentur inter literas oo. & pp. Ratio est, quia clausula finalis, seu posterior non afficit priora membra, tum quando præcedentium Capitulorum non est eadem ratio, quæ sequentis, seu finalis. Barbosa clausula 70. *n.* 5. cum aliis, & constanter Pater Sanchez de *Matrim. L. 3. disp. 7. n.* 17. *Lib.* 6. *disput.* 22. *n.* 19. *Lib.* 8. *disp.* 16. *in fin. & Lib.* 10. *disp.* 8. *n.* 19. Tum, quando priora habent per se determinatam, clarámque dispositionem. Barbosa *loc. cit. num.* 17. cum Menochio; tum denique quando præcedentia habent orationem perfectam de se. Barbosa *Ibid. num.* 18. post Decianum, Tuschum, & alios. Atqui membra præcedentia illam tam pinguem; illimitatámque clausulam; quæ signatur *lit.* ss. continent in primis personarum valde diversam rationem, ut liquet legenti, & deinde habent per se claras, determinatásque significationes; habent & tertiò orationem perfectam, evidentérque independentem ab illa clausula finali.

510 Dico V. Clausula illa finalis non facit Ordinario jus disponendi de actionibus, accidentibúsve enumeratis in membris præcedentibus *literæ* oo. Ratio est aperta, quia & qualitas sine subjecto esse nequit. L. *Si servum §. ult. ff. De Action. & empt.* & non-entis nulla sunt accidentia, nullæ qualitates. Tiraquellus *in Tr. cessante causâ. Part.* 1. *n.* 212. Tuschus *lit.* q. *Conclus.* 6. cùm ergo non valeat ex vi dictæ clausulæ quidquam disponere circa personas præcedentium membrorum, nihil etiam poterit circa earum accidentia, & qualitates.

511 Quare si quidam Domini Ordinarii Anno 1651. circa actiones, & accidentia contingentia personas non expressas *lit.* oo. & præcedentibus, disposuerunt in iis, in quibus non fuit apposita clausula: *Arbitrio suo*, aut æquivalens, non possunt aliter excusari, quàm dicendo, eos, vel aliter, quàm nos intellexisse nonnullas clausulas, vel ita benignè præsumpsisse de mente Pontificis, utendo scilicet aliquâ Epiikia, verè enim mihi non videtur ex principiis intrinsecis credibile, quòd illa clausula finalis, quam tamdiu cribro, vim suam exeruerit in aliud genus personarum, quàm mulierum, & Orphanorum ibidem nominatorum; tametsi fatear, doctissimum P. Lyprandum aliter sensisse, ut liquet ex relatis *cap.* 6.

512 Sicut & sensit Illustrissimus D. Ordinarius Frisinganus Anno 1651. siquidem in suo diplomate disentè profitetur; esse sibi (vi Bullæ Pontificiæ, omnino similis descriptæ suprà *n.* 412.) factam potestatem *pro suo arbitrio faciendi, ordinandi, providendi, omnibus sibi bene visis idoneis mediis utendi, prout existimaverit, expedire ad salutem animarum.* Unde postmodum inductus desiderio inducendi suos Diœcesanos, bellicis cladibus plurimùm afflictos, ad obeunda animo patiente opera illius Jubilei, eatenus dispensavit quoad visitationem Ecclesiarum, ut non nisi quaternam præscriptarum visitationem exegerit *à senibus: pauperibus: ægris: prægnantibus: virginibus: viduis, & omnibus illis, qui labore suorum opificiorum, atque singulariter instantis agriculturæ, aut aliis quibuscunque gravibus de causis impedirentur perficere quindecim visitationes; ita ut ad lucrifaciendum hunc pretiosum, & magnum thesaurum sit futurum satis, si quis prædictis modis impeditus, præter diligentem executionem aliorum suprà specificatorum operum, nominatas Ecclesias quatuor diebus continuis, vel interpolatis visitaverit, atque in singulis oraverit quinquies orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ad indicatam intentionem suæ Sanctitatis.*

Ita illud diploma, quod absit ut scribam fuisse contrarium ultimatæ voluntati Summi Pontificis.

Et erit fortè, qui dicat, videri esse usu confirmatam hanc interpretationem illius clausulæ *arbitrio tuo*, etiam respectu earum clausularum, de quibus est hic controversia, atque nominatim respectu Ecclesiarum quaternarum, vel pauciorum, ut revera possit Episcopus pro suo prudenti, pióque arbitrio disponere circa illas; etenim Episcopi Germaniæ habentes latissimos Episcopatus, videntur illam ita intellexisse, ac manifestum est, ita réipsa processisse; Atqui Indulgentiæ, earúmque conditiones sunt intelligendæ secundùm interpretationem communem, usúmque communem locorum, quibus conceduntur, sicuti non semel repetam *Tract. seq. De Indulgentiis.* 513

Malim sanè hoc dicere præsertim de Jubileo Anni MDCLI. quàm damnare praxin tam multorum Amplissimorum, piissimorum Præsulum, qui sunt & legati Christi Cap. *Accusatio quoque 2. q. 7. in fin.* & Summi Sacerdotes. *eod. capit. in princ.* ac honorandi ut Christus. S. Ignatius *in Epist. ad Smirnenses*, & secundùm Deum Parentes nostri S. Clemens *Constitut. Apostol. Lib. 2. c.* 30. 514

Atque hæc sufficiant de Jubileo, nobilissima specie Indulgentiarum; nunc transitum faciamus ad ipsum earundem genus edisserendum, atque ad alias multiplices species, individuáque proponenda, explicanda. 515

Quia tamen toties in hoc Tractatu facta est, fiétque in proximè sequenti mentio Bullæ, & Brevis, priusquam omnino claudam hoc caput, exhibeo ea, quæ nostet P. Henricus Henriquez in sua Summa *Lib. 7. cap.* 29. in commentario *lit.* O. scribit de significato, & Etymolo- 516

„ mologia vocis Bulla; sic autem differit: Bul-
„ la propriè significat tumorem aquæ, seu am-
„ pullam, quæ facilè solvitur. Erat. Proverb.
„ *Homo Bulla.* Deinde pro insigni rotundo,
„ quod apud Romanos gestabant collo appen-
„ sum filii Patritiorum, & transfertur ad rotun-
„ dum sigillum, quod pendet in Bullis Papæ:
„ & sumitur pro tota Bulla; & quia expedium-
„ tur cum summo consilio, potest deduci à
„ βουλὴ, id est Consilio, hinc virtus Eubulia id
„ est bene consiliativa, quæ est annexa prudentiæ &c.

157 Hactenus (omissis authorum allegationibus) Henriquez, quibus jungo definitiones Bullæ vulgariter dictæ, & Brevis, quas statuit Petrus Rebuffus *De Beneficiis* §. Bullæ novæ simplicis &c. *num.* 11. *fol. mihi* 190. ubi sic describit Bullam: *Bulla est scriptura, descripta in membrana, plumbo funibus pendente, jure munita, salutationem cum narratione, ac Papæ Concessionem, aliáque necessaria continens.* At verò Breve Apostolicum, seu Pontificium est, teste eodem Doctore, in eod. Lib. *Tit. De Brevi Apostolico n.* 15. *fol. mihi* 595. Diploma, seu Rescriptum à Papa, seu Pœnitentiario Magno emanatum, quod sic describi potest: *Breve Apostolicum est scriptura modica in parvis concessa negótiis, in papyro frequenter scribi solita, cerâ rubeâ, annulóque Piscatoris sigillata, ac signo Secretarii subscripta.* Ita Rebuffus, utriusque, id est Bullæ, & Brevis singulas particulas breviter edisserens, & suis descriptionibus sufficienter indicans discrimen Bullæ strictè, & Brevis itidem strictè, & propriè dicti.

Appendix finalis.

a Quæ hoc toto Capite proposui meo Lectori, ea omnia scripseram occasione Jubilei, quo Innocentius X. gratificatus erat An. M. DCLI. illis Episcopatibus, quorum Angeli (hoc præsigni titulo condecorat Episcopos Ephesi, Smirnæ, Philadelphiæ, Apostolus Joannes in sua Apocalypsi *cap.* 2.) supplicando impetraverant ab Innocentio X. participationem Jubilei Anni Sancti M.DCL. Eadem gratia facta est, à Clemente X. Anno M. DC. LXXVI. etiam ad preces Illustrissimorum Archiepiscopi Salisburgensis, Episcoporum Tergestensis Augustani, Frisingani, Ratisbonensis, Constantiensis, Herbipolitani, Bambergensis, è quorum Episcopatuum nonnullis literas accepi inquirentium, etiam postquam legerant ea, quæ hoc toto Capite quinquagesimo scripseram, meum judicium de nonnullis dubiis. Singulariter autem & ex diversis locis quærebatur: An potestas commutandi vota, quam S.D.N. repetens totam Bullam sui Prædecessoris Innocentii X. etiam silentio præterivit, non esset nihilominus tacitè seu implicitè concessa? Adferebatúrque hæc nova causa, quòd in Notificativo Indulto (à nobis descripto in Appendice Novissima ad calcem Capitis XLVIII.) omnibus opera præscripta executis offerat Pontifex plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, *perinde ac si Ecclesias* (Almæ Urbis) *pro consequendo Iubileo deputatas visitâssent*, & alia requisita implevissent, atqui si quis hæc præstitisset, fuisset consecutus commutationem votorum; ergo & consequenter is, qui hoc A. M. DC. LXXVI. peregit omnia præscripta.

Hæc ratio visa fuit alicui Reverendissimo b Domino Vicario Generali tam efficax, ut tametsi existimaverit esse à se ad praxin redigendas, quoad posset, omnes resolutiones in hoc toto Capite datas à me, nihilominus tamen propemodum inseruerit Diplomati Episcopali clausulam de jure obtinendi commutationem prædictam.

Et ego quidem agnosco, hac argumentatio- c ne accedere illi opinioni pondus, quo carebant, qui Anno 1650. tuebantur eam potestatem, salvo tamen illius Reverendissimi Domini, & cujusque alterius judicio, penitus arbitror sensum, productæ clausulæ restringi ad solam formaliter Indulgentiam.

Etenim verba esse ex communi usu *exaudienda*, id est intelligenda definitur in *L. Labeo. ff. De supell. legat.* Communis verò usus seu interpretatio clausulæ: *Perinde ac*, est ista: *Aequè*, seu: *Non minùs.* Atqui si Pontifex apertè diceret: *Qui extra Romam perfecerit opera à nobis præscripta non minùs consequetur Indulgentiam, remissionémque peccatorum, quàm si in Anno Sancto visitâsset Basilicas Almæ Vrbis Nostræ*, si, inquam, Pontifex ita apertè loqueretur, nemo, ut arbitror, inde inferret jus eligendi Confessarium, qui vota commutaret; ergo nec inferre debet ex illa clausula arrepta ante interpretationem.

Confirmatur nostra Resolutio inde. 1. Quia d qui è dubiis unum exprimit, tacendo alterum, censetur negare hoc alterum Cap. *Nóune. De præsumpt.* & ibi Doctores. Atqui Pontifex loquendo de potestate Confessarii eligendi exprimit solam facultatem absolvendi à peccatis, & censuris, ergo tacendo facultatem in vota præsumitur hanc negare, & ideò singulariter præsumitur, quia aliàs consuevêre conjungi illæ duæ facultates, nunquam autem alterutra præsumi, quando tacetur. Unde & locum hìc obtinet illud axioma: Lex (Bulla) si voluisset, expressisset, *Cap.* 2. *De Transl. Episc.*

Et confirmatur 2. Responsio. Qui enim designat finem, necessariò præscribit, seu designat impertitúrve media ad illum consequenda. Doctores cum P. Palao *Tract.* 3. *disp.* 1. *Punct.* 21. Atqui Pontifex nullo prorsus verbulo designat potestatem commutandi vota in Ordine

ad finem operum obeundorum, ac Jubilei, qui finis est Indulgentia, & remissio peccatorum, ergo liberatio à votis non est finis etiam inadæquatus; ergo Pontifex nec Confessionem, nec Ecclesiarum Romanarum visitationem, nec precationem mandavit in Ordine ad nanciscendam potestatem eligendi Confessarii, qui vota commutaret; sed qui solùm absolveret à peccatis, à censuris; hæc enim sola absolutio erat necessaria ad præscriptam Confessionem tanquam ad finem immediatum, sicut immediatus finis Confessionis erat actualis absolutio à peccatis & censuris, mediatus autem remissio actualis tam pœnæ in foro Dei & interno debitæ, quàm culpæ.

e Confirmatur 3. Quia si S.D.N. jam publicatæ Bullæ Jubilei Romani non superaddidisset potestatem eligendi Confessarii pro votorum commutatione, nullus Theologus vel Canonista Romanus (quis nos credat sapere præ iis?) fuisset ausus asserere, nullus Confessarius (saltem non aliàs privilegiatus,) usurpare, sicuti clarum est, tum ex testimoniis illorum trium Patrum, quorum verba repræsentavi in Appendice *Novissimæ Gratiæ* ad Caput XLVIII. *lit.* mm. tum vel maximè ex relatione de Conventu habito coram Vicario Generali Papæ, vices gerente, atque aliis, in quo fecit resolutum, potestatem commutandi vota in ipso Anno Jubileo fuisse, seu esse debere solùm penes Pœnitentiarios & aliquos Parochos. Suprà in *Append* I. ad Cap. IX. *lit.* e. Hercle si ipsemet Vicarius Generalis Papæ, atque ejus
f Assessores peritissimi Bullarum, Constitutionúmque Pontificiarum; habentes insuper notum genium ipsius Papæ, crediderunt nullo verborum illorum, quibus contenta erat Indictio Jubilei Anni Sancti, implicitè vel explicitè, formaliter vel virtualiter contineri jus eligendi Confessarium, qui vota commutaret, sed debuit ab eodem Vicario Generali concedi Parochis, & quidem cum restrictione, (ex metu, ne multùm dilatando gratiam aberraret à mente sui Domini) ad certum numerum, evidens est moraliter, nequire ex vi immediata vel mediata ejusdem Bullæ, inferri collationem illius ejusdem Juris; ergo debet aliunde inferri. At unde? Fateor etiam hîc meam ignorantiam. Aliter utique judicarem, si Pontifex uteretur hîc illo vocabulo, quo usus est in hac ipsa Append. *lit.* r. consequentur *Sanctissimum Iubileum, ac si* &c. etenim vox *Iubileum* rectissimè accipi posset cum omnibus favoribus illi actu, & apertè annexis.

g Ad rationem superiùs *lit.* a. propositam, vel nego consequentiam propter Sophisma latens in majore propositione; vel sic distinguo: perinde ac si visitâsset Ecclesias Romanas, id est cum omni gratia, quam fuisset adeptus, si visitâsset illas Ecclesias nego, non minus Indulgentiam ipsam, concedo. Quare si in minore propositione seu subsumptione non ponatur nisi Indulgentia ipsa, non poterit in forma legitima inferri nisi hoc: Ergo etiam in Anno sequente Jubileum Romanum æquè obtinebitur Indulgentia plenaria extra Romam atque fuit Romæ obtenta Anno Jubileo, & sic concedam totum. At negabo consequentiam, si minor propositio ita formetur, ut formata est *lit.* a. quia ejus veritas nititur assumpto, quod inficiatus sum, scilicet: qui obit Anno consequente Jubileum Romanum, opera ab Episcopis præscripta, potitur Indulgentia cum omni gratia, quam fuisset adeptus, si visitâsset ipsas Ecclesias Romanas, seu Sanctuaria, ut loquitur Eminentissimus Vicarius Generalis Papæ.

Quam ob rem imitandum censeo D. Vica- h rium Generalem Ratisbonensem, qui à quodam insigni Parocho Diœcesano literis interrogatus de hac ipsa materia seu commutatione votorum, respondit unà cum suis Assessoribus: *Est principium firmum & notorium, quòd Indulgentiæ tantum operentur, quantum sonant; in Brevi autem Apostolico nihil omnino reperitur de hac facultate.* Hoc principium, quod explicabo *Tract. seq. cap. 5. n. 43.* traditum à S. Thoma his verbis: *Indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur*, optimè applicatur præsenti materiæ, utpote cujus verus sensus est: Indulgentiæ consideratæ tam formaliter seu quoad remissionem, quàm accidentaliter seu quoad facultates accidentaliter adjunctas à Prælato, non conferunt plus, quàm indicent verba, in communi vulgarique significatione intellecta.

Ejusdem mentis fuit Episcopus Augustanus, i utpote qui, postquam in suo Diplomate impresso, quo publicavit hoc ipsissimum Jubileum, retulit luculentam synopsin eorum omnium, quæ ipsa Pontificia bulla continet, synopsin autem contextam verbis formalibus Bullæ; postquam insuper exposuit omnia, quæ ipse statuenda judicabat, ad Jubilei adeptionem Diplomáque clausit, subdit duplex totius diplomatis compendiolum; primum, quo exprimuntur necessaria ad lucrifaciendum Jubileum; alterum, quo gratiæ, enumerando quaternas. Primum, Indulgentiam plenariam perinde ac lucrati fuêre Romipetæ. Secundum, facultatem eligendi pro lubitu Confessarium approbatum. Tertium, eligendi, qui ab omnibus pœnis & censuris, etiam in Bulla Cœnæ nominatis, absolvat. Quartum, quòd etiam illi, qui Anno superiore adepti fuerunt Romæ Jubileum, valeant hoc recentissimo gaudere. Silentium altissimum de votis: altissimum, inquam, tam in ipsomet Diplomate, quàm in ejus tam reflexâ synopsi, est mihi tam certum argumentum, quòd ipsemet Reve-

Reverendissimus Ordinarius, quem constat esse Juris sui, communisque scientissimum, certò sibi persuaserit, suam Sanctitatem nullam habuisse cogitationem de concedenda potestate in vota. Unde si qui ex Augustana Diœcesi Confessarii commutâssent vi Bullæ, aberrâssent à judicio sui Pastoris immediati, sicut & à mediati seu Summi Pontificis. Idem testor de Illustrissimo Tergestensi, dignato legere ea, quæ in priore Editione scripseram in hanc rem. Idem de Nostro Reverendissimo & Celsissimo Constantiensi; eámque ob rem nulla in hoc Episcopatu fuit notoria (An occulta orta ex errore? ignoro) praxis circa commutationem. Idem Præsul Augustanus in eodem Diplomate bis expressè profitetur, sicut & Frisinganus, de quo suprà *n.* 512. itémque Constantiensis, esse sibi à sua Sanctitate factam potestatem pro suo arbitrio disponendi de omnibus & singulis in Bulla Pontificia præscriptis; ideóque Augustanus fuit respectu locorum, in quibus extat una tantùm Ecclesia, contentus repetitâ septies visitatione ejusdem; interim tamen profitens, se ob milites hybernantes in sua Diœcesi non posse designare illum numerum Ecclesiarum, quem injunxisset, si fuissent quietiora tempora. Constantiensis fuit etiam respectu valentium contentus primâ visitatione quatuor præscriptarum Ecclesiarum, fecitque Confessariis omnibus jus dispensandi cum suis pœnitentibus (non cum aliis) jus moderandi commutandive opera prout judicârint convenire. Frisinganus ipsemet expressit partim moderationem partim commutationem respectu impeditorum, at respectu non impeditorum præscripsit quindecim visitationes singularum ex designatis Ecclesiarum.

At qua ratione succurrendum fuit duobus Constantiensibus simul & Augustanis Canonicis? qui pridie, quàm inchoaretur hîc Constantiæ Jubileum, profecti fuêre Augustam versus, ut interessent Peremptorio (sicuti vocant) alioqui carituri præbenda Augustana? Potuitne Constantiensis Ordinarius facere ipsis potestatem visitandi statim post promulgationem secundam Augustæ factam designatas Ecclesias, esto cæteri Incolæ nequiverint ante diem nonum ejusdem mensis auspicari ejusmodi visitationem? Non potuisse probatur inde, quòd ne quidem ii, qui profitentur esse suo arbitrio permissum disponere de omnibus in Bulla contentis, sumant sibi jus nominandi plus temporis, quàm duorum mensium, illis autem duobus Canonicis fuisset per illam anticipationem plus concessum. An igitur erunt iisdem assignandæ quatuor Ecclesiæ Augustanæ?

Ego superiùs *n.* 497. clarè insinuavi, Diœcesanum, Ratisbonensem commorantem Ingolstadii, oppido Diœcesis Eichstadianæ, videri in Diœcesi Eichstadiana posse illo, quod hîc explicamus, Jubileo frui, tunc cùm obitur Ratisbonæ, dummodo Episcopus det Confessario Ingolstadiensi potestatem commutandi Ecclesias Ratisbonenses cum Ingolstadiensibus. Hoc meum judicium novi fuisse approbatum à viris doctissimis, sapientissimis; ignoro autem an quis hactenus approbârit illam anticipationem, de qua paulò antè. Consuevi autem in dubiis valorem directè vel indirectè, concernentibus sectari certiora, ideóque fiasi, ut prædicti duo Canonici hoc secundo medio uterentur potiùs, quàm priore. Et verò ipsemet Illustrissimus D. Ordinarius fecit ipsis potestatem adhibendi hoc medium. Quanquam postmodum venerit mihi in mentem, consultius fuisse, si fuissent utroque illo medio ex consensu expresso Vicarii Generalis usi; etenim certum videtur, quòd alterutrum sit opportunum. Et hic finis esto hujus tertii Tractatûs.

TRACTATVS QVARTVS SEV THESAVRVS ECCLESIASTICVS INDVLGENTIARVM, IN QVO OMNIA DUBIA MORALIA,

Quæ alii plerique: permulta, quæ pauci: non pauca, quæ nemo

DE

INDULGENTIARUM NATURA, ADIUNCTIS, ET PRAXI ADHUC PERTRACTAVIT PROPONUNTUR.

PRÆFATIVNCVLA.

QVemadmodum ego, Benigne Lector, ad concinnandū priorem Tractatum de Jubileo Quintuplici legi non modò omnes scriptores, quos nancisci potui prosequentes illud argumentum, omnésque planè Bullas Jubileas, quarum exemplaria pervenerunt ad meas manus, ut videlicet plurimas controversas quæstiones resolverem ex propriis principiis, atque ex sensu communiore sapientum; ita etiam scias velim, fuisse à me, priusquam hunc ipsum de Indulgentiis Librum darem in publicum, lectas, perpensas, inter se comparatas plus centum Indulgentiarum diversarum distinctas Bullas, Brevia, & Formulas: eò videlicet, ut & generales, particularésque doctrinas, ac Regulas veritati maximè consentaneas tradere, & utiliores ad praxin usúmque Confessariorum, aliorúmque piorum hominum proponere possem. Quia verò haud semel deprehendi, duo unarum, earundémque Indulgentiarum exemplaria à se non parum discrepare, non rarò factum est, ut complura de eadem re Italico, Germanico, Latino idiomate tractantia contulerim, ut tantò certiùs Authenticum deprehenderem exemplar. Quin Romam, & aliò nonnunquam veritatis comperiendæ causâ scripsi, utiliáque inde responsa tuli.

Porrò universam tractationem in duas Partes ita distribui, ut in prima proponam, edisserámque ea, quæ de Indulgentiis in genere tum quæri consuevêre, tum ab aliis prætermissa sunt. In Secunda verò Parte proferam, explicémque plurima de Indulgentiis in particulari, quæ à nemine, quod sciam, fuêre adhuc exposita.

Vale, mi Lector, meum tibi gratificandi studium æqui consule; & si cubi solutiones minùs tibi gratas adfero, suggere verosimiliores, erunt eæ mihi gratissimæ.

THE-

THESAURI ECCLESIASTICI

PARS PRIMA.

DE

INDULGENTIIS IN GENERE.

CAPVT I.

Refertur pars Extravagantis Unigenitus. *De Pœnit. & Remiss.*

SUMMARIUM.

Cur hoc loco proponatur descriptio Bullæ Clementis VI. de Indulgentiis? 1.
Verba ipsius Bullæ. 2. & 3.
Duodecim doctrinæ deducuntur ex illa Bulla, brevitérque indicantur. 4. & seqq.
Quo sensu dicatur, Thesaurum Indulgentiarum constare ex meritis Electorum? 8.
An illa merita possint hîc intelligi formaliter? 9.
Cur dicatur constare ex meritis omnium Electorum? 10. & 11.

Quæst. I. *Quidnam in celeberrima illa Extravagante* Unigenitus *definitur, & docetur, de Thesauro Ecclesiastico, atque Indulgentiis?*

RESP. Id constabit ex verbis ipsius Bullæ, quorum bonam partem, in primo isto capite, describam, adductus ea duplici ratione, tum quòd frequens nobis in decursu futura sit mentio hujus Bullæ, utpote clarissimè tradentis multa in præsentem materiam facientia; tum quòd non dubitem, multos ex iis, qui hunc librum legere dignabuntur, præsertim si ad manum non habeant ipsum Juris Canonici Corpus, perlibenter audituros ipsum Summum Pontificem Clementem, hujus nominis VI. de præsenti materia, graviter sanè, ac doctè disserentem. Illam autem in membra seu articulos dividam per characteres Alphabeticos, ut, quæ postmodum ex ea deducturus sum, faciliùs deprehendas rectè inde deduci. Sic ergo (omissis aliquot, post tria prima verba, versiculis, ad propositum non spectantibus) scripsit Annis adhinc CCCXXX. prædictus Pontifex.

a 2 a *Vnigenitus Dei Filius &c. pretioso sanguine nos redemit, quem in ara Crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani sufficiisset, sed copiosè veluti quoddam profluvium noscitur effudisse; ita ut à planta pedis, usque ad verticem capitis, nulla sanitas inveniretur in ipso.* b *Quantum ergo exinde, ut ne supervacua, inanis, aut superflua, tantæ effusionis miseratio redderetur, Thesaurum Ecclesiæ militanti acquisivit, volens suis Thesaurizare Filiis pius Pater, ut sic sit infinitus Thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti.* c *Quem quidem Thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum cœli Clavigerum, ejúsque Successores, suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum.* d *Et propriis, ac rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) verè pœnitentibus, & Confessis misericorditer applicandum.* e *Ad cujus quidem Thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum à primo Iusto usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur.* f *De cujus consumptione, seu minutione, non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi, ut prædictum est, merita, quàm pro eo, quòd quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum &c.*

Quæst. II. *Quot doctrinæ ad propositum facientes deduci possint ex hisce verbis?*

RESP. Duodecim præcipuæ. Prima ex *lit.* b. quòd videlicet in Ecclesia existat Thesaurus ille, de quo præsens liber tractat. Secunda ex eadem *lit.* b. & f. quòd nimirum ille Thesaurus sit infinitus, & inexhaustus; & quidem ob duas rationes, quæ *cit. lit.* f. & a. referuntur, & quarum prima est solidissima. Tertia ex *lit.* c. quòd dispensatio hujus Thesauri sit penes Ecclesiæ Prælatos, quam doctrinam explicabo *cap. 6.* Quarta ex eadem *lit.* c. quòd scilicet solus Papa Jure divino, Episcopi solo Jure humano sint dispensatores hujus Thesauri, ut repetam *n. 62.* Quinta ex *lit.* d. quòd videlicet non subsistat Indulgentia sine rationabili causa concessa; de qua plura *quæst. 27.* Sexta ex eadem *lit.* d. quòd in Ecclesia sit potestas dandi Indulgentias etiam plenarias. Septima, quòd per Indulgentiam non remittatur culpa, sed sola pœna, ut docetur eadem *lit.* d. & explicabitur *num. 16.* Octava, quòd licèt causa Indulgentiæ non sit à parte rei proportionata, valet tamen probabiliter Indulgentia, modò qui illam concedit prudenter judicet esse proportionatam, ut indicabo *num. 92.* id quippe insinuatur parenthesi *lit.* d. Nona ex eadem *lit.* d. quòd Indulgentia non reviviscat recedente fictione, ut dicam *n. 156.* Decima rursum ex eadem *lit.* d. quòd Indulgentia non detur, nisi pro pœna residua peccatis jam dimissis, ut monebo *n. 18. & n. 160.* explicabo, quid per pœnitentes, sicuti jam in Tract. de Jubileo Quintuplici declaravi, quid per *confessos* intelligat hîc Pontifex. Undecima ex

lis, e. quòd Thesaurus Indulgentiarum constet, principaliter quidem ex Christi Domini satisfactionibus infinitis, minùs tamen principaliter, ex reliquorum Sanctorum superfluis, ut patebit *n.* 21. & 33. Denique ex toto tenore prædictæ Bullæ patet, rectè describi Indulgentiam illo modo, quo describetur *quæst.* 5.

8 Quæst. III. *Quo sensu dicit Pontifex in prædicta Extrav. Thesaurum Ecclesiæ constare ex meritis Electorum?*

RESP. Eo sensu, ut vox *meritum* accipiatur hîc tum formaliter, tum materialiter tantùm & latè. Formaliter quidem accipitur hîc vocula *meritum*, ut indicetur, Sanctos nobis saltem de congruo meruisse, & impetrâsse, ut Deus, intuitu operum, quæ ipsi exercuerunt, nobis pœnas debitas quandoque remitteret. Materialiter autem, & latè accipitur hîc nomen *meriti*, scilicet pro ipsis Sanctis operibus Beatorum; ut significetur, illa operibus prodesse, non modò quatenus sunt merita, sed quatenus vim satisfaciendi habent, ita ut per illa, tanquam per pretium quoddam, exsolvantur pœnæ nostris peccatis debitæ.

9 Et quamvis non improbabile sit, verba Pontificis posse etiam intelligi de merito formaliter, ut probè observat Suar. *Tom. 4. in 3. p. disp. 51. sect. 2. num. 15.* dubium tamen esse non debet, quin maximè intelligi debeant de meritis Sanctorum, prout vim satisfaciendi habent, sicuti rectè docet idem Suarez *loc. cit. n.* 8. & Cardinalis de Lugo *de Pœnit. disp.* 27. *n.* 43. tum propter alias rationes, quas adfert Suar. tum quia verbum *dispensandi*, quo utitur Pontifex, significat distributionem, & exhibitionem pretii, dando partem uni, & partem alteri; atqui merita, prout formaliter sunt merita, satis impropriè dicuntur distribui, propriè autem, si considerentur, ut habent vim satisfaciendi.

10 Quæst. IV. *Cur Pontifex dicit, illum Thesaurum conflari ex meritis omnium Electorum?*

Ratio dubitandi est, quia non conflatur ex meritis parvulorum, qui statim post baptismum moriuntur; neque illorum, qui in amentia receperunt aliquod Sacramentum cum sola attritione, & statim pòst sunt mortui, si ponamus illos ante susceptionem Sacramenti fuisse in statu peccati mortalis, & nunquam ulla, aut certè pauciſſima bona opera exercuisse in statu gratiæ.

11 RESP. Pontifex loquitur in sensu accommodo, scilicet de illis Electis, qui habent satisfactiones superfluas, nam quæ jam sunt expensæ, adeóque non superfluæ, non possunt dispensari; loquitur enim Pontifex de Thesauro, qui, & quatenus potest dispensari. Ita Lugo *n.* 44. Suar. *n.* 15. Porrò idem Lugo *n.* 47. rectè monet, reproborum merita, etsi, dum ii sunt adhuc in vivis, maneant in Thesauro Ecclesiæ, non tamen manere, postquam ii sunt in infernum detrusi.

CAPVT II.

Adfertur & explicatur descriptio Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

Triplex significatum Indulgentiæ. 12.
Definitio Indulgentiæ, prout de ea disseritur hoc Tractatu. 13.
Quo sensu ea dicatur esse relaxatio pœnæ? 14.
Est respectu vivorum relaxatio pœnæ per modum absolutionis, respectu mortuorum per modum solutionis. 15.
Cur Indulgentia dicatur esse, relaxatio pœnæ, non autem culpæ? 16.
Cur aliquæ Indulgentiæ dicantur esse à culpa, & pœna? 17.
Quæ pœnæ temporales remittantur per Indulgentiam? 18.
Quid nomine Thesauri Ecclesiastici intelligatur in descriptione Indulgentiæ? 21.
Durandus malè negavit extare hunc Thesaurum. Ibid.
Maironius malè, constare meritis etiam Sanctorum. Ibid.
Indulgentiæ non veniunt nomine privilegii. 22.

Quæst. V. *Quid est Indulgentia?*

RESP. Vox *Indulgentia* profanis Scriptoribus significat. 1. Nimiam quandam licentiam, & facilem permissionem impunè agendi contra jus; quo sensu edidit S. Augustinus illam auream sententiam: *Cupiditas indulgendo accenditur, resistendo extinguitur.* Significat 2. Tum naturalem amorem parentem in filios, tum honestam, seu moderatam alicujus delicti, aut pœnæ remissionem ex liberalitate, vel misericordia factam. Significat 3. Specialem quandam remissionem pœnæ factam per applicationem Thesauri Ecclesiastici; in qua significatione nos hîc de Indulgentia disserimus, describimúsque illam, vel cum Suar. *Tom. 4. in 3. p. disp.* 49. *sect.* 4. hoc modo: *Indulgentia est quidam actus jurisdictionis* 13 *spiritualis, quo peccator in foro DEI liberatur à reatu pœnæ temporalis extra Sacramentum*, vel potiùs, & clariùs cum Cardinal. Toleto *Lib. 6. cap.* 21. Cardinale de Lugo *Tom. 3. disp.* 27. *n.* 1. & Valentia *Tom. 4. d. 7. q. 20. Punct. 1. Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis actualibus jam dimissis, concessa à Prælato Ecclesiæ, per applicationem Thesauri Ecclesiastici.* Veritas & bonitas hujus definitionis patet, tum ex relata extrav. *Unigenitus*, tum ex ea, quam subjiciam, explicatione singulorum vocabulorum.

Quæst.

14 Quæst. VI. *Quo sensu Indulgentia dicitur esse relaxatio pœnæ?*

RESP. Hoc triplici. 1. Quòd Indulgentiæ concessio facta à Prælato, sit respectu vivorum c vera solutio; nam Prælatus dum Indulgentiam concedit pro vivis, depromit ex Ecclesiæ Thesauro, tanquam Dei ærario, suæ dispensationi commisso, particulam unam, quam veluti *argentum igne examinatum, probatum septulum*, offert Deo, pro exsolutione pœnæ, debitæ à misero peccatore. 2. Quòd idem Prælatus tanquam Vicarius Christi acceptet 15 solutionem, & virtute illius, reum liberet à reatu pœnæ; ut proinde Indulgentiæ concessio facta alicui mortali, sit vera tum solutio, tum absolutio. 3. Quòd Indulgentiæ concessio sit respectu mortuorum, quibus, aut pro quibus conceditur, duntaxat solutio, non autem absolutio, quandoquidem absolutio est actus jurisdictionis, jurisdictionem autem in mortuos non habet Prælatus Ecclesiæ. Lugo *loc. cit. n.* 4. & 5. ubi contra primum hujus doctrinæ punctum refert Cajetanum, contra secundum citat Durandum. Quamquam Valentia *loc. cit.* non malè post Cajetanum dicit, Indulgentiam defunctorum non esse quidem actum jurisdictionis, quæ exerceatur in subditos, esse tamen actum jurisdictionis, quæ exerceatur circa rem Communem, seu circa bona Communia subditorum, hoc est, circa Thesaurum Ecclesiæ. Favat apertè S. Thom. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *ad* 3. & *q.* 2. *ad* 1.

16 Quæst. VII. *Cur, & cujus pœnæ temporalis relaxatio dicitur esse Indulgentia?*

RESP. I. Dicitur esse relaxatio *pœnæ*, non autem *culpæ*, quia per Indulgentiæ concessionem, aut acquisitionem, ne venialis quidem culpa directè remittitur, sicuti habet verior sententia Suar. *disp.* 50. *sect.* 1. *n.* 11. cum aliis apud Sanctarellum de Jubil. *c.* 6. *dub.* 5. contra S. Antoninum, & Henriq. *Lib. 7. c.* 9. *n.* 4. Confirmatur hæc doctrina ex relata Extrav. *Unigenitus, lit.* d. nam illic fit solius pœnæ, pec-17 catis debitæ mentio. Quare quando in forma Jubilæorum, aut Indulgentiarum dicitur, per illa concedi remissionem *peccatorum*, accipitur *peccatum* pro pœna peccati, juxta illud 1. *Machab.* 12. *ut à peccatis solvantur.*

Item illæ Indulgentiæ, quæ solent vocari *à culpa, & à pœna*, appellantur tales, vel quia sunt plenariæ, ut explicat Suarez *Ibid.* vel quia simul cum illis conceditur facultas absolvendi à culpa etiam reservatâ, ut putat Lezana *Tom. 3. V. Indulgentia*, Raynaudus in Scapulari *Part. 2. q. 5. n.* 1. & alii. Sed rectè monet Suar. *Ibidem*, circa hoc diligentiùs consideranda esse verba rescripti. Vide, quod ex Toleto referam *n.* 277.

18 II. Dicitur esse relaxatio pœnæ temporalis, ut etiam loquitur Pontifex in *cit. Extrav. lit.* d. quia æterna remittitur per illum ipsum actum, per quem culpa mortalis, & ita quidem, ut remissio pœnæ temporalis supponat jam factam remissionem culpæ, quandoquidem *peccati venia non datur nisi correcto. Reg.* 5. *in* 6. Hinc dicitur Indulgentia esse relaxatio pœnæ, pro peccatis jam dimissis debitæ. Quamquam Suar. *disp.* 10. *sect.* 2. & Lugo *disp.* 7. *n.* 95. censent non implicare, quò minùs Deus condonet pœnam, nondum condonatâ culpâ.

III. Non cujusvis pœnæ temporalis remis- 19 sionem adfert Indulgentia, sed illius duntaxat, quæ vel ex sententia Dei in purgatorio, vel ex præcepto Confessarii in hac vita luenda esset, ut declarabo partim *n.* 25. partim *n.* 242. Nam per Indulgentiam non remittitur illa pœna, quâ Deus hominum scelera in hac vita, per bellum famem, pestem &c. plectere decrevit, ut singulariter observat Suar. *disp.* 37. *sect.* 9. probans inde, quòd quotidiana experientia ostendat, ejusmodi pœnam à Deo remitti, potius ex mera gratia, quàm ex debito de condigno.

IV. Idcirco in allata descriptione dicitur 20 Indulgentia esse relaxatio pœnæ, pro *peccatis actualibus*, quòd pœna, peccato originali debita, remittatur per Baptismum, non per Indulgentiam. Lezana *n.* 1.

Quæst. VIII. *Quid per Thesaurum Ecclesiasticum intelligitur in descriptione Indulgentiæ?* 21

RESP. Nil aliud, quàm ingens quidam, inexhaustúsque cumulus meritorum, & satisfactionum, quæ & Christo Domino, ejúsque vivis membris superfuerunt, & in acceptatione, memoriáque divinâ servantur, & in utilitatem Ecclesiæ membrorum erogari possunt. Unde patet, thesaurum Ecclesiæ, etsi præcipuè constet ex Christi Domini meritis, & satisfactionibus infinitis, conflari tamen etiam ex meritis, & satisfactionibus Deiparæ Matris, aliorúmque præstantium Sanctorum, utpote quorum Sanctæ actiones potuerint longè plus pœnæ expiare, quàm eorum aut peccata, aut peccatilla fuerint promerita, *cit. Extrav.* Unigenitus *lit.* e. Quare errârunt Maironius & Durandus, dum ille penitus negavit extare Thesaurum: iste autem asseruit constare ex solius Christi Domini meritis, ut testatur Valentia *Punct.* 1.

INTERROGABIS: *An nomine privilegii intelli-* 22 *gatur Indulgentia?*

RESP. Etsi intelligi supponat manifestè Collector nostrorum privilegiorum *V. Indulgentia.* §. 12. rectiùs tamen id negat Suarez *de Legib. Lib.* 8. *c.* 9. *n.* 10. quia Indulgentia non est facultas aliquid agendi, vel non agendi. Imò ex iis, quæ docet idem Suarez *Tom. 4. De Sacram. disp. 56. sect. 2. a. 5. & seqq.* deduco, dicòque cum Portel. de Dub. Reg. *V. Indulgentia. n.* 13. in Bullis Pontificum sub generali

concessione *indultorum, & gratiarum* non contineri concessionem Indulgentiarum. Et confirmo inde; quia Pontifices in suis Bullis, & Brevibus sæpissimè exprimunt Indulgentias tanquam membrum distinctum. Confirmatur item ex dicendis *n.* 287.

CAPVT III.

Ex allata descriptione Indulgentiæ deducitur, & explicatur effectus Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

Remissio pœnæ est effectus Indulgentiæ. 23.
Et quidem pœnæ debitæ tum in foro Sacramentali. 24.
Tum in foro Dei. 25.
Quomodo remittantur per Indulgentiam pœnæ purgatorii? 26.
Quantum remittatur, quando Breve Indulgentiæ habet clausulam: De pœnitentiis injunctis? 27. & 28.
Non omnes pœnæ purgatorii remittuntur per Indulgentiam. 29.

Quæst. IX. *Quisnam est effectus Indulgentiæ?*

23 RESP. Is solus, quem in descriptione Indulgentiæ conformiter doctrinæ *Extrav. Vnigenitus* indicavi, scilicet remissio pœnæ temporalis. At, cùm duplex pœna temporalis debeatur peccatis, una in foro Dei luenda in purgatorio, altera in foro Sacramentali ex præcepto Confessarii subeunda in hoc mundo, oritur

Quæst. X. *Vtrùm per Indulgentiam reipsa remittatur pœna debita in solo foro Sacramentali, an etiam debita in foro Dei?*

24 RESP. I. Remittitur debita in foro Sacramentali. S. Thom. *in 4. dist.* 20. *quæst.* 1. *a.* 3. *quæst.* 1. communiter receptus. Probatur ex usu ipso Indulgentiarum, nam Indulgentiarum usus, magna ex parte fuit introductus in vicem, & locum gravissimarum pœnitentiarum, quas juxta Sacros Canones olim Confessarii injungebant ob graviora crimina. Hinc infrà *n.* 242. dicam, illum, qui spem habet lucrandi Indulgentiam plenariam, non obligari ad faciendam pœnitentiam Vindicativam, quam injunxit Confessarius.

25 II. Remittitur etiam per Indulgentiam pœna debita in foro Dei, seu in purgatorio. S. Thom. *loc. cit.* receptus ab omnibus Recentioribus contra nonnullos, qui teste eodem S. Thom. dicebant, per Indulgentias remitti solùm pœnitentiam, in foro Sacramentali debitam, quos bene refutat inde S. Doctor, quòd ex eorum sententia sequatur, Indulgentiarum largitores nobis obesse, non prodesse; nam juxta hanc sententiam, nos liberare volunt levibus pœnitentiis, & remittunt ad graviores purgatorii. Et verò cùm Concil. Trident. *Sess.* 25. *c.* 21. *In Decreto de Indulg.* definiat: Illarum usum esse populo Christiano maximè salutarem, patet, hanc sententiam esse planè falsam.

26 III. Pœna purgatorii per Indulgentias ita remittitur, ut non solùm remittatur illa purgatorii pœna, quæ respondet pœnitentiis à Confessario injunctis, sed etiam pœna correspondens aliis peccatis, pro quibus pœnitentia injuncta non est, sed injungi poterat, Laym. *Lib.* 5. *Tr.* 7. *c.* 3. *n.* 2. cum multis contra multos. Ratio est, quia hac ætate perquam exiguæ pœnitentiæ injunguntur in foro Sacramentali, ut notat idem Laymannus; ergo foret exiguus fructus Indulgentiarum, si per illas satisfieret tantùm pro illis purgatorii pœnis, quæ evaderentur, si pœnitentiæ à Confessario injunctæ perficerentur.

27 IV. Hæc sententia est vera, quoties in forma Indulgentiæ non ponuntur illa verba: *De Pœnitentiis injunctis.* Lugo *disp.* 27. *De Pœnit. n.* 201. Nam Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, sùntque latè interpretandæ, ut dicam *n.* 43.

28 V. Imò hæc eadem sententia est probabiliter vera, etiam quando adduntur illa verba: *De Pœnitentiis injunctis.* Nam faciunt hunc sensum: quòd per tales Indulgentias remittatur illa pœna non modò, quam poterat injungere Confessarius, sed etiam quam injunxit reipsa; adeóque illa particula: *De injunctis*, non restringit, sed ampliat Indulgentiam Laym. *loc. cit.* post Suar. contra Rosellum, restringens tamen hanc doctrinam ad pœnitentias hac ætate dari solitas, utpote multis partibus leviores, quàm olim imponebantur.

29 VI. Cùm dixi, per Indulgentias remitti pœnas purgatorii, non intellexi remitti perquamlibet Indulgentiam omnes illas, sed plus, aut minus illarum, prout Indulgentiæ sunt parvæ, aut magnæ. Cæterùm ne quidem per Jubilei Indulgentiam remitti pœnam in foro externo debitam rectè monet Sanctarellus *cap.* 15. *dub.* 16. post Navarrum & Reginaldum; nam revera non expedit talis remissio.

CAPUT

CAPVT IV.

Clarè, & breviter ostenditur, esse in Ecclesia potestatem largiendi Indulgentias.

SUMMARIUM.

Probatur unico syllogismo, esse in Ecclesia Thesaurum Indulgentiarum. 30.
Thesaurus meritorum Christi est inexhaustus. 33.
Nec adhuc exhaustus Thesaurus conflatus ex meritis Sanctorum. 34. & 35.
Distributionem Thesauri Ecclesiastici fieri posse ab Ecclesia probatur. 37.
Sicut & probatur, posse fieri extra Sacramentum. 40.

30 Quæst. XI. *Quibus argumentis Catholici Doctores adversus hæreticos probant, esse in Ecclesia Catholica potestatem impertiendi Indulgentias suprà descriptas?*

RESP. Multis efficacibus, quæ proponunt, & deducunt Bellarminus, Valentia, alii. Ego censeo cuivis non pertinaci, posse hanc Catholicam veritatem persuaderi hoc longo quidem, claro tamen syllogismo: Si tum Christo Domino, tum plurimis Sanctis superfunt plurimæ, imò infinitæ satisfactiones, quæ possint ab Ecclesia applicari vivis Christi membris extra Sacramenta, in relaxatione pœnæ, eorum peccatis debitæ, tum est in Ecclesia potestas largiendi Indulgentias; atqui tum Christo Domino, tum plurimis Sanctis superfunt plurimæ, imò infinitæ satisfactiones, quæ possunt ab Ecclesia applicari Christi vivis membris extra Sacramenta, & quidem in relaxationem pœnæ, eorum peccatis debitæ, ergo est in Ecclesia vera potestas largiendi Indulgentias.

31 Major propositio facilè ab ipsis quoque hæreticis admittitur, quandoquidem nos Catholici per potestatem dandi Indulgentias, nil aliud intelligimus, quàm potestatem applicandi fidelibus extra Sacramentum prædictas satisfactiones. Itaque hæc propositio non indiget probatione, sicuti nec consequentia, cùm sit legitima, suppositâ veritate minoris propositionis; quæ quidem constat sex membris deinceps probandis. 1. Quòd Christo Domino superfint satisfactiones. 2. Quòd etiam superfint plurimis Sanctis. 3. Quòd eæ sint plurimæ, imò infinitæ. 4. Quòd eæ possint applicari vivis Christi membris in satisfactionem pœnæ illorum peccatis debitæ. 5. Quòd hæc applicatio possit fieri ab Ecclesia. 6. Quòd hæc eadem applicatio possit fieri extra Sacramenti susceptionem. Singula horum sex membrorum ordine, & breviter.

33 I. Nam Christus *est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi.* 1. *Io.* 2. Atqui certum est, non esse hactenus omnibus hominibus reipsa applicatas omnes Christi satisfactiones, cùm tam multi hactenus perierint, qui poterant non perire; igitur adhuc supersunt Christo satisfactiones.

34 II. Intemerata Dei Mater, Christi Baptista, longè plurimi alii Sancti, vel nulla, vel pauca commisêre peccata, & tamen vitam duxerunt rigidissimam, ut fatebitur, quisquis absque pertinacia leget, quæ gravissimi viri, de iis memoriæ prodiderunt; ergo etiam plurimis Sanctis supersunt satisfactiones; id est, Deus meminit, plurimos Sanctos exercuisse opera, per quæ potuisset satisfieri pro pluribus peccatis, quàm reipsa satisfactum sit.

35 III. Quòd eæ satisfactiones sint plurimæ, patet ex paulò antè dictis, imò quòd sint infinitæ, si loquamur de iis, quæ Christo supersunt, probatur ex infinitate Personæ Christi Domini operantis, nam infinitas Personæ, liberè & cum summâ molestiâ operantis, refundit in ejus opera infinitam laudabilitatem, infinitámque vim satisfaciendi.

36 IV. Quòd superfluæ Christi Domini, & Sanctorum satisfactiones possint applicari Christi Domini vivis membris probatur, tum quia nulla aut metaphysica, aut moralis repugnantia ostendi potest, ob quam fieri non possit applicatio; tum quia Communio Sanctorum, quam in Symbolo profitemur, significat talem Christi membrorum inter se, & cum suo Capite conjunctionem, ut sicuti Corporis viva membra sibi mutuam ferunt opem, ita mystica membra possint sibi invicem communicare bona, & maximè superflua.

37 V. Porrò hanc applicationem posse fieri ab Ecclesia, probatur ex illo Christi Domini ad Petrum mandato: *Pasce oves meas. Io.* 21. Quo verbo: *pasce*, intelligitur omnis actus jurisdictionis, qui ad claudendum, vel aperiendum Regnum cœlorum conferre potest, ut hoc modo donatio sit æqualis promissioni factæ; *Matth.* 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum &c.* Atqui concessio Indulgentiarum est actus jurisdictionis. Et verò, cùm ex una parte non 38
possint hæretici ostendere, cur physicè, aut moraliter implicet potestas ejusmodi applicationis faciendæ, ex altera autem clarum, certúmque sit, eam esse perutilem Ecclesiæ, & commodissimè posse intelligi, indicaríque per duo illa pronunciata Christi Domini, quæ jam retuli, prudens ratio persuadet, esse hanc potestatem, iis verbis reipsa indicatam, ut verificetur communis omnium sapientum ex lumine naturæ profecta persuasio, indicata *Cap. Quamvis De præb. in 6. & L. Beneficium. ff. De Constit. Princip.* Nam primo loco ita loquitur Pontifex: 39
Quamvis plenissima sit aliàs in Beneficiis interpreta-

pretatio facienda. Secundo autem loco sic pronunciat per Jabolenum Imperator: *Beneficium Imperatoris, quod à divina scilicet ejus Indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus.*

40 VI. Denique quòd ista applicatio possit fieri extra Sacramenta, seu Sacramenti susceptionem, probatur tum illa ipsa ratione, & discursu, quo veritatem præcedentis membri probavi, tum quia satisfactiones Sanctorum non possunt applicari per Sacramenta, cùm hæc totam suam vim in ipsos etiam Sanctos exeruerint ex meritis solius Christi, ergo si nobis applicari possunt, ut posse ostendi superiùs, tum applicari possunt extra Sacramenta. Quòd si Passiones Sanctorum possunt nobis extra Sacramenta applicari, longè magis Christi satisfactiones.

CAPVT V.

Proponuntur, & dissolvuntur nonnulla dubia circa Indulgentias generatim sumptas.

SUMMARIUM.

Quid censendum de quibusdam Catholicis, qui scripserunt, Indulgentias esse piam fraudem Ecclesiæ? 41.
Est de fide illas dari, 42.
Quis sensus illius Axiomatis: Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant? 43.
Indulgentia non plus valet, quàm sonat. 46.
Quid censendum de negligentibus Indulgentias? 47.
Quid de studiosis earundem? 48.
An pecunia data pro bello contra infideles plus mereatur apud Deum, quàm data pauperi? 50.
Non valet votum de Indulgentiis nunquam conquirendis. 51.

41 Quæst. XII. *Quid censendum de illis paucis Catholicis Doctoribus, qui dixerunt, Indulgentiæ largitionem esse piam quandam fraudem Ecclesiæ?*

RESP. Meritò à S. Thom. in supplem. *q.* 25. *a.* 2. & Alberto Magno *in* 4. *dist.* 20. *a.* 17. reprobari, nec enim verum est, quòd Ecclesia Indulgentias ideo proponat, ut illarum spe allecti homines efficiant opera pia, pro obtinendis Indulgentiis præscripta, illorúmque operum virtute placent iram divi-
42 nam. Unde etiam verum non est, quòd Ecclesia hac in re imitetur matrem, quæ ostentato pomo, quod datura nunquam est, excitat filium ad currendum; nam & hæc similitudo, quam teste S. Thoma dabant illi Doctores, inepta est; & doctrina, in cujus declarationem utebantur illa similitudine, meritò à S. Thoma, & à Gregorio de Valentia *Tom.* 4. *D.* 7. *q.* 20. *Punct.* 1. vocatur erronea, nam repugnat tum relatæ *Extrav.* Unigenitus *lit.* c. tum Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 21. *in decreto de Indulgentiis*, ubi sacra Synodus expressè asserit, potestatem conferendi Indulgentias esse à Christo datam Ecclesiæ. Unde meritò asserit Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *Part. disp.* 49. *sect.* 1. *n.* 5. esse de fide, quòd in Ecclesia sit potestas conferendi Indulgentias, per quas remittatur pœna, pro dimissis peccatis debita.

Quæst. XIII. *Quid indicat illa vulgatissima phrasis:* Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant?

RESP. Indicat Indulgentiarum adeptionem 43
operari omnem illum effectum, qui à Prælati voluntate designatur per verba, quibus earum concessio promulgatur; ita quidem, ut Indulgentia infallibiliter operetur, quantum sonat, si causæ omnes ad illam necessariæ concurrant. Suar. *disp.* 56. *sect.* 2. *n.* 5. Et quamvis in 44
particulari non sit certum & infallibile, hanc aut illam Indulgentiam reipsa tantum operari, quantum sonat, quia non est certum & infallibile, quòd hæc, aut illa particularis Indulgentia habeat omnes conditiones requisitas ex parte concedentis, & accipientis; ubi tamen non constat evidenter, Indulgentiam sine legitima causa esse concessam, non est reputanda habere minorem efficaciam, quàm verba, quibus ea conceditur, sonant, sicuti rectè subdit Suar. *loc. cit. n.* 6. *&* 7. qui *disp.* 52. *sect.* 5. *n.* 1. 45
rectè quoque præmiserat, Indulgentiam plus non valere, quàm sonent, eò quòd operetur juxta voluntatem concedentis expressam per formam; testatúrque Corduba *q.* 41. esse hanc communem Juristarum Regulam, quam confirmo inde, quòd *privilegia non plus operentur, quàm verbis exprimant.* DD. communiter ex *Cap. Privilegia dist.* 4. *& Cap. Porrò. De privilegiis.* Est autem hoc Axioma desumptum ex S. Thom. *cit. dist.* 20. ubi crebrò sic loquitur. *Indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur.*

Quæst. XIV. *Verba, quibus Indulgentiæ con-* 46
ceduntur, suntne latè, an strictè interpretanda?

RESP. Sunt latè interpretanda, nisi fortè in aliquo casu ex particularibus circumstantiis aliud concludendum sit. Hinc conclusionem, quam etiam tenent Henriquez *Lib.* 7. *cap.* 30. Bonac. *p.* 7. Palaus *p.* 4. idipsum sentiens de delegata potestate largiendi Indulgentias, pluribus explicavi, & sufficienter probavi in Tract. de Jub. *n.* 24. *&* 25. ideft Indulgentiæ sumptæ tam formaliter, seu quoad remissionem pœnæ, quàm accidentaliter, seu quoad gratias per accidens eis adjunctas à Prælato non conferunt plus quàm indicent verba accepta in communi sensu, sicuti practicè applicavi Tract. præced. in Append. finali ad cap. quinquagesimum *lit.* c.

Quæst.

47 Quæst. XV. *Quid censendum de illis, qui Indulgentias negligunt, aut è diverso studiosè consectantur?*

RESP. Qui per contemptum negligunt, ut Lutherani, peccant mortaliter; qui per torporem, & desidiam, venialiter; qui ideo, quòd velint ipsimet pro se satisfacere in hoc mundo, aut satis pati in altero, non videntur peccare, quia non agunt contra ullam virtutem, aut præceptum. Attamen contra charitatis perfectionem agunt, qui tot faciles obtentu Indulgentias, quas miserabilibus animabus in igne purgatorio applicare possent, prætermittunt.

48 II. Qui verò omnem, Indulgentias lucrandi occasionem arripiunt, laudandi potiùs sunt quàm arguendi, per se loquendo, nam satagunt & maturè satisfacere justitiæ divinæ, & removere impedimenta, expedito ad conspectum divinum cursui obstantia, adeóque optant ocyùs cum Deo summo bono conjungi, qui est actus charitatis.

49 III. Hinc infer, voluntatem studiúmque lucrandi Indulgentias, esse opus ex se bonum, & honestum, consentaneúmque statui Religioso. Imò esse honestius, & laudabilius, charitatíque Dei, & propriæ conformius, ex alieno solvere Deo per rigorosam pœnam, ut docent Suarez *disp.* 49. *sect.* 5. *n.* 8. & Sanctarellus *c.* 6. *dub.* 3. contra Sotum.

50 IV. Addunt Suarez & Sanctarellus, quando Pontifex olim largiebatur Indulgentias iis, qui contribuebant pecunias, ad scribendum militem contra infideles, illos, qui assem, e.g. pro Indulgentia tunc contribuebant, exercuisse opus ex suo genere melius, & laudabilius, quàm si illum assem dedissent pauperi, in Communi necessitate constituto. Lege Benzonium *dub.* 16.

51 Quæst. XVI. *Propositum, aut votum nunquam conandi lucrari Indulgentias, éstne validum?*

RESP. Non est, nam votum est promissio de meliore bono, ut docent omnes cum S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 2. atqui paulò antè ostendi, non esse melius, velle in purgatorio satisfacere per ignem, quàm hic satisfacere per Indulgentias.

CAPVT VI.

De iis, penes quos est potestas largiendi Indulgentias.

SUMMARIUM.

Non nisi præditus jurisdictione spirituali largitur validè Indulgentias. 52.
Papa potest eas largiri omnibus Christi fidelibus. 53.
Cardinales concedunt Indulgentias centum dierum. 55.
Legati Apostolici quadraginta dierum. 56.
Quales fuerint nonnulli largiti recitantibus pia suspiria S. Francisci Xaverii? Ibid.
Quid hac in re possit Archiepiscopus? 57. *& seqq.*
Quid Episcopus? 58. *& seqq.*
Quo ture? 62.
Et quomodo Religiosis exemptis? 63.
An etiam peregrinis? Ibid. copiosè
An ubique? 66.
Actus Iurisdictionis voluntariæ exercentur licitè ubique. Ibid.
An Diœcesani, commorantes extra Diœcesin lucrentur Indulgentias oblatas omnibus Diœcesanis? Ibid.
An summus Pœnitentiarius impertiatur Indulgentias? 67.
An Vicarius Generalis? 68.
Quid si quis sit Episcopi Vicarius in spiritualibus simul & Pontificalibus? 69
Quid Confessarius? 70.
Quid Concilium Generale, aut Provinciale? 71.
Quid Generales, & Provinciales Ordinum Religiosorum? 72. *&* 74.
Quid Abbas utens insignibus Episcopalibus? 72.
Potestas dandi Indulgentias quatenus delegari possit? 73.
Pœnæ promulgantium Indulgentias ad quæstum. 75.
Peccatum promulgantium indiscretas. 76.
Potestas largiendi Indulgentias acquiritur etiam consuetudine. 78.
Quid si Pontifex ignorat talem consuetudinem? 79.

Quæst. XVII. *Penes quos generatim est pote-* 52
stas concedendi Indulgentias?

RESP. I. Penes illos duntaxat, qui sunt præditi jurisdictione spirituali. Nam largitio Indulgentiarum est actus jurisdictionis. S. Thomas *cit. dist.* 20. *& cit. q.* 26. valde frequenter.

II. Penes solos Ecclesiæ Prælatos est ea potestas ordinaria, penes alios non nisi delegata S. Thom. in supplem. *q.* 26. *a.* 2. *&* 3. communiter receptus. Confirmatur ex *Extrav.* Unigenitus *lit.* c. tametsi Virginius Aluiset de *Privil. Regular. sect.* 3. *cap.* 13. assentiatur Canonistis tribuentibus hanc (de diebus, aut Annis) potestatem cuilibet Confessario respectu sui pœnitentis.

Quæst. XVIII. *Quanta, qualisve potestas* 53
concedendi Indulgentias competit Summo Pontifici?

RESP. I. Tanta, ut omnibus Christi fidelibus ubivis locorum degentibus Indulgentias largiri possit. *Extrav.* Unigenitus *lit.* c. *&* d. omnésque Doctores, qui id probant ex illo *Io.* 20. *Pasce oves meas.* At Clemens VI. in *cit.*

Extrav.

Extrav. lit. c. insinuat, ejus potestatis promissionem factam fuisse Petro per illa verba: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Matth. 16.*

54 II. Eadem potestas est in Pontifice Summo ordinaria, & ita quidem, ut illi competat ante suam consecrationem, est quippe potestas jurisdictionis, non autem Ordinis. Lugo *num. 2.*

55 Quæst. XIX. *Suntne Cardinales præditi potestate impertiendi Indulgentias, & quali?*

RESP. I. Sunt præditi potestate concedendi Indulgentias 100. dierum Ludov. Bologn. *Tract. de Indulg. num. 34. & 49.* Diana *Part. 5. Tract. 2. Resol. 6.*

II. Hæc potestas, quæ annexa jam est dignitati Cardinalitiæ, sitne ordinaria, an delegata dicenda, pender ex descriptione horum duorum adjectivorum, quæ non est eadem apud omnes.

III. Ex sola consuetudine, non autem ex ullo scripto jure hanc potestatem iis convenire asserit Navarrus *Ner. 21.* At Bologni ait ex privilegio.

IV. Tametsi fidem habeo affirmantibus, Cardinales esse illâ, quam dixi potestate præditos concedendi Indulgentias 100. dierum, quidam tamen Parochus Diœcesis Augustanæ misit mihi abhinc duodecennium in ipso originali literas conscriptas, Anno millesimo, quingentesimo, signatásque Chirographis decem S. R. E. Cardinalium qui largiebantur omnes simul Ecclesiæ Parochiali Eyttenhusanæ non plus quàm quadraginta dierum Indulgentias, manus adjutrices porrigentibus pro exædificatione memoratæ Ecclesiæ Eyttenhusanæ, obtinendas autem non nisi in quatuor festivitatibus nominatis in illo originali; quæ parsimonia, quique concurrendi modus ne quidem in Episcopis, ne dum in Cardinalibus videtur hac ætate usurpari.

56 Quæst. XX. *Quid juris circa Indulgentias competit Legato Apostolico?*

RESP. Cotonius *Lib. 2. Controv. 11. n. 17. V. Indulgentia n. 2.* asserit, Legatum Apostolicum posse in sua Provincia, & legatione, concedere perpetuas 40. dierum Indulgentias, & probat ex *Cap. fin. De offic. Legati.* Sed ibi nulla de Indulgentiis fit mentio; non dubito tamen de veritate doctrinæ, cùm enim Legatus sit in sua Provincia judex ordinarius, utpote instar Proconsulis, Cap. *Legatus, De offic. Legat. in 6.* imò aliquanto majorem potestatem habeat, quàm Archiepiscopus, aut Episcopus. Abb. *C. 1. n. 2. De offic. Legati*; Episcopo autem concessa sit hæc potestas, ut mox dicam, idcirco haud dubiè eâdem pollet Legatus.

Vide Suarez *Tom. 4. in 3. Part. disp. 55. sect. 3. n. 22.* asserentem: jure communi scripto Legatis Pontificiis non competere ullam potestatem in Indulgentias, sed solùm ex speciali commissione Pontificis, qua fuerunt (novo & propè mirando exemplo) usi sub Annum: 666. tres Illustrissimi Domini Nuntii Apostolici, Viennensis, Colonienſis, Lucernensis. Etenim Illustrissimus Dominus Sedis Apostolicæ ad Helvetios, & Rhætos Nuntius, ejusdem sedis authoritate per Alexandrum VII. P. M. indultâ, omnibus Christi fidelibus utriusque sexus Diœcesis Constantiensis, Curiensis, Lausannensis, Basileensis, concessit ducentorum dierum Indulgentias, quotiescunque devotè, & flexis genibus ante Imaginem S. Francisci Xaverii recitaverint orationem hanc: *O Deus ego amo te* &c. Dominus verò Nuntius Viennensis per suam Nunciaturam impertiit propter eandem pietatem undecim mensium Indulgentiam, Colonienſis tantundem. Porrò infrà *n. 438.* discutiam illam clausulam: *quotiescunque* recitaverint, & simul proponam totam illam piissimam orationem.

Quæst. XXI. *Quid de Archiepiscopo?* 57

RESP. I. Potest in sua propria Diœcesi concedere Indulgentias, quas quisque Episcopus in sua, cùm sit verus suæ propriæ Diœcesis Episcopus.

II. Potest quibuslibet suorum suffraganeorum Ecclesiis impertiri eas Indulgentias, quas ipsimet suffraganei. *Cap. Nostro. De Pœnit. & remiss.* junctâ rubr.

III. Et quidem id potest etiam dum non visitat, nam prædictum capitulum non loquitur de Visitatione.

IV. Nec obest, etiamsi illæ jam antè à propriis Episcopis acceperint Indulgentias, nam potest nihilominus similes conferre Archiepiscopus & Legatus, ita ut & Episcopi, & Archiepiscopi, & Legati Indulgentias simul quis lucretur. Suar. *disp. 55. sect. 2. num. 7.* Rosella. *n. 397.*

Quæst. XXII. *Quid juris habet Episcopus?* 58

RESP. I. Id juris, ut quo die dedicatur aliqua Ecclesia, concedat Indulgentiam unius Anni illo die obtinendam, & præterea Indulgentiam 40. dierum obtinendam anniversario dedicationis tempore. *Cap. Cùm ex eo, De Pœnit. & remiss. in fin.*

II. Ut eandem 40. dierum Indulgentiam concedat, quoties rationabilis causa occurrit, *cit. Cap. Cùm ex eo.*

Unde ego Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto interrogatus à quodam J. U. Licentiato Anne Reverendissimus & Illustrissimus Ordinarius Constantiensis, polleat potestate insigniendi Indulgentiis 40. dierum quinque festivitates, quas sibi proprias delegerat enascens id temporis, multò piissima Congregatio quinque Vulnerum Christi è solis Sacerdotibus conflanda? Respondi, facturum sanctissimè, sicuti fecit verbis, quæ in Bulla, seu Brevi confirmativo ejusdem Confraternitatis

tatis expressa transfero in hunc locum: *Utque pios hujusmodi SS. Christi Vulnerum amatores spiritualibus quoque donis ditemus, de Immensa Dei bonitate confisi, omnibus, & singulis memoratæ Confraternitatis Confratribus, ubicunque nobis subjectis, non subjectis verò in Diœcesi nostra existentibus, qui pro exaltatione S. R. Ecclesiæ, hæresum extirpatione, Christianorum Principum concordia, vel hujus Confraternitatis augmento piè oraverint in quinque festivitatibus sæpe dictæ Confraternitatis propriis, quadraginta dierum Indulgentias in Domino concedimus, & elargimur.* Hactenus Reverendissimus & Celsissimus Franciscus Joannes Princeps, & Episcopus Constantiensis; cujus verba, quatenus illam Indulgentiam extendunt expressè etiam ad non subjectos, existentes tamen in Diœcesi Constantiensi, repetam infrà *n. 64.* iisque confirmabo doctrinam de peregrinis comparantibus Indulgentias locorum, in quibus versantur.

59 III. Majores his Indulgentias nequit impertiri Episcopus. *cit. Cap. Cùm ex eo,* ubi additur hæc ratio: *quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiæ Prælati facere non verentur; & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur &c.* Ex quo Cap. apparet, Episcopos olim largiores impertivisse Indulgentias, & quidni plenarias?

Quin existimat Valentia *cit. q. 20. Punct. 3.* cum multis contra Cordubam, & alios, hodiéque posse ab Episcopo privatim, & secretè concedi alicui Indulgentias majores, quàm permittuntur *cit. Cap. Cùm ex eo,* idcirco quòd illud Capitulum videatur loqui de sola publica

60 concessione. Verùm huic opinioni videtur repugnare tum ratio citati Capituli, *Cùm ex eo,* tum *Cap.* Indulgentiæ *De Pœnit. & Remiss. in 6.* nam illic ita decernitur: *Indulgentiæ, quæ ab uno, aut pluribus Episcopis in Ecclesiarum dedicationibus, vel aliis quibuscunque casibus conceduntur, vires non obtinent, si statutum excesserint Concilii Generalis*; atqui citatum Capitulum, *Cùm ex eo,* desumptum est ex Concilio Generali Lateranensi III.

61 IV. Prædicta tamen Capitula non obstant, quo minùs plures, qui jurisdictione præditi sunt e g. proprius loci Episcopus ejusdémque Metropolitanus, aut successor, simul, aut successivè plures quadragenas concedant uni, & eidem Ecclesiæ, sicuti etiam non obstant, quò minùs illi ipsi Ecclesiæ, cui proprius Episcopus pro certo aliquo festo unam quadragenam impertiit, alienus Episcopus largiatur aliam insuper quadragenam obtinendam à suis subditis, Ecclesiam illam illo die visitaturis. Sa V. *Indulgentia n. 16.* quandoquidem ejusmodi concessio non fit directè ipsi loco, sed personis subditis in ordine ad illum locum. Laym. *Lib. 5. Tr. 7. c. 4. n. 2.* subdens, posse postmodum proprium loci Episcopum, illam quadragenam trahere ad suos subditos, faceréque eis potestatem lucrandi illam, adeóque obtinendi uno die duas quadragenas, sed plus quam unius Anni Indulgentiam non possunt in die Dedicationis concedere Episcopi; etsi plures conveniant. Azor *Tom. 2. Lib. 3. c. ult.* Rosel. *n. 402.*

V. Etsi receptior Laymanni *loc. cit.* contra 62
Tannerum *Tom. 4. d. 6. q. 7. dub. 4. n. 95.* opinio tenet, potestatem largiendi Indulgentias, quâ pollent Episcopi, convenire illis Jure Ecclesiastico, non autem Divino, hánceque opinionem insinuat Pontifex, *Extrav.* Unigenitus *ut,* c. solis Petri successoribus, asserens à Christo Domino datam hanc potestatem, eadem tamen potestas convenit iisdem Jure ordinario. Suar. *disp. 55. sect. 3. n. 3.* contra Durandum; nam Episcopi vi Juris Communis scripti, atque adeò ex vi sui muneris obtinent hanc potestatem; quam quidem exercere possunt in suos duntaxat subditos, *ò quòd non sine Judice ligari nullus valeat vel absolvi, Cap. Quòd autem, De Pœnit. & Remiss.* ubi etiam ex hac ipsa ratione deducit Pontifex, remissiones, id est, Indulgentias quæ fiunt in Dedicationibus Ecclesiarum, prodesse illis tantummodò, *quibus ut profint, proprii Judices specialiter indulserunt.* Unde ulteriùs infert Suar. *cit. sect. 3.* cum aliis communiter; non posse Episcopos concedere Indulgentias defunctis applicandas, cùm non sint proprii defunctorum Judices. Item etiam non posse propriis subditis concedere Indulgentias, quas per modum suffragii applicent alienæ Diœcesis subditis. Hæc tamen ratio, & doctrina nil obstat, quò minùs Religiosi exempti possint se, in ordine ad lucrandas Indulgentias, subjicere Episcopo, & proinde ab illo Indulgentias participare. Filliucius *Tr. 8. n. 130.* Suarez. *disp. 52. sect. 1. n. 13.* Bologn. de *Indulg. n. 43.* Mathias Corona de dignit. & potest. Episcopi *Tr. 2. c. 20.* cum multis contra multos. Ratio nostra est, *quia inducta ad argumentum, non debent parere diminutionem, L. Legata inutiliter. ff. De Legat. 1.* Quanquam Rosellus *n. 321.* multis contra alios contendit, Episcopum non posse concedere Indulgentias locis in sua Diœcesi exemptis.

Est autem observandum hoc discrimen in- 63
ter Religiosos exemptos, & sæculares peregrinos, quòd fateantur quidem DD. suprà citati, atque insuper Pax Jordanus Elucubrat. *Tom. 1. Lib. 5. Tit. 15. n. 49.* contra Ugolinum, posse Episcopum impertiri directè, & immediatè Indulgentias illis exemptis, ea etiam de causa, quòd ipsi quoque exempti subjiciantur Episcopo in multis casibus ut ratiocinatur Pax Jordanus *loco cit.* at verò sæculares peregrinos quod attinet, negat expressè Jordanus *loco cit. num. 55.*

num. 55. & Corona *loc. cit. n.* 4. cum aliis, posse hîsce ab Episcopo alieno impertiri Indulgentias, si tantùm brevissima mora versentur in eo Episcopatu; adeò ut ne quidem fiant participes Indulgentiarum, quas Episcopus alicui certo loco intra suam Diœcesin concessit, ut addit idem Jordanus *num.* 59, nisi accedat voluntas proprii Episcopi; quam etiam doctrinam tenet Diana *Part.* 11. *Tract.* 8. *Resol.* 24. post Abbatem Cap. *Quòd autem. De Pœnit. n.* 7. sicut & Barbosa in Cap. *Quòd autem. De Pœnit. & Remiss.*

64 Verùm si agatur de voluntate, seu consensu propriorum Episcoporum, est ita nota omnibus benevolentia eorum erga subditos, ut meo judicio non oporteat habere ullum dubium de eorum voluntate universali huc sufficiente; imò existimo; esse valde probabile, illum huc non esse necessarium, tum quia Parochus potest eam tribuere. Navarrus *de Indulg. & Iubil. Not.* 31. *num.* 23. cum aliis contra alios apud Suarez de Pœnit. *dub.* 55. *sect.* 6. *num.* 7. tum quia scio, probatum esse non uni, sed pluribus doctrinam, quam in Tract. præcedent. de Jubileo *num.* 87. tradidi, quámque repetam *infrà num.* 467. quòd videlicet Indulgentia alicui Provinciæ, aut Urbi concessa possit obvenire ipsis etiam peregrinis. Quam quidem doctrinam admittit etiam ipse Pax Jordanus *num.* 61. respectu Indulgentiarum alicui loco concessarum à Summo Pontifice cùm omnes Christi fideles subjecti sint ipsi *Cap. Cuncta per mundum* 9. *q.* 3. At probo ego de Indulgentiis, etiam quas concessêre Episcopi locales; tametsi enim verum est, quòd concessio Indulgentiæ proveniat à potestate ligandi, atque solvendi. Suprà *n.* 52. *&* 53. quia tamen Episcopi possunt & ferire anathemate tales viatores, si committunt in eorum Diœcesi crimen anathemate dignum, & possunt ex variis titulis, excipere eorum Confessiones e.g. si adducantur hi in vitæ discrimen, ideo nihil officit illa, in contrarium allata ratio.

Nec dubito, quin in iis casibus, in quibus dixi Tom. præced. *Tr.* 7. *Cas.* 3. Parochianos unius Parochiæ, posse confiteri Parocho alterius, in iisdem etiam possint obtinere Indulgentias proprias illius alterius Parochiæ. Huc facit doctrina Petri Marchantii, qui referente Diana *cit. Tract.* 16. *Resol.* 2. sic scribit: Arbitror externæ Diœcesis hominem orantem ante imaginem B. V. ad quam Episcopus 40. dies Indulgentiæ orantibus contulit, lucrari eadem ratione Indulgentiam. Denique suprà *n.* 56. descripsi diploma, quo Illustrissimus Ordinarius Constantiensis impertitus fuit etiam non subjectis, in sua tamen Diœcesi existentibus Indulgentiam personalem.

Appendix.

Confirmantur hæc omnia, quòd licet jurisdictio contentiosa nequeat exerceri, nisi in subditum, & intra proprium territorium: P. Laymannus ex communi Lib. 1. Theol. Moral. *Tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 4. Voluntaria tamen, quæ videlicet exercetur sine vi, aut coactione, vel contradictione, sed in volentem, & consentientem, & sine strepitu forensi exerceri queat, tam extra proprium territorium, Laymannus *Ibid.* rursùm ex communi, quàm in non subditum volentem & consentientem. Tuschus Practic. Conclus. *lit. I. Concl.* 544. *n.* 11. inde post Alex. Lib. 6. *Consil.* 69. inferens Imperatorem posse legitimare alienum, si non repugnet hujus alieni Princeps. Quia igitur largitio Indulgentiarum est actus jurisdictionis minimè contentiosæ seu coactivæ, sed merè voluntariæ, potest Episcopus eam exercere erga Religiosos quantumvis exemptos, saltem si non contradicat Regularis Prælatus.

Ex quo principio ego Anno 1675. literis interpellatus à quodam Societatis Nostræ P. Rectore: An Sacerdos Societatis libros prohibitos licitè, absque sui Rectoris expresso consensu aut dissensu legere possit, idcirco quòd licentiam, acceperit ab Archiepiscopo N. habente à Sede Apostolica Privilegium concedendi aliis novem, vel decem eam facultatem? Respondi posse, stante illo ipso Jure Communi, quandoquidem illa concessio sit actus propriè dictæ jurisdictionis *voluntariæ*. At per accidens, adeóque absolutè non posse absque consensu sui Superioris, tum quia generatim privilegium ab alieno Superiore impertitum nihil prodest, si repugnet hic Superior, ut paulò antè dixi, & repetit Alex. *Lib.* 7. *Consil.* 11. loquens de subdito Principis A. legitimato ab Imperatore, absque consensu illius Principis B. non dependentis ab Imperatore: tum singulariter, quia in compendio nostrorum privilegiorum, verb. *Gratiæ.* §. 2. vetatur, ne quis de Societate absque *expresso* superiorum consensu utatur ullis Apostolicis indultis; & verb. *Privil.* §. 3. exprimitur, quod nullum privilegium repugnans moribus Societatis impetratum à quoquam, ullius sit momenti. Accedit, quòd & Superiorum Societatis interfit nosse, utrùm huic aut illi personæ particulari profutura, an obfutura sit talis lectio, & revera usus ejusmodi privilegii à sæculari Superiore concessi, nata sit turbare, domesticam disciplinam, debitúmque Superioribus respectum. An verò sit aliquo loco habenda doctrina Caramuelis, contendentis illam ipsam Lectionem esse, non obstante Bulla Cœnæ Domini, licitam cuivis viro docto, scienti eam sibi non nocituram? dixi, aperuique meam contrariam mentem in Experient. *Tr.* 7. *Cas.* 8. *n.* 356. Edition. Einsidlensis.

65 VI. Quando Episcopus in Indulgentiarum concessione transgreditur terminos à Jure constitutos, ejusmodi concessio est invalida. *Cap.* Indulgentiæ, *De Pœnit. & remiss. in* 6. at solummodo quoad excessum. Ratio est, quia *utile per inutile non debet vitiari. Reg.* 37. *in* 6. saltem si utile possit separari ab inutili *L.* 1. *ff. Aqua quotid. & æstiva*; & *actus qui non valet, ut geritur, saltem valet, ut valere potest.* DD. communiter, argum. *Cap.* 1. *De Desponsi. impub. in* 6. & in liberalitatibus interpretatio fit, ut sustineatur actus usque ad legitimum modum, Pax Jordanus *Elucubrat. Tom.* 1. *Lib.* 5. *Tit.* 16. *n.* 14. His addenda doctrina Roselli *n.* 309. quòd scilicet quando dantur Indulgentiæ conferentibus eleemosynam pro fabrica alicujus templi, si dominus templi nolit recipere oblatam, nihilominus obtineatur Indulgentia ab offerente, nam ista est conditio mixta, & ideo habetur pro completa, *loc. cit. C. De Instit. & substit.*

66 VII. Porro Indulgentias, quas largitur Episcopus, petit ipse, partim ex suæ, partim ex universalis Ecclesiæ Thesauro. Suarez *sect.* 3. *num.* 4.

VIII. Quia largitio Indulgentiarum est actus jurisdictionis voluntariæ, & sine strepitu forensi exercetur, potest Episcopus, ubivis locorum existens, concedere suis subditis, ubivis locorum existentibus, Indulgentias ubivis gentium lucrandas. Suarez. *disp.* 55. *sect.* 3. *n.* 17. conformiter, *L.* 21. *ff. De Offic. proconsi.* vide Roselium *n.* 209. & nota pro praxi, Constantienses e.g. qui operam literis dant Dilingæ Atheneo Diœcesis Augustanæ, potiri posse illa Indulgentia, quam piè precantibus coram icone S. Xaverii impertitam esse à Nuntio Apostolico Lucernensi dixi suprà *n.* 56. sicuti enim potest Episcopus suis subditis ubivis locorum degentibus, conferre Indulgentias, ut paulò antè diximus, patétque exemplo, & facto Illustrissimi Episcopi Constantiensis relato suprà *n.* 58. ita Nuntius Apostolicus, siquidem omnes cives ejus Nuntiaturæ sunt ei verè subditi, habétq; in hos aliquanto majorem potestatem, quàm ipse Episcopus. Suprà *n.* 56. Sed & notat singulariter Jordanus Elucubrat. *Tom.* 1. *Lib.* 5. *Tit.* 16. *n.* 52. Episcopos, & consequenter Nuntios Apostolicos licitè, validéque sua illa potestate uti etiam in Anno Jubileo; proindéque reprehendit ipse Episcopum, qui 1625. abstinuit concessione Indulgentiarum.

67 Quæst. XXIII. *Quid circa Indulgentias possunt Prælati inferiores Episcopo?*

RESP. I. Summus Pœnitentiarius, audiente & testante Paludano *in* 4. *dist.* 20. *q.* 4. *a.* 2. semel dixit: *Authoritate nostra ordinaria damus vobis* 100. *dies Indulgentiæ*; unde apparet tempore etiam Paludani supremum Pœnitentiarium habuisse hâc in re majorem potestatem, quàm Episcopi.

II. Vicarius Generalis Episcopi, tam in Pontificalibus, quàm in Spiritualibus caret ex se potestate dandi Indulgentias, quia primus caret jurisdictione, secundus non habet propriè dignitatem Episcopalem; atqui potestas concedendi Indulgentias; jure ordinario annexa est dignitati Episcopali. *Cap. Accedentibus. De excess. Prælat.* Rosci. *n.* 201. Corona, alii. 68

Quòd si tamen unus idémque sit Episcopi Vicarius in Spiritualibus simul, & Pontificalibus, ut fit sæpe in Germania, posset ex opinione probabili ejusdem Roselli *n.* 351. impertiri Indulgentias absque ulla ulteriore delegatione. 69

Ex dictis infero errâsse Angelum, & alios plures apud Suar. *disp.* 53. *sect.* 9. ratos, omnem, qui in foro pœnitentiæ potest à peccatis absolvere, posse quoque Indulgentiam donare, saltem in foro Sacramentali, seu interno, ut limitat Fumus, *V. Indulgentia n.* 2. Et verò S. Thom. *dist.* 20. *a.* 4. ex professo probat, hanc potestatem non convenire cuilibet Parocho; sicut & errant illi, qui putant, Neomystas impertiri tunc Indulgentias, quando statim post suam primam Missam Cruce signant eos, qui ipsis osculantur manum. 70

III. Neque Generale, neque Provinciale Concilium, neque Cardinales, aut Canonici sede vacante possunt dare Indulgentias. Suar. *sect.* 3. *&* 4. Corona *loc. cit.* §. 1. *n.* 1. aliique contra Navarrum *de Iubil. Not.* 31. *n.* 2. *&* 6. aliud de Concilio œcumenico, & capitulo sede vacante dicentem, cum Bologn. *n.* 40. *& seqq.* Corona *loc. cit.* cum multis contra alios; nam nullum jus id eis permittit. 71

IV. Generales, Provinciales, aliique Regulares Prælati carent ex se prædicta potestate, *cit. cap. Accedentibus*, in quo etsi de solis Abbatibus est expressus sermo, nihilominus tamen ibi dicitur, prædictam potestatem esse dignitatis Episcopalis. Et quamvis Abbas ex privilegio habeat, ut possit uti insignibus Episcopalibus, non idcirco potest Indulgentias dispensare. Rosellus *de Indulg. n.* 378. Excipe, nisi privilegium ipsius dicat, eum posse uti dignitate Episcopali. Rosel. *n.* 381. Quamquam idem Rosell. *n.* 388. *& seqq.* observat, in generali delegatione jurisdictionis Episcopalis, non venire potestatem concedendi Indulgentias. 72

V. Nihil tamen obstat, quò minus Papa, aut Episcopus illam eandem potestatem deleget cui vis Clerico, etsi non possit Episcopus delegare laico, utpote secundùm jus Ecclesiasticum incapaci munerum Ecclesiasticorum. Suar. *disp.* 55. *sect.* 6. *n.* 5. Hinc de facto datur sæpe 73

cuivis Confessario facultas largiendi moribundis Indulgentiam, ut latè explicat Suar. *disp.*
74 *56. sect. 1. n. 2.* Hinc etiam Provinciales Ordinum Mendicantium potiuntur facultate concedendi in fine suæ Visitationis suis subditis Indulgentiam plenariam. Casarubios *n. 16.* & Corona *n. 6.* Quam facultatem, utpote ex vivæ vocis oraculo provenientem, etsi revocatam esse tradit Lezana *n. 4.* ejus tamen doctrina nil obest iis Ordinibus Religiosis, qui post illam revocationem acceperunt à Summo Pontifice restitutionem facultatis, de qua meminit Casarubios.

75 VI. Quando Pontifex dicit, se dare alicui Indulgentiam, applicandam tamen per aliquem alium, debet hic alius esse Clericus, & communiter Sacerdos. Lugo *n.* 137.

Quæst. XXIV. *Quas pœnas incurrunt, qui publicant Indulgentias ob quæstum: id est, ob eleemosynam ratione illarum acquirendam?*

RESP. Incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, si sint Religiosi, si autem sint Episcopi, aut Cardinales, sunt ab ingressu Ecclesiæ, & perceptione suorum fructuum suspensi, donec satisfactione præmissa à Sede Apostolica dispensentur. Lezana V. *Indulgen-*
76 *tia n.* 32. ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Quàm plenum.* Addit Silvester, V. *Indulgentia ex Clem.* Religiosi, *De Privilegiis*, Religiosos peccare mortaliter prædicando Indulgentias indiscretas, tales videlicet, quæ vel concessæ quidem sunt, sed aut absolutè concedi non potuerunt, aut non potuerunt concedi tam magnæ; vel quas non est verosimile concessas esse. At Fumus *n.* 22. & Sa *n.* 15. hîc agnoscit peccatum mortale tunc solùm, quando prædicantur non veræ, non verosimiles, seu non validæ Indulgentiæ. Vide Cordubam *q.* 41. & dicta in
77 Tract. de Jubileo *n.* 53. Adde ex P. Carolo Antonino Thesauro *in Praxi Eccles. p. 2. V. Indulgentia, c.* 1. Religiosos absolventes *à pœna, & à culpa*, id est, concedentes Indulgentiam plenariam (absque legitima potestate) feriri excommunicatione Papali Clement. 1. *De Privilegiis*, esto dent extra Sacramentum pœnitentiæ.

78 Quæst. XXV. *Potèstne per consuetudinem acquiri jus impertiendi Indulgentias?*

RESP. Potest I. haud dubiè, si ea consuetudo introducatur sciente Summo Pontifice, nam tunc saltem locum habet illud toties à Navarro repetitum Axioma: *Quidquid per Privilegium acquiri potest, etiam per consuetudinem præscriptam obtineri potest.*

79 Potest II. probabiliter etiam in casu, quo Pontifex nil scit de illius consuetudinis inchoatione, aut continuatione. Laym. *Lib. 5. Tract. 7. c. 4. n. 4.* Diana *Part. 5. Tr. 12. Resol. 21.* Palaus *p. 6. n. 6.* post Abb. contra Suar. & alios. Ratio est, quia etiam potestas dispensandi in Voto, potest per consuetudinem, acquiri, ut docet Sanch. *Lib. 4. moral. c. 38. n. 21.* Quidni & potestas dandi Indulgentias? Quandoquidem Pontifex videtur æquè generaliter consentire, ut valeat, subsistátque longæva Indulgentias largiendi consuetudo, etsi ab ipso ignorata. Consentit Rosellus *n.* 443. & Cotonius celebrior. controv. *Lib. 2. c. 11. n. 21.*

CAPUT VII.

De conditionibus necessariis ad id, ut Prælatus validè, aut licitè Indulgentias concedat?

SUMMARIUM.

Largiturus Indulgentias debet esse præditus jurisdictione. 80.
Et suam largiendi voluntatem declarare signo externo. Ibid.
Et esse immunis ab excommunicatione, suspensione. 81.
Non tamen necessariò Sacerdos. 83.
Episcopi Germaniæ possunt ante confirmationem Pontificiam largiri Indulgentias. 84.
Non subsistit Indulgentia data sine causa legitima. 86.
Eáque distincta à fine intrinseco ipsi Indulgentiæ. 87.
Refutatur contraria, singularisque opinio Pasqualigi. 88. *&* 89.
Quando Indulgentia datur propter causam præteritam, non est opus injungere aliquod opus. 90.
Non semper ad valorem Indulgentiæ requiritur opus pium. 91.
At semper exigitur causa proportionata ipsi Indulgentiæ. 92.
Quæ si non sit proportionata pro Indulgentia plenaria, erit saltem pro partiali. 95.
In dubio præsumendum est pro sufficientia causæ. 96.

Quæst. XXVI. *Quot conditiones debent adesse,* 80
ut Prælatus Indulgentiam validè aut licitè impertiatur?

RESP. I. Jurisdictio, seu potestas, de qua dixi Cap. præcedente.

II. Voluntas, & quidem signo aliquo externo indicata, quandoquidem hanc etiam actionem exercet, tanquam caput visibile visibilis Ecclesiæ, aut Diœcesis. Lugo *Tom. 3. in 3. Part. d. 27. num.* 137. post Suar. *disp. 56. sect. 1.* ubi rectè docet, signum posse esse vel vocale, vel scriptum, vel reale, modò sufficienter exprimat voluntatem dandi Indulgentiam; quam quidem voluntatem potest sufficienter per se loquendo exprimere Prælatus, etsi concedat eam Indulgentiam absenti,

ti, ut patet ex usu quotidiano Pontificum impertientium omnibus in toto orbe aut Religiosis, aut etiam fidelibus Christianis obituris hoc aut illud bonum opus.

81 III. Ut sibi ipsi directè, vel indirectè (nam utrumque hunc modum probabilem dicam *n.* 261. concedat Prælatus Indulgentias, requiruntur conditiones referendæ *Cap.* 12.

IV. Debet Prælatus esse immunis ab excommunicatione, & suspensione, juxta ea, quæ de illicito, aut etiam invalido usu jurisdictionis à toleratis, vel non toleratis, excommunicatis, & suspensis exercito, tradunt Doctores
82 *in materia de censuris.* Et verò quamvis Azor *Tom. 2. Lib. 3. cap. ult.* absolutè neget, valere Indulgentiam, quam concessit Episcopus excommunicatus, aut suspensus à jurisdictione, vel officio; attamen putat non esse improbabilem opinionem Paludani, rati ejusmodi Episcopum validè impertiri, & delegare Clerico potestatem largiendi Indulgentias. Verùm alii hoc negant, eò quòd ista delegatio videatur esse actus jurisdictionis.

V. Etsi Prælatus, dum in statu peccati mortalis existit, impertiatur Indulgentias, non tamen idcirco novum peccatum committit. Suar. *Tom. 4. in 3. p. disp. 55. sect. 3. n.* 20.

83 VI. Ad validam, licitámque Indulgentiæ largitionem, non requiritur character Sacerdotalis, aut Episcopalis. Rosel. *n.* 352. & Navarrus *De Iubil. Not.* 31. *n.* 3. cum plerisque. Nam Prælatus etiam non consecratus, validè, licitéque jurisdictionis actus, qualis quidem est ex suprà dictis largitio Indulgentiæ, exercet, *Cap. Transmissum, De electione.*

84 VII. Debet tamen esse à Sede Apostolica confirmatus. *cit. Cap. Transmissum*, & clariùs *Cap. Injuncta, ext. De Electione.* Excipe Episcopos extra Italiam, adeóque Germanos, nam hi statim post electionem concorditer factam administrare possunt in temporalibus, & spiritualibus. *Cap. Nihil. De electione.*

VIII. Denique requiritur causa, quæ postrema conditio, quia magis, quàm reliquæ, revocatur in controversiam idcirco sit de ea.

85 Quæst. XXVII. *Quæ, & quomodo ad validam, licitámve Indulgentiæ concessionem requiritur causa?*

RESP. I. Dantur Indulgentiæ pro causis, vel merè præteritis, sicut e.g. Paulus III. dedit glorioso Patriarchæ nostro Ignatio, in remunerationem officiorum, tot ipsius laboribus in Ecclesiam collatorum: vel præsentibus, ut si Papa omnibus, quos intuetur in templo orantes, largiatur ex insperato Indulgentiam: vel futuris, ut factum est superioribus tot Jubileis, pro pace & concordia inter Principes Christianos impetranda.

86 II. Quascunque ob causas Prælatus concedat Indulgentias, debent illæ esse honestæ, seu rationabiles. *Extrav.* Unigenitus *lit. d.* Et ratio est, quia Papa non est Dominus Thesauri Ecclesiastici, sed solùm dispensator. *cit. Extrav.* Unigenitus; & quidem *in ædificationem, non in destructionem,* 1. *Cor.* 10. Foret autem in destructionem, si absque ulla rationabili causa dispensaret. Argum. *Cap. Cùm ex eo. De Pœnit. & Remiss.* verbis, quæ retuli *n.* 59.

III. Illa causa justa, quæ requiritur ad valo- 87
rem Indulgentiæ, debet esse distincta à generali causa finali Indulgentiarum, quæ est, ut in promptu habeamus, unde pro nostris peccatis satisfaciamus Deo. Ita docent omnes Theologi, teste Cardinale de Lugo *n.* 139. contra Zachariam Pasqualigum, qui in suis Decisionibus moralibus *Decis.* 494. contrarium tenet, nullo pro se citato authore. Probatur hæc communis doctrina, quia si ad valorem Indulgentiæ non requiritur alia causa, quàm ut per Indulgentiæ acquisitionem habeant Christiani, unde pro suis peccatis satisfaciant, sequitur, quòd Pontifex possit singulis, ut ita dicam, momentis, omnibus Christianis in statu gratiæ constitutis, remittere omnem reatum pœnæ debitæ, pro peccatis quibuscunque dimissis, & quòd itidem possit singulis momentis vacuare totum purgatorium; atqui hoc utrumque est alienissimum ab opinione, & persuasione fidelium nominatim S. Thomæ *in 4. dist. 45. quæst. 2. q. 3. a. 2.*

Accedit, quòd licèt causa finalis dispensa- 88
tionis in Voto sit, esse liberum ab obligatione Voti, ut tamen hæc dispensatio sit valida, requiritur alia causa; ita etiam licèt causa finalis Indulgentiæ sit, esse liberum ab obligatione ad subeundam pœnam, necessaria tamen est ad valorem Indulgentiæ alia causa, quàm indicet Pasqualigus; qui quidem suam sententiam probat infirmissima ratione, hac scilicet, quòd tunc valeat Indulgentia, adeóque sufficiens illius impertiendæ causa habeatur, quando conceditur secundùm institutionem Christi; atqui conceditur semper secundùm institutionem Christi, quando conceditur eo fine, 89
ut Christiani satisfaciant pro peccatis. Hujus rationis, & ratiocinationis minor propositio tam parùm est absolutè vera, quàm parùm verum est, tunc semper secundùm institutionem Christi & confici, conferríque Sacramenta, & Vota dispensari, quando conficiuntur, conferuntur, dispensantur in eum finem, in quem Christus Dominus jussit confici, conferri, dispensari. Hanc meam Resolutionem describit, atque approbat Diana *Part. 10. Tract. 16. Resol. 2.*

IV. Quando Indulgentia datur propter 90
causam præteritam, vel præsentem, necesse non est, ut Prælatus injungat aliquod opus exequendum, nam illa ipsa causa est sufficiens ad Indulgentiam; secus plerumque, quando

datur ob causam futuram, nam Indulgentia tunc ferè datur ob bonum aliquod impetrandum; vix autem impetratur per solam Indulgentiæ concessionem, vel adeptionem, sed per exercitium operis, ad finem intentum obtinendum apti; & proinde *causa* Indulgentiæ, & *opus* ad Indulgentiam acquirendam requisitum valde differunt.

91 Ex his patet, rectè docuisse Cardinalem de Lugo *cit. disp. 27. n. 86.* non semper exigi opus pium, ad lucrandam Indulgentiam pro vivis, nam causa justa, quæ ad dispensationem requiritur, non alligatur ad solum opus pium faciendum, cùm possit esse justa causa ex titulo gratitudinis, remunerationis, solatii, medicinæ. Patet quoque nos dissentire à vera doctrina, quam tradit P. Coninck *Tom. 2. in 3. Part. disp. 12. n. 34.* quòd videlicet possit Pontifex alicui de Ecclesia bene merito impertiri sine injunctione ullius operis Indulgentiam, eo fine, ut alios ad similia merita excitet.

92 Quæst. XXVIII. *Requiriturne ad valorem Indulgentiæ causa proportionata ipsi concessioni Indulgentiæ?*

RESP. Inter opiniones vel absolutè, vel cum limitatione asserentium, negantiúmve ad valorem Indulgentiæ requiri causam proportionatam, probatur mihi ea, quam distinctè, suo more, explicat Tannerus *Tom. 4. disp. 6. q. 7. n. 84. & seqq.* scilicet causam ita debere esse proportionatam, ut spectatis omnibus circumstantiis, in quibus, & cum quibus Indulgentia datur, prudens vir (sive verè, sive præter opinionem falsò) judicet, magis conducere ad honorem Dei, ut per exercitium talis, aut talis operis, ad talem finem nunc obtinendum acquirant fideles Indulgentiam, quàm ut pro suis peccatis cogantur rigorosè satisfa-

93 cere in hoc, aut altero mundo. Si enim neges, ullam proportionem requiri, adeóque dicas, ad valorem Indulgentiæ semper sufficere quamlibat causam honestam, debebis asserere, posse per unicam salutationem Angelicam liberari purgatorio omnes animas illic detentas; si verò exactam, & quasi arithmeticam proportionem exigas, revocabis in dubium plurimas Indulgentias, quæ à toto populo Christiano habentur pro Authenticis.

94 Hinc patet, aliquo tempore sufficere unam causam pro danda Indulgentia, quæ non sufficisset alio, & proinde moriturientibus faciliùs concedi Indulgentiam plenariam ob Sacrosanctorum nominum JESU, & MARIÆ pronunciationem, quàm aliàs, præsertim si alicui Congregationi inscripti sint.

95 Quòd si fortè causa non esset sufficiens pro Indulgentia plenaria, erit saltem pro non plenaria, quæ & obtineri poterit. Nam *verba aliquid operari debent, Cap. Si Papa. De Privil. in 6.* Similiter si causa non est sufficiens pro Indulgentia perpetua, erit pro temporali. In dubio autem utrùm sit sufficiens, nec ne, præsumendum est esse sufficientem, nam in dubio est de Superioris prudentia præsumendum potiùs, quàm de imprudentia, & temeritate; Quandoquidem *in dubio præsumitur id factum, quod erat de jure faciendum.* Argum. *Text. in L.* Quædam mulier. *ff. De rei vindic.* DD. communiter cum Alderano Mascardo *Commun. I. V. Conclusionum Concinf. 3. n. 8.* ubi plura hanc in rem. Ut proinde rectè ita scripserit Fumus, 96
V. Indulgentia n. 11. Quoniam posset esse dubium, an causa expressa in Bulla sit rationabilis, & homines semper in dubio essent, ideo dico, quòd causa Indulgentiæ expressa in Bulla, nisi manifestum contineat errorem, semper debet præsumi rationabilis, sicut sententia lata à judice præsumitur justa, nisi contineat manifestum errorem. Hinc 97
Coninck *n. 36.* meritò temeritatis arguit illos, qui Indulgentias Pontificum tanquam indiscretas facilè damnant; quia Pontifex potest justissimas habere causas eas concedendi, quas ignoramus; & facilè possunt respectu quorundam hominum, respectu quorum videntur esse nimiæ, habere commodam explicationem. Vide Reginaldum *Lib. 7. n. 132. & seqq.* insigniter hoc argumentum tractantem.

CAPVT VIII.

Deducuntur ex doctrina Quæstionis præcedentis nonnulla Corollaria notatu digna.

SUMMARIUM.

Indulgentiæ dantur ea intentione, ut quis lucretur integrè. 98.
Quæ circumstantiæ efficiant, ut quis lucretur Indulgentiam plenariam datam ob causam ex se non proportionatam? 99.
Est nobis utilius, dari Indulgentias magnas pro causis parvis, quàm alias minores pares causis. 100.
Non est prædicanda vis Indulgentiæ non factâ mentione fervoris. 102.
Quid si causa non sit omnino sufficiens, habeatur autem à Papa pro sufficiente? 103.

Quæst. XXIX. *Quænam præcipuè corollaria* 98
colliguntur ex dictis de proportione causæ cum Indulgentiæ concessione?

RESP. Sequentia I. Indulgentia, quæ ob aliquam causam conceditur, videtur ea intentione concedi, ut illam totam lucrifacias, si exercitium operis præscripti, vel suapte naturâ, vel ob suam cum fine, seu causâ, proportionem, vel ob ejus conficiendi modum, vel ob parvitatem pœnæ à te debitæ tantum

tum sit, quantum oportet esse ad illam Indulgentiam obtinendam. Navarrus *De Iubil. cit. Not. 15.* Nam hìc locum habet illud Axioma: *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*

99 II. Is, cui Indulgentia plenaria conceditur, ob facilem unius, vel alterius templi visitationem, vel ob recitationem unius Orationis Dominicæ, vel ob acceptationem devotam unius, aut alterius Benedictionis Papalis &c. potest hæc peragere cum tanto fervore, tantâ Dei reverentiâ &c. vel fortè tam parùm pœnæ debere, ut totam illam Indulgentiam lucretur; cùm interim alius, in quo diversæ omnino circumstantiæ reperiuntur, vix tertiam, aut quartam partem comparet. Navarrus *Ibidem.*

100 III. Utilius nobis est Indulgentias magnas, pro causis, aut operibus suâ naturâ parvis, & non satis proportionatis concedi, quàm alias minores, pares causis concedendi juxta earum naturam solùm consideratis; quia in posteriore casu, per nostram industriam & conatum, Indulgentia ultra suam metam crescere nequit, in priore verò crescit intra metam. Navarrus *Ibidem* post Innoc.

101 IV. Ad hunc modum temperandæ sunt etiam illæ Indulgentiæ, quibus conceditur, ut per unam Missam, per unum Rosarium &c. liberetur una Anima ex purgatorio; potest enim contingere, ut vel illi Animæ tam exigua pœna luenda restet, vel id Rosarium tanto cum fervore recitetur, ut per illud liberetur Anima, quæ cæteroquin liberanda non foret, si valde mediocri cum fervore percursum fuisset Rosarium. Navarrus *Ibidem.*

102 V. Non satis theologicè loquuntur illi Confessarii, & Concionatores, qui absolutè dicere solent, hanc, aut illam Animam flammis expiatoriis ereptum iri, mox ut hoc, aut illud opus à Pontifice præscriptum, fuerit executioni mandatum, nullâ interim factâ mentione fervoris, & attentionis adhibendæ in illa precatione. Navarrus *Ibidem.* Plura hanc in rem dicam infrà, & nominatim *n.* 237. insinuabo, quomodo sint temperanda hæc corollaria, quæ ex Navarro retuli.

103 VI. Probabile est, valere Indulgentiam, etsi causa, ob quam data fuit, non sit omnino sufficiens, modò Pontifex prudenter censeat esse sufficientem. Tannerus *n.* 87. & Lugo *n.* 145. post Suarez, *disp.* 36. nam hanc doctrinam insinuat parenthesis *Extrav.* Unigenitus *lit. d.*

CAPVT IX.

De Indulgentiarum differentia à communicatione bonorum operum.

SUMMARIUM.

Quomodo Indulgentia differat à communicatione bonorum operum vigente inter Regulares? 104.
Merita vivorum quando referantur in thesaurum Ecclesiæ? 105.
Prælatus Religiosus nequit merita subditi applicare alteri sine facultate ejusdem subditi. Ibid.
Commoda dimanantia ex communicatione bonorum operum. 106. *& seqq.*
Opera omnia satisfactoria Religiosorum non necessaria ipsis, applicantur quoad valorem Specialem, & Medium, habentibus communicationem cum ipsis. 109.
Indulgentiæ concessæ Regularibus participantur dupliciter à Secularibus habentibus communicationem Indulgentiarum. 110.
Indulgentiæ, quas Provinciales Mendicantium poterant olim communicare Benefactoribus Ordinis, non sunt revocatæ à Paulo V. 111.

Quæst. XXX. *Quomodo ab Indulgentiæ largi-* 104
tione differt communicatio bonorum operum, quâ multi Regularium suos Benefactores remunerari solent?

RESP. Differt in eo, quòd concedere Indulgentiam, nil sit aliud, quàm superabundantium Christi Domini, Sanctorúmque satisfactionum, in Ecclesiæ thesauro, seu in Dei memoria reconditam partem dispensare in satisfactionem propriorum, vel alienorum peccatorum. Prædicta autem communicatio non est talis dispensatio; nam Religiosi Superiores non habent potestatem bona suorum subditorum in Ecclesiæ thesauro jam reposita, dispensandi, imò neque sua propria, quia ad Ecclesiæ thesaurum clavem non habent, sed illi soli, de quibus suprà diximus.

In quem quidem thesaurum refertur quod- 105
libet opus meritorium, ut primùm est editum, nisi dum exercetur, per interpretativam, virtualem, aut formalem intentionem applicetur ipsi operanti, aut alicui alteri; & quidem ita, ut si tibi, vel alicui alteri applices, Prælato nil amplius juris in illud suppetat; es quippe tuarum actionum Dominus, quamvis pecces offerendo illas pro alio, quàm Prælatus præscripserat, sicuti tradunt DD. communiter *in materia de applicatione sacrificii* contra nonnullos.

Quapropter quando in consortium, & par- 106

ticipationem bonorum operum alicujus Religionis, aut Congregationis, Confraternitatisve admitteris, tria obtines.

I. Ut Deus tibi benefaciat propter bona opera illorum Religiosorum, quamvis de te nil cogitantium; cùm enim illi sint summi Regis singulares amici, spectet autem ad amicum, ut non modò amico suo, sed omnibus illi singulari vinculo connexis bene velit, haud dubiè optimus Deus propter bonos Religiosos benedicet illorum amicis, & patronis, sicut benedixit Putiphari propter Joseph, *Gen.* 39.

107 II. Ut preces, quas pro te nominatim, vel pro sua Religione fundent, tibi plus prosint. Sicut enim preces, quas pro se quisque facit, plùs & certiùs illi prosunt, quàm, quas pro alio, ita etiam quas quis Deo offert pro altero se, seu suo singulari amico, plus adferunt ipsi commodi, quàm si non esset amicus.

108 III. Ut vel particulares Religiosi, sponte, jussúve Superiorum suas etiam non superfluas satisfactiones, vel Superiores, dependenter tamen à voluntate Inferiorum, easdem in tuorum delictorum expiationem offerant Deo sæpius, quàm facerent, si non esses in tam arctum consortium admissus.

Primus horum trium effectuum est per modum meriti cujusdam de congruo; secundus per modum impetrationis; tertius per modum suffragii & satisfactionis, ac de condigno. Et hi duo postremi effectus tantò magis minuuntur respectu tui, quantò plures præter te admittentur in communicationem bonorum operum.

109 IV. Opera omnia satisfactoria Religiosorum ipsis haud necessaria applicantur, quoad valorem Specialem, & Medium, habentibus prædictam communicationem cum ipsis, & non reconduntur in Ecclesiæ Thesaurum; nam est hæc eorum interpretativa, vel implicita voluntas.

V. Adde his Indulgentias peramplas, quas solent Pontifices extendere ad participantes bona opera alicujus Religionis.

110 Hæc omnia, & plura alia in hanc rem fusè Navarrus in accuratissimis suis miscellaneis de oratione. *Miscell.* 11. aliàs 26. *n.* 30. & 32. Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *Part. disp.* 55. *sect.* 5. Palaus *p.* 6. & breviter Laym. *V. Indulgentia c.* 4. plenius Corona de dignit. & potest. Episc. *Tract.* 2. *c.* 20. §. 1. *n.* 7. Observat autem Lezana *n.* 15. Indulgentias Religiosis concessas, à sæcularibus habentibus communicationem bonorum cum illis, participari duplici modo. I. Si præcipiat, ut subditi Regulares conentur lucrari Indulgentias, eásque applicent ejusmodi sæcularibus. Qua de re vide Rodriq. *Tom.* 1. *q.* 33. *a.* 2. & Suar. *loc. cit. n.* 13. II. Si ejusmodi sæculares illud ipsum opus, cum cujus onere est Religiosis promissa Indulgentia, obeant.

Meritò autem præmiserat idem Lezana, fa- 111
cultatem, qua teste Cæsarub. *V. Indulgentia, quoad sæculares* 4. *n.* 4. poterant olim Provinciales Minorum Benefactoribus Ordinis communicare Indulgentias ipsi Ordini concessas, non esse revocatam à Paulo V. Quare hodiéque idipsum possunt facere Provinciales reliquorum Ordinum Mendicantium, utpote gaudentium communicatione mutua Indulgentiarum. Utique autem non concedunt propriè in his casibus ipsi Prælati Indulgentias, sed ipsemet Summus Pontifex. Suarez *loc. cit.*

CAPVT X.

De antiquitate Indulgentiarum, déque modernarum ab antiquis differentia.

SUMMARIUM.

Qui primi ex Summis Pontificibus largiti sint Indulgentias? 112.
Probabile est, jam fuisse impertitas in Concilio Niceno. 113.
Differentiæ variæ inter Indulgentias concessas antiquitus, & proximis sæculis. 115. *& seqq.*
Plenariæ dabantur olim rarissimè. Ibid.
Et Partiales etsi parvæ non nisi ex causis valde gravibus. Ibid.
Quàm graves conditiones adjecerit Eugenius IV. Indulgentiæ plenariæ pro Monachis Vallisoletanis in articulo mortis? 117.
Quàm difficiles conditiones exegerit pro suis Indulgentiis Vrbanus Secundus, Eugenius Quartus, & alii Pontifices. 119. & 120.
Prisci Pontifices non solebant pro Indulgentiis præscribere Communionem, etiam quando injungebant Confessionem. 122.
Et solebant addere hanc clausulam: Peccatorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint. 123.

Quæst. XXXI. *Estne Indulgentiarum con-* 112
cessio & usus, res priscis ignota, ut dictitant hæretici?

RESP. I. Notissima. Nam Urbanus II. Anno M. XCII. impertiit eas, quas indicabo *n.* 115. Paschalis II. Anno Domini M. C. XVI. iis, qui limina Apostolorum visitarent, concessit Indulgentias 40. dierum, teste Bellar. *De Indulgent. l.* 2. *c.* 17. Eugenius III. S. Bernardi discipulus circa Annum Domini M. C. L. eidem S. Bernardo mandavit, ut annuntiaret Indulgentias, quas impertiebat ituris ad bellum Sanctum. Bellar. *Ibidem.* Alexander III. Ecclesiam rexit Anno M. C. LIX. eámque de Indulgentiis velut jam longo usu

usu receptis mentionem fecit, quæ refertur in Corpore Juris Canonici *cap. Quòd autem, De Pœnit. & remiss.*

113 II. Non constat certò de ullo, qui largitus sit ante Urbanum, & Paschalem II. quorum paulò antè memini; quamvis Indulgentias stationum cœpisse à S. Gregorio M. tradat cum aliis Toletus *cap.* 28.

114 III. Probabile est, Concilium Nicenum, quod Anno Domini CCC. XXVII. celebratum fuit, dedisse, (ex Pontificis commissione) Indulgentias, nam ita censent non pauci, teste Suarez. *Tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 49. *sect.* 2. *n.* 1.

IV. Probabile quoque est, S. Paulum dedisse Indulgentias propriè dictas incestuoso Corinthio, id quippe indicat illa sententia, quæ habetur 2. *Cor.* 2. *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*; quam donationem de Indulgentia propriè dicta intelligunt S. Thom. *in* 4. *dist.* 40. *q.* 1. *a.* 3. *vers. Sed contrà.* Bellar. Suar. Valentia, & multi ante illos.

115 Quæst. XXXII. *Quantopere differant horum temporum in Indulgentiæ à priscis.*

RESP. In Bullis, quas Cherubinus, & Rodriquezius io suis Bullariis referunt, observari hæc quatuor præcipua discrimina.

I. Indulgentiæ tum Partiales, tum potissimùm Plenariæ erogabantur olim rarissimè. Urbanus II. Anno M. XCII. pœnitentibus, & Confessis visitantibus Ecclesiam Congregationis S. Justinæ Ordinis S. Benedicti, cui addictissimus erat ille Pontifex, largitus est velut eximiam gratiam, septem Annorum, & totidem quarantenarum Indulgentiam, ut reperies in Bulla, cujus inscriptio est: *Reverendissimo Fratri Petro Cœnobii* &c. Clemens III. Anno M. C. LXXXVIII. pœnitentibus & Confessis, qui in festivitatibus Sanctorum ex Ordine Minorum Ecclesiam Minorum, religionis causâ adirent, 100. dierum duntaxat Indulgentias indulsit, ut in ejus Bulla 14. apud Rodriq.

116 videbis. At Nicolaus III. Anno M. CC LXXIX. in Bulla 9. apud Rodriq. *loc. cit. fol.* 48. itidem pœnitentibus, & Confessis, qui in festivitatibus B. Virginis viserent Ecclesiam Minorum Camorensium Annum unum, & 40. dies Indulgentiarum obtulit. Ipse Sixtus IV. qui omnes prædecessores superavit liberali dispensatione Thesauri Ecclesiastici, in Bulla, quæ incipit: *Dum attenta*, & quæ est Mare Magnum Carmelitanorum, nominat XX. Pontifices, qui non nisi aliquot Annorum Indulgentiis donárunt illos, qui in præcipuis Deiparæ festis pœnitentes & Confessi visitarent Ecclesias PP. Carmelitanorum.

117 Ad hæc Eugenius IV. An. M. CCCC. XXX. Religiosissimis Monachis Vallisoletanis Ordinis S. Benedicti, petentibus suppliciter plenariam remissionem peccatorum, pro articulo mortis, eam concessit quidem, sed non nisi cum conditionibus adeò difficilibus, ut nesciam, utrùm hac ætate reperiendus esset, qui tanti eam Indulgentiam mercari (si ita loqui fas est) vellet. Lege sis ipsam Bullam, & ea, quæ paulò pòst ex ea referam. Denique ut alia id genus omittam, Innocentius VIII. Anno M. CCCC. XCIII. veluti admodum singularem (& verò singularissimus tunc erat) favorem impertiit Eremitis S. Augustini, Plenariam) hoc enim vocabula tam ipse, quàm Sixtus quandoque jam utitur) Indulgentiam, tum in articulo mortis, tum quot Annis semel in festo Nativitatis Christi Domini. Bullæ illius initium est: *Pia desideria.*

At verò hac ætate Indulgentiis Personali- 118
bus, Localibus, & (quarum rara apud Priscos mentio) Realibus, tum Partialibus plurimorum Annorum, tum Plenariis in vitæ decursu, & in extrema linea adeò liberaliter orbem Christianum, Sæculares æquè ac Religiosos donat summorum benignitas Pontificum, ut plures jam uno die, quàm olim toto Anno possit quis in suum convertere usum.

II. Longè difficiliores conditiones pro In- 119
dulgentiis exigebantur olim, quàm hodie. In primis enim Urbanus II. in Bulla paulò antè indicata, ad comparandam in Ecclesia Congregationis S. Justinæ Indulgentiam, obvenire solitam peregrinantibus Compostellam, præter Confessionem exegit, ut quis feriâ V. & totâ feriâ VI. in ea Ecclesia versaretur. Deinde Eugenius IV. etiam in Bulla paulò superiùs allegata, Monachos Vallisoletanos Indulgentiâ pro extremo agone non donavit, nisi sub conditione sequentibus verbis expressa: *Volumus, quòd singuli Monachi, & personæ* 120
præfati à tempore, quo concessione ejusmodi gaudere voluerint, per unum Annum singulis sextis feriis, impedimento cessante legitimo, jejunent, & si prædictis feriis ex præcepto Ecclesiæ, voto, pœnitentiâ injunctâ, vel aliàs jejunare teneantur, uno alio die singularum septimanarum ejusdem Anni, quo ad jejunandum, ut præmittitur, non sunt adstricti, jejunent; quódque si in dicto Anno, vel aliqua ejus parte impediti legitimè fuerint, Anno sequenti, vel aliàs, quamprimùm poterunt, modo simili supplere jejunium teneantur &c.

Præterea pro Indulgentiis septem, quatuor, 121
aut etiam unius Annorum persæpe exigebant Confessionem, ut in permultis Bullis animadvérti. Lege sis Mare Magnum Carmelitarum: Jam verò Sedis Apostolicæ in nos pietas paterna, nobis plenarias offert Indulgentias ob actiones facillimas, quas tamen plurimi gravantur obire.

III. Quando ad comparandas Indulgentias 122
etiam plenarias injungebant superiores Pontifices Confessionem, non solebant facere mentionem Sacræ Communionis, ut cernere est in

omni-

omnibus Bullis hac quæstione indicatis : ea tamen mentio fit tunc hodie communiter. Utrùm verò fuerit ex usu, & consuetudine olim subintellecta, sicuti hodiéque subintelligitur in Bullis Jubileum Anni Sancti indicentibus, mihi non omnino constat.

123 IV. Quando olim concedebatur Indulgentia omnium peccatorum, non dabatur omnium simpliciter, sed : *omnium, de quibus corde contriti, & ore Confessi fuerint*, quemadmodum Bullæ in hac quæstione indicatæ, aliaque complures loquuntur. At hodie non apponitur illa restrictio. Quare olim per Indulgentiam quantumvis plenariam non obtinebatur remissio peccatorum venialium in Confessione celatorum, quæ tamen hac ætate obtinetur, quandoquidem absque limitatione offertur remissio omnium peccatorum.

Verùm qualiacunque demum discrimina existant inter hodiernas priscásque Indulgentias,

Laudamus veteres, sed nostris utimur Annis.

124 Atque adeò formulæ Indulgentiarum sunt nunc intelligendæ, & in usum redigendæ secundùm normam, rationem, consuetudinem legitimam hujus ætatis.

CAPVT XI.

Resolvuntur nonnulla dubia, quæ oriri solent circa illos, qui habent Intentiones, ut loquuntur, cásque donant aliis, aut applicant rebus Sanctis.

SUMMARIUM.

An habens à Pontifice multas Indulgentias applicandas imaginibus &c. possit partem earum dare alteri applicandam ab hoc? 125. & 133.

Quid si accepit ab alio, quàm à Pontifice? 128.

Intentiones, seu vota, quæ accepisti quidem à Papa, sed non distribuisti, ante ejus mortem, valide distribuas post. 129.

An superior Religiosi possit post hujus obitum libere disponere de Intentionibus, seu votis, quæ ille Religiosus nondum distribuerat? 130.

Author revocat in dubium nonnulla ex prius assertis, idque propter Breve Alexandri VII. 131. & 132.

Quid testetur Diana de praxi Romana? Ibid.

Applicatio, quam fecisti authoritate Pontificia, est æque certa, ac si ipse Pontifex immediatè applicâsset. 133.

Et applicatio facta numismati, æquè certò valet, ac facta altari privilegiato. 134.

An meritò dubitetur de proportione causæ in largitione tam multarum Intentionum? 135. & seqq.

Quæst. XXXIII. *Omnisne, qui aliquot, ut loquimur, Intentiones Indulgentiarum habet, 125 potest validè eas cuivis alteri donare, ita ut hic alter habeat jus eas applicandi rei alicujus sacræ?*

RESP. I. Qui à Summo Pontifice accepit Indulgentias applicandas Imaginibus, Rosariis &c. potest eas in alterum transferre, ita ut hic alter validè applicet prædictis rebus sacris, nisi fortè aliud constet de mente Pontificis. Pasqualigus *Decision. moral. Decis.* 492. inde id probans, quòd qui à Summo Pontifice tales Indulgentias accipit, non accipiat nudè ipsas Indulgentias, sed simul facultatem eas applicandi rebus sacris, unde censetur esse delegatus ad ejusmodi applicationem ; atqui delegatus à Summo Pontifice potest subdelegare *Cap. fin. De Offic. Judicis* ; *& cap. Cùm causa, De Appellat.* Ergo is, de quo loquimur, poterit suam facultatem alteri subdelegare, & consequenter donare alteri unam, aut plures intentiones, quas hic alter pro lubitu applicabit imaginibus, coronis, crucibus &c.

RESP. II. Si tamen constet, mentem Summi 126 Pontificis esse, ut is, cui ipse donavit plures intentiones, seu Benedictiones, non det eas cuiquam, nisi simul cum ipsis imaginibus, medalliis &c. tum nequit iste alteri subdelegare potestatem applicandi prædictas intentiones, aut Indulgentias ; nam sicut Indulgentiæ non plus valent, quàm sonent, ita etiam concessio largiendi Indulgentias. Et verò Lezana V. *Indulgentia n.* 19. de Indulgentiis Urbani VIII. loquens testatur, se audivisse, quòd illæ intentiones, seu, ut ipse vocat, Benedictiones, non possint dari, nisi simul cum ipsis medalliis, seu imaginibus. Verùm scio alios aliter judicare, 127 ac practicare, & meritò, nam constat ipsum Urbanum VIII. quibusdam particularibus Religiosis concessisse multa millia ejusmodi intentionum, utique autem non supponebat, unum aliquem particularem Religiosum donaturum multa millia imaginum, medalliorum &c. Et certum est, multos fuisse ejusmodi intentiones aliis largitos eo fine, & conditione, ut hi liberè alicui rei applicarent.

RESP. III. Qui ab alio, quàm à Summo 128 Pontifice accepit facultatem applicandi intentiones, non potest secundùm Pasqualigum *loc. cit.* in alterum transferre Indulgentias, ab hoc altero applicandas, eò quòd delegatus non possit subdelegare. Verùm hæc doctrina non videtur ita generaliter admittenda, quia repugnat praxi permultorum eruditorum Religiosorum, intra & extra Romam degentium, qui partem intentionum, quas ab aliis vel Romæ degentibus, vel Roma venientibus magno numero acceperunt, largiuntur aliis. Et ratio hujus praxis est, quia mens Summi Pontificis multa millia prædictarum intentionum

num concedentis, non videtur esse alia, quàm ut per rerum his intentionibus affectarum usum, operáque præscripta homines ad pietatem excitentur, próque suis peccatis satisfaciant, sive interim mediatè, sive immediatè applicet eas is, cui ipse Pontifex illas concessit.

Ad non malam rationem Pasqualigi respondeti potest, illam Juristarum Regulam : quòd delegatus non possit subdelegare, intelligi potissimùm de delegato ad actus jurisdictionis exercendos, aut de taliter delegato, ut in illo delegans spectet circumstantias doctrinæ, prudentiæ, atque adeò industriam personæ. At verò applicatio intentionum non est actus jurisdictionis, quandoquidem solet ipse Pontifex etiam laicis personis concedere facultatem applicandi intentiones ; & præterea in illo, cui datur facultas applicandi, non spectatur circumstantia doctrinæ, prudentiæ &c. Atque ita censent viri docti, quos hac super re consului. Consentit & Pellizarius *Tom. 2. Tr. 10. cap. 9. n.* 40. *assert.* 24.

129 Quæst. XXXIV. *Urbanus VIII. permultis concessit plurimas Intentiones, quæ ante ejus mortem non fuerunt ulli rei applicatæ ; Possuntne jam perinde applicari, ac si Urbanus adhuc in vivis esset?*

RESP. Possunt, ut probat tum ipsa praxis, tum generalis doctrina, quam tradere solent Doctores *in materia de Privilegiis*, & nominatim inter eos Laymann. *Lib. 1. Tract. 4. cap. 22. num.* 18. quòd videlicet privilegium, & facultas gratiæ factæ non expiret morte concedentis. *Cap. Si super gratia, De Offic. & potest. Judicis delegati in 6.* ubi etiam redditur ratio hujus doctrinæ ; atqui facultas applicandi intentiones, & benedictiones, est quoddam privilegium, & facultas gratiæ *factæ*, quandoquidem gratia *facta* est ea, quæ vel alicui conceditur, præcipuè in gratiam ipsius, ut describit Laymann, cum Bonacina *in materia de Privilegiis*, vel non ordinatur tantùm ad exercendam jurisdictionem delegantis, ut describit Pasqualigus *Decis.* 493. approbans nostram præsentem doctrinam.

130 Quæst. XXXV. *An quando Religiosus moritur, nondum applicatis, vel distributis intentionibus Indulgentiarum, quas habuit, possit ejus Superior liberè de iis disponere?*

RESP. Posse. Nam ex utriusque parte militat bona ratio ad hoc asserendum. Ex parte quidem subditi, quia nullus Religiosus est, qui ante mortem interrogatus non pronuntiaret, se ita velle ; & qui non saltem semel in vita apud se dixerit, cupere se, ut omnia sua cedant, quo ad fieri potest, in majus Dei & proximi obsequium. Atqui cedent hæ intentiones in majus proximi emolumentum, si eas usurpet Superior. Porrò hanc generalem voluntatem hîc sufficere deduces ex tot exemplis adferendis *n.* 256.

Ex parte autem Superioris adest hæc ratio, quòd is utique habeat generalem voluntatem omnibus suis, suorúmque bonis utendi ad Dei gloriam, & proximi commodum, quoad potest. Qua voluntate posita, sibi jam virtualiter & implicitè illas intentiones, saltem sub conditione secuturæ mortis, vendicavit, quando subditus agebat a nimam.

Confirmatur inde, quòd satisfactiones Religiosorum, eis superfluæ cedant in emolumentum, habentium cum illis participationem bonorum operum ; item quòd Superior Regularis possit suorum subditorum etiam ignorantium satisfactiones, & preces, applicare Benefactoribus ; propter interpretativum consensum subditorum, ut partim tradidi *n.* 108. partim docet Palaus *p. 6. n.* 12.

Loquor autem de illo Superiore, qui totî Conventui, seu Collegio præest ; non de Priore Claustrali, aut Ministro.

Appendix Correctoria.

Hæc ego omnia de hisce intentionibus scri- 131 pseram in prima Editione hujus libri, seu tractatûs, cùm Antoninus Diana illum nactus descripsit pro suo more, ad longum omnia, quæ suprà *n.* 128. & 130. expressi, ita quidem, ut *Part.* 10. *Tract.* 16. *Resol.* 2. dicat, se non recedere ab opinione contraria illi, quam secutus sum *citatonum.* 128. & *Ibidem Res.* 6. profiteatur, se etiam magis adhærere (sicut & adhæret Pellizarius in Manuali, *Tract.* 10. *c.* 9. *n.* 40. *vers. assero* 24.) sententiæ neganti illud jus hæreditandi, quod attribui *cit. n.* 130. Superiori Religioso ; addat tamen, probabilem esse meam opinionem.

Et verò ego ipse jam multùm dubito de veritate utriusque illius meæ opinionis, tum propter rationem, & causam noviter ortam, attingentémque utramque illam doctrinam : tum propter unam oppositam soli priori. Etenim Diana *cit. Res.* 2. loquens de Jure distribuendi in alios Benedictiones, quas quis solùm mediatè accepit à Summo Pontifice, sic scribit : *Sed ego non recedo à sententia negativa, quam semper docui, nixus authoritate Praxis hujus Romanæ Curiæ ; & ita etiam mihi respondérunt Magistri Ceremoniarum S. D. N. in his materiis Indulgentiarum versatissimi.* Ita ille, cui testanti de praxi Romanæ Curiæ, judicióque peritissimorum Romanorum, cùm ego non possim, aut velim haberi minorem fidem, quàm mihi contrarium testanti de more, judicióque doctissimorum Germanorum, & insuper puriùs ex ipso fonte bibantur aquæ, proindéque videatur praxis Curiæ Romanæ esse magis consentanea Pontificis menti, intentionique, à qua revera pendent tum honestas, tum valor

que

quoque praxeos circa haſce intentiones verſantis, idcirco videri queat, eſſe mihi impoſita neceſſitas, tum emendandi, quæ priùs ſcripſi, tum (quod mihi duriùs accidit) damnandi ea, quæ ipſis ego, aliíque plurimi ante, & poſt me, atque mecum egêre perſæpe, ac ſine ſcrupulo. Atque hæc eſt ratio, quam dixi opponi ſoli priori meæ doctrinæ de jure diſtribuendi intentiones competente illi quòque, qui non accepit eas immediate à Summo Pontifice, ſed ſolùm mediatè.

132 At verò ratio impugnans utramque illam meam opinionem nova, recénſque eſt hæc, quòd Alexandr. VII. Anno 1657. vetuerit, ne res Indulgentiis affectæ tranſeant perſonam eas poſſidentem, & quæ ad id tempus nondum diſtributæ erant, in poſterum diſtribuantur, quemadmodum videbimus *Part.* 2. hujus Quarti Tractatûs *cap.* 37. Ex hoc Decreto inhibitorio videtur manifeſtè ſequi, non ſubſiſtere ſaltem nunc Superiorem doctrinam de partitione, aut hæreditate intentionum, tum quia ſi interrogatus fuiſſet Alexander, probabiliſſimè reſpondiſſet, ſuum decretum eſſe intelligendum de dictis intentionibus; tum quia cauſa, ob quam ipſe illud, utrumque ſancit de rebus, quibus eæ intentiones jam erant re ipſa applicatæ, videtur æquè, aut magis habere locum in intentionibus; cauſa quippe, quæ ad id movit Alexandrum, fuit partim ut tandem abolerentur locupletiſſimæ, pretioſiſſimæ Indulgentiæ. Quinque Sanctorum, Sancti Caroli Borromæi, & aliæ nonnullæ, partim quia poſſidebantur, uſurpabantur à plurimis numiſmata, Roſaria, & alia ejuſmodi tanquam affecta Indulgentiis, quæ revera non erant iis ornata.

Hæ rationes ſimul ſumptæ fuerunt in cauſa, ut, quando innotuit in hac Conſtantienſi Urbe, & Diœceſi, in qua jam morabar illo Anno 1657. non ſemel reſolverim, decretum de moderatione Indulgentiarum factum directè reſpectu Medalliorum, Coronarum &c. intelligendum eſſe de ipſis quoque intentionibus, & Votis, ut appellant. Quapropter, quod ſcripſi *ſuprà n.* 128. *&* 130. etſi nec dum videtur mihi eſſe improbabile, nunc tamen judico, contrarium eſſe verum, ac proinde licèt mihi quis è Romipetis domum redux offerret, ut obtulit hoc ipſo Anno R. P. N. N. partem intentionum donatarum ſibi à ſua Sanctitate; ego vel eas non acciperem, vel acceptas non diſtribuerem meo nomine, ſed, quemadmodum feci, ut nudus miniſter, & quaſi manus dicti Romipetæ; vel denique applicarem immediatè rebus alienis non autem meis (ſi quidem ego, voto paupertatis obſtrictus, poſſum aliquid appellare meum) niſi fortè uni, cui enim uſui eſſent plures, ita benedictæ, cùm nequeant juxta Alexandrinum decretum tranſire perſonam eas habentem? Nec ampliùs me conſtituerem hæredem ejuſmodi intentionum, ſicuti feci ſemel, cùm relictis mihi ab aliquo optimo ſene morituriente, formaliter earum jus in me tranſferente. Plura de his intentionibus dicam infrà *Part.* 2. *c.* 37. ubi agam de revocatione Indulgentiarum.

Quæſt. XXXVI. *Quando quis alicui Numiſmati v. g. applicat intentionem, quam à Summo Pontifice acceperat, éſtne tam certum, tale numiſma eſſe reipſa præditum Indulgentiâ, ac ſi ipſemet Pontifex immediatè applicaſſet illi numiſmati?* 133

RESP. Eſt æquè certum, quia eſt omnino indubitatum, Pontificem poſſe impertiri facultatem applicandi ejuſmodi intentiones.

At, *éſtne æquè certum, tale numiſma ſortiri reipſa Indulgentiam, ac certum eſt, Altaria Privilegiata eſſe reipſa affecta Indulgentiis?* 134

Reſpondet Paſqualigus *Deciſ.* 494. affirmative, eò quòd æquè certum ſit, numiſmati ſecundùm inſtitutionem Chriſti applicari Indulgentias, ac certum eſt applicari Altari Privilegiato. Verùm ſuprà *n.* 89. jam refutavi hanc, ratiocinationem cui accedit, quòd perſæpe ſit incertius eſſe alicui numiſmati in individuo ſumpto reipſâ conceſſam Indulgentiam, quàm huic aut illi Altari etiam in individuo ſumpto, ea etiam de cauſa, quòd unum Numiſma facillimè commutetur, aut confundatur, miſceatúrve, cum alio, non ita Altare. Dico itaque conformiter doctrinæ traditæ *quæſt.* 28. quando Pontifex intentiones dat ex cauſa ſufficiente, & proportionata, veram eſſe doctrinam Paſqualigi, ſecùs ſi det ex cauſa non ſatis proportionata. At oritur.

Quæſt. XXXVII. *An non meritò dubitetur de proportione cauſæ in largitione ejuſmodi intentionum?* 135

Ratio hoc quærendi, & dubitandi eſt, quia Pontifices ſolent multas myriades intentionum uno die, hebdomade, aut menſe largiri, eſt autem difficile credere, quòd pro tam liberali largitione ſuppetat cauſa ſufficiens.

RESP. Nihilominus, tales intentiones non 136 eſſe in dubium revocandas; cùm enim ex una parte conſtet, nobis non conſtare, illas dari ex cauſa improportionata; ex altera autem parte certum videatur, poſſe Pontifici occurrere cauſas omnino ſufficientes ad juſtificandam tantam liberalitatem, meritò cenſemus, illum reipſa his ſufficientibus cauſis moveri. Vide quod in hanc rem retuli ſuprà *n.* 99.

Interim quia faciliùs utique poſſunt occur- 137 rere cauſæ ſufficientes ad largiendam pro altaribus Indulgentiam, quàm ad tot intentiones diſtribuendas, idcirco ſi ex hoc Capite aſſerere velis, iſtarum intentionum applicationem quandoque non tam certò conſequi ſuum effectum, ac conſequuntur Indulgentiæ Altaribus Privilegiatis conceſſæ, non multum repugnabo.

CA-

CAPUT XII.

De Conditionibus requiſitis ad lucrandam Indulgentiam.

SUMMARIUM.

Exprimuntur duodecim conditiones, quas nonnulli ſeu probabiliter, ſeu improbabiliter requirunt ſemper in eo, qui eſt lucraturus Indulgentiam. 138.

Nominantur nonnulla, quæ quandoque certò impleri debent. 139.

Omnis illa conditio eſt neceſſaria, quam legitima voluntas Prælati, concedentis Indulgentiam, requirit. 140.

Illæ ſolæ conditiones ſunt neceſſariæ, quas aut ipſa ratio Indulgentiæ, aut legitima voluntas Prælati exigit. 141.

Conditiones præſcriptæ intelligendæ ſunt juxta conſuetudines particulares Provinciarum, quibus eæ conceduntur. 142.

An lucraturus Indulgentiam debeat eſſe compos mentis? 143.

Quomodo Status Gratiæ ſit neceſſarius comparandæ Indulgentiæ? 148. *& ſeqq.*

An ſi ultimum opus perficiatur in Statu peccati mortalis, obtineatur, remoto obice Indulgentia. 155.

138 Quæſt. XXXVIII. *Quot, & quæ conditiones à Doctoribus verè, aut falſò ponuntur neceſſariæ ex parte illius, qui Indulgentiam reipſa acquiſiturus eſt?*

RESP. Hæ duodecim. I. Ut ſit compos mentis. II. Ut baptizatus. III. Ut non excommunicatus. IV. Ut ſubditus illius, à quo ipſi conceduntur Indulgentiæ. V. Ut in ſtatu gratiæ. VI. Ut ſciat, eſſe occaſionem lucrandi Indulgentiam. VII. Ut intendat illam vel lucrari, vel ab alio ſibi applicari. VIII. Ut opera præſcripta integrè perficiat. IX. Ut perficiat ad intentionem illius, qui Indulgentiam impertiit. X. Ut doleat de peccatis. XI. Ut, ſi ſibi vivo velit prodeſſe Indulgentiam, conetur ipſe per alia bona opera ſatisfacere, quòad poteſt, ſi autem velit ſibi mortuo prodeſſe; habeat, dum eſt in vivis, peculiarem devotionem ad Indulgentias lucrandas, & ad ſuffragandum animabus in purgatorio. XII. Ne peccet ex confidentia Indulgentiæ.

139 Quinque priores conditiones, habitum potiùs, quàm actum aliquem includunt, poſteriores actum exigunt. Inſuper ad aliquarum Indulgentiarum effectum requiritur, ne eæ imprimantur; de qua conditione agam infrà *num.* 444. Item ne pro iis aliquid accipiatur, ut de Indulgentiis Cruciatæ dicam *num.* 424. Denique ſæpe fit, ut in ſpecie promittatur Indulgentia confeſſis, communicantibus, viſitantibus Eccleſiam, jejunantibus, orantibus, dantibus eleemoſynam, quas omnes ſpeciales conditiones explicavi Tract. *præced.* de Jubileo; in quo etiam pleraſque ex paulò antè indicatis expoſui, alias fuſiùs, alias breviùs. Nonnulla hîc repetenda neceſſariò, & explicatiùs proponenda; reliqua Lector petet ex citato Tractatu, locis in decurſu indicandis. Quò autem ſolidiùs definiamus, hæcne an illa in particulari conditio ſit ad Indulgentiæ actualem adeptionem neceſſaria, ſtatuam duo fundamenta indubitata, tertium probabiliſſimum.

I. Fundamentum. Omnis illa conditio eſt 140 neceſſaria, quam vel ratio Indulgentiæ, vel Prælati legitima voluntas exigit. Prima pars eſt per ſe nota. Altera probatur; quia Indulgentiæ largitio eſt quidam quaſi contractus innominatus: *Do ut des*; ſicuti ergo ad contractûs valorem neceſſaria eſt omnis conditio, quam principalis contrahentium pars legitimè apponit, & exigit, nam *contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur*, *Cap. Contractus. De Reg. Jur. in* 6. ita etiam dicendum eſt de Indulgentiâ. Accedit, quòd liceat unicuique imponere modum rei ſuæ. *L. In traditionibus. ff. De Pactis.*

II. Fundamentum. Illæ ſolæ conditiones 141 ſunt hîc neceſſariæ, quas aut ipſa ratio Indulgentiarum, aut legitimi Prælati Indulgentiam largientis voluntas præſcribit. Prima pars eſt per ſe nota, altera probatur; nam ſolius Prælati e. g. Papæ eſt, præſcribere conditiones, non autem Doctorum, aut volentium lucrari Indulgentias; ergo illæ ſolæ ſunt neceſſariæ ad actualem Indulgentiæ adeptionem, quas ipſe ultra requiſitas ex rei natura, injungit. Ex hoc utroque fundamento rejiciam in decurſu aliquas conditiones, quas alii minùs probabiliter contendunt eſſe neceſſarias.

III. Fundamentum. Illæ conditiones, quas 142 Prælatus exigit, intelligendæ ſunt ſecundùm cujuſque loci conſuetudinem, adeóque aliter in uno, aliter in alio loco. Ita ſingulariter docet Navarrus *De Oratione Miſcell.* 54. Ratio eſt, quia *verba concedentis gratiam debent intelligi ſ. cundùm conditionem perſonæ, cui fit conceſſio. L. Plenum. §. Equitii. ff. De uſu & habit.* & Bartolus *ibidem.* Hinc conditio de jejunando pro Indulgentiæ acquiſitione; & ratione tam abſtinentiæ à lacticiniis, quàm veſpertinæ collatiunculæ aliter in Germania, aliter in Italia intelligenda; quia ut in tractatu de Jubil. *num.* 205. docui, Eccleſia pro Jubileo per jejunium obtinendo non exigit aliud jejunium, quàm quale extra Jubileum præcipit fidelibus.

Quæſt. XXXIX. *Is, qui lucraturus eſt Indul-* 143 *gentias, debétne eſſe compos mentis?*

RESP. I. Debet ſaltem aliquando fuiſſe

mentis compos; si enim fuit amens ab infantia, non peccavit, ergo ei nihil prosunt Indulgentiæ. II. Si fuit aliquando compos mentis, & peccatum unum, vel plura nondum satis expiata commisit, potest pro illorum expiatione Indulgentiam obtinere, illo etiam ipso tempore, quo fortè erit iterum privatus usu rationis. Lugo de *Pœn. disp. 27. num. 79. & 81.*

144 Declaratur hæc doctrina tribus exemplis. Primum est illius, qui pro lucrando Jubileo jam omnia perfecit, & ultimo die jejunii ante collatiunculam vespertinam incidit, vel in somnum durantem ultra mediam noctem; talis enim Indulgentiam Jubilei lucratur ipsa media nocte, esto tunc careat usu rationis. Alterum exemplum est illius, qui in perpetuam amentiam post habitum usum rationis cadit, nam illi potest haud dubiè Pontifex impertiri Indulgentiam. Tertium exemplum est moribundorum, iis enim solent, etiam dum sunt omnibus sensibus destituti, concedi Indulgentiæ pro articulo mortis.

145 Quæst. XL. *An soli baptizati sint capaces Indulgentiarum?*

RESP. Granadus *in 3. p.* teste Diana *Part. 5. Tract. 12. Resol. 9.* doctè ostendit, Catechumenos, tam vivos, quàm defunctos, si nil aliud obsit, esse capaces Indulgentiarum. Tannerus *Tom 4. disp. 6. q. 7. num. 93.* putat, Catechumenis defunctis prodesse Indulgentias etiam per modum *solutionis*. Laymannus *Lib. 5. Tr. 7. cap. 6. num. 1.* post Navarrum existimat, tam vivos, quàm defunctos, si non per modum *absolutionis*, & justitiæ, saltem per modum *suffragii*, & impetrationis juvari posse Indulgentiis. Suarez *Tom. 4. in 3. p. disp. 53 sect. 4. num. 8.* arbitratur esse probabilius, quòd ne defunctis quidem Catechumenis applicari possint ullo modo suffragia, eò quòd nec sint, nec fuerint unquam membra Ecclesiæ. Verùm quia Ecclesia etiam pro Catechumenis offert Missæ Sacrificium, idcirco non improbo Laymanni sententiam. Vide Benzonium *De Iubil. Lib. 5. dub. 28.* latè de hac quæstione differentem.

146 Quæst. XLI. *Redditne excommunicatio incapacem Indulgentiæ?*

RESP. I. Reddit, & facit incapacem illum, qui non petit exsolvi vinculo excommunicationis, nam potissimus excommunicationis effectus est privatio bonorum Ecclesiæ communium. Doctores *in materia de excommunicatione.* II. Si tamen quis contritus seriò petat solvi vinculo excommunicationis, & citra suam culpam maneat excommunicatus, tum sicuti illum Deus recipit in suam amicitiam, ita & pia mater Ecclesia in consortium Thesauri Ecclesiastici. Henriquez *Lib. 7. cap. 18. n. 2.* & alii non improbabiliter, teste Diana *Resol. 13.* contra communiorem Filliucii *Tract. 8. n. 136.* Irregularem, suspensum, & interdictum esse capacem Indulgentiæ, rectè ostendit Benzonius *dub. 29.*

Quæst. XLII. *Quo pacto lucraturus Indulgentias debet esse subditus illius, qui eas largitur?* 147

RESP. Illo modo, quem indicavi *num. 62. & seqq.* quamquam Papa potest etiam non subditis v. g. defunctis, itémque vivis Catechumenis impertiri Indulgentiam per modum suffragii, & solutionis, non autem per modum absolutionis. Vide dicta *quæst. 6.* & dicenda *n. 476.* ubi explicabo, quid sit per modum suffragii dare, aut participare Indulgentias; & *n. 260.* indicabo, quomodo quis sibi ipsi possit dare Indulgentias, atque adeò se sibi ipsi subjicere.

Quæst. XLIII. *Quomodo status gratiæ requiritur ad Indulgentiam lucrifaciendam?* 148

RESP. I. Status gratiæ ita requiritur, ut nemo lucrari possit Indulgentiam pro illo peccato mortali, cujus remissionem quoad reatum culpæ nondum à Deo obtinuit. Ita omnes Doctores. Ratio est, tum quia non dimittitur pœna, nisi post dimissam culpam. *Suprà n. 18.* tum quia non nisi verè pœnitentibus prodest Indulgentia *Extrav.* Unigenitus *in. d.*

II. Idem status gratiæ ita requiritur, ut cùm 149 quis est in statu peccati mortalis, non possit acquirere Indulgentiam, ne quidem pro iis peccatis, quorum remissionem obtinuerat, antequam in illud peccatum mortale laberetur. Ita Suarez *disp. 52. sect. 2. num. 6.* cum communiore Theologorum contra Maironium, & alios. Ratio est, quia indecens, & inconveniens est, ut illi, qui est actu hostis Dei, ut est quisquis conscientiam peccato mortali gravatam habet, Deus remittat debitum ullius pœnæ.

III. Itaque quando pro lucranda Indulgen- 150 tia unum tantùm opus requiritur, v. g. sacra Communio, debet, qui illam lucrari vult, esse in statu gratiæ tunc, cùm illud opus exequitur, quia vel tunc, vel nunquam acquiret eam Indulgentiam. Lugo *disp. 27. num. 84.* contra alios referendos quæst. seq.

IV. Etsi optimè illi sibi consulunt, qui, 151 quando plura opera, ut fit in Jubileis, præscripta sunt, student singula exequi extra statum peccati mortalis, adeóque actum contritionis eliciunt priusquam aliquod eorum, (si quidem sibi conscii sint gravis delicti, nondum contritione, aut confessione deleti,) inchoënt; est tamen perquam probabile non requiri, ut omnia fiant in gratia, alioqui tolerandum non esset, ut plerique in Jubileis confiterentur post jam peracta aliquot ex præscriptis operibus.

V. Itaque absolutè dicendum est, suffice- 152 re, modò ultimum opus, pro consequenda Indulgentia præscriptum, fiat in statu gratiæ. Suarez *cit. sect. 2. num. 7.* Laym. *cap. 6. num. 2.*

Diana

Diana *cit. Tract. 12. Resol. 4.* multos referens contra Comitolum, & alios. Excipe cum Tannero *n. 79.* casum, quo Pontifex expressè exigit statum gratiæ, ut cùm dicit, opera esse facienda à verè pœnitentibus. Excipe quoque cum eodem *Ibidem* casum, quo opus exigitur ad propitiandum Deum, & sine gratia est offensivum Dei, ut est Communio sacrilega. Vide Pacem Jordanum elucubrat *Tom. 1. Lib. 5. Tit.*

153 *16. n. 35.* Et verò non est necesse communiter, ut totum illud ultimum opus, de quo paulò antè dixi, fiat in gratia, nam si ultimum opus sit v. g. jejunium diei Sabbatini, poteris Indulgentiam consequi, licèt horâ decimâ vespertinâ sis adhuc mancipium diaboli. Sufficit ergo, si dæmonis mancipatum evadas, & in Dei filiorum libertatem asciscaris illo temporis momento, quo verum est dicere, te perfecisse omnia opera, quæ Pontifex præscripserat, v. g. ultimo momento diei destinati jejunio. Suar. & Diana *ll. cc.* cum Bonac. *de Sacram. disp. 6. q. 1. p. 5. n. 11.* Ratio hujus, & præcedentis responsionis à priori est, quia cùm Indulgentiæ effectus non proveniat ex dignitate operis à te præstiti, sed ex Christi meritis, non est necessarium, ut illud sit satisfactorium, sed sufficit, modò tunc non adsit obex gratiæ, quando conferenda est Indulgentia.

154 VI. Hinc à fortiori inferes, illum potiri Indulgentiâ, concessâ visitantibus certo aliquo die, certam Ecclesiam, qui manè illam visitavit in statu peccati mortalis, sed post prandium contritus iterum eandem visitat. Vide, si placet, quæ in datarum responsionum confirmationem dixi in Tract. præced. de Jubileo *quæst. 32. n. 59.* & quæ *Part. 2. c. 23.* dicam de statu gratiæ respectu Indulgentiarum pro defunctis.

155 Quæst. XLIV. *Si ultimum opus fiat in peccato mortali, esto tunc non obtineatur Indulgentia, nonne saltem obtinebitur post sex, vel octo dies, si post tot dies eliciatur vera contritio?*

RESP. I. Haud dubiè potest efficaciter velle Pontifex, ut sicuti probabiliter omnia, vel pleraque Sacramenta suum effectum consequuntur fictione recedente, obicéque remoto, ita etiam Indulgentiæ concessio satisfactionem peccatorum tribuat proximo tempore, quo quis post omnia opera peracta erit in gratia.

156 II. Utrùm verò reipsa ita voluerint, & ordinaverint Pontifices, non satis constat. Ita voluisse, & ordinâsse fusè docet Granadus *in 3. p.* cujus verba refert Diana *Resol. 4.* approbans cum aliis hanc sententiam, tum in eo casu, in quo Pontifex non facit mentionem contritionis, tum etiam in eo, quo dicit se Indulgentiam dare solùm verè pœnitentibus, seu contritis, & confessis; modò quis bona fide putet suæ confessioni, aut contritioni nil defuisse. At verò Sa *V. Indulgentia n. 2.* Coninck *dub. 7.* & Lugo *de Pœnit. disp. 27. n. 84.* cum plerisque aliis absolutè negant, esse hanc unquam Pontificum intentionem. Et ego non puto esse, saltem tunc, quando contritionis aut Confessionis mentionem faciunt, nec enim est ratio, cur hæc verba torqueamus in sensum valde alienum à communi hominum loquendi modo. Fateor tamen, Granadi sententiam esse practicè valde tutam, ut tam Confessarius circa pœnitentiæ injunctionem, quàm ipse pœnitens circa ejus executionem possint in praxi huic opinioni accommodare doctrinam insinuandam, *n. 242.*

CAPVT XIII.

De studio, & pœnitentia necessariis ad acquirendas Indulgentias.

SUMMARIUM.

Non illi soli potiuntur Indulgentia, qui student per alia pia opera satisfacere Deo. 157.
Solvitur argumentum Navarri. 158.
Aut qui solent orare pro defunctis. 159.
Quatenus pœnitentia sit necessaria adeptioni Indulgentiæ? 160.
Casus, in quibus per se exigitur pœnitentia. 162.

Quæst. XLV. *Anne illi soli in vivis Indul-* 157
gentias obtinent, qui student per alia pia opera satisfacere pro suis peccatis?

RESP. Id quidem post Cajetanum docet, & octo rationibus probat Navarrus *De Iubil. Not. 21.* nec improbabiliter teste Henriq. *Lib. 7. cap. 8. num. 3.* Sed rectiùs negatur ab ipsomet Henriq. Corduba *q. 30.* Valentia *Tom. 4. disp. 7. q. 20. punct. 5.* & Suar. *disp. 52. sect. 11. n. 1.* ubi suam sententiam vocat moraliter certam. Ratio petitur ex fundamento allato *n. 141.* nam ex natura rei non exigitur illa conditio; & potest haud dubiè Pontifex validè largiri Indulgentiam, etiam iis, qui non conantur satisfacere pro suis peccatis; velle autem largiri, persuadet tum communè judicium Doctorum, Confessariorum, Pœnitentium; tum quia in nulla ullius Indulgentiæ, aut Jubilei formâ requirit hanc conditionem, cùm tamen requirat alias. Hinc infer, errâsse Altisiodorensem, dum apud Suar *Tom. 4. in 3. p. initio cit. sect. 12.* putavit, Indulgentias illis solis prodesse, qui nequeunt pro suis satisfacere peccatis.

Objicit inter alia Navarrus: *Indignus est* 158
aliena ope, qui sibi non vult opitulari, cùm possit juxta *Leg.* Bona fides, *ff. De deposito*, & communem, ut ait, doctrinam, *in Cap.* Quæ in Ecclesiarum. *De Constit.* Verùm huic communi doctrinæ opponimus commune judicium Ca-

noniſtarum apud Suar. *n.* 1. & ad illud Juris pronuntiatum dicimus, multa etiam indignis, ſeu non dignis conferri beneficia, ſi ſint indigentes. Ad alia Navarri argumenta bene reſpondet Corduba.

Hinc patet, nos diſſentire à Fumo *V. Indulgentia num.* 13. ſic pronuntiante: *Aliqui ſunt tepidi, qui licèt ſint in gratia, rogant tamen ſibi dari parviſſimam pœnitentiam, & gaudent, cùm parva datur; & cùm illam minimam executi fuerint, non curant aliam facere, & iſtis ſic negligentibus non proſunt Indulgentiæ. Ex quo patet, quòd quaſi omnes remaneant decepti.* Ita ille, quem decipi & optamus, & meritò credimus.

159 Quæſt. XLVI. *An illis ſolis defunctis proſunt Indulgentiæ, qui dum erant in vivis, ſtudebant, & Indulgentias lucrari, & defunctos juvare ſuffragiis?*

RESP. Quidquid in contrarium dicat iterum Cajetanus, hæc conditio non eſt neceſſaria, quia à nullo Pontifice indicata, ab omnibus ferè Chriſtianis ignorata. Suarez *diſp.* 53. *ſect.* 4. *n.* 9. Bellarm. *c.* 14. Tannerus *Tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 7. *n.* 93.

160 Quæſt. XLVII. *An, & quomodo pœnitentia eſt neceſſaria ad acquiſitionem Indulgentiæ?*

RESP. I. Eſt neceſſaria omnibus, qui aliquod crimen lethale admiſerunt, nam pœnitentia eſt ad remiſſionem culpæ mortalis neceſſaria. Trid. Concilium *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. & 7. & conſequenter ad Indulgentiæ acquiſitionem, *ſuprà n.* 18.

RESP. II. Cùm ne veniale quidem peccatum quoad culpæ reatum remittatur niſi per pœnitentiam, ſaltem virtualem. Lugo *De Pœnit. D.* 9. *n.* 23. Indulgentia autem pro veniali quoque peccato ſit inutilis, niſi illud ſit jam, quoad reatum culpæ dimiſſum. *Suprà n.* 18. hinc qui nondum eſt conſecutus veniam unius, aut plurium peccatorum venialium, debet priuſquam ultimum Indulgentiæ lucrandæ inſtans adſit, elicere de ſuis peccatis actum pœnitentiæ ſaltem virtualis, alioqui non obtinebit Indulgentiam, niſi pro pœna peccatis mortalibus, aut aliis venialibus jam dimiſſis debita. Bellar. de Indulg. *Lib.* 1. *c.* 13. *quæſt.* 2.

161 RESP. III. Qui non eſt reus peccati nondum per pœnitentiam deleti, non eſt opus, ut eliciat ullum actum pœnitentiæ, etiamſi in forma Indulgentiæ, aut Jubilei ponatur: *verè pœnitentibus*, ſeu: *verè contritis*; nam pœnitentia, & contritio communiter non præcipitur pro Indulgentiis, tanquam ſpeciale opus, per ſe à Pontifice intentum, ſed tanquam mera diſpoſitio removens prohibens; removens, inquam, culpæ reatum prohibentem pœnæ remiſſionem, ergo ubi non eſt ampliùs reatus culpæ, ibi neque pœnæ. Vide, quod de Confeſſionis neceſſitate dixi in Tract. præced. ſeu de Quintuplici Jubileo *cap.* 23.

Dixi, pœnitentiam *communiter* non præcipi &c. non autem dixi, *Nunquam* per ſe præcipi, quia revera per ſe præcipitur, ſeu requiritur in illo, qui vult, faciendo examen, obtinere vel remiſſionem tertiæ partis peccatorum, juxta §. 4. Indulgentiarum S. Caroli; vel 50. dies juxta §. 10. Indulgentiarum Urbani VIII. vel juxta §. 4. Indulgentiarum Quinque Sanctorum obtinere X. Annorum Indulgentias, & remiſſionem tertiæ partis peccatorum. 162

CAPVT XIV.

De ſcientia, & intentione neceſſariis ad comparandum Indulgentiæ fructum.

SUMMARIUM.

An ut lucreris Indulgentiam oporteat ſcire, poſſe hic & nunc illam comparari? 163.

An ille ſolus lucretur, qui habet actualem lucrandi intentionem? 165.

Quid ſi facias omnia requiſita, attamen expreſsè dicas, te nolle fieri participem Indulgentiæ? 167.

Quid ſi applicabilem applices non petenti applicari ſibi? 169.

Quæſt. XLVIII. *Ut fiam particeps Indulgentiæ, aliquod pium opus exercenti promiſſæ, debeóne ſcire eſſe promiſſum, & adnexam tali operi?* 163

RESP. Id quidem neceſſarium eſſe ſcire, arbitrati ſunt Emmanuel Rodriq. & Trullenck apud Lugonem *Tom.* 3. *in* 3. *p. Diſp.* 27. *n.* 80. Meritò tamen ipſe cum Portel. Molf. Laym *c.* 6. *n.* 5. Diana *Part.* 5. *Tr.* 12. *Reſol.* 6. Lezana *V. Indulgentia n.* 8. ſequitur negantem *n.* 81. tum quia nec ex natura rei, nec in ulla formula Indulgentiarum requiritur hæc ſcientia; tum quia more univerſali receptum eſt, ut moribundis omni ſenſu deſtitutis dentur Indulgentiæ: tum quia per opera pia, quæ aut nos ipſi facimus, aut alii nobis inſciis applicant, ſatisfacimus pro noſtris peccatis, eſto non ſciamus, nos per illa ſatisfacere. Conſentit Bellizarius *Tract.* 8. *c.* 5. *n.* 250.

Excipe cum Cardin. de Lugo *n.* 82. caſum, 164
quo præſcribuntur opera ad certam intentionem dirigenda, nec enim illa ad eam intentionem diriges, niſi ſcias, eſſe occaſionem obtinendæ Indulgentiæ. Si tamen, quod utique fieri poteſt, poſitâ Indulgentiæ ignorantiâ, injuncta opera exſequaris ad determinatam à Pontifice intentionem, nil oberit ea ignorantia.

Quæſt. XLIX. *Rectène ſentiunt illi Doctores, qui cenſent me non potiri Indulgentiâ, etſi opus* 165

opus ad illam requiſitum exſequar, ſi non exſequor eum intentione acquirendæ per illud Indulgentiæ?

166 RESP. Etſi hi Doctores patronum habent P. Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *p. cit. diſp.* 52. *ſect.* 6. ego tamen penitus ab iis diſſentio; quia oſtendere non poſſunt ejuſmodi intentionem, aut ex rei natura, aut ex voluntate Pontificis exigi. Dico itaque cum Sanctarello de Jubil. *c.* 15. *dub.* 4. Eſcobar in Summa *Tract.* 7. *Exam.* 5. *n.* 54. Cardinale de Lugo, Lezana, Laym. Diana II. cc. ubi pro ſe etiam referunt Molfeſium, Portel, Salas, & Hieron. Gratianum, non requiri intentionem formalem comparandæ Indulgentiæ, ſed ſufficere habitualem, ſeu interpretativam, quam quiſque hoc ipſo habere cenſetur, quòd generatim, & univerſim velit per ſua bona opera tantum prodeſſe, quantum poteſt, ut notat Coninck *Tom.* 1. *De Sacramentis q.* 83. *a.* 1. *n.* 166. Ratio eſt, quia *ſubrogatum habet naturam illius, pro quo ſubrogatur*, Portel *in addit. n.* 7. aliique DD. communiter; atqui Indulgentia ſubrogatur operibus ſatisfactoriis; nam Indulgentiæ non ſunt introductæ potiſſimùm, ideo ut per earum conceſſionem honorarentur Sancti illi, in quorum Eccleſiis obtinendæ eſſent, ſicut exiſtimat Lud. Bologni; ſed præcipuè ideo, ut Chriſtiani liberarentur obligatione plectendi ſua peccata per opera ſatiſfactoria. Cùm igitur opera ſatiſfactoria habeant ſuam vim, etſi quis ne virtualiter quidem intendat ſatisfacere per illa, Suar. *diſp.* 37. *ſect.* 3. *n.* 5. Portel *loc. cit.* ſit, ut Indulgentiam Incretur, etiam qui non intendit illam lucrari.

167 Quòd ſi ponas eſſe hominem, qui expreſſè dicat, ſe velle quidem facere omnia ad obtinendam Indulgentiam requiſita, nolle tamen lucrari Indulgentiam, ſed velle alia ratione pro ſuis peccatis ſatisfacere, tum fortè quis putet, non potiturum Indulgentiâ. argum. *Regulæ* 38. *in* 6. *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.* Verùm contrarium videtur probabilius, eò quòd conceſſio Indulgentiæ poſitis conditionibus, quas præſcripſit Pontifex, operetur ex opere operato, & neceſſariò, ſaltem in eo, cui immediatè conceduntur.

168 Hinc apparet, exceſſiſſe Cordubam Quæſtionarii *Lib.* 5. *q.* 25. dum voluit, ut opus præſcriptum fiat principaliter ad lucrandam Indulgentiam. Apparet quoque, innumeros homines lucrari Indulgentias, dum minimè cogitant; & nominatim illos, qui veſperi ad ſonum Salutationis Angelicæ recitant conſuetas preces, de quibus dicam *Part.* 2. aut qui devotè nomen JESU, vel MARIÆ proferunt, ut ibid. indicabitur. Quare dicta ad utramque præcedentem quæſtionem probè notanda ſunt Confeſſario.

Quæſt. L. *Si Papa faciat mihi poteſtatem applicandi Cajo meam Indulgentiam, valebitne mea applicatio, caſu quo Cajus non petit Indulgentiam ſibi applicari?* 169

RESP. Valebit, modò reliquæ conditiones adſint, Lugo *D.* 27. *n.* 81. Ratio eſt eadem, quæ pro reſponſione ad quæſtionem præcedentem.

CAPVT XV.

Qualia opera pro Indulgentia conſequenda præſcribi debent?

SUMMARIUM.

Poteſt pro Indulgentia præſcribi opus etiam internum. 170.

Non autem indifferens manens tale. 171.

Nec neceſſariò non aliunde imperatum. 172.

Adiens Sacram Menſam ex præcepto Confeſſarii ſatisfacit ordinationi de Communione pro Indulgentia. 174.

Et Canonicus accedens Chorum ratione officii, implet conditionem de viſitanda Eccleſia. 176.

Sicut & faciens ſacrum in Eccleſia, etſi ex obligatione. Ibid.

Alia Corollaria practica. Ibid. & n. 177.

Quæſt. LI. *Opus, quod pro Indulgentia conſequenda præſcribitur, debétne eſſe externum?* 170

RESP. Etſi opera externa ſint communiter convenientiora, & proinde uſitatiora, nil tamen obeſt, quò minùs merè interna injungantur, ut v. g. oratio mentalis, deteſtatio peccatorum, propoſitum ſe emendandi, aut aliquem Sanctum imitandi, ut videre eſt in Indulgentiis Quinque Sanctorum, in quibus etiam, ſicuti & in Indulgentiis Urbani VIII. aliiſque communiter conceditur plenaria Indulgentia iis, qui in articulo mortis conſtituti ſaltem corde, ſi non poſſint ore, dicunt JESU. Vide Filliucium *Tract.* 8. *n.* 154. & Suar. *diſp.* 52. *ſect.* 5. proponentem, & diſſolventem argumenta in contrarium.

Quæſt. LII. *Opus, quod pro Indulgentia conſequenda præſcribitur, debétne eſſe honeſtum, an ſufficit eſſe indifferens?* 1

RESP. Debet vel ex ſe, id eſt ratione objecti, eſſe honeſtum, & laudabile, vel ordinari ad finem honeſtum ab ipſo Indulgentiæ fructu diverſum S. Thom. Sylv. & alii communiter. Ratio eſt, quia res ſpiritualis, qualis eſt Indulgentia, non debet dari pro re planè indifferente, utpote penitus improportionata. Cæterùm an, & quomodo opus, quod præſcribitur, debeat non modò eſſe bonum, ſed etiam bene fieri, explicabo *n.* 201.

Quæſt. LIII. *Opus, quod pro Indulgentia conſequenda præſcribitur, debétne eſſe planè libe-* 172

rum, ita videlicet, ut non sit aliunde imperatum?

RESP. Id quidem putat Sylvester V. *Indulgentia q. 6. num. 18.* sed rectè negant Corduba *q. 18.* Benzonius *Lib. 5. cap. 15. dub. 30.* & alii passim. Ratio est, tum quia & Romæ, & extra Romam pro Jubileo obtinendo jejunatur tribus feriis quatuor temporum, & formulæ hujus ætatis Indulgentiarum nullo verbulo indicant opinionem Sylvestri. Quinimo in recentissima Formula Indulgentiarum SS. Petri, de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis §. 12. leguntur hæc verba: *Pro eisdem Indulgentiis percipiendis satis &c. quæ superiùs præscripta sunt, adimplere, licèt illa etiam alio nomine impleri fortè debuerint.*

173 Quamquam agnosco Eugenium IV. *Bulla 23. in Bullar. Rodriq.* Indulgentiam pro articulo mortis, qua Monachos Congregationis Vallisoletanæ donabat dependenter à jejunio singulis sextis feriis per totum Annum obeundo, largitum esse cum hac clausula: *Si prædictis feriis ex præcepto Ecclesiæ, injunctâ pœnitentiâ, voto, vel aliàs jejunare teneatur, uno alio die singularum septimanarum ejusdem Anni, quo ad jejunandum non sunt astricti, jejunent.*

Quæst. LIV. *Quænam Corollaria practica sequuntur ex responsione ad præcedentem Quæstionem?*

174 RESP. Sequentia I. Qui ex pœnitentia à Confessario injuncta, sacræ mensæ accumbit, vel coronam Deiparæ percurrit, habens Numisma, aut quid simile affectum Indulgentiis Quinque Sanctorum, SS. Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis æquè lucratur Indulgentiam plenariam, & æquè liberat animam ex purgatorio, ac si merè sponte utrumque faceret.

175 II. Quoties Sacerdotes ratione vel obedientiæ, vel beneficii, aut stipendii sacrum faciunt, consequuntur Indulgentiam plenariam, & simul unam animam è purgatorio, si videlicet pro animabus purgatorii orent, & habeant Indulgentias Quinque Sanctorum, ut dicitur in §. 1. harum Indulgentiarum, ex quo, sicuti etiam ex §. 2. falsitatis convincitur sententia Sylvestri.

III. Qui ratione suæ Regulæ, aut Voti jejunat; æquè lucratur Indulgentias promissas jejunantibus, acsi jejunaret non compulsus ratione voti, aut regulæ. Idem dic de illo, qui ex voto orat, communicatur, peregrinatur; Benzonius *loc. cit.*

176 IV. Canonici, qui ex obligatione chorum frequentant, consequuntur Indulgentias visitantibus Ecclesiam concessas, esto non diutius maneant in templo, quàm exigat eorum obligatio. Benzonius *Ibidem.* Idem dic de faciente sacrum ex obligatione.

V. Clerici, dum suum pensum Canonicum persolventes, dicunt ex ritu Breviarii, *Pater, Ave, Credo, Te Deum Laudamus*, Psalmum, *Miserere*, aut *De profundis &c.* non minùs consequuntur Indulgentias, quæ ratione alicujus Congregationis, seu Confraternitatis, aut ratione Indulgentiarum S. Caroli, quinquè Sanctorum, vel Urbani VIII. Clementis IX. & X. conceduntur recitantibus unum ex enumeratis, quàm si seorsim, & extra officium Canonicum orâssent. Idem dic, quando in suo officio piè pronunciant JESUS vel MARIA.

VI. Hinc fit, ut si, antequam Tertiam, Sextam, Nonam orare incipias, dicas, te illa tria Pater & Ave, quorum singula singulis harum Horarum præmittuntur ex more Ecclesiæ, oraturum in honorem Sacrosanctæ, & Individuæ Trinitatis, obtineas illos 50. dies Indulgentiarum, quas Urbanus VIII. huic precationi, cum ejusmodi intentione factæ concessit, si videlicet habeas apud te coronam, crucem, Imaginem, aut medallium benedictum Indulgentiis ordinariis, aut extraordinariis prædicti Pontificis. 177

Hæc paradigmata sufficient, ut quisque Sodalitati, aut Confraternitati Rosarii, Annunciatæ, Scapularis adscriptus agnoscat, an & quando possit Indulgentias suæ Congregationis proprias adipisci, obeundo opera, jam aliàs ex voto, ex pœnitentia Sacramentali, ex pacto, ex Ecclesiæ præscripto debita.

CAPVT XVI.

Specialiter agitur de intentione, quam Pontifex præfigit quibusdam precibus, aut actibus.

SUMMARIUM.

Colliguntur quædam Corollaria practica ex alibi dictis de operibus præscriptis ad certam aliquam intentionem pro Indulgentiæ consecutione. 178. & seqq.

Prioribus sæculis non solebat imperari certa intentio, ad quam dirigenda essent opera pro Indulgentia. 183.

At solent hoc, & superiore sæculo. 184.

An præfigens operi præscripto intentionem distinctam ab ea, quam præfixit Papa, fiat compos Indulgentiæ? 185.

Quæst. LV. *Sæpe fit, ut Pontifex Indulgentiam concedens, & opus aliquod pium pro illius consecutione injungens præcipiat id ad hanc, aut illam intentionem fieri. Quid tunc facto opus?* 178

RESP.

RESP. Me ad hanc quæstionem prolixè respondisse Tract. *præcedent.* de Jubileo *Cap. 12.* Ex illic dictis solùm repeto, licèt probabile sit, illum pro obtinenda Indulgentia ad certam intentionem orantibus promissa sufficienter orare, qui gnarus, ignarúsve intentionis præscriptæ precatur, dicens: *Volo orare ad intentionem præfixam, si quæ fortè præfixa est*; aut orat præcisè dicens: *Volo facere necessaria ad comparandam Indulgentiam*: licèt, inquam, hoc utrumque sit probabile, est tamen, ut ibidem ostendi, probabilius, neutrum horum modorum sufficere; sed requiri, ut quis sciat, quæ intentio sit præfixa, & ad illam speciatim, non autem tantùm in genere oret.

179 Ex dictis ibidem, hisque suppositis apparet, quo pacto plenariæ Indulgentiæ, quæ tum singulis mensibus semel, tum in triduo Bacchanalium obtineri potest in templis nostræ Societatis, fiant, aut non fiant participes illi, qui quidem sacram synaxin adeunt, & orant Deum, cogitantes, aut non cogitantes expressè, aut implicitè, de concordia inter Principes Christianos, exaltatione fidei, & extirpatione hæreseon, quas tres intentiones exigunt Pontifices in suis de hac utraque Indulgentia Brevibus.

180 Apparet quoque, an Indulgentiam 50. dierum, quam Urbanus VIII. largitus est dicentibus ter Pater & Ave, ad honorem Sacrosanctæ Trinitatis, item itidem 50. dierum, quam idem Urbanus VIII. dedit orantibus quinquies Pater & Ave, in reverentiam quinque vulnerum Christi, obtineat is, qui vel ex more, vel præter morem ea recitat, de neutra harum intentionum cogitans.

181 Apparet insuper, an quando habens Indulgentias, à Paulo V. concessas Serenissimo Bavariæ Duci Wilhelmo, orat ter Pater & Ave ad honorem Sacrosanctæ Trinitatis, lucretur Indulgentiam plenariam, quæ etiam in formula prædictarum Indulgentiarum §. 19. offertur iis, qui orationem Dominicam, & ter Salutationem Angelicam dicunt in memoriam triplicis orationis, quam Christus Dominus in horto fudit, & insuper in opem, & solatium illorum, qui eo die vel sunt mortui, vel morientur.

182 Apparet denique Indulgentiam 10. Annorum, & remissionis tertiæ partis peccatorum, promissam iis, qui proponunt facere aliquem actum virtutis ad imitationem earum, quas unus aut plures è Quinque Sanctis exercuerunt, non obtineri ab iis, qui quidem unum, aut plures actus præstantium virtutum exercent, sed nil de imitandis istis Sanctis cogitârunt. Hi utique & pœnas suis peccatis debitas minuerent, & præsentem ad suos illos actus religiosissimè obeundos stimulum sibi ipsis admoverent, si priùs, quàm Sacrum v. g. Breviarium, & alia opera inciperent, apud se expressè dicerent: *Hoc Sacrum faciam, vel audiam ad imitationem S. Ignatii, v. g. Hoc Rosarium recitare conabor ea cum pietate, cum qua solebat S. Teresia: excipiam hodie Confessiones cum ea patientia & charitate, cum qua solebat S. Franciscus Xaverius.* Idem dic de Indulgentia 7. Annorum, & totidem Quadragenarum à Clem. IX. datarum exercenti aliquem actum virtutis imitatione. SS. Petri de Alcantara, vel Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

Quæst. LVI. *Quænam intentiones solent communissimè pro Indulgentiis lucrandis præscribi?* 183

RESP. I. Sæculo decimo quarto, & anterioribus, non solebat ulla intentio præfigi operibus pro Indulgentia requisitis. Credet hoc, qui Bullaria excusserit. Excipe, quando dabatur Indulgentia Cruce signatis, aut manus adjutrices porrigentibus. At hoc, & superiore sæculo frequentissimè offertur Indulgentia facientibus, vel orantibus aliquid ad certam intentionem, ut constat ex Bullis, Brevibus, & formulis Indulgentiarum.

II. Sæculo superiore, quando dabatur Indulgentia visitantibus certo die festo Ecclesiam aliquam communiter jubebantur orare: *pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, fideique Catholicæ incremento.* At hoc sæculo ita statuitur: *Qui pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces &c.* Plurima Brevia, & Bullas Clementis VIII. Pauli V. Gregorii XV. Urbani VIII. Innocentii X. Alex. VII. Clem. IX. legere est utentia hac locutione. Primam harum trium intentionum esse planè diversam ab aliis duabus videt quisque; an secunda sit reipsa à tertia? non ita clarum est. Aget securissimè, qui omnes tres expresserit. 184

III. Intentiones præscriptæ orationibus extra casum in præcedente numero expressum, itémque aliis piis operibus, sunt ita variæ, ut nullâ regulâ possint comprehendi.

Quæst. LVII. *Intentionem à Pontifice præscriptæ adjungo aliam; faciòne idcirco dubiam, aut irritam Indulgentiam?* 185

RESP. Non videris facere irritam, aut dubiam, saltem si intentio, quam adjungis, sit tantùm secundaria, & æquè, magisve excellens, quàm quæ à Pontifice est nominata. Ratio est, quia non obstante hac secundaria intentione, propriissimè, & moralissimè dicèris preces, aut opus fecisse ad Summi Pontificis intentionem. Quia tamen una oratio pro multis fusa, non tantùm prodest singulis illorum, quàm si pro singulis seorsim funderetur, ut suppono ex communiore sententia Patris Suar. *In Tract. De Oratione Lib. 1. cap. 27.* contra alios, idcirco posset non nemini videri in-

certa responsio, quam attuli, sicuti jam insinuavi in Tract. De jubileo Quintuplici *num.* 85.

CAPVT XVII.

De perfecta operum pro Indulgentiæ præscriptorum executione.

SUMMARIUM.

Omittens ex ignorantia, vel impotentia unum, aut plura ex præscriptis operibus excidit Indulgentia. 186.
Excipe: Nisi Bulla excipiat impeditos. 187.
An non exequens nisi partem operis lucretur partem Indulgentiæ? 188.
Quid si omittatur pars minima? 190.
Quenam habeatur pro minima? 191.
Quid si omittatur ex Rosario quater Salutatio Angelica? 192.
Quid si unicam? 193.
An peccans ex confidentia Indulgentiæ possit hanc lucrifacere? 195.
Quid de pœnitentia, & Confessione præscriptis pro Indulgentia? 196.
An opera injuncta perfici debeant sine omni culpâ? 197. *& seqq.*
Quatenus debeat quis per semet exequi opus præceptum pro Indulgentia? 204.
Omnes conditiones præscriptorum operum reduci possunt ad quatuor. 207.

186 Quæst. LVIII. *Qui per ignorantiam, oblivionem, aut impotentiam non perficit unum, aut plura ex præscriptis operibus, potéstne nihilominus sperare fructum Indulgentiæ?*

RESP. Non potest. DD. communiter ex §. Omnis, *Instit. De verborum signif.* & Cap. Si pro te. *De Reser. in 6.* Ratio est, quia licèt, *cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debeat; perinde, ac si impleta fuisset, Reg. 66. De Regulis Iuris in 6.* hæc tamen Regula debet intelligi eo sensu, quem reddit Lex *In Iure* 122. De Regulis Juris: *In Iure civili receptum est, quoties per eum, cujus interest conditionem non impleri, stat quò minùs impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset*; quæ proinde Regula nil officit datæ responsioni inde claræ, quòd conditionalis non implera conditione nil ponat in esse. DD. communiter; forma autem, qua conceditur Indulgentia, cum præscriptione operis faciendi est conditionalis, seu conditionata. Vide *in cit. Tract. præced. n.* 79.

187 Excipe, nisi in Bulla concessionis alia ratione subventum sit, justo impedimento impediris, quemadmodum observat Laym. *Lib. 5. Tract. 7. cap. 6. n.* 2. sicuti tempore Jubilei fieri solere cum ægris, aut detentis carcere, vel clausto, docui *in cit. Tract. num.* 98. sicuti etiam permittitur iis, qui habent Indulgentias Quinque Sanctorum. Equidem per se loquendo valere etiam hîc debet illud naturæ pronunciatum.

Commoda qui sentis, jungas onus emolumentis.

188 Quæst. LIX. *Quid si quis opus præscriptum exequatur non integrè? prævalituine totali, an solùm partiali fructu Indulgentiæ?*

RESP. I. Si notabilem partem ex ignorantia, impotentia &c. omittat, non adipiscitur totum Indulgentiæ fructum. Ratio est, quia qui operis injuncti notabilem partem omittit, non potest absolutè, & moraliter dici opus illud esse executus, sicut illam Horam Canonicam non absolutè diceris recitâsse, cujus notabilem partem omisisti.

189 RESP. II. Imò ne partem quidem Indulgentiæ obtinet talis homo. Suar. *loc. cit.* post Paludanum, & S. Antoninum, nam neque ex verbis formularum, quibus solent Indulgentiæ promulgari, neque ex praxi, aut judicio prudentium virorum possumus conjicere esse mentem Pontificis, ut parti operis respondeat pars Indulgentiæ, sed ut tota toti, parti nihil, adeóque totum opus se habeat, tanquam unica indivisibilis conditio concessionis.

Probè autem monet Suarez, esse attentè consideranda verba concessionis; nam aliquando sunt omnino determinata ad tale opus in tanta quantitate, vel ad plura opera copulatim, conjunctímque sumpta, & tunc procedit allata responsio; aliquando autem præcipitur opus indeterminatè, vel sub disjunctione, ut quando dicitur: *Qui oraverit, vel eleemosynam dederit* &c. & tunc totam Indulgentiam lucratur, qui etiam minimam partem implet.

190 Quæst. LX. *Quid verò sentiendum, quando omittitur pars non notabilis, sed minima?*

RESP. Est opinio magnorum Doctorum, ut Suar. *loc. cit.* Palai *p.* 9. Laym. *c.* 6. *n.* 3. Filiucii *Tract.* 8. *n.* 153. Bonacinæ *p.* 5. *n.* 21. & Dianæ *Part.* 5. *Tract.* 12. *Resol.* 23. plures referentis, omissionem minimæ partis nil obesse acquisitioni Indulgentiæ, eò quòd & parum pro nihilo reputetur, & omissio minimæ partis non efficiat, quò minùs ipsum opus possit absolutè, & moraliter dici executioni mandatum.

191 At, *Quidnam hic habetur pro parte minima?*

RESP. Ut aliqua pars vocetur hîc minima, debet esse minima, non tantùm absolutè, sed etiam respectivè. Palaus, Suar. & Bonac. *ll. cc.* Unde quando præcipiuntur quinque Pater & Ave, non censetur, secundùm Suarez & Dianam, is minimam partem omisisse qui tantùm quater Pater & Ave recitat.

192 At, *Quid si quis habens Indulgentias Quinque Sanctorum, vel SS. Alcantara, aut de Pazzis omittat ex Rosario tantùm quatuor Ave Maria, fiétne compos Indulgentiæ plenariæ recitantibus Coronam, seu Rosarium promissæ?*

RESP. Juxta principium Thom. Sanchez *Lib. 1. Moral. c. 19. num.* 4. & Joannis Sancii *in sel. disp. 15. n.* 7. videtur id negandum, hi enim duo Doctores asserunt, Coronam, seu Rosarium reputari pro materia individua; & ideo deficientibus aliquot Ave Maria, Rosarium non dici. Unde infert idem Joannes Sancius, illum, qui ex voto, aut pœnitentia tenetur recitare Rosarium, non obligari ad quatuor, aut quinque decades recitandas, si non possit totum recitare. Filliucius *loc. cit.* ait, esse probabile, quòd non impediatur effectus Indulgentiæ, si omittatur duplex Ave Maria in Rosario præscripto, secus si decem.

Ego censeo quidem tria, aut quatuor Ave Maria, esse reputanda pro parte minima Rosarii; quia tamen providè monet Suar. & Bonacina *loc. cit.* esse planè dubium, utrùm omissio etiam minimæ partis, non irritet totam Indulgentiam, & P. Martinus Roa *de Purgatorio c.* 14. apertè negat, quidquam Indulgentiæ ab illo acquiri, qui vel minimam partem præscriptæ precationis, aut operis omittit; & denique Eugenius IV. in Bulla indicata superiùs *n.* 173. omissionem quantumvis involuntariam unici jejunii ex quinquaginta duobus, quæ à Monachis Vallisoletanis ad Indulgentiam pro articulo mortis exigebat, voluit suppleri alio proximo Anno, alioqui nolebat illos eâ Indulgentiâ gaudere, idcirco suadendum est, ut hac in re procedatur scrupulosè potiùs, quàm laxè.

193 Hunc discursum describit ex me non citato Diana *Part.* 10. *Tract.* 16. *Resol.* 4. *in fin.* approbátque, sicut è diverso meritò dissentit à Pasqualigo de Jubil. *quæst.* 41. *num.* 6 mordicus negante, lucrifieri Indulgentiam promissam recitanti Coronam, vel Rosarium, si vel unicum Ave Maria desit tali recitationi; sicut negat & Dicastillo de Pœnit. *Tract.* 9. *disp.* 2. *dub.* 16. *num.* 207. de omittente ex Rosario unum Pater & Ave, si quidem omittat dedità operâ, seu sponte, secùs si ex inadvertentia.

Verùm Coronius *Celebrior. Controvers. Lib.* 2. *Controv.* 11. *cap.* 2. *n.* 52. non solùm dissentit à rigore tam Dicastilli, quàm Pasqualigi, sed insuper generalem illam quæstionem, quam proposuimus *n.* 190. sic generatim resolvit: Respondeo, dari in hac re parvitatem materiæ, quæque excusaret à violatione præcepti mortifera, non impedire Indulgentiam, quia parum pro nihilo reputatur, testatúrque ita tenere Dianam *Part.* 5. *Tract.* 5. *Resol.* 7. & *Tract.* 12. *Resol.* 23. sed Diana neutro loco innuit, nedum exprimit illam generalem Regulam, quæ quidem si est vera, tum Indulgentiæ dependentes à jejunio, auditione sacri, recitatione Breviarii &c. obtinentur etiam ab illis, qui de hisce rebus omittunt tantum, quantum posse absque culpa mortali omitti ab obligatis ad ea sub mortali, tenent DD. quod sanè non ausim dicere, quia in tales non convenit Axioma: *parum pro nihilo reputatur*, & Diana, aliique authores relati ab ipso præsertim *cit. Resol.* 23. loquuntur solùm de parte minima. Adde his dicta Tract. præced. seu de Jubil. Quintuplici *cap.* 11. *n.* 81.

Ex his apparet, quo sensu verum sit, quod 194
docet Bonacina *p.* 5. *n.* 23. videlicet Indulgentiam non obtineri inchoato, sed non completo opere; potest enim tam parum deesse complemento, ut hic defectus non obsit Indulgentiæ.

Quæst. LXI. *Estne ad Indulgentiæ adeptionem necesse, ut quis non peccet ex illius confidentia?* 195

RESP. Etsi Eugenius IV. Innoc. VIII. & Sixtus IV. relati *n.* 117. hanc conditionem apposuerint, etiam illi Indulgentiæ, quam moribundis Augustinianis, & Cistercien sibus offerebant, quia tamen ea non est ex rei natura necessaria, & ipsemet Sixtus IV. sex Annis post in Bulla 14. apud Cherubin *T.* 1. tacens hanc conditionem, consimili Indulgentia donavit Confratres Hospitalis S. Spiritus in Saxia, & tum hi tres Pontifices, tum alii posteriores consueverunt omittere eandem conditionem, ut in plus quàm 50. Bullis apud Rodriq. & Cherubin observavi, idcirco non est necessaria, nisi ubi expressè ponitur; quidquid in contrarium asserat Joannes de Anania apud Navarr. *De Indulg. & Iubil. Not.* 34. & subdubitet Benzonius *Lib. 5. c. 15. dub.* 24.

Quæst. LXII. *Sæpe dicitur concedi Indulgentiam Pœnitentibus, & Confessis, an illam lucrifacere potest, qui pœnitentiam, aut Confessionem omittit?* 196

RESP. I. Quomodo tunc sit, aut non sit opus, exercere actum pœnitentiæ, aut contritionis, declaravi suprà *quæst.* 47. II. Quandoquidem Confessio solet in omnibus Jubileis exigi, de illa disseruì *cit. Tract. cap.* 23. Hoc solùm addo, in Bullis Sæculi XIV. & XV. quandoque poni hanc disjunctivam: *pœnitentibus, & Confessis: seu temporibus à Iure statutis propositum confitendi habentibus.* Sed hoc sæculo omittitur altera pars hujus disjunctivæ, & quando omittitur, censetur exigi Confessio actualis, & non in solo proposito, ut declaravi *cit. cap.* 23. etsi Sylvester *n.* 20. putet, illam disjunctivam semper intelligi.

Quæst. LXIII. *Opera præscripta debéntne fieri cum ea integritate, & perfectione, ut nulla in iis exequendis culpa admittatur?* 197

RESP.

RESP. Ad hanc valde practicam quæstionem redduntur duæ extremæ, oppositæ responsiones, una media. Prima est Navarri *de Iubil. Not. 19. n.6.* post Adrianum docentis, opus præscriptum esse ita bene moraliter faciendum, ut si in eo faciendo, vel venialiter peccetur, Indulgentia non obtineatur. Altera est Cordubæ *q. 25.* Suar. *Tom. 4. in 3. Part. disp. 52. sect. 6.* Lugonis *in 3. p. disp. 27. n. 85.* & aliorum generatim negantium, valori Indulgentiæ obesse, etiamsi quis opus præscriptum faciat cum peccato; v.g. cùm quis ex fine venialiter malo dat eleemosynam, visitat Ecclesiam. Lugo *Ibidem*, & Suarez. aut cùm quis inter orandum admittit aliquam volun-
198 tariam distractionem Suar. *n.16.* Ratio horum Doctorum est, quia quando Pontifex injungit aliquod opus, non spectat aliud, quàm ut illud opus sit ex suo genere bonum, nam plus non indicant formulæ Indulgentiarum; atqui potest esse ex suo genere bonum, etsi fiat cum peccato, quod non solùm se habeat ad illud concomitanter, sed etiam influat in illud. Et addit Corduba, ac Diana *Part. 5. Tr. 12. Resol. 5.* non esse verosimile, quòd Pontifex injungens bona opera, plus requirat, quàm requirat Ecclesia ad implenda præcepta divina, & humana, quæ quidem posse impleri per actum ex circumstantiis malum docent permulti *in Tract. de Legibus*, modò ille actus sit ex objecto bonus, quàm phrasin perbene explicat Corduba *loc. cit.*

199 Tertia sententia est Cardinal. Bellarmini *Lib. 1. de Indulg. c.13.* Laym. *c. 6. n. 4.* Tann. *Tom. 4. disp. 6. q. 7. dub. 4. n. 81.* & Nugni apud Dianam distinguentium, aut enim per opus à Pontifice præscriptum potest finis, ab illo intentus obtineri, quantumvis fiat cum peccato veniali, aut non potest sic obtineri; in primo casu vera est secunda sententia, in secundo prima. V. G. præcipit Pontifex jejunari ad placandum Deum, aut satisfaciendum pro peccatis, item orari ad impetrandam à Deo concordiam inter Principes Christianos; jam si quis jejunet quidem, sed merè ex vana gloria, & oret quidem, sed cum perpetuis distractionibus, non acquiret Indulgentiam, quia jejunio ex vana gloria suscepto non placatur Deus, sicut nec quando quis vino se inebriat die jejunii. Laym. *loc. cit.* & per precationem cum perpetuis voluntariis distractionibus factam non impetratur quidquam, quia *illam orationem Deus non audit, cui, qui orat, non in-*
200 *tendit.* S. Gregorius apud S. Thom. *2.2. q. 83. a.13.* Vice versâ, quando Pontifex pro Indulgentia consequenda, præscribit elargitionem pecuniæ pro pauperibus, aut pro bello contra infideles, aut pro fabrica loci pii, nil Indulgentiæ acquisitioni officit vana gloria, quam sectaris elargiendo illam pecuniam, quia per se loquendo pecunia etiam hoc modo, & cum hoc peccato data, proderit pauperibus, prodesse & contra infideles. In idem ferè recidit, quod docet Valentia *Tom. 3. disp. 7. q. 10. p.* 5. scilicet, quando Pontifex præscribit opus externum, ut eleemosynam, aut peregrinationem, quod ratione effectûs, vel propter exemplum, possit ex suo genere cedere in gloriam Dei, & utilitatem Ecclesiæ, nil obesse malam circumstantiam, secus si opus sit merè internum, ut meditatio.

Prima, harum sententiarum est nimis rigida, 201
parúmque probabilis. Secunda valde probabilis, sed minùs tuta, quàm Tertia, quæ quidem est probabilissima, & tutissima, juxta quam tamen, uti & juxta Secundam dicendum, nil prorsus officere valori Indulgentiæ, etiamsi operi præscripto adjungatur aliquod peccatum, se ad illud habens merè concomitanter, & non tanquam circumstantia, ut si die jejunii detrahas famæ proximi, aut dum precaris Deum pro necessitatibus Ecclesiæ, serves in tuo pectore parvum odium erga proximum.

Nec absurdum est dicere, quòd Pontifex 202
concedens Indulgentias, exigat quandoque plus, quàm sit necesse ad præcepti Ecclesiastici adimpletionem, ut apparet vel inde, quòd ad perdendam Indulgentiam promissam jejunanti, aut recitanti Breviarium, aut audienti Sacrum, non sit necesse tam multum detrahere de integritate horum operum, quàm necesse est ad peccandum mortaliter, per illorum partialem violationem, & mutilationem.

Quæst. LXIV. *Quando quis opera præscripta* 203
ita defectuosè fecit, ut Indulgentiam non sit per ea meritus, merebiturne, si eadem iterum, & sine defectu obeat?

RESP. Affirmativè, modò iterum obeat intra tempus præfixum, Bonacina *Part. 5. num. 33.*

Quæst. LXV. *Debètne quis opus præscriptum* 204
perficere per semetipsum?

RESP. Debet communiter, quia communiter videtur esse hæc mens Pontificis, ut v. g. quando præscribit preces, peregrinationes, jejunia visitationes Ecclesiarum &c. Bonacina *p. 5. n. 24.* Quid de eleemosyna sit sentiendum, dixi *in Tract. Præced. De Iubileo n.62.*

Nec obest Regula 72. in *6. Qui facit per* 205
alium, est perinde, acsi faciat per seipsum; nam hæc Regula habet locum tantùm in iis actionibus, ad quas nec industria personæ electa est, nec à lege, aut voluntate Superioris introductum est, ut res non per alium, sed per ipsum expediatur. Vide Henricum Canisium *in Regulam 68. in 6.* huic simillimam. Quare Benzonius *dub. 21.* meritò rejicit Joannem ab Anania contrarium datæ responsioni docentem, quoad Ecclesiarum visitationes præscriptas. Plura hanc in rem *q. 77. & in cit. Tract. n.62.*

Quæst.

206 Quæst. LXVI. *Vtrùm ea, quæ de conditionibus ad Indulgentiam requisitis diximus, concordent cum receptis apud Theologos Principiis?*

Ratio dubitandi est, quia Valentia *cit. q. 10. p. 5.* testatur, Communi Theologorum Axiomate dici, quòd tum demùm prosunt Indulgentiæ, *quando adest in concedente authoritas, in causa pietas, & in recipiente Charitas*; quo Axiomate tantùm tres conditiones pro valore Indulgentiarum indicantur, cùm tamen longè plures in Superioribus capitibus exegerimus.

207 RESP. Etsi P. Valentia, Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 2. a. 3.* aliique nonnulli, omnes Superiores conditiones allatas referant ad hasce tres: attamen expeditiùs ad quatuor reducit Graffius *Decis. Lib. 7. cap. 15. num. 51.* dicens: *Indulgentia non valet, nisi quatuor concurrant: authoritas in concedente: idoneitas in recipiente: pietas in fine: utilitas in opere.* Consentit Fumus *num. 5.* aliique plures. Quamquam Valentia videtur loqui de solis illis conditionibus, quæ ad omnem omnino Indulgentiam necessariæ sunt, non est autem ad omnem Indulgentiam necessaria utilitas in opere, cùm sæpe dentur Indulgentiæ non imperando ullum opus. *Supra* n. 91.

CAPVT XVIII.

Vtrùm possint plures Indulgentiæ simul: & una sæpius eodem die comparari?

SUMMARIUM.

An uno actu possit comparari duplex Indulgentia? 208.
Et singulariter duplex plenaria? 209.
Quid si opus præscriptum pro pluribus non possit bis obiri in uno die? 210.
Quid si adjungatur fervor singularis? 212.
Deducuntur aliquot Corollaria practica ex dictis. 214. *& seqq.*
An per diversos actus possit quis eodem tempore acquirere diversas Indulgentias? 218.
An, & quatenus possit uno, eodémque die sæpius obtineri una, eadémque Indulgentia? 220.
Quid Sixtus V. sanxerit circa Indulgentiam pro festo Annuntiationis, cadente in aliquod Sabbatum Quadragesimæ? 222.

208 Quæst. LXVII. *Potéstne per Exercitium uniri operis præscripti, multiplex Indulgentia obtineri?*

RESP. I. Potest, si ita velit is, qui Indulgentias concessit, cùm tota res pendeat ab ejus voluntate. Bonac. de Sacram. *D. 6. q. 1. cit. p. 5. n. 29.*

II. Duas plenarias Indulgentias uno actu 209
lucrari nemo potest; nam per unam plenariam remittuntur omnes pœnæ, ergo per alteram nil remittitur pœnæ, ergo altera non obtinetur; aut certè utraque simul concurrit ad integrum effectum. Lugo *De Pœnit. disp. 27. num. 91.* Excipe casum, quo causa Indulgentiæ, vel propter suammet exilitatem, vel propter multitudinem peccatorum non esset sufficiens ad omnium remissionem impetrandam, tunc enim verosimile est, utramque Indulgentiam plenariam per exercitium unius operis ita obtineri, & conjungi posse, ut ambæ operentur effectum, quem singulæ non possent; si v. g. una Indulgentia plenaria sit data propter communes Ecclesiæ necessitates, altera ad promovendum hujus, aut illius Sancti cultum. Lugo *num. 91.* quia *in dubio potiùs est accipienda præsumptio, ut actus valeat quàm ut pereat. L.* Quoties. *2. ff. De Reb. Dub.* Estque hæc doctrina vera, etiam quando plures Indulgentiæ non plenariæ incidunt in unum, idémque tempus, nam & illæ, propter indicatas circumstantias possunt convenire & concurrere, ad producendum unum integrum effectum. Lugo *Ibid.*

III. Quando opus, ob quod Indulgentia 210
promittitur certo aliquo die, aut non potest, aut non solet bis in die præstari, ut v. g. Jejunium, Sacrum, Communio &c. potest quis illud semel obeundo, obtinere omnes Indulgentias promissas exercentibus illud opus. Laym. *Lib. 5. Tract. 7. c. 6. n. 6.* Diana *Part. 5. Tract. 12. Resol. 11.* Granadus apud ipsum limitat Laym. ad casum, quo quis tanto fervore opus præscriptum exequitur, ut illo fervore compenset disproportionem intercedentem inter illud opus, cum communi aliàs diligentia factum, & tot Indulgentias.

IV. Qui habet duo numismata prædita iis- 211
dem Indulgentiis, certum est, eum uno actu non lucrari plures Indulgentias, quàm si tantùm unum numisma haberet, nam praxis omnium prudentium declarat, eam non esse Pontificis mentem. Idem dic de illo, qui haberet unam Imaginem, itémque unum numisma, iisdem planè Indulgentiis affecta.

V. Potest quis tanto cum fervore præstare 212
opus designatum, ut uno actu duas Indulgentias, ob diversos titulos promissas lucrifaciat, esto posset pro singulis illarum singulos actus exercere. Hanc responsionem à fortiori tradunt Henriq. *Lib. 7. c. 17. n. 5.* Escobar *n. 50. fin.* Sa *num. 16.* Naldus, Corduba, Graffius, Hostiensis, & alii, quos referunt Diana *loc. cit.* & Bonacina de Sacrament. *Def. q. 1. p. 5. num. 29.* absolutè, & haud dubiè probabiliter docentes, posse per unicum actum obtineri plures Indulgentias. Ratio est, quia cùm Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, sonant autem,

autem, acquiri hanc, & illam Indulgentiam, quoties exercetur hoc, aut illud opus, dicendum est valere saltem in illo casu quem ponimus.

213 VI. Communiter tamen loquendo non solet extra casum *num.* 210. positum obtineri per unum actum multiplex Indulgentia, quia communiter pro actibus non grandibus dantur Indulgentiæ adeò grandes, ut fervor ille, quo cum solent illi actus ab hominibus communiter exerceri, vix sit sufficiens ad singulas Indulgentias, nedum ad plures simul consequendas. Hanc responsionem ut minimùm tenent Suar. *Tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 8. Lugo *D.* 27. *num.* 92. Bonacina *loc. cit.* aliique plures, dum alii illorum absolutè, ut Bonacina, & Palaus *Tract.* 24. *p.* 9. alii extra casus *n.* 209. indicatos negant posse uno opere acquiri plures Indulgentias, partim quia communiter non potest per unum actum satisfieri pluribus legibus, ut argumentatur Bonacina, partim quia opus, quod est uni Indulgentiæ obtinendæ proportionatum, non est proportionatum duabus, ut ratiocinatur Diana.

214 Quæst. LXVIII. *Quænam speciales doctrinæ possint ex responsionibus ad præcedentem quæstionem datis deduci probabiliter?*

RESP. Sequentes. I. Qui habet duo numismata, quorum alterum Indulgentiis Quinque Sanctorum, alterum S. Caroli Borromæi sit prædítum, quoties communicat, orátque pro fidelibus defunctis, potest duas animas liberare è purgatorio, juxta opinionem Henriquez & aliorum relatam *num.* 212. Et, si ille dies, quo communicat, sit Dominica Communionis Generalis, liberabit tertiam animam, modò faciat explicata in *Tract. præc.* seu *De Iubil. q.* 73.

II. Sacerdos habens numisma affectum tam Indulgentiis Quinque Sanctorum, quàm Extraordinariis ab Urbano VIII. aut à Clem. IX. concessis, liberat juxta eandem opinionem Henriq. tres animas è purgatorio, quando Sacrum facit in solemnibus festivitatibus recensitis in Brevi, modò servet duas conditiones in Brevi indicatas.

215 III. Qui in festo Glorioſi Patriarchæ nostri Ignatii pro Indulgentia tunc lucranda communicat, potest statim biduò post, id est secundo Augusti, obtinere Indulgentiam plenariam in festo Portiunculæ, ab ipso Christo Domino Seraphico Patri Francisco concessam, esto non iterum communicet, aut confiteatur, si non sit sibi conscius peccati mortalis. Escobar. *Tract.* 7. *Examine* 5. *num.* 36. loquens in terminis de istis duobus diebus. Vide, quòd in hanc rem dixi *Tract. de Iubil. n.* 182.

216 IV. Quando quis habet vel unam, vel diversas res affectas diversis Indulgentiis, exercétque actum, cui ex diversis titulis debetur diversa Indulgentia, lucratur illam Indulgentiam, ad quam determinavit suam intentionem; si autem non determinavit ad ullam, tum obtinet maximam inter illas, ad quam concurrere singulos titulos censet Bonacina *loc. cit.* Equidem videtur hæc doctrina à simili confirmari, per *L.* Cum pluribus, *ff. de oblig.* ita decernentem: *Si debita sint omnia æqualia, nec quisquam decrevit, cui debito satisfacere velit, censetur omnibus pro rata satisfacere: si autem alterum sit majus, censetur graviori.*

V. Quando Pontifex dicit, se tali loco, aut 217
personæ dare omnes, e. g. Urbis Romæ Indulgentias; hæc aut illa loca, hæ aut illæ personæ, non significant eas posse obtineri actu uno, sed diversis, nisi fortè circumstantia concessionis aliud indicet. Suarez *citat. sect.* 8. *num.* 12.

VI. Sicut in Compendio nostrorum privilegiorum *V. Indulgentia* §. 6. dicitur, nobis toties Indulgentiam plenariam obtingere, quoties Christi Domini, aut B. Virginis coronam recitamus, ita etiam eâdem Indulgentias eodem verbo contentas, itémque Indulgentias Quinque Sanctorum, & alias Reales, Personales lucramur, quoties opera pro iis præscripta rite obimus, modò non apponatur formaliter, vel virtualiter aliqua limitatio, sicuti ponitur formaliter pro Indulgentia in triduò Bacchanalium, & virtualiter, quando Communio, aut Jejúnium præscribitur. Adde, quòd S. D. N. Innoc. XI. declarârit Indulgentias stationum posse tantùm semel in die lucrifieri. Infrà *n.* 709. *In Append. lit. p.*

Quæst. LXIX. *Potéstne quis per diversos* 218
actus adipisci eodem tempore diversas Indulgentias?

RESP. Potest, si illi actus possint simul decenter, & honestè exerceri. Bonac. de Sacram. *D. 6. q.* 1. *p.* 5. *n.* 31. dicens à nemine ante ipsum propositam fuisse hanc quæstionem, eum secutus est Sanctarellus De Jubil. *cap.* 15. *dub.* 2. Ratio est, quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. Hinc qui habet Indulgentias Quinque Sanctorum, obtinet bis remissionem tertiæ partis peccatorum suorum, si, dum audit Sacrum, eliciat actum detestationis suorum peccatorum, invocando unum, aut plures ex illis Sanctis.

At, *Si quis Sodalis Beatissimæ Virginis, ha-* 219
bens Indulgentias earundem Quinque Sanctorum tempore Sacri, in templo Societatis, aut Patrum Carmelitarum, coram Altari, in quo sit Imago S. Ignatii, aut S. Teresiæ &c. sertum Virgineum precando perturrat, ad imitationem S. Ignatii, S. Teresiæ, S. Francisci Xaverii &c. lucrabiturne uno eodémque tempore Indulgentias promissas, tum recitantibus coronam Beatissmæ Virginis, tum septies Pater, & Ave (nam hæc in corona utique continentur) *orantibus, tum pre-*

precantibus in templis Ordinum Mendicantium pro obtinendis Stationum Indulgentiis, tum orantibus ante imaginem unius è Quinque Sanctis, tum audientibus Sacrum, tum facientibus bonum opus ad imitationem unius ex istis Quinque gloriosis Sanctis?

RESP. Non videri dubitandum, nisi de Indulgentiis precantium septem Pater, & Ave, quarum adeptionem in casu posito, malo esse, quàm dicere certam.

Quæst. LXX. *Potéstne eodem die sæpius una,* 220
eadémque Indulgentia comparari, si repetantur præscripta opera?

RESP. I. Quando Indulgentia est annexa visitationi Ecclesiæ, potest quandoque sæpius de die obtineri, quandoque non potest, ut distinctè explicavi *in Tract. de Iubil.* Quintuplici *q.* 57. Et ex illic dictis facilè colliges, communiter satis id fieri posse. Enimvero B. Pius V. Bulla 34. *in Bullario Rodriq.* impertiit Indulgentiam 100. dierum; toties quoties quis in Festo S. Thomæ Aquinatis præter alia visitârit aliquam Prædicatorum Ecclesiam.

RESP. II. Quando Indulgentia offertur ob actiones à visitatione Ecclesiæ differentes, tum si hæ queant ex more Ecclesiæ sæpius intra diem frequentari, & Indulgentia absolutè, & sine restrictione proponatur obeuntibus ejusmodi actiones, vel facientibus tali die illa opera, valde credibile est toties obtineri illam Indulgentiam, quoties eo die talia opera decenter
221 exercentur. Ratio est, quia Indulgentiæ & tantum valent, quantum sonant, & sunt latè interpretandæ. Quia ergo in casu posito non restringuntur ad unam vicem in vita, Anno mense, die, sequitur posse sæpius in vita, Anno, mense, die, comparari. Quod quidem maximè in Partialibus habere locum rectè observat Rheita; sed *n.* 349. explicabo, quomodo id ipsum de Plenariis convenienter dici queat, & *Part.* 2. *c.* 17. quomodo specialiter de Indulgentiis S. Franc. Xaverii.

221 Quamquam non ignoro, Sixtum IV. Bulla 36. apud Rodriq. *in Bullar.* sanxisse, ut quando Festum Annuntiationis celebratur aliqua quadragesimæ Sabbati die, unam illarum Indulgentiarum Plenariarum, quas visitantes Ecclesiam B. Mariæ Virginis de Popolo, poterant lucrari ratione tam Sabbati Quadragesimalis, quàm Festi, obtineant Dominico die sequenti. Lege S. Thom. *dist.* 20. *q.* 3. *art.* 2. Navar. *De Indulg. Not.* 31. *n.* 37. Regin. *Tract.* 7. *n.* 155. dicentes, Indulgentias perennes posse sæpius de die obtineri; intelligendo per *perennes* illas, quæ non dantur pro determinato, brevíque tempore.

CAPVT XIX.

De æquali, vel inæquali participatione Indulgentiarum.

SUMMARIUM.

An, & quatenus omnes exequentes opera injuncta, potiantur æquali fructu Indulgentiæ? 223. *& seqq.*

Quid si opus præcisè sumptum non sit sufficiens consequendæ toti Indulgentiæ? 227.

Quid si totum perficias, at tepidè, an tantum lucraberis, quantum is, qui fervidè? 231. & 232.

Qualem fervorem, seu devotionem exigant communiter Pontifices? 233.

Corollaria ex dictis. 237.

An præscriptam peregrinationem perficiens æquè multum lucretur, ac perficiens pedibus? 238.

Quid agendum, quando magnæ Indulgentiæ dantur pro opere, quod prudentes judicant esse improportionatum? 239.

Quæst. LXXI. *Omnésne opera præscripta per-* 223
ficientes consequuntur æqualem fructum Indulgentiæ?

RESP. I. Si unus impleat integrè opus præscriptum, alter non impleat, iste nihil, ille totam Indulgentiam, vel partem illius acquirit, juxta dicta suprà *Cap.* 17. & paulò pòst dicenda.

II. Quando opus injunctum, aut finis Indul- 224
gentiæ non est sufficiens causa tantæ Indulgentiæ, nisi fiat cum excellenti fervore, aut cum alia excellente circumstantia, non lucrantur æqualem Indulgentiam, qui illud opus cum admodum inæquali fervore perficiunt, nam qui majorem fervorem adferunt, adferunt quoque causam magis proportionatam majori Indulgentiæ. Navarrus *de Indulg. Not.* 15. & Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *Part. disp.* 52. *sect.* 8. *n.* 4.

III. Quando opus injunctum præcisè consi- 225
deratum, prout in concessione Indulgentiæ postulatur, complet omnino sufficientem causam ad obtinendam totam Indulgentiam, quæ promittitur, tunc in omnes, qui omnes præscriptas conditiones implent, derivatur æqualis effectus, & fructus Indulgentiæ. Suarez *loc. cit.* nam non habemus rationem asserendi, Pontificem in prædicto casu velle, ut vel qui ferventissimè illud opus exequitur, acquirat Indulgentiam majorem illâ, quæ proponitur, vel qui tepidè facit, non fiat compos totius illius, quæ proponitur.

IV. Hæc doctrina intelligenda est de æqua- 226
litate formali, non autem materiali. Suarez *Ibidem*, quia tunc adest æqualitas Formalis, quando singuli obtinent Indulgentiam, sub

illa ipsa forma, quæ nominatur, v. g. plenariam, 10. annorum, tertiæ partis peccatorum &c. Tunc autem adest æqualitas materialis, quando reipsa tantæ pœnæ remittuntur uni, quantæ singulis; quod quidem tunc solùm fit, quando singulis remanent pœnæ arithmeticè æquales. Et verò hoc nunquam contingere videtur, nam non videtur unquam fieri, ut unusquisque illorum, qui aliquam Indulgentiam lucrantur, tantam pœnam debeat DEO, quantam alter, ergo si unusquisque potiatur Indulgentia, non acquirent in casu, quem pono, singuli Indulgentiam æqualem materialiter, sed tantùm formaliter. Quodsi contingat, ut quis non habeat tantùm pœnæ luendum, quantum exprimitur in Brevi, ut quando datur Indulgentia 100. Annorum, & ipse non habeat reatum pœnæ 100. Annorum alii autem habeant, tum ille consequetur Indulgentiæ fructum, aliorum fructui æqualem in actu primo, non autem in actu secundo.

227 V. Si fortasse opus, quod injungitur, præcisè sumptum non sit sufficiens ad complendam causam Indulgentiæ adæquatam, tunc fieri potest, ut aliquis perficiens tale opus non consequatur totum Indulgentiæ effectum, & consequenter ut alius majore devotione, aut frequentia efficiens tale opus, majorem remissionem consequatur, ac denique ut augendo bonitatem, & circumstantias operis tandem obtineat totum effectum. Ita loquitur Suar. *cit. n.* 4. quem sequitur Coninck *Tom.* 2. *disp.* 12. *n.* 34. & 35. Navarrus *cit. Not.* 15. per totum. Consentit Palaus *Tract.* 24. *p.* 9. addens, quòd opus præcisè sumptum communiter sufficiat ad totam Indulgentiam.

228 VI. Hinc, quando opus pro Indulgentia requisitum est eleemosyna, tum si erogatio etiam minimæ eleemosynæ sufficienter complet totam causam Indulgentiæ, consequetur totam Indulgentiam æquè ille, qui parum, quàm qui multum tribuit, ut patet ex doctrina *n.* 124. allata, & communissimè recepta; si verò erogatio minimæ eleemosynæ non complet integrè causam Indulgentiæ, nec facit illam huic proportionatam, tum qui majorem eleemosynam tribuit, plus quoque de Indulgentia consequitur. Suar. *n.* 5. satis apertè, & sequitur ex doctrina *numeri* præcedentis.

229 VII. Secundùm sensum, in fine proximi numeri indicatum, videtur locutus fuisse S. Th. *in* 4. *dist.* 20. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 3. ita differens: *Quando datur Indulgentia indeterminatè, v. g. qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium, quod sit conveniens ei, qui auxilium dat, & secundùm illud plus, vel minus de Indulgentia consequetur. Unde aliquis pauper dans unum denarium, consequetur totam Indulgentiam, non autem dives, quem non decet ad opus tam pium & fructuosum dare tam parum, sicuti non diceretur Rex alicui homini auxilium dare, si ei obolum daret.* Quæ S. Thomæ doctrina, etsi fortè non est vera in illa universitate, in qua proponitur, attamen dubium non est, quin sæpe sit vera, ut etiam admittit Suar. *n.* 6.

VIII. Secundùm eundem sensum intelligunt Navarrus *cit. Not.* 15. *n.* 4. & Coninck *Tom.* 2. *disp.* 12. *n.* 34. Bonifacium VIII. dum in *Extrav.* Antiquorum, *de Pœnit. & Remiss.* loquens de Indulgentia plenaria, quam pro Anno Jubileo Anni M. CCC. concedebat visitantibus Ecclesias Romanas, ait: *Unusquisque autem plus merebitur, & Indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ampliùs & devotiùs frequentabit.* Quæ verba, inquit Coninck, 231
„ quantumcunque aliqui conentur ea aliter in-
„ terpretari, non videntur commodè admittere
„ alium sensum, nisi dicamus fieri posse, ut te-
„ pidè frequentantes Basilicas, non lucremur
„ plenarias omnino Indulgentias aliàs has de-
„ votiùs visitantes, non possent illas efficaciùs
„ lucrari. Unde patet, plenarias Indulgentias
„ ita intelligi concedi, ut illi, qui pro magnitu-
„ dine pœnarum, quas debent, ferventer etiam
„ opera præscripta obeunt, omnium pœnarum,
„ quas debent, remissionem consequantur, alii
„ autem proportionaliter, aut omnium, aut par-
„ tis debitarum remissionem percipiant, secun-
„ dùm proportionem pœnarum, quas debent, &
„ devotionis, qua opus præscriptum obeunt,
„ respectu quorum etiam dicuntur Plenariæ,
„ qui tantas lucrantur, quantas ex plenaria po-
„ testate Pontificis, spectata hac causa, & cir-
„ cumstantia operis, potest eis concedere. Idem
„ etiam proportionaliter de aliis multorum An-
„ norum Indulgentiis dicendum est. Nullus ta-
„ men tantus potest esse peccator, in quo non
„ possint habere integrum effectum, si cum de-
„ bita dispositione, & proportionata devotione
„ injuncta opera faciat.

Hactenus Coninck, in quo mihi tria non 232
satis probantur. Primum, quòd Indulgentiam etiam Jubilei putet à gravibus peccatoribus non obtineri, nisi præscripta opera obeant ferventer, nam contrarium ostendi *in Tract. de Iubileo. n.* 119.

Alterum, quòd putet allata verba Bonifacii VIII. non posse aliter, quàm ipse exponat, explicari; nam utique possunt aliter exponi, ut ostendit Suar. *cit. sect.* 8. *n.* 8.

Tertium, quòd insinuet, omnes Indulgentias etiam plenarias ita concedi, ut multitudo peccatorum possit impedire, quò minùs uni, aut pluribus omnes omnino pœnæ remittantur per Indulgentiam, quantumvis plenariam. Etenim verosimilior, & persuasioni fidelium conformior est doctrina, quam tradit Filliucius mox citandus.

Quæst. LXXII. *Quandoquidem dictum* 233
est, quandoque ex diversitate devotionis, qua opus

opus præscriptum perficitur, oriri diversitatem, & inæqualitatem in participatione Indulgentiæ; qualem devotionem communiter attendit Pontifex concedens Indulgentiam? attenditne summam, an mediocrem?

RESP. I. Attendit communiter illam solam devotionem, & fervorem, cum quo solent communiter opera præscripta peragi à fidelibus, aliquo modo seriam salutis rationem habentibus. Ita censet Filliucius *Tract.* 8. *n.* 126. Probatur ex communi persuasione bonorum Christianorum, & Confessariorum, qui censent communiter, obtineri totam Indulgentiam, ut sonat, etiam ab illis, qui non summo cum fervore peragunt preces, peregrinationes, Sacras Communiones, Sacrificia &c. quod etiam de tepidè obeuntibus censet Suarez & Palaus post Sotum *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *a.* 3. *Concl.* 2.

234 II. Quapropter communiter loquendo, qui opus præscriptum obit cum fervore, bonitate, & diligentia mediocri, consuetáque hominibus, suæ animæ curam aliquo modo seriam habentibus, consequitur (modo aliunde non sit defectus) totam Indulgentiam propositam, seu paucas, seu multas pœnas dependendas habeat, ut nominatim de Jubilei Indulgentia *in cit. Tract. n.* 119. docui post Filliucium *n.* 127. Si verò non accedat ad prædictam mediocritatem, non quidem penitus carebit fructu Indulgentiæ, sed tantò minùs de illa accipiet, quantò magis recedet à fervore mediocri. Filliucius *Ibidem.*

235 III. Et verò testatur Navarrus Commentario *de Indulg. & Iubil. cit. Not.* 15. *n.* 4. omnes transire cum Innocentio, asserente de Indulgentia generaliter ob aliquid concessa, alterum plus, alterum minus, ultra metam à Prælato concessam, quærere posse, prout alter vel plùs, vel minùs laborat, vel majoribus periculis se objicit. Quæ Innocentii doctrina non est utique de omni Indulgentia intelligenda, ut demonstrant rationes, quas Suarez *cit. sect.* 8. valde benignus, & liberalis, uti & Palaus adfert, sed de illa sola, de qua specialiter vult Prælatus suam concessionem cum illa modificatione intelligi.

236 IV. Et quamvis non incredibile sit, ita specialiter voluisse Bonifacium VIII. *quæst. præc.* relatum, intelligi, & modificari illam Indulgentiam Jubilei, quam tunc concessit, sicuti & propter authoritatem S. Thomæ ibidem adductam probabile est, ita sæpe, aut communiter modificandas, restringendas, ampliandásque esse Indulgentias, quæ offeruntur dantibus auxilium ad fabricam Ecclesiæ, seu Basilicæ, nequaquam tamen est universim dicendum, quòd Indulgentiæ pro Jubileo, pro peregrinationibus, pro eleemosynis &c. promissæ habeant prædictam modificationem, sed potiùs asserendum id, quod cum Filliucio dixi *n.* 233. & declarabunt Corollaria, quæ mox subjiciam.

Quæst. LXXIII. *Quænam speciales doctrinæ* 237
colliguntur ex dictis ad utramque præcedentem quæstionem?

RESP. Sequentes I. Corollaria, quæ suprà *cap.* 8. ex Navarro retuli, etsi omnia contineant probabilem doctrinam; attamen rectiùs limitantur secundùm doctrinam in præced. *quæst.* traditam.

II. Qui pro Jubilei, aut alia Indulgentia obtinenda, jejunat in pane, & aqua, non acquirit communiter Indulgentiam formaliter majorem, quàm is, qui more Ecclesiastico jejunat, nam Pontifices communiter in imponendo jejunio, habent rationem solius modi, quem in jejunio solent communiter observare viri bonæ conscientiæ.

III. Falsa est doctrina, quam nonnemo apud 238
Benzonium de Jubil. *Lib.* 5. *dub.* 22. tradit, scilicet illum, qui sano corpore est, si curru, aut equo peregrinationem injunctam obeat, non lucrari Indulgentiam; nam Pontifex proportionem peregrinationis cum Indulgentia non solet taxare ex circumstantia itineris pedestris, aut equestris, imò neque ex distantia; unde communiter loquendo, tam multum lucrantur illi, qui sunt proximi loco pro peregrinatione destinato, quàm qui remotissimi.

Quamquam fateor, Bonifacium VIII. *in Extrav.* Antiquorum, *De Pœnit. & Remiss.* ejúsque Successores noluisse Romanis, Romanas Ecclesias visitantibus dare Indulgentiam, quam dederunt exteris, nisi ipsi sæpius, quàm exteri illas visitarent, id est, trigesies. Fateor etiam, illos, qui pedites, aut remotiori ex loco peregrinationem perficiunt, plus apud Deum (cæteris paribus) mereri ex opere operantis.

IV. Quando magnæ Indulgentiæ dantur 239
pro opere, quod judicio virorum prudentium, non est, si præcisè sumatur, proportionatum Indulgentiæ, non debet penitus rejici illa Indulgentia, sed cogitari, eam integrè, vel saltem ex parte posse obtineri, si magno, & singulari cum fervore peragatur illud opus; nam voluntas Principis nunquam debet frustrari, nec inefficax reddi. DD. communiter cum Suar. *Lib.* 8. *De Legibus c.* 28. *n.* 2. sumitúrque apertè ex *Cap. In his, De Privilegiis.*

V. Sæpissime fit, ut unus non plus formaliter 240
obtineat de Indulgentia, quàm alius, sæpe tamen è contrario fit, ut ob fervoris intensionem, debitarúmque pœnarum exiguitatem, consequatur quis Indulgentiam plenariam integrè, alius autem tepidior, aut majori pœnæ obnoxius obtineat vix semissem, alius trientem, alius quadrantem, Navarrus in cit. Commentario *Notab.* 15.

CAPVT XX.

An spes, aut adeptio Indulgentiæ eximat ab obligatione pœnitentiæ Sacramentalis.

SUMMARIUM.

Quid censendum de pœnitentia Sacramentali omittenda ob adeptionem Indulgentiæ? 241. & seq.
Estne ita facile lucrari Indulgentiam, ut Confessor, aut Confessus possit communiter, vel sæpe minuere pœnitentiam intuitu Indulgentiæ? 243.
Nemo potest esse certus de obtenta Indulgentia. 245.
At sæpe perquam probabiliter credere, se adeptum esse. 246.
Navarrus timet, ne sit verum pronunciatum Glossæ, quod scilicet pauci lucrentur Indulgentias. 247.

241 Quæst. LXXIV. *Quid censendum de pœnitentia Sacramentali omittenda, vel perficienda tempore Indulgentiarum?* E. G. Potest quis hodie ratione vel Congregationis, cui est inscriptus, vel benedicti Numismatis, vel certi cujusdam dici, & templi, obtinere Indulgentiam aliquam, *licètne tam Confessario, qui hanc occasionem novit, omittere injunctionem pœnitentiæ Sacramentalis, quàm ipsi pœnitenti illius executionem?*

242 HAnc quæstionem in terminis, fusè & distinctè resolvi in præced. Tract. *de Iubil. n.* 170. *& seqq.* ubi respondi affirmativè, & addidi quid remedii ex allatis illic doctrinis, dandum sit pœnitenti de gravitate pœnitentiæ conquerenti?

243 Quæst. LXXV. *Estne ita facile Indulgentias lucrari, ut pœnitens, aut Confessarius possit frequenter existimare, illas reipsa esse obtentas, aut obtentum iri?*

RESP. I. Quando pauca, eáque facilia opera præscribuntur (ut ferè hoc tempore contingit) facilè est consequi Indulgentiam; secus quando multa, aut difficilia, ut fit in Jubileis.

244 II. Itaque quando multas, & difficiles conditiones oportet implere, communiter non sine ratione dubitatur, an obtenta sit Indulgentia, quia non sine causa dubitatur, an sint omnia opera mandata executioni præsertim quando quis, in illis operibus exercendis, secutus est opinionem minùs tutam, esto probabilem.

245 III. Sive multæ, sive paucæ conditiones præscribantur, nunquam tamen tibi certò, & infallibiliter persuadere potes, te reipsa consecutum esse Indulgentiam. Ratio, præter alias, est hæc, quia vel nescis, *utrùm odio, an amore dignus sis? Eccles.* 9. cùm tamen gratiam esse fundamentum Indulgentiæ, constet ex dictis *suprà quæst.* 43. vel certè non es certus, utrùm causa Indulgentiæ sit sufficiens.

IV. Non tamen inficiamur, quin sæpe possit 246
quis perquam probabiliter existimare, se Indulgentiâ potitum. Quidni enim sæpe quis absque temeritate confidat, se immunem esse à noxa lethali? DD. *in materia de justificatione*, & nominatim Arriaga *Tom.* 4. *disp.* 49. *sect.* 2. *& 3.* Item se perfecisse opus præscriptum, & præscriptum ob causam sufficientem? Itaque illud dubium, de quo *in Resp.* 2. sum locutus, non excludit communiter probabilem, & prudentem persuasionem de Indulgentia reipsa obtentâ.

V. Quia tamen, ut ex hactenus dictis con- 247
stat, & ex infrà dicendis constabit, tam pauca de Indulgentiis, secundùm specificas, vel individuales rationes, circumstantias, & conditiones consideratis, certa, & explorata habentur, ideo crebrò illi sibi malè consulunt, qui spe Indulgentiæ obtinendæ, vel obtentæ, negligunt opera pietatis. Bonacina, Reginaldus, & alii *locis suprà citatis.* Vide Religiosissimum Navarrum *de Indulg. Not.* 17. probantem, se non immeritò dubitare, ne plùs satis verum sit id, quod ait Glossa singul. *Clem. I. De Reliq. & Venerat. Sanctorum*, scilicet paucos Indulgentiam consequi. Quo etiam loco oratorie ostendit, actum contritionis, & veræ pœnitentiæ, quæ ad Indulgentiam juxta suprà dicta *n.* 160. necessaria est, non tam facilè elici, ac existimavit Felinus *Sermone de Indulgentiis.*

CAPVT XXI.

An quis suam Indulgentiam alteri donare, aut opus pro Indulgentia præscriptum vice, seu loco alterius implere possit.

SUMMARIUM.

Rarò, vel nunquam fit potestas donandi alicui vivo suam Indulgentiam. 249.
Qua ratione possit, aut debeat quis peragere opera loco alterius? 250. & seqq.
An qui ea peragit loco alterius, debeat esse in statu gratiæ: 253.
An ea exequi sine peccato? 254.
Quid requiratur ad id, ut quis vere, propriéque censeatur loco alterius obire opera injuncta? 255.
Qualis voluntas hic desideretur? 256.
Quænam cognitio hic exigatur? 257.

Quæst.

248 Quæst. LXXVI. *Cùm Suarez disp.* 50. *& alii rectè doceant, illum etiam onere pœnitentiæ liberum esse, pro cujus peccatis alius satisfecit, estne hoc quoque extendendum ad casum, quo quis suam alteri Indulgentiam donavit?*

RESP. I. Si Pontifex fecit potestatem applicandi, donandique alteri suam Indulgentiam, tum etiam ad hunc casum extendi potest superior doctrina, nam dubitari non debet, quin Pontifex possit ejusmodi facultatem, & potestatem concedere. Suarez *Tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 7. *n.* 6.

II. Si non fecit Pontifex ejusmodi potestatem, tum frustra quis alteri suam Indulgentiam donat, vel applicat, cùm ne quidem defunctis possint applicari sine potestate Pontificis, ut ostendam *infrà n.* 264. post S. Thom. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 5. *q.* 3. *ad* 2.

249 Et verò vel rarò, vel nunquam extra casum *n.* 110. indicatum contingit, ut Prælatus det potestatem applicandi, aut donandi alteri vivo Indulgentiam, eò quòd vivi possint per semet satisfacere; atqui *indignus est alienâ ope, qui sibi non vult opitulari, cùm possit. L.* Bona fides. *ff. De Depositi.* Cæterùm an, & quomodo possit quis alteri dare intentionem Indulgentiarum, explicavi *Cap. IX.* sed aliud est dare, aut donare intentionem Indulgentiæ, aliud applicare Indulgentiam, seu fructum ipsius Indulgentiæ.

III. Tunc non datur potestas transferendi Indulgentiam in alium, quoties in formula ponuntur hæc verba: *Quicunque fecerit hoc, aut illud, habebit tantum de Indulgentia:* datur autem, quando ita dicitur: *Quicunque fecerit hoc vel illud, ipse & pater ejus, vel quicunque alius adjunctus, in purgatorio detentus, habebit tantum de Indulgentia.* Sic docet S. Thom. *cit. loc. dist.* 45.

IV. Si quo casu ponamus dari potestatem applicandi suam Indulgentiam alicui viventi, potest applicari illi, nil de hac applicatione scienti, ut rectè *loc. cit. n.* 7. ex doctrina communiter recepta de applicatione bonorum operum.

250 Quæst. LXXVII. *Qua ratione potest, aut debet quis, loco alterius opera præscripta exequi?*

Præter ea, quæ ad hanc quæstionem dixi *num.* 204.

RESP. I. Etsi dubium non est, quin Papa possit tanquam necessariam conditionem apponere hanc, ut scilicet eleemosynam, quam ipse præscribit, det quis per seipsum, & non tantùm per famulum, communiter tamen non solet pro hoc opere istam conditionem exigere, & proinde nisi expressè ea ponatur in formula Indulgentiæ, censenda est non esse necessaria. Ita testatur Suarez *cit. disp.* 52. *sect.* 7.

251 II. Quamvis rectè observet S. Thom. *loc. cit.* non repugnare, quò minùs alia opera, v. g. visitationem ægrorum, aut Ecclesiæ: orationem, & similia possit Pontifex exigere, ut tamen permittat ea fieri per alium à lucrante Indulgentiam distinctum, id valde rarò contingit, & tunc solùm (arbitro Suar. *cit. sect.* 7.) censetur permittere, quando in forma Indulgentiæ ponit hæc, aut similia verba: *Qui per se, vel per alium fecerit hoc, aut illud opus, obtinebit hanc, aut illam Indulgentiam.* Ratio autem, cur Pontifex communiter permittat eleemosynam fieri per alium, non item communiter id permittat de jejunio, precibus, & similibus, est, quia quando famulus v. g. jussu domini sui erogat eleemosynam, erogat illam tantùm ministerialiter, & ut instrumentum, estque erogatio eleemosynæ ejusmodi actio, ut secundùm morale, prudénsque hominum judicium, tribuatur potiùs mandanti dari eleemosynam, quàm eroganti ex alterius demandatione, dicitúrque dominus facere, & dare eleemosynam, non autem famulus.

At verò posteriores actiones, ut jejunium, 252
& oratio, sunt ita actiones personales, ut eam solam personam denominent orantem, jejunantem &c. quæ illas immediatè, & proximè exercet, eique suam propriam, formalémque bonitatem, ac honestatem tribuunt; quia igitur Pontifex imperans pias actiones vult, ut illarum bonitas, honestásque redundet propriè in eum, cui largitur Indulgentiam, idcirco non solet permittere, ut lucraturus Indulgentiam oret per alium, visitet ægros per alium &c.

III. Casu, quo permittit Pontifex, ut hæ 253
ipsæ actiones fiant per alium, non est dicendus hic alius lucrari Indulgentiam, & donare seu applicare alteri, sed ille solus propriè obtinet, acquirítque Indulgentiam, cujus loco oratur, jejunatur &c.

IV. Sicuti teste Suar. *loc. cit. num.* 2. ex omnium sententia certum est, domino, qui demandat eleemosynæ erogationem, nil obesse, etsi famulus, qui ejus jussu erogat, sit in statu peccati mortalis, ita etiam valde probabiliter contra Cajet. & Sotum *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *a.* 3. docet Adrianus, nil obesse etiamsi posterioris generis actiones, quas nomine, & loco alterius quis exercet, exerceat in peccato mortali, sed sufficit, modò is, cujus nomine illa actio exercetur, sit tunc in statu gratiæ, cùm fructus Indulgentiæ percipiendus est. Suar. *Ibid. num.* 4.

V. Addit idem Suar. nil referre, etsi is, qui tuo 254
loco facit opus pro Indulgentia præscriptum, peccet in illo perficiendo, modò revera faciat opus ex suo genere honestum. At consequenter ad ea, quæ *suprà n.* 201. dixi, existimo, vel in hoc, vel in te, cujus loco, & nomine perficitur opus, necessariam esse illam bonitatem, quam *cit. n.* 201. requiri censui. Loquor autem

tem de illis actionibus personalibus, quæ propriè denominant personam, à qua immediatè exercentur, juxta dicta paulò antè.

255 Quæst. LXXVIII. *Quid necessarium est ad id, ut quis verè, propriéque censeatur meo loco, & vice mea peregrinari, eleemosynam dare &c.*

RESP. Requiritur, ut aliquo modo ex voluntate meâ peregrinetur, eleemosynam det &c. Ita generatim docet Suar. *loc. cit. n. 5.*

Ratio est, quia non loquimur hîc de actionibus, quas loco meo ita quis exercet, ut per eas velit sibi comparare Indulgentiam, eámque mihi donare, sed de iis, per quas ego directè, primariò, & immediatè lucror Indulgentiam; atqui per eas non possum lucrifacere Indulgentiam, nisi procedant aliquo modo ex mea voluntate, tum quia debent me aliquo modo denominare *peregrinantem, jejunantem, dantem eleemosynam*, argum. Regulæ 68. *in 6. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*; tum quia is, qui loco meo illas actiones exercet, est quasi instrumentum meum; atqui instrumentum, ut instrumentum, non operatur, nisi motum à causa principali, non movetur autem instrumentum ejusmodi, nisi per voluntatem causæ principalis, cùm sit instrumentum morale causæ moralis, omnis autem moralitatis principium sit voluntas, ut patet ex S. Thom. *in 3. dist. 24. q. 1. art. 1. quæst. 2.*

256 At inquies: *Quænam voluntas hîc exigitur?*

RESP. Non requiritur voluntas formalis, & expressa, sed sufficit virtualis, implicita, tacita, interpretativa, & habitualis. Ita haud dubiè sentit Sotus, dum teste Suar. *cit. n. 5.* docet me censeri sufficienter dare eleemosynam pro Indulgentia præscriptam, si tu illam des pro me omnino ignorante. At dissentiunt Suarez, & Lugo mox citandi. Probo responsionem, quia voluntas tacita, implicita, interpretativa, & habitualis sufficit, ut plurimi alii effectus absolutè dicantur esse mihi voluntarii, seu provenire à mea voluntate, ergo etiam hîc sufficiet. Antecedens declaratur ex iis, quæ Doctores tradunt de Religioso ex interpretativa voluntate Superioris aliquid accipiente, de populo ex tacita Principis voluntate consuetudinem obligatoriam introducente, de Epiikia, de Mandatario, Procuratore; Ignorantiâ, contractum vel votum infirmante; Tacita approbatione; Sacrificii sibi, vel alteri factâ applicatione; Moribundo sensibus destituto, cui, etsi non petierit, administratur viaticum, & extrema unctio; Generali se per propria, alienáve pia opera juvandi, quoad fieri potest, voluntate &c. Adde, quòd efficax intentio lucrandi Indulgentiam sit implicita, & virtualis voluntas, & desiderium, ut quis pro me obeat illa opera, quæ ego obire nequeo.

RURSUM INTERROGABIS, *Quænam cognitio sit hîc necessaria?*

RESP. Etsi Suarez *loc. cit.* Lugo *dub. 27. n.* 257
117. Diana *Resol. 11.* requirant actualem, & satis expressam, ego tamen cum Soto judico, non esse necessariam; quandoquidem non requiritur cognitio nisi proportionata voluntati, cùm ergo ostenderimus non exigi voluntatem actualem, & expressam, sequitur nec exigi cognitionem expressam. Sufficit ergo talis cognitio, qualem mitiores Doctores exigunt ad id, ut Legislator censeatur approbare consuetudinem à populo introduci cœptam; atque adeò sufficit illa, qualquis novit posse, aut solere fieri, ut unus Christianus alterius etiam non cogitantis causam spiritualem agat apud Deum, ejúsque vices obeat. Vide plura hanc in rem *in Tract. De Iubil. c. 29. num. 216.*

CAPVT XXII.

Quomodo, & quibus concedatur, ac prosint Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

Indulgentiæ solent concedi duplici modo. 258.
Conceduntur & homini pro se, & rebus aliis propter hominem. 259.
Cui competit ordinaria potestas largiendi Indulgentias, potest sibi ipsi largiri. 260.
Et quidem id potest facere triplici modo. Ibid. & seqq.
Potest & Catechumenis, excommunicatisque. 262.
Defunctis qua ratione possit impertiri Papa? 263.
Ille solus pollet hac potestate. 264.
An quis valide possit defunctis applicare suam Indulgentiam, propria authoritate? Ibid.
An quando conceduntur, tibi omnes Indulgentiæ alicujus Ecclesiæ, hoc ipso etiam donentur Indulgentiæ ejusdem Ecclesiæ applicabiles defunctis? Ibid.
Indulgentiæ mere personales non solent esse applicabiles defunctis. 266.
An possis applicare defunctis alteram Indulgentiam, quam forte lucratus es obeundo secunda hebdomade Iubilei rursum omnia opera præscripta? Ibid.

Quæst. LXXIX. *Quomodo solent concedi In-* 258
dulgentiæ?

RESP. Generatim hoc duplici modo; immediatè, & mediatè. Nam Prælatus e. g. Pontifex quandoque, imò plerumque immediatè, seu sine ministerio ullius delegati impertit alicui relaxationem pœnæ temporalis, ut e. g. fit in Indulgentiis obtineri solitis per

per visitationem templorum, per recitationem Rosarii &c. Aliquando autem largitur hanc gratiam per suum delegatum, ita ut delegatus loco Papæ propriè, & immediatè remittat pœnas in foro Dei debitas, e.g. in articulo mortis, quando in formula Indulgentiæ præscribitur, ut ea moriturienti applicetur per Confessarium, quemadmodum explicabo *n. 626.* Indulgentiam, quæ primo modo conceditur, vocat Suarez *Tom. 4. in 3. Part. disp. 56. sect. 1. num. 2.* Indulgentiam Latam; Ferendam verò vocat illam, quæ datur secundo modo; & utitur his duobus vocabulis ad imitationem divisionis, qua censura dividitur in Latam, & Ferendam.

259 Quæst. LXXX. *Conceditúrne soli homini Indulgentia, an etiam templis, Imaginibus &c?*

RESP. Certum quidem est, soli homini ipsum Indulgentiæ effectum concedi; sicuti tamen interdicto Ecclesiastico dicitur tum homo, tum templum, & urbs aliqua subjici, eámque ob rem interdictum dividitur in Personale, & Locale, ita etiam licèt ipse Indulgentiæ effectus soli homini prosit, attamen non malè dicitur, non modò homini, sed etiam templo, & imagini alicui concedi Indulgentiam, templo, inquam, & imagini, non quidem propter se, sed propter hominem, ita ut templo, & imagini inhæreat ipsa Indulgentia, attamen in ordine ad personas in illo templo oraturas, illa re usuras &c. homini autem ipsi, propter se inhæreat Indulgentia, ejúsque favor. Hinc orta divisio Indulgentiæ in Localem, Realem, Personalem, quas species explicabo infrà.

260 Quæst. LXXXI. *Potèstne quis sibi ipsi Indulgentiam impertiri?*

RESP. Potest. Ita S. Thom. *in 4. dist. 20. a. 5. q. 4.* cum aliis. Ratio est, quia *cui conveniunt verba dispositionis, debet convenire dispositio, L. 4. §. Toties. ff. De dam. infect.* Atqui verba Bullæ concedentis Indulgentias jejunantibus, orantibus &c. etiam illi, qui concessit, conveniunt jejunanti, oranti &c.

Potest autem quis sibi ipsi Indulgentiam largiri tribus modis, quos post Suar. *disp. 52. sect. 1. n. 14. & seqq.* explicat Filliuc. *Tract. 8. n. 231.* I. Ita, ut Prælatus suo v.g. Confessario dicat: *Do tibi potestatem, ut mihi impertiaris Indulgentiam*, sicuti Episcopus dat suo Confessario potestatem eum absolvendi ab hac, aut illa censura.

261 II. Ita, ut Indulgentiam directè quidem det Prælatus illi Communitati, cujus est ipse pars, indirectè tamen, & consequenter redundet in ipsum. Et tunc si Indulgentia non prodest Prælato per modum Absolutionis, prodest saltem per modum Solutionis. Nec est necesse, ut opus generaliter præscriptum exequatur ipse, sed potest, ea in re, secum ipse dispensare. Escobar in Summa *Tract. 7. Exam. 5. n. 48.*

III. Ita, ut directè ac primariò tribuat sibi ipsi, vel soli, vel unà cum aliis Indulgentiam; aut per modum solius solutionis, ut vult Lugo *Tom. 3. in 3. Part. disp. 27. n. 6.* aut absolutionis, ut volunt citati, ideo quòd sicuti Prælatus potest secum ipse directè, & immediatè dispensare in voto, ita & sibi immediatè dare Indulgentiam. Nec obest, quòd *suprà n. 82.* ex communi dixerim, neminem nisi subdito posse largiri Indulgentiam, nemo autem sit sibi ipsi subditus, nam respondent non irrationabiliter citati cum Rosello *de Indulg. num. 457.* Prælatum ut hominem, & peccatorem subesse suæ dignitati. Sed hunc modum non admittit Jordanus Episcopus elucubrat. *To. 1. Lib. 5. Tit. 16. n. 46.* & utique duo priores modi sunt certiores. Vide Marth. Coronam de dignit. Episc. *Tract. 2. cap. 10.*

Quæst. LXXXII. *Possíntne Indulgentiæ im-* 262
perti Catechumenis, Excommunicatis, & Defunctis?

RESP. I. Posse probabiliter concedi, & prodesse Catechumenis, & Excommunicatis, dixi *suprà n. 145.*

II. Defunctis possunt concedi Indulgentiæ, saltem mediatè, ita videlicet, ut quis vivus lucretur Indulgentiam, atque eam applicet, seu donet defuncto. Patet tum ex Communi consensu omnium recentiorum Doctorum contra Hostiensem, Gersonem, & Gabrielem apud Suar. *disp. 54. sect. 1.* planè improbabiliter dissentientes, & seipsos postmodum corrigentes; tum ex variis Bullis, aut Brevibus Pontificiis, in quibus expressa fit potestas applicandi per modum suffragii Indulgentiam defunctis.

III. Non possunt defunctis directè, imme- 263
diatè, & principaliter Indulgentiæ ullæ concedi juxta S. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. a. 3. q. 2.* Bellarm. *c. 4.* Lugonem *cit. disp. 27. n. 62.* dicentem, contrarium esse inauditum in Ecclesia. Possunt juxta Suar. *disp. 54. sect. 3. n. 14.* Filliucium *Tract. 8. n. 209.* Navarrum *de Indulg. & Iubil. Not. 22. n. 33.* testantem reipsa fuisse quosdam Pontifices usos hac potestate erga nonnullos defunctos, de Sede Apostolica olim bene meritos. Quidquid de hac controversia sit, asserendum est, defunctos non subesse jurisdictioni Ecclesiæ.

IV. Nequit ullus Papâ inferior impertiri 264
defunctis Indulgentiam. Corduba *q. 19.* Navarrus *Not. 22. n. 4.* argum. *Cap. Quòd autem, De Pœnit. & Remiss.* ubi dicitur Episcopos non posse dare Indulgentias, nisi suis subditis; atqui defuncti non sunt iis subditi.

V. Defunctis suam Indulgentiam nemo validè (authoritate Pontificia) applicat, nisi in formula, seu Bulla Indulgentiæ fiat expressa

facultas hujus applicationis. S. Thom. *in 4. dist.* 45. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 2. nam Indulgentiæ plus non valent, quàm sonent. Nec sufficit, quòd in formula dicatur, hanc aut illam Indulgentiam concedi *omnibus Fidelibus*, nam usus fidelium docet, hoc vocabulo vel absolutè, vel saltem in hac materia prolato, designari solos vivos; ut ergo designentur defuncti, oportet illos exprimere. Suar. *disp.* 53. *sect.* 1. *n.* 7. Bonacina de Sacram. *disp.* 6. *q.* 1. *p.* 6. Sanctarellus *de Iubil. cap.* 15. *dub.* 13. testatúrque Lezana in Summa *V. Indulgentia n.* 21. ita habere stylum Curiæ, & Regulas Cancellariæ, atque adeò si Pontifex dicat: *Concedo tibi omnes Indulgentias septem Ecclesiarum Romæ*, non extenditur hæc concessio ad Indulgentias, quæ iis Ecclesiis datæ sunt etiam pro defunctis juxta Lezanam *Ibidem* post Suar. *disp.* 52. *sect.* 8. *n.* 12. & Sanctarellum *loc. cit.*

265 Attamen scio, contrarium esse persuasum multis viris prudentibus, nec sine ratione; nam ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Bartolus communiter receptus apud Rodric. *Tom.* 1. *q.* 11. *a.* 6. præsertim in materia merè favorabili. Si tamen constaret, Regulas Cancellariæ stare pro Lezana, irem & ego penitus in ejus sententiam.

266 Cæterùm in Brevibus, & formulis Indulgentiarum, quoad præsens institutum, hoc discrimen reperio, quòd in nulla formula Indulgentiarum merè Personalium fiat expressa facultas transferendi illas in pios Manes, sicuti neque etiam fit in formulis Localium, præterquam pro Communione Generali. At in omnibus Realium Indulgentiarum formulis, quarum habeo plus 20. diversa admodum exemplaria, exprimitur, eas omnes posse per modum suffragii applicari defunctis, ut videre est in omnibus Realibus, quas in decursu, & singulariter *num.* 380. nominabo. Aliâ huc spectantia proponam *Part.* 2. *cap.* 21. *& seqq.* Prius tamen memoro, me Anno 1667. fuisse literis interrogatum, quid sentirem de nonnullis, autumantibus quando quis lucratus prima hebdomade Jubileum, repetit secundâ omnia opera præscripta, posse Indulgentiam, quam ex multorum per quam probabili opinione rursum lucratur, applicare defunctis. Respondi autem, illos bonos viros haud dubiè nimis benignè sentire de liberalitate Pontificum; cùm enim ex una parte constet, nullum eorum implicitè, vel explicitè declarâsse, talem esse suam intentionem, ex alterâ verò jam primum ostenderimus, Indulgentiam non posse donari defunctis, nisi cum permissu Pontificio, liquet illam opinationem carere, solido fundamento.

CAPVT XXIII.

De Indulgentiarum Revocatione, & Cessatione.

EST quidem Revocatio, & generatim Cessatio accidens quoddam omnibus Indulgentiis commune, & proinde non incongruè possem de ea differere in hac prima Parte; quia tamen in hujus accidentis explicationem incurrunt variæ quæstiones, tractantes de specialium quarundam Indulgentiarum desitione; idcirco commodius fore judicavi, differre hanc materiam in calcem Partis secundæ. 267

THESAVRI ECCLESIASTICI

PARS SECUNDA.

DE

INDULGENTIIS IN PARTICVLARI.

SVNT æquè Magnates, ac populus Germaniæ nostræ, perquam studiosi obtinendarum Indulgentiarum; quà de causa solent suis Confessariis non rarò proponere quæstiones, circa nonnullas particulares Indulgentias. Fortè his, & illis aliquid obsequii præstabo, si descendero ad explicandas multas valde particulares, de specialibus quibusdam Indulgentiis, quæstiones, à cæteris prætermissas Theologis, è quarum quæstionum resolutione faciliùs quisque aliorum dubiorum, quæ quotidie occurrunt, explicationem petere poterit. Occupabitur itaque hæc secunda Pars tum in tradenda, explicandáque Indulgentiarum varia divisione, tum in quarundam particularium Indulgentiarum declaratione. 268

CAPVT I.

Enumerantur aliquæ divisiones, & quasi species Indulgentiarum.

SUMMARIUM.

Varia divisio Indulgentiæ. 269. & 270.
Adferuntur descriptiones plerorumque hujus divisionis, membrorum. 270. & 271.

269 Quæst. I. *Quot modis solet Indulgentia generatim dividi?*

RESP. Nullo essentiali, cùm omnes Indulgentiæ sint ejusdem speciei infimæ; at pluribus accidentalibus, sese mutuò includentibus, & excedentibus, ita ut difficile sit discernere exactè, quænam divisio sit alteri ordine universalitatis, aut doctrinæ præferenda, seu præmittenda. Ego partitionem à notissimis membris orsus divido Indulgentiam primò in *Plenariam*, & *Partialem*, hisque affines *Perpetuam*, & *Temporalem*, interjiciendo quæstionem de Indulgentia *per modum Iubilei*. Deinde divido in *Localem*, *Realem*, *Personalem*. Sicuti autem *Partialem* subdivido in varia membra, ita & *Localem*, *Realem*, *Personalem* in varia vulgò magis nota, aut magis practicabilia, quorum alia species subalternæ, alia infimæ, aut individua vocari possunt.

270 Etenim *Localem*, quæ scilicet obtinetur cum dependentia à loco determinato, subdivido in Indulgentias *Stationum*, *Portiunculæ*, *Communionis Generalis*, & *Tridui Bacchanalium*. *Realem*, quæ scilicet acquiritur per usum alicujus certæ rei, partior in Indulgentias *Bullæ Cruciatæ*, *Quinque Sanctorum*, *S. Franc. Xaverii*, *S. Caroli Borromæi*, *Vrbani VIII.* gestantium *Scapulare Patrum Carmelitanorum*, itémque *Cingulum Patrum Augustinianorum*, & *Chordam Patrum Franciscanorum*, præmissis variis
271 circa Indulgentiam *Realem* quæstionibus. Denique Indulgentiam *Personalem*, quæ nimirum uni, aut pluribus hominibus datur sine respectu ad locum certum, aut rei certæ usum, divido in Indulgentiam pro *vivis*, & *defunctis*, tractando in specie de Indulgentiis *Altarium Privilegiatorum*. Item in Indulgentias pro *Regularibus*, ac *Sæcularibus*, pro Clericis *Breviarium recitantibus*, & pro omnibus Christianis orantibus ad pulsum *Salutationis Angelicæ*; pro pronunciantibus nomen JESU &c. ac subinde in Indulgentias Sancti Francisci Xaverii, Rosarii, Annuntiatæ, & obeuntium Exercitia spiritualia: Denique quia Indulgentia *pro articulo mortis* est communis omnibus, alicui Confraternitati, vel Religioni inscriptis, itémque habentibus rem Indulgentiâ affectam, ideo etiam de illa speciatim differo.

Circa hæc genera, species, individua Indulgentiarum propono ea, quæ maximè utilia, & Lectori præcipuè grata fore existimavi; tradidi autem in prima Editione plurima sine Auctore, quia non reperi, qui talia explicaret, aut etiam indicaret.

CAPVT II.

De Indulgentia Plenaria.

SUMMARIUM.

Descriptio Indulgentiæ Plenariæ. 272.
Sitne hodie distinctio inter Indulgentiam Plenariam, plenam, pleniorem, & plenissimam? 273.
Cur geminentur ea vocabula? 274.
Cur partialis addatur aliquando plenariæ? 275.
Quid sit Indulgentia à tota pœna, & culpa? 277.
An plenariam acquirat habens affectum vigentem erga aliquod veniale peccatum? 278.
Quæ verba designent realem concessionem Indulgentiæ plenariæ? 279.
An debeant expressè exprimere plenariam? 280.

Quæst. II. *Quid de Indulgentia Plenaria?* 272

RESP. I. Navarrus *de Iubil. Not.* 9. quem sequitur Reginaldus *Lib.* 7. *num.* 14. & *seqq.* distinguit hæc tria vocabula: *Plena*, seu *Plenaria* Indulgentia, *Plenior*, & *Plenissima*. Nam per *Plenam*, seu *Plenariam* intelligit illam solam, quia remittitur tota pœna peccatis omnibus confessis debita. *Plenior* secundùm ipsum est illa, qua remittitur omnis pœna peccatis debita tum reipsa confessis, tum mortalibus in confessione per oblivionem omissis; *Plenissima* verò, qua remittitur omnis pœna debita peccatis tam venialibus, quàm mortalibus confessis, & oblitis. Rationem alicujus distinctionis inter hæc tria faciendæ desumpsit Navarrus ex *Extrav.* Antiquorum, *De Pœnit. & Remiss.* ubi dicitur: *Non modo plenam, & largioretn, imò plenissimam omnium suorum concedimus veniam delictorum.* Rationem autem faciendæ hujus ipsius distinctionis adfert tam Navarrus, quàm Reginaldus, quam opus non est commemorare.

II. Etsi verosimile est, ob authoritatem citatæ Extrav. *Antiquorum*, fuisse olim distinctionem inter *Plenam*, *Pleniorem*, & *Plenissimam* Indulgentiam; ita ut per duo priora vocabula, non fuerit tam multum significatum, quàm per postremum; modernus tamen stylus Curiæ Romanæ, plurimorum jam Annorum usu, & plerorumque sapientum judicio, authoritateque roboratus, docet per Indulgentiam *Plenariam* (quod vocabulum, antiquatis 273

ferè

ferè primo & tertio, solum ferè jam usurpatur) idipsum designari, quod per *Plenissimam* intellexit Navarrus, ut proinde quoties datur Indulgentia *Plenaria*, toties jam censeatur dari & fieri relaxatio omnium pœnarum, quas quis in purgatorio luere deberet. Ita testatur Sotus *in 4. dist. 21. q. 2. a. 1.* Corduba *q. 11.* Suar. *Tom. 4. disp. 50. sect. 4.* Bonacina *p. 2. n. 5.* tres Cardinales Toletus *Lib. 6. c. 24.* Bellarmi *c. 9.* Lugo *De Pœnit. D. 27. n. 128.* aliique propè omnes, quorum nonnulli cum Suar. ajunt, Plenissimam à Plenaria fortè in eo differre, quòd Plenissima detur majore ex causa, quàm plena. Alii cum Palao, & Bonacina hæc tria vocabula solius amplificationis gra-
274 tiâ usurpari asserunt, Alii cum Pinello, & Sanctarello *De Iubil. c. 15. dub. 8.* idcirco geminari ista nomina, ut ex hominum animis scrupuli, & dubia, quæ ex varietate opinionum Doctorum nasci possunt, expellantur, & etiam, quia ex illo loquendi modo simplices, & idiotæ consolationem non mediocrem recipiunt, & animos colligunt. Aliam Indulgentiæ Plenariæ significationem ex Coninck retuli *n. 231.* quæ tamen non probatur.

III. Hinc apparet, Indulgentiam Plenariam & Totalem, idem omnino significare, ut etiam ex Extrav. *Quemadmodum*, colligi potest.

275 Quæst. III. *Si per Indulgentiam Plenariam remittatur omnis pœna peccatis debita, cur Plenariæ addatur non rarò alia Partialis?*

RESP. Suarezius *cit. sect. 4. n. 9.* cùm Palao *Part. 3. Tract. 24. n. 12.* negat quidem à se, & ego cum ipso à me lectum ullum Juris textum, aut Bullam authenticam, ubi Indulgentiæ Plenariæ addatur expressè partialis, attamen omnes supponunt, non rarò fieri talem additionem, ut videre est apud citatos hactenus Doctores; quare & ego quoque suppono, ac dico vel cum eodem Suar. quando reperitur Bulla, in qua fit partialis Indulgentiæ ad totalem adjectio, tum debere eam referri ad diversos Indulgentiarum largitores, aut existimari, illos dies vel Annos concedi, ut possint per modum suffragii aliis applicari; quod utrumque docet etiam Palaus & Sanctarellus *loc. cit. dub. 9.* citans Pinellum. Vel cum Reginaldo *n. 149.* post Cordubam, & Valentiam, illam additionem fieri ad cautelam, ut scilicet simus certi, causam Indulgentiæ esse sufficientem saltem ad acquirendam illam partialem, si non totalem.

276 Dixi superiùs: *expressè*; nam implicitè hoc ipso datur in unâ eademque Bullâ, & Brevi Indulgentia partialis cum plenariâ pro uno eodemque actu, quando datur potestas, uno aliquo actu lucrandi omnes Indulgentias Stationum, omnes Indulgentias Urbis, omnes Indulgentias peregrinantibus Compostellam &c. Nam præmissas inter Indulgentias Stationum sunt aliquæ plenariæ, aliquæ etiam partiales; sicuti & inter Compostellanas &c. Lege, si placet, XXXII. Bullam Sixti IV. apud Rodriq. in Bullario, item Compendium nostrorum Privilegiorum *V. Indulgentia*; ac denique formulam Indulgentiarum Quinque Sanctorum.

Addit Toletus *Lib. 6. cap. 24.* ex Paludano, 277
& S. Antonino, quando conceditur Indulgentia *à tota pœna, & culpa*, hoc ipso concedi remissionem venialium quoad culpam, ita ut illud opus, quod pro tali Indulgentia obtinenda præscribitur v. g. Pater noster, vel eleemosyna, tanquam Sacramentale quid ab Ecclesia institutum, habeat vim directè dimittendi. Atque, hanc esse optimam expositionem ejusmodi locutionis, quam quidem ita puto esse probabilem, ut tamen præferam communiorem indicatam *suprà n. 17.*

Ita verò per Indulgentiam Plenariam tribuitur remissio omnium pœnarum, ut tribuatur etiam illarum, quas quis meritus est peccando, postquam Indulgentia fuit promulgata, ut contra Joan. Monachum operosè probat Navarrus *De Iubil. Not. 34. n. 4.* dicens, hanc controversiam esse gravem. Sed revera quærit Joannes Monachus nodum in scirpo, cùm nec apparens ratio ejus imaginationi patrocinetur; adeóque prorsus gratis signum universale *omnium* restringat ad pœnas ante Indulgentiæ publicationem commeritas. Accedit, quòd hodiéque Sæculares, & Regulares fruantur Indulgentiis, quas jam pridem cœlo recepti Pontifices impertierunt.

INTERROGABIS: *An Indulgentiam Plenariam* 278
à Pontifice oblatam is lucrari possit, qui retinet affectum erga aliquod peccatum veniale vigentem?

Ratio dubitandi est, quia non acquirit Indulgentiam respectu illius peccati, erga quod retinet affectum, igitur non obtinet Indulgentiam omnium peccatorum, ergo non Plenariam, ergo nullam, quia Pontifex supponitur tunc non nisi Plenariam offerre, nec immeritò creditur nolle ut parte suæ gratiæ fruatur is, de quo loquimur.

Hoc dubium post consultos alios Theologos mihi proposuit vir quidam doctus & prudens. Cui respondi 1. Haud dubiè posse efficaciter velle Pontificem, ut is, de quo loquimur, obtineat remissionem omnium pœnarum cæteris peccatis debitarum, nec enim ulla repugnantia adferri potest. Respondi 2. Non tantùm posse, sed etiam re ipsa velle Pontificem, ut illarum pœnarum obtineatur eo in casu remissio; tum quia voluntas Principis non debet frustrari *C. In his. De Privil.* tum quia in dubio potiùs est accipienda præsumptio, ut actus ex parte valeat, quàm ut penitus pereat. *L. Quoties 2. ff. De reb. dub.* tum denique, quia Pontifex

tifex censetur in dubio suorum Antecessorum vestigia sequi. *C. Verùm. De Iurejur.* atqui Pontifices olim Indulgentiam Plenariam extendebant etiam ad illos, qui non dolebant de omnibus suis peccatis, ut patet ex doctrina relata *Part. 1. num. 123.* Igitur is, de quo hìc disputamus, dicendus est potiri Indulgentiâ, sumendo hoc vocabulum in sensu accommodo.

279 Quæst. IV. *Quibus verbis Plenaria Indulgentia concedi intelligitur?*

RESP. Quoties in concessione Indulgentiæ non additur signum, aut verbum determinans remissionem ad partem pœnæ, toties intelligitur remitti totam pœnam, adeóque dari Indulgentiam Plenariam. Sic arbitratur Suar. *disp. 50. cit. sect. 4. n. 10.* addens, eandem censendam concedi, tum quando dicitur: *concedimus Indulgentiam omnium peccatorum*; tum quando dicitur indefinitè: *concedimus Indulgentiam peccatorum.* Consentit Filliucius *Tract. 8. n. 189.* Ratio est, quia si in hoc postremo casu, non conceditur plenaria, tum non potest dici, quænam ex non plenariis concedatur.

280 Unde non assentior Lezanæ V. *Indulgentia n. 21.* post Sanctar. *cap. 15. dub. 13.* asserenti: Stylum Curiæ Romanæ, & Regulas Cancellariæ Apostolicæ habere, quòd cùm Indulgentiæ Plenariæ sint difficilis concessionis, non intelligantur concessæ, nisi expressè exprimantur. Eandem Lezanæ & plurium aliorum sententiam negat post Trullenck, Villalobos, Rodriquez, & alios, Diana *Part. 5. Tract. 12. Resol. 2.* cum Palao *Tract. 5. p. 5. n. 10.* & Casarubio ita argumentans: in Bulla plumbea (Cruciatæ) expressè dicitur, habentem Bullam posse lucrari Indulgentiam Stationum. Cùm ergo in eis contineantur Indulgentiæ Plenariæ, illa generalis locutio æquipollet speciali, seu specificæ locutioni. Vide plura hanc in rem infrà. *n. 340.*

CAPVT III.

De Indulgentia non Plenaria, seu Partiali, dierum & Annorum.

SUMMARIUM.

Indulgentia unius, aut plurium Annorum quid importet? 281. & seqq.
Indulgentiæ stationum an extendantur quandoque ad centum millia Annorum? 281.
Canones Apostolici designant certas Pœnitentias pro peccatis gravioribus. 284.
Nominantur quædam Pœnitentiæ particulares designatæ pro quibusdam particularibus peccatis. 285.
Pessimè sibi consulunt, qui negligunt Indulgentias aliquot dierum, vel Annorum. 286.
Damnata est sententia Dominici Soti, docentis, nullam animam hærere in purgatorio ultra viginti Annos. 287.
Ea sententia repugnat usui universalis Ecclesiæ. 288.
Authores scribentes de gravitate pœnarum purgatorii. Ibid.
Gravis pœnitentia unius anni, aut etiam diei potest delere de pœna peccatis debita plus, quàm plures anni purgatorii. 289.
Quidam latro expiavit sua Sacramentali confessione totam pœnam debitam suis sceleribus. Ibid.
Plurimæ animæ hærebunt usque ad finem mundi in Purgatorio. Ibid.
Quidam sanctissimi viri ob unum solum veniale peccatum fuerunt in purgatorio gravissimè cruciati. Ibid.
Cur sæpe dentur Indulgentiæ multorum millium Annorum? 290.
Eæ non sunt supposititicæ. 291.
Quid designetur per Annos, & dies, quorum Indulgentia conceditur? Ibid.
Non fuit olim determinata pœna pro quolibet peccato mortali. 293.

Quæst. V. *Cùm toties in Indulgentiis Congregationis Annunciatæ, Quinque Sanctorum, Vrbani VIII. dicatur, concedi Indulgentiam tot Annorum, aut dierum, quid per hanc locutionem propriè intelligitur?*

RESP. I. Quando Pontifex dicit, se con- 281
cedere Indulgentiam v. g. unius Anni, non indicat, se remittere pœnas uno Anno in purgatorio luendas, nam Indulgentiæ Stationum, de quibus erit sermo *cap. 8.* crebrò ultra centum millia Annorum (etsi hac de re dubitat Bellarm. *de Indulg. lib. 2. cap. 20.*) exporriguntur. Et quis putet, purgatorium non citiùs vacuandum? Ita contra Vigerium apud Suar. *Tom. 4. disp. 50 sect. 5. n. 11.* docent omnes, quos legi.

II. Si probè examinentur, ea quæ Suar. *cit.* 282
sect. 5. à num. 15. ad 18. differit, apparebit, ab eo doceri, quando Pontifex impertitur tibi Indulgentiam unius v. g. Anni, perinde esse, ac si diceret, se relaxare omnem hujus vitæ pœnam, quam Deus spectans tum tuorum peccatorum gravitatem, tum fervorem, quo te ultimò ad lucrandum Indulgentiam dispones, potuit à te Anno integro, secundùm justitiæ suæ rigorem exigere.

III. Coninck verò *disp. 12. n. 27.* tradit, per 283
unius Anni Indulgentiam remitti tantas pœnas purgatorii, quantæ delerentur per pœnitentiam unius Anni, secundùm antiquos Canones, abstrahendo à dispositione, seu fervore particulari suscipientis. Hanc ego explicationem, utpote plerorumque, quos hactenus nomi-

nominavi, & nominatim Bellarm. *c.9.* Tann. *Tom.4. D.6. q.7. n.99.* Laym. *Lib.5. Tract.7. c.3.* calculo probatam, & Suario ipsi non omnino displicitam, sequendam judico, & proinde dicendum, per Indulgentiam 1000. Annorum relaxari omnes pœnas purgatorii, quas in hac vita redemisses, si pro tuis peccatis egisses 1000. Annis eam omnem pœnitentiam, quam Confessarius deberet tibi secundùm Canones Pœnitentiales injungere.

284 IV. Ut hoc meliùs intelligatur, notandum est, ab Apostolis, & Sanctis Patribus sancitos, præscriptósque fuisse Canones, seu Regulas, secundùm quas Confessarii peccata graviora debeant in foro Sacramentali plectere. Partem magnam illorum reperiet Lector in calce Decreti, Editione Colonienſi: in fine Libri primi Jacobi à Graffiis, & in Lib. 7. P. Reginaldi *n.54.* ubi ejusmodi Canones refert. Et testatur Sotus *in 4. dist. 19. q.2. a. 5.* aliique plures apud Henriq. *Lib.7. c.15. n.4.* in illis Canonibus fuisse determinatas illas pœnitentias, per quas eorum conditores putabant, frequentiùs integrè expiari totam pœnam peccatis debitam, quamvis fuerit nihilominus in arbitrio Sacerdotis, ut aliquas ex septennibus v.g. juberet tantùm semel in hebdomade, aut mense obiri.

285 Unde mirum non est, quòd & illæ pœnitentiæ fuerint valde graves, & pro magna gratia habeatur, quando datur Indulgentia 10. aut 20. dierum, vel septem Annorum; siquidem olim, qui vel perjurium sciens admiserat, vel alium induxerat ad pejerandum, debeat 40. dies in pane, & aqua transigere, septémque sequentes Annos pœnitere, ut decrevit partim Fabianus Papa *Cap.* Quicunque *6. q.1.* partim. Gelasius Papa *Cap.* Si quis pejeraverit *22. q.5.* Et *Cap.* Pecunia. *17. q.4.* statuitur, ut qui rapuerit, vel furatus fuerit aliquid Ecclesiæ, quadruplum reddat; si autem populo, duplum: & Annis septem pœniteat, tres in pane & aqua. Per has, pro perjurio & furto injunctas, peractásque pœnitentias haud dubiè, vel totaliter, vel certè maxima ex parte expiabatur pœna,

286 quam Deo debebat perjurus & fur. Porro hanc ipsam pœnam expiat, & delet, quicunque reipsa lucratur Indulgentiam 40. dierum, & 7. Annorum; quam quidem sæpissime lucrari quis potest, intra vigesimam, aut trigesimam partem hujus horæ.

287 Unde pessimè sibi consulunt, qui ad solas plenarias Indulgentias attendunt, neglectis dierum; aut Annorum Indulgentiis.

Quæst. VI. *An pœnæ uno Anno luendæ in purgatorio, expiantur per annuam, ut in hac vita pœnitentiam continuam, & ex rigore sacrorum Canonum institutam?*

RESP. Sotus *in 4. dist. 19. q.3. art.3. in fin.* Graffiis *Lib.4. c.15. n.63.* & apud Dianam *Part.4. Tract.8. Resol.* 101. Vivaldus, Crucius, ac Conradus censent, pœnas purgatorii esse tam horrificas, tantámque Dei Clementiam, ut nulla anima ultra 10. aut summum 20. Annos, detineatur in purgatorio. Henriquez *Lib.7. cap.16. n.4.* testatur, hanc doctrinam fuisse ab Inquisitoribus fidei in Hispania damnatam; quare illam ut temerariam ipse rejicit, cum Nugno apud Dianam. Suar. *disp. 56. sect 4. n.6.* putat abstinendum omni censura, interim cum Bellarmino *de Indulg. lib. 1. c.9.* aliisque multis, ab eodem Bellarm. relatis existimat, doctrinam Soti carere omni fundamento, quod & ego censeo, addens tria.

I. Opinionem Soti sufficienter refutari 288
communi praxi Ecclesiæ, instituentis Anniversarios dies valde diuturnos pro defunctis. Quamvis fateor cum Suar. ab aliquibus institui hos Anniversarios, non tam in propriam, quàm aliorum utilitatem. Vide de diuturnitate harum pœnarum Roa in Libello *de Purgatorio c.6. 7. & 8.* disserentem, & varias historias referentem.

II. Nonnullas animas in purgatoriis flammis ita graviter cruciari, ut plurium Annorum pœnitentia valde rigida, non æquet valore illum cruciatum. Bonac. *p.2. n.2.* post Toletum *c.23.* Coninck *n.27.* & multos alios, quos refert, Lege Roa *c.5.* de harum pœnarum acerbitate scribentem, & vel maxime Jacob. Hautinum *in Patroc. Defunctorum. Lib 1.*

III. Alias animas ita leviter illis flammis tor- 289
queri, ut gravis unius Anni, aut etiam diei pœnitentia, ingenti cum animi contritione suscepta plus deleat de pœna peccatis debita, quàm plures Anni purgatorii; nam opus sponte à viatore susceptum, incomparabiliter majores vires satisfaciendi habet, quàm susceptum coactè, & extra statum merendi. Bellarm. *cit. c.9.* qui hanc doctrinam confirmat tribus rationibus meritò commemorandis. 1. Quòd constet, quendam sceleratissimum latronem, suorum flagitiorum integram remissionem obtinuisse, eo ipso tempore, quo cum animi dolore maximo, sua scelera coram aliis recitaverat. 11. Quòd ex probatis historiis sciatur, plurimas animas in purgatorio mansuras usque ad diem extremum judicii. 111. Quòd gravissimi authores referant, aliquos sanctos viros, ob unum solum peccatum, diu in purgatorio tortos fuisse. Vide Portel. in add. *n.11.*

Neque huic doctrinæ obstat, quòd sæpe 290
dentur Indulgentiæ multorum millium Annorum; sunt enim multi tot sceleribus cooperti, ut mirum non foret, si Deus novum pro ipsis Tartarum conderet, qui proinde licèt in hoc mundo tepidè pœnitentiam sacris Canonibus commensam agerent per aliquot Annorum millia, attamen satisfacturi non essent

pro

pro 1000. aut 2000. Annis in purgatorio forte transigendis. Vide Bellarminum *c.9.* Toletum in Summa *Lib.6. c.23.* & Portel. in addit *n.15.*

291 Hinc sequitur I. Errâsse Sotum, & Gersonem, dum referente Bellarmino *c.9.* asseruerunt, Indulgentias multorum millium Annorum à solis Quæstionariis prædicatoribus inductas fuisse.

Sequitur deinde, per Annos, aut dies certos, pro quibus datur Indulgentia, non designari totidem dies, aut Annos purgatorii, sed Annos & dies pœnitentiæ, ex præscripto sacrorum Canonum agendæ, ut rectè Sylv. V. *Indulgentia q.4.* sive interim isti Anni æquent tempus purgatorii, sive superent, sive etiam superentur, hoc enim soli Deo, non Pontifici notum est. Et proinde haudquaquam bono cuidam viro, qui Indulgentias stationum Germanicè in patente folio edidit, assentior, quatenus rotundè asserit, per Indulgentiam 2000. Annorum exprimi pœnam 2000. Annorum in purgatorio transigendorum.

292 Sed neque ex ullo Canone probari potest, cuivis peccato mortali fuisse olim decretam septennem pœnitentiam, quod tamen absolutè, in eodem patente folio post Graffiis *num. 62.* affirmatur, cùm affirmandum fuerit de solis gravioribus mortalibus, ut post Navarrum in Manual. *cap.26. num.17.* tradunt communiter Recentiores. Illud potiùs observa, persæpe fieri, ut Indulgentia aliquot Annorum, aut etiam dierum, sit Plenaria respectu aliquorum hominum, qui scilicet exiguæ pœnæ sunt rei.

CAPVT IV.

De Indulgentia Carenæ, Septennæ, &c. Itémque partis peccatorum.

SUMMARIUM.

Quid intelligatur per Carenam? 293.
Quid per Quadragenam? 294.
Quid per Septennam? Ibid.
Quid per Indulgentiam dimidiæ, aut tertiæ partis peccatorum? 295.
Per neutram harum etiam centies millies obtentarum potest expiari tota pœna debita ulli peccato. Ibid.
Quid sentiendum, quando certo numero Annorum jungitur remissio tertiæ partis peccatorum? 297.
Carena de pœnitentiis injunctis quid significet? 298.

293 Quæst. VII. *Quid per Carenam, Quadragenam, Septennam, intelligunt Bullæ Pontificiæ?*

RESP. I. Bonacina de Sacram. *disp.6. q.1. p.2.* tradit, per Carenam intelligi pœnitentiam per 40. dies, & septem Annos insequentes antiquitus agendam in pane, & aquâ; Suarez *Tom.4. disp.50. sect.5. num.14.* pœnitentiam agendam per 40. dies in pane & aquâ, & per septem Annos in alia pœnalitate. Et ita nomen Carenæ accepit Pontifex *Cap.* Accusâsti, *De accusationibus.* Attamen Laymann. *Lib.5. Tract.7. cap.3.* per Carenam intelligit pœnitentiam agendam solùm 40. dies in pane & aquâ; & ideo dicebatur *Carena*, quia adferebat carentiam ciborum, & consortii humani.

II. Quadragena secundùm Henriquez *Lib.* 294
7. c.15. significat pœnitentiam 40. continuis diebus in jejunio, aut alia afflictione transigendam; at secundùm Suarez illam solennem pœnitentiam; quæ in capite quadragesimæ cum luctuosissimis cæremoniis *dist.50. Cap. In capite quadragesimæ* relatis, inchoabatur, & durabat usque ad diem Cœnæ Domini. Quarantena verò dicebatur pœnitentia consistens in communi modò jejunandi 40. dies. Vide Filliucium *Tract.8. n.191.* & Sylv.

III. Nomine Septennæ, ut scribit Bonacina, seu septenæ designabatur pœnitentia septem Annorum, varia pro varietate delictorum, continua, inquam, aut interpolata; quare cùm datur una, vel plures Carenæ, Quadragenæ, Septennæ, sensus est, per illam Indulgentiam tantas purgatorii pœnas expiari, quantæ expiantur subeundo illam, vel illas Carenas, Quadragenas, Septennas. Laymannus *cit. cap.3.* post S. Antoninum, Paludanum, & alios.

Quæst. VIII. *Indulgentia dimidiæ, aut tertiæ* 295
partis peccatorum quid importat?

RESP. Adfert directè, & primariò condonationem dimidiæ partis pœnitentiæ, quam in hoc mundo, juxta Sacros Canones deberes agere, pro expiatione integra tuorum peccatorum: indirectè autem, consequenter, infallibiliter tamen, si omnes conditiones suprà recensitæ adsint, adfert condonationem dimidiæ partis pœnarum, quas in purgatorio sufferre deberes; uti Indulgentia tertiæ, aut quartæ partis pœnarum earundem. Vide Suarez *cit. sect.5. n.22.* & Bellarminum *de Indulg. Lib.1. cap.9.*

Proinde si ob tua peccata deberes in purga- 296
torio manere 12. dies, obtenta Indulgentia tertiæ partis peccatorum, seu pœnitentiarum, faciet, ut illic hærere debeas tantùm 8. diebus. Licèt autem postquam lucratus es illam Indulgentiam, rursum obtineas aliam consimilem, non idcirco tamen ista secunda valebit pro remittendis 4. diebus purgatorii, sicut valebat prima, sed tantùm pro remissione duorum dierum, & 16. horarum; cùm enim illa secunda Indulgentia, perinde ac prima, sit tantùm remissio tertiæ partis, restent autem ex pri-

ma octo dies, quorum in tres æquales partes diviſorum tertia non ſuperat duos dies, & 16. horas, ideo non acquiſiviſti ampliorem relaxationem, quàm dixerim; & minorem acquires, ſi tertiò lucreris Indulgentiam tertiæ partis, nam tertia vice remittetur tibi ſolùm unus dies purgatorii, cum 18. horis, & 40. minutis, adeóque ter obtentâ Indulgentiâ tertiæ partis peccatorum, commerentium 12. dies purgatorii, reſtabunt luendi adhuc tres dies, cum 22. horis, & 20. minutis, quæ quidem non expiabis integre, etſi centies millies obtineas Indulgentiam tertiæ, aut etiam dimidiæ partis peccatorum.

297 Cæterùm quàndo certo numero Annorum, aut dierum additur remiſſio tertiæ partis peccatorum, per illam Indulgentiam priùs remitti tertiam partem peccatorum, & poſtmodum illum certum numerum Annorum applicari duabus partibus relictis tradit Filliucius *n.* 191.

298 Quæſt. IX. *Quid ſignificat illa perfrequens phraſis, qua dicitur concedi Carenam, aut Indulgentiam de pœnitentiis injunctis?*

RESP. Conformiter illi, quod dixi ſuprà *Part.* 1. *n.* 18. ſignificat id, quod ſignificaret, ſi expreſſè diceretur: *Damus Indulgentiam, & remiſſionem pœnitentiarum, non tantùm, quas poterat Confeſſarius imponere, per tot & tot Annos, ſed etiam, quod plus eſt, illarum, quas reipſa impoſuit Confeſſarius.*

Similiter quando Bulla impertit Indulgentiam tertiæ partis peccatorum *de pœnitentiis injunctis*, intelligenda eſt non aliter, quàm ſi aſſereret, condonari tertiam partem pœnitentiarum, non modò quæ à Confeſſario injungi poterant, ſed etiam, quas actu ipſo injungit, adeóque illa particula: *de injunctis* non reſtringit, ſed extendit, & ampliat Indulgentiam, ſaltem hac ætate, qua ſolent valde exiguæ pœnitentiæ dari, ut contra non paucos docet cum permultis Laymannus *c.* 3. *n.* 2. etſi etiam quoad pœnitentias, quæ hac ætate imponuntur, diſſentit à nobis Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 27. *n.* 15.

CAPVT V.

De Indulgentia per modum Iubilei, itémque Temporaria, & Perpetua.

SUMMARIUM.

Quid ſit Indulgentia per modum Iubilei juxta nonnullos? 299.
Quid juxta alios? 300.
Opinio Authoris declaratur, & confirmatur. 301. *& ſeqq.*
Indulgentia pro die Circumciſionis eſt etiam in forma Iubilei, & tamen non habet annexos alios favores. 304.
Exprimuntur aliæ Indulgentiæ in forma Jubilei, *non trahentes ſecum plus, quàm Indulgentiam.* 305.
Proponitur, & ſolvitur argumentum contra noſtram doctrinam. 310.
Vera explicatio illius Clauſulæ: Indulgentia in forma Jubilei. 311.
Confirmatur eadem Explicatio. 312.
Quid ſit Indulgentia Temporalis, & Perpetua? 313.

Quæſt. X. *Quid eſt Indulgentia per modum Iubilei?* 299

RESP. Nonnulli teſte Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 7. *ſect.* 5. *n.* 9. cenſent per Indulgentiam *inſtar Iubilei, in forma Iubilei, per modum Iubilei* (nam hæc tria idem ſignificant) à Pontificibus, deſignari Indulgentiam Plenariam cum facultate percipiendi abſolutionem ab omnibus cenſuris, &, ut teſte eodem Suarez, indicare videtur Graffius *Lib.* 7. *n.* 29. inſuper cum poteſtate commutandi vota non reſervata. Filliucius *Tract.* 8. *n.* 264. teſtatur unà cum Indulgentia *in forma Iubilei* ſolere conjungi poteſtatem eligendi Confeſſarium, qui & à cenſuris, caſibuſque reſervatis abſolvat, & vota non reſervata commutet. Peyrinis *Tom.* 2. *fol.* 282. agens de Indulgentia *in forma Iubilei*, quæ obvenit Regularibus in articulo mortis, ita loquitur: *Hæc Indulgentia in forma Iubilei nihil aliud ſignificat, quàm quòd Papa tribuit facultatem, ut poſſit abſolvi, & diſpenſari, ab & ſuper omnibus his, ſuper quibus poſſunt tempore Iubilei. Quod nota pro omnibus ſimilibus Indulgentiis.*

Denique Eſcobar in Summa *Tr.* 7. *Exam.* 5. 300
n. 56. generatim de Indulgentia *in forma Iubilei* pronuntiat, quòd in ea detur poteſtas eligendi Confeſſarium, qui à reſervatis abſolvat, vota commutet. Quare quoad hujus Indulgentiæ vim, ſeu valorem, ſentit Eſcobar idem, quod Peyrinis, ut jam dixi in Tract. de Jubileo *n.* 33. ſed differt in hoc ab eo, quòd pro ea obtinenda requirat illa opera, quæ in Jubileis extraordinariis exigi ſolent. Unde illam vocat etiam Jubileum. Quam tamen vocem *Iubileum* applicat poſtea Indulgentiis, quæ nullo modo ſunt Jubilea.

Quamvis autem in citato *Tract. de Iubileo* 301
cap. 7. impugnaverim illam Indulgentiæ *in forma Iubilei* deſcriptionem, quam retuli ex Laurentio Peyrinis viro ſanè docto, quia tamen Diana *Part.* 10. *Tr.* 16. *Reſ.* 5. laudat pro eadem deſcriptione Paſqualigum *de Iubileo quæſt.* 178. *n.* 7. Baſſæum de Jubileo *ſect.* 2. *caſu.* 16. *n.* 2. Homobonum *Part.* 2. *Exam. Eccleſ. Tr.* 11. *quæſt.* 13. *ſuppoſito.* 4. atque Henriquez (in quo tamen nihil reperio loco hîc cit. *Lib.* 2. *Summæ c.* 9. *n.* 4.) intelligentes eandem deſcriptionem, & aſſertionem de omnibus omnino

Indul-

Indulgentiis in forma Jubilei, etiam extra mortis articulum (nec enim inter has, & illas, quæ conceduntur in mortis articulo faciendum eſt diſcrimen) datis, quia inſuper nonnulli alii adhuc mordicus eandem opinionem tuentur, ex hac autem tuitione, defenſione, & uſu naſci poſſunt non levia incommoda, cenſui, me operæ pretium facturum ſi partim argumenta, quæ in citato *Tract.* 3. ſeu proximè præcedente contra illam ſuccinctiùs propoſui, magis explicarem, partim alia iis adderem, quorum ſecundum, tertium, & quartum ex me verbatim deſcripta appellat validiſſima Antoninus Diana *loc. cit.* Sit igitur hæc prima Ratio.

302 *Si* omnis Indulgentia *in forma Iubilei*, ſeu *per modum Iubilei* includit omnes favores, qui in Jubileis impertiuntur, abſolvendi, commutandi &c. tum includit favores, vel Romani, ſeu Anni Sancti vel Extraordinariorum? Neutrum dici poteſt. Non enim Romani, tum quia permulti probabiliſſimè negant, ullum favorem ultra ipſammet & propriè, & formaliter dictam Indulgentiam plenariam, ſeu pleniſſimam concedi in Jubileo Romano, ſicuti retulimus, & argumentis non planè infirmis ſtabilivimus *Tractatu præced. c.* 48. *n.* 355. Tum quia eſt inauditum, quòd quis vi ejuſmodi Indulgentiæ poſſit obtinere diſpenſationem circa bona incerta, injuſto titulo acquiſita, cùm tamen hic favor tribuatur ex opinione P. Ferdinandi de Caſtro Palao in Jubileo Romano, quemadmodum retuli in cit. Tract. præcedente *n.* 12. Tum quia cùm Pontifex pro aſſertis favoribus Anni Jubilei exigat tam difficilia opera, non eſt credibile, quòd illos favores impertiatur in mortis articulo propter actiones minimè operoſas; tum quia nullus Doctor videtur unquam ita ſenſiſſe.

303 Sed neque Indulgentia in forma Jubilei includit favores Jubilei Extraordinarii; tum quia ii favores ſunt incerti: aliquando enim conceditur poteſtas abſolvendi ab hæreſi, aliquando non conceditur. Tract. præced. *c.* 33. Sicut nec ſemper datur poteſtas commutandi vota. Eod. Tract. *cap.* 50. *n.* 482. tum quia cùm Romanum Jubileum ſit antiquius, & notius Extraordinario, *primum autem in unoquoque genere ſit exemplar cæterorum*, ſequitur, quòd Indulgentia in forma Jubilei, debeat potiùs dici eſſe in forma Jubilei Romani, quàm Extraordinarii, cùm præſertim gratia Indulgentiarum ſit amplianda. Unde non dubito, quin ſi Indulgentia Jubilei Romani eſſet major, quàm Extraordinarii, per Indulgentiam in forma Jubilei deberet intelligi Indulgentia in forma Jubilei Romani.

304 II. Ratio. Optima legum interpretatio eſt praxis, & uſus communis; uſus autem communis planè repugnat doctrinæ, quam impugno. Nam in primis non puto ullum reperiri tum, qui putaret eſſe ſibi licitum in die Circumciſionis Domini eligere quemlibet approbatum Sacerdotem ſæcularem, aut Religioſum, à quo acciperet abſolutionem quorumcunque peccatorum, cenſurarúmque; itémque commutationem omnium votorum, etiam triplicis peregrinationis, ac poſtremò compoſitionem ſuper malè ablatis incertis. Et tamen in die Circumciſionis poſſunt omnes Chriſti fideles, qui eo die à primis veſperis ad occaſum ſolis Confeſſi, & Sacra Communione refecti templum aliquod Societatis viſitârunt, in cóque quinquies Pater & Ave recitârunt ad conſuetas intentiones, potiri Indulgentiâ in forma Jubilei. Nemo etiam id ſibi juris vendi- 305
cat, etſi inſtructus Indulgentiis in gratiam Ducis Bavariæ Guilielmi, vel Ducis Oſcalenæ ad Paulum V. Oratoris Hiſpanici, vel noſtræ Societatis Aſſiſtentium, & Procuratorum impertitis, jejunet ſingulis per Annum ſextis feriis, aut Sabbatis. Nemo item illorum, qui vel alicui Congregationi adſcripti, vel Indulgentiis Quinque Sanctorum, S. Caroli, Urbani VIII. prædíti, adeunt probabile mortis periculum, è quo poſtea præter ſpem emergunt. Et tamen his omnibus obtingit tunc Indulgentia in forma Jubilei. Imò non dubito, quin in Italia, & Hiſpania Epiſcopi, Fidei Inquiſitores, Commiſſarii Cruciatæ eſſent graviter animadverſurii in illum Sacerdotem, qui extra mortis articulum à Caſibus Bullæ Cœnæ, & Epiſcopalibus abſolveret quempiam non munitum alio privilegio, quàm Indulgentiæ in forma Jubilei.

III. Ratio, Si Indulgentia in forma Jubi- 306
lei nihil aliud ſignificat, quàm quòd quis poſſit abſolvi, & diſpenſari ab & ſuper omnibus, ſuper quibus poteſt in Jubileo, cur Summi Pontifices in Bullis Jubileorum extraordinariorum toties, nunc quidem expreſſè, nunc autem implicitè profitentur, ſe *præter* Indulgentiam in forma Jubilei impertiri poteſtatem eligendi Confeſſarium, qui à reſervatis abſolvat, & vota commutet? Cùm domus, arbor, equus, & univerſim quodlibet totum, nil aliud ſignificet, quàm ſuas partes unitas, quis ferat dicentem: *Vendo tibi meam domum, & præter illam tectum, omniáque ejus hypocauſta; commodo tibi meum Bucephalum, & præter eum, ſeu* inſuper *ejuſdem caput, & pedes; dono tibi hunc meum ſervum Carmenidem, & inſuper ejus manus, ac viſcera?*

IV. Ratio. Innocentius X. die 22. Decem- 307
bris Anno 1646. omnes Societatis noſtræ Religioſos donavit Indulgentiâ *in forma Iubilei*, apponens expreſſè limitationem contrariam opinioni Peyrinis, hanc videlicet clauſulam: *Citra tamen facultatem eligendi Confeſſarium, qui eos à Caſibus Sedi Apoſtolicæ quomodolibet reſervatis abſolvat.* Ex qua limitatione de-

duco aliud argumentum contra Peyrinis. Nam si Indulgentia in forma Jubilei nil aliud significat, quàm facultatem obtinendi absolutionem, & commutationem votorum, sequitur homines Societatis potuisse ex vi illius indulti Pontificii petere à quolibet Confessario commutationem omnium votorum non reservatorum, itémq; absolutionem omnium casuum Episcopis, & Societatis Superioribus reservatorum, nam *qui de duobus propositis alterum negat, alterum concedere videtur. Cap.* Nónne. *De præsumpt.* Quod tamen est falsum, & à nostrorum Superiorum judicio alienum.

308 Accedit pro hominibus Societatis hæc quinta Ratio, quòd scilicet sapientissimus P. Everhardus Mercurianus, quartus Generalis, illam Indulgentiam, quam Gregorius XIII. die 7. Maji Anno 1578. Societati pro festo Circumcisionis impertiverat *in forma Jubilei*, sequenti mox Anno, adeóque 16. Januar. Anno 1579. Societati publicârit, utendo solâ voce *Indulgentiæ Plenariæ*, ut scilicet indicaret, non esse ei ullos alios favores adjunctos.

309 Ob hasce rationes censuit Diana *cit. Resol.* 5. nullo modo recedendum ab hac doctrina, quam etiam sequitur me citato, Cotonius *Celebrior. Controv. L.* 2. *Controv.* 12. *cap.* 1. *n.* 25. subdens, contrariam doctrinam validiùs impugnari à destructione fundamenti, nam falsum est, inquit ille, Jubileum includere hujusmodi privilegia. Quæ falsitatis assertio quibus argumentis propugnetur, & impugnetur videre est Tract. præced. de Jubil. toto *Cap.* 48.

310 Dictis non obstat, quòd hæc vocabula: *in forma Jubilei, per modum Jubilei* significent dari Indulgentiam, eâ formâ, & eo modo, quo datur Jubileum; atqui Jubileum datur eâ formâ, ut includat favores circa casus reservatos, & vota. Nam respondeo, constare ex praxi, illam majorem propositionem ita esse distinguendam: Indulgentia in forma Jubilei est ea, quæ datur in illa forma, quâ expressâ datur Jubileum, concedo majorem: quâ implicitâ datur Jubileum, nego majorem: atqui Jubileum datur in ea forma, ut illos favores includat tanquam formam implicitam, esto minor, tanquam expressam, nego minorem, & consequentiam. Etenim in Bullis Romani Jubilei non exprimitur, nisi Indulgentia Plenaria, reliqui favores solùm implicitè involuuntur, ut ostendi in Tract. de Jubileo. Atqui paulò superiùs dixi, quando datur Indulgentia in forma Jubilei, dari in forma Jubilei Romani, seu Anni Sancti, ut probo clarissimè ex Bullis Jubileorum extraordinariorum, ubi solet exprimi, quòd in iis concedatur Indulgentia Plenaria: *sicut in Anno Sancto.*

Ad alias objectiones sufficienter respondi in citato Tract. de Jubileo.

311 Hinc concludo cum Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 7. *sect.* 5. *num.* 7. quando dicitur dari Indulgentiam Plenariam, seu plenissimam *in forma Jubilei*, esse perinde ac si dicatur, dari eo modo remissionem omnium pœnarum, quo modo in Anno Sancto solet concedi.

Et quamvis ex hac explicatione sequatur, omnem Indulgentiam Plenariam esse à parte rei Indulgentiam in forma Jubilei, & consequenter ita posse vocari, nam *Ad esse sequitur dici*, attamen Pontifices ideo nonnullas peculiariter hoc nomine decorant, ut & ostendant majorem non effectûs, sed affectûs abundantiam. Coronius *loc. cit. n.* 25. & in hominibus majus earum studium, majorémque ex eis consolationem excitent. Qua de causa etiam nonnullas plenarias vocant singulariter, & quasi per Antonomasiam *plenissimas.*

Porrò allatam explicationem esse legiti- 312
mam probo clarâ authoritate ipsiusmet Sixti IV. qui in Bulla incipiente: *Sacrosanctæ Religionis vestræ*, Cistercienses alloquens, eisque Indulgentiam pro articulo mortis elargiens, utitur hisce verbis: *Remissionem omnium peccatorum, de quibus corde contriti, & ore Confessi fueritis, plenariam remissionem, nec non sanctissimum Jubileum, sive omnes, & singulas Indulgentias, & plenariam omnium peccatorum remissionem, fidelibus Anno Jubileo Romam venientibus, & Ecclesias ad hoc statutas, verè contriti, & Confessi visitantibus, quomodocunque concessas &c. concedimus.* Ita Pontifex.

Quæst. XI. *Quid est Indulgentia Temporaria?* 313
quid Perpetua?

RESP. Indulgentia *Temporaria* est ea, quæ definitur spatio temporis, quo obtineri potest, ut cùm definiuntur 24. horæ, vel una alteráve hebdomada, vel integer Annus. Bellarminus de Indulg. *L.* 1. *c.* 9. *fin. Perpetua* dicitur, quæ est alligata certo loco, vel rei, ut Rosario, sine ulla temporis determinatione. Idem *Ibidem.* Pro exemplo Indulgentiæ Perpetuæ appositè ponit Reginaldus *Lib.* 7. *n.* 154. post Navarrum Indulgentiam quinque Annorum, & totidem quadragenarum, quam Sixtus IV. omnibus Christi fidelibus præsentibus & futuris, ubicunque degentibus, qui tertiam Rosarii partem dixerint, impertivit.

CAPVT VI.

De Indulgentia Locali.

SUMMARIUM.

Quid sit Indulgentia Localis? 314.
Quid nomine Ecclesiæ intelligatur, quando Indulgentia proponitur visitantibus hanc, aut illam Ecclesiam? 315.
Quando aliqua Ecclesia est affecta aliquâ Indulgentiâ, valêtne illa, quæ superadditur? Ibid.
Diana

Diana recantat ea, quæ author tradiderat ex eo in prima Editione hujus Tractatus. 316.
Quomodo sit intelligenda declaratio Vrbani, quæ videtur repugnare nostræ sententiæ? 317.
Quid si unus, idémque Pontifex impertiatur uno, eodémque die, uni eidémque Ecclesiæ diversas Indulgentias, an peribit posterior? 318.
Quid Diana intelligat per voculam aliam? 319.
Quatenus destructo templo destruatur Indulgentia, ei annexa? 320.

314 Quæst. XII. *Quid est Indulgentia Localis?*

RESP. Est illa, quæ homini datur dependenter à certo loco, utpote cui ita est affixa, ut nemo illam (nisi fiat expressa exceptio) lucrifacere queat, nisi in eo loco existens, ut sunt eæ Indulgentiæ, quæ Templis, Sacellis, Oratoriis conceduntur.

315 Quæst. XIII. *Quid nomine Ecclesiæ intelligitur, quando dicitur dari Indulgentia visitantibus talem Ecclesiam, aut orantibus in tali Ecclesia?*

RESP. Me id declarâsse in præcedente Tract. de Jubileo *Cap.* 20. ubi etiam explicavi, quid nomine Visitationis, & Orationis in Ecclesia faciendæ intelligatur, & quomodo, ac quoties Indulgentiam visitationi Ecclesiæ, & orationi promissam lucrari quis possit; nam actiones, quæ sunt omnibus Jubileis communes, explicavi in eodem Tract. cit.

Quæst. XIV. *Quando aliqua Ecclesia est unâ, vel pluribus Indulgentiis affecta, valéntne illæ, quæ superadduntur?*

RESP. Navarrus *Not.* 9. *n.* 8. Suarez *Tom.* 4. *disp.* 57. *sect.* 2. *n.* 2. & Filliucius *in* 3. *p. Tract.* 8. *n.* 246. Si in petitione posterioris Indulgentiæ, non est facta mentio prioris jam concessæ, posteriorem, utpote subreptitiam, non valere, & sic definitum haberi in Regulis Cancellariæ Apostolicæ *Reg.* 57. Verùm Diana *Part.* 6. *Tract.* 8. *Resol.* 31. & Lezana *Tom.* 3. *V. Clausula. n.* 25. negant hanc doctrinam ita generaliter sumptam; dicunt enim, etiam quando Pontifex, in concessione alicujus Indulgentiæ, apponit illam clausulam (*volumus autem, quòd si aliàs Christi fidelibus, dictam Ecclesiam visitantibus, aliquam aliam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint*) solummodò excludi similem Indulgentiam pro eodem Sancto &c. (propter dictionem *aliam*, quæ est repetitiva ejusdem qualitatis, quæ immediatè fuerat expressa,) non autem alias, quæ eidem Ecclesiæ in honorem alterius Sancti v. g. concessæ fuissent. Et testatur Lezana ita sentire Nugnum cum Gavanto *in Manuali Episcop. V. Indulgentia*, atque à se visum ita practicari.

Quare propter horum Doctorum authoritatem, & propter rescriptum quoddam Illustrissimi Domini Nuntii Apostolici referendum *n.* 519. respondi per literas consultus, Indulgentiam Plenariam, quam Innocentius X. Anno 1649. impertiit visitaturis in Festo S. Sebastiani Ecclesiam Parochialem Landispergensem, valere, esto illi Ecclesiæ sit jam antea pro Confratribus Congregationis Rosarii data alia Indulgentia Plenaria, & in Brevi Pontificio ponatur expressè illa clausula, quam ex Diana retuli. Aliam commodam explicationem post Bonacin. de Sacram. *Disp.* 6. *q.* 1. *p.* 7. adfert Palaus *Tract.* 24. *p.* 4. *n.* 13. quòd scilicet illud verbum: *concesserimus*, sit intelligendum de concessione facta ab eodem Pontifice, tunc enim exprimi nomen personæ, non dignitatis, secùs si dicatur: *ab hac sede concessa sit.*

Appendix.

Hæc omnia scripseram in prima Editione; 316
quibus lectis, & descriptis Diana, quem laudaveram primarium Doctorem doctrinæ traditæ. *n.* 315. recantat. *Part.* 10. *Tract.* 16. *Resol.* 11. quæ ex ipso retuli; recantat autem non absolutè, sed *stante declaratione felicis memor. S. D. N. Vrbani Octavi, & clausulâ aliâ, quæ de novo in Indulgentiis Papalibus apponitur*; eam autem clausulam describit Diana ex Sylvio hisce verbis: *Volumus autem, si aliàs pro Christi fidelibus in quocumque Anni die dictam Ecclesiam visitantibus aliquam aliam Indulgentiam etiam dissimilem perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint.* Et assentior huic recantationi Dianæ *stante hac clausula.* Sed quæro: Utrùm dicatur stare etiam tunc, quando non exprimitur in Bullis post declarationem Urbani expeditis ab ipsomet Urbano, vel à successoribus? sicut re ipsa vidi non unam, sed plures carentes tum illâ totâ novâ clausulâ, tum solâ illius clausulæ secunda parte dissimilitudinem exprimente. Ratio dubitandi desumitur ex vulgatis principiis Juris, quòd scilicet tum Lex declaratoria extendatur ad præterita, & futura Auth. *De mulier. rapt. passa, in fin.* tum posteriores Pontifices sequantur, in dubio vestigia priorum: tum jura juribus sint concordanda: tum omissum in posteriore Lege, relinquendum sit dispositioni prioris Legis.

Nihilominus tamen sentio, illa Brevia, in 317
quibus non exprimitur clausula præscripta ab Urbano, esse perinde intelligenda, ac si Urbanus nullam unquam declarationem fecisset. Ita sanè videtur sentire Cotonius *Celebrior. Controvers. Lib.* 2. *Controv.* 11. *cap.* 3. *n.* 94. sic breviter resolvens: *Conclusio* (recantatoria Dianæ) *locum habebit, quamdiu hæc* (Urbani) *clausula concipietur hujusmodi. Nam si ad priscam formam ab aliis Pontificibus redigeretur, tunc potiori jure tenenda esset prior* (quam tradidi *n.* 315. & pro qua me citat Cotonius ipse)

sententia. Ratio est, quia hoc ipso, quòd ea clausula non inseratur etiam post illam declarationem, imò etiam præceptionem Urbani, & authores mox nominandi scripserint, multis Annis post eam, nullámque mentionem ejusdem fecerint, signum est, non esse stylo Curiæ, qui legem facit (& consequenter abrogat) receptam illam declarationem, sed potiùs confirmatam explicationem, quam attulimus *cit. n.* 315. & pro qua (præter illos, quos ipse suprà nominavi, quibúsque jungo Pellizarium *Tract.* 8. *c.* 5. *n.* 259. Quintanadvennam in Appendice suorum Singularium *Tract.* 2. *dub.* 5. multis particularibus casibus, & circumstantiis declarantem hanc doctrinam,) allegat ipse Diana, Gavantum, Martinum à S. Josepho, atque doctissimum Pacem Jordanum Elucub. *Tom.* 1. *Lib.* 5. *Tit.* 16. *n.* 71. qui duabus instantiis firmat nostram doctrinam de clausula *aliam*, sicuti & Cotonius *loco citato n.* 96. explicationem ex Bonacina, & Palao allatam approbat in eo casu, quo Indulgentia homogenea, seu ejusdem omnino rationis, priùs est concessa, non autem si heterogenea, seu diversæ rationis & valoris.

Pellizarius verò *loc. cit.* singulariter meritò notat, in his clausulis per Indulgentiam eidem Ecclesiæ concessam designari illam solam, quæ est directè, per se, & explicitè concessa illi Ecclesiæ, non autem eam, quæ concessa est directè, & expressè toti Ordini Religioso, & consequenter implicitè huic & illi particulari Ecclesiæ illius Ordinis Religiosi, sicut e.g. est Indulgentia toti Societati Nostræ communis in Festo Circumcisionis. Et quidni hoc ipsum dixeris de Indulgentia tum communionis Generalis, tum tridui Antecineralium? hæ enim directè conceduntur, vel toti Societati, vel sanè toti alicui Provinciæ; ergo earum duratio nihil obest alteri supervenienti Indulgentiæ, tametsi impertitæ cum clausula: *si aliàs in quocunque Anni die etiam dissimilem Indulgentiam eidem Ecclesiæ concesserimus.*

318 At quid si unus, idémque Pontifex, uno eodémq; die concedat uni, eidémque Ecclesiæ binas Indulgentias, comprehensas duobus diversis Brevibus, quorum unum exprimat clausulam descriptam *n.* 315. Exempli gratia Alexander VII. Anno 1664. die 19. Febr. impertiit nostræ Constantiensi Ecclesiæ Cathedrali Plenariam Indulgentiam pro visitantibus septem Altaria, duodecim diebus designatis à Reverendissimo Ordinario. Eodem ipso Anno, & die largitus est itidem Plenariam Indulgentiam visitantibus in Festis SS. Conradi, & Pelagii (Patronorum) eandem Cathedralem; est autem largitus cum clausula: *Cui Ecclesiæ, illiúsque Capellis, & altaribus sive omnibus, sive singulis, eámque, vel eas, vel ea, seu illorum, vel illarum singulas visitantibus alia Indulgentia non reperitur concessa.* Et infrà: *Volumus autem, ut si aliàs Christi fidelibus dictam Ecclesiam, seu Capellam, vel Altare in eo situm, in quocunque alio Anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura, etiam in erectione, vel alio quovis modo, quantumvis privilegiato, concessa fuerit, præsentes nullæ sint.*

De hisce duobus Brevibus sententiam rogatus respondi, & respondeo in primis, saltem primum ex iis indubitanter obtinere robur, tum quia fuit concessum purè, id est sine clausula: *Volumus autem, ut si aliàs &c.* tum quia insuper fuit concessum cum clausula derogatoria: *non obstantibus Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, cæterisque contrariis, quibuscunque.* Per quam non-obstantiæ clausulam derogatur Regulæ 57. Cancellariæ, statuenti apud Suarez *To.* 4. *in* 3. *p. disp.* 57. duas Indulgentias esse incompatibiles in eodem loco, si nulla fuit facta mentio prioris in impetratione posterioris. Respondi deinde, alterum quoque Breve fuisse, essèque probabilissimè validum, non obstante Indulgentia concessa per primum Breve eidem ipsi Ecclesiæ Cathedrali. Ratio fundamentalis petitur à vitando absurdo, quæ argumentandi ratio est efficacissima, ut probavi *Tom. priore*, seu in Experientiis *Tract.* 8. *cas.* 18. *n.* 705. foret autem non leve absurdum, si Pontifex, unà, eadémque horâ concederet, revocarétque tantam gratiam, nulla superveniente causa; *Princeps enim debet esse sicut lapis Angularis, haberéque unum calamum, & unam linguam, cum ipsi maximè conveniat illud: Semel locutus est Deus*, quemadmodum memini me legere variis locis apud Baldum.

Ne tamen incidamus in aliud absurdum, 319
quod utique non exiguum sequeretur, si diceremus, illam clausulam: *Volumus autem*, fuisse prorsus gratis, frustráque appositam, cùm nulla clausula debeat esse frustra, & inutilis, ut millies inculcant ICti, existimamus illud Breve, quod primo loco retulimus, fuisse expeditum post alterum, quod quidem quia respicit solùm præterita, non autem futura, ut liquet ex litera, idcirco non spoliat suo robore dandum, seu posteriùs datum. Quia verò ut observavi, istud ipsum Breve liberum est illâ odiosâ exceptivâ: *Volumus autem*, eam ob rem non supperit ratio asserendi, valorem ipsius infringi additione, conjunctionéve cujusquam alterius præcedentis; sicut nec infringi textu Regulæ Cancellariæ jam dixi superiùs. Ut non dicam, quòd Diana *cit. Tract.* 8. *Resol.* 31. è Gallia interrogatus responderit (rectè, an secùs non determino) per clausulam: *Aliam* intelligi Indulgentiam *in eadem* concessione datam, sicut & intelligunt Lezana, Pax Jordanus, Quintanad. Pellizarius suprà citati, & apud Dianam Gavantus. Acce-

Accedit quòd Bulla, de qua hìc loquimur, & aliæ plures, quas legi, & quarum unam refert Silvius apud Dianam *cit. Part.* 10. *Tract.* 16. *Resol.* 11. expeditæ post illam declarationem ab Urbano factam Anno 1640. exprimant quidem clausulam: *quocunque alio Anni die concessam*, omittant autem clausulam: *similem, vel dissimilem*, ideóque planè videantur non habere ullam ejus rationem, & ideo fortè quia contraria consuetudo ubique invaluit teste Quintanadvenna *loc. cit.*

320 Quæst. XV. *Indulgentia alicui Templo, vel Sacello data, perìtne destructo Templo.*

RESP. Si non reædificetur Templum illud, aut Sacellum, certum est perire Indulgentiam; nam Indulgentia non erat data loco simpliciter, sed Ecclesiæ, Laymàn. *Lib.* 5. *Tract.* 7. *c.* 3. *n.* 5. Si autem per partes, seu paulatim reædificetur, sicut manet eadem moraliter Ecclesia, ita & eadem Indulgentia. Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 27. *n.* 131. Imò etsi tota simul destruatur, & alia mox exstruatur in eodem loco, censet Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 9. probabiliter remanere priorem Indulgentiam; sed Lugo de hoc dubitat. Quin Laymannus testatur, in praxi observari, ut quando Ecclesia authoritate Prælati destruitur, ea lege, ut alio loco reædificetur, servando eundem titulum, & Patronum, secum ferat suas Indulgentias. Consentiunt à fortiori Bonacina de Sacram. *disp.* 6. *q.* 1. *p.* 8. *n.* 5. & Ghilinus apud Dianam *Part.* 6. *Tract.* 7. *Resol.* 32. non dissentientem. Vide Bologni *de Indulgent. num.* 73. Suar. *loc. cit.* & Palaum *Tract.* 24. *Part.* 11. distinguentes.

CAPVT VII.

An cum Festo transferantur Indulgentiæ?

SUMMARIUM.

Referuntur duæ Authorum sententiæ circa illam quæstionem: Vtrùm Indulgentia concessa pro aliquo festo transferatur translato isto? 321. & 322.

Quando festum fori & Chori simul, transfertur quoad solum officium & missam, non transfertur Indulgentia. 323.

Secùs si transferatur festum tam quoad chorum, quàm quoad forum. 324.

Aut quando Regulares transferunt festa suorum Primariorum Patronorum. 326.

Verbum: Declaramus *significat juridicam, & universalem omnium similium declarationem. 328.*

Quid si Indulgentia fuit data determinando diem, aut mensem? 329.

Quid si data fuit pro die mortis, aut translationis? ibid.

Doctrina allata n. 326. est extendenda ad illa festa, quæ sunt constanter translata in certum diem. 330.

Multæ Dioeceses transferunt aliqua festa etiam quoad forum. 331.

Notatur peculiare quid de translatione Patroni Ecclesiæ, & Festi Purificationis. 332.

Item de S. Francisci Xaverii. ibid.

Item de translatione Patroni alicujus Congregationis. ibid.

Referuntur aliquæ opiniones P. Bonagratiæ Capucini circa translationem Indulgentiæ cum festo. 333.

Translatio facta ex consuetudine Dioecesis particularis an possit dici conformis Ritui Ecclesiæ? 334.

Quid censendum de casu, quo festum S. Antonii de Padua occurrit in aliquo festo Pentecostes? 335.

Sixtus V. fecit Congregationi Annuntiatæ potestatem transferendi unà cum festo Annuntiationis Indulgentiam, 336.

Quæst. XVI. *Multæ Indulgentiæ impertiun-* 321
tur obtinendæ aliquo die festo; si contingat illud festum secundùm Rubricas Breviarii transferri in alium diem, transferuntúrne etiam Indulgentiæ ipsæ?

CIrca hanc in frequenti usu versantem, à nemine satis ventilatam quæstionem reperio duas sententias. Prima est P. Stephani Fagundez *in Præcept. Eccles. præc.* 1. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 10. asserentis universim, Indulgentias esse Romani Pontificis voluntate ita annexas certo diei, ut non possint in alium diem transferri, nisi id speciale privilegium in earum diplomate exprimatur. Unde infert, quando transferuntur Horæ Canonicæ, non transferri Indulgentias. Nec malè pro sua conclusione citat Patrem Azor *P.* 2. *l.* 1. *c. ult. q.* 8. licèt malè citet pro ratione conclusionis. Satis clarè eandem opinionem sequuntur tum Portel. *V. Festum n.* 1. tum Peyrinis *Tom.* 2. *f.* 294. absolutè & sine distinctione negantes, cum festo transferri Indulgentiam.

Altera sententia distinguit; aut enim fe- 322
stum transfertur duntaxat in Choro, seu quoad divina officia? aut etiam in foro, seu quoad festivitatem, adeóque cessationem ab operibus servilibus? In primo casu negat transferri Indulgentiam. In secundo asserit transferri. Ita docet apertè Sylvius *in Resol. variis. V. Indulgentia*, cujus verba refert, sequiturque Diana *Part.* 6. *Tract.* 7. *Resol.* 31. & *Tract.* 8. *Resol.* 31.

Dico I. Quando festum fori transfertur, 323
quoad solum officium, seu Horas Canonicas, & Sacrum, non transfertur communiter Indulgentia illi festo annexa, sed obtinenda est

die ordinario. Ita præter omnes citatos tradit Lezana in Summa *V. Festi dies. n.13.* & P. Carolus Guyetus in Heortolog. *Lib. 2. c.19. q.1.* Probatur, tum quia non suppetit sufficiens ratio recedendi hic à proprietate verborum: tum quia *in dubio melius est servire verbis edicti. Text. l.1. ff. De Exercit. actione*; tum quia ejusmodi Indulgentiæ dantur in usum populi, qui nihil scit de tali translatione; sed suæ memoriæ imprimit, aut ex plebeis Calendariis, vel Concione discit tertium, quartum &c. diem hujus, aut illius mensis.

324 Dico II. Quando festum transfertur etiam quoad forum, ita ut tota Parochia, aut ipsius pars à laboribus servilibus cesset illo die, in quem ex Rubricis Breviarii fit translatio, tum etiam cum festo transfertur jus, & potestas lucrandi Indulgentiam. Ita post Sylvium Diana *loc. cit.* cujus apud me magna in ejusmodi dubiis auctoritas, atque Guyetus *loc. cit.* Declaro exemplo familiari. Nam festo Annunciationis Deiparæ offertur Indulgentia Plenaria omnibus Sodalibus Congregationis Rosarii, Virginis Annuntiatæ &c. item solitis frequentare Sacramenta in templis Societatis JESU; & quia quando cadit hoc festum in hebdomadam Sanctam, solet in quibusdam Diœcesibus etiam quoad forum transferri in feriam aliquam post Dominicam in Albis, idcirco Indulgentia illa obtinebitur post Pascha in illis

325 Diœcesibus, non autem ante Pascha. Probo I. Quia propriè post Pascha erit festum Annunciationis, non autem ante Pascha. Probo II. Quia, ut paulò antè dixi, talis Indulgentia datur in usum populi, cui etiam pro Concione publicatur ejusmodi translatio. Datur quoque ad augendam celebritatem ejusmodi festi, ut patet ex Bulla XIV. Clementis IV. & ex Bulla XXXIV. B. Pii V. in Bullario Rodríquez. Est autem clarum, quòd & commoditati, devotionique populi, & augendæ celebritati sit opportunior dies, in quem solennitas fori externi transfertur, quàm alius; atqui *in omnibus dispositionibus maximè spectanda est intentio, & finis Legislatoris. C. Ad aures. De Rescript.* Probo III. Ratione, quam mox adferam.

326 Dico enim III. Probabile est, illas etiam Indulgentias, quæ sunt concessæ pro Festis Primariorum Sanctorum Religiosorum, transferri in illum diem, in quem ii Religiosi transferunt ejusmodi festa, esto ille dies à solis Religiosis, eorúmque familiaribus colatur cessatione à labore servili. Ita arbitrantur Sylvius, & Diana *ll. cc.* ubi ponunt exempla SS. Benedicti, Thomæ Aquinatis, Francisci de Paula, quorum festa à Benedictinis, Dominicanis,

327 Minimis celebrantur. Rationem præcipuam, ultra eas, quæ ex paulò antè allatis peti possunt, desumo ex Bulla Gregorii XIII. apud Peyrinis *loc. cit.* ubi ita loquitur Pontifex: *Cùm festum S. Francisci de Paula post Octavam Paschæ transferri soleat, & ideo in dubium verti posset, an Indulgentia die, quo festum transferri contigerit, à fidelibus adipisci posset: volumus, & declaramus, ut translata esse censeatur &c.* In his verbis Pontificis pondero ego duo. Primum, quòd dicat; *posset verti in dubium*; hic enim loquendi modus, præsertim adjunctus verbo, *declaramus*, innuit non debere, aut debuisse id in dubium verti, sed potiùs formari judicium conforme declarationi, quam mox ipse Pontifex est allaturus.

Alterum, quòd dicat Pontifex: *declaramus.* 328 Nam & declarans nihil novi agit. Clem. *Exivit. De Verb. signif.* Nihilque addit. Gabrielius. *Commun. Conclusion. Lib. 6. Conclus. 3. n.1.* & verbum *declarandi* significat juridicam, & universalem omnium similium declarationem, inquit alicubi Suarez, addens *Tom. 4. de Relig. Tract. 10. l. 3. c. 4. n. 1.* ex communi Sylvestri, & Navarri, quòd Lex declaratoria extendatur ad præterita & futura; favétque apertè Alderanus Mascardus *Concl. 13. n. 420.* post Bart. Baldum, Felinum, dicens: *Lex declaratoria aperit tantùm mentem circa jam ordinata.* argum. *Authenticæ. De mulier. rapt. pass. in fine*, ubi ita loquitur Imperator: *tanquam si Lex ab initio cum tali interpretatione promulgata fuisset.* Cùm igitur Indulgentia pro festo S. Francisci de Paula fuerit primitus data, & publicata sub verborum formulâ, qua solent illæ, de quibus hîc loquimur, sit ut declaratio facta à Gregorio XIII. extendatur ad omnes alias Indulgentias, pro festo aliquo valde solenni ante & post illam Bullam impertitas, & impertiendas; quia *ubi est eadem ratio, ibi est eadem legis dispositio. L.* Illud. *ff. De Leg. Aquil.* favétque apertè Lex 12. *ff. De leg.* & Lex ult. *Cod. eod. &* L. A Titio. *ff. De verb. oblig.*

Excipio ab hac, & præcedente conclusione 329 cum Sylvio, & Diana casum, quo daretur Indulgentia determinando diem mensis. e. g. nominando per se, & non tantùm per accidens diem secundum Decembris, primum Maji &c. Putat quoque Sylvius excipiendum etiam esse casum, quo datur Indulgentia pro die Depositionis, Mortis, Translationis, aut similis &c. Sed fateor, me necdum videre sufficientem rationem hujus exceptionis. Etsi enim festa Sanctorum solita sint celebrari eo die, quo ex hoc sæculo migrârunt, ut patet ex Bulla Pauli IV. quæ incipit: *Gloriosus* apud Cherubinum, attamen eo ipso die, quo ex vi Rubricarum transfertur festum Sancti Confessoris, canimus: *Hac die lætus meruit beatas scandere sedes*; nec ullam facimus in Missa mutationem.

Dico IV. Præcedentes duæ conclusiones de- 330 bent esse indubitatæ, saltem respectu illorum festorum, quæ sunt à tota Ecclesia in diem certum

tum quasi perpetuò translata, ut est e. g. festum S. Norberti, quod Urbanus VIII. à sexto Junii ad XI. Julii, festum S. Dominici, quod à quinto Augusti ad quartum ejusdem transtulit Paulus IV. teste Barbosa. V. *Translatio festi coll.* 707. Sicut Alexander VII. festum S. Francisci Salesii, & S. Petri Nolasci, ut videre est in Breviario Romano, & Casu peculiari, quem de iis refero in Experientiis *Tr. 5. n. 639.* ubi etiam *n. 656. & 657.* speciatim, ob specialem causam differo de translatione Indulgentiæ annexæ festo S. Xaverii.

Quæst. XVII. *Quænam pro complemento præ-*
331 *cedentium conclusionum videntur adhuc notanda?*

RESP. Sequentia I. Licèt Barbosa *loc. cit.* testetur, à Congregatione esse vetitum, ne festa aliter transferantur, quàm permittant Rubricæ; & Gavantus *p. 4. tit. 9. n. 24.* miretur, aliquem Italiæ Episcopum ausum fuisse Anno 1622. festum Annuntiationis Deiparæ, quod tunc in diem Parasceves cecideratet, iam quoad forum transferre, cùm & hæc mutatio festi universalis excedat (ejus opinione) facultatem Episcopi, & eo Anno Romæ, Laureti, aliísque locis ea mutatio non fuerit facta; scio nihilominus, multarum Germaniæ, Galliæ, & Belgii Diœceseon usu receptum, ut quando id festum occurrit in hebdomade Sancta, integre transferatur vel in Sabbatum Palmarum, vel in feriam secundam post Dominicam in Albis. Similiter quando festum S. Michaëlis Archangeli cadit extra Dominicâ, solet in locis lacui Acroniano vicinis transferri in unam, alterámve septimanam, ne ejus observatio impediat, seu interrumpat cœptam jam vindemiam. Quin novi Vicarium Generalem, qui Anno 1636. festum SS. Philippi, & Jacobi, quod tunc occurrebat cum festo Ascensionis suo decreto distulit in feriam secundam proximè sequentem, sed ei decreto se opposuit Magistratus civilis, coëgítque revocare. Postremò in quibusdam Germaniæ Episcopatibus solent Episcopi, quando Vigilia S. Matthiæ occurrit in feria III. post Quinquagesimam, eam transferre in Sabbatum præcedens, quia alioquin plurima peccata per esum carnium committerentur illâ feriâ III. qua de re in Experientiis *Tract. 5. n. 111.*

Has omnes praxes (exceptâ penultimâ) quidquid dicat Gavantus, & me citato Diana *Part. 10. Tract. 16. Resol. 7.* ego approbo; tum præcipuè quia nituntur & longo usu, & gravi causa, nec ignorantur à Legatis Pontificiis; tum etiam quia *potest Episcopus circa suos subditos; quidquid potest Papa in universa Ecclesia, nisi ipsi sit specialiter prohibitum*, ut ex communi Canonistarum docet Sanchez *Lib. 1. De Matrim. disp. 61.* multos referens. Nec obstant difficultates, & limitationes, quas contra hoc Axioma adfert Suarez *Lib. 6. De Legib. c. 14. n. 6. & seqq.*

II. Festum Patroni si occurrat in Domini- 332 cis 2. 3. & 4. Adventûs, & 2. 3. 4. & 5. Quadragesimæ, officium debet fieri de Dominica, nisi sit Festum solenne Titularis illius Ecclesiæ, nam ita decrevit Congregatio apud Barbos. *Coll. 355.* sicuti etiam declarat apud Gavantum in Rubricis Missalis fol. *286. lit. b.* Cæremoniale Episcop. quando festum Purificationis venit in Dominica Sexagesimæ, Quinquages. vel Septuages. celebrandum esse cum commemoratione Dominicæ, si videlicet Purificatio sit Festum Titulare.

III. Indulgentia, quæ offertur jejunantibus in Vigilia Indiarum Apostoli, (sicuti S. Franciscum Xaverium vocat in Bulla Canonizationis Urbanus VIII.) obtinetur die Sabbati: sive die Dominica, sive die Lunæ celebretur ipsum festum. Quod ipsum dico de similibus vigiliis aliqua Indulgentiâ affectis; nam Ecclesia non petit, ut die Dominico jejunetur, argum. C. Sacerdos. 26. q. 7. Et quia festum ejusdem Sancti, quando occurrit in Dominica I. Adventûs, transferimus communiter in feriam II. (ubi festum S. Barbaræ non solitur ritu duplici, sicut colimus Constantiæ) eámque feriam II. tunc colimus decantatis officiis, Concione, vacatione à scholis, ac labore servili intra septa Collegiorum, ac denique populo pro Concione id festum indicimus tunc ad feriam secundam, idcirco Indulgentia Communicantibus in festo S. Xaverii promissa obtinetur tunc feria II. qua de re vide duo peculiaria dubia, quæ resolvi in Experientiis *Tract. 5. n. 654. & seqq.*

Noto postremò, Indulgentiam concessam 333 alicui Congregationi pro die Titulari solito non celebrari in foro, non transferri in diem Dominicam, si fortè illa Congregatio pro majore solennitate diem Tituli, aut Patroni velit celebrare in Dominica: nam ejusmodi translatio non est Canonica, nec propriè festi translatio.

Appendix.

Omnia hactenus expressa in hoc capite septimo mandaveram primo typo, cùm interim lucem vidit luce perquam digna, Summula *selectarum quæstionum Regularium* R. P. Bonagratiæ Habsensis Franciscani Capucini, in qua V. *Indulgentia n. 236.* assuit tractationi de Indulgentiis Additionem sat longam, & doctam de translatione Indulgentiæ cum festo; in qua faciens hujusce mei Tractatus mentionem, mihi assentitur in tribus doctrinis traditis suprà *n. 323. 324. & 326.* addítque resolutionem unius Generalis dubii à me non satis clarè decisi, atque duorum specialium, à me solùm generatim, & implicitè resolutorum. Ait

igitur;

igitur; si festum transferatur quoad cultum divinum publicum, quo tam clerus, quàm tota civitas obstringitur, simul etiam transferri Indulgentiam, sive officium, seu Horæ Canonicæ, seu divini cultus transferantur sive non, probátque inde, quòd Indulgentia sit accidens festi, ergo moto festo moveatur Indulgentia, quia ergo divinus cultus publicus prævalet privato propter majorem solennitatem, & obligationem plurium, & ad plura, ideo transfertur Indulgentia, quando cultus divinus publicus transfertur. Primam partem hujus doctrinæ expressi suprà *n.* 324. probavique contra authores relatos *n.* 321. quibus subscribit noster P. Quintanadvennas in Appendice ad sua Singularia *Tract.* 3. *dub.* 5. exactiùs, quàm alii tractans hoc individuum argumentum, & à me visus primùm hisce diebus, rectè autem refutatus à P. Bonagratia.

At verò quid de altera parte ejusdem doctrinæ Bonagratiæ sentiam, non expressi uspiam, quid videlicet pronuntiandum de casu, quo festum transfertur quo ad forum duntaxat, in hoc quippe eventu disertè, & absolutè ait P. Bonagratia, Indulgentiam tunc quoque transferri. Declaro praxi hujus Urbis Constantiensis, de qua ego in Tom. præced. seu in Experientiis *Tract.* 5. *n.* 93. solent enim, quando vindemia incidit in festa SS. Matthæi, aut Michaëlis, in hac, aliisque vicinis urbibus, & pagis ea festa transferri quo ad solum forum, Clericis interim suum solenne servantibus quo ad Horas Canonicas proprias eorundem festorum. Quæri igitur potest: *An si festum S. Michaëlis honoraretur Indulgentiâ Plenariâ, foret hæc eo tempore vindemiæ transferenda, nec ne?*

Ad hoc dubium respondendum affirmativè ex doctrina P. Bonagratiæ paulò antè descriptâ, negativè autem ex alia ejusdem Doctoris in eadem Additione *pag.* 148. ubi scribit, quando ipse docet cum aliis, Indulgentiam transferri cum festo, esse sibi sermonem de translatione facta *conformiter ritui ab Ecclesia præscripto, non autem ad merum alicujus Superioris beneplacitum.* Subsumo ego: Atqui translatio festi S. Michaëlis, non fit in nostro casu conformiter, sed potius difformiter ritui ab Ecclesia præscripto, ut per se liquet, probatúrque inde, quòd fiat ex potestate dispensativa juncta commutationi; ergo ex doctrina P. Bonagratiæ videtur manifestè sequi, Indulgentiam tunc obtineri 29. Septembris seu die ordinario. At quid si festum S. Michaëlis occurrat tali Anno cum festo Dedicationis Ecclesiæ propriæ, ita ut juxta Rubricas persolvendum sit prima Octobris Officium Canonicum, festivitate fori dilata in tempus posterius? *Quonam trium dierum lucrifiet Indulgentia? Anne* 29. *Septembris? An primo Octobris, quo solus Clerus colet Archistrategum Cœlestem? An denique* 2 1. *Octobris, quo sine alio hujus Archangeli cultu compensabitur neglecta feriatio à labore servili, sicuti factum fuit. Anno* 1659. *& ego refero in Experientiis Tract.* 3. *Casu* 7. *num.* 230.

Ego ad expediendum hanc, aliásque difficultates, & antilogias existimo, festi translationem ex more Diœcesano factam quo ad Chorum, seu quo ad forum sufficienter dici esse conformem ritui Ecclesiæ, quando est formis consuetudini Diœcesanæ inductæ ex causa rationabili; talis enim consuetudo approbatur tacitè, & generaliter à Papa Cap. *Cùm consuetudinis*, & Cap. fin. *De consuet.* Unde consequenter dicendum existimo, quando festum S. Michaëlis transfertur quoad solum forum, Indulgentiam acquiri ipso die translationis. Equidem translatio festi Annuntiationis quoad forum quoque, est tam parum conformis generalibus Rubricis, & mori Ecclesiæ Romanæ, quàm S. Michaëlis, & tamen tam multi DD. defendunt valorem Indulgentiæ translatæ cum solenni festivitate, ipséque P. Bonagratia est contentus translatione festivitatis quoad solum forum factâ. 334

Ait 2. P. Bonagratia, quando festum S. Antonii de Padua cadit in die Pentecostes, & consequenter transferri debet in aliquam diem post Trinitatis, Indulgentiam illi festo destinatam valere illo die, quo celebrabitur (juxta Rubricas) in choro id festum, probátque inde, quòd festum S. Antonii de Padua non habeat alium cultum præter Officium, & proinde locum obtineat doctrina, quam ex Bulla Gregorii XIII. desumpsi suprà *n.* 327. Potest hæc particularis resolutio haberi, (quoad certum quid constet,) pro probabili; & proinde generatim dici, Indulgentiam unà cum festo transferri, tum quando festum non habet ullum alium communem cultum, quàm Officium, id est, Horas Canonicas, & Missam solemnem, ut sentit P. Bonagratia, tum quando habet alium cultum publicum, adeóque feriationem à labore servili, qui tamen, & quæ etiam transferantur in illum ipsum diem, in quem Officium Canonicum, sicuti concluximus suprà *n.* 324. *&* *n.* 331. declaravi instantia de festo Annuntiationis. Quòd si festum transferatur quoad solum Officium, ac Missam, ita ut populus simul & Clerus in die propria festi abstineat labore servili, tunc Indulgentia regulariter non transfertur cum festo. Ita præter citatos *n.* 321. cum P. Quintanadvenna sentit P. Bonagratia in altero è particularibus casibus, quos ab ipso decisos dixi suprà, éstque ille, quo festum S. Joannis Baptistæ occurrit cum festo Corporis Christi. Probat ipse ex præjactis, ut ait, fundamentis, inter quæ non reperio, nisi hoc, quòd sit habenda hac in re 335

major

major ratio obligationis constringentis Clerum simul & populum, quàm constringentis solum Clerum; atqui illa major obligatio reperitur in die proprio festi translati quo ad solum Chorum. Confirmo ego ratione, quam attuli pro conclusione expressa *num.* 323. & quæ re ipsa coincidit cum præsenti resolutione.

336 At objici potest id, quod quidam è nostris Patribus jam vitâ functus, piissimæ, laudatissimæque memoriæ mihi scripsit die 12. Junii Anno 1657. in hæc verba: *Ante duos Annos nostri NN. die Iovis, quo quidem in Choro non celebrabatur festum Annuntiationis occurrens illo die instituerunt Communionem, ut Indulgentias lucrarentur, nobisque Augustam perscripserunt, rationem esse, quòd Indulgentiæ non transferantur cum festo. Verùm errant, nam Augustæ habui impressam Bullam Sixti V. quâ ille potestatem facit cum festo B. V. Annuntiatæ etiam transferendi Indulgentiam; fortasis Reverentia Vestra non vidit hactenus illam Bullam, quia scio, plures ignorâsse eam.* Ita ille Pater. Et omnino verum est, fuisse mihi ignoratam, nec repertam in Bullario Cherubini tametsi foliatim, ut ita loquar, excusso; attamen post hæc ipsa verba, aliáque jam plura descripta ab Amanuensi, accepi Augustâ Vindelicorum petitam authenticam Copiam illius seu Brevis, seu Bullæ Sixtinæ, in qua *Indulgentias concessas Sodalitiis Annuntiationis B. Mariæ etiam sub quacunque alia invocatione, seu titulo erectis* extendit, & ampliat. *Ita quòd in eventum, in quem Officium ejusdem Annuntiationis, seu cujusvis alterius festi, seu tituli invocationis Congregationum, seu Sodalitiorum hujusmodi transferri contigerit, Indulgentiæ privatæ similiter in diem translationis hujusmodi arbitrio Superioris loci dictæ Societatis transferri possint, authoritate Apostolica perpetuò concedimus. Non obstantibus &c. volumus autem &c. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ* 158 . 3. *Calend. Octobris.*

Ita Nomotheta Sixtus. An ergo dicemus, quod ipse sanxit de festo Annuntiationis, esse pronuntiandum de omnibus utriusque fori festis translatis quo ad solas Clericales obligationes? quandoquidem procedendum est de similibus ad similia *L. Non possunt. & L. Nam ut ait ff. De Legibus.* Ibique Not. per Gloss. & DD. At obstat, ni fallor, communis sensus, ut vidimus suprà *n.* 323. & nominatim P. Bonagratia loc. paulò antè citato. An verò dicemus, quandoquidem Sixtus non dicit, se declarare, illam translationem esse faciendam; sed solùm ait, se concedere fieri, hanc concessionem non esse extendendam neque ad alia festa, nisi quibus patrocinetur peculiaris gratia Pontificia, neque ad ipsummet festum Annuntiationis in casu, quo colitur independenter à Sodalitiis Marianis? Certè quæ à Jure communi exorbitant, non sunt ad consequentiam trahenda, *Reg.* 28. *in 6.* An verò pronuntiabimus, id, quod statutum est de hoc festo, intelligi statutum de omnibus festis Titularibus alicujus Confraternitatis? eò quòd Confraternitates plurimùm ornent Ecclesiam, ideóque videantur favore peculiari, iis tamen omnibus, & solis convenienti, dignæ. Ego non ausim hoc asserere, utpote compertum habens, multas Congregationes, seu Confraternitates esse multò inferiores Confraternitate Rosarii, Annuntiatæ &c. videtur igitur mihi propter citatam Regulam vigesimam octavam in 6. & illius eruditam explicationem apud Petrum Peckium, in primis indultum Sixtinum restringendum intra terminos Brevis, adeóque non exporrigendum ad titulare festum ullius alterius Confraternitatis, quàm quæ subsit regimini Societatis, ut satis innuit ipse Sixtus.

Deinde indultum illud esse merè permissivum, ita ut stet in arbitrio Superioris Societatis loci, in quo est erecta Sodalitas, permittere translationem Indulgentiæ, quam meo judicio rectiùs permittet raro, (v.g quando festum cadit in Parasceven, aut Sabbatum Sanctum, utpote quibus diebus non permittitur Communio necessaria lucrandis Indulgentiis,) quàm sæpe; quia indulta propter pietatem non debent militare contra pietatem. Unde factum hic Constantiæ, ut cùm hic liber exerceret operas Typographicas, fuerit in ipsa Dominica Septuagesimæ obita Sacra communio à Civica Congregatione pro obtinenda Indulgentia oblata Sodalibus B. Virginis Purificatæ, cujus Virginis Matris Purificatio occurrebat eâ Dominicâ, eam comprecationem decem horarum in nostra Ecclesia colentibus Dominis Sodalibus. Si ille ipse dies occurrisset in Sexagesimâ, non obstitisset quidquam cursui ordinario, etenim retuli suprà ex Gavanto, quando hæc Festivitas cadit in Dominicam Sexagesimæ, non esse opus translatione.

Hisce omnibus adde, patere ex paulo superiùs dictis, doctrinam traditam suprà *Concl.* 3. *n.* 326. esse intelligendam non de solis primariis Sanctis alicujus familiæ Religiosæ, sed de omnibus, qui solent coli Officio Canonico & Missâ. Ut proinde dictorum in hoc Capite sit hæc synopsis: Indulgentia festi translati, & habentis solennitatem fori communiter adhæret diei, quo id festum celebratur legitimo modo quoad forum. At si careat solennitate fori externi, obtinetur eo die, quo idem festum colitur legitimè Officio Canonico, & Missâ. Festa Congregationum subditarum gubernationi Societatis JESU gaudent hic speciali privilegio.

CAPUT

CAPVT VIII.

De Indulgentiis Stationum.

SUMMARIUM.

Quæ sint Indulgentiæ Stationum? 337.
Nomine Stationis quid intelligatur? Ibid.
Sunt secundùm nonnullos quotidie Romæ Indulgentiæ Stationum. 338.
Frustra dubitatur, utrùm inter Indulgentias Stationum aliquæ sint plenariæ. Ibid.
Regulares possunt omnes lucrari in suis Ecclesiis. 339.
Et etiam plenarias. Ibid.
Respondetur ad objectionem petitam ex Regulis Cancellariæ. 340.
Sufficit, si ad præscriptas quatuor intentiones recitetur quinquies oratio Dominica, & salutatio Angelica. Ibid.
Qualis salus Pontificis intelligatur, quando pro lucrandis illis Indulgentiis oratur ex præscripto pro salute Summi Pontificis? 341.
Quis Religiosus dicatur vivere extra claustra? 342.
An omnes Christiani valeant eas acquirere in Templis Societatis IESV? 343.
Non posse probatur variis argumentis. Ibid.
Posse probatur aliis. 344.
Concluditur pars affirmativa. 345.
Vtrùm Indulgentiæ Stationum sint applicabiles defunctis? 346. *& seq.*
An queat obtineri sæpius de die? 348.

337 Quæst. XVIII. *Quid, & quantæ sunt Indulgentiæ Stationum?*

RESP. I. Indulgentiæ Stationum sunt eæ, quæ conceduntur visitantibus certas quasdam Romanas Stationes, id est, Romanas Ecclesias, quæ sint instar Stationum, seu Præsidiorum, excubiarúmque spiritualium, ut declarat partim Emm. Rodriq. *q.* 89. *a.* 1. partim Cardinalis Toletus *Lib.* 6. *c.* 28. ubi sic loquitur: Ut *intelligas Stationum originem, adverte ex Tertull. c.* 29. *Apol. ex tempore persecutionis, solere Christianos noctu convenire in Basilicas Martyrum, tum ad laudes Dei &c. tum ad negotia circa Religionem tractanda, tum ad corrigendos fratres, qui non bene ambulabant. Postea persecutione cessante, fideles remittebantur, & negligentes erant in stationibus continuandis. Propterea Gregorius (Magnus) ad attrahendos animos fidelium ne vacarent divinis laudibus, adjunxit magnas (non tamen plenarias) Indulgentias, visitantibus loca, seu Stationes, nam nomen* Stationis *significat locum, in quo frequenter convenire solet ad negotia tractanda.* Ita Toletus, ex quo, sicut etiam ex Rodriq. colliges, Authorem Stationum fuisse S. Gregorium Magnum.

II. Sunt autem quotidie Romæ talium Stationum Indulgentiæ maximæ, ut testatur Escobar in Summa *Tract. 7. Exam. 5. n. 5.* & Rodriq. *loc. cit. a.* 2. & quidem, ut nonnulli, teste Rodriq. asserunt, quotidie in aliquibus illarum Ecclesiarum plenariæ, in aliis 4000. Annorum, & 1500. quadragenarum; quam assertionem, quia idem Rodriq. vir adeò gravis non rejicit, non audeo ego rejicere, sicut nec rejicio id, quod asserit Casarubius, *V. Indulgentia 7. Ecclesiarum Vrbis*, ubi affirmat, quotidie in Ecclesia S. Petri, & similiter in Ecclesia S. Mariæ Majoris esse Indulgentias 6000. Annorum, quamvis non sint ibi quotidie Stationes, ut ait Casarubius, asserente Escobar *loc. cit.* esse quotidie ad Sanctum Petrum. 338

Nec quemquam turbare debet: quòd Romæ nonnulli, ut inde mihi scriptum est, dubitent, utrùm ullæ Stationum Indulgentiæ sint plenariæ; nam ejusmodi dubio oppono certam persuasionem doctissimorum, prudentissimorúmque sine numero virorum, & Bullam XIV. Sixti IV. apud Cherubinum, ubi dicit, se Confratribus Hospitalis Sancti Spiritûs in Saxia concedere *omnes Indulgentias Stationum, & Pontificalium Benedictionum Plenarias, & non Plenarias*; atqui illa ætate, quantum quidem ex Bullariis, & aliunde colligere possum, nondum dabantur Plenariæ in benedictionibus Pontificalibus.

Verùm quidem est, quòd Dominicus Sotus *in 4. dist. 21. q. 1. a. 2.* adstipuletur Gersoni, illas Indulgentias, quæ sunt quinque millium Annorum, vocanti *portentosas*, & *quæstorum impposturas*, sed modestiùs sentiunt, loquuntúrque plerique.

III. Has porrò Indulgentias Stationum, 339
ut exprimit Bulla referenda infrà *cap.* 27. *num.* 549. posse quotidie lucrari omnes Religiosos eorúmque Novitios in suis Ecclesiis orantes, docet idem Rodriq. At repugnat Decretum Innocentianum. Et quamvis Lezana *Tom.* 3. *V. Indulgentia n.* 21. post Suar. *disp.* 52. *sect.* 8. *n.* 12. Casarubium & Molfesium censeat, illas solas stationum Indulgentias, quæ non sunt plenariæ, nec pro defunctis, participari ab iis, quibus generatim communicantur Indulgentiæ Stationum, meritò tamen fatetur, oppositum doceri probabiliter ab aliis. Certè Decretum Innocentianum nullam facit restrictionem. Et licèt vera esset opinio Lezanæ, attamen Indulgentiæ Stationum non plenariæ summam continent gratiam, ut patet ex illarum Catalogo. Cæterùm opinionem Lezanæ, & Suarii, non esse veram, patet ex dictis *num.* 280.

Vide omnino P. Bonagratiam Habsensem in

in *Summula sect. quæst.* Regular. *V. Indulgentia n.* 221. fusè, atque nervosè probantem, Indulgentias quoque plenarias Stationum, contineri eâ concessione, qua Paulus V. omnibus Religiosis *intra claustra viventibus, qui suam Ecclesiam visitârint, & ut præfertur oraverint, impertit, ut consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam diebus Stationum consequuntur in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.*

340 Regulam Cancellariæ, qua solùm nituntur Lezana, Suar. & alii adversarii, nihil planè obesse nostræ conclusioni, probo inde cum P. Bonagratia, quia causa, ob quam Innocentius VIII. author illius Regulæ, voluit concessioni Indulgentiarum *ad instar*, inseri specificationem earum, quæ conceduntur, adfertur hæc: *quia aliàs posset Pontifex decipi*; atqui Pontifex non potest decipi, quando Indulgentias Stationum exteris concedit instar Romanorum visitantium Ecclesias Urbis: certissimò enim scit Pontifex, Indulgentiis Stationum contineri plurimas plenarias. P. Bonagratiæ junge P. nostrum Pellizarium in Manual. Regular. *Tract.* 8. *c.* 5. *sect.* 5. *n.* 194. & 195. ubi etiam exprimit, sicuti illâ generali clausulâ Pauli V. involvuntur etiam omnes plenariæ, ita etiam involvi Indulgentias pro defunctis. Porrò per illam clausulam: *ut præfertur*, qua Pontifex utitur, intelligit illum paragraphum septimum, quo idem in sua Vigesima Bulla revocativa Indulgentiarum, exigebat pias ad Deum preces pro Christianorum Principum Concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione. Ratio, cur hoc asseram, est, quia non apparet, ad quem alium paragraphum, quódve aliud membrum referatur clausula: *ut præfertur*. Unde apparet, satis omnino esse, si quinquies recitetur ad prædictas quatuor intentiones Oratio Dominica, & salutatio Angelica.

At *quid intelligitur hic per salutem Romani Pontificis? Temporalis, an æterna? Corporis, an animi, an utriusque?*

341 Non est sanè otiosa hæc quæstio, præsertim suppositâ veritate doctrinæ, quam probavi *Tr.* præced. *cap.* 12. ac repetii suprà *Part.* 1. hujus Tractatus *cap.* 14. *n.* 178. scilicet Indulgentiam requirentem preces fusas ad aliquam specialem intentionem, non obtineri dicendo præcisè: *Offero has preces ad eam, vel eas intentiones, quam, vel quas fortè præfixit Pontifex*, sed exigi, ut lucraturus sciat, quæ intentio sit præfixa, & ad illam speciatim, non autem solùm in genere oret. Quam doctrinam censeo omnino confirmari enumeratione intentionum ita specificatarum in hac ipsa Bulla Pauli V. Et ad dubium propositum, maximèque practicum respondeo, videri mihi per salutem Romani Pontificis intelligi illud, quod exprimitur in Litaniis omnium Sanctorum, dum dicitur: *Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.* Ratio est, tum quia 342
Jura juribus, specialia communibus concordare oportet, atque in uno eodémque sensu intelligere, quoad fieri potest; tum quia verbà sunt propriè intelligenda, vox autem *salus* propriè significat incolumitatem, ut videre licet apud lexicographos, nomine autem incolumitatis intelligimus conservationem bonorum animi, corporis, fortunarum, ut proinde non putarem me compotem fore Indulgentiarum, si precarer pro sola æterna salute Pontificis, fore autem probabiliter, si pro sola temporali, fore certò, si pro temporali & æterna. His adde tum ex Pellizario *citat. n.* 195. illum Religiosum dici intra claustra vivere, (nam Pontifex loquitur de solis viventibus intra Claustra) qui Ordinariè vivit in monasterio, Collegio, etsi frequenter foris degat ex voluntate superiorum; tum ex Quintanadvenna in Appendice ad singularia *Tract.* 6. *dub.* 2. nomine *suarum Ecclesiarum*, quas visitare debent Regulares potituri Indulgentiis Stationum, intelligi etiam illas Ecclesias, esto nondum benedictas, illáque Oratoria pro Sacrificio legitimè approbata, quæ sunt in prædiis, & villis Regularium. Qua de re vide plura *in Tract. præced.* cap. 20.

Appendix Correctoria.

Correctoria, inquam, illius quod suprà *n.* 339. retuli de Indulgentiis Stationum obtinendis quotidie à Religiosis, ac Sodalibus, quandoquidem iis jam duplici typo mandatis accepi ex Urbe illud Decretum S. D. N. Innocentii XI. revocatorium plurimarum Indulgentiarum, & repræsentandum infrà post *n.* 709. quod quidem de Indulgentiis Stationum ita sancit: Indulgentias Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis diebus tantùm Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat (S.D.N.) semel autem &c. ut proinde videar operæ pretium facturus si hoc loco sub unum aspectum dedero illos ipsos dies, qui in Missali Romano referuntur esse honorati Stationibus & quidem,

Hoc omnino Ordine.

Dominica I. Adventûs Statio ad S. Mariam Majorem. Secunda ad S. Crucem in Jerusalem. Tertia ad S. Petrum. Feria quarta quatuor temporum Adventûs ad S. Mariam Majorem. Feria sexta ad Sanctos duodecim Apostolos. Sabbato eorundem quatuor temporum ad S. Petrum. Dominica

quarta ad Sanctos duodecim Apostolos. In Vigilia Nativitatis Domini ad S. MariamMajorem.

In Nativitate Domini.

Ad primam Missam Statio ad S. Mariam Majorem ad Præsepe. Ad secundam Statio ad S. Anastasiam, Ad tertiam Statio ad S. Mariam Majorem.

In Festis.

S. Stephani Protomartyris ad S. Stephanum in Cœlio monte. S. Joannis Apostoli & Evangelistæ ad S. Mariam Majorem. SS. Innocentium ad S. Paulum.

Mense Januario.

I. In Circumcisione Domini ad S. Mariam trans Tiberim. II. In Epiphania Domini ad S. Petrum. Nec reperio in ullo Festorum occurrentium hoc mense ullam mentionem ullius Stationis.

Mensibus Februario, Martio, Aprili.

Nullum Festum ullius Sancti occurrens his tribus mensibus honoratur Statione præter Festum S. Marci Evangelistæ, quo est Statio ad S. Petrum. At verò, quia iisdem tribus mensibus occurrunt Dominicæ Septuagesima: Sexagesima: Quinquagesima: Quadragesima cum suis Feriis; notandum illis omnibus Dominicis, & Feriis Quadragesimalibus posse lucrifieri Indulgentias Stationum.

A Dominica Resurrectionis ad Pentecosten.

Ipsâ Dominicâ Resurrectionis & singulis hebdomadæ Paschalis diebus, & ipsa Dominica in Albis, est Statio in diversis Ecclesiis; sicuti est Feria secunda, tertia, & quarta Rogationum, cum ipso Festo Ascensionis & Vigilia Pentecostes, non facta ulla mentione Sanctorum tum occurrentium; sicut nec quidem Inventionis S. Crucis.

A Pentecoste usque ad Adventum.

Ipso die Pentecostes, & sex sequentibus diebus Stationes. Sicut & Feria quarta, sexta, & Sabbato quatuor temporum mensis Septembris. At nullo aliorum interjectorum dierum, etsi solennissimorum, fit ulla mentio Stationis; adeóque hic omissum debet haberi pro omisso. Quare emendabo illud, quod ad *num.* 612. olim scripseram de numero animarum è purgatorio educendarum à Sodalibus Congregationum Rosarii, & Annuntiatæ.

Etsi autem verba illa, quæ suprà retuli ex Decreto exprimant solùm loca, Ordines, & personas fustra tamen nonnulli dubitârunt, an ipsæ Congregationes contineantur illâ clausulâ, quandoquidem nulla fit earum expressa mentio. Sed utique ipsimet Sodales, qui propriè donantur Indulgentiis Stationum, sunt personæ.

Quæst. XIX. *Vtrùm Indulgentias Stationum* 343
possint in Societatis IESV templis obtinere omnes Christi fideles?

Posse probatur non paucorum ita sentientium auctoritate. Non posse probatur I. Quia nequit ulla Bulla, ullum Breve, ullum vivæ vocis oraculum nominari, quo fiat tam generalis tantarum Indulgentiarum communicatio.

II. Quia si omnes Christi fideles possent in nostris templis lucrari eas Indulgentias, possent etiam in templis aliorum Religiosorum propter mutuam communicationem, hoc autem est contra praxin, & contra communem Doctorum; nam Casarubius, Rodriquez, Antonius Maria de Rheita, & alii, qui collegerunt Indulgentias Stationum, illas tanquam peculiarem Thesaurum appropriant Religiosis.

III. Gregorius XIII. in Bulla, qua Anno 1584. quinto Decembr. confirmavit Congregationem Annuntiatæ Virginis, à Societatis nostræ gubernatione pendentem, tanquam omnino peculiarem gratiam, concessit omnibus Sodalibus potestatem, Indulgentias Stationum obtinendi in nostris templis.

IV. In Compend. Privileg. Societatis. *V. Indulgentia. §. 22. & seqq.* enumerantur Indulgentiæ, quas Christi fideles in nostris templis lucrari possunt, non factâ ullâ mentione Stationum. Imò eodem *V. §. 1. & 2.* potestas Stationum Indulgentiis in nostris templis potiundi restringitur ad nostros; & Ibid. §. 29. respectu sæcularium restringitur ad nostros Procuratores, Parentes, Fratres, Medicos &c.

V. Gregorius XIII. in Brevi quodam Anno 1573. 26. Augusti, augusto templo B. Virginis Visitantis, quod est Halæ in Tiroli, quodque tunc erat Societatis JESU, Indulgentias Stationum impertivit, restringendo tamen, tum ad scholares, *qui nostras scholas frequentant*, tum ad reliquos fideles, *qui in Societatis nostræ templis sæpius Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ percipiunt.* Quam singularem gratiam idem Pontifex cum restrictione ad nostros discipulos, extendit postea ad omnia nostræ Societatis templa, ut dicam *num.* 567. ergo non participatur ab omnibus Christianis; nam si *Pontifex idem* (cum omnibus Christianis) *fieri voluisset, poterat expressisse*, Text. *Cap. 2. De Transl. Episc. §.* Sed neque. Et *quod de uno specificè affirmatur, de opposito negari videtur. C.* Nónne, *De præsumpt.* Sa *V. Interpretatio n. 13.*

VI. Per-

VI. Perdoctus quidam nostræ Societatis Theologus Romæ habitans consultus à me hac super quæstione, respondit mihi Anno 2648. die 22. Febr. in hæc verba; *De quæstione illa, quam R. V. proposuit, & de qua hoc loco inquiri voluit, indagavi apud Patres quàm plurimos, cósque variæ nationis atque doctrinæ, judicio, rerumque usu præstantes, non potui autem ab ullo, præterquam à P. Theophilo Raynaudo intelligere, qui velit admittere, quòd omnes Christi fideles possint in templis nostris lucrari Indulgentias Stationum, sed restringunt ad Sodales B. Virginis,* (& ad illos, de quibus infrà) *asserentes, ita habere praxin in Germania, Hispania, Gallia, Italia, Lusitania, Belgio &c.*

344 His rationibus, & authoribus convictus censeo, partem negativam hujus quæstionis esse veram. Addo tamen, affirmativam esse probabilem, tum quia P. Theophilus Raynaudus non dubitat de veritate affirmativæ opinionis, ut præfatus Pater testatur in iisdem literis, qui eundem Patrem Raynaudum etiam coràm interrogavit; tum quia Paulus V. Anno 1611. die 4. Febr. illi Halensi templo, cujus paulò antè feci mentionem, postquam Societas suo in illud omni Jure cessit religiosissimis, etsi non Religiosis Virginibus Regii Parthenonis, impertivit communicationem, & participationem omnium Stationum, expressè extendens ad *omnes Christi fideles* oraturos in illo templo quinque Pater & Ave &c. ut videre est in Brevi ejusdem Pontificis relato in vita Serenissimæ Magdalenæ Reginæ, & piissimæ Fundatricis memorati Parthenonis. Atqui omnia Societatis nostræ templa gaudent omnibus Indulgentiis concessis templis cujuscunque Ordinis, Congregationis, (est verò Parthenon Regius, Congregatio propriè dicta) Confraternitatis, sicut manifestè supponit Collector Compendii Privilegiorum Societatis *V. Indulgentia. §. 12.* ubi homines Societatis posse in nostris templis obtinere Indulgentias concessas templis quarumcunque Congregationum, inde probat, quòd in Compendio nostrorum Privil. *V. Communicatio gratiarum. §. 3.* tradatur, eosdem Societatis homines, & templa gaudere omnibus privilegiis quarumcunque Congregationum. In qua probatione nomen privilegii in hac favorabili materia extendit etiam ad Indulgentias; aut certè nihil probat. Et verò cùm illud templum, de quo sum locutus, sit à Sede Apostolica affectum tanto munere, non videtur rationabiliter dubitari posse, quin id ipsum munus, eadem ipsa gratia sit itidem à Sede Apostolica impertita alicui, aut aliquot Ecclesiis unius, aut plurium Ordinum Mendicantium; atqui nostra templa potiuntur omnibus Indulgentiis, & gratiis, quibus gaudent Ecclesiæ aliorum Ordinum, etiam non Mendicantium, uti clarè habetur in citato *V. Commun. gratiar. §. 3.* Fateor tamen, firmitati hujus discursûs obstare restrictionem, quam circa communicationem Indulgentiarum localium adferam *n.* 557.

Appendix.

Ita de sæcularibus valentibus, & non valentibus ex opinione virorum doctorum obtinere Indulgentias in Ecclesiis mendicantium ratiocinabar, cùm Tractatum hunc subjeci primo prælo, quem discursum cùm legisset P. Bonagratia Habsensis, déque eo meminisset in Summula selectarum quæstionum Regularium Verb. Privilegium. *n. 412. Edit. 3.* cum majore sanè encomio, & libri, & authoris, quàm mereantur, protulit contra ea, quæ pro parte negativa concluseram, eas rationes, quæ partim suadent, partim cogunt mutare sententiam. Etenim refert sententiam Innocentii VIII. insertam mari magno PP. Servitarum B. V. M. tam amplè extendentis ad omnes sæculares visitantes eorum Ecclesias, quaslibet Indulgentias eisdem Ecclesiis impertitas, ut nequeam sine nota obstinationis negare, illis ipsis verbis etiam contineri Indulgentias Stationum, ac proinde posse quotidie eas lucrifieri à quibuslibet Christi fidelibus visitantibus Templa, Oratoriáve cujusvis Ordinis Mendicantis, aut alterius participantis, sicut participant omnia S. Benedicti Monasteria in Helvetia, omnia privilegia, Indulgentiásque Mendicantium, modo in iis Ecclesiis fundant preces, de quibus suprà, & ad præscriptas intentiones; modo deinde sint Confessi, & Sacra Communione refecti, id quippe à sæcularibus exigit Innocentius VIII. in citata Bulla. Ad reliqua, quibus Pater Bonagratia refutat cæteras rationes, quibus oppugnabam opinionem Patris Theophili Raynaudi, arbitrati sæculares quoque omnes posse in nostris templis potiri quotidie iisdem Indulgentiis Stationum, non est operæ pretium respondere, cùm ego jam pedibus eam in sententiâ dicti doctissimi Patris Bonagratiæ, strenuè pugnantis in favorem sæcularium, qui utinam largis eleemosynis studeant remunerari Indulgentiam hujus sui boni Patroni. 345

Quæst. XX. *Possuntne Indulgentiæ Stationum applicari defunctis?* 346

RESP. I. Possunt ab habentibus Bullam Cruciatæ, ut testantur Escobar in Summa *Exam. 5. Tract. 7. n. 55.* Palaus *Tract. 25. p. 5. n. 12.* Idipsum de Religiosis, si quidem sæpius in die visitent Ecclesiam pro iis comparandis; docet teste Escobar, Rodriquezius.

II. Non legi Classicum authorem, qui doceat, eas posse indiscriminatim ab omnibus, qui illas comparant, transferri in mortuos. Imò Palaus *loc. cit.* testatur, esse specialem gratiam, & favorem, quòd Bullâ Cruciatæ instructi possint illas donare defunctis.

347 Unde dubito, an Religiosis permissa sit ea facultas? longè magis an Sodalibus Rosarii, aut Annuntiatæ? Et longè maximè, an verum sit antecedens, & consequens, quod Rheita in Fasciculo *Sacrar. Indulgentiar. dub.* 1. ponit dum in antecedente generatim asserit illum, qui sæpius de die visitat Ecclesiam aliquam Indulgentiâ Plenariâ præditam, comparare sibi ipsi prima visitatione illam Indulgentiam, secundâ verò & tertiâ piis Manibus. Unde infert, cùm quotidie tribus locis Romæ Indulgentiæ Plenariæ Stationum habeantur, omnes, qui volunt, posse sæpius in die iis juvare defunctos.

At ex recitatis horum Doctorum verbis, & sententiis exsurgit hæc

348 Quæst. XXI. *Utrùm quis Indulgentias Stationum sæpius de die revera obtinere queat?*

RESP. Præter Rodriquez, Escobar & Rheitam asserunt Villalobos, Nugnus, & Trullenck, quos refert, sequiturque Diana tum *Part.* 5. *Tract.* 12. *Resol.* 45. tum 1. *p. Tract.* 11. *Resol.* 104. Negant Ludovicus Crucius apud ipsum,

349 item Palaus & alii. Quibus etsi adhæsi in duabus prioribus Editionibus hujus Tractatus, jam tamen absit ut adhæream, quandoquidem S.D.N. Innoc. XI. in Decreto repræsentando infrà *n.* 709. *lit. p.* damnavit hanc opinionem.

CAPVT IX.

De Indulgentia pro die Portiunculæ.

SUMMARIUM.

Indulgentia Portiunculæ fuit ab ipso Christo Domino concessa S. Francisco Assisiati juxta aliquos, juxta alios à Papa ex mandato Christi Domini. 350.

Potest obtineri in omnibus Ecclesiis Ordinis Seraphici. 351.

At non per viam communicationis. Ibid.

Nulla alia gratia jungitur illi juxta Rodriq. Ibid.

An ad eam comparandam requiratur Communio? 352.

An suspendatur in Anno Sancto? 353.

An possit comparari in Ecclesiis aliorum Mendicantium? 354.

Verùm toties obtineatur, quoties secundo die Augusti visitatur Ecclesia? Ibid.

Omnium Ordinum Mendicantium alumni possunt etiam comparare in suis Ecclesiis. Ibid.

350 Quæst. XXII. *De Indulgentia pro die Portiunculæ quænam observanda?*

RESP. Hæc quatuor præcipuè.

I. A Christo Domino fuisse Sancto Francisco Assisiati ad intercessionem gloriosissimæ Cœlorum Reginæ concessam, pro ipso, & omnibus, qui templum Beatissimæ Virginis Angelorum, seu Portiunculæ ad Assisium situm, contriti, & Confessi piè visitarent die secunda Augusti, quâ celebratur Dedicatio illius templi, plenariam omnium peccatorum remissionem, ut reliquos inter docet Emman. Rodriq. *Tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 55. *a.* 18. *& Tom.* 2. *q.* 88. *a.* 6. referens, à Benedictis XI. & XII. ita declaratum fuisse, Raynaudo in Scapulari *Part.* 2. *q.* 5. post Bellarm. tradente, sed contrarium defendente P. Andrea Möhr Franciscano Reformato, in Opusculo de hac Indulgentia *fol.* 30. *& seqq.* S. Franciscum fuisse solùm à Christo jussum dicere Papæ, se velle, ut hic concederet eam Indulgentiam. Historia prolixè recensetur tum in Chronicis & Breviario Minorum, tum in Genealogia Christi, authore Reverendissimo Domino Carolo Stengelio Abbate Brentzenhusano, & Genealogia Beatissimæ Virginis, authore Leonardo Mair ad secundum diem Augusti, quos duos posteriores libros Teutonico idiomate editos, nomino in gratiam illorum, qui carent historiæ Sancti Antonini tertiâ parte.

II. Hanc Plenariam Indulgentiam posse 351
in omnibus Ecclesiis Ordinis Minorum obtineri, docet Rodriq. *cit. a.* 18. eò videlicet, quòd per communicationem omnia indulta concessa uni Monasterio dicti Ordinis, omnibus aliis ejusdem Ordinis Monasteriis, tam virorum, quàm mulierum fiant communia. Verùm etsi huic Doctori facilè assentior quoad ipsam conclusionem, praxi certissima confirmatam, haud tamen ita facilè quoad probationem ejusdem conclusionis. Etenim Paulus V. Anno 1608. hujus Indulgentiæ in templis PP. Capucinorum obtinendæ potestatem fecit literis *ad decennium duntaxat valituris*, ut videre est in Brevi, quod ad calcem Annalium Capucinorum describit Boverius. Et Gregorius XV. Anno 1622. illam gratiam confirmans, atque amplians *literis perpetuis futuris temporibus valituris* dicit: *volentes omnes & singulas Ecclesias Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum ubique existentium aliquo spirituali munere illustrare, omnibus Christi fidelibus, qui die secunda Augusti &c.* Equidem neque Venerabilis Congregatio PP. Capucinorum eam gratiam à Sede Apostolica petiisset, neque Paulus V. ad decennium restrinxisset (nam *quod favore quorundam ordinatum est, ad læsionem illorum vergere non debet. L.* Quòd favore 6. *C. De Leg. & Cap.* Quod ob gratiam, *De Reg. Iuris in* 6.) neque Pauli Successor

cessor Gregorius eam veluti *Illustre* quoddam, *singulareque munus* impertiisset, si vel ipse Ordo, vel hi duo Pontifices, censuissent, prædictum Indulgentiæ beneficium per viam communicationis competere omnibus Minorum Ecclesiis. Nihilominus Rodriq. *cit. Tom.* 1. *q.* 58. *a.* 3. expressè tenet, Augustinianorum Ecclesias gaudere hoc indulto. Sed negat P. Möhr *loc. cit. fol.* 151. *& seqq.*

III. Cum hac Indulgentia nullo modo conjunctam esse potestatem absolvendi à reservatis, aut commutandi vota, scribit singulariter Rodriq. *cit. a.* 6. sed vide in Appendice ad *n.* 354.

352 IV. Ad eandem Indulgentiam lucrifaciendam non requiri Communionem sacram, sed sufficere Confessionem, & Ecclesiæ Minorum visitationē, insinuat Rodriq. dum *q.* 55. *cit. a.* 18. disertè ait, illam Indulgentiam acquiri ab omnibus, qui contriti, & Confessi visitant Ecclesiam Monasteriorum Ordinis S. Francisci. Verùm obstant illa duo Brevia, quorum paulò antè feci mentionem, & in quibus expressè exigitur communio sacra, cum oratione ad tres communes intentiones; exigitur, inquam, pro templis extra Assisium, nam in Assisiate sufficit Confessio vera, atque visitatio Religiosa, ut patet ex Breviario Minorum.

353 Quæst. XXIII. *Indulgentia Portiunculæ suspendatúrne in Anno Sancto?*

Hanc quæstionem mihi proposuit ex Ordine Minorum vir eruditus; cui mox respondi, me non dubitare de illa, quæ extra Assisium comparari solet; tum quia verba Bullæ suspensivæ sunt valde generalia, & specifica simul; tum quia non est hujus major ratio, quàm aliarum quarumdam, quas certum est interdici; tum quia non legi, qui excipiat, & Anno 1625. non fuit excepta.

Si verò loquamur de ea Indulgentia, quatenus Assisii obtineri solita est, occurrit omnino peculiaris ratio dubitandi, imò negandi illam suspendi. Nam ipsemet Christus Dominus eam, & quidem in perpetuum impertiit illi templo; cui singularissimæ gratiæ non videtur Pontifex aut posse, aut velle quidquam derogare, argum. *Cap.* Nulli *Cap.* Sunt quidam, & *Cap.* Contra 25. *q.* 1.

Sed quidquid sit de potestate, quam negat Möhr *loc. cit. fol.* 74. voluntatem S. D. N. Innocentii X. habemus satis perspectam, etenim in sua suspensiva Bulla non interdicit alias, quàm à sola Sede Apostolica profectas Indulgentias, ut patet ex ipsa Bulla, à me in Tract. de Jubileo descripta; & insuper rescriptum mihi est ex Urbe, illam Indulgentiam consentiente sua Sanctitate quæsitam, & acquisitam Anno Jubileo 1650. in memorata Ecclesia Beatissimæ Mariæ Angelorum.

354 Dictis de Indulgentia Portiunculæ addo nonnulla ex nostro Patre Quintanadvenna, cujus totus, & brevis Tractatus quartus Appendicis adjectæ ad Singularia impensus est huic particulari argumento. Docet igitur primò hic author *loc. cit.* suppositō (quòd ipse supponit) quòd omnes Regulares lucrentur in suis Ecclesiis omnes Indulgentias, & Jubilea, quæ in aliis totius orbis sunt; supposito insuper, quòd omnes Tertiarii etiam Sæculares fruantur cunctis privilegiis & Indulgentiis illius ordinis, cujus tertiam profitentur Regulam; supposito tertiò, quòd omnes etiam sæculares portantes Chordam, Corrigiam, aut Scapulare Minorum: Augustinianorum: Carmelitarum, quibus præfati Regulares, his, inquam, tribus suppositis, approbatisque à se, infert ille author, omnes dictos Tertiarios, Chordigeros &c. tametsi sæculares posse Indulgentiam Portiunculæ lucrari in templis aliorum, quorum vis Ordinum; sicut, ipso teste, Emman. Rodriq. *Tom.* 1. *q.* 58. *a.* 3. & Hieronymus Rodriquez *Resol. Regul. Resol.* 11. *n.* 4. speciatim tradunt de Corrigiatis Augustinienſium, lucrari hoc Portiunculæ Jubilæum, si visitent Altare à Prælatis Augustinianis assignatum, ac recitent illic quinquies Pater, & Ave, indéque etiam probat Emmanuel Rodriquez, quòd illi Chordigeri, & Chordigeræ consequantur omnes Indulgentias, quas ipsimet PP. Augustiniani. Idem Quintanadvennas *cit. dub.* 2. *n.* 5. meritò non assentitur Collectori Indulgentiarum Minorum, & Mendicantium, insinuanti, quoties fideles devotè visitant in die Portiunculæ, Ecclesiam Assisiensem, toties lucrari novam Indulgentiam adeóque aliam, atque aliam animam posse liberare pœnis Purgatorii. Ratio, cur hanc doctrinam rejiciat Quintanadvennas, est, quia non exhibetur ullum Pontificium Indultum, quo exprimatur tam singularis gratia.

3. At verò *in dub.* 3. *n.* 4. adversus Emmanuelem Rodriq. & Mirandam, tenet cum P. Möhr *loc. cit. fol.* 115. omnes fideles posse lucrifacere Indulgentiam Portiunculæ, si visitent aliquam Ecclesiam Monialium professarum Regulam S. Francisci, eò quòd varii Pontifices extenderint Indulgentiam ad omnes Ecclesias Ordinis S. Francisci sine ulla exceptione; atqui Ecclesiæ talium Monialium sunt Ecclesiæ Ordinis S. Francisci. Et verò nos superiùs *n.* 351. proposuimus, qua ratione Paulus V. & Gregorius XV. illam gratiam extenderint specialiter ad Patres Capucinos. Illud certum, quòd omnes Ordines Mendicantes possint vi suorum privilegiorum fieri participes illius beneficii, si in suis met Ecclesiis perficiant requisita.

Tribus hisce doctrinis ex P. Quintanad. relatis jungo, approbari à P. Bonagratia in Summula *Verb. Privilegium n.* 412. id quod infrà

cap. 27. addam de Indulgentia Portiunculæ, scilicet Communicationem Indulgentiarum vigentem inter Mendicantes Ordines non extendi ad omnes Sæculares, visitantes secundo Augusti quorumlibet Mendicantium Ecclesias. Jungo quoque hanc

Appendicem.

a Quam pro pleniore intelligentia pretiosissimæ istius Indulgentiæ attexo huic novissimæ Editioni ex Libello, cui nomen *Portunculæ Theologica* recèns conscripto à P. Andr. Mohr strictioris observantiæ S. Francisci alumno, & Lectore Theologo; qui quidem eruditus scriptor tradit, probátque ad meum propositum *seqq.* 1. Christus Dominus S. Francisco petenti illam Indulgentiam pro Portiuncula, seu Ecclesia B. V. Assisii, respondit se petitionem ejus admittere, ut referunt Barthol. Pisanus, & Wadingus, seu eam petitionem sibi placere, ut habet Breviarium Ordinis, ergo re ipsa eam ipsemet concessit immediatè & directè, non autem mediante Papæ ministerio. Consequentiam & consequens ipsum ita sapienter *pag.* 31. & 32. Edit. Salisburg. Anno 1670. probat, firmátque hic scriptor, ut ipsi integre assentiar, non autem Patri Raynaudo relato suprà *n.* 350. 2. Illa Indulgentia

b potest applicari non solùm defunctis *pag.* 45. ut docet communis sensus ac praxis fidelium dictam Ecclesiam visitantium, sed etiam aliis vivis. *Pag.* 42. Ita quippe testantur historiæ, Chronica FF. Minor. & communis piorum fidelium consensus; adeò ut Sacrista Assisianus nonnunquam 8. 9. 10. millia testimoniorum (præsititæ fidei) impressorum tradat iis, qui à viris Principibus, atque aliis missi fuêre ad illud templum, ut eam Indulgentiam lucrifacerent, non sibi sed illis, à quibus ablec gati erant, appropriandam. 3. Indulgentia Portiunculæ habet (etsi repugnet Rodriquez relatus suprà *n.* 351.) adjunctos omnes illos quatuor favores, quos Tract. præced. *n.* 4. & 12. retuli, adeóque etiam potestatem faciendi compositionem super ablatis incertis, aut illicito modo extortis. *pag.* 63. & 64. ubi expressè scribit eâ Indulgentiâ contineri non solùm remissionem omnis pœnæ, sed etiam reliquas facultates, quas ex me citato expresserat, *pag.* 62. & 63. Atqui illic expresserat ex me potestatem faciendi illam compositionem. Et verùm quidem est, me *n.* 12. dicti Tract. referre ex P. Palao jus illius compositionis; at simul ultimam meam determinationem differo ad cit. *cap.* 48. citati Tract. in quo *n.* 364. secundæ Editionis, quæ prodiit in lucem tribus mensibus post expeditam à P. Mohr, & in qua pronuntio me idcirco non assentiri P. Palao, quòd videam illud tam rarum privilegium dissimulari à Theologis & Canonistis, qui ante & post eundem doctissimum Patrem accuratissimè scripserunt de favoribus Jubileorum. Id ipsum repeto in hac Editione, tum *cit. n.* 364. tum in Append. ad illum ipsum *num. lit. oo.* 4. Illa ipsa Indulgentia Portiun-d culæ ita extenditur ad omnia, etiam Oratoria, Sacella minora, ac amovibilia & occulta, proindéque etiam Sacella infirmariæ FF. Minorum, & ita quidem, ut si plura ejusmodi Sacella reperiantur in uno parvo, aut magno Conventu, possit ab omnibus Fratribus Ordinis Seraphici obtineri die 2. Augusti, in quòvis talium locorum Indulgentia Plenaria, cum jure eligendi sibi tam extra, quàm intra Ordinem Confessarium, qui absolvat à reservatis. Extensionem ad talia Oratoria probat verbis expressis in Brevi, quòd Urbanus VIII. Anno 1639. concessit Ordini, potestatem autem eligendi Confessarium inde, quòd hæc soleat annecti Jubileis, & posse à Franciscanis praedicari tradit Portel. de Dubiis Regul. V. *Confessio* in Addit. *n.* 6. 5. Quin imò omnes se-e culares frequentantes ubivis terrarum ejusmodi loca, fiunt participes ejusdem Indulgentiæ, & favorum ipsi annexorum, *pag.* 109. probans peculiaribus Bullis Summorum Pontificum, facientium extensionem ab ipsis personis, Ordinis Seraphici ad alias; ac postmodum singulariter probans, de Ecclesiis Clarissarum, & Tertiariorum, Tertiariarúmque, itémque aliarum alterius Ordinis, subjectarum soli obedientiæ FF. Minorum, nam visitantes horum & harum Ecclesias & Oratoria, gaudent eo fructu, quo virorum. 6. Tametsi Em-f manuel Rodriq. *Tom.* 1. *q.* 58. *n.* 16. & Hieronymus tanquam certum tradant, ob authoritatem Bullæ à Leone X. concessæ Ordini Prædicatorum, dictam Indulgentiam obtineri posse in Ecclesiis quoque PP. Prædicatorum, & consequenter in aliorum Ordinum communicantium cum Prædicatoribus *pag.* 151. attamen & probabile est Leonem id nunquam concessisse. *pag.* 154. & licèt concessisset, quia tamen nec ipsi Dominicani, nec alii Religiosi hactenus usi sunt hoc beneficio communicationis, exciderunt Jure illius, quia privilegium affirmativum amittitur per longum non usum, si sæpe fuit oblata occasio utendi, nec obstitit impedimentum. *pag.* 156. ex Portel. de *Dubiis Regul. V.* Privilegium *n.* 57. & communi: ut asserit, quod tamen ego alibi cum Suarez, & aliis absolutè negavi, negóque. Nulli tamen Ordini diverso à Minoritarum author sim usurpandi Jus, de quo Rodriquez.

7. Indulgentiæ Portiunculæ probabiliter g (salva interim Sedis Apostolicæ in Ecclesia Christi visibili eminentia, & potestatis plenitudine) non possunt suspendi authoritate humana etiam suprema Pontificis. I. Quia Joannes XXII. apud VVadingum ad Ann. 1223.

n. 4.

n. 4. non audet os ad illas apponere. Et Urbanus VIII. in Bulla: *Cùm nuper*, editâ Anno 1624. expressè testatur, has Portiunculæ Indulgentias nec sua suspensione comprehendi, nec comprehensas esse in verbo Romani Pontificis. Item Innocentius X. suam suspensionem à P. Gobat *de Iubil.* antè relatam disertè ad Indulgentias à Romano Pontifice concessas limitat, ut has nostras excipiat. Horum autem omnium non apparet ratio alia, quam quòd ipsimet judicent, se has nostras Indulgentias suspendere nequire. II. Quia à supremo Ecclesiæ Hierarcha Christo Domino immediatè descendunt, adeóque nulli inferiori potestati, quoad ullam mutationem subduntur. *pag.* 75. ubi hæc omnia verba est legere. Quibus rursum addo ex eodem *pag.* 42. posse eam Indulgentiam donari, tum aliis vivis absentibus, tum defunctis. Item ex ejusdem sententia *fol.* 63. cum eâdem concedi jus petendi absolutionem à reservatis, & votis, sicut in Jubileo; quas omnes gratias scribit ipse *fol.* 48. *n.* 37. competere visitantibus omnes alias Minorum utriusque sexus Ecclesias. At ego nequeo affirmare usum Germaniæ favere huic doctrinæ, quamvis etiam non negem, utpote ignarus praxis.

CAPVT X.

De Indulgentiis pro Communione Generali.

SUMMARIUM.

Hæc Indulgentia non suspenditur in Anno Sancto. 355.

Pœnitentibus intimanda conditio de communione peragenda in Ecclesia Societatis IESV. Ibid.

Item qualitas intentionis. Ibid.

Defenditur doctrina, & praxis ostendens, Indulgentiam Communionis Generalis non posse obtineri nisi in Ecclesiis designatis à Superioribus Societatis. 356.

355 Quæst. XXIV. *De Indulgentia pro Communione Generali, quænam observanda videntur?*

RESP. Præter ea, quæ ex professo in præced. Tract. de Jubileo *toto cap.* 27. tradidi, de ortu, & conditionibus hujus Indulgentiæ, quatuor duntaxat hîc memoranda censui.

Primùm, doctrinam, quam ibidem tradidi de prædicta Indulgentia, defunctis etiam durante Anno Jubileo applicandâ, & publicè privatímque prædicandâ, receptam, firmatámque esse, tum praxi per totum tempus currentis Anni Jubilei M. DCL. communissima Concionatorum, Confessariorum, & aliorum utriusque sexûs fidelium, tum judicio præstantissimorum Germaniæ nostræ Theologorum, etiam antequam innotuisset illa declaratio S. D. N. de qua *n.* 631.

Alterum, sæpe admodum expedire, ut pœnitentibus dicant Confessarii, esse omnino quid peculiare, quòd pro comparanda hac Indulgentia, sit necesse sacram Communionem obire in templo à Superioribus Societatis determinato, cùm pro Indulgentiis reliquis, quæ consueverunt impertiri in festis Confraternitatum, Religiosorum, Sanctorum Francisci, Dominici, Ignatii, Dedicationis, Patrocinii &c. perinde sit, ubi quis Synaxin accedat. Sum expertus multos suo cum gravi incommodo in certa aliqua Ecclesia ideo communicâsse, quòd putarent se in alia communicando non potuisse fieri participes Indulgentiæ.

Tertium. Quia toties experior rudes homines ignorare, ad quam intentionem orare debeant, pro lucranda hac Indulgentia, optimè illis consulet Confessarius, qui pro partiali, aut etiam (quando solùm levicula peccata commissa sunt) Totali pœnitentia imponet iis, ut dicant ter, aut quinquies Pater & Ave ad tres præscriptas (quas majoris securitatis causâ nominabit) intentiones.

Quartum. Cùm P. Bonagratia Habsensis 356
legisset, quod dicam breviter infrà *cap.* 27. *n.* 555. de Indulgentia præsenti non communicabili Ecclesiis aliorum Ordinum Mendicantium, scripsit in sua Summula verb. Privilegium. *num.* 412. se non videre, cur impugnetur hujus specialis Indulgentiæ communicatio cum aliis Religiosis Ordinibus, si quidem iis placeret eandem secundùm requisitas conditiones in usum deducere; quod quia non faciunt, nihil ipsis nocet, inquit idem scriptor; cui adstipulor lubens neganti, solum non-usum hujus favoris quidquam obesse juri ad illum, id quippe sufficienter probat ratione particulari subministratâ ab Emman. Rodriquez, cui jungo hanc generalem; quòd privilegia nemini præjudicantia non amittantur per solum non-usum. Fusè Suarez *Lib.* 8. *De Legib. cap.* 34. & Barbosa *De Offic. & potest. Episc. alleg.* 26. *n.* 11. at necdum eidem authori assentior, volenti, illum ipsum favorem posse per viam communicationis obtineri in Ecclesiis aliorum omnium Mendicantium. Rationem peto in primis ex communi Prælatorum Regularium Mendicantium judicio, & praxi. Cùm enim ex una parte constet, hanc pretiosissimam Indulgentiam ab iis non proponi fidelibus in tot centenis, & millenis Conventibus, quos habent sitos in oppidis, pagísque etiam iis, in quibus nostra Societas nullum domicilium obtinet; ex alia verò merito

supponamus, multisque eorum præclarè factis comprobetur, ipsos esse strenuos promotores cultus divini, atque pietatis in animas purgantes, cur dicamus illos, *tam immisericordes* (utor verbis P. Bonagratiæ) *versus afflictissimos incolas Purgatorii*, ut jam à plus 40. Annis neglexerint tam optatam occasionem juvandi hosce incolas, si quidem existimant, se pollere jure ea utendi? An hoc non est mnam reponere in sudario, absconderéque talentum? Rectiùs dixeris, illos prudenter timuisse, ne utendo ea participatione fierent obnoxii maledictioni æternæ, quam Clemens V. in Clement. Religiosi §. 2. *De Privil. & Excess. Privilegiatorum* interminatur pronuntiantibus, Indulgentias indiscretas, id est, non concessas *Gl. Ibidem*, verb. *Indiscretas*. Qua de causa concludit denique P. Bonagratia, ea, quæ paulò antè scripserat, de quarundam Indulgentiarum extensione per viam communicationis, esse à se dicta differendo potiùs, quàm asserendo.

Peto deinde rationem ex ponderatione tum individualium circumstantiarum expressarum in communi Bulla descripta *Tract. præced. cit. cap.* 27. tum finis, ob quem emanavit illud indultum, qui fuit, ut multorum centenorum, millenorum Christi fidelium in una, eadémque Ecclesia instar aciei conspirantium in carceris tenebrosi evacuationem, accendantur, ut ferè fit, singulorum animi. Quæ flammæ segniùs excitarentur, si in 2. 6. 8. Ecclesiis unius, ejusdem civitatis aliæ, atque aliæ, ut ita dicam, cohortes aggrederentur illum carcerem. Vires unitæ plerumque plus efficiunt, quàm dispersæ; sicut funiculus triplex difficiliùs rumpitur, quàm tres seorsim funiculi. Nec dubium est, quin una è causis, ob quas Ecclesia constituit loca publica destinata precibus, fuerit etiam hæc, ut ipsa piarum mentium corporalis conjunctio fervorem augeret precantium.

Assentitur mihi non obscurè P. Andreas Möhr, Ordinis Seraphici, in opusculo, (de quo in præcedente capite) *fol.* 160. aliique eodem teste. Sed vide id, quod de Illustrissimo Principe & Abbate ad S. Gallum, déque PP. Capuccinis Provinciarum Sueviæ & Helvetiæ memoravi in Tract. præced. seu de Jubil. *cap.* 27. *n.* 200.

CAPUT XI.

De Indulgentia in triduo Bacchanalium.

SUMMARIUM.

Origo Indulgentiæ istius. 357.
Ea est plenaria. 358.
Conditiones requisitæ ad eam. 359.
Innocentius X. addidit conditionem de continuatione, diu noctuque. 360.
Quomodo intelligenda illa continuatio? 361.
Plura alia circa hanc remissivè. 362.
An quando illa oratio debebat continuari, die ac nocte per horas quadraginta, fuerint compotes effecti illius ii, qui orabant hora quadragesima tertia, vel sexta continuatæ publicæ orationis. *Ibid.*

357 SUppono nostris Patribus authoribus jam permultis ab hinc Annis, ut liquet vel ex Brevi Pauli V. edito die 3. Januar. Anno 1606. institutam comprecationem 40. horarum triduo Bacchanalium, seu Dominicâ Quinquagesimâ, & duabus feriis insequentibus, cum tanta multis in locis & precantium, & sacram Synaxin obeuntium multitudine, ut nostrum Collegium Friburgense apud Helvetios, plerumque octo, vel novem millia numeret tum Dominorum Senatorum (quorum eximiæ prorsus religionis, & pietatis illo triduo undecim ipsos Annos oculatus testis, ministérque fui,) tum civium, tum rusticanæ plebis à tribus quatuórve milliaribus Germanicis, seu sex, octóve leucis accurrentis, per illud tempus, quo diabolus tam latè, & liberè bacchatur, ac regnat, ad divinam mensam accumbentium.

358 Quæst. XXV. *Quænam Indulgentia obtineatur illo triduo?*

RESP. Plenaria, quæ tamen non potest applicari animabus purgatorii, nec nisi semel illo triduo à quoquam comparari, ut post Paulum V. expressit Urbanus VIII. in Brevi Anni 1639. Potest autem dici, esse unam ex certissimis, quæ dari solent, quandoquidem in primis causa, propter quam datur, est gravissima, scilicet ut illo triduo & gravissimorum flagitiorum numerus minuatur, & loco illorum egregia pietatis opera obeantur. Deinde quia una ex conditionibus pro illa Indulgentia obtinenda requisitis, est rara & difficilis, duæ ex reliquis non raræ quidem, sed valde religiosæ, ut mox apparebit, nam ulteriùs est

359 Quæst. XXVI. *Quæ conditiones requirantur ad obtinendam Indulgentiam prædictam?*

RESP. Requiritur inprimis Confessio, & Communio. Deinde ut quis devotè per aliquod

quod temporis spatium (Paulus V. Anno 1606. horam integram, cum Anno 1611. nonnisi aliquantum temporis spatium præscripsit) interfit orationi 40. horarum, quæ fit illo triduo in Ecclesiis Societatis JESU. An verò possit propter communicationem privilegiorum, & gratiarum, quæ est inter Religiosos Mendicantes, hæc oratio fructuosè, in ordine ad lucrandam Indulgentiam, institui in templis aliorum Ordinum? (ut quidem nonnullos dixisse, & fecisse audio,) patebit ex dicendis *num.* 549. *& seqq.*

Præterea, ut in iisdem Societatis Ecclesiis durante ea oratione precetur quis Deum pro Christianorum Principum concordia, extirpatione hæresum, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione.

360 Postmodum ab Innocentio X. addita (ab Alex. VII. non requisita) fuit hæc conditio, ut illa 40. horarum precatio, seu oratio, non sit interpolata, sed continua. Unde licèt illa oratio possit inchoari immediatè post mediam noctem diei Sabbatini exacti, & prorogari usque ad mediam noctem feriæ tertiæ (nam Bulla etiam Innocentii X. tres integros dies concedit) tamen si quis finita supplicatione, seu processione, quâ solet illa oratio claudi, primùm oraret pro concordia Principum Christianorum &c. non esset lucraturus Indulgentiam, ut etiam me citato sentit Cotonius *Lib.* 2. *Controv.* 12. *c.* 3. *n.* 89.

361 Certum quoque est, sufficere ad illius orationis continuationem, modò sit quovis tempore unus unicus homo in templo, qui oret; nam Pontifex utitur voce *orationis*, non autem *comprecationis*; imò quamvis contingeret per breviculum temporis spatium v. g. per sextam unius horæ partem, neminem esse in templo, non tamen censeretur moraliter interpolata oratio; si enim ex tam multorum præstantiúmque Theologorum opinione est una moraliter continuata actio, quâ vel plures homines, unum post alterum confitentes, audis, aut quâ pluribus hominibus in uno Sacro, Christi Corpus præbes, esto fortè ter, vel quater à mensa communicantium redeas ad Altare; aut qua die vetito carnes comedis ad initium, & ad finem prandii, comestis in medio prandio piscibus; si, inquam, illæ actiones, quas enumeravi, sunt in circumstantiis, quas artuli, ita moraliter una actio, ut in Sacra Confessione non oporteat exprimere numerum personarum, quas peccati mortalis reus absolvisti, & communicâsti in casu prædicto, ut egregiè docet Cardinalis de Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 14. §. 2. cum multis contra multos, nec oporteat dicere, te comedisse bis carnes, imò mala foret Confessio, si in casu posito diceres te comedisse bis carnes, clarum est, orationem 40. horarum posse moraliter vocari continuam, & non interpolatam, licèt ob somnolentiam omnium, qui sint in templo, aut unius, pluriúmve tardiratem, vel inadvertentiam contingeret, aliquo breviusculo tempore non orare, cùm præsertim externa orationis signa, ut ardentes cerei, Venerabilis Sacramenti præsentia &c. etiam juvent ad moralitatem continuationis, sicut ad unitatem, & continuationem prandii facit, quòd mensa permaneat strata; atque ita etiam sentiunt, me citato Diana *Part.* 10. *Tract.* 16. *Resol.* 4. & Cotonius *Lib.* 5. *Controv.* 10. *n.* 4.

362 Plura de hujus ejusdem orationis continuitate dixi in Tract. *præced. cap.* 22. ubi etiam ostendi, licèt hæc Indulgentia promittatur iis solis, qui orant durante oratione 40. horarum, eâ tamen potiri posse etiam illos, qui jam exactis primis 40. horis suam perficiunt orationem, durante adhuc continuatione orationis.

Et quia nonnulli de hac re immeritò dubitant, idcirco confirmo hac perspicua ratione, quòd scilicet ex rationibus ibidem à me allatis pateat, quando Pontifex dicit: qui durante oratione 40. horarum oraverit in tali Ecclesia, lucrabitur &c. esse perinde acsi dicat: qui oraverit tunc, cùm habebitur precatio, quæ ut minimùm duret 40. horas; Atqui ille, qui precatur horâ quinquagesimâ prædictæ comprecationis, precatur propriissimè tunc, cùm habetur oratio durans minimùm 40. horas; nam quæ durat horis 50. durat utique saltem 40. *quia plus semper in se continet, quòd est minus. Reg.* 35. *in* 6. Plura vide *cit. cap.* 22. quod conscripsi nondum constitutum habens excudere hunc, ad quem præsens materia directè spectat, Tractatum. Vide quoque Tract. præcedent. *cit. cap.* 22. Appendicem Historicam de ortu & processu Indulgentiæ & conditionū annexarum comprecationi solitæ institui hoc triduo Bacchanalium.

CAPUT XII.

De Indulgentia Reali.

SUMMARIUM.

Quid sit Indulgentia Realis? 363.
Quibus rebus soleat applicari Indulgentia Realis. 364.
Quid intelligatur per Imagines, aut Cruces benedictas? 366.
An per Imagines Sanctorum intelligantur icones solorum Canonizatorum? 367. *& 368.*
Quid referat ad pietatem habere granum benedictum? 369.
Quis usus rerum Indulgentiis prædictarum sit necessarius ad eas lucrandas? 370.
An sufficiat orare ante aliquam ejusmodi Imaginem affixam pariéti? 372.

Quæst.

363 Quæst. XXVII. *Quid est Indulgentia Realis?*
RESP. Est ea, quæ alicui rei v. g. Imagini, Rosario, Grano &c. affigitur, & ita adhæret, ut non obtineatur, nisi per aliquem illius rei usum, aut præsentiam.

Quæst. XXVIII. *Quibus rebus solet concedi*
364 *Indulgentia Realis?*
RESP. I. Communiter rebus mobilibus, ut Imagini, Rosario. Quamquam si Indulgentiam Altari fixo concessam revocare velis ad Realem, non sum magnopere repugnaturus.

II. Tamersi Clemens VIII, suis peculiaribus
365 Indulgentiis voluerit ornari illas solas cruculas, quæ essent ex auro, aliove metallo confectæ, sicuti liquet ex formula Latina, & Italica impressa, nihilominus dicendum est, Indulgentias Quinque Sanctorum, S. Caroli, & reliquas communiter posse applicari imaginibus, ac crucibus ligneis, & papyraceis. Tum quia in harum formulis indistinctè dicitur eas Indulgentias tribui Imaginibus, & medalliis; atqui *ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Bart. in *L.* De pretio. *ff. De Publicanis.* Tum quia usus doctissimorum etiam virorum ita habet. Tum denique quia non suppetit ratio generalia verba Imaginum, & crucularum restringendi ad metallinas, cùm è contrario *verba generalia generaliter accipienda sint.* argum. *Leg.* 1. *ff. De Legat. præst.* Porrò per Quinque Sanctos intelligo illos, de quibus infrà *Cap.* 17. *n.*436. in App. I.

366 III. Licèt Indulgentiæ, quas Paulus V. ad honorem S. Caroli, Gregorius XV. ad honorem Quinque Sanctorum, Urbanus VIII. atque eorum successores ad varias intentiones dederunt, dicantur concessæ coronis, granis, imaginibus *Benedictis*, & proinde videri possit requiri, ut istæ res habeant aliquam benedictionem Ecclesiasticam, quia tamen non solent, ne quidem à viris Religiosis benedici, ideo censendum est, per illam benedictionem, nil aliud intelligi, quàm simplicem concessionem Indulgentiæ, sicut etiam monet Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 11. Filliucius *n.*135. *Tract.* 8.

Quid nomine Coronarum in eorundem Pontificum Indulgentiis intelligatur, dicam. *n.*410.

367 IV. In iisdem eorundem Pontificum Indulgentiis dicitur, eas non concedi Imaginibus, nisi Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum. Ubi oritur duplex breve dubium. Primum: An saltem in formula Indulgentiarum Quinque Sanctorum, per Imagines intelligantur solùm imagines illorum Quinque Sanctorum? Secundum: Si etiam aliorum, utrùm intelligantur Imagines solorum Sanctorum Canonizatorum, an verò etiam Beatificatorum?

Ad primum dubium respondeo, haud dubiè intelligi Imagines quorumcunque Sanctorum Canonizatorum, ut patet vel ex formulis Indulgentiarum Pauli V. & Urbani VIII. nam illæ utuntur iisdem verbis.

Ad alterum dubium dico, mihi non improbabile videri, quòd per Imagines Sanctorum intelligantur Imagines illorum etiam, qui sunt duntaxat Beatificati. Ratio est, quia illi sunt propriè Sancti, etiam testimonio Ecclesiæ; nam & Martyres Japones, quos Urbanus VIII. in numerum Beatorum retulit, vocat ipsemet Urbanus *Sanctos* Martyres; & Beatificatio à Canonizatione tantùm in hoc differt, quòd per Canonizationem *præcipiatur* omnibus fidelibus, ut illum, qui canonizatur, habeant pro verè Sancto; per Beatificationem verò declaretur, illum, qui Beatificatur, meritò ab omnibus fidelibus, pro verè Sancto haberi, & coli, ut declaravi in Experientiis *Tract.* 3. *n.*678. App. I.

Appendix.

Hanc doctrinam de Jure Indulgentias appli- 368
candi Imaginibus etiam Beatorum nondum Canonizatorum tradideram in prima excusione hujus Tractatus, ignorans, an quisquam ante me asseruisset, negassétve. At postmodum Typographicas operas fatigavit Decima Pars Antonini Dianæ, in cujus *Tract* 16. *Res.* 8. scribit, se in mei gratiam adducere P. Amicum, qui in Cursu Theologico *Tom.*8. *disp.* 20. *sect.* 5. *n.* 92. expressè scribit, nisi Pontifex differtè in sua concessione vetet applicari Imaginibus Beatorum, qui scilicet non sola fama, & voce populi, sed authoritate Pontificia sunt declarati Beati, tunc posse applicari. Hanc meam, & Amici opinionem refert etiam Coronius *Celebr. Controversiar. Lib.* 2. *Controv.* 11. *n.*41. At neuter clarè dissentit, sed solùm uterque opponit praxin Romanæ Curiæ, quam, non video, inquit Diana, applicare Indulgentias nisi medalliis Sanctorum Canonizatorum: P. Bonagratia *in Summula select. qq. Regular. V. Privilegium n.* 413. in fine negat, Indulgentias promissas pro festis Sanctorum Ordinis Seraphici, extendi ad festa duntaxat Beatificatorum, eò quòd de iis non fiat propriè festum. Hæ authoritates, & praxis Romana non auferunt probabilitatem sententiæ à me hìc indicatæ, & solùm positæ tanquam non improbabilis, & etiam confirmatæ inde, quòd Innocentius X. & Alexander VII. in penultimo §. Indulgentiarum ordinariarum expressè promittant Indulgentias, habenti in loco decente *sacram* Imaginem Benedictam: Imago autem Beati Aloysii Gonzagæ, B. Pii V. est utique Imago sacra, cùm futurus esset sacrilegii reus, qui ex contemptu conculcaret illam pedibus. Fateor nihilominus me, si quas haberem Indulgentias applicandas alicui Iconi, non applicaturum Imagini illius solummodo Beatificati, nisi illa Imago, vel numisma referret etiam aliquem Canonizatum; quia quisque prudens meritò sequitur tutiora. Et utiq; non esset imitandus, qui applicaret Imaginibus laudatissimorum à vitæ Sanctimonia virorum Ludovici Granatensis, Joannis Avilæ, Petri Canisii &c. ut observat etiam ex me Diana *loc. cit.*

369 Quæst. XXIX. *Cùm Indulgentiæ dentur non solis Imaginibus, Crucibus, & Rosariis integris, sed etiam quandoque uni grano solitario, quid ad piratam refert habere tale granum?*
RESP. In primis non solet concedi intuitu solùm unius alicujus grani, sed principaliter in cultum alicujus Sancti, vel ob necessitatem aliquam, vel ob egregia merita alicujus Principis Christiani erga Ecclesiam, ut etiam notat Lugo *disp.* 27. *n.*130. Deinde ipsum etiam granum, haud parùm ad pietatis augmentum facit, nam dum illud asservamus, & veneramur, eò ipso honoramus, veneramúrque Sacrosanctam Pontificis, à quo mediatè, vel immediatè granum fuit benedictum, authoritatem, sicuti idem Doctor ibidem subdit. Vide Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 52. *sect.* 1. *num.* 11. addentem, grana per Indulgentiam eis concessam effici veluti quædam Sacramentalia.

370 Quæst. XXX. *Quis usus prædictarum rerum est necessarius ad id, ut per illas acquiratur Indulgentia?*
RESP. Usus harum rerum est, ut quis *secum portans, secum habens, penes se habens, domi habens* (ut loquuntur Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. in concessione Indulgentiarum S. Caroli, Quinque Sanctorum, & Extraordinariarum,) exerceat illum actum, cui est promissa Indulgentia, adeòque non est opus manibus tenere rem Indulgentiâ affectam, videtur tamen crebrò esse opus, ut quis illam actu secum gestet, ut indicant tum citata verba Pauli V. & Gregorii XV. tum Indulgentiæ concessæ, partim Duci Bavariæ Guilielmo, partim Duci Feriæ, quæ nonnunquam utuntur verbo *portandi secum*; tum quia in titulo Indulgentiarum Ordinariarum Urbani VIII. ponuntur hæc verba: *quelli che haueranno appresso di se &c.* hi, qui habebunt
371 apud se aliquam Coronam &c. Et consentit Sanctarellus *de Iubil. cap.* 15. *dub.* 11. in casu, quo dicitur: *qui secum habuerint.* Non tamen requiritur semper id, quod dixi: nam sub finem Indulgentiarum Ordinariarum tam Urbani VIII. quàm Pauli V. ponuntur hæc verba: *Qui Crucifixum, Crucem, aut aliam Imaginem benedictam in cubiculo, aut in alio decente loco domûs, in qua habitat, habuerit, & ante illam requisita oraverit, suprадictas Indulgentias consequetur.* Item in titulo Indulgentiarum Extraordinariarum Urbani VIII. leguntur hæc verba: *quelli che haueranno seco, ò nella loro casa privatamente &c. qui habebunt secum, vel domi suæ privatim.* Eandem phrasin leges in Indulgentiis Innoc. X. Alex. VII. & ferè Clem. IX. ac Clem. X.

Et verò quia mos Ecclesiæ habet, ut pre- 372
cemur coram Imaginibus parieti affixis, Indulgentiam Plenariam lucraberis, si in extremis constitutus dicas semel JESUS MARIA ante Imaginem habentem Indulgentias prædictorum, aut aliorum Pontificum, ut declaratur nominatim in Indulgentiis olim Eminentissimo Cardinali à Sabaudia concessis, & ita etiam potest intelligi §. 28. Indulgentiarum, toties jam nominato, & æternâ memoriâ longè dignissimo Duci Guilielmo concessarum à Paulo V. sicuti etiam §. 1. Indulgentiarum S. Caroli huc extendendus est.

CAPUT XIII.

Aliæ quæstiones de Indulgentiâ Reali proponuntur.

SUMMARIUM.

Quomodo sit intelligenda clausula de habente clam apud se Imaginem benedictam? 373.
Quando conditio apposita censeatur substantialis? Ibid.
An nihil obsit, si Imago prostet in oratorio? 374.
An itidem nihil officiat, si Rosarium benedictum lateat in cista? 375.
Legenda est tota formula Indulgentiarum, ut verus sensus percipiatur. 377.
Quid intelligatur per Indulgentias Extraordinarias? 378.
An navus re alienâ potuerit olim frui Indulgentiis? 379.
Quid dicendum hic stante Declaratione Alexandri VII? 381.
Olim licebat substituere perditæ rei sacræ aliam. 382.
Verùm reperto, quod amissum erat, numismate, pereat Indulgentia, quæ concessa erat posteriori? 385.
Quomodo Pontifex jam pridem mortuus possit impertiri Indulgentias mortalibus? 386.

Quæst. XXXI. *Quomodo est intelligendum* 373
quod jam primùm insinuavi, de privatim habente rem affectam Indulgentia?
RESP. I. Non solùm Urbanus VIII. in Extraordinariis Indulgentiis addidit particulam: *privatim*, seu etiam in fine Indulgentiarum à Gregorio XV. in honorem Quinque Sanctorum concessarum, ponuntur hæc verba: *Sanctissimus Dominus Noster concessit suprадictas Indulgentias, & gratias, ita tamen ut non imprimantur, & Imagines privatim domi*

domi habeantur ; quo etiam modo loquitur Paulus V. in formula Indulgentiarum Cardinalis à Dietrichſtain ; Epiſcopi Bambergenſis Godefridi, & correctioribus exemplaribus Indulgentiarum Sancti Caroli. Vocula: *privatim* utuntur etiam Innocentius X. in formula Indulgentiarum Extraordinariarum, non in Ordinariarum. At Alexander VII. etiam in Ordinariarum, & Clemens IX.

II. Proinde certum eſt, me non fore compotem Indulgentiarum, paulò antè dictarum, ſi coram Imagine, iis affectâ, & in templo publicè appenſa orem. Nam maximè locum hic habet ea generalis Regula, quam ex Suarez affert approbátque Laymannus *Lib.* 1. *Tr.* 4. *c.* 16. *n.* 7. his verbis: Si Legiſlator, cùm actum inſtituit, vel ejus exercendi poteſtatem primitus confert, conditionem, vel formam apponat, cum qua exerceri debeat, cenſetur forma ſubſtantialis. Atqui ex relatis verbis omnino apparet, Imaginem debere loco privato aſſervari.

374 At, *Quid ſi in privato Oratoriolo habeam Imaginem Deiparæ, Indulgentiis affectam? an non fruar iis, niſi deponam ex Oratoriolo?*

RESP. I. Si ſint Indulgentiæ S. Caroli, aut Extraordinariæ Urbani VIII. nil earum valori obſtat, Imaginem eſſe in Oratoriolo collocatam, ut patet ex verbis relatis *n.* 371. & §. 1. Indulgentiarum S. Caroli, & probabo *n.* 440.

II. Idipſum dico de Indulgentiis Ordinariis Pauli V. & Urbani VIII. propter verba, quæ de iis retuli *n.* 371.

III. Si verò ſint Indulgentiæ Quinque Sanctorum, cùm illarum formula dicat: *Qui apud ſe habuerit &c.* ſicut & formula Clem. IX. videri poteſt res dubia, nam non dicor propriè habere apud me rem illam, quam ante meos præciſè oculos habeo, ſi quidem ſit ejuſmodi, ut ſoleat manu, aut pera geſtari. Et verò Sanctarellus *de Iubil. c.* 15. *dub.* 11. poſt Pinellum docet, ſi in diplomatis abſolutè dicatur: *quicunque habuerit talem Imaginem, lucrabitur has, aut illas Indulgentias*, eſſe probabilius, quòd etiam tunc oporteat effectivè ferri, & non ſufficiat domi ſervare. Ego autem contrarium cenſeo probabilius, propter rationem allatam in fine Cap. præcedentis.

375 Quamquam aſſentior Sanctarello, quoad Roſaria, & grana, nam non ſolemus ante illa orare; quare non puto obtineri Indulgentias pleraſque ex hactenus enumeratis ab illo, qui non habet, niſi in ſuo pulpito, aut ciſta Roſarium, aut Coronam, prædictam Indulgentiis prædictis. Confirmo inde, quòd Paulus V. & Urbanus VIII. verbis *num.* 371. relatis ſolas Cruces, & Imagines exprimant, quando offerunt Indulgentias orantibus ante rem affectam Indulgentiis. Et verò quia portare ſecum rem Indulgentiis affectam, eſt actus & profeſſio Catholicæ Religionis tacita, ſaltem in certis quibuſdam circumſtantiis, idcirco poteſt Pontifex rationabiliter geſtationem talis rei exigere, tanquam conditionem ſine qua non.

Sed quamquam ea, quæ dixi hîc, probabilia 376
ſunt, obſervandum tamen eſt pro vera, & individua praxi, licèt in titulo, ſeu Rubrica, ut loquuntur Juriſconſulti, Indulgentiarum ordinariarum Innocentii X. generatim dicatur: *omnibus, qui habebunt apud ſe Coronam, Roſarium, Medallium, aut Crucem*: attamen in ultimo §. hujus ipſius formulæ diſertè exprimitur: *qui habebit unum Crucifixum, Crucem vel aliam Sacram Imaginem benedictam in Cubiculo, vel in alio loco decente, ubi ipſe erit, & adimplebit opera ſuprà dicta, fundendo tamen fundendas ante dictum Crucifixum, Crucem vel aliam Imaginem preces, conſequetur eaſdem Indulgentias.* His omnino verbis conſtat etiam penultimus §. Indulgentiarum Ordinariarum quoque Alexandri VII. qui tamen in Rubrica exprimit ſub diſjunctione: *quicunque habebunt apud ſe, vel domi ſive privatim Coronam, Roſarium, Medallium, & Crucem benedictam*, Clemens verò IX. ſolùm: *Satis eſt privatim habere apud ſe aliquam Coronam &c.*

Ex quibus pro praxi colligo, individuas 377
quæſtiones de modo habendi res prædictas Indulgentiis, decidendas non eſſe ex ſola Rubrica, ſed potiùs ex ſpecialibus articulis, aut paragraphis, qui ſigillatim ſubjiciuntur illi Rubricæ. Colligo deinde, quandoquidem citatus paragraphus, penultimus Indulgentiarum Innocentianarum, & Alexandrinarum non offert habentibus in loco decente Crucem, aut Imaginem, niſi facientibus orationes, quæ faciendæ ſunt ante illas res, ſatis, meo judicio, indicari, preces illas neceſſariò ad lucrifaciendam Indulgentiam peragendas eſſe ante illas Imagines, & Cruces: cur enim hi Pontifices relativè, loquuntur de precibus fundendis ante Imagines, ſi non exigunt, ut fundantur ante illas? Utique autem non eſt neceſſe, ut tunc flectantur genua, nec enim id Pontifices poſtulant.

Quia verò feci paulò antè mentionem de 378
Indulgentiis Extraordinariis, memoro, me abhinc plures Annos fuiſſe interrogatum Literis ab aliquo Sacerdote, quid ego in hoc meo tractatu intelligam per Extraordinarias; eſſe quippe nonnullos, qui putent grande myſterium tegi hoc vocabulo. Sed reſpondi, nomine Indulgentiarum *Extraordinariarum*, quas conceſſêre Urbanus VIII. Innocentius X. & Alexander VII. nihil aliud deſignari, quàm illas, quæ non ita facilè, promiſcuéque dantur, ac ſolent donari eæ, quæ nuncupantur *Ordinariæ*, idcirco autem non donantur tam facilè, & ſine delectu perſonarum, meritorúmve, quia

quia ſunt ampliores, & præſtantiores, quàm Ordinariæ, tametſi Ordinariæ æquè atque Extraordinariæ poſſunt applicari animabus Defunctorum, ſicut & Clementis IX.

379 Quæſt. XXXII. *Imago, aut Numiſma, cujus uſu volo lucrari Indulgentiam, debétne eſſe meum?*

RESP. Cùm à Religioſis debeat abeſſe *Meum ac Tuum, frigidum illud verbum, & quidquid malorum eſt, in vitam noſtram invehens.* S. Chryſoſt. *Orat. De S. Philogonio*, Religioſi autem æquè ac cæteri, poſſint fieri compotes Indulgentiarum, rebus piis conceſſarum, clarum eſt nil intereſſe, ſive illud numiſma ſit tuum, ſive alienum, ut etiam docet Sanctar. *c.* 15. *dub.* 3.

Quare ſi tibi ſuum Roſarium quiſpiam commodet, æquè poteris Indulgentiis illi adhærentibus gaudere, ac Dominus Roſarii. Et ita nominatim declaratur in Indulgentiis Quinque Sanctorum §. 13. Unde abſolutè infert Sanctarellus *loc. cit.* ex Hieron. Gratiano, tibi obventuras mei Roſarii Indulgentias, ſi illud à me amiſſum reperiſti, & orando percurriſti.

380 Obſervo autem, inter formulas Indulgentiarum, quoad præſens inſtitutum, hoc diſcrimen, quòd in formulis, quibus Pontifices erogant Indulgentias ad inſtantiam alicujus perſonæ, aut honorem alicujus particularis Sancti, conſueverint exprimere hanc facultatem, quòd ſcilicet ſit perinde, ſeu quis alienâ, ſeu propriâ re utatur, ſicuti videbis in formulis S. Caroli, Quinque Sanctorum, Cardin. à Dietrichſtain, Ducum Guilielmi, Maximiliani, Feriæ, Godefridi Bambergenſis, Noſtrorum Patrum Aſſiſtentium, Patris Hyacinthi Capucini &c. At verò in aliis Indulgentiis omittitur hæc facultas, ut videre eſt in formulis Communiorum Indulgentiarum Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. Puto tamen eſſe hoc ipſum de his, quod de cæteris dicendum, tum quia ita habet praxis, tum quia ita haud dubiè ſentiunt citati, tum quia id convincunt allatæ paulò antè rationes, tum denique quia *inſpicimus in obſcuris, quid plerumque fieri ſoleat*, *Cap.* Inſpicimus, *De Reg. Iur. in 6.* vide plura *n.* 431.

Appendix.

381 Ita ſenſi, ita ſcripſi priuſquam emanárat Breve Alexandri VII. quod ego totum exhibebo, & explanabo infrà *cap.* 37. ex cujus clauſulis apparebit in primis, tametſi Papa Alexander minimè damnet opinionem ſentientium mecum, Indulgentias ante hunc Pontificem vulgatas potuiſſe indiſcriminatim obtineri ab utentibus medallio, Roſarióve alieno, jam tamen non poſſe; obnitente ſcilicet præſenti Brevi, quod malo vocare conſtitutivum novi Juris, quàm declarativum priorum. Nihilominus tamen repetii in hac ipſa Editione id, quod ante illud Breve perſcripſeram, non ut repetendo oſtendam, inhærere me etiamnum meæ priſtinæ opinioni, quod utique foret ſceleus morte piandum, ſed ut etiam hinc appareat, quàm diverſimodè arbitrentur de rebus etiam quotidianis ſapientes, quales fuêre, quos ſecutus ſum, & quibus me citato jungit alios Diana *Part.* 11. *Tract.* 2. *Reſol.* 50. qua etiam de cauſa tranſferam huc, paulò pòſt adhuc alia, priùs à me non ſine ſuffragio eruditorum typo mandata, quæ tamen nolim nunc aſſerere.

Accedit, quòd cùm Alexander VII. nequaquam cenſura notet opiniones contrarias ſuo Brevi, poſſint ii, qui ante hoc Breve titulo donationis, aut quaſi hæreditatis acquiſîêre Cruces, Roſaria, Imagines affectas Indulgentiis, poſſint, inquam, tales hodiéque ſine ſcrupulo iis uti in ordine ad lucrandas Indulgentias, eſto his ipſis ſit etiam à Clem. IX. ſub pœna nullitatis nunc veritum donare, vel commodare aliis intendentibus comparare uſu earum Indulgentiæ theſaurum.

Quæſt. XXXIII. *Amiſi medallium habens In-* 382
dulgentias valde pretioſas, quid remedii?

RESP. I. Si fuit numiſma affectum Indulgentiis S. Caroli, aut Quinque Sanctorum, & illud non fuit unquam alteri ſubrogatum, potuit olim illi aliud ſubrogari, quod ex ſuæ Sanctitatis voluntate haberet prioris Indulgentias. Idipſum video permiſſum fuiſſe in formulis Indulgentiarum datarum Ducibus Bavariæ, & Feriæ, Cardinali à Dietrichſtain, & Bambergenſi Epiſcopo, in quibus formulis ponuntur hæc verba: *Si una ex prædictis rebus frangatur, aut perdatur, liceat aliam ejus loco ſubſtituere.* Item: *Liceat aliam pro una tantùm vice ſubſtituere.* Sed puto prioris locutionis ſenſum eſſe reſtringendum ad ſenſum hujus poſterioris.

II. At in Indulgentiis communibus Clemen- 383
tis VIII. Pauli V. Urbani VIII. non reperiuntur hæc aut illa verba; imò Clemens VIII. Breve Indulgen. Anno 1597. ita claudit: *Coronâ, Roſario aut grano, ſeu calculo uno, vel aliâ re benedictâ deperditâ, alterum pro ea ſubrogandi facultas ne eſto, neque detur.* Hinc quia illa facultas eſt ita ſpecialis gratia, ut & in nullo jure communi fundetur, & tanquam prorſus novum, peculiaréque beneficium largitioni Indulgentiæ ſuperaddatur merè gratioſe, *quæ autem gratioſè conceduntur ad conſequentiam non ſunt trahenda. Cap.* Quod gratioſè, *De Reg. Iur. in 6.* ſequitur, prædictam facultatem non eſſe uſurpandam, niſi ubi eſt expreſſè conceſſa poſt Breve Alex. VII. deſcriptum paulò ſuperiùs; & verò expreſſè illam negat etiam Clemens IX.

384 III. Licèt dictum fuerit *n.*80. Indulgentiæ concessionem fieri debere signo externo, quando tamen loco amissi numismatis, seu medallii, aliud eligis, eique prioris Indulgentias applicas, non est opus quidquam loqui, aut aliud signum externum adhibere, nam illa tua applicatio, quam rectiùs designationem, & substitutionem dixeris, non est concessio Indulgentiæ, non enim tu, sed Pontifex, aut potiùs Deus immediatè concedit illam Indulgentiam habentibus tale numisma à te deputandum, ut optimè Lugo *Tom.* 3. *disp.* 27. *n.* 151. inde etiam probans, quia facultas concedendi Indulgentias nunquam delegatur laicis, aut fœminis, & tamen ii possunt determinare grana, aut Imagines. Quo etiam argumento, priusquam hunc istius Doctoris locum observâssem, refutavi rationem quandam Pasqualigi *suprà q.*27. Itaque illa tua applicatio, seu designatio, est tantùm conditio, non autem causa Indulgentiæ. Consentit me citato Diana *Part.* 11. *Tract.* 2. *Resol.* 50.

385 Quæst. XXXIV. *Vtrum, si reperiam medallium, quod amiseram, pereat Indulgentia secundi numismatis, à me deputati in locum primi?*

Respondet Cardinalis de Lugo *cit. disp.* 27. *n.*150. videri permanere Indulgentiam in secundo numismate, & non redire ad primum, eò quòd fuerit verificata conditio, ut posset ritè eligi secundum. Addit tamen, te tutiùs, & consultiùs acturum, si utrumque servaveris, nam certum est in alterutro esse Indulgentiam. Consentit Diana *Part.* 6. *Tract.* 7. *Resol.* 33. & rursum *cit. Resol.*50. Ex eâdem superiore responsione emergit insuper hæc

386 Quæst. XXXV. *Quomodo Pontifex jam priùs mortuus, possit concedere immediatè Indulgentias meo medallio?*

RESP. Dubium non est, quin Pontifex, & loco, & etiam tempore distans, possit Indulgentias largiri, etiam per modum absolutionis, ut tradit nominatim Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 56. *sect.* 1. *n.* 3. Atque adeò sicuti mortuus Pontifex potest aliquem ferire excommunicatione sententiæ latæ, ita etiam potest Indulgentiam alicui rei, vel immediatè personæ concedere, non quidem per actum, quem habeat mortuus, sed per actum voluntatis, quem de re, aut personâ futurâ habuit in confuso vivus, modò illum non retractârit; nam voluntas non retractata potest plurimos effectus morales gignere, sicuti rectè observat idem Suarez *disp.* 57. *sect.* 2. *n.* 3. subdens, hoc ipso quòd Successor Pontificis jam mortui non revocet Indulgentias ab eo concessas, eas approbare, & concedere videri.

CAPVT XIV.

Aliæ de Indulgentia Reali quæstiones solvuntur.

SUMMARIUM.

Pereunte re, cui affixa erat Indulgentia, perit ipsa Indulgentia. 387.

Quanta debeat esse ruptura, aut fractura, ut censeatur periisse Indulgentia affixa? 390.

An Indulgentia cerei Agni Dei remaneat in singulis particulis, in quas dividitur? 395.

Papa revera concedit nonnullas Indulgentias talibus Agnis cereis. 397.

Non videtur ea Indulgentia remanere in singulis particulis. 398.

Argumentum à multiplicatione benedictionum ad multiplicationem Indulgentiarum non valet. 402.

Si Papa impertiretur Indulgentias omnibus communicaturis ex mille hostiis in aliquo Ciborio contentis, fieret compos Indulgentiæ is quoque, qui sumeret duntaxat fragmentum. 403.

Quando ante Alexandrum VII. poterat rei perditæ substitui alia, non dabat huic alteri Indulgentiam homo privatus, sed Papa. 405.

Possunt plures Indulgentiæ concedi uni, eidémque rei. 406.

Quæst. XXXVI. *Cruci Caravacensi applicavi* 387
Indulgentias S. Caroli Borromæi, frangitur illa Crux, an amisit Indulgentias? Et si amisit, quid facto opus, ut recuperentur?

RESP. I. Communis opinio Doctorum fert, destructa re, in qua erat Indulgentia, perire ipsam Indulgentiam, Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 57. *sect.* 2. *num.* 11. & loquitur Lugo *disp.* 27. *num.* 150. expressè de re, quæ rumpitur. Ratio est, quia destructis nobis, omnia destruuntur, quæ sunt in nobis, ergo etiam destructa re, cui inhæret Indulgentia, veluti accidens quoddam morale, perit Indulgentia.

II. Itaque in casu, qui ponitur, oportet 388
fracta illa Cruce, aliam Crucem, Imaginem, aut Rosarium designare, quod ex intentione Pauli V. habebit (abstrahendo à reformativo Brevi Alex. VII. de quo *n.*379.) Indulgentias prioris Cruculæ, ut traditur in formula, seu diplomate illarum Indulgentiarum; eademq; est ratio Quinque Sanctorum, & aliarum enumeratarum *n.* 382. Non item Ordinariarum Clementis VIII. Pauli V. aut Urbani VIII. Ordinariarum, aut Extraordinariarum propter rationem allatam *num.* 383. Et universim ubi fit, aut non fit potestas substituendi amissæ aliam, ibi fit, (abstrahendo à dicto Brevi,) aut non fit potestas fractæ substituendi integram; argu-

argument. *Leg. fin. ff.* Mandati: *Nil refert, quod de æquipollentibus fiat.*

389 III. Si hanc secundam Crucem, aut Imaginem etiam frangas, aut amittas, invalidè aliam substitues ejus loco, quia non nisi unicam substitutionem permittunt Paulus V. & Gregorius XV. nec vidi formulam, in quâ permittatur plusquam una subrogatio.

390 Quæst. XXXVII. *Quanta debet esse ruptura, aut fractio, ut censeatur periisse Indulgentia?*

RESP. I. Indulgentiæ applicatæ Rosario, nil officit fractio chordulæ, seu funiculi, quia mutatio & variatio chordulæ non facit, ut Rosarium sit ullo modo mutatum moraliter.

II. Similiter nil obesse videtur, etsi penitus frangatur Crucula Rosarii, aut etiam sexta circiter pars granorum, saltem si alia substituantur, nam censetur nihilominus esse idem moraliter Rosarium.

391 III. Etsi frangatur superior pars, & fibula medallii, ita ut non possit ampliùs suspendi ex Rosario, non tamen perit Indulgentia medallio concessa, quia saltem ratione Imaginis illi insculptæ, potest adhuc inservire ad usum Religiosum.

IV. Quamvis laceretur, aut exuratur tota illa charta, aut tela, quæ est continua cum parte, cui immediatè inhærent colores, Sanctum ipsum repræsentantes, non perit Indulgentia illi Imagini concessa, nam remanet nihilominus vera Imago, seu effigies Sancti.

392 V. Si Cruculæ Caravacensis pars recta, aut transversa ita frangatur, ut quod infractum manet, repræsentet adhuc Crucem Hispanicam, aut etiam qualemcunque Crucem, non videtur intercidisse Indulgentia, quia nihilominus id, quod restat, potest secundùm morem Ecclesiæ inservire ad usum verè, & propriè dictæ Crucis. Si verò ita frangatur, ut non referat ampliùs speciem Crucis, perit Indulgentia, quæ tamen reditura videtur, si partes fractæ denuò copulentur. Quod etiam dicendum censeo de Imagine per medium fissa, aut scissa, iterumque compacta. Ratio petitur ex dictis *suprà n.*320. de interitu, & reditu Indulgentiæ alicui templo, quod destruitur, & restauratur, concessæ; nec enim video, cur formâ templi pereunte, pereat Indulgentia, redeunte, seu restitutâ redeat; & non item destructa forma substantiali Crucis, & Imaginis, pereat Indulgentia, & redeat, quando Imago & Crux dicto modo reficiuntur, cùm præsertim Crux refecta sit physicè, & moraliter eadem.

393 VI. Si Rosarii dimidia pars confringatur, censeo Indulgentiam non remanere in parte integra. Ducor, quia si manet in parte integra, tum posito, quòd dimidia pars non esset confracta, sed tantùm amissa, sequeretur in dimidia parte amissa residere etiam Indulgentiam, cur enim potiùs resideat in non amissa, quàm in amissa? Hoc autem non debet admitti; quia si admittatur, sequetur me posse ex uno Rosario habente Indulgentias Quinque Sanctorum facere duo, quorum singula sint verè affecta Indulgentiis, hoc autem est utique falsum, quia neque ego, neque ullus privatus potest multiplicare intentiones Indulgentiarum faciendo 10. aut plures ex una.

Hanc quæstionem ab aliis præteritam minutiùs discussi, quia cùm Indulgentiæ Quinque Sanctorum, & S. Caroli sint valde pretiosæ, & jam non ampliùs dentur, multi, qui habent reculas, iisdem Indulgentiis affectas, timent, ne per quamlibet fractionem amittant, excidántque suis Indulgentiis.

Appendix.

Dixi, hanc tam multa minuta continentem 394
quæstionem fuisse ab aliis præteritam, quia revera ignorabam, an quis illam discuteret. Verùm diligentissimus Diana non contentus *Part.* 10. *Tract.* 6. *Resol.* 9. describere ex me omnia hîc à me resoluta, describit quoque sat multa ex Patre nostro Francisco Amico, qui ante me: & ex Patre Pellizario, qui post me scripsêre, conspirantia in eundem sensum, quem expressi; putátque Antonius Coronius *Celebr. Controv. Lib.* 2. *Controv.* 12. *c.* 3. *n.*109. id quod indicavi de Indulgentiæ remanentia in Cruce Caravacensi fracta, esse verum, si Indulgentia fuit applicata illi, ut simpliciter Cruci, non verò si tanquam Cruci Caravacensi; quod & ego credo. Addens, tunc videri Indulgentiam esse Cruci Caravacensi, ut tali, applicatam, quando ea Indulgentia est à Pontifice destinata solis, (non autem aliis) Crucibus Caravacensibus. Cæterùm quid sentiendum sit de iis, quæ circumferuntur tanquam datæ illis Crucibus? dicam infrà *cap.* 37. *n.*705. Prius notato, quando Alex. VII. in Brevi suprà proposito, sicut & Clemens IX. aufert jus utiliter subrogandi rei deperditæ aliam, videri voculam, *deperditæ* denotare non modo amissam, sed etiam destructam; nam & deest fundamentum dicendi, illam voculam accipi solùm pro re propriè amissa, & etiam illud deperditum dicitur, quod in rerum natura esse desiit, teste Calepino. Crux autem desiit esse in rerum natura, quando ita fracta est, ut desinat esse propriè Crux.

Cùm verò pleraque, quæ ita distinctè scripsi de illis benedictis rebus fractis, legisset doctissimus P. de Dicastillo, non duxit alienum à sua erudita gravitate scisciatari à me literis ad me datis, quid respondendum censerem, ad quæstionem jamjam proponendam, quam etiam postea in suo *Tom.* 2. *in* 3. *Part.* seu

de Pœnit. Tract. 9. disp. 2. dub. 7. num. 127. resolvit, conveniens quidem mecum in resolutione principali, sicut & consentit Coronius *Lib. 2. Controv. 11. cap. 3. n. 110.* sed hic brevissimè, ille multò succinctiùs, quàm ego. Est ergo hæc

395 Quæst. XXXVIII. *Vtrùm sicuti quando Summus Pontifex benedicens, & Indulgentiis afficiens orbiculos cereos, quos Agnos Dei vocamus, benedictio, & sanctitas remaneat in singulis particulis, in quas ex more recepto franguntur illi orbiculi, ita etiam in iisdem persistat Indulgentia, unà cum benedictione percepta?*

396 Ratio dubitandi esse potest I. Quia remanet in his fragmentis haud dubiè sanctitas, imò & denominatio ceræ benedictæ, II. Si Papa in Cœna Domini e.g. consecraret hostias, & daret Indulgentias iis, qui sumerent ex illis hostiis à se consecratis, etiamsi quamcunque hostiam divideres in varias particulas, cui conferres unam, conferres & Indulgentiam. III. Si concedatur Indulgentia aquæ, quam totam simul benedixit Papa in multis vasis, e. g. viginti, si species primam concessionem Indulgentiæ Realis in re, cui est affixa Indulgentia, tantùm sunt viginti Indulgentiæ, si postea educillando aquam distribuas, unicuique distribues Indulgentiam aquæ affixam. Has rationes subtiles sanè Doctor ille proposuit, & eruditè, ut solet, pluribus declaravit. Ego censui respondendum in hunc modum.

397 Suppono, revera quandoque fieri, ut Papa unà cum benedictione det ejusmodi rebus Indulgentias, & meritò supponitur; licèt enim habeam ad 20. diversas formulas Indulgentiarum, & in nulla illarum fiat hujus rei mentio, & Clemens VIII. vetuerit suas Indulgentias dari Agnis Dei cereis, attamen in una illarum formularum reperio Gregorium XV. concessisse, ut eæ Imagines, Cruculæ, Rosaria, & *Agni Dei*, quibus P. Frater Hyacinthus de Casale Capucinus applicâsset intentiones, essent prædita tum aliis Indulgentiis, tum nominatim iis; quas P. Frater Laurentius de Brixia itidem Capucinus ex Pauli V. concessione impertiisset Imaginibus &c. & *Agnis Dei*. Hoc suppositio.

398 RESP. I. Res tota pendet à voluntate Pontificis, quandoquidem potest occurrere sufficiens causa ad restringendam hîc, & ampliandam gratiam.

RESP. II. Salvo meliore judicio, non videtur mihi esse intentionem Pontificis eo modo, qui supponitur, benedicentis, ut Indulgentiæ adhæreant singulis, in quas orbiculi cerei franguntur, particulis. Ratio est, quia *inspicimus in obscuris, quid plerumque fieri soleat. Cap.* Inspicimus, *De Reg. Iur. in 6.* & quidem quid plerumque in similibus fieri soleat ab illo, cujus mentem dubiam exploramus, argum. *Leg.* Si servus, *ff. De Legat. & fideic. §. fin.* ubi Ulpianus sic pronuntiat: *Si numerus nummorum legatus sit, neque apparet, quales sunt legati, ante omnia ipsius Patrisfamilias consuetudo spectanda est*; ergo etiam hîc spectandum est, quid Pontifex in similibus agere consueverit. Id autem patet ex sequentibus.

I. Quando alicui grandi cumulo Rosariorum, inter quæ sunt multa Psalteria, impertit Indulgentias, non vult, ut si postmodum ex Psalteriis fiant Coronæ Beatissimæ Virginis, aut Christi Domini, multiplicentur Indulgentiæ. 399

II. Quando Pontifex aut immediatè, aut mediatè per alium dat Indulgentias alicui ex illis grandibus crucibus ligneis, quas PP. Capucini, & Franciscani gestant è Rosario pendula, & quæ possunt postmodum, concinnè per medium findi in duas, non remanet Indulgentia in utraque parte resultante ex fissione.

III. Visuntur complura templa ita fabrefacta, ut ex uno possint, si unicus murus interjiciatur, duo non planè asymetra fieri. Si fiant, nemo, puto, dicet Indulgentiam, quæ priùs à Pontifice promissa erat visitaturis illud unum templum, obventuram visitantibus jam utrumque. 400

IV. Quando illi PP. Capucini, de quibus su. prà, distribuebant Agnos Dei affectos Indulgentiis, non existimo, quòd, qui unum ex iis acceperat, potuerit eum ex intentione Pontificis in plures particulas dividere cum multiplicatione Indulgentiarum.

V. Si quis unam intentionem Indulgentiarum applicet Imagini, quæ ita censetur moraliter una Imago, ut tamen possit non absurdè dividi in duas, qui ita dividet, habebit duas Imagines, sed non utramque affectam Indulgentiis.

Denique Pontifex nunquam solet dicere: 401
do tibi tot intentiones, quot tu vis habere; sed & numerum certum largitur, & Rosaria, ac numismata donat ipse Indulgentiis non temere, &, ut ita dicam, clausis oculis, sed vel scitando, quantus sit Rosariorum, quæ benedicenda offeruntur, numismatúmque numerus, vel saltem aspiciendo, ita, ut in confuso conjicere queat, quot apponantur; quod sanè argumento est, nolle multiplicari intentiones Indulgentiarum, nisi quando id exprimit.

Ad rationes principio allatas Resp. I. argu- 402
mentationem à multiplicatione benedictionum ad multiplicationem Indulgentiarum idcirco non convincere, quòd centuplo facilius concedantur benedictiones, quàm Indulgentiæ; nec enim per benedictiones, sed *per Indulgentias indiscretas, & superfluas claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur. Cap.* Cùm ex eo, *De Pœnit. & Remiss.*

Et quamvis quælibet pars ceræ benedictæ, sit verè cera benedicta, non tamen est idcirco Indulgentiis prædita, sicuti patet in exemplo Psalterii, quod communissimè vocatur Rosarium, seu relinquatur cum suis 165. orbiculis integrum, seu dividatur in bis 63.

403 II. Si Summus Pontifex consecraret Ciborium hostiis plenum, cum intentione, ut quotquot inde communicarent, potirentur Indulgentiâ plenariâ, non dubitarem, quin eâ Indulgentia gavisuri essent etiam illi, quibus præberentur frustilla casu, ut fit, fractarum hostiarum; nam meritò præsumeretur ea esse suæ Sanctitatis intentio, quia sicuti *ad ea debet aptari jus, quæ & frequenter, & facilè eveniunt. L.* Nam ad ea. *ff. De Leg.* Ita & gratia. Si verò illæ consecratæ hostiæ magno numero in particulas ea intentione frangerentur, ut plures inde participarent, dubitarem de extensione gratiæ Pontificiæ, quia sicuti *Papa in suis rescriptis censendus est se cum Iure communi conformare quoad potest.* Baldus in *L.* Ex facto. *ff. De vid. & pupil.* communiter receptus, ita & in ejusmodi gratiis. Nec cogitari debet, quòd velit aliquid tunc inducere contra Ecclesiæ morem, *Argum. Leg. 19. ff. De Leg.*

404 III. Si Papa benedicendo aquæ dolium daret simul Indulgentias ea aqua usuris, haud dubiè iis potirentur omnes, qui illa aqua aspergerentur; nam utique non vellet Papa, illud dolium ita asservari integrum & plenum, quia ut sic foret ejus gratia planè frustra, contra resolutionem & rationem *Cap.* Si Papa, *De Privil.* vellet ergo distribui eo modo, quo solet fieri in Ecclesia. Idem sentio de integro pane, quem ita benediceret Papa, nec enim censendus esset benedicere pro Polyphemo, totum uno hiatu absorpturo. Unde infero, si Papa benediceret informem ceræ massam, dando illi Indulgentias, fore ut tot Indulgentiæ essent emersuræ, in quot maximos, minimos Agnos Dei illa cera divideretur. Et quidni in quot parvas particulas? nisi fortè constaret, esse mentem Pontificis, ut illa massa in consuetos orbiculos formaretur.

405 Quæst. XXXIX. *Applicavit quis vulgari Rosario Indulgentias S. Caroli, nactus elegantius vellet è primo in secundum transferre dictas Indulgentias, potestne?*

RESP. Unus omnium, quos legi, hanc quæstionem, sed tamen aliud agendo resolvit Cardinalis de Lugo *disp. 27. num. 151.* ubi illum, qui in locum amissæ Imaginis, aut alterius rei benedictæ secundùm dicta *n. 382.* aliam substituit, non dare propriè huic alii Indulgentias, probat hoc argumento: quia qui dedit Indulgentias, potest eas revocare; atqui is, qui in prædicto casu unam Imaginem, pro alia amissa substituit, & designat, non potest revocare factam designationem, & electionem; ergo illa designatio non est actus jurisdictionis, ergo non est propriè concessio Indulgentiæ. Itaque ratio, cur talis non possit ex uno Rosario, in aliud transferre Indulgentiam à se datam est, quia non ille propriè, sed Pontifex priori Rosario illam gratiam fecit. Unde apparet, me nihil effecturum, si dicam: *Istam Indulgentiam pro hoc Anno applico huic Rosario, pro sequente alteri.* Hæc refert ex me Diana *Part. 10. Tract. 16. Resol. 9.* approbátque.

Quæst. XL. *Possintne uni, & eidem rei sacræ* 406
concedi & applicari plures Indulgentiæ?

RESP. Quin simul & successivè id possit fieri non dubitant Doctores, qui propterea quærunt, utrùm, cùm quis habet medallium diversis Indulgentiis affectum, possit uno omnes lucrari, & si non omnes, quamnam lucretur? Utramque hanc quæstionem dissolvi. *num. 216.*

CAPVT XV.

Quid nomine Rosarii, & Coronæ intelligitur in diplomatis Indulgentiarum?

SUMMARIUM.

An congeries sexaginta trium Ave Maria, & septem Pater Noster rectè vocetur Rosarium? 407.

Quid vulgò intelligatur nomine Rosarii? Ibid.

Quid intelligatur per Coronam Christi Domini? 410.

Quid per Coronam Dominæ nostræ? 411. & 412.

Quid nomine Coronæ absolutè posito? 413.

An peccet mortaliter omittens aliquot Ave Maria ex Corona, cujus recitationem imperaret Confessarius? 415.

Quæst. XLI. *Quid nomine Rosarii intelligitur,* 407
quando dicitur, dari Indulgentiam talem, aut talem recitantibus Rosarium?

RESP. I. Licèt Navarrus *Tom. 3. opusc. miscell. 19. De Psalter. n. 6.* neget, ullum Classicum authorem inveniri, qui dicat congeriem ex 63. Ave Maria, & 7. Pater noster appellari Rosarium, certum tamen est, à Germanis, Gallis, doctis & indoctis sæpissimè ita appellari, & intelligi.

II. Nomine Rosarii absolutè prolati intelligitur etiam, tum à majore parte hominum Germanorum, Gallorum, Italorum, tum, à Summis Pontificibus in Bullis Indulgentiarum tertia pars Psalterii B. Virginis, seu quinque Pater Noster cum quinquaginta salutationibus Angelicis, ut testatur, & fusè probat Navarrus *loc. cit.*

DICES : *Ergo hanc Nomenclaturæ possunt se in praxi accommodare omnes absolutè, dum recitant Rosarium pro Indulgentia, voto, aut pœnitentia Sacramentali, aut pro benefactoribus Religionum.*

408 RESP. Possunt, ut notat Navarrus *Ibid.* nisi fortè contrarium satis clarè significetur, sicut significatur in Catalogo Latino (non autem Germanico) Missarum, & Orationum, quas nostræ Societatis Religiosi non Sacerdotes hebdomadatim, aut alias, pro benefactoribus, aliisque intentionibus facere debent; quo loco, nomine Rosarii absolutè prolati intelligitur Psalterium, circulus, inquam, constans centum quinquaginta salutationibus Angelicis, & quindecim orationibus Dominicis, & ita etiam sumunt Paulus V. & Gregorius XV. nam Coronam Beatissimæ Virginis, de qua mox, accipiunt pro tertia parte Rosarii; tertia autem pars Rosarii haud dubiè designat quinquaginta Ave Maria, & quinque Pater Noster. Et Urbanus in Indulgentiis Ordinariis §. 1. per Rosarium designat id, quod nos Beatissimæ Virginis Psalterium voca-
409 mus. Unde confirmatur id, quod docuit Navarrus *loc. cit.* si videlicet jubearis recitare *totum* Rosarium, te obligari ad ipsum Psalterium. Quamquam in Germania, & Gallia per *totum* Rosarium sæpe intelligimus nihil aliud, quàm sexaginta tria Ave, & septem Pater Noster.

410 Quæst. XLII. *Quid per Coronam Christi Domini intelligunt primùm nominati aliique Pontifices?*

RESP. Intelligunt triginta tria Pater Noster, & totidem Ave Maria, in honorem Annorum, quibus inter mortales vixit Christus Dominus, ut videre est apud Casarub. *V. Indulgentia Plenaria quoad fratres n.8.* & in Compendio nostrorum Privilegiorum *V. Indulgentia* §. 6. quamvis Navarr. *De Orat. c.* 10. *n.* 30. loco triginta trium salutationum Angelicarum ponat in Corona Christi solùm quinque, dicens esse novè inventam, & optimam precandi speciem.

411 Quæst. XLIII. *Per Coronam Dominæ nostræ, quid intelligunt Bullæ Pontificiæ?*

RESP. Casarubius *loc. cit. num.* 11. ait, illos meliùs sentire, qui per Coronam Beatissimæ Virginis intelligunt septuaginta duo Ave Maria, & de decem in decem unum Pater Noster. At Corduba *in annotatione ad illum locum Casarubii* testatur, in tota Italia à sui Ordinis fratribus communiter per Coronam Nostræ Dominæ designari sexaginta tria Ave Maria; quamvis idem cum Emman. Rodriq. *q.* 88. *a.* 3. fatetur à Leone X. per Coronam fuisse intellectum, id quod intelligit Casarubius. At Collector Privilegiorum Societatis Nostræ *loc. cit.* significat, Leonem X. per Coronam non intellexisse, nisi sexaginta tria Ave Maria, & de decem in decem unum Pater noster.

Quin imò Germanicus Interpres Catalogi 412
paulò antè memorati, per Coronam absolutè intelligit, id quod Latinus Scriptor tertiam partem Rosarii vocat. Verùm Urbanus VIII. in suis Indulgentiis Ordinariis Coronam Deiparæ à tertia parte Rosarii distinguit. Unde conjicio, quando Paulus V. concedit Indulgentias Plenarias recitantibus Coronam, aut tertiam partem Rosarii, & Gregorius XV. eas. dem concedit orantibus Coronam, seu tertiam partem Rosarii, per illud: *aut*, & *seu*, non indicari disjunctionem, & diversitatem, sed identitatem; quamvis qui illas particulas sumpserit propriè disjunctivè, videatur non erraturus. Et verò in quibusdam dispositionibus sumi has particulas disjunctivè, in aliis copulativè ostendit Azor *Tom.* 1. *Lib.* 5. *cap.* 27.

Quæst. XLIV. *Quid intelligunt Pontifices no-* 413
mine Coronæ posito sine ulla determinatione?

RESP. Quando dicunt se concedere Indulgentias Coronis, Rosariis &c. seu illis, qui habent Coronas, Rosaria Benedicta &c. existimo Coronam accipi genericè pro Corona tam Christi Domini, quàm Beatissimæ Virginis; nam non video, cur non habeat hîc locũ doctrina tradita *n.* 46. quòd scilicet verba, quibus conceduntur Indulgentiæ, sint latè accipienda. Quæ ratio etiam non nemini persuadebit, 414
hoc ipsum nomen ita latè accipi in iis paragraphis, in quibus dicitur concedi has, aut illas Indulgentias, recitantibus Coronam, vel Rosarium, aut tertiam partem Rosarii, nisi ex antecedentibus, aut consequentibus aliud colligendum sit. Et verò etiam in odiosis Coronam pro Rosario quoque accipi patet ex Bulla suspensiva Indulgentiarum, quam in Tract. de Jubil. descripsi.

His addo, meritò à Diana *Part.* 5. *Tract.* 5. 415
Resol. 15. rejici doctrinam, quam ipse ex Thoma, & Joanne Sanchez colligit, scilicet peccare mortaliter illum, qui à Confessario jussus recitare Coronam, seu tertiam partem Rosarii, omittit aliqua Ave Maria; nam esto Corona sit aliquid individuum, ut vult uterque hic Doctor, inde inferens, illum, qui non potest totam Coronam recitare, non teneri ad ullam ejus partem; Confessarii tamen non sunt ita rigidi, ut pœnitentiæ, de recitanda Corona à se impositæ, nolint esse ullatenus satisfactum, si tantùm aliquot Ave Maria omittantur.

CA-

CAPUT XVI.

De Indulgentiis Bullæ Cruciatæ.

SUMMARIUM.

Quænam sint Indulgentiæ Bullæ Cruciatæ? 416.
Quid sit, & unde dicta Bulla Cruciatæ? Ibid.
Cur dicatur concessa Regi Hispaniæ? 417.
Quanta eleemosyna detur Regi Hispaniæ à volentibus ea frui? 418.
Quamdiu possint eam obtinere? 419.
Ea Bulla singulariter pupugit Lutherum. 420.
An debeat esse in statu gratiæ, qui eam accipit pro defuncto? 422.
Quomodo per eam conferantur concessi Indulgentiæ Plenariæ Stationum? 423.
Quomodo intelligenda clausula de invaliditate Bullæ Indulgentiarum, si pro ea detur aliquid? 424. *& seqq.*
Quid si aliquid detur sollicitatori Romano? 427.
Quid si accipiatur sponte oblatum? 428.
Quid si ex pacto? 429.
An, & quatenus liceat aliquid dare pro inscriptione, seu admissione in Congregationem Rosarii? Ibid.

416 Quæst. XLV. *Ecquæ sunt Indulgentiæ Bullæ Cruciatæ?*

RESP. Sunt eæ, quæ conceduntur habentibus Bullam Cruciatam. Est autem Bulla Cruciata, seu Cruciatæ, de qua paucis Germanis satis cognitâ toties meminerunt Hispani, Italique scriptores, nihil aliud, quàm Bulla à Summo Pontifice Hispaniarum Regi Catholico, in subsidium belli contra infideles concessa, varia, eáque utilia privilegia continens, ut eam describit Trullenck in expos. illius, *Lib.* 1. *dub.* 1. referens ex Henriquez *Lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 3. *lit.* o. etymon vocabuli *Bulla*.

417 Dicitur autem esse concessa Regi Hispaniæ, quòd, ut quis illius Bullæ privilegia consequi possit, debeat huic Regi stipem, ut vocant Trullenck, Sancius, aliique Hispani scriptores, seu aliquid pecuniæ dare convertendum, non in profanam, regiámque pompam, sed
418 in Bellum contra infideles. Testatúrque Joannes Sancius *in select. disput. disp.* 51. *num.* 6. illam stipem, seu, ut appellat, eleemosynam, esse duntaxat duorum argenteorum, id est, ut interpretor, duorum regalium, seu 20. cruciferorum nostratis monetæ; nam ita ipse loquitur; *Ingentes agere gratias Pontifici fatmus devicti, cùm quisque domi suæ habeat dispensatorem, ob eleemosynam duorum argenteorum, nec Romanas dilationes exspectare ultrà teneatur.*

419 Porrò hanc Bullam obtinere possunt omnes Hispaniæ tum incolæ, & quasi incolæ, tum etiam peregrini, ut declarat Trullenck *loc. cit.* § 1. *dub.* 5. possúntque ejus privilegiis frui per Annum, non diutiùs, nisi dent iterum duos, pro Anno sequente, argenteos; & vocatur ideo Cruciata, quòd contineat Indulgentias similes iis, quas Urbanus II. impertivit insignitis Cruce Rubea ad Terram Sanctam recuperandam proficiscentibus, quorum expeditio nuncupata est Cruciata. Henriq. *loc. cit.* soléque Trullenck, & alii hanc eandem Bullam vocare Bullam Sanctæ Cruciatæ, alii Cruciatam.

Hæc ipsa Bulla singulariter pupugit Luthe- 420
rum, ut inter alios testatur Henriq. *loc. cit. int. p.* quia videtur præseferre speciem simoniacæ Indulgentiarum nundinationis; sed reverà non continet ullam, per se loquendo, simoniam, ut ex communi doctrina de simonia, quisque facilè deducet, nec propriè loquendo præsefert speciem ullius simoniæ, cùm præsertim concedat non solas Indulgentias, sed alios magnos favores, circa celebrationem Missæ, esum ciborum vetitorum &c.

His in gratiam illorum, qui rationem hu- 421
jus Bullæ ignorant, observatis, addo cum Diana *Part.* 5. *Tract.* 13. *Resol.* 71. non valere Indulgentias, in illa Bulla concessas, si pro ejus publicatione, aliquid etiam sponte oblatum accipiatur.

Addo quoque, esse doctrinam Cardinalis 422
de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 27. *n.* 75. contra Portel. *In Addit. n.* 24. quòd, quando quis prædictam Bullam accipit pro defuncto, debeat in instanti, quo accipit, esse extra statum peccati mortalis; nam contributio, & elargitio illius eleemosynæ, inquit, est unicum opus, quo peracto obtinetur Indulgentia pro defuncto, pro quo accipitur Bulla. At verò non esse eandem rationem, quando aliquis istam Bullam accipit pro vivo, quia Indulgentia non obtinetur tunc, quando accipitur Bulla, & datur eleemosyna, sed quando implentur alia ibi requisita, ad Indulgentias consequendas, vel quando applicatur à Confessario semel in vita, & semel in articulo mortis.

Addo postremò ex Diana *Resol.* 2. ab ha- 423
bentibus Bullam Cruciatæ, hoc ipso participari Indulgentias plenarias Stationum, quòd Bulla absolutè, & sine expressa restrictione dicat, habentem Bullam posse lucrari Indulgentiam Stationum. Hoc ipsum docent apud ipsum Trullenck, & Villalobos: sed negant Navarrus *de Indulg. & Iubil. Not.* 9. *num.* 15. Granadus, & alii. Ego non dubito, quin Plenariæ sufficienter comprehendantur illa concessione generali: *concedimus omnes, & singulas Indulgentias Stationum.*

Quæst. XLVI. *Quomodo est intelligendum id,* 424
quod de Bullæ Cruciatæ, aliisque nonnullis Indul-

gentiis ſtatuitur, illas ſcilicet non valere, ſi ratione earum aliquid detur?

RESP. I. Non legi ullam Bullam, quæ generatim irritas reddat omnes Indulgentias, ratione quarum aliquid detur, & accipiatur. Quamquam Pius IV. Bulla 64. apud Cherubinum ſeverè univerſim prohibeat, ne ulli Officiales Curiæ Romanæ quidquam accipiant, etiam pro labore ſcribendi Brevia Indulgentiarum.

425 II. Attamen de aliquibus in particulari Indulgentiis ſtatuitur pœna nullitatis, ſi pro iis aliquid accipiatur. Statuitur autem duobus diverſis modis. Primò enim de Indulgentiis Bullæ Cruciatæ expreſſè ab Urbano VIII. decernitur id, quod paulò antè ex Diana retuli.

426 Deinde multa hujus, & ſuperioris ſæculi Brevia concedunt pro feſtis Indulgentias cum hac clauſula: *Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione aliquid, vel minimum detur, vel ſponte oblatum accipiatur, præſentes nullæ ſint eo ipſo.*

427 III. Ratione hujus ſecundæ clauſulæ, quæ in quodam Brevi Innocentii X. poſita erat, quæſtum fuit ex me per literas, utrùm illius Brevis valor non periclitetur idcirco, quòd Confraternitas, quæ illud impetraverat, debuerit tres Julios, ſeu dimidium florenum: Rhenanum dare Solicitatori Romano? Reſpondi ego, non periclitari, ideo videlicet, quòd, *in pœnis benignior interpretatio ſit facienda, Cap.* In pœnis, *De Reg. Iur. in 6.* atque adeò illa nullitatis pœna non ſit extendenda, niſi ad caſus, in quibus aliquid accipitur pro ſtrictè, propriéque dicta impetratione, præſentatione &c. Atqui in caſu propoſito id non fuit factum; quandoquidem ille Solicitator, cui fuerunt erogati tres Julii, eſt homo plebeius, qui ſolet ſolicitare, ſeu urgere Notarios Pontificios, ut jam antea impetrata, & à ſua Sanctitate conceſſa Brevia ſcribant, ſeu expediant. Et proinde Solicitator ejuſmodi non eſt talis, qualium facit mentionem Pius IV. in paulò antè allegata Bulla, nam iſti ſunt Officiales Curiæ Romanæ, non ille. Ita etiam ſentit Cotonius *Lib. 2. Controverſ. 11. cap. 3. num. 91.*

428 IV. Quando ſub pœna nullitatis prohibetur, ne quid etiam ſponte oblatum accipiatur *pro labore: pro impetratione; pro publicatione*, eſt virorum gravium Romæ florentium opinio, non incurri illam pœnam, niſi quid detur ex pacto ſaltem virtuali, hoc enim videre ſonare illam particulam: *pro.* Ita mihi teſtatus eſt per literas quidam Theologus Romanus, qui & illum de Solicitatore diſcurſum probavit. Et verò placet mihi allata explicatio, quia & eſt benigna, qualem decet eſſe in odioſis reſtringendis, & non repugnat proprietati prædictæ particulæ, & denique eſt omnino conformis Conſtitutioni Gregorii XIII. *de datis pro gratia obtinenda*, quam commentariis illuſtrat Navarrus *Tom. 2. ſuorum oper.* Atqui ſolet Pontifex in dubiis anteceſſorum veſtigia ſequi *Cap.* Verùm, *De Iure jur.* Rigidior, nec ſine ratione, eſt Anton. Cotonius referens Dianam *Part. 9. Tract. 2. Reſol. 28.* dicentem: *Tu cogita.*

V. Ad incurrendam prædictam pœnam nullitatis ſufficit, ſi reipſa aliquid pro impetratione &c. detur ex pacto, eſto fortè non admittatur. Ratio eſt, quia Pontifex dicit, ſub diſjunctione: *ſi detur, vel accipiatur*; atqui ad veritatem diſjunctivæ ſufficit unam partem verificari *Reg. 70. in 6. & L.* Si hæredi plures, *ff. De condit.* Atque ita ſenſit etiam Navarrus *in citat. commentar. n. 13.* 429

His adde, etſi in ſtatutis quarundam Congregationum, & nominatim Roſarii exprimatur, neminem teneri quidquam dare pro ingreſſu, vel inſcriptione, nec ulli fas eſſe aliquid idcirco petere, attamen licere aliquid ſponte, & gratis offerre pro ea Congregatione, vel pro Monaſterio, in quo quis inſcribitur, & conſequenter poſſe ſponte oblatum accipi, ut probat, & defendit Navarrus *de Pſalt. & Roſar. Miſcell. 6.* teſtans, ſe unum Aureum donaſſe, quando Congregationi Roſarii fuit inſcriptus.

CAPVT XVII.

De S. Caroli, & Quinque Sanctorum antiquioribus Indulgentiis.

SUMMARIUM.

In quibus conveniant Indulgentiæ S. Caroli, & Quinque Sanctorum antiquiores? 430. & ſeqq.
In quibus differant? 433. & ſeqq.
An ſi Imago ornata Indulgentiis S. Caroli ponatur loco publico, omnes orantes ante illam potiantur Indulgentiâ, poſito quòd adſint reliquæ conditiones? 436.
Corriguntur dicta numero præcedenti. 437.
Refertur oratio, ſeu Affectus S. Franciſci Xaverii. 438.
Eos ipſe comprehendit Rhythmis linguæ Luſitanæ. Ibid.
Indulgentiæ à Nuntiis Apoſtolicis conceſſæ recitantibus illos Rhythmos. Ibid.
Poteſt Nuntius Apoſtolicus impertiri Indulgentiam ducentorum dierum ſaltem ſemel obtinendam quotidie à recitantibus illos affectus. Ibid.
Eſt etiam probabile, at non certum, quòd poſſit facere eandem gratiam ſæpius etiam de die obtinendam. Ibid.
Variis rationibus probatur illa probabilitas. Ibid.
Quomodo poteſtas lucrandi hanc Indulgentiam coram qualibet Imagine S. Xaverii concordet cum Declaratione Alexandri Septimi? 439.
An ſubditi illorum Dominorum Nuntiorum commorantes extra Nuntiaturam valeant potiri ea gratia? Ibid.
Nonnatim ſi ſint Religioſi? Ibid.
An eadem gratia perſeveret etiam poſt exactum tempus Nuntiaturæ? 440.

430 Quæſt. XLVII. *In quibus conveniunt Indulgentiæ S. Caroli, & Quinque Sanctorum antiquiores?*

RESP. Conveniunt I. in hoc, quòd utræque ſint ampliſſimæ, ut apparebit ex dicendis, hac & ſequenti quæſtione.

Conveniunt II. in hoc, quòd omnes poſſint applicari animabus purgatorii, ut de Indulgentiis S. Caroli habetur §. 17. & de Indulgentiis Quinque Sanctorum §. 14.

Conveniunt III. quòd non cenſeantur revocatæ, niſi fiat expreſſa mentio omnium articulorum, ſeu paragraphorum.

Conveniunt IV. quòd illas Indulgentias poſſit quis lucrari, ſive habeat propriam Imaginem, v. g. illis Indulgentiis affectam, ſive commodatò acceptam, ut habetur in citatis §§.

431 Quamquam non cenſeo, fieri hic gratiam ſpecialem, quandoquidem generatim *n. 378.* cum Sanctarello, & Pinello dixi perinde eſſe, abſtrahendo à decreto Alex. VII. cui ſe conformavit Clemens IX. ſive proprio, ſive alieno numiſmate utaris ad Indulgentiam lucrandam. Sicuti enim privilegium Perſonale ſequitur Perſonam *Reg. 7. De Reg. Iuris in 6.* ita privilegium Reale ſequitur rem ipſam, eique adhæret, ſaltem quando eſt datum rei, non propter individualem perſonam, ſicut Indulgentiæ ipſæ non dantur uni numiſmati propter Petrum, aut Paulum, ſed indeterminatè propter illum, qui legitimè utetur re illis affectâ. Hac ipſa clauſula expreſſè firmari multas Indulgentiarum formulas, obſervavi *n. 379.*

432 Conveniunt V. quòd, qui in articulo mortis ſecum habet, aut oſculatur unam ex rebus ornatis alterutrâ harum Indulgentiarum, ſemélque corde, ſi ore non poteſt, dicit JESUS, conſequatur Indulgentiam plenariam omnium peccatorum in forma Jubilei; ſi videlicet, aut ſit confeſſus, & communicârit, aut contritus, ſi non potuerit confiteri, vel communicare.

Conveniunt VI. in hoc, quòd licèt hæ Indulgentiæ ſint ampliſſimæ, nullo tamen modo ſit de earum valore dubitandum; tum propter generales rationes, quas attuli *n. 95.* tum propterea, quòd certiſſimum ſit conceſſas fuiſſe, priores quidem à Paulo V. poſteriores à Gregorio XV. graviſſimis, ſapientiſſimiſque Pontificibus, & proinde conceſſas ob cauſas juſtiſſimas, videlicet, tum in gratiarum actionem pro inexplicabilibus beneficiis, quæ Optimus Deus toti Eccleſiæ, per merita, laboréſque ſex iſtorum Sanctorum contulit, & quotidie confert; tum ad promovendum cultum, imitationémque prædictorum Sanctorum, qui cultus, quàm ſit animis, corporibúſque ſalutaris, teſtantur plurima millia hominum, quibus prodigioſè profuit, tum oleum, aqua, effigies, invocatio S. Ignatii, tum invocatio S. Franciſci Xaverii, adeò ut mihi P. Emmanuel de Lima vir Religioſiſſimus Societatis noſtræ, Annis abhinc plus triginta coràm conteſtatus fuerit, tot miracula quotidie patrari, tactu & uſu olei manantis Goæ ex incorrupto adhuc, ſed ſubfuſco corpore S. Franciſci Xaverii, ut ſingulis Annis novum, & citra omnem hyperbolen, bene magnum codicem pro iis ſcribendis conficere oporteret, ſi omnia conſcribenda forent; addiditque ſe oculatum ejus rei teſtem eſſe, utpote qui pluribus Annis Goæ habitavit.

Quæſt. XLVIII. *In quibus differunt hæ Indul-* 433
gentiæ?

RESP. Differunt in ſequentibus. I. Quòd priores ſint conceſſæ in honorem Sanctiſſimi Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis Caroli Borromæi, in ejus Canonizatione (nam quæ circumferuntur tanquam datæ in Dedicatione templi ipſius, videntur ſuppoſititiæ, ut dicam *cap. 37.*) poſteriores verò in honorem Quinque Sanctorum, uno eodémque die Canonizatorum, ſcilicet SS. Iſidori, Ignatii Loiolæ, Franciſci Xaverii, Thereſiæ, & Philippi Nerii.

II. Quòd hæ poſteriores ſint & ampliores, 434
& faciliores obtentu; nam qui habet Indulgentias Quinque Sanctorum, lucratur Indulgentiam plenariam, quoties recitat Roſarium, ſeu Coronam Beatiſſimæ Virginis, aut ejuſdem parvum officium &c. ut apparet ex §. 2. At verò per horum recitationem non obtinet quis Indulgentias plenarias, vi Indulgentiarum S. Caroli, niſi hæc recitet poſt Communionem, ut conſtat ex §. 1.

III. Quòd habens Indulgentias Quinque Sanctorum, quoties communicat, aut Sacrum facit, obtineat Indulgentiam Plenariam, ut dicitur in §. 1. Hanc tamen Indulgentiam ex vi Indulgentiarum S. Caroli non conſequeris per communionem, aut Sacrum, niſi ores pro exaltatione Eccleſiæ, aut extirpatione hæreſeon, ut videre eſt in §. 4.

IV. Quòd in §. ultimo Indulgentiarum Quinque Sanctorum ponantur hæc verba: *Sanctiſſimus Dominus Noſter conceſſit ſupradictas Indulgentias, & gratias, ita tamen, ut non impra-*

imprimantur, & Imagines privatim domi habeantur. At verò utraque harum conditionum omittitur in quibusdam exemplaribus Indulgentiarum S. Caroli.

Plura in hanc rem addere necesse non est, cùm tam multi formulas utrarumque Indulgentiarum habeant, qui verò non habent, nanciscí possint, quibus etiam author sum, ut sæpius relegant, maximè propter Indulgentias, tum exercentibus aliquem pium actum, ad imitationem unius è Quinque Sanctis promissas, tum miserabilibus animabus applicandas; qui verò non habent ullam rem sacram iis affectam, conentur acquirere, proprio Jure, vel commodatò utendam. Ita olim hortabar utiliter, nunc foret inutile, propter Breve Alexan. VII. toties memoratum, cui tamen contrarium si fortè alius Pontifex ob gravissimam causam ediderit, non oberit meminisse horum, & plurium aliorum expressorum superioribus capitibus. Porrò ex differentia ultima oritur.

435 Quæst. XLIX. *An, & quomodo impressio impediat valorem Indulgentiarum Quinque Sanctorum?*

RESP. Impedit, & quidem eo modo, quem afferam in simili *q.* 60. Insurgit insuper ex eadem differentia ultima hæc

436 Quæst. L. *Verùm, si imago affecta Indulgentiis S. Caroli ponatur in loco publico, omnes, qui ante illam exercent opera, quibus Indulgentiæ S. Caroli promissæ sunt, revera illas consequantur?*

Ratio dubitandi est, quia in §. 1. Indulgentiarum S. Caroli, expressè dicitur: *quí orabit ante aliquam harum Imaginum, obtinebit &c.* nam clausula posita in principio dispositionis, mandati, rescripti &c. refertur ad omnia contenta in illis, quando omnium est eadem ratio, ut reliquos inter notat Sanchez *Lib. 6. De Matrimonio disp. 22. in fine*, & Lezana *V. clausulan. 4.*

RESP. Nihilominus ad propositam quæstionem negativè, eò quòd tum praxis, tum aliarum Indulgentiarum formulæ cogant ad negativè respondendum; atque etiam nonnulla, (& quidem, ut ex stylo Curiæ deduco,) correctiora exempla Indulgentiarum S. Caroli habeant hanc finalem, satisque communem clausulam: *Ita tamen, ut Imagines privatim habeantur.* Ergo ille §. primus restringi debet ad terminos clausulæ illius finalis. Extendi tamen potest ad privatum oratoriolum, seu Capellam, eò quòd Leo XI. in formula Indulgentiarum, quas concessit Cardinali à Dietrichstain, posuerit hæc verba: *qui in Capella, seu oratorio, in quo fuerit una ex benedictis rebus &c.* verba autem posteriorum Pontificum sint intelligenda secundùm sensum à prioribus expressum, nam *Pontifex in dubio censetur Prædecessorum vestigia sequi*, argum. *Cap.* Verùm, *De Iurejur.* Verùm hic discursus, quem me citato refert Cotonius *Celeb. Controv. Lib. 2. Controv. 11. Cap. 1. n.* 43. videtur huic authori jam non habere locum propter Breve Alexan. VII. describendum infrà *cap.* 37. quod & ego judico esse verum, quandoquidem illo Brevi unicè cavetur, ne plùs, quàm unica persona re affectâ Indulgentiis utatur. Quare transeo ab his antiquioribus, & ex parte antiquatis Indulgentiis ad recentissimam, ac pertinentem ad hoc caput aliquo (non tamen perfectè, cùm non sint Reales, sed Personales) modo, in quo differo de Indulgentiis Quinque Sanctorum, quos inter locum, ut suprà dixi, obtinet S. Franciscus Xaverius, in cujus à Deo summè honorificati, singulariter hac nostra ætate, venerationem sit hæc ex objecto vocata.

Appendix I. Declaratoria.

Tametsi Lectores ætate provectiores facilè a animadversuri sint, fuisse nomine *Quinque Sanctorum* à me tum in hoc, tum in superioribus capitibus intellectos SS. Isidorum, Ignatium, Xaverium, Philippum Nerium, & Teresiam, quos Gregorius XV. Anno 1622. retulit in classem cœlitum, nihilominus propter iuniores, qui fortè haud multùm audierunt de his Quinque, sed plus de aliis Quinque, quos etiam simul, unàque Clemens IX. solenniter inscripsit syllabo Ecclesiastico civium cœlestium, ad vitandam confusionem annecto hanc Declaratoriam Appendicem inductus etiam occasione.

Literarum Romanarum.

Etenim tertio Decembris Anni 1673, elapsi, b perlata huc est Epistola data 18. Novembris à Patre mihi notissimo, qui illo ipso die 18. admissus ad osculum pedum S. D. N. Clementis X. interrogatúsque quid peteret? Respondit: Sanctissime Pater, peto humillimè aliquas Indulgentias. Tum Papa. Ergo tibi concedimus ducentas *Quinque Sanctorum.* Ex quo responso statim intuli: Ergo per Indulgentias *Quinque Sanctorum* absolutè sumptas intelliguntur jam aliæ, quàm abhinc quadriennium; nullæ quippe sub nomenclatura Quinque Sanctorum erant in orbe notæ, quàm illæ amplissimæ, & ab uno in alterum adeóque in filios, pronepotes &c. transferibiles, quæ erant concessæ in honorem S. Isidori, & quatuor SS. Collegarum. At verò quando nunc est sermo de recenter impertitis Indulgentiis *Quinque Sanctorum*, intelligendi sunt Sancti Cajetanus, Franciscus Borgia, Ludovicus Bertrandus, Philippus Bennitius, & S. Rosa Pervana, quos idem Clemens X. simul inseruit Fastis Ecclesiasticis. Cùm enim certum sit, priores illas Indulgentias, postquam fuerunt ab Alexandro VII. restrictæ,

strictæ, limitatáque iis modis, quos proponemus infrà *cap.* 37. vel nulli omnino, vel non nisi paucissimis, & quidem ægerrimè fuisse donatas, non est credibile, eas nunc censeri concessas, nisi expressissimè nominentur, præsertim in tanto numero, & respectu personarum privatarum, & quidem postquam idem Pontifex in fine Indulgentiarum pro illis Quinque novis Sanctis, formaliter privilegio, si quod contrarium derogationi Alexandrinæ quis obtinuisset, derogavit. Quamvis ergo gratiæ sint in dubio latè interpretandæ, quia tamen non est hic ullum morale dubium de mente Pontificis, idcirco nec dubitandum hîc de restrictione ad minùs amplas Indulgentias; de quibus quidem fuit mihi scripto propositum etiam 18. Novembris.

Hoc dubium.

c Quandoquidem certum est, illum, qui jejunat in Vigiliis horum Quinque Sanctorum, præstátque aliqua secundùm §. *secundum* præstanda, semper, adeóque quinquies lucrari plenarias Indulgentias, secundùm §. *tertium*; an non ille lucrari possit similiter quinquies Indulgentiam Plenariam, qui uno mense quinque aras horum Sanctorum visitat, quinquies jejunando etiam, & communicando quinquies? Rationem dubitandi suggessit illi clarissimo Domino consulenti, quòd *cit. §.* 3. in Latino impresso Romæ exemplari, quod inde allatum habeo, ita sonet: *Quicunque Missam celebraverit, vel Confessus & sacra Communione refectus interfuerit Missæ, ad Altare in quo Imago, aut Corpus, aut Reliquiæ, cujuslibet prædictorum Quinque Sanctorum, asservantur; piéque Deum oraverit, ut dictum est; die uno, quem voluerit, cujuslibet mensis plenariam Indulgentiam lucratur.* At verò §. 2. ita exprimatur: *Quisquis in Vigilia cujuslibet istorum Quinque Sanctorum jejunaverit, & Confessus in ipsius Festo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit; oraveritque Deum (ut suprà dictum est;) toties Indulgentiam Plenariam consequatur.* Quæ duæ formulæ loquendi, cùm videantur esse similes, quoad clausulas formales, non apparet cur lucraturus esset in mense quinquies Indulgentiam Plenariam is, qui jejunaret & communicaret quinquies in mense; posito quòd ea festa inciderent in unum eúndem mensem, non autem sit quinquies obsecuturus, si uno mense quinquies aras horum Sanctorum visitet, repetita quinquies Confessione, & Communione; præsertim cùm favor Indulgentiarum sit ampliandus, ut crebrò repetivimus in hoc & superiore Tractatu.

d Nihilominus tamen Resp. videri mihi verosimilius non subsistere argumentationem à 2. §. ad §. 3. Secundus enim diserte habet; *Toties consequetur*: Tertius autem non solùm abstinet dictione universali *Toties*; sed potiùs è diverso continet restrictivam clausulam; *Uno die.* Non igitur tribus, quatuor quinque diebus. Accedit, quòd sicut vera interpretatio testamenti desumenda est ex genio, moréque testatoris, ut sexcenties ingerunt Justinianæi, ita etiam intelligentia gratiæ Jubileæ petenda veniat ex genio consuetudinéque Pontificum eam impertientium. Consueverunt autem Alexander VII. atque duo ejus successores, tametsi Clementes, esse præparci (nec immeritò) in concedendis Indulgentiis Plenariis.

Porrò occasione antecedentis dubii propo- e no, resolvóque breviter alia duo communia multis aliis Indulgentiis.

I. Dubium est: *Verùm si quis uno die bis, térve sacrificet licitè, (uti sit tum ab omnibus Sacerdotibus die Natalis Salvatoris, tum à multis Parochis procurantibus duas trésve Parochias,) adipiscatur ter Plenariam Indulgentiam oblatam communicantibus illo die?* Resp. Videri mihi tenendam affirmativam resolutionem, eò quòd ex omnium, aut plerorumque sensu formulæ Indulgentiarum sint intelligendæ in ea latitudine, quæ comprehenditur propria significatione; atqui ille Sacerdos, qui festo S. Francisci Borgiæ e. g. occurrente prima Dominica Octobris sub suo sacro tertio sumit sacram Eucharistiam, propriissimè dicitur communicare die festo illius Sancti, sicuti & ille, qui manè optimè valens sumpsit synaxin, vespere autem correptus morbo lethali accipit viaticum, juxta dicta in Experient. *Tract.* 4.

Alterum dubium est quidem commune, f quinque recentioribus Sanctis, at satis singulare; paucæ enim formulæ Indulgentiarum loquuntur diserte de altaribus, in quibus reperiantur Imagines, aut reliquiæ Divorum. Quæritur verò: *Censeaturne satisfacturus conditioni de Imagine posita suprà aram, si illa Imago suspendatur ad murum lateralem, qui nullo modo sit, pars dicti altaris?* Ratio asserendi occurrit hæc duplex: prima, quòd hôrum, ita alicubi factitari circa Imaginem unius ex illis Cœlicolis. Altera, quòd, quamvis Rubricæ Missalis tradant, Crucem esse suprà Altare sacrificantis collocandam, nihilominus tamen P. Tamburinus, quem Tom. priore refero, in Alphabeto sacrificantium *n.* 299. scribat, sufficere, si Crux sit depicta in pariete ad latus.

Ad primam rationem respondeo: una hirundo non facit ver, ut in simili respondet, ex Aristotele: S. Antoninus, relatus à me *Tom. priore Tract. 4. num.* 170. Ad secundam, meritò à Patre Tamburino dissentit Gavantus, relatus illo *n.* 299. Unde arbitror, exponi periculo nullitatis Indulgentiam, si non sitin eo altari aliqua alia, saltem parva effigies unius ex illo S. Quinario. Cæterum licèt Indulgentia priorum Quinque Sanctorum jam interierint, fortè respe-

respectu plerorumque ex possessoribus, quia tamen plurimæ myriades gaudentium illis adhuc sunt superstites, non planè gratis committo etiam præsenti prælo ea, quæ de ipsis vulgaveram Anno 1649. cùm maximè florerent.

APPENDIX II.
XAVERIANA.

437 MEmini suprà *num.56.* tres Illustrissimos Dominos Nuntios Apostolicos sub Anum Christi M.DC.LXVI. conspirâsse in cultum S. Indiarum Apostoli promovendum impertitione Indulgentiæ obtinendæ à Christi fidelibus, eorum jurisdictioni subjectis, & flexis genibus ante Imaginem illius S. Thaumaturgi recitantibus orationem, seu cum Deo collocutionem comprehensam his versiculis:

O Deus! ego Amote:
Nec amo te, ut salves me,
Aut, quia non amantes te,
Æterno punis igne.
Tu, tu, mi IESV, totum me
Amplexus es in Cruce:
Tulisti clavos, lanceam,
Multámque ignominiam:
Innumeros dolores,
Sudores, & angores,
Ac mortem; & hæc propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O IESV amantissime?
Non ut in Cœlo salves me:
Aut, ne æternùm damnes me.
Nec præmii ullius spe:
Sed sicut tu amâsti me,
Sic amo, & amabo te,
Solùm quia Rex meus es,
Et solùm quia Deus es.

Circa quam precatiunculam, seu potiùs alloquium divinum, affectúmque amantis animæ noto in gratiam longè plurimorum hosce affectus repetentium studio lucrandi Indulgentiam sequentia.

I. Hi affectus amantis animæ fuerunt ab ipso S. Francisco Xaverio Rythmicis numeris linguæ Lusitanicæ per Indias vulgati, ut decantarentur à Neophitis Indis, quemadmodum adhuc hodie per Indias decantantur teste nostro P. Petro Possino *in Notis*, seu, ut vocat, *Indiculo Exegetico* in novas Epistolas S. Francisci Xaverii *Libr.2. Epist.2.* quam totam Epistolam ipse P. Possinus non duntaxat repræsentat in ipsomet Libro secundo, sed etiam illos affectus exprimit non exlegibus Jambis, (ut sunt, quos descripsi,) sed legitimis.

II. Verba exprimentia indultum illorum trium Illustrissimorum Dominorum Nuntiorum legere est sub plurimis etiam millibus Iconum papyracearum, referentium eundem Sanctum diverso habitu; quibus verbis indicatur, dari omnibus Nuntiaturæ singulorum subditis 200. dierum aut undecim mensium Indulgentiam, *quotiescunque devotè, & flexis genibus ante Imaginem S. Franc. Xaverii* pios illos versus recitaverint.

III. Occasione verborum in prototypo, & 438
ectypis expressorum partim proposita mihi sunt, partim proponi possunt sequentia dubia.

Primum dubium. An Illustrissimus Dominus Nuntius N. vi facultatis, qua potest pia opera exercentibus Indulgentias unius Anni concedere, potuerit dare Indulgentias ducentorum dierum toties obtinendas, quoties quis affectus Xaverianos coram Imagine S. Xaverii flexis genibus recitârit?

Hujus quæstionis resolutionem petiit à me literis 3. Junii Anno 1667. datis Prælatus Regularis Theologiæ scientissimus. Ad quam sic respondi. Certum est, meo judicio, Illustrissimum Dominum Nuntium vi illius potestatis potuisse dare Indulgentiam 200. dierum saltem semel quotidie lucrandam, recitanti piè, ac flexis genibus illos versiculos; huc enim clarè facit Regula, & Axioma: *Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus*; atqui dies 200. sunt minus quid, quàm Anni unius circulus. II. Est probabile, potestatem illam extendi etiam ad repetitam acquisitionem Indulgentiæ repetitâ unius, ejusdémque boni operis executione; tum quia delegata potestas largiendi Indulgentias est latè interpretanda; tum quia sicut ubi lex non distinguit, ibi nec nos distinguere debemus, ita ubi non limitatur concessio potestatis, ibi nec nos limitare debemus; tum denique quia tres Nuntii Apostolici fecerunt jus repetitæ acquisitionis facta iteratione illius recitationis. Hi utique consuluerint suos Theologos, eorúmque steterint judicio, quod quidem videtur sufficere ad conciliandam probabilitatem datæ responsioni.

Non ausim tamen dicere, hoc responsum sine limitatione ulla numeri esse certum; eò quòd in potestate delegata non videantur includi actus rari, & extraordinarii, est autem largitio Indulgentiæ cum clausula. *Toties, Quoties*, actus satis rarus, saltem respectu operum breviculorum, non requirentium Confessionem, & Communionem. Minùs dubitarem, si in concessione exprimeretur, gratiam illam lucrifieri ab iis solis, qui non materialiter solùm, & recitativè, sed formaliter, & significativè proferrent illas sententias, atque adeò exercerent tunc illos ipsos formales actus fidei, & chari-

charitatis, qui indicantur verbis S. Francisci Xaverii. Sic ego tunc respondi; quibus lectis rescripsit mihi Prælatus ille (quondam Theologiæ Professor) se omnino judicare, potestatem ad Toties Quoties competere Nuntio vi indulti de quo suprà, idque ob sequentes rationes.

I. Quia Pontifex, hoc ipso quòd non nisi paucorum dierum, aut Anni facultatem concedat, videtur eam concessisse cum ea amplitudine, quam ipse habet, atque adeò quoad hoc tempus totam suam potestatem delegâsse; atqui constat, ipsum habere potestatem talem. 2. Quia mens Pontificis in hac potestate concedenda non videtur alia fuisse, quàm ut homines ad pia opera frequentanda alliceret; ergo cùm hic finis æquè obtineatur, si ab eodem homine idem opus sæpius exerceatur, quàm si à diversis semel fiat, non apparet, cur non æquè censendus sit, facultatem pro illa, quàm hac frequentatione concessisse. 3. Quia praxis ipsa, ni fallor, ostendit, nunquam Pontifices in deleganda facultate Indulgentias concedendi, addere solere, se illam dare toties, quoties concedere possint, & tamen experientia constat, sæpius à Nuntiis, & aliis ejusmodi Indulgentias concessas. Ita ille. Quæ omnia simul sumpta meo judicio sufficiunt ad prudenter defendendum factum illorum trium Dominorum Nuntiorum, esto ponamus non fuisse instructos alia extraordinariâ (carere ordinaria ipsos etiam Legatos à latere jàm monui suprà *Part.1. cap.6.*) potestate. Equidem minimè gentium dubito, quin saltem binam, aut ternam cum excellenti fervore factam iterationem de die potuerint donare hoc spirituali congiario; quare nequaquam frustrabitur suâ spe, qui toties saltem, cúmque tali fervore præstiterit.

439 Secundum dubium. *Quomodo hæc potestas lucrandi hanc Indulgentiam proferendo debito modo illa amore charitatis flammantia verba coram qualibet* (nec enim hic fit restrictio) *Imagine S. Xaverii, concordet cum reformatione Indulgentiarum facta per eundem Alex. VII. describendáque infrà cap. 37.* nemini enim fit juxta opinionem aliquorum, illic potestas habendi simul plures Cruces, plures Imagines affectas Indulgentiis iisdem. Non tam propter hanc, non satis fundatam dubitandi rationem propter quàm ac verba ipsa concessionis superiùs relata, arbitror, hanc Indulgentiam esse annumerandam potiùs Personalibus, quàm Realibus, sicut esset annumeranda illa, quæ offerretur Christianis oraturis in qualicunque Ecclesia, coram qualicunque Imagine Christi, aut Sanctorum; nec enim hic video discrimen inter datas orantibus coram quacunque Icone cujusvis Sancti, & orantibus coram quocunque Simulacro S. Xaverii. Papa Alex. autem loquitur aperte de propriè Reali, cùm loquatur de Benedicta.

Tertium dubium. *An Constantienses e. g. possint uti hoc favore, etsi existant extra Nuntiaturam Illustrissimi Lucernensis:* Respondeo affirmativè, tum quia expressè loquitur Nuntius de sibi subjectis, quales non desinunt esse omnes commorantes extra Nuntiaturam cum animo redeundi ad propria; tum quia privilegium personale sequitur personam. At, *an sequitur Constantienses dantes diuturnam operam studiis in Academia extra loca Nuntiaturæ? redituros tamen Constantiam suo tempore? An eosdem Constantienses factos Religiosos, & applicatos Monasterio, vel Collegio sito extra fines Nuntiaturæ?* Resp. ad primum, respondique jam suprà *n.65.* affirmativè, cùm tales non desinant esse saltem habitualiter subditi Nuntio Lucernensi, utpote & à quo possint obtinere dispensationem pro Ordinibus suscipiendis extra tempora, & possit ille exercere erga illos alios actus jurisdictionis saltem voluntariæ. Ad secundum; quandoquidem tales omninò subtrahuntur jurisdictioni Legati Pontificii, ac proinde desinunt esse subditi, loquitur autem disertè de subjectis suæ jurisdictioni, videri possunt hi tales destituti suo privilegio. E diverso quia Indulgentiæ, & privilegia nemini onerosa debent ampliari potiùs, quàm restringi, & privilegium personale ex se perpetuum comitatur personam ubicunque locorum degentem, ut observat Dynus, Peckius, Streinius in Regul. septimam *in 6.* eam ob rem non caret specie probabilitatis affirmatio de permanentia Indulgentiæ in talibus hominibus.

Quartum dubium. *Quamdiu duret hæc potestas potiundi hac Indulgentia?* Resp. I. Non extinguitur morte aut naturali, aut ut ita dicam, civili (per liberationem ab officio) Dominorum Nuntiorum, ut deducitur ex communi doctrina de privilegiis, & per not. in cap. *Decet concessum. De Reg. Iuris in 6.* ergo durat usque ad mortem illorum, qui fuerunt facti participes talis gratiæ, saltem quamdiu manent subjecti Nuntiaturæ. 2. Non est improbabile durare, quamdiu non revocabitur vel à successore, vel Papa, ut proinde illo jure uti, frui valeant non solùm Lucernenses, Viennenses, Colonienses, qui jam erant in vivis, dum tres illi munifici Veneratores Indiarum Apostoli conspirârunt (in actu exercito, non in signato, & formali) in concessionem hujus gratiæ totam Germaniam pervadentis, sed etiam nati natorum, & qui nascentur ab illis adeóque omnes posteri. Ratio desumitur ex Regula paulò antè indicata, quòd scilicet *Deceat beneficium Principis esse mansurum.* Inde quippe deducunt Commentatores, & Consiliatæ, illud beneficium esse perpetuum, nisi sit concessum cum clausula restringente ad

tempus, qualis hîc non eſt, ſiquidem per ſubditos juriſdictioni hujus, aut illius principis intelligi ſolent in legibus, ſtatutis, gratiis, ii, qui ſunt ſubditi non ſoli individuæ perſonæ ferenti legem, ornanti privilegio &c. ſed Sedi, Sceptro, Ducatui, adeóque Dignitati.

CAPVT XVIII.

De Indulgentiis conceſſis ab Urbano VIII. Pontifice.

SUMMARIUM.

Eas Indulgentias confirmavit Innocentius X. 441.
Poſſunt applicari defunctis. Ibid.
Extraordinariæ quomodo differant ab Ordinariis? 442. & 443.
Prohibetur impreſſio Extraordinariarum. 443.
Earum impreſſio impedit valorem. 444.
Sicuti impedivit expreſſè reſpectu quarundam antiquiorum Indulgentiarum. Ibid.
Quid ſi illæ Indulgentiæ reperiantur impreſſæ in aliquo libro? 445.
Quid ſi habens illas Indulgentias non curavit imprimi, ſed habeat penes ſe impreſſas? 446.
An dicta de Indulgentiis Vrbani ſint intelligenda etiam de aliis? 447.
Quid in materia Indulgentiarum intelligatur per ſolitos facere aliquod bonum opus? 451.
Quot Actus exigantur ad id, ut quis generatim, aut ſpeciatim cenſeri debeat habere conſuetudinem faciendi hoc, aut illud? 452.
Erravit, qui putavit intelligi hac clauſula: Qui ſolet hoc, aut iſtud facere, *id ipſum, quod iſtâ:* Qui facit hoc, aut illud. 453.
Corrigenda ſunt quædam exemplaria Indulgentiarum impreſſarum lingua vulgari. Ibid.

Quæſt. LI. *Quid ſingulariter obſervandum eſt circa Indulgentias Vrbani VIII?*

RESP. Notanda occurrunt ſequentia. I. Indulgentiæ tam Ordinariæ, quàm Extraordinariæ; quas conceſſit Urbanus VIII. & quas etiam Innocentius X. impertiri perrexit, poſſunt applicari animabus defunctorum. Patet ex utrarumque rubrica. Unde
442 ſunt hæ Indulgentiæ maximi faciendæ.

II. Utræque continent Indulgentiam plenariam in articulo mortis obtinendam à confeſſis, & communicantibus, vel ſi hoc fieri nequeat, à contritis, & proferentibus corde, ſi ore nequeant, Sacratiſſimum nomen JESUS.

III. Extraordinariæ continent plus favoris, quàm Ordinariæ, eò quòd contineant ſæpius, ſeu pro pluribus feſtis Indulgentias plenarias, & inſuper favores Ordinariarum.

443 IV. Differunt maximè in hoc, quòd Extraordinariis adjungatur hæc clauſula: *Prohibeſce ſua Santità lo ſtampare in qualſi voglia maniera queſta formola Straordinaria d' Indulgenze; è vuole che le ſudette Imagini ſiano ſolamente del Noſtro Signore Gieſu Chriſto, o della Beatiſſima Virgine, o dei Santi, ſotto pena di nullità della conceſſione:* id eſt: *Prohibet ſua Sanctitas impreſſionem hujus formulæ Extraordinariæ Indulgentiarum, qualicunque modo factam, & vult, ut* (hæc conditio ſubauditur etiam in ordinariis) *ſupradictæ Imagines ſint duntaxat Domini noſtri IESV Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum, ſub pœna nullitatis ipſius conceſſionis.* At verò de prohibitione impreſſionis nil dicitur in formula Ordinariarum. Hinc autem movetur.

Quæſt. LII. *Quomodo ſit intelligenda clauſula,* 444
de non imprimenda Indulgentiarum harum formula?

RESP. I. Videtur eſſe ita intelligenda, ut impreſſio iſtarum Indulgentiarum reverà impediat valorem illarum. Ducor, quia clauſula in fine poſita refertur ad omnia præcedentia *L.* Si talis ſcriptura, *§. fin. ff. De Legat.* Sanch. *Lib. 3. De Matrimonio diſp. 7. num. 27.* ſaltem quando eſt eadem de illis ratio, & ſalva recta ratione ad illa referri poteſt, ut rectè explicant Sanchez *Lib. 6. De Matrimonio diſp. 22. n. 19.* & Lezana *V. Clauſula n. 3.* Atqui clauſula annullans ponitur in fine §. quem retuli, ergo refertur etiam ad primum membrum, præſertim cùm ſit major ratio, cur dicamus Pontificem magis intendiſſe declarare quòd annullet Indulgentias impreſſas, quàm quòd annullet datas rebus ab eo non permiſſis. Etenim jam ex aliarum Indulgentiarum communiſſimis formulis conſtat, non valere Indulgentias conceſſas rebus non ſacris, non autem conſtat non valere impreſſas; ergo dum Pontifex ita expreſſè, & ſignatè utitur voculâ *Nullitatis*, deſignat magis primum illorum duorum membrorum, quàm ſecundum. Ergo imitatus eſt Urbanus VIII. Paulum V. qui Anno 1606. ad inſtantiam Patrum Aſſiſtentium, & Procuratorum Societatis, dedit Indulgentias, cum hac clauſula: *Ea tamen conditione, ut non imprimantur, alioquin nullæ ſint,* ut habes in illarum formulis §. ultimo.

II. Ita eſt illa clauſula annullans intelligen- 445
da, ut etiamſi in hoc, quem legis, libro, ſint quædam de illis Indulgentiis impreſſa, nil tamen egerim contra mentem Pontificis; nam tantùm prohibet imprimi ipſam formulam Indulgentiarum Extraordinariarum, in iſto autem libello non poteſt ullo modo dici eſſe impreſſa illa formula, quia pars integrans non prædicatur de toto, & *totum, & pars non ſunt idem, L.* Si quis *ff. De Except. rei Iudic.*

III. Ita intelligenda eſt, ut ſi quis totam 446
illam formulam imprimeret, aut imprimi curaret, non frueretur Indulgentiis impreſſis; non tamen quidquam ea res præjudicaret aliis,

aliis, qui nil negotii cum impreſſore haberent, nam *non debet aliquis alterius odio prægravari. Reg. 22. De Reg. juris in 6.*

447 Quæſt. LIII. *Vtrùm, quod hîc dicitur de Indulgentiis Extraordinariis Vrbani VIII. ſit etiam intelligendum de Indulgentiis Quinque Sanctorum antiquiorum?*

Ratio dubitandi ex una parte eſt, quia in formula harum Indulgentiarum non apponitur clauſula expreſſè annullans. Ex altera autem parte eſt etiam ratio, quia Gregorius XV. expreſſè edicit, ſe illas Indulgentias concedere: *ita tamen, ut non imprimantur*, quæ clauſula habet vim locutionis conditionalis; atqui quando forma rei faciendæ præſcribitur ſub locutione conditionali, cenſetur eſſe ſubſtantialis, & proinde ſine ea non valere actus, ſicuti docet Ferd. de Caſtro Palao *Tract. 3. diſp. 2. p. 9. n. 2.* teſtans eſſe communem doctrinam.

448 RESP. Mihi videri id, quod poſtrema hæc ratio intendit, & proinde ſi quis curet imprimi Indulgentias Quinque Sanctorum, illum æquè parum iis fruiturum, acſi imprimeret Extraordinarias Urbani VIII. Adductæ rationi addo illam, quâ jam ſemel uſus ſum, quòd ſcilicet quando Lex tribuit facultatem aliquid faciendi, & ſimul præſcribit modum, talis modus cenſeatur inductus ut ſubſtantialis forma. Palaus *loc. cit.* poſt Sanchez *Lib. 5. moral. c. 4. n. 26.* & multos alios, deſumitúrque non malè ex *Cap.* Cùm ſit major ratio, cur dicamus Pontificem magis intendiſſe declarare quòd annullet Indulgentias impreſſas, quàm quòd annullet datas rebus ab eo non permiſſis. Etenim jam ex aliarum Indulgentiarum communiſſimis formulis conſtat, non valere Indulgentias conceſſas rebus non ſacris, non autem conſtat non valere impreſſas; ergo dum Pontifex ita expreſſè, & ſignatè utitur voculâ *Nullitatis*, deſignat magis primum illorum duorum membrorum, quàm ſecundum. Ergo imitatus eſt Urbanus VIII. Paulum V. qui Anno 1606. ad inſtantiam Patrum Aſſiſtentium, & Procuratorum Societatis, dedit Indulgentias, cum hac clauſula: *Ea tamen conditione, ut non imprimantur, alioquin nullæ ſint,* ut habes in illarum formulis §. ultimo.

II. Ita eſt illa clauſula annullans intelligen- 445
da, ut etiamſi in hoc, quem legis, libro, ſint quædam de illis Indulgentiis impreſſa, nil tamen egerim contra mentem Pontificis; nam tantùm prohibet imprimi ipſam formulam Indulgentiarum Extraordinariarum, in iſto autem libello non poteſt ullo modo dici eſſe impreſſa illa formula, quia pars integrans non prædicatur de toto, & *totum, & pars non ſunt idem, L.* Si quis *ff. De Except. rei Iudic.*

III. Ita intelligenda eſt, ut ſi quis totam 446
illam formulam imprimeret, aut imprimi curaret, non frueretur Indulgentiis impreſſis; non tamen quidquam ea res præjudicaret aliis, qui nil negotii cum impreſſore haberent, nam *non debet aliquis alterius odio prægravari. Reg. 22. De Reg. juris in 6.*

447 Quæſt. LIII. *Vtrùm, quod hîc dicitur de Indulgentiis Extraordinariis Vrbani VIII. ſit etiam intelligendum de Indulgentiis Quinque Sanctorum antiquiorum?*

Ratio dubitandi ex una parte eſt, quia in formula harum Indulgentiarum non apponitur clauſula expreſſè annullans. Ex altera autem parte eſt etiam ratio, quia Gregorius XV. expreſſè edicit, ſe illas Indulgentias concedere: *ita tamen, ut non imprimantur*, quæ clauſula habet vim locutionis conditionalis; atqui quando forma rei faciendæ præſcribitur ſub locutione conditionali, cenſetur eſſe ſubſtantialis, & proinde ſine ea non valere actus, ſicuti docet Ferd. de Caſtro Palao *Tract. 3. diſp. 2. p. 9. n. 2.* teſtans eſſe communem doctrinam.

448 RESP. Mihi videri id, quod poſtrema hæc ratio intendit, & proinde ſi quis curet imprimi Indulgentias Quinque Sanctorum, illum æquè parum iis fruiturum, acſi imprimeret Extraordinarias Urbani VIII. Adductæ rationi addo illam, quâ jam ſemel uſus ſum, quòd ſcilicet quando Lex tribuit facultatem aliquid faciendi, & ſimul præſcribit modum, talis modus cenſeatur inductus ut ſubſtantialis forma. Palaus *loc. cit.* poſt Sanchez *Lib. 5. moral. c. 4. n. 26.* & multos alios, deſumitúrque non malè ex *Cap.* Cùm dilecti, *De Reſcript.* Unam quidem alteramve exceptionem ab iſta generali Regula faciunt hi, & alii Doctores, & meritò, ſed
449 eæ non obſtant huic doctrinæ. Cujus tamen oppoſitum videtur etiam probabiliter, nominatim loquendo de Indulg. Clement. IX. poſſe defendi, nam odia ſunt reſtringenda, & *ſemper in obſcuris minimum eſt ſequendum*, inquit Ulpianus *L.* Semper *ff. De Reg. jur.* Et *multa fieri prohibentur, quæ tamen ſi facta fuerint, obtinent firmitatem, Cap.* Ad Apoſtolicam, *De Regular.* Et denique acceptum ſub modo, qui tantùm impropriè ſit conditio, regulariter quæritur ante modum impletum. Navarrus *De Orat. Miſcell. 29.* fundatúrque in *Cap.* Verùm, *De condition. appoſ.*

450 Cur autem hi duo Pontifices, ſicuti & Clement. IX. ac Paulus V. ut videre eſt in Indulgentiis datis Godefrido Bambergenſi Epiſcopo, noſtris PP. Aſſiſtentibus, itémque pro S. Carolo, prohibuerint typis mandari (extra Urbem, ut exprimit Clemens IX. in Indulgentiis SS. Petri, & Mar. Magdal. & Clemens X. in Quinque Sanctorum) ſuas Indulgentias? Nec liquidè ſcio: nec divinare neceſſe eſt: nec *omnium, quæ à Majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt. L. 20. ff. De Legib.*

451 Quæſt. LIV. *In formula Indulgentiarum Ordinariarum, & Extraordinariarum, aliarumque plurium, offertur non ſemel Indulgentia iis, qui ſolent certum aliquod opus exercere, quid neceſſe eſt ad id, ut quis dicatur* ſolere *hoc aut illud facere?*

RESP. I. Requiritur exercitium plurium actuum: ſeu actuum jam præteritorum frequentia. Ariſtoteles 2. *Ethic.* & S. Thom. *in 3. d. 23.* Ut proinde nemo propriè dicatur ſolere, ſeu conſueviſſe ſingulis Sabbatis jejunare, ſingulis diebus Coronam Beatæ Virginis recitare, niſi aliquot Sabbatis jejunârit, aliquot diebus continuis calculos Virgineos evoluerit.

II. Quot autem actus præceſſiſſe oporteat 452
ad id, ut quis rectè dicatur *ſolere* hoc aut illud peragere, ſeu habere conſuetudinem hoc aut illud agendi, certa Regula determinari nequit, ſed definiendum eſt judicio viri prudentis, attendentis diligenter ad rationem ipſiuſmet operis, circumſtantias perſonæ, temporis, propoſiti mutati, vel non mutati. Et verò *cap. fin. 25. q. 2.* Gelaſius Papa duorum Epiſcoporum cædem à propriis ſubditis patratam vocat *Vſum & Conſuetudinem*, macandi ſcilicet ſacrilegè proprios Epiſcopos. Quo loco Gloſſa, favente apertè Leg. *3. C. De Epiſc. audient. ſub. fin.* dicit, quòd duæ vices in criminibus inducant conſuetudinem: at in civilibus ne quidem tres vices. Quam de civilibus doctrinam ſatis etiam inſinuant Gloſſæ in cit. Legem tertiam.

Utique autem ille rectè dicetur ſolere quot hebdomadis ſemel recitare Roſarium, & proinde, ſi reliqua in formula Indulgentiarum Extraordinariarum præſcripta perficiat, obtinere deſignatis ibidem diebus Indulgentiam plenariam, qui 40. circiter hebdomadis diſcretis illud recitat, eſto omittat 10. vel 12. intra Annum ſeptimanis.

Atque ex his ferre poteris judicium de In- 453
dulgentiis Ordinariis Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. in quibus non ſemel Italicè legitur: *chi ſarà ſolito &c. qui conſueverit &c.* Nec ullo modo aſſentior cuidam viro prudenti, & docto, exiſtimanti, hac loquendi ratione non plus ſignificari, quàm ſi præciſè diceretur: *qui hoc fecerit:* nam ejuſmodi explicatio non modò repugnat ſenſui tum proprio, tum communi, à quo tamen recedendum non eſt *L. 1. ff. De Exerc. act.* & *L.* Labeo *ff. De ſupell. Leg.* ſed etiam conformiter *Cap. 2.* Requiris. *De Appellat.* & *L. 1. ff. De reb. dub.* poteſt ex antecedentibus & conſequentibus confutari ea interpretatio. Hinc cenſeo eſſe mendoſa illa Germanica, & Latina exemplaria, in quibus omittitur ea conſuetudinis circumſtantia, quæ in authenticis Italicis, ac Latinis exprimitur. Ea porrò, aliáque non levia menda, arbitror ego in multa exemplaria formularum irrepere idcirco, quia vel interpretes volunt compendio rem exprimere, vel ſunt imperiti ſtyli Curiæ.

Puriùs ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Quæ hoc Capite dixi de Indulgentiis Urbani VIII. applica Indulgentiis Innocentii X. Alexand. VII. Clement. IX. Clem. X. quatenus loquuntur ut Urbanæ.

CAPVT XIX.

De Indulgentiis gestantium Scapulare, Corrigiam, & Chordam Patrum Carmelitanorum, Augustinianorum, Franciscanorum.

SUMMARIUM.

Gestantes Scapulare Carmelitanorum gaudent magnis Indulgentiis. 454.
Et singulariter gaudent singulari Patrocinio Deiparæ. Ibid.
Quomodo sit intelligendum hoc singulare Patrocinium post primum ab obitu diem Sabbatinum? Ibid. & n. 458.
Solvitur objectio ex Bulla Clementis septimi. 456.
Adfertur authentica declaratio Pauli Quinti. Ibid.
Promissio servandi castitatem, quam faciunt suscipientes Scapulare, non est propriè votum. 457.
Quomodo peragatur illud Patrocinium Beatissimæ Virginis? 458.
Animæ non liberantur nudis precibus è purgatorio, sed necessaria est repræsentatio litræ. Ibid.
Deus quandoque non acceptat suffragia oblata pro aliqua etsi capace anima. Ibid.
Quomodo gestatio Scapularis sit verè signum prædestinationis? 459.
Quæ sint Indulgentiæ Corrigiatorum, & Chordigerorum? 460.

454 Quæst. LV. *Quænam Indulgentiæ obtingunt iis, qui Scapulare Patrum Carmelitanorum gestant?*

RESP. Multæ à priscis Pontificibus erant concessæ, sed partem illarum sustulit Paulus V. Anno 1606. aliásque dedit, quas refert Lezana *Tom. 2. cap. 15. n. 40.* præcipua est plenaria, tum die, quo quis in Confraternitatem suscipitur, tum quo moritur. Accedit patrocinium singulare sacratissimæ Virginis Matris, de quo Clemens VII. in Bulla *ex Clement.* apud Cherubinum, & apud Lezanam *num. 35.* edita Anno 1530. ita loquitur: *Alias felic. record. Ioan. XXII. & Alexandr. V. Romani Pontifices Prædecessores nostri, universis, & singulis Christi fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, ipsiusque Ordinis statuta servare, ac habitum ejusdem Ordinis deferre, seque fratres & sorores ejusdem Ordinis appellare, ita quòd, si mulier virgo castitatem, vidua verò continentiam, conjugata tamen matrimonii jura prout Sancta Ecclesia præcipit, tempore earum ingressus inviolabiliter velle servare promitterent, & observarent, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxârunt, at ipsa Gloriosissima Dei Genitrix semper Virgo Maria, ipsorum Confratrum, seu Religiosorum, ac Sororum animas post eorum transitum, suis intercessionibus continuis, piis suffragiis, & speciali protectione adjuvabit &c.* Addit Gregorius XIII. in quadam Bulla apud eundem Lezanam *n. 39.* sequentia: *Idémque Ioan. XXII. pro animabus, quæ in purgatorio existunt, & habitum hujus religionis gestârunt, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerint, vel Confratrum numero adscripti, in honorem Beatissimæ Mariæ Matris Dei, die Sabbati, post eorum transitum intercessionibus continuis, piis suffragiis, ac speciali protectione adjuvandis, publicavit &c.*

Circa has Bullas noto breviter tria. I. Sicuti 455
confratres Scapularis tenentur ex vi sui instituti alia adhuc præstare, quàm quæ indicavi, ita etiam aliis gratiis præter enumeratas potiri, quæ omnia videre est apud Lezan. *cit. c. 15.* & in libello, quem Confratres plerique habent.

II. Sicuti extremæ temeritatis damnandus esset, qui in dubium revocaret, utrùm Beatissima Virgo Confratres, ea, quæ oportet sedulò observantes, singulari patrocinio primo post obitum Sabbati die, aut paulò pòst, adjuvet, indulgentiámque *Sabbatinam*, ut loquuntur Lezana, & Rodriquez mox citandus procuret, cum Bullæ Pontificum tam clarè id asserant; ita etiam reprehendendus esset, qui assereret, hoc à Virgine Matre promissum, & præstari solitum patrocinium, esse adeò infallibile, & efficax, ut non permittat ullum ex Confratribus hærere in purgatorio ultra primum Sabbatum à suo obitu, nam neque Pontifices hoc dicunt, neque suppetit ulla ratio dicendi. Multò magis errant quidam simplices, qui putant, omnes omnino, qui cum Scapulari moriuntur, esse prædestinatos.

Nec obstat, quòd idem Clemens VII. in alia 456
priore Bulla, quæ incipit: *Dilecti filii*, & quam refert Rodriquez *quæst. 97. art. 7.* verbis illis: *in Domino relaxârunt*, quæ suprà retuli; subjungat ista: *Ac die, quo à sæculo hujusmodi purgatorium accesserunt, ipsaque Virgo Gloriosa Dei Genitrix Maria Sabbato sequenti post ipsorum Confratrum seu Religiosorum, ac Sororum obitum visitando à pœnis purgatorii hujusmodi eorum animas liberabit*; non inquam obstant hæc verba; nam rectè observat Rodriq. *l. c.* hæc verba, & hanc sententiam esse declaratam per posteriorem Bullam, tum ejusdem Clementis, quam suprà retuli, tum Gregorii XIII. & proinde ita intelligendâ, quòd Beatissima Virgo sit impetratura à Deo, ut talibus animabus suffragia pro earum liberatione ad modum nunc plenariæ cujusdam, nunc partialis Indulgentiæ applicentur.

Confirmo hanc responsionem Authentica declaratione Pauli V. quæ refertur in Appendice assuta Bullario Rodriqueziano Editionis Antuerpianæ Anni 1616. *fol. ult.* & quam censui hic adscribendam. Sic ergo habet: *Fratribus Ordinis Carmelitarum permittatur prædicare &c. quòd populus Christianus posßit piè credere de adjutorio animarum fratrum, & confratrum Sodalitatis B. Virginis Mariæ de monte Carmelo, videlicet: Beatissimam Virginem animas fratrum, & confratrum in charitate decedentium, quæ in vita habitum gestaverint; & castitatem pro suo statu coluerint; officiumque parvum recitaverint; vel si recitare nesciant, Ecclesiæ jejunia observaverint; & feria quarta, & Sabbato à carnibus abstinuerint: nisi ubi in istis diebus Nativitas Domini incideris, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis, ac meritis, ac speciali protectione post earum transitum: præcipuè in die Sabbati, quæ dies ab Ecclesia eidem B. Virgini Mariæ dedicatus est, adjuturam. Itaque Imagines, quæ à devotis de hac re solent fieri, vel depingi cum descensione Beatæ Virginis ad animas in purgatorio liberandas, minimè fiant; sed per intercessionem ejusdem Virginis à tanto periculo per manus Angelorum in Cœlo collocari.*

457 III. Illam promissionem servandi Castitatem, non esse propriè votum, sicuti neque promissio observandi statuta. Et quamvis bis tèrve ex humana fragilitate peccet quis Confrater contra castitatem, si tamen se seriò emendet, potiturum patrocinio Matris Virginis probè observat Lezana *loc. cit. n. 45.*

458 Dicta de Scapulari partim declaro, partim stabilio ex P. Theophilo Raynaudo, qui integrum, eruditissimúmque (ut sunt omnes ejus libri, libelli, ac pœne singula folia) Tractatum conscripsit de argumento præsenti, quem etiam transtulit in septimum Tomum suorum octodecim Tomorum cum inscriptione: SCAPULARE MARIANUM, in cujus parte secunda *quæst. 5. fol. 288. Col. 2.* ita disertè scribit: *Verba Deiparæ* (apparentis Joanni XXII. & manifestantis ipsi suum pro Defunctis Fratribus Scapularis patrocinium) *in rigore sumpta tantùm ferunt, in Sabbato subventionem Deiparæ affuturam animabus illis, & liberandas esse; sin minùs tum, at certè non multò pòst. Nam Paulus V. in Decreto superiùs adducto sic intellexit verba Deiparæ, ut sensus sit, subveniendum illis esse à B. V. præcipuè in Sabbato, quòd ea dies sit Virgini festiva.* Sic loquitur P. Theophilus præcipuus Patronus Scapularis, ac summè commendatus à Generali PP. Carmelitarum.

Deinde idem scriptor eâdem *q. 5. fol. 289. Col. 1. & 2.* docens, quomodo peragatur hæc subventio, & actualis liberatio, rectissimè observat, eam non fieri immediatè ob nudam intercessionem Deiparæ, nullis videlicet applicatis suffragiis, quandoquidem animæ purgantes non liberantur pœnis, nisi repræsentato litrò, ergo sit procurando, ut iis laborantibus applicentur Viatorum superstitum ad id excitatorum suffragia, vel ut pro iis educatur litrum sufficiens ex communi Ecclesiæ Thesauro. Quamvis enim Christus Thesauri erogationem integre permiserit Ecclesiæ, tamen potest contingere, ut quæ inde erogantur in gratiam unius, non acceptentur pro illo, sed applicentur alteri. Et idem est de suffragiis, & satisfactionibus privatorum, quæ Deus aliquando non acceptat pro uno quopiam ob certam causam id jure ferentem, ut habetur in vita Rabani Mauri, ubi narratur rejectio suffragiorum pro demortuo Cœnobii Promo, qui vicies defraudaverat defunctos subsidio eleemosynæ per Abbatem constitutæ. Verosimile autem est nolle Deum, ut suffragia pro indigno exhibita abeant irrita, ac proinde ea admittere pro alio, pro quo Sanctus aliquis intercedit. Hactenus Raynaudus, cujus ratiocinatio & mihi probatur, & utiliter revocabitur sæpe in memoriam, singulariter legendo materiam tractandam infra, *Cap. 22.*

Tertio idem ille Doctor *Part. 1. cap. 7.* ejus- 459
dem libri probat quidem ex instituto, Scapulare Marianum gestatum cum conditionibus præscriptis, esse signum salutis æternæ, notámque prædestinationis sed *Part. 2. quæst. 7.* defendens contra infectatores hanc suam doctrinam *fol. 293. Col. 2.* sic seipsum explicat: *Scapulare Marianum est ex Deiparæ instituto signum salutis, & nota prædestinationis, quatenus gestatio Scapularis ejusmodi tessera est singularis protectionis B. V. affuturæ Sodalibus, & conciliaturæ media gratiæ singularis, quibus & securiùs serventur mandata, & tutiùs ad optatum finem beatitudinis pertingatur. Non plus dicitur, cùm asseritur, Scapulare esse signum salutis, & pignus vel notam prædestinationis.* Ita P. Theophilus, cui lubens adstipulor, si adhibeantur certæ conditiones tum communes, tum particulares. *Communes dico; observationes omnibus demandatas, queis in primis necesse est insistere; particulares verò appello, quæ continentur certis capitibus præscriptis Sodalitio Mariano, ex Virginis monito.* Ita rursum P. Theophilus interpretatur se ipsum *fol. 293. Col. 1.* quæ volui notare in gratiam Confessariorum, qui sæpe interrogantur de hac materia.

Quæst. LVI. *De Indulgentiis Corrigiatorum,* 460
& Chordigerorum quid pronuntiandum?

RESP. Dicendum est, esse amplissimas; siquidem Corrigiati & Corrigiatæ fruuntur Indulgentiis omnibus concessis antiquissimo, & pluri-

plurimis Sanctis Viris illustrato Ordini Eremitarum Sancti Augustini. Chordigeri autem & Chordigeræ iis, quibus gaudet nobilis Magni Francisci proles, ut videre est apud Rodriquez *q.88. art. 2.* & Lezanam *Tom. 2. cap. 15. n. 63. & 65.*

Porrò Corrigiatorum, ut vocant citati authores, Confraternitas & approbata jam fuit ab Eugenio Papa, Anno Domini 1446. & à Gregorio XIII. extensa etiam ad mulieres sub nomine Sanctæ Monicæ. At verò Chordigerorum utriusque sexûs Confraternitatem non tantùm confirmavit, sed instituit ipse Sixtus V. Pontifex, Anno Domini 1587. Assisii in templo, quo Seraphici Patris gloriosum corpus requiescit, ut videre est apud Rodriquez *Tom. 1. q.58. a. 1.* & Lezanam *cit. n. 63.*

CAPVT XX.

De Indulgentia Personali.

SUMMARIUM.

Quid sit Indulgentia Personalis? 461.
Indulgentia concessa toti Civitati extenditur ad omnes Clericos, & Religiosos illius Civitatis. 462.
Non item sententia Interdicti, aut alia. Ibid.
An Indulgentiâ itidem impertitâ toti Civitati gaudeant ipsi quoque forenses, seu peregrini? 463.
Quid sentiendum de Vagis? Ibid.
Quid hic censendum de iis, qui per modum peregrini morantur in aliquo monasterio celebrante diem ornatum Indulgentiis? 464.

461 Quæst. LVII. *Quid est Indulgentia Personalis?*

RESP. Est illa, quam habes non ratione loci, in quo versaris, neque rei, qua utaris, sed quia vel es pars communitatis alicujus, vel aliam ob causam. Vide Suarez *disp. 52. sect. 1. num. 3.* & Filliucium *num. 269.* Cæterùm quando alicui particulari personæ soli, & directè datur Indulgentia Personalis, verificatur in illa notissima regula Juris in 6. *Privilegium Personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.*

Quæst. LVIII. *Quando conceditur Indulgentia alicui toti Civitati, sumne ejus participes Clerici, & Religiosi illius Civitatis?*

462 RESP. Quandoquidem in favorabilibus nomine Populi, & Civitatis intelliguntur etiam Clerici, & Regulares, in illo populo, aut civitate habitantes, ut *ex Cap.* Dilecti, *De foro competente*, notant Doctores, idcirco Indulgentia, concessa alicui civitati, extenditur ad omnes Clericos, & Regulares illius civitatis Bologn. de Indulgent. *num.* 104. Suarez *loc. cit. num.* 13. Filliucius *Tract. 8. num. 130.* Esto Joannes Salas. *q. 96. Tract. 14. disp. 14. n.* 104. neget, Clericos esse propriè Cives urbis, in qua habitant.

Alia est ratio interdicti, & similium pœnarum, aut onerum, quibus civitas aliqua afficitur, nam ea non extenduntur ad Clericos, multò minùs ad Regulares, propterea quòd in hoc maximè casu locum habeat, utroque jure firmata Regula: *Odia sunt restringenda.*

Cæterùm Indulgentiam, quam Prælatus alicui communitati concedit, ut v. g. est illa, quam Provinciales Regularium impertiuntur suis subditis finita visitatione, extenditur ad ipsummet Prælatum, ex dictis *suprà n. 261.*

Quæst. LIX. *Indulgentia concessa civitati Mediolanensi v.g. aut civibus Mediolanensibus, extenditurne ad peregrinos, advenas, vagos?* 463

RESP. Quandoquidem *qui sentit onus, sentire debet commodum, Reg. 55. in 6.* omnes autem peregrini, tam qui in aliquo loco, per majorem, ut fert verior opinio Sanchezii *Lib. 1. moral. c. 12.* contra Paludanum, & multos alios, quàm qui per minorem Anni partem, ut habet probabilis quidem, minùs tamen probabilis sententia Laymanni *Lib. 1. Tract. 4. cap. 12.* contra Sanchez *cit. c. 12.* cogitant habitare, tenentur legibus omnibus loci illius, idcirco probabile est, illum, qui est Mediolani instar peregrini, aut advenæ, frui omnibus Indulgentiis, quæ conceduntur omnibus, & universis civibus Mediolanensibus, juxta dicta, & fusiùs declarata suprà *num. 63. & 64.* Quod ipsum est etiam de Vagis idcirco dicendum, quia plerique cum Sanchez *loc. cit.* contra Laymannum *loc. cit. n. 7.* & alios docent, hos teneri omnibus legibus omnium locorum, in quibus contingit eos existere. Est alia ratio de 464 sæcularibus per modum Peregrinorum commorantibus in Monasterio v. g. nam non fruuntur Indulgentiâ Monachis loci concessa, cùm ne quidem perpetui famuli eâ fruantur. Aliud censerem de Monacho ejusdem Ordinis hospitante in illo Monasterio, quia eadem est ratio Regularis cùm Regularibus (ejusdem saltem Ordinis) quæ sæcularis cum sæcularibus. Unde quando Pontifex dat alicui Ordini Indulgentiam, per modum Jubilei, potest illius Ordinis Religiosus illam bis ratione peregrinationis lucrari, juxta ea, quæ dixi *in præced. Tract. De Jubil. n. 94.*

CA-

CAPVT XXI.

De Indulgentiis pro vivis & defunctis.

SUMMARIUM.

Indulgentia pro vivis quomodo differat ab Indulgentia pro defunctis? 465.
Potest quis licitè, & probabiliter validè propria authoritate suammet Indulgentiam offerre Deo pro defunctis. 466.
Solvuntur duo argumenta in contrarium. 467.
Et tertium petitum ex quodam absurdo. 468.
Quid si Deus non admittat talem oblationem? 469.
Nominantur tres Authores dissentientes à Doctrina n. 466. propositâ. 470.
Satisfit eorum rationibus. 471.

465 Quæst. LX. *Indulgentia pro vivis quomodo differt ab Indulgentia pro defunctis?*

RESP. Differt hoc modo, quòd Indulgentia pro defunctis non detur, nec dari possit per modum absolutionis, sed solùm per modum suffragii, & solutionis, ut dixi *num. 15.* At Indulgentia pro vivis potest etiam, & solet per modum absolutionis dari. Deinde Indulgentia pro vivis conceditur immediatè ipsis vivis, at defunctis non conceditur, nisi mediante opere alicujus mortalis, ut *n. 265.* retuli; & non nisi interveniente Pontificis authoritate, ut subdidi *n. 264.*

466 Quæst. LXI. *An non potest quis privata, propriaque auctoritate, suammet Indulgentiam Deo pro defunctis æquè offerre, ac potest jejunia disciplinas &c?*

Respondeo, id fieri posse licitè, & fructuosè, idque confirmo inde, tum quia nullum jus Divinum, aut Ecclesiasticum vetat hoc in praxin redigi, atqui *intelliguntur concessa, quæ non sunt expressè prohibita*, inquit Glossa: *in Cap. 2. De Transl. Episc. vers. non invenitur*, communiter recepta; tum quia utiliter practicatur, nam Joan. 16. generatim promittitur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; tum denique quia nullum planè inconveniens apparet in hac precatiuncula: *Clementissime Deus, rogote, ut illam Indulgentiam Plenariam; quam cras in die Portiunculæ comparare studebo, digneris admittere potiùs pro expiandis mei Patris defuncti peccatis, quàm pro meis.*

467 Nec obest primò, quòd nullus author Classicus hanc doctrinam tradit. Nam etsi materia de Jubileo, & Indulgentiis à permultis ita accuratè sit tractata, fatebitur tamen æquus Lector, se tam in hoc, quàm in præcedente Tractatu de Jubileo reperisse permulta dubia practica, non parvi momenti, quæ nemo alius ante me proposuit, sicut mihi ipsi per literas testatus est doctissimus quidam, & libris scriptis notissimus Theologus. Sufficit, modò hæc doctrina sit utilis, & non contraria sensui Ecclesiæ, vel Doctorum.

Nec obest secundò, quòd *num. 264.* & alibi ex omnium sententia negârim, validè in defunctos transferri Indulgentias, nisi Pontifex Romanus eas transferendi potestatem verbis admodum claris largiatur. Etenim illa doctrina intelligitur, & intelligenda est de applicatione infallibilem (ex ordinariâ Dei lege) effectum habente, ac fundata in potestate Pastorali, seu Clavium, non autem de applicatione fundata in sola Dei liberali acceptatione, & quæ pendeat etiam ab iis conditionibus, à quibus efficaciam orationis pendere tradunt Doctores post S. Thomam 2. 2. *q. 83.*

Non obstat tertiò, quòd hinc sequatur, 468 posse eodem modo ab uno vivo alteri donari suam Indulgentiam. Respondeo enim, id non videri absurdum, quamvis longè utique difficiliùs, & rariùs Deus admittat pro vivis, quàm pro defunctis, quia illi possunt se juvare, hi nequeunt. Unde respectu vivorum habet aliquo modo locum illud pronuntiatum Juridicum: *Indignus est aliena ope, qui sibi non vult opitulari, cùm possit.*

Hinc patet laudandum esse Cajum, cùm dicit: *Domine Deus peto, ut omnes omnino Indulgentias, quas toto hoc mense possem in meum usum convertere, permittas potiùs cedere in subsidium miserabilium animarum, in flammis purgatoriis detentarum.* Equidem hoc loco aptissimè dicitur, quod de illis Indulgentiis dubiis, (quarum occasione nullum damnum emergit,) pronuntiant Doctores: *Tantùm valeant, quantùm possunt.*

Dices: *Quid si Deus non admittat, sicut sæ-* 469 *pissime non admittit, talem donationem, aut applicationem?*

RESP. Tunc Indulgentiarum fructus remanet penes illum, qui donare volebat: etenim ob ejus interpretativam voluntatem impletur in eo illud Psalmistæ: *Oratio mea in sinu meo convertetur*; & illud Christi Domini: *Pax vestra revertetur, ad vos. Matth. 10.*

Appendix.

Legisti Lector, quid ego abhinc Annos plus 470 viginti censuerim de quæstione proposita *n. 466.* Si autem quæras, quid etiam nunc judicem, respondebo in primis, eam responsionem jam non mihi videri tam probabilem, quàm antea videbatur, idque ob solam authoritatem contrariam. Siquidem reperio tres Doctores, qui me citato non probant illam doctrinam. Primus est Antoninus Diana, qui *Part. 10. Tract. 16. Resol. 12.* describit omnia, quæ hîc repetii, concludit tamen, se non posse

adhærere meæ opinioni quamcumvis piæ. Alter est Antonius Cotonius *Celebrior. Controver. Lib.2. Controv. 11. cap.1. n.117.* qui iisdem meis verbis lectis apud Dianam sentit cum Diana. Tertius est noster P. Adamus Burghaber, qui *Centuria 1. quæst.72.* etiam mei meminit, atque à me dissentit. Sanè hi Triumviri injiciunt non irrationabilem metum, ne illa mea responsio non sit vera, quandoquidem profitentur, se ab ea dissentire. Proferunt etiam contra me Dianam, & P. Burghaber varios authores. Verùm illi non loquuntur in eo sensu, in quo ego clarè propono meam sententiam; nec rationes, quibus nituntur tum hi varii authores, tum illi Triumviri, sunt mihi novæ, cùm nitantur omnes illa communi doctrina, quam ipse ultro contra me attuli *n.467.* explicavique; nihilominus tamen reddunt dubiam meam resolutionem; quam tamen explano, roboróque ulteriùs hoc modo. Quando Pontifex mihi promittit Indulgentiam Plenariam e.g. extrahit, separátque ex thesauro, cumulóque meritorum Christi, & Sanctorum portionem sufficientem expiandæ pœnæ debitæ omnibus meis peccatis, quandoquidem causa effectiva hujus expiationis, propriéque dictæ satisfactionis est applicatio talium meritorum, ut liquet ex dictis in hoc Tractatu *Part.1. cap. 2. 3. 4.* Hanc portionem jam eductam per Pontificis, non per meam voluntatem, non vult Deus esse irritam, ut rectè tradit P. Raynaudus relatus suprà *n.458.* sed paratus est eam admittere pro alio, pro quo orat aliquis Sanctus, ut loquitur idem Doctor; ergo etiam pro quo aliquis mortalis in gratia Dei constitutus; nam si quid obstaret, obstaret hoc, quòd & solus Papa habeat jus in distributionem Thesauri Ecclesiastici, & illa portio non sit futura irrita, etsi non donem alicui animæ. Primum non obstat respectu Cœlitum, ergo nec respectu terrigenarum. Secundum etiam non obstat, quia posito, quòd ego nolim mihi applicari in actu secundo illam jam extractam portionem, erit frustra, nisi transferatur in defunctum à me designatum.

471 Est quidem solius Pontificis extrahere ex Thesauro communi superfluas satisfactiones, quæ vi suæ Oeconomicæ potestatis, de qua infrà *n. 482.* ex Valentia, atque authoritativè, ut loquar cum Palao infrà *n.485.* referendo; transfusæ in Petrum, vel Paulum velut viva instrumenta applicentur actu, & quidem infallibiliter alicui defuncto capaci, ipse quippe solus potitur jurisdictione in communem Thesaurum Ecclesiæ. Cajet, & Valentia relati suprà *n.15.* proinde nemo potest velut instrumentum Oeconomi ut talis facere illam applicationem sine positivo consensu Pontificis, sicut probant rationes ab authoribus contrariis productæ, & insinuatæ. At hæc verissimà doctrina stare potest cum opinione dicente, portiones jam extractas, atque positas in meo arbitrio, ut possim mihi applicare, si velim, non applicare, si nolim, posse non vi potestatis Oeconomicæ, & authoritativæ mihi tanquam instrumento, seu ministro communicatæ per Papam, sed vi precum, quibus rogo Deum, ut potiùs velit huic, vel illi animæ solutæ corpore, prodesse quàm mihi. Certè Papa id non vetat, nec ulla ratio ostendit, hunc actum esse de se malum, imò est de se bonus, & pius; sed nec Diana, vel Burghaber ostendunt, esse certo inutilem. Discursus autem quem formo, nititur authoritate, ac doctrina Theophili Raynaudi scriptoris absque dubio Classici. Quidni igitur huc applicemus hortationem masculo animo Theologi Joannis Sanchez *in sel. disp. 27. n.17.* pronuntiantis, negotia, in quibus nullum damnum timetur, sed potiùs lucrum speratur, esse audacter tractanda? Atqui ego hîc nullum damnum patiar, etsi mea Indulgentia obtingat animæ, cui applicetam volo; sicuti enim qui sua culpâ damnum sentit, non intelligitur damnum sentire, judice Pomponio *Leg. 203. ff. De Reg. Iur.* ita nec is, qui sponte. Sed neque damnum sentio casu, quo Deus non dat locum applicationi factæ authoritate privatâ, quia tunc Indulgentia redit ad me, sicuti quando authoritate Pontificis publicè notâ applico defuncto quidem, at incapaci. Hæc dicta sunto disputandi & disputata remittendi ad aliorum iteratum examen causâ.

CAPVT XXII.

Quibus, & quomodo defunctis prosint Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

Quibus generatim prosint Indulgentiæ? 472.
Deus facilius admittit Indulgentias applicatas illis defunctis, qui in vita fuêre studiosi illarum, aut animarum corpore solutarum. 474.
Indulgentiæ prosunt non modo defunctis generatim, sed etiam aliquibus speciatim. 475.
Quatuor modis explicatur vulgaris modus loquendi de applicatione per modum *suffragii.* 476. *& seqq.*
Approbatur quartus modus. 483. *&* 484.
Cur si Indulgentiæ applicatæ defunctis per modum suffragii prosint ita infallibiliter, attamen sæpius applicentur plenariæ uni, & eidem? 486.
Quæst. LXII. *Prosuntne Indulgentiæ omnibus defunctis? & utrùm in particulari, an in communi?* 472

RESP.

RESP. I. Non prosunt damnatis, quia hi sunt perpetui hostes Dei; non Beatis, quia illis nil superest expiandum; non iis, qui cum peccato originali decesserunt; tum quia Indulgentia datur solùm pro pœna peccatis actualibus debita; tum quia tales carent Dei gratiâ; non denique Catechumenis, & excommunicatis Deo tamen reconciliatis, juxta opinionem multorum, quam tamen non esse probabiliorem oppositâ indicavi *suprà n. 145.*

473 II. Cæteris omnibus defunctis prosunt, etiam illis, qui dum inter mortales agerent, non studuerunt aut pro suis peccatis satisfacere, aut defunctos suffragiis juvare, ut contra Cajetanum probè à Soto *in 4. dist.21. q.2. a.3. sub. fin.* refutatum ostendi suprà *quæst. 46.* quamquam *n.486.* addam aliquam exceptionem.

474 III. Nihilominus tamen verosimile est, à Deo facilius acceptari Indulgentias, oblatas pro animabus illorum, qui & ipsi dum in vivis agerent, sedulò pro mortuis oravêre, & iis suas donavêre Indulgentias. Laym. *Lib. 5. Tract.7. c.7. n.4.* post Henriq. & Rodriq. Quæ doctrina etsi verosimilis, non videtur tamen generaliter defendenda ab iis, qui asserunt, Indulgentias defunctis applicatas habere infallibilem effectum.

475 IV. Et verò Indulgentiæ ita prosunt fidelibus defunctis, in igne purgatorio detentis, ut non solùm quandoque in omnes, aut aliquas simul derivetur fructus aliquis Indulgentiæ, sed etiam in particulari una anima præ altera juvetur. DD. communiter teste Bellarmino *De Indulgentiis Lib.1. c.14. in fin.* Nam & ratio reddi non potest, cur non possit uni animæ præ altera, imò uni, sine omnino aliâ animâ applicari Indulgentia: & praxis Summorum Pontificum Paschalis II. Alexandri VI. Clementis VII. quos nominat Bellarminus, itémque Gregorii XIII. in Indulgentiis Congregationis Annuntiatæ, Pauli V. in Indulgentiis datis tum Serenissimo Bavariæ Duci Guilielmo, tum Illustrissimo Bambergensi Episcopo Godefrido, Gregorii XV. in Indulgentiis Quinque Sanctorum, communem hanc sententiam certam facit; siquidem Pontifices, quos nominavi, dant potestatem, certas & particulares animas v.g. patris, matris &c. è purgatorio eximendi per Indulgentias.

476 Quæst. LXIII. *Quid significat illa phrasis, qua dicitur, has aut illas Indulgentias posse per modum suffragii, applicari animabus purgatorii.*

RESP. Triplex hujus phrasis, quæ plerumque usurpatur, quando de Indulgentiis pro fidelibus defunctis agitur, explicatio ab aliis, aliisque Doctoribus adfertur, ut notat Filliucius *n.204.*

477 Prima est, ut *per modum suffragii*, seu spiritualis auxilii (nam suffragium significat hîc auxilium, patrocinium, advocatiam) dicatur Indulgentia prodesse defunctis, ideo solùm quòd illud auxilium, & patrocinium non habeat infallibilem effectum, sed pendeat à libera acceptatione Dei; sicut quando pro Cajo, ad triremes à Rege damnato, offero Regi 1000. aureos. Corduba *q.13.* Henriq. *Lib. 7. cap.7.* Laym. *Lib.5. Tract.7. c.7. n.3.* Sed hanc explicationem negant, qui Indulgentias infalliblliter prodesse defunctis asserunt.

Secunda explicatio est, quòd Indulgentia 478
per modum suffragii ab Indulgentia *per modum absolutionis* differat solùm, quoad modum causandi moraliter illum effectum remissionis pœnæ. Nam quando est per modum absolutionis, qui illam concedit, immediatè remittit pœnam tanquam Dei Minister, & Judex locum Dei tenens; quando verò est solùm per modum suffragii, concedens non remittit pœnam, sed offert Deo pretium æquivalens, ut ipse Deus pœnam remittat. Suarez *Tom.4. in 3. p. D. Th. disp.53. sect.3.* fusè hanc phrasin declarans, Coninck *Tract 8. dub.10.* Filliucius *n.205.* Toletus *Lib.6. c.26.* ubi appositò exemplo rem declarat. Verùm Lugo *in 3. p. Tom.3. disp. 27. n.61.* ait, hunc explicandi modum nunquam sibi satisfacere potuisse.

Tertia explicatio est, quòd Indulgentia per 479
modum suffragii concessa alicui, censeatur esse ipsi concessa, non immediatè, & directè, sed mediante actione alterius, sicut conceduntur defunctis, mediante actione alicujus vivi, illas ipsis applicantis. Hanc explicationem admittit etiam Toletus *cit. cap.26.* eandémque insinuat, aut potiùs supponit S. Thomas *in 4. dist. 45. q.2. a.3.* nam negat animas defunctorum posse per Indulgentias juvari aliter, quàm indirectè, & secundariò. Vide quod dixi *suprà n.263.*

Hic ipse tertius modus explicandi, qui val- 480
de mihi probatur, potest adhuc in duos alios explicandi modos subdividi. Inprimis ita, ut is, per cujus actionem applicatur defuncto Indulgentia, donet defuncto illam ipsam Indulgentiam, quam posset sibi ipsi applicare, si vellet. Hunc modum refutat quidem Cardinalis de Lugo *n.87. 88. & 89.* sed non potest negari, quin aliquando sit vera ista explicatio, nam in Brevi pro Communione Generali, quod explicui in Tract. de Jubil. Quintupl. *cap. 27.* fit expressè potestas, vel lucrandi sibi Indulgentiam plenariam, vel eam applicandi defunctis per modum suffragii. Idem indicat Clemens IX. in suis Indulgentiis §.11. Itaque meritò Suar. *disp.52. sect.7.n.6.* admittit hanc explicationem in quibusdam Indulgentiis habere locum. Quamquam fateor esse verum, quòd communiter ista explicatio non sit vera, ut apparet vel ex Indulgentiis Quinque Sanctorum,

ctorum, & Ducis Guilielmi, in quibus non semel, pro uno, eodémque actu datur uni Indulgentia plenaria, & simul potestas liberandi unam animam è purgatorio per modum suffragii.

481 Altera explicatio illius tertii modi est, quòd Pontifex non concedat immediatè Indulgentiam defuncto, nec etiam viventi, sed solùm ex Thesauro Ecclesiæ elevet opera pia fidelium viventium, ita ut non solùm sint satisfactoria ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, ferè sicut pœnitentia à Confessario injuncta elevatur in Sacramento Confessionis, ad satisfaciendum ex opere operato. Hanc explicationem doctè, ut omnia, defendit, declarátque Lugo *n.*70. *& seqq.* Ego illam nec probo, nec improbo; solùm dico quatuor.

482 Primum, nil obesse, licèt quis dicat, actum, quo Indulgentiæ defunctis applicantur à Pontifice, esse actum jurisdictionis, non quidem Judiciariæ in defunctos, sed Oeconomicæ, in Thesaurum communem, juxta doctrinam ex Valentia relatam *suprà quæst. 6. in fin.* Nam Pontifex Indulgentiis juvat defunctos, non quidem absolvendo illos tanquam Judex, nam *nemo qui condemnare non potest, absolvere potest. L.* Nemo 38. *ff. De Regulis Iuris*, sed tamquam Ecclesiasticus Thesauri Oeconomus, & dispensator, desumendo ex illo jam hanc, jam illam partem, & offerendo Deo in solutionem; ita ut Deus, non autem Pontifex ipse propriè remittat pœnam defunctis, sicuti propriè remittit vivis Indulgentiâ porientibus. Suarez *cit. sect.* 3. *n.* 17.

Secundum, proinde Indulgentiis pœnas defunctorum expiari per modum Solutionis, non per modum Absolutionis, ut ibidem explicavi, & bene probat Reginaldus *Lib.* 7. *num.* 152.

483 Tertium, in concessione Indulgentiarum, non intelligi facultatem illas authoritate Pontificia applicandi defunctis, nisi expressa fiat hujus potestatis mentio. *suprà n.*264.

Quartum, veriorem videri opinionem Soti *q.*2. *a.*3. Navarri *De Indulg. & Iubil. Not.* 22. Suar. *cit. sect.*4. Lugonis *n.*59. Filliucii *Tract.* 8. *n.*205. aliorúmque permultorum, ab his relatorum, quòd Indulgentiæ prosint infallibiliter defunctis, seu quòd illa anima, cui ex mente Pontificis applicatur Indulgentia, certò & infallibiliter (secundùm ordinariam Dei legem) juvetur per illam, vel aliqua ex parte, si sit Indulgentia non plenaria; vel integre, si sit plenaria, habeátque conditiones superiùs
484 explicatas, & cap. seq. explicandas. Ratio est, tum quia Leo X. in Epistola ad Cajetanum, cujus partem refert Lugo *cit. n.*59. Indulgentiæ defunctis applicatæ, non minùs universaliter, & absque hæsitatione promittit effectum suum, ac illi, quam quis vivus sibi lucratur; tum quia potestas, quam habet Pontifex, ad applicandas Indulgentias defunctis, fundatur æquè in officio Pastorali, & in promissione, à Christo Domino facta S. Petro, quàm fundatur potestas largiendi vivis Indulgentias, ergo sicuti ista est, ex generali Dei lege, infallibilis, ita & illa.

Hinc infero, quòd Indulgentiam *per modum suffragii* applicare defunctis, sit designare defunctum, pro quo Pontifex authoritativè offerat Deo partem Thesauri Ecclesiastici, ut explicat Palaus *Part.*4. *Tract.*24. *p.*10.

Nec obstat, quòd soleat sæpius pro una, & eâdem anima, vel Indulgentia plenaria applicari, vel in altari privilegiato sacrificari; nam id fit, tum quia non constat, an causa, ob quam Pontifex concessit Indulgentiam plenariam, sit sufficiens; tum quia non constat, an, & quomodo prior Sacerdos applicuerit suam intentionem; tum quia nescitur, an, qui plenariam Indulgentiam alicui animæ applicavit, vel donavit, omnes conditiones necessarias impleverit; tum quia nostra sententia est tantùm probabilis, & non omnino certa; tum quia ignoratur, an non peculiarem ob causam velit Deus circa hanc, aut illam animam facere exceptionem à sua generali promissione, scilicet ob rationes omnino peculiares non permittendo, ut Indulgentia, in actu secundo, prosit huic certæ animæ. Cujus rei exemplum protuli ex Raynaudo *Cap. præced.* Certè communissima S. Thomæ, & aliorum, quos magno numero refert P. Persicus *Lib.* 2. *De Sacrificio, dub.* 14. sententia est, sacrificium Missæ prodesse infallibiliter animabus defunctorum, & tamen P. Roa *De Purgator. c.* 20. docet, atque verosimili historia probat, quandoque fieri, ut Missæ sacrificium, pro aliqua anima purgante rite oblatum, nil illi prosit, ita Deo singulariter disponente, & nihilominus hic Author *c.*15. nobiscum sentit, Indulgentiam, & consequenter sacrificium Missæ, habere effectum infallibilem respectu defunctorum. Denique Navarrus *Not.*15. *n.*17. ad- 487
dit, licèt missa in altari privilegiato oblata pro aliqua anima possit illam, quæ parvæ pœnæ rea est, omnino liberare, adeóque illi conferre Indulgentiam plenariam, attamen posse fieri, ut propter gravitatem pœnæ, quam aliqua alia debet, non liberet per unam talem missam, sed per plures. Vide plura hanc in rem apud Rodriq. *q.*97. *a.*4. & Benzonium *De Iubileo Lib.*2. *cap.*51.

CA-

CAPUT XXIII.

Quæ conditiones requirantur ad id, ut Indulgentiæ defuncto alicui applicatæ prosint illi infallibiliter?

SUMMARIUM.

Referuntur aliquæ conditiones necessariæ & non necessariæ ad id, ut animæ defunctæ prosit Indulgentia. 488.

Quatenus volens applicare defuncto suam Indulgentiam debeat, aut non debeat esse in statu gratiæ? 489. & 490.

Quæ, & qualis intentio in applicante Indulgentiam requiratur? 492. *& seqq.*

Suggeritur praxis pro habentibus potestatem persæpe applicandi Indulgentias piis manibus. 495.

Sitne opus orare pro illo defuncto, cui donatur Indulgentia? 496.

Aut pro illo offerre opus injunctum pro comparanda Indulgentia? 497. *& seq.*

488 SUppono ex dictis sequentia. I. Non requiri ad hujus effectûs infallibilitatem, ut defunctus, dum erat in vivis, studuerit satisfacere pro suis peccatis, aut juverit suffragiis alios. II. Nec etiam secundùm probabilem opinionem relatam *n.*141. requiri, ut fuerit revera baptizatus. III. Tamen requiri, ut opus, quod pro Indulgentia pro defuncto lucranda, obiri debet, obeatur cum illa perfectione & integritate, quam exigi docuimus *cap.*17. IV. Requiri, ut Pontifex dederit potestatem applicandi defuncto Indulgentiam, *suprà n.*264. *&* 471. V. Requiri, ut Deus ob specialem rationem non respuat prædictam applicationem. His & aliis, quæ facilè ex dictis intelliguntur, suppositis oritur

489 Quæst. LXIV. *Verùm, quando alicui defuncto volo lucrari Indulgentiam, debeam esse in statu gratiæ?*

RESP. I. Si plura opera ad illam Indulgentiam obtinendam requiruntur, non magis necesse est, te esse in statu gratiæ, dum singula peragis, quàm si pro te deberes lucrari Indulgentiam.

490 II. Quando unicum opus, aut ex pluribus ultimum, tibi peragendum est, negat absolutè & valde probabiliter Reginaldus *Lib.* 7. *n.* 195. Palaus *Punct.*10. cum Diana *Part.* 5. *Tract.* 12. *Resol.*38. & multis ab illo relatis, quidquam referre, utrùm sis in statu peccati mortalis, aut gratiæ Dei. Lugo verò *disp.*27. *n.*75. testatur, esse magis commune, & secundùm fidelium sensum, quòd requiratur status gratiæ, eo modo, quo requiri dixi *quæst.* 43. Consentit Dicastillo *Tom.* 2. *in* 3. *Part. Tract.* 9. *disp.* 2. *dub.* 17.

Posset forte sic distingui. Aut enim illam 491
ipsam Indulgentiam, quam tibi applicare poteras, applicas defuncto, & tunc suppetit major ratio dicendi, requiri statum gratiæ, nam *accessorium naturam sequi congruit principalis. Reg.* 42. *in* 6. Es autem in prædicto casu principalis, & primarius Indulgentiæ participator; sicut ergo requiritur in te status gratiæ, ut illam Indulgentiam tibi ipsi fructuosè applices, ita probabiliter etiam requiritur, ut eandem alteri accessoriè applices. Aut illam Indulgentiam, quam tibi non poteras applicare, applicas defuncto; & tunc non adest tanta ratio exigendi statum gratiæ; nam in tali casu non videtur magis in te requiri gratia, quàm requiritur in tuo famulo dante ex tuo jussu eleemosynam, pro Indulgentia tibi comparanda. Hac similitudine utuntur Reginaldus, & apud Dianam Portel. *In Addit. num.*24. addens hanc causam, quòd opus, quod facis pro Indulgentia defuncto lucranda, facias nomine Ecclesiæ. Agnosco tamen Cardinalem de Lugo valde consequenter loqui, supposità doctrinâ de elevatione operum, quam ex illo insinuavi *num.* 482.

Quæst. LXV. *Ut Indulgentia prosit alicui* 492
defuncto, requiriturne in illo, qui eam lucratur, intentio determinata lucrandæ illam pro defuncto?

RESP. I. Requitur ejusmodi intentio; alioqui, vel omnino non acquireretur Indulgentia, vel acquireretur illi, qui opus pro illa lucranda exercet, si præter alia sit in ipso habitualis intentio, tantùm sibi ipsi per sua bona opera commodandi, quantùm potest. Quam quidem habitualem intentionem, præsertim in materia satisfactionis, omnes habere videri, notat Navarrus *de Oratione Miscell.* 26. *n.* 20.

II. Illa determinata intentio, quam dixi esse 493
necessariam, debet formari, antequam integre perficias totum opus pro Indulgentia requisitum. Lugo *cit. disp.* 27. *n.* 78. *juncto num.* 18. *disputationis* 26. Sicut enim generatim loquendo per recitationem Rosarii non satisfacis pro Petri peccatis, si illud ipsi Petro applices primùm, postquam id recitâsti, tum quia non potest tua satisfactio à te cuiquam applicari, nisi quatenus subest tuo dominio, non autem subest, postquam opus satisfactorium jam est peractum; tum quia alioqui sequeretur, quòd quis, aut vivus, aut jam cœlo donatus, vel orco addictus, posset validè pro aliquo offerre bona opera, quæ ante 20. Annos peregit; ita etiam videtur omnino ratiocinandum de applicatione Indulgentiæ, utpote in qua maxima satisfactio continetur.

III. Eadem determinata intentio non est 494
necesse, ut sit vel actualis, vel virtualis, sed sufficit modò sit habitualis. Lugo *cit. num.* 74. *juncto num.* 19. *ejusdem disputationis vigesimæ sextæ*

sextæ contra Vasquez. Intelligit autem expressè Lugo per Virtualem intentionem illam, qua opus pro Indulgentia præscriptum peragis ex vi propositi, quo antea constitueras illud pro defuncto aliquo juvando peragere. At per Habitualem intentionem intelligit etiam expressè illam, qua ante mensem v. g. applicâsti, pro aliquo omnia opera hujus mensis, & eâ non retractatâ peragis prædicta opera. Quare si hodie dicas: *Domine Deus, omnes hujus totius Anni Indulgentias, quas lucrabor, & quas animabus applicare potero, offero tibi ex nunc, pro tunc, ad liberationem omnium illarum animarum, quæ hoc Anno ex mea Congregatione decesserunt*; etsi postea non ampliùs cogites de ista applicatione, æquè illis postmodum proderunt, acsi idemidem renovares applicationem, modò illam non retractes. Vide peropportunum exemplum, quo intentionem habitualem pro applicatione sacrificii sufficere declarat P. Joannes de Dicastillo in eruditissimo suo Tom. 1. de Sacram. *Tract. 1. disp. 3. n. 131.* qua disputatione præclarè de intentione disserit.

495 Quapropter Regulares, & alii, qui habent potestatem tam frequenter applicandi piis Manibus Indulgentias, consultissimè agunt dicendo: *Domine Deus, omnes Indulgentias hujus hebdomadæ, quas mihi expressè non reservavero, offero tibi pro tali, & tali animâ; quòd si nec illa, nec illa, nec illa sit capax, aut indiga Indulgentiæ, offero tibi pro ista, ista, ista &c.* Atque ita jam observavi in Experientiis *Tract. 3. Cas. 5. n. 167.*

496 Quæst. LXVI. *Verùm, quando applicatur Indulgentia defuncto, oporteat pro illo orare?*

RESP. Oportet, si ita præscribitur in formula Indulgentiæ; non oportet, si non præscribatur. Et verò quandoque præscribitur, quandoque non præscribitur; quare sunt diligenter inspiciendæ singulæ formulæ. Lugo & Suarez *ll. cc.* Et nominatim in Tract. de Jubileo monui, non esse necesse orare pro defunctis, quando iis applicatur Indulgentia Communionis Generalis.

497 Quæst. LXVII. *Opus, quo lucrari volo Indulgentiam pro defuncto, debeòne offerre Deo pro illo defuncto, an possum totum illius valorem mihi retinere?*

RESP. Quandoque oportet ita offerre, quandoque non oportet, quia quandoque ita exigitur in formula Indulgentiæ, quandoque non exigitur. Suarez *disp. 53. sect. 4. n. 3.* Lugo *disp. 27. n. 78.* Et verò quando ponuntur hæc, aut similia verba: *Qui dixerit Missam pro defuncto; qui jejunaverit pro defuncto, liberabit illum è pœna purgatorii*, censetur exigi, ut missa & jejunium, quatenus sunt satisfactoria, offerantur pro defuncto, teste Suar. *loc. cit.* quod etiam putat Lugo *loc. cit.* esse verum, si dicatur: *Qui oraverit Coronam pro aliqua anima, liberabit illam è purgatorio.* Ego autem in hoc casu existimo sufficere, si recitatio Rosarii, quatenus est merè impetratoria, offeratur pro aliquo defuncto; nam vis impetrandi est potissima in precibus, & ferè sola spectatur, quando alicujus preces vel pro vivo, ut testatur Navarrus *De Orat. c. 20. n. 49.* vel etiam pro defuncto, petuntur.

Quòd si in formula Indulgentiæ reperian- 498
tur tantùm hæc verba: *Qui Missam dixerit, communicaverit, jejunaverit &c. liberabit animam è purgatorio*, tunc non est necesse, ut sacrum, jejunium &c. offerantur pro defuncto, sicuti rectè monent Lugo & Suarez *ll. cc.* Quamvis idem Suar. putet, oppositum esse probabile, saltem loquendo de Missa. Ex his apparet posse per Indulgentiam Communionis Generalis, per Indulgentias Quinque Sanctorum Alex. VII. Clem. IX. Clement. X. succurri animabus defunctorum, etsi pro iis non offeratur Communio, Rosarium &c.

CAPVT XXIV.

Sitne laudabilius Indulgentias applicare animabus purgatorii, quàm facere eleemosynas pauperibus, aut orare pro existentibus in peccato mortali?

SUMMARIUM.

Sitne præstabilius juvare defunctos Indulgentiâ, an vivos eleemosyna? 499.
Aut supplicare Deo pro defunctis, quàm pro constitutis in peccato mortali? 500.
An offerens Deo pro defuncto Indulgentiam, vel bonum opus careat omni fructu Indulgentiæ, vel operis? 501. *& seqq.*
Applicantes Indulgentias defunctis tot, quot possunt, meritò sperant æternam beatitudinem. 504.
Quid si tua suffragia non prosint reipsa illi, cui cupis suffragari? Ibid.
Est majoris meriti apud Deum, suas Indulgentias donare defunctis, quàm sibi reservare. 505.

Quæst. LXVIII. *Petrus valde studiosè con-* 499
quirit Indulgentias, ut iis juvet defunctos: Paulus non minùs studiosè juvat egenos stipe. Uter horum est majore laude dignus?

RESP. Si cætera, ut v. g. labor, solicitudo, & alia sint paria, tunc est Petrus præ Paulo laudandus. Ratio est, quia exercet nobilius opus misericordiæ, utpote miserum liberans longè majore pœna sensûs, & damni. Nihilominus placet mihi moderatio, quam statuit Escobar in Sum. *Tract. 7. Exam. 5. n. 53.* his verbis: Profectò præstantissima suffragia, sunt Missa, & Indulgentia plenaria; si tamen pro uno defuncto, jam Missæ multæ fuerint celebratæ, & aliunde urgeat necessitas magna viduarum, & pauperum, non ingratior Deo, me authore, erit per eleemosynam satisfactio. Ita Escobar dignus meliore Interprete. Vide in hanc rem dicta in Experientiis *Tract. 3. Cas. 5. n. 165.*

500 Quæst. LXIX. *Vtra actio est præstantior? Illane, qua defunctis applicantur Indulgentiæ, orando pro illis? An, qua Deo supplicatur pro conversione existentium in peccato mortali?*

RESP. Cùm Roa *De Purgator. c. 20.* priorem harum actionum videri præstantiorem. Probat Roa terrifico exemplo desumpto ex historia Ordinis Prædicatorum *Tom. 1. l. 2. c. 27.* ego his duabus rationibus; tum quia, qui sunt in statu peccati mortalis, possunt saltem ordinariè se inde eximere, quoties voluerint, non item pœnis se exsolvere possunt, qui ad purgatorium sunt damnati; tum quia majus bonum procuratur defunctis, quando eis procuratur liberatio è pœnis, quàm procuretur peccatori, quando liberatur peccatis, nam visio beata est quid absolutè præstantius gratiâ divinâ, ut docet S. Thom. *1. 2. q. 113. art. 9. in Corpore.* Junge his ea, quæ, in Experientiis *Tract. 3. Cas. 18.* fusiùs in hanc rem scripsi.

501 Quæst. LXX. *Cùm quis defunctis applicat vel Indulgentiam, vel bonum opus, privatur ne omni fructu Indulgentiæ, aut operis illius boni?*

RESP. I. Privatur toto fructu Indulgentiæ formaliter, & in se spectatæ; quia licèt utique posset Pontifex Indulgentias non plenarias v. g. Indulgentiam 100. dierum ita largiri, & dispensare; ut una pars remaneret penes vivum, altera transferretur in defunctum, nullum auctorem Legi, qui dicat ejusmodi dispensationem reipsa fieri.

502 II. Non privatur fructu Indulgentiæ causaliter spectatæ, id est, consideratæ secundùm actum, quo applicatur defuncto; ille enim actus, quo dico; Domine Deus, hanc Indulgentiam offero tibi pro tali, aut tali anima, est meritorius, satisfactorius, & impetratorius. Quà meritorius, non potest in alium transferri, quà satisfactorius (nam actus etiam merè internos habere vim satisfaciendi rectiùs docet cum plerisque Recentioribus Suar. *To. 4. in 3. p. disp. 37.* potest quidem applicari defuncto, sed non solet. Denique qua impetratorius potest prodesse illi ipsi, qui eum elicit; quidni enim rectè, & fructuosè dicam: *Domine Deus, istam Indulgentiam idcirco applico huic defuncto, ut intuitu illius misericordiæ spiritualis, quam ea applicatio continet, digneris in me augere misericordiæ virtutem, erga vivos, & defunctos?*

503 III. Quando aliquod opus offers pro aliquo defuncto, v. g. recitationem Rosarii, jejunium &c. illud opus, quoad vim merendi consideratum, manet totum penes te; nam nemo suum meritum potest in alterum transferre. DD. communiter *in materia de suffragiis, & de merito*; at quoad vim satisfaciendi, & impetrandi, transfertur integre in defunctum, si velis; si nolis, tantùm partialiter; potèsque vim satisfaciendi integre separare à vi impetrandi. Quia verò illa ipsa bona voluntas, qua opus illud offers pro defuncto, est etiam formaliter meritoria, satisfactoria, & impetratoria, & quidem per propriam rationem distinctam ab ipso opere, idcirco de illa philosophandum est, perinde ac de ipsa applicatione Indulgentiæ disserui.

Addo his maximam, & ferè exploratam 504
spem cœlo olim potiendi posse concipere illos, qui quas possunt Indulgentias, mortuis studiosissimè applicant; tot enim fidelissimos apud Deum Patronos habent, quot animas cœlo transcripserunt. Quare quidquid potes in hoc genere, facito; & quò pergas constantius, Lege sis 21. & 22. Caput Patris Roa, *De Purgat.* in quorum utroq; probatis exemplis docet, quàm gratas erga suos liberatores, sese ostendant animæ cœlo transmissæ. Unde meritò monet Reginaldus *Lib. 24. num.* 198. ut quisquis habet pectus verè Christianum, non tantùm libenter suis vitâ functis acquirat Indulgentias, sed etiam suffragia præstet, quibus etsi fortè non indigeant, per ea tamen accrescat illis gaudium accidentale, eo nomine, quòd causa ipsorum, & animæ aliorum defunctorum juventur, & divina Majestas honoretur, quam illi à pœnis liberi, etiam atque etiam deprecantur, ut nos, qui ruimus in ipsos benefici, secum tandem collocet in cœlis.

Adde his, nostrum Jacobum Hautinum 505
Lib. 2. Patrocinii defunctorum Cap. 3. art. 1. fusè, atque solidè probare contra P. Arriagam, esse majoris meriti, adeòque gratius Deo, satisfactiones suas defunctis applicare, quàm sibi ipsi reservare; & quidem hanc doctrinam intelligit de omnibus satisfactionibus, respondétque solidè ad omnes in contrarium objectiones. Certè est opus majoris charitatis, quàm si quis sibi ipsi applicet, ergo & majoris meriti. Unde Cardinalis de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. disp. 26. sect. 1.* absolutè scribit, esse melius, suffragium applicare defunctis, quàm vivis, consequenter est etiam melius suam Indulgentiam etiam plenariam donare defunctis, quàm reservare sibi.

CAPVT XXV.

De Indulgentiis, quæ per Missæ Sacrificium applicantur fidelibus defunctis.

SUMMARIUM.

Licitè sacrificatur sæpius pro una eademque anima. 506.

Quid censendum de illo, qui habens obligationem Sacrificandi pro defunctis in quocunque tandem Altari privilegiato, *sacrificat in non privilegiato, habens apud se rem affectam Indulgentia plenaria?* 507. *& seqq.*

Quæ cautela sit necessaria ad licitè sectandam affirmativam sententiam? 511.

Ostenditur, quo pacto queat is, qui habet Indulgentias Quinque Sanctorum liberare plures animas per unum Sacrificium. 513.

An Sacerdos volens sacrificando liberare animam, debeat esse in statu gratiæ? 515.

506 Quæst. LXXI. *Quænam de sacrificiis, per quæ animabus defunctorum applicantur Indulgentiæ, sunt pro praxi observanda?*

RESP. Sequentia I. Licèt Altari privilegiato Indulgentia plenaria sit annexa, non tamen superstitiosè pro una, & eadem anima ibidem sæpius sacrificatur. Rationem attuli suprà *n.* 486.

II. Ut per aliquod sacrificium applicetur alicui animæ Indulgentia, nequaquam est generatim opus, ut vel illud sit *de Requiem*, vel offeratur pro animabus purgatorii, juxta doctrinam traditam *n.* 498. quamquam haud dubiè potest quandoque hoc utrumque exigere Pontifex; & tunc non obtinetur Indulgentia plenaria, nisi servetur utraque hæc conditio. Rodriq. *q.* 97. *a.* 6. vide infrà *n.* 524.

507 III. Sacerdos stipendio constitutus ad sacrificandum in aliquo, *qualicunque tandem* Altari privilegiato pro liberanda anima ex purgatorio, satisfacit suæ obligationi secundùm Megalium, Fraxinellum, Alphonsum Leone, quos referunt, & sequuntur Pasqualigus *dec.* 427. & Diana *Part.* 4. *Tract.* 4. *Resol.* 40. etsi in Altari non privilegiato sacrificet pro illa anima, modò habeat numisma affectum Indulgentiis Quinque Sanctorum, S. Caroli, vel aliud simile; & ne quidem venialiter tunc peccare censet Pasqualigus; si verò sit constitutus ad sacrificandum in aliquo certo & peculiari Altari privilegiato, peccabit contra fidelitatem venialiter, faciendo sacrum in alio, esto habeat secum prædictum numisma, ut docet Ibidem Diana.

508 At verò Bonazina *disp.* 4. *De Eucharistia q. ult. p.* 7. *§.* 4. *num.* 3. Gavantus *Part.* 3. *Tit.* 12. itémque Cardinalis de Lugo *in Tom. De Sacramentis in genere disp.* 21. *num.* 39. cum Homobono & Rubeo apud Pasqual. *dec.* 428. negant, talem satisfacere suæ obligationi, & proinde peccare mortaliter asserit Gavantus: tum quia Indulgentia, quæ applicatur Altari, solet regulariter esse magis authentica, & secura, quàm quæ applicatur alicui calculo benedicto, ut argumentatur Gavantus, & Lugo; tum quia Missa, quæ fit in Altari privilegiato, minùs fortè dependet à statu gratiæ ipsius celebrantis, ut habeat effectum, quàm quæ fit ab habente ejusmodi numisma, ut ratiocinatur Lugo; tum denique quia magis prodest Missa in Altari privilegiato celebrata, quàm aliqua brevis oratio, facta pro defuncto, cum grano benedicto, ut addit Bonacina.

Utraque harum sententiarum est practicè 509
probabilis, & prima quidem inde confirmatur, quòd Pasqualigus *dec.* 428. testetur, se experientia doctum esse, quòd pluries contigerit, aliquos petentes Missas in tali Altari privilegiato, contentos fuisse, ut in quocunque alio celebrarentur cum applicatione Indulgentiæ, cùm audiêrunt æqualiter prodesse animabus purgatorii. Unde infert, nos habere interpretativam voluntatem, quòd petentes Missas in Altari determinato privilegiato, contenti sint Missâ celebratâ in alio Altari, cum applicatione Indulgentiæ, & ideo Sacerdotem sic celebrantem satisfacere suæ obligationi, etiamsi promiserit celebrare in Altari privilegiato, nisi fortè is, qui petivit fieri Missam in certo Altari privilegiato, intendat aliud præter liberationem animæ.

Infert quoque, si loquamur de Missis manua- 510
libus, quæ in dies singulos solent exigi, etiamsi plures simul ab uno aliquo exigantur, in aliquo Altari privilegiato determinato, Sacerdotem satisfacere obligationi, celebrando in alio Altari, & applicando Indulgentiam plenariam per modum suffragii.

IV. Quòd tamen hæc sententia Pasqualigi, 511
& Dianæ sit vera, est omnino necesse, ut Sacerdos, qui illam in praxi sequitur, sit tam certus se habere numisma, aut Imaginem revera affectam Indulgentiâ plenariâ in defunctos transferibili, quàm est certum, illud Altare, in quo jubetur sacrificare, esse privilegiatum. Unde quia non est tam certum, Indulgentias Quinque Sanctorum, S. Caroli, Urbani VIII, Extraordinarias habere suum valorem, quando alicui numismati applicatæ fuerunt ab alio, quàm vel ab ipso Pontifice, vel ab illo, cui ipse Pontifex immediatè dedit intentiones, ut patet ex dictis *n.* 137. quàm certum est illud Altare, pro quo habentur literæ Pontificiæ authenticè, esse revera privilegiatum, idcirco non vellem ego in praxi sequi sententiam Pasqualigi, casu quo haberem Indulgentias à me, qui Papam nunquam vidi, applicatas numismati, præsertim considerato decreto Alex. VII.

Con-

512 Confirmatur hæc responsio ex eo, quòd licèt probabilis sit opinio Vasq. *Tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 231. *c.* 2. & aliorum asserentium, unum Missæ sacrificium pro 100. animabus oblatum, tam multùm prodesse singulis illarum, quàm si pro una sola ex illis 100. offerretur, nequaquam tamen probabile sit, illum suæ obligationi satisfacere, qui cùm acceperit 10. stipendia, pro decem sacris applicandis diversis personis, facit tantùm unum, aut duo sacra pro illis omnibus. Ideo videlicet hic non satisfacit suæ obligationi, quia homines, qui dant stipendia, & petunt, & justè petunt practicari tutiorem sententiam, esto fortè minùs probabilem, ut fatetur ipsemet Vasquez, & notat P. Dicastillo *Tract.* 5. *dub.* 3. *n.* 119. Sed de dictis num. præced. Vide plura in Experientiis *Tr.* 3. *Cas.* 17. *n.* 579. *&* 580.

513 V. Quoties Sacerdos habens secum Imaginem, medallium &c. affectum Indulgentiis Quinque Sanctorum; sacrificat in Altari privilegiato, orans pro defunctis, liberat, si velit, tres animas è purgatorio; primam ratione Altaris privilegiati, secundam ratione concessionis, quæ fit expressè in §. 1. Indulgentiarum Quinque Sanctorum, tertiam ratione concessionis, quæ fit §. 19. earundem Indulgentiarum; nam illic dicitur, omnes Indulgentias, eâ formulâ, seu Brevi concessas, posse applicari per modum suffragii animabus purgatorii, ergo Indulgentiam plenariam, quam sibi ipsi potest sacrificans acquirere juxta *cit.* §. 1. poterit per modum suffragii applicare ter-
514 tiæ animæ. Quòd si habeat insuper Indulgentias Extraordinarias ab Urbano VIII. vel Alex. VII. aut Clement. IX. vel X. concessas, faciátque Sacrum aliquo ex diebus in formula harum Indulgentiarum nominatis, poterit secundùm sententiam Henriquez relatam *n.* 212. quartam animam illis pœnis eximere, & quintam, si præterea adhuc habeat Indulgentias S. Caroli *juxta* §. 17. illarum Indulgentiarum. Et idcirco hæc adeo particularia commemoro, quia non dubito, quin multi has doctrinas in usum redigerent, si nossent esse probabiles.

515 Quæst. LXXII. *Sacerdos, qui vult animam liberare è purgatorio, vel sacrificando in Altari privilegiato, vel applicando Indulgentias plenarias, debétne esse in statu gratiæ?*

RESP. Juxta opinionem Sa Verbo Indulgentia *n.* 2. Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 33. *sect.* 4. & plurimorum aliorum probabilissimam, in neutro casu est necesse. At juxta opinionem Cardinalis de Lugo *num.* 508. relatam, res est in primo casu dubia, in secundo probabilius requiri statum gratiæ. Ego autem consequenter ad ea, quæ dixi *n.* 491. existimo, statum gratiæ non requiri in Sacerdote, quatenus præcisè aut sacrificat in Altari privilegiato, aut animæ applicat Indulgentiam, quam ipse sibi applicare non potest, nam hic quoque locum habet similitudo, quam illic ex Reginaldo retuli; at verò requiritur status gratiæ in illo, quatenus, & dum vult applicare Indulgentiam, quam ipse sibi reservare posset. Unde in casu, quo *n.* 513. dixi, posse tres animas uno sacrificio juvari, debet Sacerdos esse liber à peccato mortali, alioquin tantùm duabus suffragabitur efficaciter. Diana tamen *Part.* 10. *Tract.* 16. *Resol.* 19. faciens mentionem mei, negat universim in his casibus necessitatem gratiæ.

CAPVT XXVI.

De Indulgentiis Altarium privilegiatorum.

SUMMARIUM.

Usus celebrandi in Altari privilegiato est antiquus. 516.

Refertur communis formula, qua impertitur facultas Altaris privilegiati. 518.

Quomodo intelligenda Clausula: In qua non reperitur aliud Altare privilegiatum? 519.

Refertur recens Responsum Romanum. Ibid.

Quomodo illa : Dummodo in ea septem Missæ quotidie celebrentur? 520.

Quid intelligatur voculis: Quotidie: semper: sine intermissione: continuo? Ibid.

Praxis PP. Capucinorum. Ibid.

Quid si ob incursum hostilem omittatur in ea Ecclesia omne Sacrificium per unum, alterumve mensem? 521.

Quid indicet Clausula: Dummodo in ea sit Altare Sancti N? 522.

Et illa: Sacerdos ejusdem Ecclesiæ? 523.

Et illa: Missam defunctorum? 524.

Et illa: In die Commemorationis omnium defunctorum? 525.

Et illa: Singulis diebus infra octavam? 526.

Sicut & illa: Feria secunda? 527.

Missa de Requiem *in Altari privilegiato quibus diebus nequeat legi?* 528.

Explicatur Clausula: pro anima. 529.

Et Clausula: Cujuscunque. 530.

Et Clausula: Liberetur. 531.

Et Clausula: Ad septennium tantùm. 532.

An septennium Altarium privilegiatorum interrumpatur per occursum Anni Jubilei suspendentis omnes Indulgentias? 533.

An sub generali communicatione privilegiorum veniant etiam Altaria privilegiata? 535.

Nomine Privilegii non venit Altare privilegiatum. Ibid.

Quænam fractio Altaris privilegiati destruat Indulgentiam? 536.

Quomodo intelligenda doctrina communis de amissione Indulgentiæ, quando mensa Altaris removetur à stipite? 537.

Quid si totum Altare transferatur de loco ad locum? An amittit consecrationem? 538.
Quid si destruatur paries, cui junctum est Altare? Ibid.
Quid si aliquid de stipitibus Altaris? 539.
Quid si frangatur, vel amoveatur sigillum? 540.
Quid si celebret quis in Altari, quod nunquam habuit, vel amisit consecrationem? 541.
An Indulgentia Altari concessa redeat, refecto Altari? 542.
Et, an Altari privilegiato translato in alium locum, amittatur Indulgentia? 543.

516 Quæst. LXXIII. *Usus celebrandi Missas in Altaribus privilegiatis, estne novus, an antiquus?*

RESP. Roa de purgatorio, c. 16. testatur, Jam abhinc Annis plus 700. instituisse Paschalem I. Pontificem, ut quotquot Sacerdotes quinquies celebrarent in Sacello S. Praxedis, unam animam cœlo transmitterent; hâncque Indulgentiam ab undecim Pontificibus fuisse confirmatam; & cùm ipsemet Paschalis ibidem pro suo nepote quinquies litâsset Deo, mox vidisse animam ejusdem nepotis in cœlos evolantem.

517 Quæst. LXXIV. *Quomodo sunt intelligendæ Clausulæ Brevium, quibus expediuntur Indulgentiæ pro Altaribus privilegiatis?*

Ut ad hanc perutilem, multa dubia complectentem, &, ut verum fatear, spectantem potiùs ad materiam de Indulgentia Reali, quàm Personali quæstionem, distinctiùs respondeatur, describam prius, ut jam feci Tom. præc. *Tract.* 3. *n.* 659. communem formulam ejusmodi Brevium, quæ quidem ita habet.

518 *Ad futuram &c. Volentes Ecclesiam N. in qua aliud Altare privilegiatum non reperitur erectum, dummodo in ea septem Missæ quotidie celebrentur, & in ea sit Altare Sancti N. nuncupatum, hoc speciali dono illustrare. Dei misericordia &c. confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis ejusdem Ecclesiæ duntaxat, Missam defunctorum in die Commemorationis defunctorum, & singulis diebus infra octavam illius, ac feriâ II. cujuslibet hebdomadæ, pro anima cujuscunque fidelium defunctorum, ad præfatum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut Domini Nostri &c. suffragantibus meritis à purgatorii pœnis liberetur, concedimus. Præsentibus ad septennium tantùm valituris. Datum &c.*

Circa XII. Clausulas hujus Brevis, observo, ultra ea, quæ distinctè attuli *cit. Tract.* 3. *n.* 660. *& seqq.* pro praxi sequentia.

519 I. Clausula: *In qua non reperitur aliud Altare &c.* sic intelligenda est, ut quando illud templum jam antea decoratum est alio Altari privilegiato pro animabus generatim, seu pro quibuscunque defunctis, sicut sunt illa, quæ designantur per decimam clausulam Brevis, quod explico, posterior concessio facta etiam pro animabus generatim, nil valeat, sed sit subreptitia, ut deduces ex dictis supra *n.* 315. Sin verò posterior concessio impetrata est pro una, aut pluribus Confraternitatibus, omnino valet, esto in petitione facta non sit mentio prioris indulti pro animabus generatim concessi. Ego quippe abhinc 30. Annos legi Rescriptum quoddam Illustrissimi Domini Nuntii Viennensis ad R. D. Parochum Halensem, in quo hæc verba erant expressa: *Possint in eadem Ecclesia præter unum Altare privilegiatum pro animabus generatim, esse plura alia pro animabus è variis Confraternitatibus defunctorum.*

Sed & Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo 18. Junii fuerunt mihi ex Urbe Missa tria Brevia pro tribus Altaribus privilegiatis cum hac explicatione: *Circa Altare privilegiatum pro omnibus fidelibus Clausula illa:* Simili ad præsens privilegio condecorata, *intelligenda est bene; neque eum præjudicant alia Altaria privilegiata, cùm sint pro animabus Confraternitatum &c. prout consideranti patebit, & per hoc excluditur Altare simile pro omnibus, vel Altare simile pro iisdem Confraternitatibus, non verò Altare pro alia Confraternitate &c.* Ita P. Laurentius Koler quotidianus procurator horum, aliorúmque Brevium. Vide Bonagratiam Habsensem, in summula *select. quæst. Regul. Verb. Indulgentia n.* 229. ubi me citato subscribit huic doctrinæ.

520 II. Clausulæ: *Dummodo in ea septem Missæ &c.* satisfit, licèt quandoque ob morbum, aut planè extraordinarium impedimentum contingat, ut tantùm sex aut quinque sacra uno quopiam die fiant, cùm tamen in Brevi exprimantur septem. Non probo hanc assertionem ex eo, quòd alioqui sequeretur, essentialem fructum primi sacri pendere ab incertò eventu aliorum secuturorum, nam revera id non sequitur, quamvis sequatur, fructum Indulgentiæ ita manere suspensum: sed probo inde, quia etiam in materia Indulgentiarum parvus defectus pro nullo reputatur, ut dixi *n.* 190. est autem hic defectus parvus respectu totius septennii, aut etiam Anni; tum quia *τὸ celebrentur*, juxta communem sensum, qui maximè spectandus est, *L.* Labeo. *ff. De suppell. leg.* significat idem, quòd: *soleant celebrari*: atqui ille casus, quem pono, non officit, quò minùs propriissimè dicatur *solere* in eo templo quotidie septies fieri; tum denique quia hoc beneficium gratiæ Pontificiæ, utpote nemini præjudiciosum, & piis Manibus valdè proficuum; decet benignè interpretari, ac meminisse Legis VIII. *Cod. De Iudiciis* ita sancientis: *placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, & æquitatis, quàm stricti juris rationem.*

Datam

Datam resolutionem illustrat relatus num. præcedente diligentissimus P. Bonagratia *n.* 299. observans ex Felino in Proœmio Decret. verb. *Quotidie* dictiones has: *Quotidie: semper: sine intermissione: continuò &c.* intelligendas esse civiliter, ita ut quotidie fieri dicatur, quod fit absque intervallo interposito, continuò, quod fit horis competentibus, & dicuntur continuò in civitate habitâsse ii cives, qui rus petiérunt messis & vindemiæ gratiâ, teste Barbosa de *diction. tittul.* 68. *n.* 3. etiamsi singulis Annis versarentur ruri tribus mensibus, inquit Barbosa *loc. cit.*

Unde fuit in Capitulo Generali P.P. Capucinorum Anno 1634. referente P. Bonagratia, decisum; ad altaris privilegiati beneficio perfruendum sufficere, *ut in Conventu sint septem Sacerdotes ex majore parte.* Quam decisionem pronus admitto, si nitatur, ut suppono, aut Pontificia approbatione, aut longo usu; sin minùs, existimo, eam non nisi difficillimè, ut jacet, posse concordari cum innumeris legibus, statutis, contractibus, dispositionibus onerosis, & favorabilibus, quibus exigentibus, & postulantibus fieri hoc, aut illud *quotidie*, censeatur esse satisfactum functione, præsentia &c. septem mensium, qui utique explent majorem Anni partem. Equidem Felinus supra relatus explicando etiam civiliter voculam: *Quotidie*, ait, illud fieri *Quotidie, quod fit absque intervallo interposito*; atqui intervallum 4. vel 5. mensium est & verè intervallum, & magnum intervallum, etiamsi fortè non sit physicè continuum. Sed nec fuit clausula de septenis quotidie missis impleta in duobus illis casibus, quos retuli, ac resolvi in Alphabeto Sacrificant. Seu in Experientiis *Tract.* 3. *Cas.* 19. *n.* 637. & 646.

521 DICES: *Quid si ob incursum hostilem eveniat, ut integro mense, aut nullum, aut vix ullum in ejusmodi templo sacrum celebretur?*

RESP. Non idcirco concidet beneficium Pontificium, ut patet ex allatis rationibus. Et verò audio ita fuisse Ingolstadii, consultis Theologis, aliquando practicatum: consentit P. Bonagratia *loc. cit.* Porrò in Brevibus aliquando, & communiter exiguntur quotidiana 7. sacra, tanquam conditio sine qua non, aliquando tantùm 4. ut e.g. pro altari privilegiato Parochiæ Halensis; aliquando indeterminatè aliquot, ut pro altari B. Mariæ de Victoria Ingolstadii, & tunc sufficit. si consueverint duo celebrari, nam *pluralis locutio, duorum numero est contenta. Cap.* Pluralis. *De Reg. Iur. in 6.*

522 III. Clausula: *Dummodo in ea sit Altare Sancti N.* indicat, Indulgentias impertiri dependenter à tota illa machina, quæ absolutè vocatur altare, non autem dependenter à sola arula, seu altari mobili: quamvis verba Brevis non repugnent, quò minùs illi altari insit altare Portatile.

523 IV. Clausula: *Sacerdos ejusdem Ecclesiæ*, designat omnes Sacerdotes obtinentes in ea Ecclesia qualecunque beneficium; item habentes illic Cooperaturam, Coadjutoriam, Expectantiam. Et quidni etiam Cantores, & Organœdos addictos servitio illius Ecclesiæ? Si enim sint Sacerdotio insignes, possunt omnes vocari Sacerdotes illius Ecclesiæ. Adde, quòd nonnullæ Religiones, uti & Nostra, habent id privilegii, ut in earum altari privilegiato possint Sacerdotes sæculares sacrificare cum fructu Indulgentiæ.

524 V. Clausula: *Missam defunctorum*, significat, ad fruendum hoc beneficio omnino exigi ut fiat Sacrum de *Requiem*; estque hæc conditio necessariò observanda, quamvis fortè mentio non sit facta in Brevi, ut declaravit Congreg. Rit. apud Barbosam, *V. Missa defunctorum Coll.* 478. Scio tamen esse Religiosas familias, quæ ex speciali gratia Gregorii XIII. fructuosè in ara privilegiata faciunt, faciendo duntaxat commemorationem pro defunctis; quam tamen, saltem in festis primæ classis, omittendam esse regulariter, decrevit in simili Congregatio Rit. apud Gavant. *Part.* 1. *Tit.* 9. *n.* 16. Vide plura Tom. priore *Tr.* 3. *Cas.* 19. *n.* 650. *& seqq.*

525 VI. Clausulâ: *In die Commemorationis &c.* junctâ sequentibus verbis, refutatur Gavantus *Part.* 4. *Tit.* 15. *n.* 18. docens, omnia sacra, quæ fiunt die Commem. omnium defunctorum, applicanda esse fidelibus defunctis in communi; quem etiam ipsa praxis refutat, nec patrocinatur ulla Lex tacita Ecclesiæ.

526 VII. Clausula: *Singulis diebus infra octavam*, facit jus hujus gratiæ ipsa Dominica infra octavam omnium Sanctorum fruendæ, saltem iis in locis, quibus contra Rubricas Missalis *Tit.* 5. & decisionem Congregationis apud Gavant. *Part.* 1. *Tit.* 5. *lit. x.* consuetum est, diebus Dominicis facere Sacrum de *Requiem.* Quam tamen consuetudinem; si observetur aut ratione fundationis, aut quia corpus insepultum præsens est in templo, non damnat universim Congregatio, nec Laym. Gavantus, Barbosa *Coll.* 478.

527 VIII. Clausula: *Feria secunda* denotat, diem secundam hebdomadæ communiter determinari pro altari privilegiato, & ita determinari, ut si eo non possit fieri Sacrum de *Requiem*, non liceat in alium diem transferre, ut tradit singulariter Gavantus *loc. cit. lit.* aa. & firmat praxis: esto Congregatio Rituum, teste Barbosa *loc. cit.* decreverit, ut Missæ defunctorum certo die dicendæ, eo die impeditæ transferantur in sequentem.

528 Porrò prædicta Congregatio, referente Barbosa, & Gavant. *ll. cc.* declaravit, Missam

de Requiem in altari privilegiato non posse dici in die festo duplici, & de præcepto (secus si non sit de præcepto) qui incidat in diem assignatum pro dicto altari privilegiato. Exciperem ego casum, quem pro Dominica paulò antè excepi, quia quando licet facere sacrum de Requiem, licet utique frui gratiâ illi Sacro (si reliquæ conditiones adsint) annexâ; cùm præsertim in Brevi addatur: *cujuscunque hebdomadæ*. Insuper eadem Congregatio apud citatos statuit, ne Missæ de Requiem, dicantur illis diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici, scilicet infra octavam Epiphaniæ, Hebd. Sanctæ, Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini, & feria IV. Cinerum. Sed hæc decreta non obligant, ubi contraria viget consuetudo.

529 IX. Clausula: *Pro anima*, juncta clausulæ, *anima ipsa*, innuit illud ipsum sacrum, per quod est aliqua certa anima liberanda flammis expiatoriis, offerendum esse pro illa ipsa anima, & non sufficere, si offeratur pro omnibus animabus defunctorum. Haud puto tamen, quidquam obfuturum, si Sacerdos non conductus stipendio, suum sacrum, qua est impetratorium, & Eucharisticum, applicet sibi, aut aliis vivis, vel defunctis, dummodò qua est satisfactorium, applicet animæ illi, quam vult liberare.

530 X. Clausula: *Cujuscunque* docet, solere concedi altaria privilegiata pro quibuscunque fidelibus defunctis generatim, quamquam etiam sæpe conceduntur cum restrictione ad defunctos ex hac, aut illa Confraternitate.

531 XI. Clausula: *Liberetur* ostendit, Indulgentiam hanc esse plenariam. Confirmat quoque nostram sententiam de effectu Indulgentiæ per modum suffragii infallibili explicatam *n.*483.

532 XII. Clausula: *Ad septennium tantùm* indicat, Indulgentias istas consuêsse non nisi septennio durare; quamvis ego viderim altaria multa, perpetuis donata Indulgentiis. Cæterùm, quando incipiat aut desinat illud septennium, aperiemus infrà *n.*660.

Plura vide in Tract. quem citavi suprà *n.* 517.

533 Quæst. LXXV. *Septennium Altarium Privilegiatorum interrumpiturne per occursum Anni Jubilei?*

RESP. Non interrumpi, satis ut reor, ostendi in Tract. de Jubileo. Accedit declaratio Innoc. X. cujus omni exceptione major testis existit Antoninus Diana: ipse enim 2. Febr. à duobus è præcipuis nostris Patribus visitatus Romæ, affirmavit iis: S. D. Nostrum hebdomada præcedente in Examine Episcoporum, se præsente, & audiente interrogatum, quidnam sua Sanctitas velit determinatum de Indulgentiis, pro hoc Anno Sancto, circa defunctos, & in articulo mortis? respondisse, eas Indulgentias à se non revocatas. His ipsis verbis unus illorum duorum Patrum, 5. Februarii id testimonium ad me, similia cognoscendi avidum, ex Urbe perscripsit. Et quia 534
ita etiam de suo Jubileo declaravit Urbanus VIII. ut retuli in Tract. de Jubileo, sequitur, si pro Jubileo Anni M.DC.LXXV. edatur Bulla suspensiva similis nuperæ, non posse à quoquam rationabiliter dubitari, quin ea sit Indulgentias pro defunctis, & moribundis relictura in suo continuo valore, & usu, maximè si habeatur ratio eorum, quæ de vi Legis declaratoriæ dixi *n.*328. nam vivæ vocis oracula eandem vim habent, argum. *Leg. ult. Cod. De Leg.* ita statuentis: *Si Imperator, partibus sententiam dixerit, omnes omnino judices sciant-hanc esse legem non solùm illi causæ, per quam producta est, sed & omnibus similibus.* Vide plura *Tract. præced. n.*45.

Quæst. LXXVI. *Sub generali communicatione privilegiorum,* 535
veniuntne Altaria privilegiata?

RESP. Cum Tamburino, & Merolla, quos refert, sequiturque Diana *Part. 6. Tract.* 57. *Resol.* 39. negativè, eò quòd per ejusmodi communicationem non communicentur privilegia exorbitantia, & difficulter concedi solita. Accedit, quòd *n.*22. ostenderim, nomine *Privilegii* non venire Indulgentias: esto Baldus, & alii dicant, omnem gratiam posse latè vocari Privilegium.

Quæst. LXXVII. *Quænam fractio Altaris* 536
privilegiati, seu Indulgentia plenaria præditi, est necessaria, ad id, ut consecrationem, & consequenter Indulgentiam amisisse censeatur?

RESP. Zacharias Pasqualigus in suis Decisionibus inter reliquos tractatus unum habet de altari, in quo distinctè sanè, ut solet, per quinque decisiones quærit, & resolvit præsentem quæstionem, illarum epitome est hæc.

I. Communis doctrina tradens, quòd altare 537
amittat consecrationem, si mensa removeatur à stipite, seu ab inferiori structura, intelligenda est in casu, quo altare fuit consecratum cum tota inferiore structura, secùs si mensa seorsim sit consecrata, & postea superposita sit inferiori structuræ, etiamsi ita conjuncta, ut non possit separari. Ratio est, quia inferior structura non communicat in consecratione, *decis.* 40. post Suar. *Tom. 3. in 3. p. disp.* 82. *sect.*5. Item intelligenda est in casu, quo altare conjungitur inferiori structuræ, firma, & stabili conjunctione, qualis est conjunctio cœmentaria, secus si conjunctio sit ex natura sua mobilis, & ex institutione: *ibidem*: post Laym. *Lib.*5. *Tract.*5. *c.* 6. *n.*6. contra Lugonem *de Euchar. disp.*20. *sect.* 2. *n.* 71. Item intelligenda est in eo casu, quo structura inferior est lapidea, secus si sit lignea, nam altare non potest

test constare ex ligno. *Cap.* Altaria, *De consec. dist.*1.

538 II. Si Altare stabile integrum transferatur de loco ad locum, non amittit consecrationem, nam cùm remaneat integrum, remanet etiam forma ipsius, *decis.*41. post Suar. & Lugonem *ll. cc.*

III. Etsi destruatur paries, cui est compaginatum Altare, non idcirco amittit hoc consecrationem, utpote retinens adhuc totam suam formam, *decis.* 42. post Sylvestrum *V. Altare. q.* 8. Idque verum est, etiamsi Altare sit ita compaginatum parieti, ut ab ipso sustentetur, ut si sola mensa lapidea absque stipitibus, aut structura inferiori inseratur parieti. *Ibid.*

539 IV. Si aliquid de stipitibus Altaris, seu inferioris structuræ removeatur, vel frangatur, non ideo amittit Altare consecrationem, nisi tam multi lapides auferantur, ut inferior structura non sit amplius apta ad sustentandum Altare, quia tunc solùm amittit formam. Unde si ex quatuor columnis, quibus fortè insistit Altare, una auferatur, nil officit consecrationi. *decis.*44.

540 V. Certum est, amitti consecrationem quoties frangitur, vel amovetur sigillum sepulchri, in quacunque parte Altaris illud sigillum reperiatur. *Cap.* Ad hæc, *De Consec. Eccles. vel Altar.* vel si enormis fractio ipsius mensæ, quæ quidem tunc solùm, & semper fit, quando amittitur forma Altaris; quando autem amittatur forma Altaris, committendum est judicio viri prudentis, qui quidem dicet non amitti, licèt mensa frangatur, vel in cornibus, vel etiam per medium, modò partes fissæ non moveantur loco. Quòd si vel utraque, vel una solùm, quæ tamen excedat quartam partem mensæ, loco moveatur, tum utraque amittit consecrationem, esto illa, quæ remansit, sit capax hostiæ, & calicis, *decis.*44.

541 VI. Si quis in Altari, quod vel nunquam habuit, vel amisit consecrationem, celebret, bona vel etiam mala fide, Altare illud non indiget alia consecratione, esto peccârit mortaliter, qui mala fide in illo Sacrum fecit *decis.*44. Et consequenter sine ulteriore consecratione valebit favor Altaris privilegiati.

Hæc breviter referre (non tamen approbando omnia) volui idcirco, quòd hæ doctrinæ sint omnes non solùm probabiles, sed perutiles Parochis, in quorum Ecclesiis sunt per ista tempora bellica factæ variæ mutationes circa Altaria.

542 Quæst. LXXVIII. *Indulgentia Altari privilegiato concessa, redítne refecto Altari, sicut perit illo destructo?*

Non memini legere, qui ad hoc dubium respondeat. Fortè quis censebit, esse de hac Indulgentia dicendum, quod diximus suprà *n.*320. de Indulgentia concessa templo, quódque ob paritatem rationis de Indulgentia Reali *n.*392. Mihi videtur saltem in casu, quo Altare ita destruitur, & reficitur, ut nõ indigeat nova consecratione, remanere priorem indulgentiam.

Appendix.

Dixi, me non meminisse legere, quisnam 543
respondeat disertè ad propositam quæstionem, sicut & P. Dicastillo, qui post me scripsit, negat *Tom.*2. 3. *Part. Tract.*9. *disp.*1. *dub.*7. *n.*120. se meminisse, quòd legerit decisam hanc quæstionem: *An si transferatur Altare privilegiatum de loco ad locum adhuc duret Indulgentia?* Quam quæstionem, cùm Diana *Part.* 11. *Tract.* 8. *Resol.*8. dixisset, fuisse sibi propositam à Clericis Ecclesiæ S. Hieronymi, describit more suo ad longum resolutionem P. Dicastillo, subdens eidem illam ipsam quæstionem, quam proposui *n.*536. atque resolvens meiinet citati verbis cum fide descriptis. Ait ergo ex, & cum Dicastillo circa quæstionem de Altari privilegiato translato de loco in locum, si Indulgentia concessa sit primariò, & per se alicui Capellæ Ecclesiæ visitantibus Altare illius, omnino videri Indulgentiam, utpote concessam Capellæ potius, quàm Altari, permanere in Capella, etiam post motum inde Altare. Si verò Indulgentia sit concessa ipsi Altari, considerandũ, utrùm Indulgentia Altari sit concessa propter consecrationem specialem in gratiam consecrantis, aut curantis illud consecrari, vel utrùm concessa sit ab ipso consecrante, ita ut ea gratia, & concessio respiciat consecrationem, & ratione consecrationis fiat. Tunc sanè sic amoto, fracto, & mutato Altari, sicuti omnino cessat consecratio; ita & cessare Indulgentiam. Si verò Indulgentia concessa fuit Altari ratione alicujus devotæ Imaginis in ipso existentis, ita ut secundùm moralem existimationem ipsi potiùs Imagini concessa censeatur, etiamsi Altare mutetur de loco in locũ cum sua Imagine, manere nihilominus Indulgentiam, quia semper manet Imago. Item si Altari concessa sit Indulgentia in reverentiam alicujus Sancti, vel Mysterii, in cujus honorem dedicatum sit, & legitima authoritate hujusmodi Altare deferatur de loco in locum, ita ut censeatur idem Altare, translatum tamen, imò etiam si Imago sit alia ejusdem Mysterii, vel Sancti, quia renovatur, vel restauratur repræsentatio, adhuc juxta dictas sententias censeatur manere Indulgentia, sicut dicitur de Ecclesia rursum instaurata, vel mutata legitimè cum suo titulo, quæ moraliter censetur eadem cum præcedenti. Ita Dicastillo subdens tamen, hæc omnia satis esse incerta, eò quòd in aliquibus non satis liqueat identitas præcedentis cum sequenti.

CAPVT XXVII.

De Indulgentiis, quas Varii Pontifices concesserunt Regularibus in Genere, & in Specie.

SUMMARIUM.

Omnes Indulgentiæ concessæ Sæcularibus possunt obtineri à Regularibus. 544.

Paulus V. juxta aliquos, restituit Indulgentias quas abstulerat Regularibus, sed Alexander Septimus inhibuit hanc sententiam. 545.

Revocavit autem Paulus V. eas solas, quæ concessæ erant directè, ac principaliter Regularibus. 546.

Revocatæ non sunt eæ, quæ erant concessæ Sæcularibus simul & Regularibus. Ibid.

Aut Ecclesiis Regularium. Ibid.

Aut Religiosis vel in agone extremo, vel in igne purgatorio existentibus. 547.

Quid si autem erant directè quidem datæ Regularibus vivis, at cum potestate applicandi defunctis? Ibid.

Indulgentiæ concessæ vivæ vocis oraculo non censentur comprehensæ in generali revocatione privilegiorum, & indultorum concessorum vivæ vocis oraculo. 548.

Quas Indulgentias substituerit ablatis Paulus V? 549.

An Indulgentiæ concessæ emittentibus professionem extendantur ad Scholasticos Societatis IESV emittentes tria vota simplicia? Ibid.

Ordines Mendicantes habent inter se communicationem Indulgentiarum. 550.

Quæ tamen communicatio non extenditur ad Indulgentias concessas pro singularibus festivitatibus hujus, aut illius Ordinis. Ibid.

Quid de Indulgentia Portiunculæ? Ibid.

Vilescerent Indulgentiæ, & peculiaris earum cultus, si omnes omnino participarentur à quovis Ordine Mendicantium. Ibid.

An in generali omnium Indulgentiarum communicatione intelligantur etiam plenariæ? Ibid. & seqq.

An & illas, quæ ex aliqua peculiari occasione conceduntur pro una tantùm vice alicui certo ordini? 553.

Adfertur hanc in rem Bulla Leonis X. 555.

Indulgentias omnes concessas Ecclesiis unius ex ordinibus Mendicantibus lucrari potest in Ecclesia sui ordinis quivis alius Mendicans, nisi obstat aliqua specialissima ratio. 556.

Non tamen potest idcirco quilibet sæcularis easdem lucrifacere in qualibet Ecclesia alterius Ordinis. Ibid.

Varia de communicatione Indulgentiarum non obvia referuntur ex Quintanadvenna. 557. & 558.

Singulariter pronuntiat esse inauditum, quòd Indulgentiam Portiunculæ possint Sæculares obtinere in nostris Ecclesiis, aut in aliorum Ordinum Ecclesiis Indulgentiæ doctrinæ Christianæ, Communionis generalis, aut Missionum. 558.

Ostenditur, Indulgentiam pro doctrina Christiana non posse obtineri à quibuslibet Religiosis Mendicantibus, aut frequentantibus doctrinam traditam ab iis. 559.

Referuntur ex Bonagratia nonnulla de communicatione Indulgentiarum. 560.

Quæst. LXXIX. *Quænam circa Indulgentias pro Regularibus concessas, videntur hic notanda?* 544

RESP. Sequentia. I. Nulla, quantùm quidem scio, Indulgentia conceditur Sæcularibus, quæ non etiam possit à Regularibus obtineri, cùm etiam Indulgentia, quæ olim dabatur Crucem sumentibus, in illos quoque Religiosos derivata fuerit, qui operam spiritualem præstabant militantibus in terra sancta.

At verò Regulares plurimis, præstantissimisque gratiis sunt ditati, quas partim nequeunt participare sæculares, partim possunt quidem participare, sed non nisi dependenter, vel à voluntate Superiorum Regularium, vel templorum ad Regulares spectantium.

De Indulgentiis secundi generis tradam magis practica *Cap. sequenti*, at de prioris generis, quas certum est fuisse à Paulo V. extinctas, hìc observo, tametsi Hieronymus Rodriquez apud Dianam *Part. 4. Tract. 4. Resol. 20.* aliique nonnulli censuerint, easdem omnes fuisse ab eodem Pontifice, & quidem uno, eodémque Anno scilicet 1606. restitutas, attamen hac ætate nequit sustineri illa sententia, quandoquidem certum est, propositionibus damnatis ab Alex. II. esse *n. 37.* junctam hanc: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.* At dubium est, de quibusdam, an revera fuerint abolitæ ab illo Pontifice, nec ne? Ego in solamen illorum Regularium, quibus molesta accidit tum revocatio à Paulo V. tum reformatio, restrictióque facta ab Alex. VII. proponam breviter illas Indulgentias, seu generatim, seu speciatim, quas viri sapientes, & docti censent valere etiam post Bullam Pauli V. & proinde non fuisse ab hoc revocatas. Exhibebo & illas, quas substituit revocatis à se. 545

II. Itaque generatim loquendo revocatæ sunt illæ solæ, quæ concessæ erant directè, & principaliter ipsis Religiosis, ac Monialibus. P. Quintanadvenn. in Appendice suorum singularium *Tract. 4. dub. 13. n. 3.* expressè, ac post illum P. Bonagratia Habsensis in Summula V. Indulgentia *n. 221.* probatúrque inde, quòd Paulus V. solùm dicat, à se revocari Indulgentias *quibuscunque Ordinibus, & Institutis Regularibus, & quibuslibet Regularibus personis concessas*; quæ verba cùm sint correctiva juris antiquorum, atque odiosa, merito intelliguntur strictè, cùm præsertim Pontifex potuisset facilè apponere clausulam: *quomodocunque*, quam, quia non apposuit, censendus est non voluisse subintelligi. Arg. *Cap. 2. De Transl. Episc.* 546

Ideo Bulla Paulina non attingit Indulgentias, quæ aut datæ sunt promiscuè Regularibus, & Sæcularibus. Bonagratia *Ibidem*; aut concessæ Religiosorum etiam solorum Ecclesiis, & Capellis. Quintanad. *loc. cit. dub. 2. n. 2.* & Bonagratia, ut sunt illæ, quibus gaudent omnes visitantes Ecclesias Regulares in his, aut illis festivitatibus, intelligendo nomine Ecclesiarum etiam Oratoria juxta indultum ab Urbano VIII. factum Patribus Capucinis teste eodem P. Bonagratia *loc. cit. n. 223.* nec revocatæ illæ, quæ impertitæ erant Parentibus, Cognatis, Servitoribus Religiosorum: Quintanad. *loc. cit. n. 4.* vel ipsis Religiosis pro animabus Purgatorii, ut e.g. tali die possint orando, vel sacrificando liberare animam Purgatorio. Idem *n. 5.* vel quas poterant Regulares concedere tam Regularibus, quàm Sæcularibus pro aliquo opere, ut est Indulgentia, quam Regulares Concionatores dare possunt audientibus ipsorum Conciones. Quintanad. *loc. cit. n. 8.* aut plenaria, quam Provinciales suis largiuntur in fine Visitationis, sicuti ostendit praxis.

III. Indulgentiæ etiam directè concessæ Regularibus vel agonizantibus, vel jam vitâ functis probabilissimè manent in suo vigore Lezana V. *Indulgentia n. 11. & 12.* Diana *Part. 4. Tract. 9. Resol. 21.* Pellizarius *Tract. 8. cap. 5. n. 181.* referens etiam Peyrinis; & Alphonsum Leonem. Ratio est, quia Indulgentiæ pro articulo mortis, & defunctis ita sunt favorabiles, ut non censeantur involui etiam Bullis, tametsi universalissimè suspendentibus omnes Indulgentias, ut ostendimus *Tract. præced.* cur ergo cogitemus, eas implicari Bullâ Pauli V. quæ nullo modo utitur clausulis tam efficacibus, generalibus, & specialibus, quam solent uti Pontifices, dum suspendunt Indulgentias? ut fatebitur quisquis Bullam Pauli V. cujus bonam partem compendio dabimus paulò post, contulerit cum Bulla Innocentii X. quæ est secunda inter eas tres, quas integras exhibui in fronte Tractatûs proximè antecedentis. Addit Pellizarius *num. 182.* nec illas esse revocatas, quæ erant quidem directè datæ Regularibus vivis, ita tamen, ut possent eas applicare defunctis Religiosis, aut Sæcularibus; hoc enim ipso, quòd possint applicari defunctis, gaudent privilegio datarum immediatè defunctis. 547

IV. Indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ non censentur abrogatæ per Bullas Gregorii XV. & Urbani VIII. abolentes omnia vivæ vocis privilegia, & indulta juxta Quintanad. *cit. dub. 2. n. 3.* partim quia Indulgentia non est propriè privilegium, partim, quia licèt sit propriè indultum, attamen Indulgentia non venit in odiosis nomine indulti, sed debet exprimi, judice hoc authore, quem nec improbo, nec probo; assentior autem ipsi *dub. 13.* & Bonagratiæ *n. 224.* negantibus, Indulgentias stationum contineri Bulla revocatoria. Sed hisce non immorôr, quandoquidem ipsemet Paulus V. in hac ipsa Bulla eas de novo concessit, ut mox dicam. 548

V. Loco Indulgentiarum abrogatarum concessit alias idem Paulus V. in eadem Bulla, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, estque vigesima prima illius; edita 23. Maji Anno 1606. sui Pontificatûs Anno 2. Præcipuas indico breviter. Plenariam Indulgentiam consequentur tum die, quo habitum Regularem induunt, tum illo, quo post Novitiatum emittunt professionem, si videlicet utroque illo die confiteantur, & communicent; nomine autem professionis intelligi etiam vota nostrorum Scholasticorum in fine Novitiatus notat Quintanad. *cit. Tract. 4. dub. 3. n. 2.* tum qui in festo principali sui Ordinis, ut apud nos est festum Circumcisionis, sacrâ Communione refectus, pias ad Deum preces effuderit pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, tum in mortis articulo; tum quo die quis Regularis aut primam Missam celebrat, aut ei interest confessus, & Communione refectus, tum qui decem dies impenderint exercitiis spiritualibus. Insuper iidem omnes Regulares visitantes unam è sui Ordinis Ecclesiis, obtinent Indulgentias Stationum, sicut ostendimus, & explicamus suprà *cap. 8. n. 339. & 340.* præmittentes, haud dubiè iis contineri multas plenarias, quarum numerum, sicut & animarum, quæ quot Annis eripi è flammis possunt ope potientium favore Stationum, indico infrà *n. 612.* Alias Indulgentias, trium, quinque, sexaginta Annorum, quas ibidem concedit Pontifex, prætereo brevitatis causâ, solùm hortor omnes Regulares Mendicantes, ne patiantur abire diem, quo non conentur se facere participes Indulgentiarum Stationum, atque ipso usu, exercitioque doceant, se piè credere, quòd possint dè die toties lucrifacere hunc immensum thesaurum, quoties suam Ecclesiam visitârint, atque perfecerint preces, de quibus *cit. n. 340.* cum intentione illic explicata, huc enim vel maximè applicanda est doctrina generalis, quam de visitantibus sæpius in die Ecclesias traditi *Tract. præced. Cap. 20. n. 134.* 549

Appendix Romana.

a CUm ea, quæ scripsi de revocatione Indulgentiarum, facta à Paulo V. legisset quidam Pater Romanus, dedit ad me literas die 22. Augusti Anno 1672. quibus præter alia quærebat: *Cur neque ego, neque P. Quintanadvennas*, quem refero pro illa revocatione, *quidquam meminerimus de altera Bulla ejusdem Pontificis, in favorem nostræ Societatis sub die 4. Septembris ejusdem Anni 1606. incipiente*: Quantum Societas JESU, *confirmantis atque innovantis omnia privilegia & gratias? Si enim credâderunt* (P. Quintanad. Et ego.) *eam ad rem non facere, videntur credidisse aliquid omnino improbabile, cùm Paulus amplissimis clausulis confirmet, ac de novo concedat omnia privilegia & gratias, quas non vult comprehendi in quibusvis revocationibus, etiam à sua Sanctitate factis, præsertim verò dum excipit literas Leonis Undecimi super decimis, quæ exceptio juxta vulgarem Regulam cætera non excepta fortiùs includit, & firmat. Adde, beneficium hoc speciale concessum fuisse Societati titulo remunerationis & oneroso, intuitu nimirum fidelitatis & observantiæ specialis à nobis exhibitæ erga Sedem Apostolicam, propter quam à statu Veneto nuper fueramus expulsi.* Ita ille

b Ad quæ Respondi, quòd tametsi in ea Bulla fiat expressa mentio gratiarum, & non dubitem, quin nomine gratiæ saltem in materia favorabili veniant etiam *Indulgentiæ*, cùm eæ in tali materia veniant nomine *Indulti*, sicuti noto ipsemet in hoc *Tract. 4.* attamen illo nomine has non comprehendi in Paulina quantumvis favorabilissima, persuadet illud Jure Consultorum principium, quòd intellectus rescripti sit, quo ad clausulas involventes gratiam, petendus ex mente supplicantis, proœmióque Principis rescribentis. Atqui mens Societatis non fuit petere confirmationem Indulgentiarum, sed solorum Decretorum, privilegiorúmque facientium ad gubernationem Societatis, ut elucescit ex toto proœmio Bullæ Paulinæ, in quo ipse quoq; Paulus nec directè, nec indirectè, sive in propria persona, sive nomine Societatis facit mentionem, aut generatim gratiarum, aut speciatim Indulgentiarum, nec est satis credibile, fuisse hasce confirmatas tunc ab eodem; siquidem, ut suprà memini, revocatio generalis seu respectu omnium Regularium peracta fuerat mense Majo, quis autem credat, fuisse redintegratas tribus mensibus & pauculis diebus pòst, cùm non ignoraret fore, ut cæteri Religiosi Ordines essent hanc confirmationem sibi quoque (propter generalem communicationem, de c quæ suprà) applicaturi? Erat Paulus confirmatus spiritu verè *principali*, erátque illi unum os & calamus unus, ut esse debere Principi monet Baldus; non igitur verosimile est confirmâsse intra tam breve tempus id, quod priùs antiquaverat.

Si tamen quis diceret, confirmâsse, fortè d non subjaceret censuræ, & pœnis statutis ab Alexandro VII. siquidem ipse solummodo damnat hanc propositionem: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ*, quàm propositionem statuit Hieronymus Rodriquez apud Patrem Pellizarium, in Manual. Regul. *Tract. 4. cap. 5. n.* 180. quæ quidem propositio cùm sit universalis, adeóque indicet esse revalidatas respectu omnium Regularium, debet sententia Alexandri ita intelligi, ut illos duntaxat damnet, qui generatim dictam revalidationem sustinent respectu omnium Religiosorum, cùm sententia correctoria intelligenda sit juxta sensum correctæ, argum. L. *In Testamentis ff. De condit. & demonst.* ergo qui scriberet esse restauratas respectu nostræ Societatis incommunicabiliter cum aliis Religiosis, non feriretur ferulâ Alexandrinâ; sicut fortè nec is, qui scriberet, ab Alexandro damnari hanc solam propositionem: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & à Paulo V. revocatæ, hodie, sunt directè expressèque renovatæ*; atqui eæ non sunt directè & expressè respectu omnium Regularium renovatæ, quæ per solam communicationem redierunt ad pristinos possessores. Verùm facta reflexione ad genium Alexandri multùm aversantis, multiplicationem Indulgentiarum plenariarum, censeo, neutri harum expositionum esse dandum locum. Equidem Regulares, possunt satis Indulgentiarum lucrifacere, modò sint gnavi in comparandis iis, quas & superiùs expressi esse adhuc in valore, & certum est offerri iisdem occasione variarum canonizationum habentium adjunctos plurimos modos, rationésque locupletandi se ejusmodi thesauris, si velint peragere præscripta, si nolint, digni non sunt tam larga liberalitate.

Verùm quia hisce jam ante plures Annos e exaratis emànavit Decretum S.D.N. Innocentii XI. verbatim repræsentandum infrà *n.* 709. inque hujus Decreti §. incipiente: *Ac demum omnes Indulgentias &c.* videntur absolutè abrogari omnes Indulgentiæ, quæ ante Paulum V. erant impertitæ Religionibus, seu in genere, seu in specie, idcirco nolim stare illo discursu, quem nunc primùm formavi.

IV. Ordines Mendicantes, ut nominatim 550
de Franciscanis, Augustinianis, Carmelitis, & nostra Societate ostendit Rodriq. *Tom. 1. q. 55. a. 1. & a. 5.* habent id privilegii, ut Indulgentiæ, quæ templis unius Ordinis sunt concessæ, censeantur etiam esse ad aliorum Mendicantium Ordinum templa derivatæ, sicuti videre est etiam apud Lezanam V. *Indulgentia n.* 8.

quid-

quidquid repugnet Portel. apud ipsum. Quod tamen privilegium, & communicatio non debet extendi ad Indulgentias datas pro festivitatibus Sanctorum cujusvis Ordinis, aut Congregationum prædictarum, ut ex Casarubio notatur in comp. nostrorum privilegiorum *V. Indulgentiæ. §.* 12. consentiente à fortiori Peyrinis *Tom. 1. fol.* 142. ubi Indulgentias templis Minimorum pro festis Pentecostes, Assumptionis, & Annuntiationis impertitas posse in Ecclesiis aliorum Ordinum acquiri negat. Consentit & Rodriq. *cit. a. 5.* Quapropter prædictum Communicationis privilegium cenſet Lezana *num.* 8. intelligendum esse solùm de Indulgentiis, quæ in genere concessæ sunt Ecclesiis Regularium, non autem de illis, quæ specialiter pro aliqua Ecclesia in particulari datæ sunt.

Adde, quòd licèt Indulgentia pro festo Portiunculæ sit extensa ad omnia templa Ordinis Sancti Francisci, praxis tamen ostendit, illam non posse in templis nostri, aut alterius Ordinis à sæcularibus comparari, sicuti nec illâ, quæ in templis nostri Ordinis obtinetur die Circumcisionis, gaudent aliorum Regularium Ecclesiæ. Et tandem certè vilescerent illæ Indulgentiæ, peculiarísque illorum dierum cultus, si ita vulgarentur, inquit Lezana, addens, prædictam communicationem Indulgentiarum, quæ est inter Mendicantium Ordines, non esse extendendam ad Indulgentias plenarias, sed solùm ad non plenarias, nisi harum fiat, (sicuti respectu Cistercienſium fit apud Rodriq. *Tom. 1. q. 55. a. 7.*) expressa mentio, eò quòd sub generali collectione Indulgentiarum, non includi plenarias habeat stylus Curiæ, & Regulæ Cancellariæ, ut putant etiam Suar. *Tom. 4. in 3. Part. disp. 52. sect. 8. n.* 12. & Sanctarellus *De Indul. c.* 15. *dub.* 13. multò minùs extendendam esse ad Indulgentias pro defunctis, notant iidem. Quibus lubens accedo, si ita habeat revera stylus Curiæ, & Regulæ Cancellariæ.

551 Addo tamen, in compendio privilegiorum nostrorum *V. Indulgentia.* non semel supponi, vel contrariam opinionem, vel privilegium contra stylum Curiæ. Et certè cùm Beatissimus Pius V. verbis, quæ ex compendio nostro *V. Communicatio. §.* 3. refert Rodriq. *Tom. 1. q. 55. art. 5.* dicat, se Societatis JESU Religiosis, & Ecclesiis concedere omnes Indulgentias concessas aliis Religiosis Personis, & Ecclesiis, *non solùm ad illorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter*, apparet, doctrinam Lezanæ, & Suarii non esse generaliter veram, cùm præsertim privilegia concessa uni Academiæ instar privilegiorum alterius, perinde valeant, ac illius privilegia.

552 Quare Rodriq. tùm *loc. cit.* tum *Tom. 2. q. 88.* non semel supponit contrarium, dum Indulgentiam plenariam uni, alterive Ordini concessam, extendit ad alios Ordines communicationem Indulgentiarum habentes. Vide dicta *n.* 280.

VII. Hac tamen generali concessione fre- 553
tus quispiam inferet fortè: quando Summus Pontifex uni certo Ordini, ex occasione aliqua peculiari impertitur pro una vice duntaxat Indulgentiam in forma Jubilei, sicuti Innocentius X. Anno *1645.* Societati nostræ impertiit, illius posse fieri participes eos omnes Religiosos Ordines, qui habent cum illa participationem Indulgentiarum. Similiter eam, quæ in triduo Bacchanalium, & in Dominica Communionis Generalis obtinetur in templis Societatis nostræ, posse acquiri in templis eorundem Ordinum.

Verùm existimo, huic illationi obsistere, 554
tum praxin communem, quæ est valde bona gratiarum interpres, tum rationes, quæ Indulgentiam, uni Ordini & loco, potiùs quàm alteri concedendam, tum verba ipsorum Pontificum, ut nominatim de Indulgentia Communionis Generalis observavi *suprà n.* 356. Quamquam faciliùs concedi potest, ab ipsismet Religiosis participari posse in suismet Ecclesiis Indulgentias aliorum Ordinum, quàm à sæcularibus participentur, dum hi opera præscripta perficiunt, in templis eorundem aliorum Ordinum, argumento communis ex Aristotele Axiomatis: *Propter quod unumquodque tale, illud est magis tale.*

Et confirmo ex Bulla Leonis X. incipiente: 555
Dudum per nos, ubi cùm dixisset, illos *plus sapere, quàm oportet*, qui ex eo, quòd Indulgentiæ templis unius Ordinis Mendicantium impertitæ, essent communicatæ templis aliorum Ordinum Mendicantium, inferebant, sæculares posse in Ecclesiis Prædicatorum, Minorum &c. obtinere Indulgentiam, quam prædecessores ejus elargiti erant visitantibus Ecclesiam B. Mariæ Virginis de populo de Urbe ad Augustinianos Eremitas spectantem: *Attendentes*, inquit, *quòd Indulgentia, intuitu Religionis concessa, ad sæculares extendi non debet, volentes mentem prædictorum prædecessorum nostrorum, & nostram declarare, volumus, & authoritate Apostolica declaramus, quòd universi, & singuli dictorum Ordinum Fratres, & Moniales &c. prædictis Indulgentiis gaudeant, perinde acsi ipsi dictam domum B. Mariæ de populo personaliter visitarent; quòdque vigore prædictarum literarum sæculares Indulgentiis hujusmodi gaudere non possint.*

Ubi probè ponderandum est verbum: *de-* 556
claramus, propterea quòd significet juridicam, & universalem omnium similium declarationem, ut probavi *n.* 328.

Deinde deducendum est, stante illa Bullâ, 557
itémque mutua communicatione Indulgentiarum,

tiarum, quæ est inter Mendicantes Ordines, à quolibet Religioso Mendicante posse in sui Ordinis Ecclesia longè faciliùs obtineri Indulgentias datas Ecclesiæ alicujus alterius Ordinis Mendicantis, quàm possint à Sæcularibus, esto per Bullam Clementis VII. de qua in compendio nostrorum privilegiorum *V. communic. gratiarum. §.3.* junctis subsequentium Pontificum quibusdam aliis Bullis, sine distinctione statuatur, ut Ecclesiæ cujuslibet Ordinis Mendicantium gaudeant iisdem Indulgentiis, quibus gaudent aliæ aliorum Ordinum. Et universim dico, Indulgentias Ecclesiis unius Ordinis Mendicantium concessas posse à quovis alterius Ordinis Mendicantis Religioso in sui Ordinis Ecclesia obtineri, nisi respectu aliquarum peculiarissima ratio obstet, sicuti deduces ex allata Bulla, itémque ex aliis, quas refert Rodriq. *Tom.1.q.55.art.8.& seqq.* At à sæcularibus non posse, saltem si de plenariis loquamur, illas quæ ob affectum peculiarem Sedis Apostolicæ erga aliquem Ordinem Religiosum, ejúsve Sanctos, vel Ecclesias concessæ sunt, obtineri in Ecclesiis alterius Ordinis. Et quidem negat disertè Rodriq. *Tom.2.q.88.a.5.* Indulgentias pro festo S. Claræ destinatas obtineri posse in Ecclesiis Franciscanorum, sed in solis Ecclesiis Clarissarum. Vide, quod de Indulgentia Portiunculæ dixi *n.550.*

Verùm quidquid sit, dico cum S. Moyse: *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet? Num. 11. v.23.*

Appendix.

557 Facere nequeo, quin in confirmationem eorum, quæ de communicatione Indulgentiarum hactenus tradidi, huc transferam nonnulla partim ex P. Anton. de Quintanad. qui scripsit sub idem tempus, quo ego, partim ex P. Bonagratia Habsensi, qui post me. Itaque Quintanadvennas in Appendice ad sua singularia *Tract.4. dub.8.* in quo, sicut in duobus sequentibus, utiliter proponit descriptas aliquas Bullas tractantes de hac materia, dissentit ab utroque Rodriquezio, scribentibus, Indulgentias concessas visitantibus Ecclesias Minorum in quibuscunque festivitatibus Sanctorum ex illo Ordine, posse obtineri à quibuscunque visitantibus Ecclesias Prædicatorum, in quibuscunque festivitatibus Sanctorum Prædicatorii Ordinis. Ex qua doctrina infert meritò (nisi fortè inter hos duos Ordines intercedat peculiaris consociatio) hic author, idem esse consequenter pronuntiandum de visitantibus Ecclesias cujuscunque Ordinis Mendicantium in quacunque festivitate illius Ordinis. Atqui hæc doctrina à praxi obhorret, & eam detestatur consuetudo, inquit iste author, cui assensus sum suprà *n.552.* quia tamen negari non potest omnis, quod hoc punctum, Communicatio, eam ob rem statuit idem author in dubio nono distinctionis causâ tres conclusiones.

Primam hanc. Omnes Indulgentiæ concessæ immediatè, & directè Religiosis, vel eorum Oblatis, Parentibus, Cognatis, Procuratoribus, Benefactoribus, Servitoribus, & similibus personis ad Ordinem aliquem spectantibus, inter ipsos ita communicantur, ut Regularibus Prælatis, privatis Religiosis, eorum Parentibus &c. & similibus personis, cujusvis alterius Ordinis communicatione gaudentibus intelligantur concessæ. Ita Julius II.

Secundam hanc. Omnes Indulgentiæ immediatè, & directè concessæ omnibus Christi fidelibus, visitantibus aliquam Ecclesiam alicujus Ordinis, conceduntur, & communicantur visitantibus, quamlibet Ecclesiam ejusdem Ordinis, nisi oppositum in Indulgentiæ Indulto exprimatur; in Ecclesiis verò aliorum Ordinum possunt Regulares illam lucrari, non verò Sæculares. Quòd si præter visitationem Ecclesiæ requiratur etiam Communio, debebunt hanc etiam obire, non tamen necessariò in altera Ecclesia, sufficiet in sua. Ita se se explicat hic author *cit. Tract.4. dub.14.* dans pro exemplo Indulgentiam Communionis generalis, de qua nos suprà *cap.10.* Hæc conclusio convenit cum doctrina tradita *n.554.* ubi dixi Indulgentias concessas visitantibus Ecclesiam aliquam faciliùs à Religiosis, quàm à Sæcularibus obtineri, dum visitant aliam ab expressè designatâ.

Tertia conclusio ejusdem doctoris posita *cit.* 558
dub.9. est hæc: Omnes Indulgentias, & Jubilea concessa generaliter aliquam Ecclesiam Regularem visitantibus, nullo modo lucrantur Sæculares, si aliam ab assignata visitent; non enim respectu Sæcularium datur inter Ecclesias diversorum Ordinum Communicatio Jubileorum, & Indulgentiarum. Unde Indulgentia concessa Ordini Minorum pro festo S. Francisci non communicatur Ecclesiæ Societatis pro die S. Ignatii. Ratio est, quia tales Indulgentiæ directè, immediatè, & præcipuè concessæ sunt non Regularibus, sed Sæcularibus, ad hos enim diriguntur Bullæ Indulgentiarum, utpote quæ præferunt hunc titulum: *Omnibus Christi fidelibus præsentes literas inspecturis.* Ita hic author *cit. dub.9.* qui *dub.8.* præmiserat esse inaudicum, quod quis dixerit, Indulgentiã Portiunculæ posse obtineri in Ecclesiis nostræ Societatis, aut in aliorum Ordinum Ecclesiis Indulgentiam doctrinæ Christianæ, Communionis generalis, aut Missionum, sine interventu aut solicitudine Societatis nostræ, nisi videlicet alius Ordo habeat per Bullam peculiarem jus ad tales Indulgentias. Et verò Ascanius Tamburinus *De Iure Abbat.*

Abbat. Tom.1. disp.17. quæst.2. negat, privilegia Missionum esse communicabilia, ego quoque jam ostendi suprà *Cap.9. & 10.* Indulgentiam Portiunculæ non posse à Sæcularibus obtineri in cujuslibet Ordinis Mendicantis Ecclesia; quod & dico de Indulgentia tridui Bacchanalium, favente apertè conclusione tertia P. Quintanadvennæ, paulò superiùs descriptâ, favente etiam praxi constanti.

559 De Indulgentia doctrinæ Christianæ fui abhinc decem Annos circiter à quodam viro erudito Ordinis S. Benedicti Parocho celebris pagi literis interrogatus: *Anne, qui dabant operam ipsi tradenti doctrinam Christianam in sua Parochiali Ecclesia, possint esse participes Indulgentiæ, cujus sunt compotes illi, qui nos audiunt?*

Ratio peculiaris dubitandi erat, quòd ipse esset membrum monasterii intra fines Congregationis Benedictinæ in Helvetia constituti; quæ quidem laudatissima Congregatio gaudet omnibus privilegiis Ordinum Mendicantium, sicuti observavi in Experientiis *Tract.7. n.105.* Respondi tamen, etiam nondum lecto Patre Quintanadvenna, negativè, idcirco, quòd si probè expendantur clausulæ Brevium concedentium hanc Indulgentiam, videantur omnino exigere industriam personarum Societatis.

Ut proinde huc applicari valeat doctrina P. Bonagratiæ in Summula V. *Privilegium num.* 412. pronuntiantis, si privilegium (eandem hic esse rationem Indulgentiæ concedit ipsemet ibidem) ex parte materiæ, & objecti statuat determinatum locum, aut Provinciam &c. tunc cessare Communicationem. Atqui videtur ita se res habere in proposito. Cùm enim nostra Religio ratione sui peculiaris status ita obstricta sit ad doctrinam catecheticam rudibus tradendam, ut etiam Professi nostri publico voto Deò promittant *peculiarem curam circa puerorum eruditionem*, sicuti loquitur noster S. Fundator *Constitut. Part.5. cap.3. lit.* B, sitque Societas à primo sui exordio complexa tanto studio hoc munus, ut in oppidis, in quibus obtinemus Collegia, vix alii seu Regulares, seu Sæculares illud obeant, videtur Sancta Sedes voluisse omnino peculiari, aliisque non communicabili dono allicere rudes animas, ad frequentandas nostras Catecheses.

560 Idem P. Bonagratia V. *Privilegium n.412.* scribit, se mihi assentiri circa Indulgentias Portiunculæ, & Circumcisionis, *& si quæ aliæ conceduntur pro Festis Ordinum specialibus*, quæ Julius II. in Bulla ab ipso relata vult cum certo respectu valere. *Non tamen plenam fidem habeo*, ait Pater Habsensis. *Peyrinis Tom.1. fol.142. neganti, Indulgentias templi Minimorum pro Festis Pentecostes, Assumptionis, & Annuntiationis (vel aliis similibus toti Ecclesiæ communibus) impertitas, posse in Ecclesiis aliorum Ordinum acquiri, nisi conformiter Bullæ Pauli V. de qua Verb. Indulgentia n.220. solennitas aliqua universalis in Ordine aliquo habeatur pro principali: Prout in Societate IESV festivitas Circumcisionis Domini, vel Indulgentiæ aliquæ concessæ sint pro aliquo casu, vel ratione, quæ non militat in aliis Ordinibus.* Ita ille, cum quo claudo hoc caput, transiens ad sequens.

CAPVT XXVIII.

De Indulgentiis pro Sæcularibus propter Regulares.

SUMMARIUM.

Enumerantur variæ Indulgentiæ concessæ Sæcularibus intuitu Regularium. 561. & seqq.
Quomodo intelligantur datæ audientibus conciones Mendicantium? Ibid.
Et quæ obtingant visitantibus Ecclesias Mendicantium? 564.
Et quas Gregorius XIII. concessit in gratiam frequentantium scholas, & Ecclesias Societatis? 567.
Idem Gregorius Indulgentias stationum per totum Annum dedit nostris scholaribus. 568.
Quid teneantur orare tales? Ibid.
Quinam dicendi sint frequentare Sacramenta in Ecclesiis Societatis? 571.
Quid si quis soleat quotannis apud nos obire Paschalem Confessionem, & Communionem? 573.
Quid si tantùm bis, aut ter in Anno percipiat apud nos illa duo Sacramenta? 575.
Quid si furdaster soleat quot mensibus confiteri nobis, at non in templo, sed conclavi Collegii? 576.
Quid de illis, qui soliti eadem Sacra Mysteria obire apud nos fani, jam nequeunt ob ægritudinem incurabilem? 577.

Quæst. LXXX. *Quas Indulgentias acquirunt Sæculares propter Regulares Personas, & Ecclesias?* 561

RESP. Acquirunt sequentes. I. Qui interest concioni alicujus ex Ordine Mendicantium, lucratur Indulgentias quindecim Annorum ex Gregorio IX. centum dierum ex Alexandro IV. centum triginta Annorum, & 202. dierum pro feriis 2. 4. & 6. quadragesimæ, ex aliis alias. Casarubius, & Lezana *V. Concionator. n.14.* Qui Casarubius, uti & Miranda in Manuali Præl. *q.50. a.10.* ac Diana mox referendus, tradunt, ab ejusmodi Ordinum concionatore, etiam quando concionatur extra templum sui Ordinis, posse pro singulis concionibus impertiri suis auditoribus 18. Annorum & 222. dierum Indulgentias. Et ad has Indulgentias lucrandas non

opus esse, ut dicant Concionatores, se illas concedere nomine Suæ Sanctitatis, observat contra Dianam *Part. 4. Tr. 4. Resol. 2.* Lezana in Summa V. *Indulgentia n. 13.* addens tamen, esse adhuc alias Indulgentias, quibus ipsi Concionatores Ordinum Mendicantium possunt donare suos auditores, ita tamen, ut expressè addant, se id facere nomine Pontificis. Porrò satis innuunt citati authores, prædictas Indulgentias ab ipsismet concionatoribus (per potestatem delegatam) propriè concedi. Unde consequenter dicere debent, eas non obineri, nisi Concionator indicet, à se illas impertiri. Quod quidem videtur satis indicare, quando finitâ concione dat de more benedictionem dicendo: *Indulgentiam absolutionem &c.* sicuti deduces ex communi doctrina tradenda *n. 623.* Hoc probè nota.

562 Patres, & Matres eorum, qui sunt in aliquo Ordine Mendicantium, consequuntur Indulgentiam plenariam in purgatorio. Casarubius *V. Indulgentia quoad Sæculares 8. n. 1.* ex Callisto III. & Compendio Societatis V. *Indulgentia §. 18.*

III. Procuratores Ordinum Mendicantium, & eorum substituti, nec non eorum filii, parentes, fratres, & uxores, possunt promereri Indulgentias Stationum recitando in Ecclesiis prædictorum Ordinum quinque Pater noster, & Ave Maria pro Summo Pontifice, & felici statu Rom. Ecclesiæ illis diebus, sicut sunt Romæ. Idipsum beneficium consequuntur Medici Ordinarii talium Religiosorum. Compendium Privileg. Societatis JESU, V. *Indulgent. §. 29.*

563 IV. Ordinum Mendicantium Generales, & Provinciales, Indulgentias suis Ordinibus concessas, sæpe communicant sui Ordinis Benefactoribus, id concedente Urbano V. apud Lezanam *n. 15.*

564 V. Visitantes Ecclesias Ordinum Mendicantium, in iisque orantes, consequuntur varias Indulgentias. Et in primis quidem tot Pontifices, partim 100. dierum, partim unius Anni Indulgentias concesserunt visitantibus Religiosè, quocunque die, aut horâ diei, Ecclesias quorundam Ordinum Mendicantium, præsertim Minorum, & Carmelitarum, ut excrescant singulis diebus ad 40. Annos, & 50. dies, ut videre est in Casarubio. *V. Indulgent. quoad Sæculares 3. n. 9. & 11.* Deinde qui aliquo per Annum Sabbato, vel Dominico, unam ex iisdem Ecclesiis visitat, fruitur Indulgentiâ 40. Annorum, totidem quadragenarum, & septimæ partis peccatorum. Casarubius. *loc. cit. n. 10.*

565 Præterea qui quocunque die Quadragesimæ, piè visitat aliquod templum Fratrum Minorum, consequitur, ut minimùm, Indulgentiam 40. Annorum. Casarubius *Ibidem.* At qui feriâ 4. aut 6. quadragesimæ invisit templum aliquod Patrum Carmelitarum, obtinet Indulgentiam 80. Annorum, & totidem quadragenarum. *Ibid. n. 7.* Denique qui in festivitatibus Christi Domini, & Beatissimæ Virginis, accedit piè ad templum, aut templa alterutrius horum Ordinum, obtinet plusquam 60. Annorum Indulgentias, adeóque singulis festivitatibus valde multorum Annorum, ut videre est apud Casarub. *loc. cit. n. 9. & seqq.*

Et omnes hîc enumeratas Indulgentias ob- 566
tinent etiam ii, qui nostræ Societatis templum aliquod prædictis diebus visitant, ut deduces ex verbis *num. 551.* relatis; atque idipsum de aliis Ordinibus Mendicantibus potest dici, ut videre est apud Rodriq. relatum *n. 549.*

Insuper Gregorius XIII. die 25. Jun. Anno 567
1573. ad fovendam, augendámque devotionem eorum, qui scholas, & templa nostra frequentant in septentrionalibus Provinciis, concessit, ut in Quadragesima, Adventu, & aliis festis Christi Domini, Deiparæ, & Apostolorum, potiantur nostras scholas, & Sacramenta apud nos frequentantes Indulgentias Stationum, si quinquies Pater, & Ave recitent in honorem quinque vulnerum Christi, & pro Ecclesia Romana, omniúmque hæresum extirpatione; qui etiam in articulo mortis dicendo ter JESUS, aut percutiendo ter pectus, consequuntur Indulgentiam plenariam: eandem quoque obtinent, quicunque in nostris templis primâ Dominicâ cujusvis mensis, aut festis Deiparæ, aut Christi Domini post Communionem sacram, Psalmum Miserere, vel ter Pater, & Ave pro Summo Pontifice edixerint, ut refertur in privilegiis Sept. *V. Indulgentia.*

Quin idem ipse Gregorius XIII. An. 1576. 568
die 17. Maji per totum Annum Indulgentias Stationum, & Ecclesiarum Romanarum extendit ad omnes Scholasticos, qui nostras scholas frequentare solent. Si videlicet in aliquo nostro templo, vel sacello, ante altare majus recitent quinquies Pater & Ave, & ante singula ex aliis quatuor altaribus semel Pater & Ave, vel si cubi non fuerint tot altaria, novies ante altare majus repetant Pater & Ave, ut refertur in minore compendio nostrorum privilegiorum *V. Indulgentia §. 32.*

Porrò, Ordines Mendicantes, quorum to- 569
ties in hoc capite mentionem feci, & quorum his in locis vulgò notitia habetur, sunt Ordo Patrum Carmelitarum, Augustinianorum, Dominicanorum, Minorum seu Franciscanorum, & Capucinorum, Servitarum, Minimorum, seu, ut hîc vocant, Paulinorum, & nostræ minimæ Societatis.

His scriptis, & jam ad typum paratis, oc- 570
currit

currit mihi valde Practicum dubium, quod judicavi sequente quæstione proponendum, & resolvendum.

571 Quæst. LXXXI. *Cùm Gregorius XIII. n. 568. relatus Indulgentias stationum extendat ad illas, qui in templis Societatis IESV Sacramenta frequentant, quid necessarium est ad id, ut quis dicatur in nostris templis Sacramenta frequentare?*

RESP. Duo sunt necessaria. Primum, ut non tantùm unum, sed plura Sacramenta in nostris templis suscipiat. Alterum, ut suscipiat frequenter. Probo, & declaro utrumque.

Nam inprimis in illo vivæ vocis oraculo expressè ponitur vox *Sacramenta* in plurali: atqui sicut *pluralis locutio duorum numero est contenta Reg. 15. in 6.* ita etiam ad sui veritatem exigit saltem duo, ut tradunt Glossæ illius Regulæ: & confirmatur ex *Cap.* Hoc quoque *De Consecr. dist. 1.* ubi Soter Papa vetat, ne quis Presbyterorum præsumat solemnia celebrare, nisi præsentibus saltem duobus, eò quòd pluraliter ab eo dicatur: *Dominus vobiscum.*

Itaque prædictâ gratiâ non fruuntur ii, qui in nostris templis solùm communicant, aut Sacrum faciunt, neque ii, qui solùm confitentur.

572 Deinde in eodem vivæ vocis oraculo ponitur verbum *frequento*, quod auctoritate Latinitatis, Patrum, Grammaticorúmque constat significare repetitionem actûs alicujus.

573 Hinc infero I. illos, qui apud nos obeunt solam Confessionem, & Paschalem (uti ex singulari Privilegio Reverendissimorum, & Illustrissimorum Episcoporum Brixinensium possunt in Tiroli omnes Diœcesani Brixinenses) Communionem, non potiri gratiâ Gregorii XIII. Nec eos juvat, etiamsi per 10 Annos id factitârint, & imposterum factitare cogitent: nam cùm largitio ejusmodi Indulgentiarum sit Summum beneficium, & non soleat Pontifex illud impertiri, nisi iis, qui profitentur aliquem, ut ita dicam, statum, seu aliquod vitæ genus, quod complectatur plures in Anno pios actus, ut sunt Religiones, & Confraternitates, idcirco non est verosimile, illis, de quibus loquimur, fieri eam gratiam.

Adde, quòd mens Pontificis fuerit per hoc indultum allicere populos septentrionales, ad sæpius intra Annum in nostris templis obeunda sacra mysteria.

574 Infero II. Memoratam gratiam obtingere iis, qui quater, aut quinquies in Anno faciunt id, quod dixi; Nam satis propriè possunt tales dici frequentare Sacramenta.

575 At, *quid si tantùm bis, aut ter in Anno, ut faciunt Rusticani homines?*

RESP. Cùm ille agricola, qui ter in Anno consuevit extra tempus Paschale Sacramentis Confessionis, & Eucharistiæ animum expiare, satis commodè dicatur esse *frequens* in percipiendis illis Sacramentis, me judice pronuntiandus est, habere jus ad Indulgentias Stationum.

Consequenter licèt ejusmodi agrestis homo, non sit ulli Congregationi inscriptus, nec habeat ullam rem sacram Indulgentiis affectam, potest Parochus, aut quisquis illum in mortis periculo constitutum visit, ei spem facere, quòd pronuntiando ter JESU, aut tundendo ter pectus, adipiscatur in illo mortis articulo plenariam Indulgentiam destinatam iis, qui in nostris templis frequentant Sacramenta.

Sed fortè quærat aliquis Confessarius, *quid* 576
censendum de surdastris, qui confitentur non in templo ipso, sed in aliquo Collegii cubiculo Sacristiæ vicino?

RESP. In his haud dubiè locum habere epiikiam, cùm & satisfaciant intentioni Pontificis, & si Pontifex interrogaretur, pro summa benignitate esset responsurus, se illis æquè ac aliis favere velle. Vide etiam ea, quæ de significato Ecclesiæ refero Tract. præcedente *n. 135. 136. & 198.*

Hæc idcirco discussi, quia monentur nostri Confessarii, ut in praxin deducant prædictæ gratiæ usum.

De illis ægris, qui cùm sani essent, consue- 577
verunt in templis nostris obire Sacramenta, & eum morem servarent, si possent, at jam per unum, alterúmve Annum lecto affixi, nequeunt facere, quod vellent, interim sæpius in Anno domi suæ nostris confitentur, & à Parocho synaxin accipiunt, fortè erit, qui etiam benignè pronuntiabit. Sed hîc nihil de iis definio.

CAPVT XXIX.

De Indulgentiis pro defectibus in recitatione Breviarii admissis.

SUMMARIUM.

Indulgentiæ pro defectibus Breviarii quæ? 578.
Quidnam intelligatur per defectus commissos ex humana fragilitate? 579.
Sitne oratio, cujus recitationi promittitur Indulgentia, pronuntianda in fine Breviarii? 582.
Quid si diu post Completorium? 583.
Sitne opus legere, an sufficiat ex memoria recitare Breviarium, ut obtineatur illa Indulgentia? 585.
An legere etiam ea, quæ socius recitat alta voce? 588.

Quid si iste foetus omnia recitet ex memoria? 589.

578 SUPPONO, Leonem X. omnibus, qui orationem *Sacrosanctæ &c.* in Breviariis ab Urbano VIII. recognitis positam orant post Officium divinum, concessisse Indulgentiam *defectuum, & culparum in eo persolvendo ex humana fragilitate contractarum*; hæc enim ipsa verba habentur *loc. cit.* Jam potest oriri.

579 Quæst. LXXXII. *Quidnam per defectus, & culpas ex humana fragilitate contractas intelligatur?*

RESP. I. Intelliguntur omnes, quæ ex passionis vehementiâ committuntur; ut si ex vehemente amore spectaculi, ad quod properas, pensum tuum Canonicum indecenter deproperes: nam peccatum ex passionis vehementia ortum habens, vocatur propriè peccatum *ex infirmitate*, adeóque fragilitate. S. Thom. 1. 2. *q.* 76. & 77.

580 II. Mihi quoque videntur satis probabiliter intelligi omnes defectus, qui ex ignorantia, aut inadvertentia mortaliter non mala, & non affectata committuntur. Cùm enim generatim peccata, quæ ex subreptione fiunt, soleamus vocare peccata ex fragilitate humanâ profecta, eò quòd subreptioni sit maximè subjecta nostra natura: ignorantia autem, & inadvertentia, de qua loquor, sit subreptio quædam, arg. *Cap. fin. De Fil. Presb. in* 6. idcirco defectus, de quibus loquor, non immeritò dicuntur esse ex fragilitate humana.

581 III. Si per culpas in persolvendo Breviario admissas intelligas non solùm illas, quæ ipsam orationem Canonicam formaliter afficiunt, & inquinant, ut est v. g. vana gloria, ex qua legis, aut cantas tuum Breviarium: aliquarum vocum mala pronuntiatio, distractio voluntaria &c. sed etiam illas, quæ se tantùm per accidens, & concomitanter habent, ut v. g. vana complacentia, quam habes de tua pulchra voce, quâ canis Horas, indignatio propter muscam, quæ te vexat, dum oras &c. non multùm repugnabo: præsertim si verum est id, quod Suarez *L.* 3. *De Orat. c.* 4. *n.* 23. prò probabili habet, quòd scilicet contra virtutem Religionis peccet, qui dum orat, volvit animo turpes cogitationes, esto eæ non divertant illum ab attentione necessaria.

582 Quæst. LXXXIII. *An prædicta oratio sit recitanda in fine totius Breviarii?*

RESP. Mihi verosimile apparet, perinde esse ad expiandos defectus in aliqua Hora, v. g. Prima commissos, sive prædictam orationem dicas immediatè post illam Horam, sive post aliam sequentem, sive post omnes: tum quia singulæ Horæ sunt quoddam officium divinum; tum quia non apparet, cur Leo X. voluerit expiari culpas in Matutino v. g. commissas, recitando illam orationem post Completorium, & non voluerit expiari, illarúmque Indulgentiam obtineri, si dicatur statim post Matutinum. Ubi autem non est diversa, sed potiùs eadem ratio, debet esse eadem legis dispositio *L.* Illud. *ff. De Lege Aquil.*

Quòd si illam orationem quis recitet duabus, aut tribus horis post Completorium, videtur nihilominus implêsse conditionem à Leone X. requisitam, ad lucrificiendam Indulgentiam. Et si Completorio hodierni diei immediatè subjungat Matutinum crastini, & dicto Matutino addat illam ipsam orationem, non improbabile est, illius unica recitatione obtineri Indulgentiam pro defectibus commissis, tum in hodierno toto Officio, tum in Matutino crastinæ lucis. Nam uno actu duas Indulgentias posse obtineri, probabile est ex dictis suprà *n.* 210. 583

Ratione duarum præcedentium Quæstionum ex me fuit quæsitum, quid censerem de Indulgentia, ab eodem Leone X. concessa Religiosis Mendicantibus, *Officium divinum per librum solventibus*, ut refertur in Compend. nostrorum privil. *V. Indulgentia* §. 18. ubi dicitur tales consequi remissionem dimidiæ partis peccatorum commissorum illo die, quo prædictum solvunt officium; nam movetur hæc 584

Quæst. LXXXIV. *Estne opus, totum omnino officium Canonicum legere, ut obtineatur Indulgentia promissa solventibus illud per librum?* 585

RESP. I. Sicuti generatim *n.* 19. dixi esse probabile, quòd omittere parum quid ex opere præscripto, nil officiat acquisitioni Indulgentiæ, ita etiam dicendum est, illum potiri præsente Indulgentia, qui pauculos duntaxat versiculos ex Breviario memoriter recitat, reliquos ex libro legens.

II. Qui tertiam, vel quartam partem totius Breviarii diceret ex memoria, non frueretur prædictâ gratiâ. Nam quarta pars est valde notabilis, cùm etiam illius omissio sufficiat ad peccatum mortale.

III. Qui versiculos: *Deus in adjutorium*, &: *Gloria Patri*, itémque *Pater*, *Ave*, *Credo*, *per Dominum nostrum &c.* non ex libro, sed ex memoria semper diceret, videretur nihilominus fieri compos beneficii Apostolici. Ratio est, quia cùm illa gratia fuerit eo tempore impertita, quo jam admodum excreverat liberalitas Pontificia in dispensando Ecclesiastico Thesauro, non est satis credibile, quòd hanc Indulgentiam Leo Papa restrinxerit ad ejusmodi conditionem, quam nullus, aut vix ullus esset impleturus. Quis enim ea, quæ enumeravi, solet ex libro dicere? Et quam facilè potest in Choro error committi, si duo, vel tres, ea, quæ indicavi, legant semper ex libro? Etenim constat, illa non solere in toto Breviario, nisi 586

nisi semel ad longum imprimi. Ergo tam frequens eorum investigatio turbaret facilè Or-
587 dinem, & attentionem interiorem. Adde, quòd aliis daret occasionem risus & irrisionis. Atqui *quod ob alicujus gratiam conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Reg.* 61. *in* 6. multò minùs in divini cultûs detrimentum; nam *indicta ad augmentum* (honoris divini) *non debent parere diminutionem*, inquit Anton. Rosellus *Tract. De Indulg. n.* 321. *ex Leg.* Legata inutiliter. *ff. De Legat.*

588 IV. Ad hanc gratiam comparandam, non videtur esse necessarium, ut quis ex libro recitet ea, quæ ipsius socius, aut alter Chorus orat ex libro. Ratio est, quia sicuti obligationi persolvendi pensi Canonici satisfacit, qui attendit ad versiculos à suo socio recitatos, eò scilicet, quòd censeatur moraliter illos ut sic pronuntiare, ita etiam satisfaciet conditioni de legendis illis versiculis, qui audiet legi ab alio, nam etiam moraliter censetur, ut sic, legere. Quod etiam confirmatur ex doctrina permultorum, censentium excommunicationem latam in legentes libros hæreticos, contrahi ab eo quoque, qui sibi curat legi, esto ipse non legat. Adde, quòd Minoribus, quibus prædicta Indulgentia fuit primitus data, longè difficillimum foret totum officium Canonicum, præsertim de nocte, legere ex libro, sic enim deberent quandoque per sesquihoram, quandoque per duas horas continuas irretortos in librum oculos conjicere, quod quidem non tantùm non exigi, sed ne quidem permitti debet, utpote valde noxium oculis.

At, *Quid si meus socius, aut chorus mihi oppositus omnes, aut pene omnes Psalmos ex memoria pronuntiet?*

589 RESP. Si vel unicus in Choro opposito legat illos, sufficiet tibi; si nullus omnino, tum excides Indulgentiæ fructu, nisi tu ipsus, legas; nam in eo casu nec propriè, nec impropriè, nec physicè, nec moraliter diceris Officium divinum solvere per librum. Atqui Indulgentiæ plus non operantur, quàm sonent. Confirmo inde, quòd verba, quibus indicuntur Indulgentiæ, explicanda sint eo modo, quo explicaretur lex Canonica tractans de eadem materia, nam sicuti contractus particulares sunt interpretandi juxta communem rationem legum, teste Palao *disp.* 2. *De Leg. p.* 2. *num.* 4. ita & Indulgentiæ, quæ se, ut quid particulare, & speciale respectu legum Canonicarum habent, explicandæ sunt secundùm communem rationem legum, nisi in peculiari circumstantia aliud dicendum esse suadeat ratio; atqui si ferretur Lex Canonica sub mortali præcipiens Clericis recitationem Breviarii ex libro, nemo diceret, te in casu, quem ponimus, satisfacere ejusmodi Legi, ergo nec satisfacis conditioni pro comparanda Indulgentia appositæ.

CAPVT XXX.

De Indulgentiis orantium ad pulsum salutationis Angelicæ.

SUMMARIUM.

Referuntur Theologi testantes, Indulgentiam plenariam obtingere recitantibus salutationem Angelicam ad pulsum consuetum. 590.

Refertur precatiuncula de B. Virgine, cujus recitationi scribitur esse annexa Indulgentia itidem plenaria. 593.

Indulgentia oblata orantibus Ave Maria *obvenitne illis, qui ex more patrio omittunt*: Sancta Maria Mater Dei &c? 596.

Indulgentiæ censentur intelligendæ cum respectu ad consuetudinem loci, in quo proponuntur publicè. Ibid.

An Clerici locorum, in quibus solet à Sæcularibus omitti indicata clausula salutationis Angelicæ, excidant Indulgentia, si & ipsi omittant? 597.

Mos salutandi ad pulsum Virginem Matrem quando cœperit? 598.

Quæst. LXXXV. *Verène Indulgentiam ple-* 590
nariam obtinent, qui, cùm datur signum ad salutandam Augustissimam Cœlorum Reginam, orant tres illos versiculos, Angelus Domini &c. Ecce ancilla Domini &c. Et Verbum caro factum &c. unà cum ter repetita salutatione Angelica?

RESP. Gravium Theologorum sententia est, ab Adriano VI. concessam fuisse ejusmodi Indulgentiam. Sic enim sentiunt inprimis Emman. Rodriq. Tom. 1. *Quæstion. Regul. q.* 89. *a.* 12. ita loquens: Adrianus VI. » concessit, quòd qui dicit in pulsatione cam- »
panæ ad Ave Maria ad primum signum, *Ange-* »
lus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spi- »
ritu S. & unum Ave Maria; & in secundo si- »
gno: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm* »
Verbum tuum, & aliud Ave Maria; & in tertio »
signo: *Et Verbum caro factum est, & habitavit* »
in nobis, cum alio Ave Maria, lucratur Indul- »
gentiam plenariam. Hoc concessit Adrianus »
VI. Guardiano Burgensi Marchinæ petenti, ut »
est scriptum apud nos Minoritas in Hispali »
civitate, & refert Veracrux Religiosus, & do- »
ctus Pater in suo manuscripto. Hactenus Ro- 591
driquez, qui loquitur indeterminatè de signo Matutino, Meridiano, & Vespertino. At determinatè de Vespertino loquitur, & Rodriquezium sequitur Diana, *Part.* 4. *Tract.* 4. *Resol.* 24. dicens, se supponere tanquam certum, quòd Adrianus VI. concesserit talem Indulgentiam, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, orantibus ter Ave Maria, cum prædictis tribus versiculis, *post Solis occasum*, & ita inter reliquos docere Hieron. Rodriq. *in Comp. Re-*

 77.

fol. 77. Lezana quoque V. *Indulgentia num.* 10. refert Dianam, & non improbat. Eundem Dianam sequitur Maria de Rheita Capucinus *in Fasciculo sacrarum Indulg.* testans, ea de causa pulsum vespertinum in omnibus Provinciis (non utique Germaniæ) dici pulsum *Indulgentiarum.* Consentit Pellizarius *Tract.* 10. *c.* 9. *n.* 40. Denique Escobar in Summ. *Tr.* 7. *Exam.* 5. *num.* 54. integre sentit cum Diana, referens pro se Laymannum, sed non reperio quidquam in Laymanno hac de re.

592 Itaque ob istorum Doctorum authoritatem probabile est, reipsa concessam esse talem Indulgentiam, vesperi ad pulsum salutationis Angelicæ, fundentibus ter Ave Maria, cum tribus illis antiphonis, seu versiculis. Et censeo, publica pietatis, & reverentiæ erga cœli terræque Reginam officia, esse tanti momenti, ut possit pro illa precatione, de qua agimus, concedi Indulgentia plenaria, saltem si cum magna pietate, & reverentia peragatur illa precatio.

593 Similiter testatur paulò antè citatus author Rheita, aliique plures, teste P. Bonagratia, esse ad instantiam Elisabethæ Reginæ Hisp. impertitam plenariam Indulgentiam, toties, quoties quis recitat sequentem oratiunculam.

Ave Virgo gloriosa:
Stella Sole clarior,
Mater Dei gratiosa:
Favo mellis dulcior:
Rubicunda plusquam rosa:
Lilio candidior.
Omnis Virtus Te decorat,
Omnis Sanctus Te honorat
In cœlo sublimior. Amen.

594 Fides sit penes auctorem. Multi difficulter credent & factum, & validè factum. P. Bonagratia in Summula verb. *Indulgentia n.* 226. refert id altiori judicio.

Quæst. LXXXVI. *An non aliæ Indulgentiæ magis exploratæ, & magis credibiles datæ sunt ob prædictum pietatis erga Deiparam officium?*

RESP. Lezana *loc. cit.* ex Ceremoniali sui Ordinis, PP. inquam, Carmelitarum, (quod apud me est magnæ authoritatis, propter pietatem, & eruditionem illius sacræ familiæ,) refert hæc verba: *Pulsatio salutationis Angelicæ post occasum Solis per tres ictus ter factos efficiatur; ad cujus pulsationem Fratres tres hos versus,* Angelus Domini &c. Ecce Ancilla Domini. Et Verbum caro factum, *dicant, térque Ave Maria, cum oratione:* Gratiam tuam &c. Fidelium animæ &c. *Quibus precibus Paulus III. Indulgentiam plenariam concessit; item Gregorius XIII. præcepit, in omnibus Ecclesiis, etiam Regularium, pulsationem pro defunctis, seu post salutationem Angelicam horâ competente noctu fieri, Indulgentiam tunc pro defunctis concedens.* Ita Lezana.

Addo verba Discipuli (qui meritò Magister vocari potest) *in Serm. De Visitatione Deiparæ,* qui est XXV. de Sanctis ita pronuntiantis: Papa Joannes XXII. statuit, serò fieri pulsum campanæ, ad quem qui genu flectendo tria Ave Maria dixerit, viginti dies Indulgentiarum habebit. Et de illo miraculo (nam ante verba, quæ refero, narravit Discipulus illustre miraculum hominis, à Deipara supplicio publicè decreto erepti) & de illis Indulgentiis habetur publicum instrumentum Literæ authenticæ. 595

AT INQUIES: *Quid si quis ex recepto patriæ more salutationem Angelicam pronuntiet, usque ad illa solùm exclusivè verba:* Sancta Maria Mater Dei *&c.* 596

RESP. Fiet æquè compos Indulgentiæ hujus, ac illi, qui totum orant. Ita singulariter Navar. *De Orat. & Rosar. Miscell.* 54. Ratio petitur ex fundamento tertio, quod attuli *n.* 142. quia scilicet conditiones Indulgentiarum à Prælatis præscriptæ debent intelligi juxta morem cujusque loci. Et quia bona pars Belgii, ut se vidisse testatur Navarrus, *ibid.* salutat Virginem Matrem omissâ illâ precatiunculâ: *Sancta Maria Mater Dei &c.* & laici in Hispania consueverunt omittere illa postrema verba: *nunc & in hora mortis nostræ, Amen.* Infert *loc. cit.* idem Doctor, laicos incolas Belgii, & Hispaniæ, dum indicatis modis orant, potiri Indulgentiis recitationi Rosarii annexis.

AT QUID DE CLERICIS? Dubitat *Ibid.* 597 Navarr. cò quòd hi ex præscripto Breviarii teneantur orare totum illud: *Sancta Maria.* Verùm rectè tandem concludit, in rigore juris esse de iis illud ipsum, quod de laicis sentiendum. Ratio mea est, tum quia Clerici in actionibus plebi, & Clero communibus possunt se accommodare consuetudini laicorum, cum quibus vivunt, ut suppono ex communi sententia *in materia de legibus*; & declaravi in Theolog. Experimentali in Append. *Tract.* 7. *n.* 577. tum quia res una & eadem diverso respectu diverso jure censenda est. *L.* Si quis ad perferend. §. 1. *ff. De furt.* Quia igitur Clerici Rosarium, & ad pulsum vespertinum *Ave Maria* orant non ut Clerici, sed ut boni Christiani, censendi sunt jure, & privilegio, gratiáque bonorum Christianorum laicorum, quibus convivunt.

Cæterùm qui originem Matutini, Meridiani, & Vespertini pulsus nosse cupit, adeat P. Petrum Ant. Spinellum *in Throno Deiparæ Cap.* 29. *n.* 37. reperiet, ab aliis, ut à Polydoro Virgilio Vespertinum pulsum Joanni XXII. Matutinum cuidam Colonensi Archiepiscopo, ab aliis, ut ab Octaviano apud Surium *Tom.* 5. utrumque S. Bonaventuræ in honorem Incarnationis Dominicæ; ab aliis, ut ab Arnol- 598

do

do Wion Urbano II. in Concilio Claromontano, ad opem à Deo contra Infideles impetrandam: Meridianum verò Ludovico XI. Galliarum Regi, & Callisto III. Pontifici pro auxilio adversus Turcas exorando: ab aliis, ut ab eodem Arnoldo, ipsum meridianum pulsum Gregorio IX. adscribi: qui Gregorius, & matutinum, & vespertinum, unà cum meridiano, commutavit in honorem Deiparæ, ob tria genera mysteriorum in Rosario contentorum.

599 Hanc digressiunculam Lectori, ut spero, non ingratam, claudo sententia Divi Antonini, non sanctitate minùs, quàm eruditione clari, qui *P. 4. tit. 15. cap. 25. §. 3.* ita scribit: *Statuit Ecclesia singulis diebus pulsari ter campanas Ecclesiarum, de sero, & iterum de mane, ad quid? nisi ut honoretur Beatissima Virgo, & laudetur ex salutatione Angelica?*

CAPVT XXXI.

Referuntur aliæ omnibus Christi Fidelibus Communes Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

Quas Indulgentias lucretur quivis fidelis recitans tertiam partem Rosarii? 600.
Quales, qui certis quibusdam festis jungunt illi precationi Sacram Communionem? 601.
Quales datæ pronuntiantibus devotè sacratissima nomina JESUS & MARIA? 602.
Aut Litanias de nomine IESV, vel Lauretanas? Ibid.
Describuntur verba Bullæ Sixti V. loquentia de prædictis Indulgentiis. 603.
Monita directa peculiariter ad nonnullos. Ibid.

600 Quæst. LXXXVII. *Quænam aliæ Indulgentiæ possunt ab omnibus Christi fidelibus sine respectu ad certum locum, certum, aut rem comparari?*

RESP. Ego sequentes reperio. I. Quinquè Annorum, & totidem Quadragenarum Indulgentias *omnibus Christi fidelibus præsentibus, & futuris ubicunque existentibus*, qui tertiam Rosarii partem, seu quinquies Pater, cum 50. Ave Maria recitaverint, concessit Sixtus IV. ut ex ejus Bulla authentica refert Navar. *De Orat. Miscell.* 1. Et consequenter 15. Annorum, & totidem quadragenarum Indulgentiis potiuntur omnes, qui totum Psalterium orant, ut infert Navar. *Ibid. Miscell.* 14. addens *Miscell.* 18. hanc gratiam fuisse à B. Pio V. confirmatam.

601 II. Omnes, qui in festis B. Virginis Annuntiatæ, vel Assumptæ, vel Christi Resurrectionis Sacrâ Communione refecti tertiam partem prædicti Rosarii recitaverint, 10. Annorum Indulgentiis, & totidem quadragenis gaudent ex concessione ejusdem B. Pii V. ut testatur idem Navar. *cit. Miscell.* 18.

III. Qui interest concioni alicujus ex Ordine Mendicantium, potitur Indulgentiis enumeratis *n.* 560.

IV. Sixtus V. Indulgentias tam formaliter, 602 quàm causaliter, seu occasionaliter utilissimas impertiit omnibus Religiosè proferentibus Sacrosancta nomina JESUS & MARIA, itémque Litanias de nomine JESU, & Lauretanas recitantibus. Verba ipsa Bullæ, quæ incipit: *Redditurz*, & quam exhibet Rodriquez in Bullario *fol.* 488. utpote plurimùm ad pietatem facientia describam. Sic igitur, præmissis aliis aliò spectantibus, loquitur Sixtus Pontifex.

Quia non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos 603 *oporteat salvos fieri, nisi nomen IESV, idcirco omnibus & singulis Christi fidelibus, qui hoc modo salutaverint Deum, nempe suo vulgari, seu Latino sermone:* laudetur *IESVS CHRISTVS, & his, qui sic responderint:* In sæcula, *vel:* Amen, *aut:* semper, *utrisque tam salutantibus, quàm respondentibus quinquaginta, ubicunque ad factum fuerit: qui autem nomen IESV nominaverint reverenter, vel nomen MARIÆ, viginti quinque dies: qui verò in mortis articulo ore, vel corde (si ore non potuerint) idem nomen invocaverint, dummodò antè habuerint consuetudinem sic salutandi, vel nominandi idem nomen IESV; plenariam omnium peccatorum Indulgentiam; & remissionem; quique Litanias ejusdem sanctissimi Nominis nominaverint, trecentos; qui Litanias ejusdem Beatissimæ Virginis Mariæ, ducentos, nec non prædicatoribus verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen IESV & MARIÆ auditores monuerint, & quicunque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem Indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, auctoritate, & tenore præmissis concedimus, & largimur. Volumus autem, ut prædictæ Litaniæ Nominis IESV & B. MARIÆ juxta morem, & consuetudinem in Romana Curia, & domo Beatissimæ Mariæ Virginis usitatum recitentur; quod indultum etiam extendatur ad Indos, ubi est eadem necessitas. Decernentes, præsentes literas nullo unquam tempore per quascunque alias literas Apostolicas revocari, suspendi; aut limitari; seu illis derogari posse. Et si illis aliquando derogari aut suspendi, vel revocari, aut limitari contigerit in genere; vel in specie, statim in pristinum, & eum, in quo antea præmissa erant, statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas esse, & censeri debere; revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis in contrarium facientibus quibuscunque non obstantibus.*

Hujus Indulgentiæ velim memorem esse meum Lectorem, singulariter dum ex more Virginem Matrem salutat ad pulsum consuetum, aut ejus coronam recitat, vel pensum Canonicum persolvit, Missámque celebrat. Cùm enim tam crebrò in hisce quaternis actionibus religiosissimis occurrant illa duo Sacratissima Nomina, occurrit quoque tunc sæpissime occasio delendi tantas pœnas purgatorii, quantæ expiarentur, si perageretur ardua pœnitentia dierum XXV. Dicetur autem rectè ille moribundus habuisse *consuetudinem reverenter nominandi Nomen IESV*, qui postremis vitæ Annis tunc plerumque cum reflexa seu actuali reverentia, submissionéque illud proferebat, quando occurrebat vel in precatione, vel in alia actione.

Porrò has Indulgentias non fuisse suspensas proximo, aut prioribus Annis Sanctis observavi Tract. præced. *cap.* 9. *App.* 3. *lit.* a.

CAPVT XXXII.

De nova Indulgentia obeuntium Exercitia spiritualia S. Ignatii.

SUMMARIUM.

Describitur Breve ab Alex. septimo concessum pro facientibus illa Exercitia.

Ad Indulgentiam plenariam, quam proponit, comparandam exiguntur quinque conditiones. 605.

Quid nomine spiritualium Exercitiorum intelligatur hic? Ibid.

Quis censeatur illa obire juxta laudabilem consuetudinem Societatis? Ibid.

Quomodo intelligenda clausula de illis obeundis in aliqua domo Societatis? Ibid.

Referuntur varia discrimina inter conditiones, quas Paulus V. & Alexander VII. requirebant ab Exercitantibus, volentibus lucrari suam Indulgentiam plenariam. 606.

Quomodo intelligenda clausula: Quilibet? Ibid.

An Indulgentiam obtineant, qui tepidè faciunt Exercitia? 607.

Aut qui non implent metaphysicè spatium octo dierum? Ibid.

Verùm interruptio Exercitiorum postmodum continuatorum obsit acquisitioni Indulgentiæ? 608.

Recensetur in hanc rem verus Casus. Ibid.

Qui Exercitia spiritualia obeunt ex norma quidem Sancti Ignatii, non tamen aut in domibus Societatis, aut sub directione PP. Societatis, non potiuntur memoratâ Indulgentiâ. 609.

Nomine Notarii quis veniat? 610.

Quanta sit vis clausulæ, seu particulæ: Aliquis? Ibid.

Religiosus, qui est Secretarius alicujus Monasterii, aut Patris Provincialis, potest fungi officio illius Notarii, qui in Bullis Pontificis vocatur Notarius Publicus. Ibid.

Quinam intelligantur per constitutos in dignitate Ecclesiastica? 611.

Quid sit propriè Dignitas Ecclesiastica? Ibid.

IAm indicavi suprà *cap.* 27. Paulum V. donâsse Indulgentiis plenariis omnes Regulares, qui de suorum Superiorum licentia vacarent decem dies Exercitiis Spiritualibus, ac Tomo priore *Tract.* 8. *n.* 864. expressi, Alexandrum VII. hanc ipsam gratiam extendisse ad omnes, etiam Sæculares, qui in Domibus Societatis ea frequentarent. Hinc visus sum mihi non perditurus opellam, si hoc totum Caput XXXII. tribuerem enodationi quorundam dubiorum, quæ moveri possent circa concessionem, & conditiones tum illius antiquioris, tum vel maximè hujus recentissimæ gratiæ. Placet ergo exhibere ipsam Bullam Alexandrinam, & quædam dubia circa illam proponere. Sic autem habet. 604

ALEXANDER
PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Gosvinus Nickel Præpositus Societatis IESV, personæ ejusdem Societatis quot Annis, & plerumque plurimæ aliæ sive Ecclesiasticæ, & aliorum Ordinum, & Congregationum Regularium, sive Laicæ Exercitiis spiritualibus, à S. Ignatio dictæ Societatis Fundatore institutis in domibus ejusdem Societatis per octiduum vacare consueverint. Nos, qui probè scimus, quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christi fidelium mentibus, devotionem eorum, qui operi adeò pio, & salutari vacaverint, cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis incitare volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi omnibus, & singulis Christi Fidelibus tam prædictæ Societatis, aut cujuscunque alterius Ordinis, & Congregationis Regularibus, quàm aliis quibuslibet Ecclesiasticis, & Laicis, qui in Domibus memoratæ Societatis Exercitia prædicta juxta laudabilem ejusdem Societatis consuetudinem per octidui spatium quandocunque peregerint, & in-

& interea temporis verè pœnitentes & confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino indulgemus: Præsentibus, in perpetuum valituris.

Volumus autem, quòd si pro impetratione, præsentatione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, eædem præsentes nullæ sint eo ipso, quodque earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii Publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Præpositi Generalis Societatis prædictæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum in arce Gandolphi die XII. Octobris MDCLVII. Pontificatûs nostri Anno tertio.

605 Hactenus Breve, seu Bulla Alexandrina, ex qua in primis liquet, implendas esse quinque conditiones à volente frui hac Indulgentia. Prima est, ut obeantur exercitia spiritualia: altera ut obeantur spatio octo dierum: tertia, ut obeantur secundùm laudabilem consuetudinem Societatis: quarta, ut obeantur in aliqua Domo Societatis: quinta, ut eo tempore peragatur Confessio, & Communio.

Primam, & secundam conditionem quod attinet, cùm nomine *spiritualium Exercitiorum* intelligatur *modus quilibet examinandi propriam conscientiam: item meditandi, contemplandi, orandi secundùm mentem, & vocem* ut loquitur ipse S. Pater noster *in prima Annotatione ex viginti*, dicetur is fecisse spatio octo dierum Exercitia spiritualia, qui octo dies impenderit hisce actionibus corporis, & animi.

Tertia conditio *juxta laudabilem consuetudinem Societatis* aderit, quando in primis exercitia peragentur conformiter Regulis, documentis, materiis præscriptis à nostro S. P. nec enim viget in Societate nostra consuetudo peragendi octiduana Exercitia juxta normam, ac methodum ab Ignatiana diversam, sed conformem illi, utpote quibusdam Fidei principiis ab ipso expressis innixam, ac certis legibus, ab eo traditis adstrictam.

Sicuti autem in materiis infinitis locutio vulgaris, & lata præfertur legali, & strictæ, ut nos juris utriusque Sanctiones docent, ac Responsa, ita etiam dicetur is obire Exercitia spiritualia *juxta consuetudinem Societatis*, qui tametsi non omnia omnino præstet, quæ communis consuetudo Societatis exigit, attamen ea observat, quibus observatis dicitur vulgo quis obiisse octiduana exercitia secundùm morem Societatis laudabilem.

Quarta conditio est, ut fiant in aliqua domo Societatis. Quæ vocula est interpretanda in primis de quacunque domo, in qua ordinariè habitant aliqui de Societate, ut sunt etiam eæ, quas vocamus Residentias. Item illæ, quæ assignantur nostris Missionariis incolendæ; quidni enim in hac favorabili materia illam domum, quam vulgus appellaret Quarterium Jesuiticum, vocem domum Jesuiticam? Quod utique est extra controversiam, si ea domus incolatur vel à solis, vel præcipuè à nostris, & quidem non ad mensem, sed ad tempus indeterminatum. Idem judico de ædibus suburbanis, & prædiorum spectantium ad aliquod Collegium, solitis à nostris adiri relaxationis, aut negotiorum causa.

Quinta conditio est, ut durante illo octiduo fiat aliqua Confessio, & Communio.

Liquet deinde ex eadem Bulla, eam differre 606 ab illa, qua Paulus V. jam prius impertierat Indulgentiam facientibus Exercitia, ut jam vidimus suprà *n.* 548.

Nam 1. Paulus exigebat decem dies, Alexander est contentus octo.

2. Paulus donabat Indulgentiis solos Regulares, & quidem non omnes sed eos duntaxat, *qui de suorum superiorum licentia* obirent eadem. Alexander extendit suam gratiam ad Sæculares expressè, tacitè autem ad illos etiam Regulares, qui absque licentia suorum Superiorum vacarent huic recollectioni; etenim nec ipse, nec jus naturale, aut positivum hosce excipit. Quare si quis Monastici, aut Mendicantis instituti sectator degens, vel in Academia studiorum ergò, vel in Curiis Romana, Cæsarea, Regia ob sui Monasterii negotia, susciperet apud nos sacram æsesin, frueretur gratia Alexandrinâ, esto sciret, suum Dominum Prælatum, re forsan intellecta, sibi succensurum.

3. Paulus volebat, ut exercitans decem illos dies in Cella commoraretur, Alexander nihil habet de hac commoratione; quæ tamen ita est intelligenda, ut non excludat aliquam deambulationem in ambulacro, vel horto, factam animi levandi causâ, talis enim est aliquo modo necessaria ad se conservandum in statu apto ritè obeundis hisce Exercitiis, atque ita sentit Pellizarius in Manuali *Regular. Tract.* 8. *cap.* 5. *n.* 192. post Bordonum.

4. Paulus postulat dissertè, ut Exercitantes saltem per duas horas in diem, & noctem orationibus mentalibus sese exerceant, adeóque est contentus duabus orationum mentalium horis, easque exigit; Alexander vult, ut exercitia obeantur secundùm laudabilem consuetudinem, Societatis, quæ quidem est nunc in nostra Germania superiore talis, ut saltem tres horæ

horæ communiter impendantur orationi mentali, fortè autem viget in Hispania mos quatuor, aut quinque horarum.

5. Cùm Paulus enumerâsset pia exercitia obeunda illo decendio, expressissetque Confessionem, & Communionem, (sicut & Alexander exprimit,) subdit immediatè hæc verba: *Toties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam peccatorum Indulgentiam concedimus.* Quibus verbis videtur Paulus manifestè indicare, plenariam Indulgentiam obtingere exercitanti toties, quoties tunc aut confitetur, aut communicat, aut orat mentaliter, aut vocaliter, hunc enim sensum facit illa clausula sumpta in sensu communi, proprio, & plano, atqui ita debere sumi docent nos Canones, & Leges, præsertim si talis sensus ampliet favores, contrarius restringat, & sit simul captiosus; etenim privilegia (consequenter Indulgentiæ) non debent esse obscura, & captiosa, ut loquitur Innoc. III. *Cap. Abbate §. contra quod De Verb. signif.* Nihilominus sentio cum Pellizario *loc. cit.* per clausulam: *Quotlibet prædictorum exercitiorum* in primis non designari Confessionem, & Communionem, utpote quam Paulus non annumerat Exercitiis, sed obiri vult tempore exercitiorum. Deinde eâdem clausulâ plus non significari, quàm quòd quoties tales Religiosi faciunt Exercitia integra per decem dies, toties fiant compotes Thesauri Ecclesiastici; atqui antequam sit elapsus dies decimus exercitiorum, non potest dici quis fecisse per decem dies exercitia integra præscripta.

Fortè non reperitur in toto Bullario, aut Corpore Juris textus, in quo oporteat ita torquere, distributivam particulam; *Quilibet*, sicut ego torqueo adjiciendo ipsi genitivum pluralem collectivè sumptum, cùm tamen hæc vocula & differat à clausula *Omnis* in eo, quòd clausula *Omnis* sumatur distributivè, atque collectivè: vocula autem *quilibet* solùm distributivè. Parisius, Surdus, alii apud Barbosam Diction. 320. *n.* 2. & sit distributiva singulorum suprà positorum. Rebuffus, Tuschus, alii apud Barbos. *Ibid. n.* 5. Atqui Papa fecit suprà mentionem plurium particularium Exercitiorum spiritualium, ergo suam dispositionem intellexit distributivè de singulis, cùm præsertim & hæc particula comprehendat etiam inhabiles, & extendatur ad minima, & operetur idem, ac si essent factæ plures dispositiones, & dinumerationes. Barbosa *n.* 1, 3, 8. cum aliis Jurisconsultis.

Sed his non obstantibus adhæreo Pellizario, eâ prorsus unica de causa, quòd verear discedere à communi judicio. Reor autem, omnes, qui interrogarentur, negaturos, Pontificem voluisse pro singulis actibus Fidei, Spei, Charitatis, cæterarúmque virtutum, quas maximo numero singulis decem dierum eliciunt Exercitantes, offerre Indulgentiam plenariam; quamvis, ut verum fatear, hæc gratia considerata in concreto non foret tam magna, quàm longè plurimæ aliæ, facillimè, frequentissimè de die obtinibiles; cùm enim Exercitantes soleant committere & pauciſſima, & non nisi levia peccata, non promerentur magnas, aut longas Purgatorii pœnas, consequenter non multum ipsis remittitur, nec multum è Thesauro Ecclesiæ in eos expenditur, etsi vigesies, quadragesies de die nanciscantur plenariam perfectam expiationem pœnarum à se debitarum. Quòd si duo, vel tres viri prudentes, perpensis, quæ protuli de clausula: *Quilibet*, judicârint, esse habendam eorum rationem potiorem, quàm communis judicii de isto particulari casu, poterunt confestim me accensere suis adstipulatoribus.

Quæst. LXXXVIII. *An illi potiantur Indulgentia Alexandrinâ, qui obeunt exercitia octiduana quidem in nostris Collegiis, sed valdè imperfectè.* 607

Ratio asserendi est, quia Papa expressè, sine limitatione offert Indulgentiam, tum illis, *qui opera adeò pia* (ut sunt Exercitia) *& salutari vacaverint*; tum illis, *qui per octidui spatium ea peregerint juxta laudabilem consuetudinem Societatis*; prima locutio propriè convenit etiam imperfectè vacantibus, cùm hæc propositio: *Cajus vacavit imperfectè Exercitiis* non contineat ullam improprietatem; altera locutio continet limitationem.

At, *obéstne illa pigris, aut tepidis, ac singulariter iis, qui somno ante- aut pomeridiano plùs dant, quàm & communis ferat mos, & necessitas exigat? An illis, qui multum otio, garrulitati, prospectioni è fenestris tribuunt? Unam tantum, alterámve horam impendunt meditationi, esto ferat laudabilis mos noster, ut tribuamus ternas de die &c. Et quid si finiant, una, alteráve horâ ante finem diei octavi?*

RESP. Ad propositam generalem, atque speciales quæstiones, in primis distinguendo inter eos, qui ex desidia, aut sine rationabili causa, ideóque propriâ sponte admittunt unam, aut plures ex his imperfectionibus, & defectibus: & inter eos, qui ex consilio sui Directoris. Si ex consilio Directoris, possunt nihilominus dici fecisse exercitia secundùm laudabilem nostram consuetudinem, ut patet tum ex hujus clausulæ explicatione allata suprà *n.* 605. tum inde, quòd consuetudo Societatis innixa monitioni nostri S. Fundatoris Annot. 18. & 20. ferat, ut liceat Directori augere, vel minuere has, aut illas particulares exercitationes, prout judicaverit magis expedire suo Exercitanti; ergo dum Exercitans paret huic directioni, meditando e.g. tantùm semel per diem, facit Exercitia juxta Societatis consuetudinem, non quidem determinatè, sed

sed indeterminatè sumptam. Sin exercitans committat superiores defectus sponte. atque ex desidia, tum vel tot, totiésve committit, ut moraliter loquendo dicendus sit non fecisse Exercitia nisi quatuor, sex, septem diebus, & tunc meritò gemet, se laborâsse octo diebus, ac nihil ex Thesauro Indulgentiarum cepisse, aut non admisit tam magnos, frequentésve, quin possit nihilominus moraliter, atque in sensu tolerabili dici impendisse octo integros dies exercitiis Spiritualibus, & tunc poterit habere spem Indulgentiæ, siquidem loquendo de operibus requisitis ad lucrifaciendas tam alias plenarias, quàm particulares Indulgentias, non exigitur plus, quàm ut ita obeantur, ut moraliter loquendo possimus dicere fuisse perfecta, sicuti patet de Indulgentiis promissis audienti sacrum, recitanti piè Breviarium, comitanti Religiosè processionem &c.

At, *quid si vel primum diem Exercitiorum inchoant primum circa septimam matutinam, non faciens postea compensationem; vel inchoet summo mane, sed octavum diem finiat quinta, sextáve vespertina?*

RESP. Cùm neque Paulus V. exigens decem, neque Alexander VII. contentus octo diebus adjiciant clausulam: *integros*: & ratio nos non cogat, ut in materia tam favorabili procedamus mathematicè, sed sufficiat, si moraliter: ideo arbitror, hìc non esse habendum scrupulum. Et singulariter tunc non est habendus scrupulus, quando civis, aut Clericus venit ad Collegium Vesperi, duabus e.g. horis ante cœnam, ac statim post Adventum tractat cum Directore de faciendis tempore Exercitiorum, cœnátque privatim, & cubat in Collegio, tunc enim censetur jam inchoâsse Exercitia, & proinde poterit die octavo absque metu excidendi Indulgentiâ redire domum unâ, alteráve horâ ante cœnam, sicuti re ipsa, dum hæc commentabar, processi cum duobus Sacerdotibus curæ meæ commissis. At quid respondendum ad hanc

608 Quæst. LXXXIX. *Utrùm liceat sine dispendio Indulgentiæ interrumpere jam inchoata Exercitia, ac postea implere dies, qui deerant?*

Propono hanc quæstionem ob casum, qui mihi contigit Anno 1668. Cùm enim cuidam insigni Curioni darem, ut loqui solemus, Exercitia, debuit quarto illorum inceptorum die redire in ædes suas, parare concionem funebrem, ducere funus, & universim huic rei tribuere duos dimidios unumq; integrum diem. Quæsiit ergo: *An, si primis tribus diebus & dimidio rite impensis, adderet mox perfecto labore necessario quinos alios dies, etiam intra septa Collegii, esset compos futurus gratiæ decennio antè oblatæ ab Alexandro VII?*

Respondi ego non sine plurium Collegialium approbatione affirmativè, tum quia Poenitex non exprimit clausulam *continues*, tum quia licèt haud dubiè subaudiat, ac proinde per se loquendo exigatur ad Indulgentiam continuitas dierum, sicuti declarat Societatis mos, nixus optima ratione petita ex majore energia actionum continuatarum, quàm identidem interruptarum; attamen sicuti fas est persæpe in legibus ipsis sine earum injuria uti epiikia, ita etiam in hoc indulto gratioso. Cùm enim nôrit Pontifex, dies octo esse subjectos tot casibus, ut oporteat eos quandoque interrumpere, non est credibile, quòd velit suam gratiam ita strictè alligare continuationi physicæ, ut quando jam est ad quartum, quintúmve diem perventum cum spe Indulgentiæ, non liceat ob gravissimam causam interrumpere sine vel metu perdendi Indulgentiam, vel animo repetendi ab ovo. Mutatâ igitur phrasi Celsi ICti dico: *Indultum Alexandrinum benigniùs interpretandum est, quo ejus voluntas servetur*, adeóque plures ad sacram hanc solitudinem efficaciter alliciantur. Faciunt huc notata per DD. in Leg. *Quidquid ff. De Reg. Iur.* Ibi. *In brevi reversa &c.* & quod Baldus scripsit in *L.* 1. *C. De Serv. fugit.* quòd pœna statuta in fugientes è carcere, non teneat brevi reversos in eum; est autem Cella Exercitantium carcer voluntarius. Denique brevi reversurus habetur pro jam reverso. Hippol. *Consil.* 10. *Volum.* 1. ubi plura in hanc rem. Si tamen reditus ad jam cœptam anachoresin fieret duabus hebdomadibus pòst, summoperè timerem, ne esset nimis serus, quia vis actionum elicitarum primo triduo vix influeret in actiones posteriores; nec tali suffragarentur DD. nunc primùm citati.

Posset insuper hìc quæri: *An quoniam ab Annis jam 50. 60. cœperunt laudabilissimè, & ad rabiem Luciferi in permultis Monasteriis diversorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium obiri Annua Exercitia spiritualia, ex norma nostri S. Patris, imò aliquibus etiam externis dari, an tam Religiosi, quàm Sæculares possint solari se spe consequendæ Indulgentiæ Alexandrinæ, si fortè gaudeant (ut gaudent omnes Ordines Mendicantes, & Benedictini Congregationis Helveticæ) participatione Indulgentiarum?* 609

Dixi: *Ex norma nostri S. Patris*; est quippe evidens, hanc conditionem esse in sua individua forma substantialem. Ratio asserendi potest hæc esse, quòd Indulgentiæ concessæ visitantibus nostras Ecclesias obtingant communiter Mendicantibus, visitantibus suasmet, persæpe etiam Sæcularibus, ut retulimus ex P. Quintana devenna suprà *Cap.* 217. *n.* 557. *sigitur nomine nostrarum Ecclesiarum veniunt tunc etiam Ecclesiæ aliorum Mendicantium, cur non & nomine nostrarum Domorum, illorum quoque domus?*

Fateor,

Fateor, hanc rationem non esse apertè futilem, æstimo tamen, non esse solidam in concreto. Causam meæ æstimationis non promo, ne fortassis irritem alicubi crabrones. Securiùs noto, quandoquidem Pontifex non exposcit pro hoc spirituali lucro alias conditiones quàm expressas suprà *n.*605. hoc ipsum lucrum obvenire exercitanti ultimo momento suorum Exercitiorum, esto nullam precationem fundat in hunc finem, imò nec etiam si nesciverit offerri sibi hoc divinum munus, nec intenderit expressè illud oblatum admittere, sicuti deducitur ex dictis prima part. hujus Tract. c. 14.

610 Porrò quia in Bulla Alexandri VII. ut vidimus *n.*604. & in plurimis aliis fit mentio Notarii, ac Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, observo inprimis, Notarios, (qui à conficiendis notis habent nomen, teste Rebuffo *in Leg.* 9. *ff. De Verb. signif.*) esse, qui à legitimo Magistratu jus habent conficiendi publica, & authenticam authoritatem obtinentia instrumenta, seu scripturas. Quales quidem Notarios creandi jure gaudet quivis Jurisdictionem obtinens seu in foro civili, seu Ecclesiastico, ut observat inter cæteros Quintanadvennas, in Appendic. *Tract.* 3. *dub.* 6. *n.* 2. meritò subdens *n.* 4. quando Bullæ Pontificiæ ad fidem faciendam requirunt subscriptionem Notarii publici, sufficere, si subscribat Notarius creatus à Magistratu civili, nec enim ratio suppetit, cur verba Pontificum, generaliter loquentia de Notario, non intelligamus generaliter, & cur jure non distinguente distinguamus, cùm præsertim Bulla Alexandri, atque aliæ communiter utantur clausula *alicujus*, quæ clausula, seu dictio est universalis, & comprehendit omnem speciem. Barbosa *in Dict.* 22. *n.* 1. omnésque personas absque distinctione. Idem *Ibid. n.* 8. adeò, ut licet ponatur in genere masculino, attamen extendatur ad feminas. Idem *n.* 10. citans pro hisce tribus enuntiationibus multos authores. Et utique non est necesse, ut Bulla, quæ publicatur pro urbe e.g. Constantiensi, subscripta sit à Notario, quem approbârit Magistratus Ecclesiasticus, aut Civilis hujus urbis, sufficit esse legitimè approbatum, seu creatum à quocunque denique Magistratu, etenim Papa admittit ad talem quemlibet verum Notarium, ut patet ex litera, deducitúrque ex significatione voculæ *alicujus* paulò antè expressæ; traditque Quintanadvenn. *loc. cit. n.* 5. subdens *n.* 6. non solùm vulgò dictos Notarios, sed etiam Secretarios dignitatis Episcopalis, vel alicujus Religionis sufficere ad subscriptionem authenticam ejusmodi indultorum. Quare cùm Socii Reverendorum Patrum Provincialium in diversis Religiosis Ordinibus soleant esse, & vocari Secretarii, sufficiet huc eorum Chirographum, nos tamen in hac Provincia habemus delectum.

At per personas in dignitate Ecclesiastica 611
constitutas, quarum sigilli appressionem præter publici Notarii subscriptionem exigit Bulla Alexandrina, omnésque aliæ hujus argumenti, intelliguntur eæ, quas Doctores differentes de materia beneficiorum Ecclesiasticorum, dicunt habere propriè dignitatem, notantes, dignitatem Ecclesiasticam esse propriè spiritualem præeminentiam cum jurisdictione; ut inter Theologos observat Joannes Azor *Institut. Moral. Tom.* 2. *Lib.* 3. *cap.* 13. *q.* 7. inter Jureconsultos Rebuffus in *L.* 125. *De Verb. signif.* Unde infert Azor *loc. cit.* Abbates, Priores, Guardianos, Rectores esse prædictos vera dignitate Ecclesiastica, adeóque esse posse Conservatores Apostolicos, & delegatos judices Causarum Ecclesiasticarum, sicuti etiam esse possunt illi, qui in aliqua Ecclesia nomine, quod dignitatem sonat, decorati existunt, aut qui ex consuetudine pro personis in dignitate Ecclesiastica constitutis habentur, licèt careant administratione, & jurisdictione, nam in his plus attenditur consuetudo, quàm jus commune. Ita Confetius *De Privileg. Regul. Part.* 2. *cap.* 5. Quare hi omnes & propriè sunt Prælati, ut ostendimus in Tract. præced. seu de Jubileo Quintuplici *cap.* 11. & possunt authenticè munire diplomata exigentia sigillum personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, ut docet etiam Quintanadvenn. *cit. Tract.* 3. *dub.* 7. eruditè, ut solet, disserens de præsenti materia sigillationis, & attribuens hanc authoritatem etiam Vice-Guardianis, Vice-Rectoribus, at non nisi cum integro officio gerentibus Vices Guardianorum, Rectorum &c. quemadmodum ex instituto explicavi Tomo priore, seu in *Experientiis Tract.* 7. *num.* 713. & 715.

CAPVT XXXIII.

De Indulgentiis Congregationum Sacratissimi Rosarii, & Virginis Annuntiatæ.

SUMMARIUM.

Cur conjungantur hæ duæ Congregationes? 612.
Recensentur capita, in quibus ratione Indulgentiarum præcipuè conveniunt hæ duæ Confraternitates. Ibid. & seqq.
Quoties possint per Annum obtinere Indulgentiam plenariam Confratres alterutrius Congregationis? Ibid.
Neutrius Congregationis membra peccant non observando statuta. 613.
Gaudent communicatione bonorum operum, & Indulgentiarum. 614.
Differunt autem illæ duæ Confraternitates tum in ratione operis exequendi pro obtinendis Indulgentiis in decursu vitæ. 615.
Tum pro obtinenda plenaria in agone. 616.
Neutrius Congregationis Indulgentiæ videntur posse applicari defunctis. 617.

612 HAsce binas Indulgentias copulo hoc Capite, quia duas illas Religiones, à quarum zelo, & industria pendet earum initium, & conservatio, singulari omnino Religiosæ charitatis nexu author pacis, & charitatis Deus conjungi voluit, scilicet Sanctissimam Religionem Patrum Prædicatorum, & Minimam Societatem JESU. Est igitur hic expedienda.

Quæst. XC. *In quibus præcipuè capitibus conveniunt hæ duæ Congregationes, quoad materiam Indulgentiarum?*

RESP. Conveniunt in sequentibus. I. In eo, quòd utriusque Congregationis Indulgentiæ sint plurimæ, máximæ; nam præterquam quòd singuli alterutri inscripti, possint die suæ in Confraternitatem, seu Congregationem, & Sodalitatem receptionis, itémque in articulo mortis, plenariam Indulgentiam consequi, lucrantur insuper Indulgentias omnium Stationum Urbis Romæ per totum Annum. Unde fit, ut intra Anni circulum possint singuli Sodales, plus trecenties sexagies plenariam (probabili nonnullorum opinione indicata suprà *n.* 240.) Indulgentiam consequi, & sedecim animas purgatorio liberare, ut deprehendet, qui in calculos reduxerit ea, quæ de Indulgentia Stationum recitavi in prima editione hujus libri ex Rodriq. in fine hujus opusculi. Unde qui utrique Congregationi nomen dedit, sicuti dant infiniti propemodum mortales, potest Anni spatio 32. animas flammis expiatoriis eripere; imò plures, si verum est id, quod Rheita in fascic. Indulg. docet *dub.* 2. scilicet omnes Indulgentias Stationum posse applicari defunctis: & id quod ex probabili Cordubæ, & Henriquezii opinione significavi *n.* 212. Adde his multos milliones Annorum, quos ratione earundem Stationum lucratur quis annuatim. Hunc calculum fecèram ante toties memoratum Decretum Congregationis Indulgentiarum; nunc autem aliud sentio propter tantoperè imminutum numerum dierum, quibus possunt lucrifieri Indulgentiæ Stationum, de qua imminutione infrà *n.* 709. ubi refero illud Decretum.

613 II. Conveniunt in eo, quòd neutrius Congregationis Clientes, omittendo ea, quæ in eorum statutis præscribuntur, propriè peccent. Sicuti autem Confrater Rosarii omittens recitationem Rosarii, privatur quidem Indulgentiis, quæ recitantibus Rosarium conceduntur, non tamen Stationum, & aliis ejusmodi; ita etiam Sodalis Annuntiatæ, quando negligit conventum, non acquirit Indulgentiam frequentantibus Conventum promissam, non tamen idcirco mox aliis Indulgentiis excidit.

III. Conveniunt in eo, quòd sit inter utriusque Congregationis respective membra communicatio bonorum operum, & meritorum, ut de Congregatione Rosarii refert Navar. *De Orat. Miscell.* 11. *aliàs* 27. & de Congregatione Annuntiatæ habetur in ejus Regula 12. Equidem cùm eadem sit membrorum, & capitis vita, sensúsque; fit, ut omnes Germaniæ v. g. Sodales gaudeant communione bonorum operum, precum, Sacrificiorum, quibus Romana Congregatio, utpote caput, & origo omnium, & cui omnes unitæ sunt. Gaudet autem illa meritis omnium Sodalitatum toto orbe sparsarum, ut testatur Author Manualis Sodalitatis *c.* 2. *p.* 2. ergo etiam eadem merita, quæ certè sunt magna, participant singuli Sodales. Vide, quæ de communicatione bonorum operum à Religioso fieri solita dixi *p.* 1. *cap.* 9. Vide etiam Navarrum *loc. cit.* 614

Quæst. XCI. *In quibusnam potissimùm, quoad præsentem materiam, differunt istæ duæ Congregationes?* 615

RESP. In his quatuor. I. Quòd, ut quis Annuntiatæ adscriptus acquirat Indulgentias Stationum, debeat solùm orare 7. Pater & Ave in aliquo Societatis JESU templo; aut si in loco, in quo quis commoratur, vel peregrinatur, non adsit tale templum, sufficit, modò illas preces fundat in aliquo templo, vel Sacello. At verò Confratres Rosarii debent pro iisdem visitare quinque Altaria, si adsint; & in singulis visitationibus quinquè Altarium recitare quinquies Pater, & Ave, ut refert Navarr. *De Orat. Miscell.* 27. *n.* 36. aliàs *Miscell.* 16. At aliunde mihi scribitur, sufficere ex indulto B. Bii V. ut ante Altare Rosarii recitentur 5. Pater & Ave.

II. Quòd Indulgentiam pro articulo mor- 616
tis non lucrentur Confratres Rosarii, nisi confessi, & sacro Viatico refecti; ut idem Ibidem refert, ex Bulla B. Pii V. cùm tamen Sodales Annuntiatæ etiam sine Confessione, aut sacro Viatico morientes (modò in gratia Dei decedant) illam obtineant; nam horum Sacramentorum pro Indulgentia mentionem non facit Gregorius XIII. in Bulla erectionis. Quamquam credendum est, sicut confessio, & communio in voto sufficit ad obtinendam in articulo mortis Indulgentiam plenariam Pauli V. Gregorii XV. & Urbani VIII. secundùm superiùs dicta, ita etiam sufficere ad obtinendam Confraternitatis Rosarii. Vide, quod ex Rodriq. referam *n.* 830. Et quia religiosissimus Navarrus *est. Miscell.* 27. *aliàs* 18. *sub finem*, tanti facit illam Indulgentiam pro articulo mortis, ut meritò asseruerit, ob eam solam esse

intrandam, & suscipiendam Confraternitatem Rosarii, facilè judicabis, quid de Congregatione Annuntiatæ Virginis censendum putaverit vir tantus.

617 III. Quòd Indulgentiæ Congreg. Rosarii sint ampliores iis, quas habet Congreg. Annuntiatæ, nec immeritò gaudet amplioribus, cùm antiquitate longè præcellat. Porrò an Indulgentiæ hujus utriusque Congregationis possint animabus purgatorii applicari? Nondum authenticè comperi: quamvis de Indulgentiis Annuntiatæ asserat quidam Germanicus Compilator Stationum. Ego nec in Bulla Gregorii XIII, nec in ipsis legibus Sodalitatis quidquam de hac applicatione invenio: quare magis inclino, ut negem, quàm ut asseram, posse applicari, propter doctrinam traditam *n.* 264. Idem censeo de Indulgentiis Rosarii, quandoquidem Lezana *cit. c.* 15, illas ex variis Bullis enumerans nil dicit de ejusmodi applicatione, sicuti nec Navarrus. At mutabo lubens mentem, si docear, quæ ignoro.

IV. Quòd communio menstrua debeat à Confratribus Rosarii obiri in aliqua Ecclesia PP. Prædicatorum, quemadmodum post alteram evulgationem hujus Tractatus comperi haberi in Bullario PP. Prædicatorum edito Romæ Anno 1668. ubi licèt sit expressus sermo de Solis Provinciis Romana & Lombardia, attamen ajunt PP. Dominicani (quod credo propter tum eorum authoritatem, tum generalem doctrinam allatam suprà *cap.* 14. *n.* 575.) gratias uni ex eorum Ecclesiis concessas extendi ad reliquas sui sacri instituti.

CAPVT XXXIV.

De Indulgentia pro articulo mortis.

SUMMARIUM.

Articulus mortis alius est verus, alius præsumptus. 618.
Indulgentia pro articulo mortis debet quandoque, non tamen semper applicari per Confessarium. 619.
Differentia quoad articulum intercedit, quando applicas tibi ipsi, & quando applicat tibi Confessarius. 620.
Quoties possit obtineri Indulgentia pro articulo mortis? 621.
Et singulariter à Cistercien sibus? *Ibid.*
Indulgentia applicabilis per Confessarium applicari potest etiam sensibus destituto, & qui non petiit. 622.
Nec est opus certis verbis; sufficit sola voluntas Confessarii indicata signo externo. 623.
Peculiare quid de instructis Bullæ Cruciatæ. 624.
Quid si Confrater Rosarii, aut Annuntiatæ nihil cogitet, aut cogitârit de Indulgentia pro mortis articulo? 625.
Per Confessorem intelligitur in Bullis etiam ille, qui præditus est jurisdictione, esto non excipiat reipsa Confessionem moribundi. 626.
An quivis Clericus possit applicare agonizanti Indulgentiam, quam potest quivis Confessarius? *Ibid.*
An etiam absens Confessarius possit impertiri Indulgentiam moribundo? 627.
Consilium Navarri pro habente plures res, habentes annexam Indulgentiam pro articulo mortis. 628.
Confessio, & Communio in voto sufficit pro agonizantibus, esto Bulla loquatur de Confessis, & sacra communione refectis. 630.

Quæst. XCII. *Quænam de Indulgentiis pro articulo mortis tradunt Scriptores.* 618

RESP. Sequentia. I. Articulus mortis alius est verus, quem scilicet mors reipsa est mox exceptura: alius præsumptus, quem mors probabiliter, falsò tamen secutura putatur.

II. Articulum mortis, à mortis periculo distinguunt alii. Alii cum Cardin. de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 18. *n.* 22. rectiùs putant, Pontifices non facere ullum inter hæc duo discrimen.

III. Indulgentia pro articulo mortis, debet 619
quandoque actu ipso applicari per Confessarium, ut de Bullæ Cruciatæ Indulgentia supponit Diana *Part.* 1. *Tract.* 11. *Resol.* 6. quandoque per intentionem constituti in articulo mortis: & universim censetur non esse opus interventu Confessarii, quando in formula Indulgentiarum non fit expressa illius mentio: nam Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. Et quia in Indulgentiis Quinque SS. S. Caroli, Urbani VIII. Serenissimi Ducis Guilielmi, Congregationis Annuntiatæ, Alexandri VII. Clem. IX. non dicitur quidquam de Confessario, ideo pro his consequendis non est opus operâ Confessarii.

IV. Indulgentiam, quam tibi ipsi applica- 620
re potes, applicabis validè in solo vero mortis articulo, quia videtur esse mens concedentis tunc Indulgentiam, ut infirmus decedat ex hac vita, absque onere luendi pœnas in purgatorio; huic autem intentioni satisfit communiter in solo vero mortis articulo. Ita Bonacina de Sacram. *disp.* 6. *q.* 1. *p.* 8. *num.* 12. non improbabiliter dissentiente Escobar *num.* 51. eò quòd propositio indefinita æquivaleat universali. Bartol. in *L. Omnes populi*, *ff. de Iust. & Iur.* Quem quidem articulum aliqui ita explicant, ut dicant, Religiosum v. g aut Sodalem B. Virginis Indulgentiam, de qua jam diserimus, consequi in eo instanti, in quo est ita defectus viribus, ut mortem naturaliter evitare non possit. Alii autem in eo instanti, in quo desinit, eò quòd videatur tunc impleta conditio, & anima sit capax Indulgentiæ, licèt non sit capax (secundùm ordinariam Dei legem) primæ gratiæ. Bonacina *p.* 5. *n.* 12.

621 V. Indulgentiam, quam alterius operâ percipere debes, toties validè percipies, quoties erit probabile mortis periculum, ut v. g. quando Medici dicunt, te esse disponendum ad Confessionem. Nam si oporteret expectare verum mortis articulum, nimis sæpe fieret, ut Indulgentia hæc nulli conferri posset, cùm persæpe ignoretur mortis inevitabile periculum. Confirmatur ex multis Bullis apud Cherubinum, ac Rodriq. & nominatim ex Bulla 20. Pauli III. in qua hæc doctrina clarè exprimitur; quam etiam tradunt Bonacina de Sacram. *disp.* 6. *q.* 1. *Punct.* 8. *num.* 12. Reginaldus *Lib.* 7. *n.* 156. post alios. Quamquam testatur Diana *Part.* 1. *Tract.* 11. *Resol.* 156. Commissarium Bullæ Cruciatæ jubere, ut Confessarius Indulgentiam Cruciatæ, moribundo applicet hoc modo: *Si verè mortem obieris, impertio tibi Indulgentiam Bullæ, alioqui servet tibi Deus hanc Indulgentiam ad instans mortis?*

At verò Sixtus IV. referente Domino Bernardino Abbate Lucellensi, seu Lucifellensi in toties nominata Epitome Fastorum Lucellensium *fol.* 83. indulget, *ut omnibus personis Regularibus utriusque Sexus Ordinis Cistertiensis, atque etiam Novitiis, Conversis, Donatis, Familiaribus, continuis Commensalibus, Oeconomis, Procuratoribus, Confessor de Ordine, quem quilibet elegerit in mortis articulo, omnium peccatorum, confuratarum, ac pœnarum absolutionem, & plenariam remissionem, ac Sanctissimum Iubileum conferre possit. Et si mors tunc non sequatur, nihilominus absoluti maneant, ac plena remissio, & Iubileum hujusmodi, in vero mortis articulo, iterum impendi queat.* Ita ille Reverendissimus Dominus Præsul. Quæ observanda sunt singulariter Ordinibus Mendicantibus, nec enim dubium est, quin hæc gratia quoque ipsis communicata sit.

622 VI. Potest verò Indulgentia à Confessario impertiri homini sensibus omnibus destituto, non modò si petivit Confessarium, ut fatentur communiter Doctores, sed etiam si non petivit. Diana *cit. Tract.* 11. *Resol.* 108. post Navarr. *Not.* 30. *n.* 12. contra Filliucium *Tract.* 8. *num.* 223. Ratio est, quia potest nihilominus fieri, ut ejusmodi moribundo prosit integre Indulgentia.

623 VII. Opus non est ullâ certâ verborum formulâ uti, sed sufficit voluntas applicandi Indulgentias, modò exprimatur ea aliquo signo externo. Reginaldus *num.* 153. ex communi. Et hanc voluntatem sufficienter exprimit Sacerdos, dum pronuntiat formulam absolutionis, cum intentione absolvendi, in quantum & quocunque titulo potest, etsi neque ipse, neque æger quicquam sciant de Indulgentia. Filliuc. *Tract.* 8. *num.* 124. Reginald. *loc. cit.* post Suar. & Navarr. testans esse communem; & meritò extendens ad absolutionem ab excommunicatione. Quid verò pe- 624
culiare hac in re habeat Bulla Cruciatæ, paulò antè insinuavi ex Diana. Et observat Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 56. *sect.* 1. *n.* 5. etsi in Bullis Cruciatæ soleant longissimæ formulæ apponi, ex omnium tamen Doctorum sensu, non esse necesse omnes illas proferre, nec ordinariè à Pontifice poni, sed à Commissariis, qui Bullas transcribunt magis ad instructionem, & compendiosam narrationem omnium gratiarum, quàm ad usum absolutionis; consultum tamen est dicere: *Concedo tibi talem, aut talem Indulgentiam*; nequaquam tamen necessum, ut dicatur: *authoritate Sedis Apostolicæ mihi concessa, concedo tibi talem aut talem remissionem*, ut tamen voluerunt S. Antoninus, Felinus, Silvester, meritò refutati à Suar. *loc. cit.*

VIII. Quin imò, etsi Confrater Rosarii, 625
Sodalis Annuntiatæ, aut habens numisma S. Caroli, Quinque SS. Urbani VIII. Clementis IX. & X. &c. non cogitet in morbo de applicanda sibi Indulgentia plenaria, eam tamen, si reliquæ conditiones non deficiant, consequitur, quia utique quivis habet vel virtualem, vel saltem interpretativam, & habitualem intentionem, seipsum spiritualiter, quoad potest in illa extrema necessitate juvandi: quemadmodum varii Doctores observant, dum agunt de Eucharistiâ, & extremâ Unctione dandis moribundo sensibus destituto. Et cùm Indulgentiæ tantùm valeant, quantum sonant, non autem sonent, nec indicent necessitatem expressæ applicationis, frustra illam requires.

IX. Quando in formula Indulgentiæ poni- 626
tur, Indulgentiam plenariam esse pro articulo mortis impertiendam à Confessore, existimant Suarez *disp.* 55. *sect.* 6. *n.* 4. intelligi Confessorem actu, seu illum, qui moribundi Confessionem audit. Addit tamen, esse etiam probabile, quòd quivis, qui in tali articulo absolvere potest, possit etiam impertiri prædictam Indulgentiam, esto ei non confiteatur æger. Quæ postrema doctrina est probabilissima, præsertim cùm Navarr. *De Indulg. Not.* 30. *n.* 9. testetur omnes Doctores secum docere, quòd in prædicto casu possit deficiente Sacerdote quivis Clericus impertiri Indulgentiam, sicut & absolutionem ab excommunicatione. Quod etiam sentit Diana *Part.* 5. *Tr.* 12. *Resol.* 46. citans Valer. & Trullenck, & addens:

Hanc sententiam me consulente & impellente, ne timeant in praxin deducere non solùm Clerici consurati, sed etiam laici, si Sacerdos tamen non adsit. Verùm hanc sententiam non sine ratione rejiciunt Suar. *cit. sect. 6. n. 4.* Lugo *Tom. 3. disp. 27. n. 137.* tum quia nomine Confessoris, seu Confessarii, non potest ullo modo intelligi laicus, tum quia est contra jus commune, nam jus commune non permittit laico jurisdictionem spiritualem, *quæ autem à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentia sunt trahenda. Reg. 28. in 6.*

627 X. Illud credibilius est, quod tradit ibidem Diana, post Trullenck, quòd scilicet Sacerdos, qui alicui extremam unctionem impertivit, oblitus tamen est impertire Indulgentiam, quam æger mediante Confessario accipere debebat, possit etiam absens, cùm nequeat ampliùs illum invisere, ægro dare illam eandem Indulgentiam, cùm etiam absolutio à censurâ possit dari absenti.

628 XI. Suadet Navarrus *cit. Not. 30. n. 17. & 18.* ut qui habet plures Indulgentias per Confessarium applicandas, curet unam illarum applicari statim, cùm ad præsumptum mortis articulum venerit: alteram cùm jam efflare animam putat, *ne, dum ultimæ vitæ spiritus exspectatur, subitò, antequam putabatur, moriens omnia lucrifacere volens, omnia perdat.* Quòd si quis unam tantùm ejusmodi Indulgentiam habeat, suadet optimus hic senex, ut tempore extremæ Unctionis utatur.

629 XII. Suaderem & ego, ut si Confessarius, aut alius moribundo assistens intelligat, eum non habere ullum titulum, quo debeatur ei Indulgentia plenaria, commodet ipsi Numisma, Rosarium, aut aliquid affectum Indulgentiis Quinque Sanctorum, aut S. Caroli, Urbani VIII. vel similibus, dètque osculandum, nisi obstaret Bulla revocatoria Alexandri VII. & Clementis IX.

630 XIII. Quando ad lucrandam Indulgentiam pro articulo Mortis requiritur Confessio, & Communio, sufficit utraque in voto, si non possit quis reipsa confiteri, & communicare. Rodriquez *q. 88. a. 2.* testans ex Veracrucio Gregorium XIII. ita statuisse; & quidem pro
631 omni Indulgentia plenaria. Et verò pleræque Indulgentiarum formulæ, ex hactenus allatis, expressè dicunt, si quis in mortis articulo non possit confiteri, aut communicare, eum nihilominus potiri Indulgentiâ, modò sit contritus, ut nominatim videre est in Indulgentia Pauli V. Gregorii XV. Urbani VIII.

632 Addo his ex Tract. præced. de Jubileo, Cap. 9. Append. I. Indulgentiam pro articulo mortis minimè fuisse Anno 1675. suspensam. Cæterùm qui plura volet de hac Indulgentia, consulat vel P. Quintanadvenn. in Append. *Tract. 9.* per totum, vel P. Dicastillo *Tom. 2. in 3. p.* seu *De Pœnit. Tract. 9. disp. 2. dub. 23.*

Appendix Constantiensis.

Sanctissimus Dominus noster Clemens X. Anno 1673. Reverendissimo & Illustrissimo Episcopo Constantiensi supplicanti pro facultate sibi, & suo Vicario *a.* in spiritualibus ge- a
nerali impertienda in Ordine ad muniendos agonizantes, suæ Metropolis, & Diœcesis Constantiensis benedictione Apostolica & Indulgentia plenaria, dedit per Dominum Sluisium Expeditorem Brevium hoc Rescriptum: *Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo Constantiensi. Desiderium Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationis Vestræ, quo benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria agonizantibus b. istius civitatis & Diœcesis Con-* b
stantiensis concedendi tenetur, exposuit Sanctissimo Domino nostro, qui benignè annuit, ut Illustrissima Dominatio Vestra ad triennium proximum, benedictionem & Indulgentiam hujusmodi agonizantibus c. civitatis & Diœcesis præ- c
dictarum d. Apostolica authoritate concedat. Vbi d
verò præcisa necessitas exegerit, & instans mortis tempore eidem permittat, ut alicui Sacerdoti pio per vestram Illustrissimam Dominationem e. e
eligendo qualibet vice: quoad Moniales verò, illarum Confessario facultatem similem communicare valeat. Romæ &c.

Circa hoc Rescriptum fuêre mihi itidem f
scripto proposita à viro primæ dignitatis sex dubia sequentia.

Primum: An Episcopus omnibus Parochis locorum hanc facultatem generaliter pro omnibus casibus contingentibus communicare possit? ut quidam existimârunt ob rationem, quòd alias paucis hæc gratia, in tam ampla Diœcesi prodesset, si ipsemet Episcopus tantùm in persona agonizantibus dare posset.

Secundum dubium: An Episcopus concedens g
Indulgentiam debeat esse præsens agonizanti, vel sufficiat ipsum de agone certiorari, & consentire ut percipiat Indulgentiam?

Tertium: Quæ sit ista præcisa necessitas, in qua h
Episcopus possit alicui pio Sacerdoti committere illam facultatem?

Quartum dubium: Vtrùm tantùm de die, an etiam noctis tempore in præcisa necessitate committere possit alii Sacerdoti facultatem?

Quintum: Vtrùm ad omnes casus præcisæ necessitatis aliquem substituere possit generaliter, vel requiratur specifica cognitio in singulis contingentibus casibus.

Sextum: Vtrùm etiam quoad Moniales non sufficiat generatim Confessariis illarum deputatio, sed in omni casu contingente requiratur etiam specifica.

His terminis proposita mihi fuêre illa du- i
bia,

bia, quæ ordine resolvam, meriturus si cubi erravero, facilius idcirco veniam, quòd neminem unum repererim, qui quidquam scripserit in ordine ad hujusmodi Brevia, tametsi usitata in Ecclesia præsertim per Italiam.

k Suppono autem pro fundamentali resolutione aliquorum ex iis sex dubiis, hoc Breve cùm sit expeditum ad instantiam Episcopi, esse utique in ejus aliquem favorem expeditum, præcipuè tamen seu primariò in favorem agonizantium, tum quia profitetur ipse Illustrissimus Orator se illam gratiam, quam sibi postulat, petere pro agonizantibus, tum quia sicuti in Legibus & Canonibus interpretandis sequi debemus meliorem, subtiliorémque rationem Cap. *Capellanus* de Fer. ibi: *Meliore & subtiliore ratione*, ita etiam censere primariam intentionem, quæ inducit Pontifices, esse eam, quæ fulcitur meliore ratione, cùm ratio Legis præcipua sit anima Legis. *L. Cùm ratio. ff. De bon. damnat.* ideóque eadem ratio ampliat & restrinxit Legis dispositionem tanquam ejus anima. Surdus *De aliment. Titul. 1. quæst. 44.* Barbos. *Axiomat. 197. n. 2.* & quoad fieri potest, in omnibus observatur, Prateus *De Reg. Iur. Lib. 2. cap. 2. n. 1.*

l Est autem multò rationabilius, ut Pontifex faveat, quoad potest agonizantibus, pro quibus supplicatur, quàm supplicanti; estq; multò dignius supremo Christianorum Pastore, ut suis oviculis in extremo periculo versantibus, quàm commoditati Episcopi supplicantis gratificetur; siquidem vel maximè, & ad literam, tunc
m locum obtinet illud à me ipso frequenter usurpatum effatum, quod Gregorius X. *Cap. 3. De Electione in 6.* expressit his verbis: *Vbi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum.*

n Suppono 2. hunc tamen favorem agonizantium non esse extendendum ultra aut contra proprietatem, usúmve communem verborum, quibus est conceptum Breve. Ratio est, quia omnia Rescripta, tam Gratiæ, quàm Justitiæ sunt propriè, aut secundùm usum communem intelligenda, nisi inde sequatur, absurdum quid, aut incommodum improvisum. Doctores in Reg. *Non aliter De Legat. 3. & L. Non dubium. ff. De Legibus.*

o Hisce suppositis respondeo ad primum dubium, salvo illius Domini aliter sentientis judicio, non posse fieri tam amplam communicationem. Primò, quia clausula: *Vbi verò* posita in Brevi *lit. d.* est adversativa in jure & facto. Bartolus in *L. Hoc amplius §. De his autem ff. De damno infecto.* Et quidem ita adversativa præcedentis, ut simul eam repetat, retenta eadem qualitate. Cardinalis Tuschus *lit. D. Conclus. 240.* cum aliis communiter; atqui in ea sit expressa potestas substituendi Vicarium, ergo ea non fuit facta in §. *Lit. c.* alioqui non adversaretur huic præsenti. 2. Quia in eodem Brevi §. ad *lit. e.* fuit expressa restrictio ad communicationem faciendam pro qualibet seorsim vice, ut explicabitur in responso ad quintum dubium. 3. Clausula *per seipsum* adversatur illi tam largæ interpretationi mentis Pontificiæ, sicuti declarabitur in resolutione dubii secundi. 4. Narratur in specie facti, fuisse supplicatum p
pro ipso quoque Vicario Generali, & tamen in Rescripto nulla fit hujus mentio; igitur nec ei est concessa, sed omissum debet hic haberi pro omisso, per doctrinam Capituli: *Nónne. De Præsumpt.* & ibi not. Si negata est Vicario, quis credat posse ab Episcopo impertiri omnibus & singulis Parochis? Cur si singulis Parochis pro suis Parochiis, non etiam singulis Decanis, pro suo toto Decanatu? Aut Archipresbytero pro suo toto districtu? Quidni ipsi Vicario pro tertia aut quarta parte Episcopatûs?

Nec allata in contrarium ratio satis probat q
illam tantam liberalitatem, quia inauditum est in jure validè fieri ex præsumpta mente Principis extensionem gratiæ cum contradictione, siquidem contrarietas ubique evitanda est. Maranta *in speculo p. 3. n. 112.* & DD. *in L. Præcipimus. Cod. De Appellat.* Quamvis igitur superiùs *lit. l.* probaverim esse in hoc Brevi habendam præcipuam agonizantium rationem, id tamen est necessariò restringendum ad casus non involventes contradictionem.

Ad secundum dubium: Tametsi quotidia- r
na praxis Prælatorum impertientium dispensationes, absolutiones à censuris, & ipsasmet Indulgentias, evidenter demonstret, non exigi generatim ad harum valorem, ut hæ fiant à Prælato habente in sua præsentia illum, cui vult aliquod hujusmodi beneficiorum largiri, attamen credo, Episcopum ordinariè, seu extra præcisam necessitatem, (de qua ad dubium quartum,) nihil acturum, nisi sit præsens agonizanti. Ducor primò, quia nulla clausula de- s
bet esse frustra, sed aliquid operari, ut fexcenties repetunt Jureconsulti à nobis alibi relati, adeò ut potiùs improprietas, quàm superfluitas admittenda sit. Rolandus à Valle *Lib. 3. Consil. 61. & 62.* in specie facti, singulariter in tam succinctis Brevibus, foret autem clausula de jure subdelegandi frustranea, & superflua, si jam esset manifestè intellecta in priore §. Est autem manifestè intellecta in eo, si nunquam exigitur præsentia Episcopi.

Neque dicas, in §. sub *lit. c.* concedi Epi- t
scopo, ut extra necessitatem valeat infirmo absenti Benedictionem & Indulgentiam dare per aliquem non tanquam Vicarium seu substitutum, & delegatum, sed duntaxat tanquam per merum nuntium indicantem, seu referen-

tem, Episcopum impertiri ipsi eam gratiam spiritualem, in sequenti autem §. *lit.* d. valere ejusmodi subdelegationem, non, inquam, admittenda est, (tametsi utique sit physicè & moraliter possibilis) hoc loco ista differentia; est quippe longè dignius paternâ, pastoralique solicitudine Pontificis, invenire rationem suaviter inducendi Episcopos, ut saltem semel in vita, inque illo articulo, quo lupus tartareus nequissimè simul & ferocissimè, si unquam aliàs, intentus est devorandis oviculis ipsorum, cognoscant vultum sui pecoris, eis adsint, coràm dispiciant, quî sit eis subveniendum, quàm præcisè mittere ejusmodi nuntium. Igitur videtur hæc interpretatio præferenda juxta dicta suprà *lit.* k. præsertim cùm & clausula; *Per se ipsum*, sit personalissima. Barbos. *In Opusc. Diction.* 225. post Baldum (mendosè citatum) Rotam, & Farinacium, loquentes de clausula *Nosmet ipsi*, sanè non magis indicantem restrictionem ad individuam, personam loquentis, quàm clausula: *Per se ipsum*; & particula *verò* posita ad *lit.* d. tantopere adversetur præcedenti, quantopere indicant Doctores indicati *lit.* o.

u Igitur dicendum est, primariam rationem, quæ movit primum Pontificem, moyétque ejus successores ad delegandas expressè, ut indicat vox *Benedictionis Apostolicæ* suas vices Episcopis in ejusmodi articulo, fuisse hanc, ut quoniam, prô dolor! tam pauci ex his fungantur pastorali officio erga oviculas extremè periclitantes, illud per se immediatè saltem semel respectu singulorum, obeant, non per Vicarium, ut olim observavit Hugo à S. Victore, sed per se ipsos obeant: obeant, inquam, si physica vel moralis impossibilitas non interveniat, de quo infrà *lit.* z.

x Nec objicias, fore, ut hac ratione longè plures agonizantes decessuri sint privati Benedictione Papali & Indulgentia, quàm si Episcopi etiam procul distantes uterentur beneficio Apostolico. In primis enim valde credibile est, in Italia, Hispania, Sicilia reperiri paucissimos homines, qui non sint vel inscripti alicui Confraternitati, vel instructi numismatis offerentibus Indulgentiam plenariam, in agone, non itaque est tantopere iis curandum de Indulgentia Papali præcisè. Et quia videtur illa Pontificiæ Benedictionis largitio præcipuè vigere in Italia, utpote cujus Episcopi omnes vel audierint, vel fortè ipsimet Romæ viderint cursitantes ad Papam pro ea gratia, cujus quoque (Italiæ) Episcopatus plerique non sunt ampli, ac proinde verosimile est Brevia communicativa Pontificiæ Benedictionis esse primitus concessa ad eorum preces, oportet utique ea intelligere eo sensu, quo intelligunt practicántque Episcopi Italiæ, siquidem primum in unoquoque genere est exemplar cæterarum Cap. Ex *literis de Constitut.* solent autem Itali Episcopi, ut reor, instructi illâ gratiâ Pontificiâ adesse constitutis in supremo agone.

Porrò paucitatem eorum, de qua objectio, y compensat aliunde præsentia personalis, quam Episcopus præstat aliis, utpote quæ non uni, sed pluribus potest esse causa, evadendi pœnas, non modò purgatorii per Indulgentiam seu immediatè per se, seu mediatè per tabellarium impertitam, sed ipsius tartari per hortationem, consilium, mandatum capta, & subministrata in re præsenti & arenâ.

Hanc interpretationem esse meliorem & subtiliorem appositâ nemo inficiabitur, ergo est præferenda, per citatum Cap. *Capellanus De Feriis.* Denique cùm tam pauci per septentrionem & Occidentem Episcopi petant hanc gratiam magnam, signû est, eos ideo non supplicare pro illa, quòd sit ei annexa illa multis molesta Appendix de præsentia corporali.

Ad tertium dubium de necessitate præcisa z Resp. intelligi veram, apertámque necessitatem nominandi substitutum. 1. Quia per hanc nequit intelligi per se & præcisè periculum mortis imminentis infirmo, hoc enim periculum jam erat propositum in 1. §. hujus Brevis, in quo est sermo de solis agonizantibus, ergo non indicatur per se & præcisè in præsenti §. tum quia foret supervacanea hæc repetitio, contra vulgatissimum dogma, de quo suprà *lit.* u. quòd nullum verbulum, ne dum clausula debeat esse frustra in Lege, aut Rescripto; tum quia clausula; *Vbi verò*, est adversativa, non repetitiva prioris. 2. Quia antecedentium sensus anceps declaratur tum per sequentia, DD. ex L. *Incivile. ff. De Legibus.* tum vel maximè ex subjecta materia Cap. *Intelligentia. De signif. Verb.* materia verò, de qua disponitur in hoc §. seu *lit.* e. & quæ sequitur mentionem præcisæ necessitatis, est designatio subdelegati, adeóque indicatur posse hanc fieri tunc solùm, quando urget necessitas, vel substituendi alium, vel mittendi Indulgentiam per nuntium, ita ut si neutrum fiat, infirmus probabilissimè sit animam exhalaturus absque beneficio Indulgentiæ. Etenim illud dicitur *præcisum*, quod strictè admodum intelligitur. Menochius in specie facti *Consil.* aa 134. ex Baldo ita videlicet, ut non modò non admittat ullam dispensationem, sed nec interpretationem. Idem. Adeóque designat indubitatum, aut probabilissimum saltem periculum, de quo paulò antè.

Quarti dubii resolutio est non satis expe- bb dita. Rationem enim dubitandi suggerit anceps explicatio, dispositionis in Brevi *lit.* d. siquidē hæc sententia: *ubi verò præcisa necessitas exegerit, & insimul noctis tempore duntaxat*, potest ita exponi: ubi verò exegerit necessitas, eáque nocturna seu juncta tempori nocturno. Potest quoque ita explicari: ubi verò exegerit necessitas, & præterea, id est vel incideret tempus nocturnum &c. Si admittatur posterior expositio, tunc certò poterit etiam de die fieri commissio. Si prior, non poterit, siquidem ex una parte clausula *Duntaxat* est ita restrictiva, ut excludat omnes alios casus præter expressos, Tuschus *lit.* D. Conclus. 388. ex altera autem parte quando idem adverbium: *Duntaxat* collocatur post duo membra, afficit utrumque, ut solent clausulæ posteriores, juxta dicta Tract. præced. seu de Iubil. Quintupl. *cap.* 50. *n.* 502. & verò sumi debere in sensu priore, suadet tum illud, quod nunc primum dixi de vi clausulæ posterioris respectu præcedentium, tum vel maximè doctrina Cephali, Flamminii, Barbos. in Diction. *Simul* pronuntiantium, naturam vocalæ *Simul* esse, unire sequentia cum præcedentibus; ergo vocula *Insimul* unit nocturnum tempus cum præcisa necessitate, non igitur videtur hîc locum habere posterior, & disjunctiva explicatio, sed prior copulata.

cc Hanc responsionem indicant (à me post hæc omnia scripta visi) P. Pellizarius in Manual. Regul. *Tract.* 8. *c.* 5. *n.* 190. eúmque fideliter describens Diana *Part.* 10. *Tract.* 15. *Resol.* 5. *in fin.* quatenus Pellizarius respondit cuidam Episcopo, habenti facultatem concedendi plenariam Indulgentiam moribundis, cum hoc tamen, ut interdiu id faciat per se ipsum, aliàs potens talem facultatem subdelegare pro tempore noctis, respondit, inquam, illum Episcopum, si interdiu vocetur ad egrum, non possit autem, aut nolit accedere, possit nihilominus de die dicere uni Sacerdoti: Delego nunc tibi meas vices, ita ut de nocte impertiaris hæc moribundo ex delegata potestate Indulgentiam plenariam, testatur autem expressè idem P. Pellizarius, suum responsum probatum fuisse viris doctissimis.

dd Et verò, quia versamur in materia non solùm nemini præjudiciosa, sed maximè favorabili tum Episcopo, utpote quæ ampliat ejus privilegia, tum præcipuè deductis ad extrema, constitutísque in periculo summo inexplicabilium purgatorii pœnarum subeundarum, eam ob rem videtur mihi vera secunda è duabus illis expositionibus, quòd scilicet Episcopus possit interdiu solùm & semper committere alicui pio Sacerdoti absolutionem à pœnis purgatorii, quando est ipsemet ita impeditus, vel ægritudine, vel magni ponderis negotiis, vel distantiâ loci, ut nequeat moraliter loquendo, seu non nisi difficillimè sat tempestivè adesse ipsi agonizanti; possit insuper jurisdictionem illam subdelegare pro nocturno tempore, etiamsi foret ipsi non incommodum convenire ægrum, sicut & potest libere tam pro diurnis, quàm nocturnis necessitatibus Monialés concernentibus suas vices delegare earum Confessario. Equidem beneficium Principis esse quàm latissimè interpretandum nôrunt omnes ex Lege *Beneficium. ff. De Constit.* & hac expositione posita confirmatur id, quod dixi ad secundum dubium de necessitate præsentiæ personalis interdiu, quando eam præstare valet Episcopus, nisi enim dicamus, eam esse de die *Ordinariè*, seu extra grave impedimentum, necessariam, non erit differentia inter tempus diurnum & nocturnum, cùm tamen statuendum esse evincant ea, quæ retuli de energia clausulæ: *Vbi verò.*

Ad id, quod protuli de emphasi unitivæ ee vocalæ *Simul*, seu *Insimul*: Responderi potest, necessitatem præcisam satis uniri cum sequentibus, si dicatur concedi Episcopo æquè in casu necessitatis diurnæ, quando est impeditus, atque nocturnæ, etiam quando non est impeditus, jus, delegandi: voculam autem finalem *Duntaxat* sufficienter referri ad ipsam quoque interdiu necessitatem, si dicatur, commissionem fieri posse solùm in duobus casibus, scilicet necessitatis, tempore diurno, quando Episcopus nequit, & etiam nocturno, licèt posset adesse nocturno.

Ad quantum dubium Resp. breviter, exigi ff specificam talem commissionem, qualis ibi exprimitur. Siquidem clausula: *Eligendo qualibet vice*, ita suadet, persuadétque; etenim dictio: *Quilibet* non modo est absolutè loquendo distributiva. Parisius, Decius, atque alii apud Barbos. in Diction. *Quilibet*, verùm etiam operatur idem, ac si essent factæ, (seu faciendæ,) plures dispositiones & dinumerationes. Tuschus *lit.* D. Conclus. 269. *n.* 21. maximè quando actus est iterabilis, & recipit divisionem. Idem *ibidem* quemadmodum utique recipit electio. Adde, quòd & frustra sit apposita illa particula, nisi ita explicetur, & nemo rectè dicturus sit, pœnitentiarium Episcopalem e.g. esse hac vice electum ab Episcopo ad absolvendum Titium à casu Episcopali, si absolvat vi officii commissi abhinc unum, aut plures Annos. Accedit, quòd omnino videatur illa clausula esse idcirco expressa, ut Episcopo innotescat status certantis cum morte, considerétque an non sit ei prospiciendum de aliquo speciali remedio, ut Confessario singularis dexteritatis, aut admonendus de aliqua satisfactione & similibus; nulla diligentia est hîc superflua, sed omnis cautela adhibenda. Glossa. *Cap. Literæ. De Frigid. & Malef.* agitur enim non de lana, sed de anima. Hostiens. in *idem Cap.*

Ad sextum dubium de Confessario Moni- gg alium. Resp. si loquamur de Monialibus subjectis Episcopo, esse verosimiliter de harum Confessa-

fessario sentiendum id, quod ad quintum dubium diximus de Confessario sæcularium. Ratio est, quia in Rescripto Papali exprimitur, facultatem communicabilem Confessario sanctimonialium esse debere similem facultati delegabili pio Sacerdoti, de quo est sermo *lit.* d. atqui dictio seu clausula: *Similis* denotat similitudinem respectu facti, modi, & qualitatum absque ulla difformitate. Expressè Barbosa, *Diction.* 367. *n.* 52. post Innoc. Socin. Gabriel. Rotam, Cardinalis Tuschus *lit.* d. *Conclus.* 375. *n.* 12. post Bartolum.

hh Accedit, quòd clausula posterior, sit in dubio intelligenda juxta sensum clarum antecedentis, adeòque Confessarius talium Religiosarum debet ab Episcopo petere delegationem, quoties seu de die seu de nocte subest periculum mortis. Ut proinde discrimen inter nominationem pii Sacerdotis pro distinctis à Monialibus: & delegationem Confessarii Monialium in hoc solo consistat, quòd pro his non sit quilibet Sacerdos pius capax delegationis, sed solus earum Confessarius ordinarius; respectu autem aliorum & aliarum, possit Episcopus suas vices delegare tam ordinariis, quàm extra-ordinariis Confessariis, imò etsi non sint Confessarii, modò sint Sacerdotes pii, id est, non suspensi, non excommunicati.

ii Quia verò superiùs *lit.* hh. sum locutus de Monialibus duntaxat subjectis Episcopo, erit fortè, qui quærat, quid censeam de exemptis? Et Resp. cùm probabiliter nec Episcoporum intentio sit supplicare pro hisce, nec eisdem fas sit ingredi harum Monasteria absque speciali facultate vel Sedis Apostolicæ. (Trid. Concil. *Sess.* 25. *De Regul. cap.* 5. Barbos. *Ibidem n.* 61.) vel illarum superioris Regularis. Lezana in *Summa* verb. *Clausura n.* 33. non reor, posse talium Confessario subdelegari ab Episcopo munus illud, de quo disservimus, cùm subrogatum licèt sapiat naturam illius, cui subrogatur. Ancharon. *Consil.* 411. non tamen habeat plus juris, quàm id, cui subrogatur, DD. in Cap. *Ecclesia. Vt lite pendent.* Menochius *Consil.* 784. *n.* 12. Quandoquidem verò iisdem Antistitibus nullo jure interdicitur ingressus in Monasteria virorum quantumvis exempta, & Religiosi horum Monasteriorum vulgò dicuntur esse Religiosi illius Urbis & Diœcesis, ubi domicilium obtinent, non video, cur tales sint incapaces Indulti Episcopalis.

Appendix ad Appendicem.

kk Cùm hæc omnia jam essent chartæ mandata, fuit huc perlatum mihique communicatum responsum, quod ex Urbe dederat Agens Reverendissimi & Illustrissimi Constantiensis, dederat autem non ex suo sensu, sed ex Cardinalis Ottoboni, dum esset Episcopus Brixiensis, fruerentúrque illâ, quam descripsimus, gratia Pontificia, atque ex Domini Sluſii, qui expediverat istud ipsum Indultum. Respondet autem. 1. *Non posse ab Episcopo communicari generaliter omnibus Parochis, quantumvis remotis, nisi in casu, quo ea facultas postulatur, pro determinato aliquo agonizante, ad quem Episcopus ipse per se accedere nequeat, tam ob distantiam loci, quàm ob aliud impedimentum. Quòd si notificatio ad destinatum locum pertingere tempestivè non possit, oportere id ferre æquo animo, & remedium, seu compensationem hujus defectus facere procurando numismata cum impositâ, seu annexa benedictione, & Indulgentias in articulo mortis. 2. Episcopum debere agonizanti præsentem adesse ad dandam benedictionem, excepto casu gravis impedimenti, quod interveniens impediret præsentiam personalem, quo in casu potest, inquit ille, fieri commissio alteri eo prorsus jure, quo de noctu delegari potest commissario ea, de qua agimus, facultas, pro eo tamen solo agonizante, qui Benedictionis impertitionem sibi postulat. 3. Hoc ipso & consimili modo debet in omni casu speciali fieri deputatio, etiam quoad Moniales. Atque hic est sensus literarum à D. Sluſio mihi per aliam occasionem dudum expositus, & declaratus. 4. Hæ literæ non conceduntur nisi Nuntiis, Cardinalibus, & magnis Principibus, quorum proinde facultas, si ab ipsis communicari posset aliis, præter expressos, posset exinde concedi generaliter omnibus absque ulla distinctione.*

Hæc omnia ad verbum ille Romano-Constantiensis Agens, circa quæ observo duo: Primum hoc Rescripto confirmari resolutiones, quas dedi suprà *lit.* o. u. x. z. dd. ee. gg. Si quid autem indicavi contrarium huic responso Romano, id postponendum est huic Rescripto. Alterum, fuisse mihi quoque Bononiæ à quodam nostro Patre, Theoria, usúque percelebri, quem quoq; consuluerâ, responsum id ipsum, quod jam scripseram ad *lit.* o.

CAPVT XXXV.

Utrùm ad Indulgentiam pro articulo Mortis obtinendam, sufficiat fuisse Sodalem, seu Confratrem.

SUMMARIUM.

Ratio asserendi, Indulgentiam pro articulo mortis promissam Confratribus variarum Congregationum competere etiam illis, qui postea sunt expuncti ex Albo Confraternitatis adfertur. 634.

Rationes id negandi proponuntur. num. 635. & 636.

Concluditur pro parte negativa. 637.

Respon-

Respondetur ad rationes in oppositum. 638.

Observatur peculiare quid circa illos, qui etsi conventum non frequentent unquam, attamen gaudent hac in re privilegio frequentantium. 640.

633 Sicut omnes Indulgentiæ Reales hactenus indicatæ in hoc sunt similes, quòd omnibus, rem iis affectam habentibus tribuant in articulo mortis omnium peccatorum remissionem, si reliquæ conditiones adsint, ita omnes Confraternitates, quantum ex Cherubini Bullario, & Confraternitatum singularum libellis disco, in hoc conveniunt, quòd Indulgentiam plenariam obtineant non solùm eo die, quo in Congregationem, seu Confraternitatem admittuntur, sed etiam in mortis articulo, unde oritur hæc gravis.

634 Quæst. XCIII. *An Indulgentiam pro articulo mortis acquirere possunt, qui albo Congregationis Annuntiatæ expuncti sunt ob mores discolos, aut qui sponte ei nuntium miserunt?*

Eadem quæstio movetur de Confratribus Rosarii, Scapularis &c. Ratio dubitandi ex una parte est, quia Gregorius XIII. in Bulla, qua confirmat Congreg. Annuntiatam, dicit, se impertiri hanc Indulgentiam omnibus, *qui in prædictam Congregationem recipientur.* Atqui illi, de quibus loquitur, sunt in eam recepti; & Indulgentiæ tantùm valent, quantum sonant, sùntque latè interpretandæ, ut stabilivimus *n.* 30.

635 Ex altera autem parte videtur dicendum, hunc tantum favorem reservari iis, qui tanquam legitima, & actualia Congregationis membra moriuntur. Nam inprimis videtur esse hic communis Sodalium, & aliorum prudentum sensus. Deinde si ob allatam rationem habent ejecti, aut dimissi è Sodalitio jus ad Indulgentiam plenariam pro mortis articulo, habent quoque ad Indulgentias Stationum, illæ enim æquè offeruntur receptis in Sodalitium; hoc autem sentire est perabsurdum, cùm sit contra judicium tam illorum, qui Congregationem deserunt, quàm qui in eâ constantes permanent. Accedit, quòd pro uno actu non soleant dari ab uno, eodémque Pontifice plures plenariæ Indulgentiæ; atqui pro ipso actu receptionis, & ingressûs in Congregationem, datur Indulgentia plenaria: *suprà n.* 611. ergo pro illo ingressu non datur plenaria in articulo mortis; daretur autem, si illam obtinerent ii, qui desinunt esse membra Congregationis.

636 Et quis dicat, Indulgentiam concessam Religiosis pro articulo mortis, apud Casarubium 1. *num.* 1. obtingere etiam ejectis? Et tamen Julius II. omnibus in Ordine Minimorum receptis concessit Indulgentiam plenariam tam in morte illorum, quàm in ingressu, ut refertur in Compend. Privileg. Societ. nostræ. *V. Indulgent. §.* 4. Enimvero Eugenius IV. & Innocent. VIII. in Bullis *num.* 117. relatis, plena remissione peccatorum pro suprema lucta muniverunt Religiosos, cum hac expressa clausula: *quamdiu sub Regulari observantia fuerint.*

Hæ ultimæ rationes mihi persuadent, esse 637
ad propositam quæstionem respondendum negativè. Et ita etiam respondendum censuerunt docti, sapientésque Patres è Societate nostra à me consulti. Quamvis Navar. *De Orat. Miscell.* 30. loquens in specie de Indulgentia pro articulo mortis promissa Confratribus Rosarii, dicat, ejus fieri compotes omnes, *qui illi Congregationi inscripti sunt cum vera voluntate implendi omnia statuta.*

Ad rationes in oppositum dico, sicuti con- 638
suetudo est optima legum interpres: *Cap. Cùm dilectus, De consuet.* ita commune judicium Sapientum optimè interpretatur Legem. Cùm igitur confirmationem Gregorii XIII. commune sapientum, quantum quidem scire possum, judicium interpretetur eo modo, quo dixi, oportet ejus verba strictè, non latè interpretari, etiamsi plus sonent. Nam *non intentio verbis, sed verba debent intentioni deservire. Cap.* In his, *De verb. significat.* Confirmo da- 639
tam responsionem inde, quòd in interpretatione gratiarum, & Indultorum, oporteat maximè attendere ad supplicationem pro gratia obtinenda factam. Etenim Princeps solet se accommodare precibus sibi factis, ut ex *L.* Si preces. *ff. De Legibus. Et Cap.* Inter dilect. §. Cæteris. *De fide Instrum.* tradunt Juris Utriusque Doctores, cum Suar. *L.* 8. *De Legib. c.* 28. *n.* 19. Atqui nullo modo cogitandum est, quòd Superiores Societatis, & primaria Congregatio Annuntiatæ à Gregorio XIII confirmata, petiverint prædictam Indulgentiam, nisi pro iis, qui constantes essent mansuri Sodales: ergo pro illis solis concessit Gregorius, & Sixtus V.

Cæterum etsi quis legitimam ob causam 640
perpetuò absit à conventibus, sicut v.g. absunt plerique habitantes extra urbem, in qua Congregatio suum Oratorium habet, potest nihilominus esse omnium ejusdem Indulgentiarum, itémque meritorum, & orationum pro Sodalibus fusarum particeps, si & esse velit, & se gerat ut membrum Congregationis, ejus scilicet statuta servando tolerabili cum satisfactione, prout occasio tulerit.

Quòd si præterea Sanctos menstruos petat; sese Sodalibus interdum commendet; oret ipse pro defunctis Sodalibus, qui commendantur; annuatim suam formulam transmittat; non modò superioribus gratiis fruitur, sed etiam pro illo mortuo, justa funebria solvuntur, & confœderatis Sodalitiis commendatur, perinde acsi in ipso Congregationis loco obiisset diem extremum.

Quòd

641 Quòd de iis, qui Congregationem Annuntiatæ Virginis deserverunt, dixi, idipsum pari ratione de deserentibus alias Confraternitates asserendum censeo, propter allatas rationes. Et addo, fuisse opinionem cujusdam viri docti, prudentis, & pii, quòd ne quidem omnes Religiosi, qui in Religione, statúque gratiæ moriuntur, potiantur Indulgentiâ morientibus Religiosis promissâ, eò quòd tantus favor non videatur extendendus ad valde tepidos, & suo nomine vix dignos Religiosos. Verùm quia plurimis in articulo mortis datur Indulgentia plenaria pro actu incomparabiliter minùs excellente, quàm sint universi, quos etiam tepidissimi Religiosi exercent, idcirco existimo etiam his obtingere prædictam gratiam.

CAPVT XXXVI.

Quamdiu duret, seu quando cesset Indulgentia?

SUMMARIUM.

Indulgentia tamdiu durat, quamdiu vult is, qui concessit. 642.
Quænam per se loquendo durent perpetuo? 643.
Cessante causa Indulgentiæ non cessat hoc ipso Indulgentia. 645.
Sicut nec per renuntiationem illius, cui concessa est. Ibid.
Aut per mortem ejus, qui concesserit. 646.
Esto sit concessa ab habente solam delegatam potestatem. 647.
At cessat per revocationem. 649.
Indulgentia pro aliquo die concessa an incipiat à primis vesperis. 650.
Bullæ diversimode loquuntur de tempore, quo incipit, aut desinit jus lucrandi Indulgentiam. 651. *& seqq.*
Indulgentiæ pro festis concessæ communiter incipiunt à primis Vesperis usque ad occasum solis. 653. *& 654.*
Idem dic de Indulgentia concessa pro die Dominica. 654. *& 657.*
In promulgatione Bullarum Indulgentias impertientium quæ verba sint usurpanda? 655.
Quid hic intelligatur per Solis Occasum? 655. *& 657.*
Quid per primas Vesperas? 656. *& 657.*
Quid si nullæ dicantur in eo loco? Ibid.
Quid singulariter pro festis occurrentibus in Quadragesima? 656. *& 657.*
Quando incipiat tempus lucrandi Indulgentiam concessam pro aliqua feria? Ibid. & num. 657.
Patris Quintanadvenæ sententiæ de tempore, quo incipit Ius lucrandi Indulgentiam pro Dominica Communionis Generalis. Ibid.
Sacerdos faciens sacrum in Ecclesia designata pro illa Indulgentia, non necessario instituit aliam visitationem, & satisfacit conditioni de oratione ad præscriptas intentiones, si ad eas oret in Memento, aut inferat Missæ aptam Collectam. Ibid.
Quando incipiant Indulgentiæ datæ v.g. ad septennium? 658.
Faciendum est discrimen ob diversas clausulas Brevium, concedentium tales septennales Indulgentias. 659. *& 660.*
An prosint tales Indulgentiæ, antequam perveniant ad notitiam illius, qui petivit? 661.
Illa Brevia non sunt irrita, etsi petita sint aliquanto ante finitum prius septennium. 662.
Quandonam aptè petantur? Ibid.
Quo die desinant valere talia Brevia? 663.

Quæst. XCIV. *Quænam de duratione Indulgentiarum tradunt Doctores?* 642

RESP. Sequentia. I. Indulgentia universim tamdiu durat, & non diutius, quamdiu vult is, qui concessit. Nam sicut ab ejus voluntate pendet in fieri, ita & in conservari, & *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Cap. Omnis, De Reg. Iur. in 5.*

II. Specialiter loquendo, Indulgentia simpliciter & absolutè, seu sine appositione determinati temporis concessa, perpetuò durat per se loquendo, nam cùm Superior non limitet, nec nos limitare debemus. Suarez *Tom. 4. in 3. p. d. 57. sect. 1. n. 5.* Filliuc. *Tract. 8. n. 236.* Unde à fortiori dicendum est, esse perpetuam, quando expressè dicitur: *concedimus hanc Indulgentiam in perpetuum.* Item: *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*; ut notat Filliucius *n. 235.* Item: *donec revocaverimus*; ut deduces ex communi DD. dum agunt generatim de cessatione Privilegii. Non autem est perpetua, si dicatur: *concedimus hanc Indulgentiam usque ad beneplacitum nostrum.* Doctores *in citata materia De Privil. cessatione* & Filliuc. *n. 235.* siquidem beneplacitum extinguitur extincto privilegiante. 643

III. Per accidens tamen fit, ut Indulgentia, quæ ex vi formulæ, quâ conceditur, videtur esse perpetua, re tamen ipsa sit tantùm temporalis. Imprimis quidem, quando illam expressè revocat concedens, ut explicabo *quæst. 97.* Deinde quando perit res, cui erat annexa Indulgentia secundùm dicta *num. 320.* & alibi. 644

IV. Licèt causa, ob quam data fuit Indulgentia, cesset, non ideo tamen cessat ipsa Indulgentia, Filliucius *n. 245.* post Suar. *disp. 57. sect. 7. num. ult.* cùm constet ob causam temporalem sæpe concedi Indulgentiam Perpetuam. 645

V. Po-

V. Potestas lucrandi Indulgentiam durat, licet is, cui ea concessa est, ei renuntiet. Suarez *n. 13.* Nam etsi quis dicat, se nolle uti potestate, & privilegio lucrandi Indulgentiam, si tamen hanc voluntatem mutet, & opera præscripta perficiat, lucrabitur reipsa Indulgentiam. Et ratio est, quia etsi dicas, te nolle uti Indulgentiâ, adeóque illi renunties, non idcirco tamen efficis, ut Pontifex revocet suam gratiam: quamdiu autem Pontifex non revocat tacitè, vel expressè suam gratiam, tamdiu potes illâ frui. Vide Cardin. de Lugo *De Pœnit. disp. 27. num. ult.* & Palaum *Tract. 24. Punct. 11.*

646 VI. Indulgentia non perit per mortem concedentis, nisi in ipsamet concessione ponatur explicitè, vel implicitè iste terminus. Suarez *disp. 57. sect. 2. n. 2.* testans esse certam & communem. Ratio est eadem, quam attuli *n. 130.* ad ostendendum, illum, qui accepit varias Intentiones Indulgentiarum, posse etiam post mortem illius, à quo accepit eas, validè applicare. Confirmatur ex *Reg. 16. in 6. Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Et utique potest valor Indulgentiæ continuari, præcisè propter voluntatem præteritam, ex vi cujus Pontifex, jam abhinc 100. Annis sepultus, applicuit Thesaurum ad talem effectum suo tempore producendum. Lugo *n. 148.* Dixi: *nisi in ipsamet concessione exprimatur terminus mortis*; quomodo autem censeatur exprimi, indicavi paulò antè *n. 643.*

647 Et hæc doctrina intelligenda est de omni Indulgentiâ concessâ, tum ab habente potestatem ordinariam largiendi Indulgentiam, ut est Legatus Apostolicus, & Episcopus, tum ab habente solùm potestatem delegatam. Suarez *loc. cit. n. 4.* Unde si contingeret Provincialem Mendicantium diem extremum obire, aut officio cedere, postridie quàm suis impertivit Indulgentiam plenariam ratione visitationis, eam lucrifacere possent omnes biduo, triduo pòst. Lege, si placet, ea, quæ de Innocentio IX. mortuo antequam ubique publicaretur Jubileus ab ipso indictus, disservi in præcedenti Tract. de Jubil. Quintupl. c. 46.

VII. Indulgentia pro uno tantùm die, aut pro uno solo actu impertita, desinit desito illo actu, vel die: nam, ut sæpius jam dixi, Indulgentiæ plus non valent, quàm sonent.

648 AT INQUIES. *Quid si illum actum malè obivi prius, & postmodum ritè repetam?*

RESP. Si ritè repetas intra tempus præscriptum, compos fies Indulgentiæ, ut patet exemplo illius, qui pro Indulgentia tridui Bacchanalium comparanda, confessus quidem est, sed sacrilegè, nam etsi ejusmodi Confessio non sit sufficiens ad Indulgentiam ejusmodi, ut generatim de Confessione ad Indulgentias requisita docui *cit. Tract. De Iubil. n. 156.* nihilominus si Confessionem legitimè repetat ante finem illius tridui, poterit frui prædictæ Indulgentiæ fructu.

VIII. Quomodo Indulgentiarum valor cesset, durante Anno Sancto, prolixè disservi in toties jam allegato Tractatu. *Cap. 9. & 10.* Quæ quidem omnia nominatim de Indulgentiis Partialibus rectè dicta fuisse comprobavit postmodum usus, optimus Bullarum Pontificiarum interpres. 649

IX. Indulgentiæ desinunt per revocationem, quem modum priusquam capite sequenti edisseram, explanandæ hîc sunt duæ sequentes quæstiones.

Quæst. XCV. *Indulgentia pro aliquo certo festo concessa, qua diei parte incipit, & desinit?* 650

RESP. Absolutè Benzonius *loc. cit. De Iubil. cap. 15. dub. 7.* post Mendozam *in praxi signaturæ*, facultatem obtinendæ ejusmodi Indulgentiæ incipere à primis Vesperis illius diei, & durare ad secundas inclusivè, adeóque etiam per totam noctem interjectam. Favet Navarr. *De Iubil. Not. 31. n. 26.* & Regin. *Lib. 7. n. 154.* dicens durare à vespera ad vesperam. Idem videtur esse sensus multorum Parochorum, & Superiorum Regularium, qui Indulgentias suorum Festorum crebrò promulgant utendo Germanica voce, primarum, & secundarum Vesperarum.

Ego quidem in priscæ, mediæ, & hujus ætatis Bullis, & Brevibus Indulgentiarum observo, quando est fermo de Indulgentia, hoc aut illo festo obtinendâ, abstrahendo à visitatione Ecclesiæ, non solere adhiberi alium terminum, quàm præcisè *Festivitatis*, talis, & talis; at ubi est fermo de Indulgentia aliquo Festo per visitationem Ecclesiæ acquirenda, noto inter ejusmodi Bullas, & Brevia, hoc discrimen, quòd priscæ Bullæ præcisè dicant: *Qui in Festivitate* e.g. Annuntiationis *visitaverint talem Ecclesiam, potientur tali, & tali Indulgentia*, ut cernere est in Bulla Clementis III. incipiente: *Lœta Sanctorum*, & Nicolai IV. incipiente: *Vitæ perennis gloria.* Ut alias præteream. 651

At verò Bullæ mediæ, ut sic loquar, ætatis, adeóque Sæculi XIII. & XIV. voci *Festivitatis* sæpiusculè addunt terminum: *à primis Vesperis ad secundas*, ut apud Rodriq. *in Bullar.* reperiet Lector in Bulla Sixti IV. quæ incipit: *Ineffabilis gloriosæ Virginis*, itémque in Bulla Julii II. cujus initium: *Dum fructus uberes.* 652

Denique Bullæ proximè superioris, ac præsentis Sæculi consueverunt ita loqui: *quicunque talem, aut talem Ecclesiam, tali aut tali festo die à primis Vesperis ad Solis Occasum ejusdem Festi visitaverint &c.* consequentur Indulgentiam &c. Et, ut alia à me aliàs lecta taceam, dum hæc scribo, ante oculos habeo varias Pauli III. B. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. & aliorum 653

hujus

hujus sæculi Pontificum Bullas, in quibus omnibus, quatenus hanc materiam attingunt, offertur plenaria Indulgentia iis, qui præter alia illic expressa, diebus Festis Circumcisionis, S. Sebastiani, Annuntiationis, Visitationis, S. Francisci, S. Thomæ Aquinatis, Portiunculæ, S. Ignatii, Dedicationis &c. *à primis Vesperis usque ad Occasum Solis Festorum hujusmodi* singulis Annis illic nominatam Ecclesiam devotè visitaverint Et quia rationabiliter mihi persuadeo esse hunc jam communem stylum Cancellariæ Romanæ, idcirco.

654 Infero hinc I. Omnium reliquarum Indulgentiarum pro certo die Festo concessarum esse eandem rationem, nisi aliud peculiariter de quibusdam statuatur, proinde eas lucrifaciendi tempus incipere à primis Vesperis, & finiri ad Solis occasum ipsius festi, aut Dominicæ. Nam nomine Festi novem lectionum venire Dominicam, declaravit Congreg. Rit. apud Barbos. *V. Festum.*

Infero II. Explicationem, quam paulò antè ex Benzonio retuli, vel esse falsam, vel per secundas Vesperas intelligendum Solis Occasum, ut etiam intelligi vult Rodriq. *Tom.2. q.88. c.5.*

655 Infero III. In promulgatione talium Indulgentiarum, usurpanda esse verba Bullarum, quæ recitavi; quotus enim quisque per secundas Vesperas intelligit Solis Occasum, præsertim in æstate? Unde fit, ut quandoque nonnulli post cœnam essent visitaturi designatam Ecclesiam, & quæsituri Indulgentiam; si non falsò putarent, præteriisse jam præscriptum tempus, cùm tamen revera nondum præterierit, utpote Sole nondum occaso.

Infero IV. Per Solis Occasum intelligendum esse id tempus, quo Sol jam planè sub horizontem est abditus, ita ut Indulgentiam pro S. Joannis Baptistæ die, qui longissimus est, decretam, adipiscatur is, qui reliquis jam perfectis designatam Ecclesiam visitat, in eâque orat, dum horizon planus (nam nulla montium est hîc habenda ratio) solem secat, aut statim postquam totus planè occubuit. Nam verba Bullarum de Indulgentiis loquentium esse latè interpretanda, dixi jam sæpe. Et quia nobis in Superiore Germania solet circa Solstitium æstivum occumbere hora Octava post meridiem, ideo horâ Octavâ, aut dimidio quadrante pòst, potest utiliter ad lucrandas Indulgentias visitari Ecclesia præscripta. Atque ita me citato sentit etiam Cotonius *Lib.2.Controvers.11. c.3. n.86.*

656 At Inquies: *Quid per primas Vesperas intelligitur? Illæne, quæ aut Romæ, ubi Bullæ expediuntur, aut in loco, pro quo expediuntur, reipsa cantantur, aut recitantur?* At, *quid si nullæ tunc dicantur in tali loco?*

RESP. Etsi Rodriq. *cit. a.5.* per primas Vesperas intelligit serum diei, quia tamen verba Bullarum sunt & latè, & juxta modum cujusque loci interpretanda, ut dictum *n.46. & 142.* idcirco rectiùs dixeris, per primas Vesperas intelligi illud tempus, quo ex probato usu solent, aut possunt in illo loco, quo datur Indulgentia, recitari Vesperæ. Quod quidem tempus incipit privatim à Prima, aut saltem Media Secunda pomeridiana, extra Quadragesimam: publicè hora Tertia: at vero in Quadragesima Media, aut ipsa Decima antemeridiana.

Et verò in Quadragesima potestatem, seu tempus obtinendi Indulgentiam pro sequente Festo die promissam incipere ab antemeridianis horis diei præcedentis, probo, tum quia Pontifices absolutè loquuntur de primis Vesperis; tum quia Gregorius XIII. dum omnibus Christi fidelibus, qui in die festo Annuntiationis à primis Vesperis ad Solis Occasum visitarent Ecclesiam Annuntiatæ B. Mariæ de Urbe, impertit Indulgentiam plenariam, non ignorabat illud Festum communiter celebrari in Quadragesima.

Rursum quæras: *Quando incipiat, & desinat tempus lucrandi Indulgentias datas pro die non Festo, seu pro aliqua Feria, abstrahendo à Festivitate: e.g. pro Feria, IV. Cinerum.*

RESP. Videtur incipere nocte intempestâ, & durare usquè ad alteram noctem intempestam, adeòque illius mensuram esse diem naturalem. Ratio est, quia *ex communi usu, nomina exaudiri debere, ait Tubero, Text. Leg.* Labeo. *ff. De Supell. leg.* Et quia Indulgentiæ dantur in usum populi: populus autem per diem intelligit id, quod dixi.

Ex qua ratione (ut hoc obiter notem) deduces, in Brevibus impertientibus Indulgentiam primæ Dominica mensis, nomine *primæ* Dominicæ designari illam, quæ prima currit in mense, esto sit fortè à Calendis remotior, quàm præcedens. Nam populus primam Dominicam intelligit hoc modo, & non Ecclesiastico.

Appendix.

Complura ex hic decisis scripsi in prima edi- 657
tione ferè carens duce, quem sequerer. Nunc offert sese mihi P. Quintanadvennas noster, qui in Appendice ad sua singularia non immeritò sic vocata *Tract.1. dub.3. & Tract.3. dub.3. & 4.* etiam ex professo, ac minutè disserit de principio, atque fine diei Indulgentiis decorati, asserens *cit. Tract. dub. 3. n.4. & 5.* Indulgentiam pro die Dominica Communionis Generalis non inchoari à primis Vesperis, sed ab hora noctis duodecimia, eò quòd sequeretur visitationem Ecclesiæ posse utiliter fieri Sabbato præcedente Dominicam illam, cùm tamen Pontifex disertè dicat: *Qui aliquam Societatis Ecclesiam una ex Dominicis, qua Communio Generalis &c. visitârint,*

Verùm hæc ratio non convincit, quandoquidem ipsemet Quintanadv. *Tract.4. dub. 4. n.5. & 7.* disertè, & generatim ait, Indulgentias pro aliqua festivitate concessas incipere in primis Vesperis, etsi Papa non facit ullam mentionem hujus initii. Nihilominus quia sententia, quam indicamus *num.654.* non est utique plus quàm probabilis, censeo, non esse sequendam in praxi, quandoquidem nulla necessitas videtur exigere hanc sectationem; cùm enim Communio debeat ipsa die Dominica peragi in Ecclesia visitanda, visitabitur utique ab illo, qui percipit communionem in ea. Unde censeo, Sacerdotes, qui sub sacro in Ecclesia destinata facto orant pro indicatis intentionibus, non egere alia visitatione, sive ad illas intentiones orent sub *Memento*, sive inserant Collectas aptas indicandis illis intentionibus. Junge his dicta suprà *n.356, & Tract.* præced. *cap.27. n.* 200.

Præter id, quod de Dominica scribit, ut vidimus P. Quintanad. in *dub.3. Tract.1.* tradit *Tract.4. dub.3. &* 4. sequentia. 1. Per primas Vesperas, à quibus inchoantur plurimæ Indulgentiæ, seu potiùs lucrandarum Indulgentiarum tempus, intelligi illud tempus, seu illam horam, qua in Ecclesia majore, sive Cathedralis sit, sive Parochialis, in aliqua civitate, vel oppido recitari solent communiter juxta universalem Ecclesiæ, vel rectum Provinciæ, civitatis, vel oppidi illius usum. 2. Hanc horam incipere non solùm à tempore, in quo Vesperæ in choro inchoantur, sed ab eo etiam, quo ad Vesperas Campanæ pulsantur, aut pulsari solent, ut Hispali hora secunda post meridiem in hieme, hora tertia in vere. 3. Sentit idem, quod ego *n.656.* de Vesperis in Quadragesima, addens *n.5.* quando tunc non cantantur in oppido, in quo est Indulgentia, Vesperæ, habendam esse rationem vel moris Diœcesani, vel vicini oppidi, vel generalis consuetudinis. 4. In *dub.4. n.2.* asserit, quando Indulgentia datur pro festo à primis Vesperis *usque ad Occasum Solis*, per *Occasum Solis* intelligi tempus, quo Completorium cantari solet juxta morem Ecclesiæ, solet autem cantari circa Solis Occasum, adeòque hic author sentit idem, quod nos suprà *n.656.* Subdit autem *n.4.* Si qua Bulla ita sonet: *A primis Vesperis ad secundas*, per *secundas* intelligi etiam Occasum Solis, eò quòd dictio: *Ad* includat tempus omne, quo durant Vesperæ, & S. Augustinus *in Psal.29.* dicat: *Vespera fit, quando sol occidit.*

658 Quæst. XCVI. *Solent dari Indulgentiæ ad quadriennium, septennium, vicennium &c. quandonam incipit, ac definit illud vicennium? An statim postquam est expeditum Breve, quo continentur illæ Indulgentiæ? An statim postquam id Breve est intimatum illis, qui id petierant?*

Ad hanc quæstionem respondet Rodriquez *Tom.2. Quæst. Regular. q.99. a.3.* his verbis: Certum est, quòd Indulgentiæ concessæ valent à tempore datæ, & ab illo tempore jus est quæsitum illi loco, cui concessæ sunt: sed quantum ad eos, qui lucrari volunt, incipiunt in eis efficaciam habere, quamprimum eis præsentantur; & notificantur; & sic illud quinquennium computatur à die, quo exhibitæ sunt literæ, seu à die insinuationis, & exhibitionis, ut resolvit Rebuffus. Hanc Rodriquezii doctrinam generatim confirmant Brevia Pontificia Pauli V. & Urbani VIII. quibus Indulgentiæ conceduntur cum hac clausula: *Præsentibus ad septennium, à die publicationis illarum computando, duntaxat valituris.* Item: *ad quadriennium proximum valituris.*

Dico Primò. Quando in aliquo Brevi po- 659
nitur prior clausula, tempus lucrandi Indulgentiam incipit à die publicationis factæ in loco, pro quo conceditur Indulgentia; nam Romæ non fit publicatio ejusmodi Brevium.

Dico Secundò. Quando ponitur illa particula: *proximum*, debet Breve Indulgentiam continens publicari, & consequenter Indulgentiæ tempus inchoari illo ipso Anno, quo est Româ acceptum Breve. Ratio est, quia si differatur ad unum, alterúmve Annum, peribit unus altérve Annus Indulgentiæ. Nam *rò* proximum designat formaliter initium, & consequenter finem ejusmodi Indulgentiæ, quem admodum argumentatus sum in Tract. de Jubil. *n.56.*

Dico Tertiò. Quando in Brevi neutra al- 660
latarum clausularum ponitur, sed præcisè ista: *præsentibus ad 7.15. 20. Annos duntaxat valituris*, verisimile est, posse, saltem ex rationabili causa, illos septem, quindecim Annos sine ullo detrimento inchoari uno, alteróve Anno, postquam Breve Pontificium est exhibitum iis, quibus exhiberi debet. Ita jam docui *in Tract. de Jubil. n.55.* Ducor, quia cùm formulæ Indulgentiarum sint latè potiùs, quàm strictè interpretandæ, non video, cur dicamus illud septennium debere tam maturè inchoari. Porrò vidi plurima, & de facto in manibus habeo tredecim Brevia diversorum Pontificum, in quibus ponitur illa præcisè clausula, de qua loquimur.

Dico Quartò. Quin imò, licèt in Brevi 661
contineatur illa clausula: *præsentibus ad septennium à die publicationis computando &c.* videtur posse, saltem ex rationabili causa, à Prælato, Parocho &c. publicatio differri ad unum alterúmve Annum; & tunc primùm inchoabitur illud septennium. Ratio est, quia ejusmodi Breve non præcipit mox publicari, sed tantùm inchoari septennium post publicatio-

nem: ergo nisi obstet stylus Curiæ Romanæ, potest publicatio, saltem ex justa causa, validè prorogari ad biennium circiter.

In confirmationem dictorum circa hanc tam frequentem materiam adduco P. Quintanadvennam, qui in Appendice ad sua Singularia *Tract. 2. dub. 3.* si quis alius accuratè, atque distinctè resolvit dubia indicata hîc, explicatáque à nobis, qui quidem *n. 1.* supponit, tanquam certum, Brevia Indulgentiarum, de quibus hîc tractamus, non habere ullam vim ante notitiam earum factam illi, in cujus gratiam conceditur septennii tempus, tum quia ignoranti non currit tempus *L. Quamdiu. Cod. Qui admitti.* Barbosa *Axiom. 113. num. 15.* tum quia ejusmodi Brevia imitantur Leges, quæ quidem non obligant, nisi perveniant ad notitiam subditorum. Si igitur Breve pro Altari privilegiato e.g. expeditum Romæ hoc Anno 1673. pro Ecclesia B. perveniat ad hujus rectorem primùm Anno 1675. vel 1676. poterit septennium in eo expressum numerari ab Anno 1675. ad Annum 1682. Rursum confirmat Quintanadvennas sua authoritate id, quod trepidè, quia nullius scriptoris clypeo tectus tradidi tum suprà *n. 660.* tum Tract. præced. seu de Jubil. *Cap. 10. num. 55.* de potestate differendi etiam obtentâ notitiâ inchoationem Indulgentiæ. Addit autem hanc rationem duplicem, tum quia illa phrasis: *Ad septennium duraturas*, indicat, concedi absolutè à Papa septem Annos, tumquia si Rex tibi daret privilegium immunitatis à vectigalibus per septem Annos, nequaquam minuerentur hi septem Anni, si penderes primis à concessione Annis duobus vectigalia. Suadet quidem hic author *n. 4.* ut sequamur etiam hic tutiora, quod & ego suadeo, ubi nulla prægnans causa suadet dilationem, at siqua suadeat, procedendum hîc est animosè, secùs si Breve constaret hac clausula: *Ad septennium à die publicationis*, clarum enim esset: quòd Papa vellet septennium inchoari à die publicationis factæ in loco privilegii impetrati.

662 Singulariter autem est contra Zypeum apud Dianam *Part. 9. Tract. 2. Resol. 10. & 11.* notandum, similia Brevia neque censeri subreptitia ex eò, quòd sint petita, atque impetrata aliquanto ante finitum septennium, cujus prorogatio petitur, esto in illis ipsis Brevibus ponatur, ut solet, hæc clausula: *simili ad præsens privilegio, ut accepimus, minimè deceratum*; neque etiam minui tempus sequentis septennii ex eò, quòd Breve pro illo advenerit ad oratorem aliquanto ante finitum primum septennium; nam & primam illam doctrinam Zypæi nimis scrupulosam arbitrantur aliqui viri docti, testante, nec dissentiente Diana. *cit. Resol. 10.* & hanc secundam refellit hæc ratio, quòd alioqui nimis sæpe contingeret, ut haberentur duo, vel tres menses vacui privilegio Altaris, ut argumentatur cum Sylvio Diana *cit. Res. 11.* addente Cotonio *Celebrior. Controv. Tom. 1. Lib. 2. Controv. 11. cap. 3. n. 95.* non per quodvis tempus, validè nondum elapso primo septennio, anticipari petitiones confirmationis, ut si quis secundò, vel tertio Anno primi impetret pro secundo septennio; sed prudenter esse procedendum, pensata distantia loci à Curia Romana, & qualitate Indulgentiarum. *Nam loquendo de ea, quæ conceditur pro anniversario die alicujus Sancti: nimiam anticipationem existimo, si petatur ante ultimam Festivitatem, non si statim post illam. Si autem de Altari privilegiato, quod valet hebdomadatim, puto, peti posse eo tempore, ut secundæ literæ perveniant in locum uno mense ante completum septennium; Indulgentiæ verò septem Altarium, quæ sunt quotidianæ, ut perveniant quindecim ante diebus.* Ita Cotonius, cui ita subscribo, ut tamen nolim injicere scrupulum petentibus maturiùs, quàm indicat Cotonius, quandoquidem sum usu doctus, tam crebro ob varias causas differri contra omnem spem tum oblationem supplicum libellorum, tum horum placidationem, ut sic loquar, aut in Cancellaria Apostolica expeditionem, tum delationem ad locum destinatum, ut judicem, non posse sine multùm probabili metu sperari gratiæ actualem in tempore opportuno obtentionem, si quis sese constringat intra terminos tam arctos. Vide exemplum molestæ dilationis, quod retuli in Experientiis *Tract. 9. Cas. 23. n. 741.* junct. *n. 750.*

Denique hîc noto ex Quintanadvenna ci- 663
tatæ Appendicis *Tract. 2. dub. 3. n. 5.* tum Indulgentias ad septennium datas durare à die, qua in primo Anno inchoatum est id septennium, usq; ad diem ei correspondentem in septimo Anno, tum Annos illos ex ejusdem sententia *n. 7.* debere esse continuos, non autem interpolatos, sic enim receptum est in praxi, ex qua Pontificis intentio apparet, & aliter maxima confusio esset tum in Annorum computatione, tum in Indulgentiæ lucratione. Ita ille, cui adstipulor casu, quo in Brevi ponitur hæc clausula: *Ad proximum septennium: proximos in Annos &c. computandos*, ut jam scripsi Tract. præced. *c. 10. n. 56.* At ubi deest limitativa clausula: *proximum*, teneo constanter id, quod *cit. n. 56. & 55.* cum approbatione virorum sapientum docui, scilicet, illud septennium si occurrat cum Jubileo Anni Sancti, in quo suspenduntur Indulgentiæ Brevis, illa clausulâ carentis (privilegiatorũ Altarium non suspendi probavi authenticè in eodem *Tract. præced. cap. 10.*) posse gratiam Pontificiam extendi ad Annum ab exordio octavum inclusivè. Rationibus eo loco allatis addo hanc, quòd ipsemet

met P. Quintanadvennas, ut retulimus suprà, inde probet, licitè differri inchoationem Indulgentiæ impertitæ ad septennium absque clausula: *proximum*, quòd subditus donatus à Principe gratiâ exemptionis à Gabellis, possit differre inchoationem usûs hujus gratiæ ad unum, duos, tres Annos; atqui talis potest etiam ex justa causa interpolare illos Annos, ergo & poterit interpolare quis septem Annos Indulgentiarum, ne si non interpolet, amittat ob occursum cum Jubileo Annum integrum. Sed quia sum minimè pertinax in defendendis etiam illis meis opinionibus, quæ versantur circa argumenta à nullo, vel vix ab ullo pertractata, ideo libenter cedam Lectori, verosimiliora, quàm hîc, & alibi dixi, proposituro.

CAPUT XXXVII.

De Revocatione Indulgentiarum.

SUMMARIUM.

Omnis Indulgentia potest revocari, antequam sortiatur suum effectum. 664.

An possit revocari sola voluntate non manifestata signo externo? 665.

An revocatio Indulgentiæ habeat suas vires statim postquam est Romæ publicata revocatio? 666.

Quid si intercedat sola ignorantia publicationis requisitæ? Ibid.

Quandonam revocatio Indulgentiæ, & privilegii ad valorem in actu secundo exigat notitiam privilegiati? 667.

Et specialim an moderatio, quam Alexander Septimus fecit circa Indulgentias Quinque Sanctorum, & alias, habuerit vim, priusquam esset promulgata in singulis Diœcesibus? Ibid.

Respondetur ad objectionem de legibus irritativis contractuum. Ibid.

Derogatio privilegiorum etiam in amplissima forma nihil obest Theatinorum, & nostro Ordini, nisi fuerit intimata nobis, & ipsis. Ibid.

Quam vim habeat illa formula: Revocamus omnes Indulgentias, etiam illas, quarum de verbo ad verbum oporteret facere expressam mentionem? 668.

Et illa: Revocamus omnes Indulgentias etiam sub quacunque forma concessas? Ibid.

Enumerantur aliquæ Indulgentiæ, de quibus peculiariter dubitari potest, utrùm earum revocatio comprehendatur alterutrâ ex formulis expressis. Ibid.

Examinatur singulariter formula, qua Alexander VII. fuit usus. 669.

Consuetudo etiam facientis gratiam, aut auferentis est intuenda. Ibid.

Proponitur formula, de qua dubitare potest, an per eam censeatur revocata Indulgentia pro articulo mortis, 670.

Item illæ, quæ pro defunctis erant concessæ ante Paulum V. 671.

Hæ non involvuntur Bullis Jubileorum suspensivis, etsi hæ constent pinguissimis clausulis. 672. & 673.

Solvitur objectio petita inde, quòd eæ Indulgentiæ involvantur clausulis communicativis gratiarum. 674.

An in revocatione Indulgentiarum alicujus loci contineantur datæ ad instar earum? 675.

Et in revocatione datarum Ecclesiæ an intelligantur datæ alicui illius Altari? 676.

Quænam Indulgentiæ sint hactenus revocatæ? 677.

Describitur Declaratio Moderativa Indulgentiarum, quam edidit Alexander VII. 678.

Eo Decreto declaratorio continentur quatuor Articuli. 679.

Nullo illorum sit ullius Indulgentiæ revocatio, sed solùm moderatio. Ibid.

Illa declaratio est usu recepta. 680.

Vtrùm nomine Coronarum, & aliarum rerum, quarum Indulgentiæ modificantur, veniant etiam intentiones, seu Vota? 681.

Hæ intentiones non comprehenduntur sub propria, vel impropria significatione ullorum verborum expressorum in eo Decreto. 682.

Quare abstrahendo à judicio communi, probabile est, non esse quidquam reipsa statutum de iis. 683.

Secùs dicendum, considerato, ut debet, communi sensu. Ibid.

Adfertur causa, cur usus communis fuerit ita interpretatus illud Breve. 684.

An, qui acceperunt multas ejusmodi intentiones possint in alios partiri? 685.

An partiri & illi, qui non intentiones, sed res ipsas affectas Indulgentiis acceperunt magno numero? 687.

Quid si quis accipiat quidem à tali sed distribuendas ejus nomine? Ibid.

An, & quomodo Donatio intelligi possit in verbis Alexandri? 689.

Vtrùm clausula derogatoria: Non obstante, *quæ utitur Alexander, referatur ad membrum proximè antecedens eam?* 693.

Quandonam locum habeat doctrina multorum, quòd clausula in fine posita referatur ad omnes præcedentes? Ibid.

An decretum Alexandrinum sit intelligendum etiam de Indulgentiis concessis, aut concedendis ab ejus successoribus? 694.

An quis utiliter retineat duo numismata affecta Indulgentiis Quinque Sanctorum, retineat verò ea intentione, ut si unum amittat, alterius beneficio fruatur? 696.

Substitutio propriè quando fiat? 696. & 697.

Fuerunt æquo Religiosiores, qui post notitiam decreti Alexandrini spoliaverunt se omnibus, præter unam rebus præditis Indulgentiis ejusdem generis. 697.
Alexander per obtinentes *rem Indulgentia donatam non intellexit illos, qui obtinebant solùm commodato, aut precario.* 699.
Excipe Regulares. Ibid.
Quid censendum de illis, qui habentes multas intentiones donaverunt omnes, excepta una, aliis, statim post notitiam requisitam? 700.
An potestas applicandi intentiones Imaginibus, habeat hoc ipso jus applicandi nudis crucibus? 701.
Crux est Imago Crucifixi. 702.
Crux adoratur latriâ, eò quòd per eam, tanquam Imaginem repræsentetur nobis Christus Crucifixus. Ibid.
Enumerantur variæ Indulgentiæ, quas Congregatio declaravit esse Apocryphas. 703.
Nominatim eliminatur illa Plenaria, quæ promittitur dicentibus: Laudetur Venerabile Sacramentum. 704. & 706.
Et datæ Cardinali Friderico Borromæo. Ibid.
Et Sindoni Turinensi. Ibid.
Recens casus circa Indulgentias Crucis Caravacensis. 705.
Quid censendum de Indulgentia, quæ proponitur in Tabula deaurata Sacræ ædis Lauretanæ? 707.
Quid de illa quam scribunt esse datam Germanis tantùm semel bibentibus post Deo gratias? 709. *ad finem.*

664 Quæst. XCVII. *An, & quomodo Indulgentiæ per revocationem desinant?*

RESP. I. Omnis omnino Indulgentia potest revocari, antequam suum effectum sortiatur, DD. communiter. Nam *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur Cap.* Omnis res, *De Reg. Iuris in 5.* Et patet ex praxi Pauli V. qui tam multas Indulgentias à suis Antecessoribus concessas revocavit. Dixi: *antequam suum effectum sortiatur*: nam si sit jam effectum consecuta, non potest revocari, quoad illum effectum, quia remissio pœnæ semel facta, non potest retractari, & *Divina Clementia dimissa, in ultionem ulterius redire non patitur*, inquit Gelas. Papa relatus *Cap. fin. De Pœnit. dist. 4.* Quodsi Pontifex absque justa causa revocet Indulgentiam, valde proficuam animabus, aut pro qua obtinenda jam sunt facti aliqui sumptus, peccabit quidem, valebit tamen revocatio. Suar. *Tom. 4. in 3. p. disp. 57. n. 7.* Lugo *Tom. 3. in 3. p. disp. 27. n. 146.*

665 II. Posse Pontificem per actum voluntatis merè internum, sine ullo signo externo, revocare Indulgentiam, censent post Cordubam *q. 36. prop. 2.* Suar. *loc. cit. sect. 2. n. 10.* & Filliucius *Tract. 8. n. 242.* fatentes interim graviter peccaturum Pontificem, si ita revocaret; nam in re gravi deciperet homines. At Cardinalis de Lugo *Tom. 3. disp. 27. n. 148.* id posse negat: tum quòd Sanchez *L. 3. De Matrim. disp. 36.* ex communi tradat, privilegium non posse revocari per solam internam voluntatem, tum quòd non possit dari ratio, cur ad Indulgentiam validè conferendam requiratur signum aliquod externum, juxta opinionem ipsiusmet Suar. & communem, relatam *n. 80.* non autem tale signum requiratur ad revocationem validam Indulgentiæ. Respondet quidem Filliucius, eam hujus rei esse rationem, quòd faciliùs sit destruere, quàm construere, & quòd bonum sit ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu. Verùm etsi hæc responsio parit priori sententiæ probabilitatem, non potest tamen negari, quin posterior sit valde probabilis.

III. Etsi revocatio Indulgentiæ sit facta 666 publicè, affixáque Romæ Bulla revocatoria illius, non tamen statim incipit ubique desinere ejus valor. Navar. *De Iubil. Not. 31. n. 28.* Sa *n. 9.* & alii communiter. argum. *L.* si procuratorem, *ff. De Procur.* sed tamdiu singulis in provinciis durat, donec communi, & morali modo ad eas potuerit pervenire revocatio, ut rectè addunt Suar. *cit. sect. 2. n. 9.* & Filliucius *n. 241.* eò quòd alioquin orirentur nimis magna incommoda, & deceptiones.

Imò quamdiu quis invincibiliter ignorat, revocatam esse Indulgentiam, tamdiu non modò licitè, ut per se patet, sed etiam validè utitur illâ, favoribúsque ei annexis. Ita Navar. *loc. cit.* Pellizar. *Tract. 8. n. 180.* Corduba *cit. prop. 3.* probans id ex communi Doctorum sensu; de aliqua revocatione Indulgentiæ datæ à Callisto Papa, peracta per ejus successorem. Unde Suarez & Filliucius *ll. cc.* cum Reginaldo *Lib. 7. n. 163.* ac Bonacin. *p. 8. n. 8.* inferunt esse probabile, quòd quamdiu quis invincibiliter ignorat factam revocationem, validè absolvatur per quemcunque ab iis casibus, à quibus poterat ante revocationem absolvi, eò quòd prudenter, & piè possimus ita interpretari mentem Pontificis.

Et verò minimè dubitari debet, quin gene- 667 ratim loquendo, tunc revocatio ad sui valorem in actu secundo exigat notitiam utentis privilegio Indulgentiæ legitimè datæ, quando ultra privationem ipsiusmet Indulgentiæ accideret aliud malum, ut exempli gratiâ nullitas absolutionis, Votorum commutationis &c. tunc enim necessariam esse talem notitiam particularem (ubi abest ignorantia crassa, vel affectata) censent præter citatos Cotonius *Celebrior. Controv. Lib. 2. Controv. 11. c. 3. n. 17.* Diana *Part. 10. Tract. 8. Resol. 10.* post Amicum, quem ipse citat, & à fortiori illi qui absolutè, ac sine distinctione negant efficacitatem revocationis ante notitiam instructi Indulgentiâ. Et verò ita illimitatè negant ultra Navarrum, Cordubam, & alios suprà Vasq. *Tom. 2. in 1. 2. disput. 156.* Quintanadven. *in Appendic. Tract. 2. dub. 3. n. 6.* Pellizarius in Manuali Regular. *Tract. 8. cap. 5. sect. 5. n. 182.* Bordonus apud ipsum, testantem (sed falsò) ita docere omnes cum Silv. Bonacina, aliis apud eundem Pellizarium, non dissentiente Dicastillo *Tom. 2. in 3. Part. Tract. 9. disp. 2. dub. 20. num. 281.* dissentientibus autem Diana *loc. cit.* Amico apud ipsum, Cotonio *loc. cit.* Ratio communis sententiæ est, quòd privatio Indulgentiæ saltem plenariæ non sit exiguum damnum. Quapropter censeo, esse probabilissimum, nullo tamen modo certum, quòd decretum, seu Bulla Alexandri VII. referenda paulò inferiùs, qua limitantur nonnullæ facultates Indulgentiarum ab ipsius Prædecessoribus impertitarum, non habuerit suam vim respectu vel illorum, in quorum Diœcesi non fuit publicatum illud decretum, seu declaratio, (sicut Anno 1657. respondi literis interrogatus à quodam Professore Theologiæ,) vel illorum etiam ignorantium, in quorum Diœcesi fuit publicata, sicut hic Constantiæ.

Quòd si objicias adversus hanc sententiam, leges irritativas post debitam promulgationem ita ligare etiam ignorantes, ut contractus contra talem legem initus ab iis non subsistat, sicut cum pluribus docet Vasq. *cit. disp. 156. cap. 3. n. 23.* Respondeo, abstrahendo à probabilitate opinionis contrariæ huic Vasquezianæ, esse hanc disparitatem, quòd si ignorantia legis irritativæ contractuum generatim elideret vim hujus in actu secundo, aperiretur via multis mendaciis perniciosis bono publico, & privato tertii; multi quippe eam falsò allegarent; est autem malitiis hominum obviandum Cap. *Plerumque. De Rescript.* atqui nullum tale incommodum pertimescendum est ex alterutra è sententiis de Indulgentiarum revocatione indicatis. Examinet Lector hanc responsionem, & solutionem, quam fateor non esse à me lectam apud quemquam, at legi apud Dianam *Part. 3. Tract. 2. Resol. 68.* derogationem in amplissima forma, privilegiorum Societatis nostræ, & Theatinorum non præjudicare nobis, aut hisce, si non fuerit intimata nostræ, & ipsorum Religioni respectivè; quam singularem gratiam erit fortè, qui extendat ad Indulgentias datas nobis saltem directè, & solis. Sed nihil determino.

668 IV. Cùm in Indulgentiis Quinque Sanctorum, S. Caroli, & quibusdam aliis expressè dicatur, illas non censendas esse revocatas, nisi in Bulla revocatoria fiat expressa mentio omnium articulorum, seu capitulorum, quibus hæ Indulgentiæ constant, facilè patet, non censeri revocatas per Bullam præcisè dicentem: *Revocamus qualescunque Indulgentias à nobis, vel nostris Antecessoribus concessas.* argum. communis doctrinæ de revocatione privilegiorum. Si tamen Bulla ita sonet: *revocamus omnes Indulgentias, etiam illas, quarum de verbo ad verbum oporteret facere expressam mentionem*, tunc per hanc revocatoriam formulam censerentur revocatæ hæ Indulgentiæ. Quod etiam ex mente Palai *Tract. 3. disp. 4. p. 21. n. 4.* & aliorum, dicendum est, quando formula revocatoria ita sonat: *Revocamus Indulgentias omnes, sub quacunque forma concessas.* Vide Suarezium de Legib. *Lib. 8. cap. 38.* & doctrinam ejus de revocatione privilegiorum huc applica.

Hæc tamen doctrinam caret difficultate, propter ea, quæ in contrarium docet cum aliis Cynus apud Petrum Andream Gambarum *De auctoritate Legati. Lib. 8. Tit. 2.* & refertur *Tom. 3. Tract. Iuridic. Part. 2. fol. 214.* & ob quæ videri queat esse probabile, quòd per hanc formulam non sufficienter indicetur revocatio prædictarum Indulgentiarum. Multò minùs illarum, quæ dantur cum illa singularissima clausula, qua firmantur Indulgentiæ pronuntiantium Nomen JESU, quam retuli *num. 603.* & qua etiam firmantur à Gregorio XIII. gratiæ Congregationis Annuntiatæ, & à Paulo V. qualiacunque privilegia, & gratiæ unquam Societati JESU concessa.

At *quid dicemus de Decreto Alexandri VII.* 669 *toties citato, citandóque?* Etenim ejus vis adamantina non firmatur alia clausula, quàm hac: *Quacunque concessione in contrarium non obstante, etiamsi de ea specialis, & expressa mentio facienda esset, cui per præsentes sua Sanctitas derogavit, & derogatum esse voluit.* Resp. Quandoquidem consuetudo est interpres non modò Legum propriè dictarum, sed etiam Privilegiorum, imò & in specie ipsarummet Indulgentiarum, ut non semel ex sensu sapientum indicavi in decursu, consuetudo autem post Alexandrinam Declarationem, & Decretum inducta declaravit genium Innocentii X. qui etiam Principibus Personis negavit Indulgentias Quinque Sanctorum, quas unà cum S. Caroli, aliisque consimilibus cupiebat ob ipsarum amplitudinem, & fortè ob multas earum occasione admissas deceptiones maturè sepeliri, ita potenter immigrâsse in successorem Alexandrum, ut omnino voluerit, & fortè etiam non semel coram aliis disertè manifestârit, velle se, suam generalem declarationem intelligi tam amplè, quàm si expressisset omnes excogitabiles specificationes. Monent ICti *Leg. Si servus plurium. §. in fine. ff. De Legat. 1.* & in his singulariter Jason *in cit. Legem*, inter septem conjecturas, quæ declarant verba obscura testatoris (ac Principis) primum locum tenere consuetudinem testatoris, con-

fuêverunt autem, nec sanè immeritò, Innocentius, atque Alexander, esse parcissimi in largiendis amplis Indulgentiis, ut testantur tam multæ repulsæ, quas plurimi passi sunt circa Indulgentias Personales, Reales, & Locales. Adde, quòd Alexander non revocârit ullas Indulgentias, sed tantùm aliquas gratias ipsi accidentaliter annexas, ut patet legenti.

670 Quæst. XCVIII. *Indulgentiæ pro articulo mortis concessæ, censenturne revocatæ per hanc formulam: Revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus, omnes & singulas Indulgentias, quibuscunque Ordinibus, ac Personis Regularibus, aut Sæcularibus quovis modo concessas, confirmatas, innovatas?*

RESP. Negant Lezana *V. Indulgentia n.* 10. & apud ipsum Alphonsus Leo, Peyrinis, & Novarius: nam hi Doctores dicunt, per Bullam Pauli V. explicatam suprà *cap.* 27. *n.* 544. & 545. non revocatas fuisse Indulgentias pro articulo mortis concessas Regularibus; & tamen illa Pauli V. Bulla constat hac ipsâ formulâ, quam attuli, ut videre est in ejusdem §. 9. apud Cherubinum in Bullario.

671 Addit idem Lezana *n.* 11. post Peyrinum, & Novarium, illâ eâdem revocatoriâ formulâ, non comprehendi Indulgentias, quæ pro defunctis datæ fuerunt ante Constitutionem Paulinam. Probat, quia quæ speciali nota digna sunt, non censentur esse sublata, nisi expressè nominentur, ut tradunt communiter Doctores, qui teste eodem Lezana *Tom.* 1. *cap.* 3. *n.* 19. hoc axioma desumunt ex *L.* Item, apud Labeonem 15. *ff. De Injur. & fam. Libell.* §. Ait Prætor. Verùm non video, quomodo ex illo §. possit id Axioma desumi. Rectiùs desumeretur ex eadem ipsâ Lege §. *Idem ait*: nam ibi fit in actu signato limitatio sententiæ generalis, quæ circa convitium lata erat, *cit. §.*

672 *Ait Prætor*. Probat secundò inde, quòd ita omnino deceat sentire de Summorum Pontificum pietate. Probat tertiò, quòd ipse Paulus V. declarârit, suâ Bullâ revocatoriâ non comprehendi Indulgentias pro Regularibus defunctis concessas. Et Urbanus VIII. Illustrissimo Domino Coccino, Vices gerenti Pœnitentiariæ, Anno 1625. declarârit, Anno Jubilei, (quo solent expediri Bullæ suspensivæ Indulgentiarum, valde pinguibus, ut cum Gamparo loquar, clausulis suspensivis constantes, sicut patet ex Bullis relatis in Tract. de Jubil. *c.* 8.) nequaquam suspendi Indulgentias concessas pro articulo mortis.

673 Ego propter talium Doctorum auctoritatem, & rationes non malas existimo, esse satis probabile, quòd Indulgentiæ pro defunctis, & pro articulo mortis non antiquentur per ejusmodi clausulam. Huic ipsi doctrinæ majorem auctoritatem conciliant ii, qui, ut retuli in Tract. de Jubil. *n.* 44. negant, in Jubileis suspendi has Indulgentias; nam si verba Bullarum, quibus in Jubileo dicuntur suspendi omnes Indulgentiæ comparemus cum verbis Pauli V. suprà relatis, cernemus, illa esse his longè magis emphatica, seu efficacioribus, universalioribúsque clausulis munita. Unde sicut *cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus. Cap. Cui licet, De Reg. Jur. in* 6. sic etiam cui probabiliter licet Bullas Jubilei ita interpretari, ut non derogent Indulgentiis de quibus loquimur, eidem erit jus Bullam Pauli V. eíque similes ita exponendi, ut expositio non cedat in prædictarum Indulgentiarum interitum.

Nec obstat, quòd non semel hactenus insinuaverim, Indulgentias pro defunctis, & pro articulo mortis alicui loco, vel Ordini cum aliis plenariis, & partialibus concessas, sufficienter censeri communicari alicui loco, vel Ordini, quando dicitur: *Omnes, & singulas Indulgentias huic loco, vel Ordini concessas, impertimur etiam isti loco, aut isti Ordini*; Nam in promptu est contra hanc objectionem Regula 15. de odiis restringendis, & favoribus ampliandis. 674

Quæst. XCIX. *Quando revocantur Indulgentiæ alicujus Ecclesiæ, aut Ordinis, censenturne revocatæ Indulgentiæ alteri loco, aut Ordini instar earum concessæ?* 675

RESP. Non censentur. Ita Navarrus *De Jubil. Not.* 26. *n.* 8. nam etsi ejusmodi Indulgentiæ à prioribus pependerint quoad productionem, non tamen pendent quoad conservationem; sicut privilegia uni Academiæ, instar alterius Academiæ privilegiorum concessa, non tolluntur sublatis illius alterius privilegiis juxta Baldum communiter receptum, in *L. Omnia, C. De Episc. & Cleric.*

Quæst. C. *Revocatis Indulgentiis omnibus, quæ alicui Ecclesiæ sunt concessæ, censenturne revocatæ illæ, quas habet unum, alterumve illius Ecclesiæ Altare privilegiatum?* 676

RESP. Non censentur revocatæ; nam non est ratio, cur nomine Ecclesiæ intelligamus in hac odiosa materia etiam Altaria. Consentit haud dubiè Lezana *V. Bulla Cruciata. num.* 41. Confirmatur ex responsionibus ad *quæst.* 98. datis.

Quæst. CI. *Quænam Indulgentiæ sint hactenus revocatæ?* 677

RESP. Jam dixi *n.* 545. fuisse à Paulo V. revocatas, quas ejus antecessores concesserunt Regularibus. Deinde B. Pius V. Bulla 14. in Bullar. Rodriq. recenset, quinam ejus prædecessores sustulerint Indulgentias, quæ manus adjutrices, & quæstum continebant, ipséque eas etiam omnes in futurum verbis gravissimis, ob grandia scandala occasione illarum orta, antiquat. Disce, si placet, tum ex Navarro *Not.* 31. *n.* 46. tum ex ipsomet Concilio Tridentino *Sess.* 21. *c.* 9. *De Reform.* quantam olim nequitiam exercuerint Quæstuarii.

Tertiò huc spectant fortè nonnullæ ex Indulgentiis illis, quas esse à Sede Apostolica declaratas Apocriphas referam paulò pòst, non enim est incredibile, nonnullas earum aliquando fuisse concessas, at postmodum abrogatas, ut patebit paulò pòst.

678 Quartò autem vel maximè huc spectat revocatio ab Alexandro VII. verbis hìc repræsentatis peracta.

DECLARATIO.

Et Decretum Sanctissimi D. N. Alexandri Papæ VII. super Indulgentiis, quæ tam à Sanctitate sua, quàm ab ejus Prædecessoribus Coronis, Rosariis, granis, calculis, crucibus, numismatibus, Medalliis vulgo nuncupatis, & Sacris Imaginibus benedictis, hactenus concessæ sunt, & imposterum à Sanctitate sua concedentur.

Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. declarat, ac decernit, quòd, quæcunque Coronæ, Rosaria, Grana ac a *Calculi*, a *Cruces, Numismata, Medallia vulgò nuncupata, & sacræ Imagines sive sint S. Caroli Borromæi, sive Quinque Sanctorum à fel. record. Gregorio XV. Pont. Max. in Sanctorum numerum relatorum, sive quæcunque aliæ cum Indulgentiis ante à Romanis Pontificibus Sanctitatis suæ Prædecessoribus* b b *benedictæ, & concessæ, quæ quidem in hunc* c *usque diem distributæ sunt, non transeant* c *personam illorum, qui ea de præsenti obti-* d *nent; neque commodari* d *aut etiam precario dari possint, & quæ à Sanctitate sua concessæ sunt, vel imposterum concedentur, non tran-* e *seant* e *similiter personam illorum, quibus ab* f *eodem Sanctissimo* f *concessæ fuerint, vel qui-* g *bus à Prædictis* g *de ordine ejusdem Sanctissi-* h *mi prima vice distributæ fuerint, ita* h *ut à nemine aliis commodari, vel precario conce-* i *di possint: alioquin careant* i *Indulgentiis concessis.*

k *Et quantum* k *attinet ad Coronas, Rosaria, Grana, Calulos, Cruces, Numismata, Medallia vulgo nuncupata, & sacras Imagines cum Indulgentiis ab iisdem Sanctitatis suæ Prædecessoribus benedictas, & concessas, quæ in hodiernum usque diem effectum sortitæ* l *non sunt, id est nulli* l *hactenus distributæ sunt, nemini uti benedictæ deinceps distribui possint. Quodsi de facto distribuantur, careant* m *Indulgentiis jam concessis.* m

Ac n *alicui ex rebus præmissis, ut præfer-* n *atur, benedictis perditæ* o *altera pro ea subro-* o *gari* p *nullo modo possit, quacunque concessione* p *in contrarium non obstante, etiamsi de ea specialis, & expressa mentio facienda esset, cui per præsentes Sanctitas sua derogavit, & derogatum esse voluit. Datum Romæ die VI. Febr. 1657. Pontificatûs ejusdem Sanctissimi D. N. Anno secundo.*

G. GUALTERIUS

Romæ ex Typographia, Rev. Cameræ Apostolicæ 1657.

679 ITa Alexander VII. qui hoc suo Decreto in hibet quatuor. Primum, ne res ornatæ Indulgentiis, jámque distributæ ab Antecessoribus transeant etiam per modum commodati &c. personas pro eo tempore obtinentes illas. Secundum, similiter non transeant illæ, quæ ab ipsomet Alexandro jam distributæ sunt, vel distribuentur. Tertium, ne res jam ornatæ quidem Indulgentiis, attamen nemini adhuc distributæ (à Papa ullo) distribuantur in posterum cuiquam. Quartum, ne rei sacræ amissæ substituatur alia. Et quibus patet, nullas Indulgentias esse formaliter revocatas, seu abolitas ab hoc Pontifice, sed tantùm aliquas nonnullarum prærogativas cum inhibitione, ne quis ulla talium prærogativarum imposterum utatur sive respectu illarum Indulgentiarum, quas habuit ante hoc Decretum, sive respectu earum, quas post illud nacturus est. Ubi revocanda sunt in mentem ea, quæ ante præsens decretum tradidi in hac secunda parte hujus Tractatus *Cap.* 13. & 14. de commodatione, ac substitutione rerum Indulgentiis affectarum; & quæ quidem obtinebant tunc veritatem, utpote nitentia perspicuis verbis Pontificum donantium Medallia, Imagines &c. talibus prærogativis, at sublata sunt jam illa, ut ita dicam, privilegia, & hoc ipso extinctæ multæ Chiliades, ne dicam myriades præstantium Indulgentiarum, utpote sepultarum cum iis, qui in vivis habebant vel unam, pluréfve res affectas Indulgentiis, vel intentiones, seu vota, adeóque potestatem applicandi Indulgentias sacris Imaginibus, crucibus Rosariis &c.

Quæ doctrina non parùm faciens ad praxin, 680 ut fundamentaliter intelligatur, placet referre, ac resolvere aliqua dubia, quæ ratione hujus ipsius Decreti Alexandrini partim mihi

ultro occurrunt, partim propoſita mihi fuerunt verbo, aut ſcripto, tum immediatè poſt notitiam illius Decreti, tum etiam diu poſt, adeóque etiam proximis diebus.

Suppono autem ex dictis ſuprà *n.*667. hoc Decretum eſſe quidem uſu receptũ, at non cœpiſſe habere robur, niſi in Diœceſibus, in quibus fuit publicatum, & probabiliſſimè niſi etiam reſpectu perſonarum, quibus innotuit illa ipſa Declaratio. Hoc ſuppoſito.

681 Primum dubium eſt: *Quomodo ſint intelligendæ nonnullæ clauſulæ hujus Declarationis.* Et inprimis, *utrùm nomine Coronarum lit.*a. & k. *cæterarumque rerum ibidem expreſſarum intelligantur etiam Vota, Benedictiones, ſeu Intentiones, ut vocamus, applicandæ ipſiſmet Coronis, Roſariis &c?* Ratio negandi eſt, tum quia ipſæ intentiones nec propriè, nec impropriè vocantur Coronæ, Roſaria &c. ut per ſe liquet, tum quia Papa loquitur *lit.*b. ſolùm de rebus, & benedictis, & conceſſis cum Indulgentiis; atqui intentiones nec benedicuntur, nec conceduntur cum Indulgentiis, ſed ſunt jura ornandi Indulgentiâ rem aliquam materialem ſacram, ut Roſarium; tum quia idem *lit.*d. loquitur ſolùm de rebus, quæ ex ſe commodari, aut precario dari poſſunt; atqui neutrum horum convenit intentionibus, tum quia idem *lit.*i. ſolùm loquitur de rebus, quæ poſſint ſpoliari Indulgentiis conceſſis; atqui intentiones nequeunt ſpoliari Indulgentiis, utpote quas nunquam habuerunt; tum quia *lit.*k. Pontifex intelligit per Coronas, & Roſaria &c. idem, quod hiſce vocabulis intelligit *lit.*a. atqui ibi diſertè loquitur ſolùm de rebus benedictis, quo quidem nomine nullatenus venire intentiones poſſunt, ut vidimus paulò antè. Denique idem Pontifex §. *finali* loquitur de re perdita, ac fatetur, eſſe ſibi ſermonem *de præmiſſis*, atqui intentiones non poſſunt perdi.

682 Hæ rationes omnino probant, intentiones non comprehendi ullo verbo, ſeu ulla ſignificatione propria, vel impropria ullius verbi extantis in hoc Decreto. At recténe infertur: *Ergo hoc Decretum non extenditur ad illas eaſdem intentiones*? Ratio admittendi hanc illationem eſt hæc, quia non ſubeſt fundamentum adſtruendi oppoſitum niſi propter identitatem rationis. At in primis Papa nullam prorſus rationem ſui Decreti adfert; atqui extenſio legis ultra omnem verborum ſignificationem non debet fieri ob identitatem rationis, niſi ea ratio exprimatur in Lege. Abbas *in cap.* 1. *De Iuram. calum. n.*8. atque alii plures. Deinde, eſto Legis extenſio ob rationis identitatem admittenda ſit in Lege favorabili, nullo tamen modo in Lege correctiva, & pœnali ſimul. Expreſſè Everhardus *in Locis. loc.*79. *n.*24. poſt Gloſſ. Romanum, & alios, loquens etiam de caſu, quo ratio major militat æquè pro omiſſo, quàm pro expreſſo. Eſt autem hoc Decretum & Correctivum multarum formularum continentium Indulgentias, & pœnale, cùm imponat pœnam amittendi Indulgentiam. Denique eſto licita ſit hæc extenſio in legibus etiam odioſis, adeóque pœnalibus & Correctoriis, attamen in iis habet locum tunc ſolùm, quando ſine tali extenſione non poteſt ſervari juſtitia, & rectitudo in gratiam obſervantium leges, ſecùs ſi poſſit ſine hac ſervari prudens diſpoſitio, & juſtitia. Expreſſè, & ex inſtituto Suarez *De Legib. Lib.*6. *cap.*4. *num.*3. Atqui licèt Papa non excluſiſſet intentiones, conſervaretur tamen prudens diſpoſitio, non enim quidquam contra diſcretionem, aut juſtitiam, prudentiámve egiſſet Pontifex, ſi expreſſiſſet, ſuum decretum eſſe intelligendum de ſolis rebus affectis Indulgentiâ, non autem de intentionibus.

Hæ ſanè rationes petitæ ex communibus, 683
receptiſque Principiis, ſeu Regulis Theologiæ, Juriſque peritorum demonſtrat, non fore dignum exſibilatione, qui abſtrahendo à judicio communi, de quo mox, propugnaret hanc hypotheſin: *Alexander VII. nihil prorſus aut directè, aut indirectè, explicitè, vel implicitè ſtatuit in illo ſuo Decreto de Intentionibus, ſeu Benedictionibus Indulgentiarum, ſed eas omnino reliquit in valore, quo gaudebant ante idem Decretum.* At verò exiſtimo, me à noſtris Germanis (& utique etiam Italis) explosum iri, ſi etiam conſideratis hiſce principiis ſuſtinerem nunc tueri illam propoſitionem. Ratio eſt, quia liquidò novi, Doctiſſimos, addo & ſapientiſſimos quoſque viros, ac Prælatos Sæculares, Regularéſque ita ſentire nunc, & ſenſiſſe mox poſt factam promulgationem, ſi loquamur de intentionibus, quæ poſſidebantur ante Decretum Alexandri. Ut proinde metuendum mihi foret, ne in me retorqueretur illud telum, quod è pharetra Baldi deſumptum haud ſemel torſi in multos patronos opinionum prorſus abhorrentium à ſenſu Communi: *Non bene loquitur, qui contra omnes loquitur.* Cauſam ita interpretandi illud Decretum ha- 684
buêre hanc, ni fallor, quòd cognitis, & ponderatis Innocentii, & Alexandri genio, propenſione, factis, de quibus ſuprà *n.*669. exiſtimaverint, licèt Everhardus *cit. loco* 79. *n.*14. cum permultis, quos addenſat, pronuntiet, eſſe pro Regula tenendum, quòd in Legibus, & Canonibus Correctoriis non ſit licita extenſio etiam ex majoritate rationis, nihilominus fas eſſe recedere in hoc caſu ab illa Regula, tum quia & eam abſolutè negat Sfortia Odd. *Conſ.* 38. *n.*8. *Lib.*1. apud Barboſam *Loco* 67. *n.*4. & eandem limitat poſtea idem Everhardus: & extenſio in præſenti materia non eſt extenſio propriè dictæ Legis, aut Canonis, ſed puræ gratiæ; atqui à diverſis non valet illatio, & apparet quædam inconcinnitas, ſi cùm Alexandrum impulerint ad præſentem reformationem decernendam cauſæ adductæ *n.*131. non etiam impulerunt ad intentiones, ſeu benedictiones moderandas, quandoquidem multitudo intentionum nata eſt parere multò plures deformitates, ac deceptiones voluntarias, & involuntarias, quàm Imaginum e.g. & denique illarum in ſuo valore tacita, vera tamen confirmatio directè pugnaret contra cauſam finalem Decreti, quæ quidem erat, ut quàm citiſſimè poſſet, eliminaretur uſus tam amplarum Indulgentiarum, quas expreſſè, & implicite nominat Papa Alexander. Hæc ratio certò probata noſtris Romanis ſapientiſſimis Theologis, perſuaſit mihi, & pluribus aliis, ut reor, ut quàm primùm innotuit nobis authenticè illud Decretum, ejúſque jam jam inſtans publicatio, diſtribuerimus inter carentes Indulgentiis multas centurias, imò chiliades intentionum, metu, ne non diſtributarum gratia penitus interiret. At oritur.

685 Secundum dubium: *Quid cenſendum de iis, qui poſt illud ipſum Decretum acceperunt, vel ab ipſomet Alexandro, vel ab ejus ſucceſſore Clemente IX. aut Illuſtriſſimo Domino Nuntio Apoſtolico plurimas intentiones novarum Indulgentiarum*? Sicuti novi quendam olim Vicarium Generalem, cui Illuſtriſſimus Dominus Nuntius largitus fuit primùm abhinc quinquennium millenas. *An etiam hæ non poſſunt transire perſonam, quæ immediatè accepit à nominatis*?

686 RESP. Si ſtandum ſit judicio Dianæ relato ſuprà *cap.*11. *n.*131. tenebuntur ejuſmodi donatarii, acceptas intentiones applicare immediatè materiæ capaci, quod & ego cenſeo ſalvo aliorum ſecus arbitrantium judicio; propter rationem fundatam immediatè in Brevi, ſeu Decreto à nobis explicato, utpote in quo tam diſertè inhibetur ille tranſitus in tertiam perſonam reſpectu Roſariorum, Coronarum &c. etiam in futurum benedicendorum; ergo & reſpectu intentionum in futurum impertiendarum; ſiquidem oſtendimus, ſtatuta de ipſis rebus materialibus, quibus applicatæ jam ſunt Indulgentiæ, eſſe etiam ſtatuta de benedictionibus, cenſebitur autem tunc applicare immediatè, quando dicet alicui: *Do tibi decem intentiones, quas ex nunc pro tunc affigo totidem ſacris rebus à te determinandis*, ſicuti recentiſſimè fecit mecum Vir primæ authoritatis. At, quid reſpondendum ad hoc

687 Tertium dubium. *An qui ab Alexandro Pontifice acceperunt ante, aut poſt factam reformationem multas dodecades, aut etiam centurias rerum benedictarum, ſeu Indulgentiis donatarum, validè illas redonent alteri*?

Ratio negandi eſt, quia in Decreto Alexandrino *lit.*e. & f. expreſſè ſtatuitur: *Quæ* (res benedictæ) *à Sanctitate ſua conceſſæ ſunt, vel impoſterum concedentur, non tranſeant ſimiliter Perſonam illorum, quibus ab eodem Sanctiſſimo conceſſæ fuerint, vel quibus à prædictis* (quibus ſcilicet conceſſit Alexander) *de ordine ejuſdem Sanctiſſimi prima vice diſtributa fuerint.*

Ratio aſſerendi eſt, quia Pontifex Alexan- 688
der erat utique memor illius ſapientis interrogationis: *Sapientia enim abſcondita, & Theſaurus inviſus quæ utilitas in utroque*? *Eccl.* 41. *v.* 17. Foret autem Theſaurus Indulgentiarum inviſus, abſconditus, & inutilis, ſi tanto numero remaneret apud quempiam. Ergo neceſſariò dicendum, eſſe in eo §. ſermonem de una tantùm, alterâve Corona e.g. donata Cajo, aut etiam de decem, quas fortè idem Cajus accepit à Papa pro totidem ſuis amicis familiaribus &c. quas nominârat Pontifex. Si igitur accepit magnum numerum ſine ulla determinatione perſonarum, poterit illum partiri, in quos viſum fuerit, ita tamen, ut his non ſit fas tranſferre in alios proprio nomine, ſed nomine Cajî. Qua de cauſa cùm ab hinc circiter octennium quidam nobilis Adoleſcens attuliſſet ex Urbe complures dodecades Roſariorum benedictorum à ſua Sanctitate, mihique liberaliter offerret decem, imò viginti ejuſmodi, nolui aliter accipere, quàm ut ejus nomine, & tanquam nudiſſimus miniſter, dividerem in nonnullos domeſticos, atque externos; ſicut & non ita pridem feci cum intentionibus, eas certis rebus applicando ex mente illius, qui mihi donaverat cum hac ita applicandi conditione, acceperat autem immediatè à Clemente IX.

At fortè objiciet quiſpiam, me eſſe æ- 689
quo ſcrupuloſiorem, quandoquidem Alexander non videtur vetare donationem, ſed tantùm commodationem, precariámque traditionem, etenim poſt inhibitionem tranſitûs in tertiam, ſeu aliam perſonam, ſubjicit *lit.* h. hæc formalia: *ita ut à nemine aliis commodato, vel precario concedi poſſint, alioquin careant Indulgentiis conceſſis.* Quæ verba cùm videantur explicativa inhibitionis de facto tranſitu, ſintque & correctiva priorum indultorum, & pœnalia, nequaquam extendenda ſunt ad donationem.

Augetur inde difficultas, quia Alexander 690
potuit habere juſtam cauſam, ob quam inhiberet, ne commodatò, aut precariò concederentur illæ res, eſto permitteret donationem; quia per donationem nequaquam fit tranſitus ad tam multas perſonas, quàm per commodationem ſtrictè dictam, id eſt cum jure repetendi tempore determinato, latéve ſumptam, ſeu cum jure repetendi ad libitum.

Cenſeo nihilominus, vel maximè donatio- 691
nem eſſe interdictam, ac proinde clauſulam: *Ita ut à nemine commodato &c. concedi poſſint*, eſſe hoc modo intelligendam: *ita ut à nemine*

ne

ne quidem commodato, aut precario &c. Ratio ita interpretandi est communis persuasio possidentium res tales, innixa tum proprietati verbi *transitùs*, quod nomen apponit ipse Alexander *lit. c.* & d. Commodationi, & Precariæ concessioni, tum fini, ob quem edita est illa quoad materiam præsentem de illo transitu non tam declaratoria, quàm propriè abrogatoria sanctio juris concessi à Paulo V. pro Indulgentiis S. Caroli Borromæi, & à Gregorio XV. pro Quinque Sanctorum. Si enim donatio non esset inhibita, tum Indulgentiæ illæ tam illustres, & fœcundæ possent permanere in sæcula sæculorum, quod tamen præcipuè, & unicè voluit impedire Alexander, ut proinde arbitrer, in illum, qui negare contenderet prohibitionem donationis, casuram postremam Regulam Juris Canonici *in 6. Certum est, quòd is committat in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.*

692 Quartum dubium: *An clausula: non obstante lit.* p. *referatur solùm ad declarationem, seu derogationem expressam §. in fine lit.* n. & o? Ratio negandi est, quia & generatim clausula in fine dispositionis posita non refertur ad antecedentia, quando antecedentia sunt vel rationis diversæ à sequentibus. Sanchez *Lib. 6. De Matrim. disp. 22. num. 19.* vel vellita specifica aliqua clausula. Marta *De Clausulis Part. 4. Clausul. 1. n. 2.* & speciatim clausula: *non obstante* non derogat privilegiis liberaliter concessis à Principe, nisi fiat eorum mentio expressa. Moneta *De Commutat. ultimar. volunt. Cap. 7. n. 161.* apud Barbosam *Clausu. 83. n. 12.* Atqui & Indulgentiæ æquiparantur privilegio, & hujus in prima, & secunda parte hujus declarationis indicatæ, nulla fit expressa, aut etiam propriè implicita mentio in hac postrema parte.

693 Nihilominus dicendum est, clausulam finalem: *non obstante* referri non solùm ad membrum immediatè præcedens hanc clausulam, illud, inquam, in quo interdicitur substitutione rei in locum perditæ, sed etiam ad duo præcedentia, quæ scilicet tangunt transitum ad tertiam personam, & distributionem nondum distributorum. Ratio est, quia generalis multorum doctrina cum Marta de clausulis *Part. 4. Claus. 23. n. 1.* docentium, clausulam finalem referri ad præcedentia, etiam quando horum est à postremis diversa ratio, locum habet saltem tunc (abstrahendo ab aliis casibus) quando dispositio præcedens esset nulla, si ad eam non referretur subsequens: quandoquidem præsumptio, quòd actus ita sit gestus, ut valeat, & nullitas removeatur, superat omnes alias præsumptiones, ut alibi refero ex ICtis: foret autem nulla, & frustra hæc declaratio relata ad materiam sub *lit.* b. & k. contentam, si non muniretur solenni clausula non obstantiarum; siquidem Indulgentiæ S. Caroli, & Quinque Sanctorum sunt confirmatæ tam specialibus clausulis, ut si eæ non elidantur aliqua peculiari provisione, non possit censeri esse quidquam ipsis derogatum. Denique voluntas in omnibus dominatur *L. In conditionibus Cod. De Condit. & Demonst.* est autem hîc perspicua voluntas Alexandri VII.

Quintum dubium: *Vtrùm Decretum Alexandri extendendum sit ad Indulgentias, quas ejus Successores concedent?* 694 Ratio dubitandi est, quia Alexander loquitur solùm de Indulgentiis & concessis ab Antecessoribus, & à seipso etiam concessis, vel in posterum concedendis, ut liquet ex contentis sub *lit.* b. d. k. & cùm *lit.* n. vetat, ne rei amissæ substituatur alia, disertè ait: *Re aliqua ex præmissis deperdita.* At qui præmisit solùm res benedictas à se, antecessoribúsve, aut benedicendas à se.

RESP. I. Si sequentes Pontifices non instituant novam formulam Indulgentiarum, sed confirment solùm Alexandrinam, seu Innocentianam, utique Bulla seu declaratio Alexandrina exeret suas vires etiam in confirmatam formulam, quandoquidem res quælibet intelligitur cum qualitatibus ei annexis. Suarez *Tom. 5. in 3. p. disp. 33. sect. 1. n. 2.* transitque cum suo onere *L. Is cui opus. ff. De nov. oper. nuntiat.* ibique latè Jason. *n. 6.* At verò si Indulgentiæ posteriorum Pontificum sint novæ, adeóque nova formula, videtur hoc decretum utpote valde odiosum non debere iis applicari. Verùm quia Pontifices censentur in dubio vestigia suorum Antecessorum sequi, & verbum *Declaratio* extenditur etiam ad futura, suprà *Cap. 7. n. 320.* idcirco inclino ad partem severiorem. Et verò Clemens IX. in formula suarum Indulgentiarum sequitur stylum Alexandri, sicut & S. D. N. Clem. X. in Indulgentiis S. Franc. Borgiæ, seu novorum Quinque Sanctorum. 695

Sextum dubium: *An possit aliquis duo numismata iisdem Indulgentiis affecta v. g. Quinque Sanctorum retinere, ut si casu aliquo unum amiserit, habeat aliud, vi cujus possit Indulgentias lucrari?* 696

Est non nemo, qui putet, hanc esse substi- „
tutionem unius pro alio prohibitam in De- „
creto S. D. N. quod ego quidem non credo; „
substitutio enim in locum alterius videtur mi- „
hi tunc fieri, quando id, quod substitui, seu „
subrogari dicitur, prius nondum habuit eandem vim aut potestatem cum illo, cui substi- „
tuitur. Sic si duo eodem officio e. g. Consulis „
in Republica fungantur alternatim, donec al- „
ter moriatur, superstes non dicitur in eo officio „
defuncto substitui. Quodsi Ra. Va. ad hæc duo „
quæsita responderit, cùm commodum fuerit, „
faciet mihi rem gratissimam. N. 12. April. An- „
no 1657. Sic „

Sic ad me quidam Theologiæ Professor faciens mentionem duorum dubiorum, quia præmiserat translatis huc verbis quæstionem, *utrùm, ut hæc declaratio Alexandri vim habeat, sufficiat promulgatio facta Romæ, vel requiratur, ut in singulis Diœcesibus promulgetur?* Ad quam quæstionem respondi suprà *num. 667.* nequaquam sufficere promulgationem Romanam.

697 Respondi autem ad dubium de substitutione, illum, qui me consulebat, loqui juridicè, & legaliter, non autem antagonistam, ut patet ex toto *Tit. ff. De substit. vulgari, & pupillari,* ubi clarum est, illos solos potiri jure substitutionis, qui nondum sunt Domini. Et quia Alexander nusquam vetat substitutionem impropriè dictam (est quippe censendus fuisse propriè locutus, tum quia improprietas non est præsumenda, tum quia sanctio posterior est intelligenda in sensu prioris, ut tradunt passim Juristæ) dubium mihi jam non est, quin potuerit quis etiam post publicatam declarationem Alexandri servare validè decem numismata prædita Indulgentiis Quinque Sanctorum; & viginti Imagines Sancti Caroli. Quare fuerunt æquo religiosiores, qui omnibus, una excepta, rebus habentibus Indulgentias pretiosissimas. Quinque Sanctorum, se spoliárunt, veriti, ne omnes amitterent. Hoc sanè non sanxit Papa Alexander, sed solùm, ut illæ res benedictæ, quas quis obtinebat, non distribuerentur post publicationem in alios, aliàs fore, ut sic distributæ (non autem nondum distributæ) carerent Indulgentiis.

698 At *quos in primis intellexit Pontifex lit. c. per obtinentes rem affectam Indulgentiâ? An etiam qui talem rem habebant apud se solo titulo, & jure commodati?* At videtur hoc iniquū: esset enim spoliare Innocentem aliquem re suâ. *An ergo solum Dominum?* Atqui Religiosi non sunt utique Domini Rosariorum, quæ gestant, præsertim Fratres Minores de Observantia, & Capucini.

699 RESP. Per obtinentes rem benedictam non intelligi respectu sæcularium illos, qui obtinent solùm commodatò, aut precariò, alioqui sequeretur, quòd res illa nequiret sine jactura Indulgentiæ redhiberi vero Domino, quod est nimis durum; nec videtur Pontifex maluisse consulere potiùs commodatario, quàm commodatori, seu Domino. At verò respectu Regularium, cùm ab eis exulet *Meum*, & *Tuum* propriè, ac rigidè sumptum, & tamen sint capaces rerum benedictarum, dicuntur illi obtinere, quibus superiores fecerunt jus peculiare utendi consueto modo tali re.

700 *Sed quid* secundò *censendum de obtinentibus tempore publicationis hujus Edicti plures intentiones? An fuerunt tunc necessario omnes dividendæ in alios una excepta?* Resp. negativè, quia affirmativa responsio nequit probari, nisi illo textu, qui habetur *lit. g.* de nullitate distributionis, atqui ille textus huc non quadrat; cùm clarum sit; nomine distributionis intelligi in hoc Decreto elargitionem factam alteri; à qua non valet, præsertim in materia odiosa, argumentatio ad applicationem sine tali elargitione. Quare qui ultra unum numisma præditum Indulgentiis, habuit quatuor intentiones, seu benedictiones, potuit huic numismati amisso substituere aliud; etenim substitutio, seu subrogatio vetita *lit. o.* intelligitur illa, quæ fiebat prius ex vi Indulgentiarum faciendi expressam facultatem substituendi rei deperditæ alteram, quæ ex suæ Sanctitatis, non autem privati hominis intentione, habeat Indulgentias amissi numismatis e. g. sicuti explicavi suprà *n. 382.* Confirmatur hoc responsum, tum quia in correctoriis dispositionibus, utpote odiosis, debemus esse minimo contenti, cùm eæ sint strictissimæ interpretationis: tum quia qui reservavit sibi quatuor Vota, seu intentiones e. g. potuit ante amissionem sui pretiosi, charique numismatis applicare unam ex iis alteri, cur non etiam possit post amissionem?

Septimum dubium: *An si quis habeat intentiones cum facultate eas applicandi imaginibus, & Coronis sine ulla expressione Crucis, possit vi hujus facultatis unam ex iis intentionibus transferre in Crucem Caravacensem?* 701 Paucolis diebus priùs, quàm hoc dubium conscriberem, proposuit illud mihi unus è domesticis.

RESP. Tametsi pleræque formulæ Indulgentiarum videantur facere distinctionem inter Imagines, & Crucem, unde exprimunt hæc duo tanquam diversa, re tamen verâ nomine Imaginis Christi venire etiam Crucem, utpote quæ sit à Christianis cœpta fabricari, ut nobis immediatè repræsentet ipsum Christum Crucifixum; cùm ergo sit res publicâ potestate instituta ad ejus repræsentationem, cur non dicatur esse ejus Imago? Equidem Jacobus Gretserus noster *Lib. 1. De Cruce Cap. 54.* inde probat Crucem Christi venerandam, quòd sit loco Christi Crucifixi, eúmque repræsentet; & *Cap. 75.* esse adorandam cultu latriæ ideò, quòd per eam *tanquam Imaginem* repræsentetur Christus, & nos per Crucem *tanquam Imaginem Christi* moveamur in Christum. Et verò ipsemet S. Thomas *3. p. q. 25. art. 4.* dicens: *Veneramur Crucem tantùm ut Imaginem Christi,* loquitur de Cruce facta ad imitationem Crucis, in qua Christus pependit. 702

Denique Innocentius X. relatus suprà *num. 476.* dicit: *qui habebit Crucem, vel aliam Imaginem.* Inde sic arguo: Ex eo, quòd *in L. ult. Cod. De Pact.* dicatur: *Donationem, vel alium contractum,* deducit Decius, & alii cum Tiraq. *Leg. Connubial. Gloss. 5. n. 48.* donationem esse

esse contractum, quia scil. vocula *alius* denotat similitudinem, ergo quia Pontifex dicit: *Crucem, vel aliam Imaginem*, denotat similitudinem, adeóque indicat, Crucem esse Imaginem. Nominatur autem in formulis Indulgentiarum formaliter Crux etiam post Imagines formaliter nominatas, non ut res planè distincta, sed ad majorem explicationem. Sanè non est in his favorabilibus dispositionibus multùm scrupulizandum, quando videmus communem usum superiorum nobis faventem; communissimus autem usus est, ut Crucibus solitariis æquè applicentur à Pontificibus Indulgentiæ, atque Rosariis, aut vulgò dictis Imaginibus.

703 Quæst. CII. *Quænam Indulgentiæ tanquam falsæ, & Apocryphæ sint à Sede Apostolica damnatæ.* Resp. Sequentes, quas P. Bonagratia Habsensis Franciscanus Capucinus scripto mihi amicissimè communicavit abhinc quinquennium (interim vita defunctus,) hisce formalibus terminis:

Indulgentiæ declaratæ à S. Congregatione Apocryphæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Pio V. 1614. Principi Senensi.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Pio V. & confirmatæ à Clement. VIII. Rosario magni Ducis Hetruriæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Clemente VIII. templo B. Virginis de monte serrato impressæ Avignione.

Indulgentiæ plenariæ concessæ pro animabus defunctorum à Clemente VIII. impressæ Madriti sub dato 20. Junii 1606.

Indulgentiæ fundatæ super Revelationem B. Joannæ de Cruce, concessæ grani, sive Ave Maria, quæ dicuntur tetigisse unum illorum trium, quæ asseruntur solùm habere ipsum Papam, Regem Hispan. & Patrem Generalem Minorum Observantiæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Joanne XXII. illis, qui osculantur plantam mensuræ pedis B. V. Mariæ.

Indulgentiæ concessæ ab Adriano VI. Granis benedictis ad instantiam Regis Catholici Philippi II.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab Urbano VIII. ad instantiam Card. Magatelli in honorem SS. Sacramenti. Item illa Indulgentia à Gregorio V. super hac verba: Sia lodato il Santissimo Sacramento.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ Confraternitati Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Leone X. Imaginibus Conceptionis B. V.

Indulgentia concessa super revelationem IX. factam S. Brigittæ S. Hedvvigi & S. Elisabethæ.

Indulgentiæ concessæ, & acceptatæ ex magna tabula S. Joann. Lateran.

Indulgentia concessa ab Urbano VIII. granis benedictis ad instantiam Card. Infantis.

Indulgentiæ concessæ Altari Sanctissimi Rosarii in templo S. Antonii de Rovigo.

Indulgentiæ concessæ à Paulo V. Coronis, Rosariis, Crucibus, Metallis, & Imaginibus benedictis ad instantiam Card. Borromæi 1611. ex occasione fundationis Ecclesiæ S. Caroli Romæ.

Indulgentia 100. dierum dicenti Ave Maria ad pulsum horologii, quæ dicuntur concessæ à Leone X.

Indulgentiæ concessæ à Sixto V. Rosariis, seu Coronis, quæ dicuntur Coronæ Mysteriorum Passionis Domini nostri Jesu Christi ad instantiam magni Ducis Florentiæ.

Indulgentiæ concessæ Crucibus de Caravaca.

Indulgentiæ quæ dicuntur concessæ à Clem. VIII. ad instantiam Serenissimæ Infantis Ducis Sabaudiæ de Sindone Corporis Christi, quòd qui orationem illam recitat, liberat animam è Purgatorio.

Ex Cancellaria S. Officii Inquisitionis ab ejusdem S. Officii Notario Domino Joanne Gappo. Romæ 18. Maii Anno 1657.

Indulgentiæ de Lammas Legati Hispan. quæ dicuntur Indulgentiæ granorum de mille Ave Maria, etiam dicuntur inter Apocryphas reputari.

Hactenus scriptum P. Bonagratiæ, quod 704
confirmat responsa, quæ variorum literis interrogatus dedi diversis Annis circa nonnullas ex Indulgentiis hîc enumeratis, asserens sine authoritate quidem, non tamen sine ratione, esse valde dubias, & suspectas de nullitate. Ut nominatim resolvi de Indulgentiis pro dicentibus: *Laudetur Sanctissimum Sacramentum,*

aut

aut concessis Anno 1611. ad instantiam Cardinalis Friderici Borromæi, aut recitantibus orationem appressam Sacræ Sindoni Taurinensi, aut gestantibus crucem Caravacensem.

705 Unde cùm abhinc circiter quadriennium misisset ad me Reverendissimus D. Vicarius Generalis, & Officialis simul impressum exemplar ejusmodi Indulgentiarum, habentium insuper adjunctas alias gratias supernaturales, cum narratione Originis Crucis Caravacensis, respondi, narrationem quidem illam esse veram, utpote conformem illi, quam ipsemet refero in Experientiis *Tract. 3. Cas. 10. n. 286.* at verò gratiarum, quarum ibi fit mentio, aliquas esse commentitias, ipsas quoque Indulgentias esse suspectas ob nimiam amplitudinem. Primùm post hoc responsum venit mihi in mentem, me facturum fuisse consultò, si insinuâssem, videri consultum, ut omnes eæ chartæ fisco Ecclesiastico addicerentur, gravi pœna intentata, si ille circumforaneus auderet imposterum ejusmodi putidas merces venum exponere, intra Diœcesin, ea etiam de causa, quòd in formula dictarum Indulgentiarum absolutè exprimatur, illas obtingere cuilibet habenti talem crucem, facientíque præscripta. Etenim hæc tam illimitata expressio, assertióque repugnat evidenter Decreto Alexandri VII. à nobis discusso in hoc XXXVII. Capite, utpote quod, ut vidimus, tam disertè inhibet, & quidem sub pœna nullitatis, omnem alienationem rerum Indulgentiis præditarum, alienant autem vel maximè tum Hispani vendentes illas cruculas, tum peregrini ementes eásdem, revendentésque, aut donantes. Quamobrem sunt manifestis impostoribus accensendi omnes, qui vendunt, donántve aliis tanquam ornatas Indulgentiis, nisi fortè vel ipse Alexander, vel Clemens successor cuipiam fecerit in specie potestatem donandi, quam satis censetur fecisse in specie, quando in alicujus gratiam benedixit, seu Indulgentiis donavit aliquem cumulum talium crucum, ut suprà vidimus, cujus tamen cumuli singulæ cruces quia non possunt alienari nisi ab eo, cui Papa fecit illam, quam dixi gratiam, ideo rursum detegitur falsitas, & impostura illius generalis, & illimitatæ assertionis, quam hîc impugnamus.

706 De Indulgentia pro dicentibus: *Laudetur Sanctissimum Sacramentum*, cùm ego à diversis fuissem literis interrogatus, atque respondissem, me magnopere dubitare de valore illius, ut nanciscerer aliquam certitudinem dedi 9. April. 1656. literas Romam ad R. P. Christophorum Schorrer, id temporis Assistentem pro Germania, ac postmodum nostræ Provinciæ Visitatorem, ad quas die 18. Maji respondit hisce verbis: *Iam aliàs hîc de Indulgentiis illis, quarum Reverentia Vestra meminit, inquisitum fuit, & nihil usquam repertum. Videretur sanè apertus abusus potestatis, ideóque & mihi semper incredibile fuit, ejusmodi Indulgentias perpetuò, & omnibus cum infinita multiplicatione fuisse unquam concessas.*

Claudo hoc prolixum caput literis, quas 707
ad me dare dignatus fuit Reverendissimus & Amplissimus Dominus Joannes Franciscus Laudatissimus Abbas Monasterii S. Georgii in Silva Hercinia Ord. S. Benedicti die 13. Maji Anno 1659. cùm fungeretur officio Prioris in hæc verba: *Legitur in Anno Sancto P. Pauli de Barry concessam esse Indulgentiam plenariam toties, quoties recitantibus orationem illam, quæ tabulæ deauratæ in sacra æde Lauretanæ inscripta sit hisce quatuor versiculis.*

Ave Maria filia Dei Patris:
Ave Mater Dei Filii:
Ave Sponsa Spiritus Sancti:
Ave Templum totius Sanctissimæ Trinitatis.

Aveo intelligere, an Reverentia Vestra censeat, id esse verum, cùm aliqui dubitent, & existiment, non aliter concedi, nisi in ipsa æde sacra recitantibus, non extrà, item confessis simul, & sacra synaxi refectis ibidem.

Ad hasce literas respondi tunc, me per- 708
ægre credere, ejusmodi Indulgentiam esse, aut verè, aut validè concessam omnibus ita salutantibus Reginam Cœli. Equidem præberemus Acatholicis occasionem subsannandi nostras Indulgentias, si assereremus, posse tantillo opere toties expiari pœnas debitas pro 100. aut 1000. sceleribus mortalibus plurimorum impiissimorum hominum. Addidi tamen, cùm P. Barry sit vir prudens, ac doctus, adeóque nôrit, decretas esse graves pœnas in prædicantes Indulgentias indiscretas, & prorsus improbabiles, non audere me negare, quin ille Pater nixus gravi authoritate, aut ratione mandârit literis illam suam assertionem. Valeant sa- 709
nè quantùm possunt eæ Indulgentiæ, saltem illius quadruplicis salutationis piam pronuntiationem gratam accidere illi Sponsæ Spiritus Sancti, quæ cùm sit ditissima, utpote Thesauraria filii sui, facilè obtenturam etiam majorem gratiam. Sic ego rescripsi illi Reverendissimo Domino, nunc Abbati omnis laudis dignissimo, ea singulari de causa, quòd sua Religiosa frugalitate, ac dexterrima rei œconomicæ administratione novum Monasterium, novum Templum (veteribus una cum plerisque fundis ab hæresi occupatis) struxerit, justo Religiosorum incolarum numero instruxerit in oppido Villingano, è quo dignatus est me multis epistolis, & frequentibus liberalitatis symbolis, cujus proinde hîc mentionem facio in symbolum, etsi tenuè gratitudinis debitæ, at addo, me postmodum deprehendisse, Patrem Barry mutuatum esse hanc de illa Indulgentia narrationem à P. Franciscо Poiero nostro, *qui in suæ Triplicis Coronæ* ab omnibus permagni æstimatæ

ob excellentem pietatem simul & eruditionem *Part. seu Tr. 4. c. 9. §. 9. n. 18.* absolutè asserit, illam amplitudinem Indulgentiæ, quam ut defendam tanquam vero similem, existimo cum illis, de quibus ille Reverendissimus D. Prælatus, esse concessam iis solis, qui eam recitant in ipsa æde Lauretana, & fortè qui in sola Sacristia, seu Sacrario, ad quod quia fortè pauci in comparatione aliorum peregrinorum, admittuntur, nec sine magni animi sensu, atque post longam, molestam peregrinationem, idcirco non superat tanta liberalitas captum humanum, Christiana moderatione regulatum. Si tamen revera omnibus omnino cum observatione communium, particulariúmque conditionum requisitarum ad Indulgentiæ comparationem ita salutantibus cœli, terræque Dominam promissa est, durátque in hodiernum diem, captivo meum judicium, ac lubens submitto. Denique dicam in Tract. sequenti *cap. 26. n. 21.* esse probabiliter fictitiam illam Indulgentiam, quam fertur Honorius III. omnibus Teutonibus post: *Deo gratias* semel bibentibus impertiisse.

Appendix I. Lauretana.

Tametsi non ausim jurare omnibus planè, quæ ad quæstionem facti pertinentia refero in hoc, & priori Volumine, esse veritati conformia, quandoquidem pleraque omnia nituntur fide, testimoniisque humanis, attamen agnoscet, uti spero, benignus Lector, fuisse à me non indiligentem operam datam, ut veritatem comperirem circa illa præcipuè, quæ aut videbantur non esse facilè inventura fidem, aut quorum falsitas aliquid mali gignere posset; hæc inter est Indulgentia plenaria impertita Sacratissimæ Domui Lauretanæ, de qua hoc loco sermo, & de qua adhuc nonnulli ambigebant, an revera tam pretiosus thesaurus posset toties obtineri, quoties refero superiùs. Igitur ad tollendum omne dubium dedi rursum Anno 1676. literas Lauretum, accepíque à nostro P. Nicolao Gonsalvo id loci explicante intricatos conscientiæ casus responsum hisce verbis: *Audivi veram esse Indulgentiam plenariam pro singulis vicibus, quibus insignis salutatio aureis inscripta characteribus in tabula pendente nunc ex ornamento marmoreo extrinseco Sanctissimæ Domus Lauretanæ, & olim intra secessum Sancti Camini asservata, recitatur.*

Ave Filia Dei Patris
Ave Mater Dei Filii,
Ave Sponsa Spiritûs Sancti:
Ave Templum totius Trinitatis.
Unum Pater & Ave.

Dum scribo, vidi, & legi tabellam, ubi solùm verba præscripta extant, omisso nomine Maria.

Vera dicitur talis esse Indulgentia toties, quoties recitatur Salutatio. Primò, quia est traditio octoginta ferè Annorum perennitate continuata, quòd Clemens VIII. eam concesserit. 2. Quia effectus arguit causam, multò magis publicus in materia morali Ecclesiastica, in urbe, in quam Orbis totus confluit, & per longissimum tempus continuatus, ut est Indulgentia, de qua loquimur; cui accedit Patris Barry authoritas plurimi præ sua eruditione, & consideratione æstimata, ut bene notat R. V. Nec obstat, quòd nonnulli asserunt, hujusmodi Indulgentias fuisse revocatas; nam Gregorius XIII. Innocentius X. & Clemens X. etiam tempore lubilei revocantes omnes Indulgentias declarárunt, se eas excipere, quæ ad divinam Laureti Domum spectant. Neque urgere videntur subsannationes Hæreticorum, quæ sunt potiùs despiciendæ, quàm inspiciendæ, cùm inimicè Ecclesiæ Catholicæ cæcutiant in luce, & non nôrint infinitam Dei misericordiam, cujus limitatæ quævis donatio pro nihilo à Deo reputatur juxta illud, finiti ad infinitum nulla est proportio.

His, aliísque validissimis argumentis, quæ brevitatis causa, prætereo, impulsus in Congregatione Sacerdotum hujus Cathedralis in nostro Collegio recenter ex obedientia à Superioribus impositâ, à me rite formata proposui de more, omnibus dignitatibus, Canonicis, cæterísque Presbyteris probantibus, & solitis singulis Sabbathis, (quibus Congregatio prædicta sub Titulo Virginis Lauretanæ erecta cogitur,) recitare semel alta voce, Salutationem suprà positam ad plenariam Indulgentiam consequendam. Ita gravissimus ille Pater, cujus verbis, ut quidquam addam, vel demam, necesse non habeo.

Appendix II. opportunissima.

Opportunissima, inquam, exhibet quippe a doctrinam compertam à me, excusis jam multis foliis hujus ipsius Editionis Tertiæ, ut proinde fuisset hæc proditura manca, & uno alteróve errore, circa hanc de Indulgentiis materiam inquinata, si aliquot mensibus seriùs nactus fuissem objectum hujus Appendicis. Siquidem primùm Octobri mense hujus Anni 1678. didici, fuisse à Sanctissimo D. N. Innocentio XI. seu revocatas, seu pro nullis declaratas plurimas Indulgentias. Et quia in hoc ipso capite non solùm differo de revocatione etiam in particulari, & *n. 703.* ex M.S. exprimo sat multas hoc genus, quò certiora essent, quæ exhibui, dedi illo ipso mense literas Romam ad unum è præcipuis nostris Patribus, quibus rogavi, ut dignaretur curare describi in meam, & aliorum gratiam, indiculum illius recentissimæ abrogationis & abolitionis; qui quidem qua est officiosissima charitate, non solùm loco indiculi transmisit mihi typis Romanis excusum Decretum Congregationis, quod mox subjiciam, sed etiam præmisit hæc verba:

b verba: Indulgentiæ Sodalitiis B. V. in Domibus Societatis erectis concessæ, non continentur hac revocatione, neque aliæ Societati nostræ à variis Pontificibus itidem concessæ, ut responsum est nomine suæ Sanctitatis.

c Quod attinet ad officium de Immaculata Conceptione, præsens Pontifex prohibuit tantùm breve quoddam officium de Immaculata Conceptione impressum Mediolani cum toto titulo; Officio dell Immaculata Concettione della Santissima Vergine nostra signora *approvato dal Summo Pontifice Paulo V. il quale à chi devotamente lo recitará, concede Indulgenze di cento giorni.* Ratio prohibitionis non est, quòd in illo Officio contineatur aliquid minùs orthodoxum, sed quia verba illa, *approvato dal Summo Pontifice &c.* falsò addita sunt, cùm Paulus V. nec tale officium approbaverit, nec tales Indulgentias concesserit. Ita ego ex ore suæ Sanctitatis accepi, cùm ad eum detulissem rumores in Gallia sparsos cum plurimorum scandalo, quòd sua Sanctitas aliena esset ab Immaculata Conceptione. Respondit, se de hoc valde mirari & rationem prohibitionis attulit, quam suprà posui. Increbuerat etiam rumor in Galliis, quòd omnes Indulgentias revocâsset, & hoc ad ipsum retuli. *Quomodo*, inquit, *omnes Indulgentias revocavi, si novas concessi?* Hactenus ille Pater, accipe jam verba, Decreti.

DECRETUM.

d *Delatæ sapius fuêre ad Sacram Congregationem Indulgentiis, sacrísque Reliquiis prapositam, Indulgentiæ quædam confictæ, & omnino falsæ, quæ per diversas Orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventa sunt vel Apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quòd datum eis tempus præteriisset: quarum quidem plurimæ, cùm non facilem cognitionem habeant, Christi fideles harum rerum, minùs peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ, remissionísque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem Sac. Congregatio vehementer cupiens huic malo magis indies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in Indicem referri curavit.*

e *Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, concessæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis Jesu Christi, Domini nostri*: Precor te, piissime Domine &c. *ab Vrbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgò dici solet*, Campagnolæ, *& S. Victoriæ, ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jesu Christi factæ S. Bernardo, ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis, à Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo, à Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis Beatæ Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgò dictæ*, Laghetti, *à Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primùm in Vrbe impressæ, deinde Mediolani Anno 1665. (suas tamen habent, & veras, Confratres Archiconfraternitatis Cordigerorum S. Francisci) recitantibus Salutationem Angelicam* f *ad pulsum horologii, & Imagini Conceptionis, Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna subjecta est, à Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, à Clemente VIII. dicentibus Orationem*, O magnum mysterium &c. *& Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant.* Montis Serrati, *Avenione impressæ, tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum impressæ Matriti 20. Julii 1606. à Paulo V. cantantibus Hymnum*: Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur &c. *vel si die Sabbati intererint, dum idem canitur, & coronis, Rosariis, Imaginibus, & Numismatibus, quæ medallias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo supplicante Anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus*; Sia lodato il Santissimo g Sacramento, *laus Sanctissimo Sacramento, ab Vrbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus, celebrata Missa, dicentibus*, Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei filii &c. *à Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac Vespere consuetam Antiphonam*, Angelus Domini &c. *& in fine*, Deo gratias, & Mariæ, *ac demùm aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini nostri Jesu Christi prece magni Ducis Etruriæ.*

Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, h *qua repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die à Purgatorii pœnis affirmant.*

mant. Tales aliæ Perusii Confraternitatis Sanctorum Sebastiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani. Tales demum aliæ Cruce signatorum Sancti Eustorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

i *Ejus generis sunt & illa concessa, ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii. Vel Ecclesiæ Sanctiss. Trinitatis Bergomi. Aut Sancti Petri Montis Todoni die festo Inventionis Sanctiss. Crucis. Vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula. Vel celebrantibus Missas Sancti Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festivitatum B. V. Vel recitantibus Officium S. Franciscæ Romanæ. Aut Antiphonam*: ò Passio magna &c. *in memoriam Passionis Jesu. Aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) Aut orationem quæ impressa cum Imagine S. Annæ circumferri solet*: Ave gratia plena &c. *(quæ oratio prohibetur) Aut Officium Conceptionis B. V. Immaculatæ, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse. Aut orationem*: Deus, qui nobis in S. Sindone &c. *(excipitur Indulgentia centum dierum Anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad Annos 25. cunctis in illius ditione degen-*
k *tibus) Aut aliam*: Ave filia Dei &c. *post Communionem recitandam. Vel aliquo conspicuo signo venerantibus Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti nomen. Indulgentia rursus octoginta millium Annorum veteri de Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam*: Deus, qui pro redemptione Mundi &c. *Tum quæ impressa fuerunt Papiæ Anno 1670. sub hoc titulo*: Sommario delle Indulgenze concesse dalla Santità di Nostro Sig. Papa Leone X. all' Imagine della Concezzione della Gloriosa Vergine Maria. *Vel Pisauri sub nomine B. Joannæ, Anno 1603. evulgatæ. Vel Barlettæ, seu Baruli à recitantibus quasdam, non sanè malas orationes, lucrandæ. Vel Parmæ à visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesiæ Tertii Ordinis S. Francisci. Vel Pistorii, & Vastillæ à recitantibus orationem*: Ave Sanctiss. Maria, Mater Dei, Regina Cœli &c. *Et aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt Devotos Seraphicos, & Benefactores.*

*Hùc annumeranda sunt, quæ Crucibus Ca-*l *ravacensibus tributa dicuntur. Vel Coronæ, sive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat; vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ. Vel mensuræ altitudinis Jesu Christi Domini nostri. Vel Imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti. Vel orationi, ut ajunt, in sepulchro Domini nostri repertæ. Et Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctis Birgittæ, Mechtildi, & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce, & concessæ, ut asserunt, Granis, quæ aliquod ex tribus Granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum observantiæ S. Francisci.*

*Omnes verò, & singulas jam dictas In-*m *dulgentias sacra Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat; partim Apocryphas, vel ex alio capite nullas; quæ nemini suffragari possunt, easque in futurum nullo in loco, ut veras publicari & lucrandas Christi fidelibus proponi vetat; Foliaque, & Libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ. Nec ideo tamen vult, alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, tacitéque probatis haberi.*

*Ac demum omnes Indulgentias conces-*n *sas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Rosariis, Granis, seu calculis, Crucibus, & Imaginibus sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit*: Romanus Pontifex &c. *editum 23. Maji Anno 1606. personis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium*: Quæcunq; &c. *& 68. Pauli V. incipientem*: Quæ salubriter &c. *habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jesu, Capitulo, vel cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum,*

earum, vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovata, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.

o *Porrò Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cinturæ I. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.*

p *Indulgentias verò Stationum Vrbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum, aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantùm Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat, semel autem duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.*

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas sua probavit, & inviolatè servari jussit. Datum Romæ die 7. Martii 1678.

Aloysius Card. Homodeus.

Loco ✠ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Secret.

Die 12. mensis Martii 1678. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valuas Curiæ, & in acie campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Rochum de Stephanis Sanctiss. Domini Nostri Papæ Curs.

Laurentius Segnus Magist. Curs.

Romæ, Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ. M.DC.LXXVIII.

q ITa Sacra Congregatio Indulgentiarum, de cujus approbatione facta à S. D. N. Innocentio XI. cùm nemo sanus dubitare possit, in primis revoco, siquid illi adversans atque aliorum judicio seu relatione fretus, scripsi in duabus prioribus Editionibus istius libri, & fortè etiam in hac ipsa. Etsi autem hoc Indice non continentur omnes illæ Indulgentiæ, quas pro Apocryphis habitas fuisse à sacra Congregatione retuli *n.*703. ex Bonagratia, haud tamen rectè inferes, illas, quæ non sunt expressæ in præsenti Decreto habitas esse à sacra Congregatione pro legitimis; huic enim illationi reflexè contradicit hoc recentissimum Decretum; ergo remanent eo in statu, in quo erant ante præsentem providentissimam Sanctionem Sanctissimi Domini nostri, cui ad majorem sui divini honoris propagationem indulgeat Deus Annos Petri.

CAPVT XXXVIII.

An, & quid ad Indulgentiæ acquisitionem prosit sequi opinionem probabilem?

SUMMARIUM.

Probabilitas opinionis non prodest ad acquisitionem ipsiusmet Indulgentiæ omittenti actum, quem Pontifex reipsa requisivit ut conditionem. 710.

Nec huic patrocinatur respectu Indulgentiæ doctrina de valore actionum procedentium ex jurisdictione falsò quidem, attamen probabiliter credita. 711.

Patrocinari autem potest respectu aliquarum gratiarum adjunctarum ipsi Indulgentiæ. 712.

Quatenus liceat procedere in hac materia secundùm sententias probabiles, etsi minùs tutas? 713.

Quæst. CIII. *Sunt in tota hac secunda & prima Parte recitatæ tam multæ probabiles opiniones de expedita facultate lucrandi reipsa Indulgentiam, quid prodest prædicta probabilitas?*

RESP. I. Qui prætermittit aliquem actum, 710
quem juxta probabilem, vel etiam probabiliorem opinionem, credebat non esse necessarium ad consequendam Indulgentiam, non consequitur Indulgentiam, si talis actus reipsa, & abstrahendo ab hujus sententiæ probabilitate, necessarius est ad lucrandam Indulgentiam. Bonacina de Sacram. *disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 5. *n.* 27. & Diana *Part.* 5. *Tract.* 12. *Resol.* 32. post Fausum, & Bossium, quos citat. Ratio est, quia valor Indulgentiarum non pendet ab opinione nostra, sed à voluntate, & arbitrio concedentis, & suam gratiam adstringentis ad conditiones, & circumstantias, quæ ipsi placent, & quas judicat attendendas, sive nos judicemus, sive non judicemus attendendas.

Nec obstat, quòd in materia de Jurisdictio- 711
ne Confessarii tradant communiter recentio-

res Theologi, valere absolutionem datam ab illo, qui quidem destitutus est jurisdictione, per publicum tamen errorem, saltem accedente titulo colorato (imò probabiliter etiam sine hoc titulo, sicuti refero in Tomo priore *Tract. 7. Cas. 3. n. 108.*) putatur eâ esse præditus. Nam id docent Doctores idcirco, quòd ad evitanda gravissima animarum damna, meritò præsumatur Ecclesia tali Sacerdoti pro singulis actibus tribuere jurisdictionem: at nullo modo eveniunt talia damna ex eo præcisè, quòd quis non potiatur Indulgentiâ tunc, cùm prudentissimè existimat se illa potiri, aut potitum esse.

712 II. Alios tamen effectus ab ipsa pœnæ remissione distinctos, obtinere quis potest, si sequatur opinionem probabilem, esto ea sit à parte rei falsa. E. G. probabilissimum est, ab illo obtineri Indulgentiam, qui, quando pro illa acquirenda præscribuntur plura opera, partem illorum perficit in statu peccati mortalis, ut visum est *n. 85.* Hæc ipsa sententia, etiamsi fortè sit à parte rei falsa, & proinde qui illam in praxi sequitur, non obtineat Indulgentiam Jubilei, attamen, quia probabiliter putatur obtinere, valent absolutiones à reservatis, & commutationes votorum, quæ fiunt ex suppositione hujus sententiæ. Atque ita sensi in Tract. de Jubileo *cap. 44.* Ratio est, quam *num. præcedente* attuli, ad probandum, valere absolutionem datam à Sacerdote, qui per errorem publicum putatur habere jurisdictionem, cùm non habeat. Et denique Diana factus usu, ac lectione doctior *Part. 10. Tract. 11. Resol. 34.* vocat satis probabilem, uti & ego, sententiam generatim oppositam Bonacinæ *n. 710.* adductæ, sicut & Cotonius *Lib. 1. Controv. 11. n. ult.* in casu, quo falsa opinio circa requisita, est probabilior; ego non distinguo inter majorem, & minorem.

Et idcirco etiam non distinguo, quòd omnibus hisce jam pridem publicatis R. P. Joannes Evangelista Thanner, magnus in Provincia nostra Theologus, dum abhinc biennium ageret ejusdem Provinciæ Præpositum, mihi coram dixerit, audivisse se ex ore viri fide dignissimi, Urbanum VIII. aliquando interrogatum generatim de interpretatione verborum Indulgentias proponentium: Respondisse suam sedisque Apostolicæ mentem hanc esse ac voluntatem, ut eæ valeant illo modo, quo prudentes pii, doctique Theologi existiment valere. Quia verò frequentissimè horum aliqui censent, hanc aut illam Indulgentiam valere in hac aut illa circumstantia, cum, aut sine hac & illa conditione, nequit autem Pontifex velle opposita, idcirco intelligo illud responsum de judicio vel communi, vel plerorumque, seu notabiliter plurium prudentium, piorum, doctorúmque Theologorum, quando agitur de ipso præcisè valore, seu effectu essentiali, ut ita loquar, Indulgentiæ, qui est actualis remissio pœnæ in foro Dei, non autem quando de effectu quandoque annexo huic remissioni, ut est actualis relaxatio casus reservati, aut votorum commutatio; siquidem ad hujus relaxationis utriusque valorem sufficit minùs communis sensus Doctorum ob causam expressam hoc *n. 712.* At verò ad illum, quem vocavi effectum *essentialem* exigo plurium sensum, consensúmque Theologorum memor, seu gnarus Pontificibus parùm probari opiniones, aut singulares, aut etiam minùs communes, ubi est periculum peccati aut nullitatis, & sic intellige, quod dixi *n. 710.*

713 III. Potest quis bonâ conscientiâ, sententiis quibuscunque probabilibus de Indulgentiâ, per hanc aut illam conditionem obtinendâ, vel obtentâ, in praxi inniti, perinde ac si sciret esse certas; nisi fortè charitas, aut justitia proximo debita, aliud in casu, aut materia particulari exigat. Ratio primæ partis est, quia ostendi nequit, cur in usu Sacramentorum, sicut optimè declarat P. Dicastillo *Tract. 2. De Bapt. disp. 1. dub. 8.* liceat praxin accommodare sententiis, probabiliter asserentibus ea valere in hoc, aut illo casu, & non liceat in Indulgentiis, cùm præsertim certum sit, nullum ex deceptione circa illarum valorem periculum æternæ damnationis imminere.

714 Ratio secundæ partis, & additæ exceptionis est, quòd ex materia de Sacramentis constet, ministrum Sacramenti quandoque ex charitate, imò & ex justitia obligari ad sequendas in praxi opiniones magis tutas, seu secundùm quas certiùs obtinetur Sacramenti effectus, ut suppono ex communissima sententia Patris Dicastillo *loc. cit.* & dictis in Experientiis *Tract. 2. n. 98. & 99.* Ergo etiam quandoque obligatur ad hoc ipsum faciendum in usu Indulgentiarum.

CAPUT XXXIX.

Ex dictis toto hoc Tractatu deducuntur documenta, multùm ad praxin facientia.

SUMMARIUM.

Volens fieri compos Indulgentiæ accommodet se opinioni tutiori. 716.
Confessarius quid faciet circa impositionem pœnitentiæ? 717.
Habeat Confessarius in memoria Indulgentias, quas omnes Christi fideles possunt facillimè lucrari. 718.

Et

Et accommodet se etiam in hac re opinioni probabili pœnitentis. 719.
Consilium pro pœnitentibus omittentibus pœnitentias. 720.
Observanda pro certiore acquisitione qualiumcunque Indulgentiarum. 722.
Modus applicandi sub disjunctione Indulgentias animabus. 723.
Peculiare quid Religiosis, & inscriptis Congregationi alicui observandum in ordine ad Indulgentias. 724.
Cur Author omiserit in hac editione enumerationem Indulgentiarum stationum? 725.
Quibus diebus possint vi Indulgentiarum stationum liberari animæ purgatorio? 726.
Documentum pro metuentibus superstitionem in hac re. 728.
Motiva ad conandum juvare defunctos applicatione Indulgentiarum. 729.

715 UT benevolus Lector ex hactenus assertis, & relatis optatum fructum certiùs, & faciliùs consequatur, placuit nonnulla documenta Corollariorum loco subjungere, partim repetendo nonnulla ex dictis, partim alia indicando.

716 I. Documentum. Quandoquidem ad ipsammet Indulgentiam, seu pœnæ debitæ remissionem acquirendam, probabiliter nihil prodest sententiæ, quam quis sequitur, probabilitas seu minor, seu major, sed sola veritas, ut paulò antè ostendi, idcirco qui sibi optimè consultum vult, debet se in Indulgentiarum obtinendarum studio accommodare sententiis tutioribus, sive sint magis, sive minùs probabiles; ut sunt illæ sententiæ, quæ dicunt opera præscripta debere necessariò fieri in gratiâ: sine peccato: cum intentione lucrandi Indulgentiam: cum cognitione, & saltem virtuali intentione illius intentionis, quam præfixit Summus Pontifex; cum studio saltem aliquo satisfaciendi pro peccatis per aliqua pia opera &c.

717 II. Confessarius potest in omittenda pœnitentia non tantùm vindicativa, sed etiam medicinali accommodare se opinioni, qua probabiliter credit, suum pœnitentem, etsi in peccato mortali existentem, lucraturum mox, vel lucratum jam esse Indulgentiam plenariam ratione Congregationis, cui inscriptus est, ratione numismatis Quinque Sanctorum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. S. Francisc. Borgiæ &c. Et vel maximè hoc facere potest, quando pœnitens gravatus est antiquis pœnitentiis jejuniorum, disciplinarum, Rosariorum, Confessionum octiduanarum &c. Et
718 quia tam multi Indulgentias Partiales adipiscuntur ratione concionum, aut templorum Ordinum Mendicantium, quæ adeunt, & visitant, juxta dicta *n. 560.* item ratione Rosarii: pronuntiati Nominis JESU &c. secundùm dicta *n. 603.* Item ratione Confraternitatum, quibus sunt adscripti: itémque ratione ternæ salutationis Angelicæ, quam ad pulsum matutinum, & vespertinum recitant, juxta dicta *n. 590. & seqq.* idcirco potest plerisque hoc intuitu minui pœnitentia, etiam in Anno Jubileo: nam eo non fit suspensio Indulgentiarum Partialium, ut ostendi Tractat. præced. seu de Jubileo Quintuplici *cap. 9. n. 47.*

719 III. Quia receptissima opinio fert, Confessarium teneri accommodare se opinioni probabili pœnitentis, idcirco Confessarius non tantùm licitè potest, sed etiam tenetur omittere injunctionem pœnitentiæ vindicativæ, quando pœnitens id petit, ob Indulgentiam à se paulò antè probabiliter obtentam, vel probabiliter mox obtinendam.

720 IV. Pœnitentes, qui facilè omittunt, aut nimis diu differunt pœnitentias à Confessariis impositas, periculum moraliter peccandi per illarum omissionem evadent, si paulò pòst Confessionem faciant se participes alicujus Indulgentiæ plenariæ, cum proposito tamen perficiendi, quoad fragilitas humana patitur, pœnitentiam, præsertim quam ipsimet judicant esse sibi summè proficuam, aut ferè necessariam ad vitæ emendationem.

721 V. Sacerdotes, qui acceperunt stipendium pro faciendo Sacro in Altari privilegiato, non possunt tam libere in alio Altari non privilegiato facere Sacrum, sub prætextu, quòd habeant numisma affectum Indulgentiâ plenariâ applicabili animabus defunctorum, quàm si ex sola obedientia tenerentur itidem in privilegiato Altari sacrificare; nam obligatio justitiæ non tam facilè permittit praxin probabilium opinionum minùs tutarum, quàm permittit obligatio obedientiæ, Religionis &c. Vide dicta *n. 508.*

722 VI. Ad certiorem Indulgentiarum qualiumcunque acquisitionem, refert observare sequentia. Primò, omnes à Summo Pontifice indicatæ conditiones observentur, impleantúrque religiosissimè, integerrimèque, sequendo potiùs in praxi opiniones tutas, quàm solùm probabiles; quandoquidem probabilitas sola fortè non facit, ut acquiratur reipsa Indulgentia. Secundò, qui nequit ex valde verisimilibus indiciis conjicere, se esse in statu gratiæ divinæ, conetur actum contritionis elicere, priusquam incipiat exequi opera ad Indulgentiam necessaria. Tertiò, antequam

ea inchoët, dicat, ſe illa offerre divinæ Majeſtati in eum finem, ut ſibi, vel alii, (ſi applicari poſſit) Indulgentiam propoſitam adipiſcatur. Quartò, tot Indulgentias, quot poteſt, applicet animabus purgatorii; parabit eâ ratione aſſiduos apud Deum Patronos, & Interceſſores.

723 Et quia non poſſumus ſcire, hæcne determinata anima in purgatorio detineatur, an potiùs alia, valde conſultum eſt, unam eandémque Indulgentiam plenariam applicare ſub conditione quinque (in memoriam, aut cum memoria quinque Vulnerum Chriſti) aut pluribus animabus diverſis dicendo v.g. *Domine Deus, Indulgentiam, quam nunc acquirere intendo, offero tibi pro anima mei Patris, v.g. ſi ejus capax, aut indiga eſt: ſin minùs, pro anima mei fratris Arnulphi: quòd ſi nec ea indigeat hoc ſuffragio, tum cupio obtingere illi animæ, quæ eſt omnium deſertiſſima, vel diutiſſimè in purgatorio, vel quæ ſecundùm diſpoſitionem, quam olim in corpore habuit, maximè omnium parata eſt ad hanc, aut illam virtutem à te pro me, ubi ad cœlum venerit, poſtulandam &c.*

724 VII. Quandoquidem plerique Religioſi, Sodales Confraternitatum, & Congregationum, aliíque inſtructi benedictis medalliis, & Roſariis ignorant habitualiter, vel actualiter, quantas Indulgentias per ſuos bonos, frequentiſſimóſque actus, præſertim per recitationem quinque, aut ſeptem Pater, & Ave in Eccleſiis Regularium, aut in aliis (ſi ad Religioſorum venire nequeant) lucrari poſſint, ideo valde expediens eſſet, ut quiſque manè expreſſè diceret: *Domine Deus, omnes Indulgentias hodie quocunque titulo obtinendas, offero tibi pro tali, aut tali anima, aut pro decem animabus, quæ tùm eſſent illigatæ corpori, maximè omnium precabantur pro pace univerſali: ſummè omnium amabant, & colebant Virginem Matrem, Venerabile Sacramentum &c.* prout ſuus cuique genius ſuggeret.

725 Clauſi primam editionem hujus Tractatûs tranſcriptione omnium, quæ graviſſimus Doctor Emmanuel Rodriquez *Reg. quæſt. q.* 90. & ſequentibus ſtudioſè, ac ſigillatim conſcripſit de Stationum Romanarum Indulgentiis, enumerando, quot, & quales obtineri queant ſingulis Anni diebus. Ideo autem tam multa aliena præter meum morem tranſcripſeram, quòd meus Tractatus ille deſcenderet ad materias particulariores, atque magis uſui quotidiano ſervientes, quàm ullus à me lectus, ideóque cenſerem, ei apprimè convenire enumerationem illarum Stationum, illi inquam Tractatui in parva forma, atque ſeorſim impreſſo; at neſcio, an non plures, ac vellem ſuccenſuri mihi eſſent, ſi alienis, támque copioſis plumis veſtirem hanc editionem, ea etiam de cauſa, quòd ex quo primo vidit ſolem Germanicum, prodierint multi alii libelli, aut chartæ patentes ferè omnibus obviæ, in quibus expriimuntur omnia, quæ tunc temporis vulgaveram.

Facere tamen nequeo, quin ad promoven- 726
dam, fovendámque nonnullorum valde laudabilem pietatem erga pios manes, huc tranſferam, quæ P. Henricus Lamparter ſolidæ vir pietatis, ac noſtræ Provinciæ, graviſſimus Theologus collegit, atque unâ paginâ typis vulgavit, de diebus, quibus ſit poteſtas liberandi animas igne purgatorio; illius folioli ſunt hæc verba:

Quibus diebus Romæ in diverſis 727
Templis liberari poſſit Anima è Purgatorio.

1. *In Dominica Septuageſimæ apud B. Laurentium extra Muros.*
   Item Feria III.
2. *Dominica I. Quadrageſimæ.*
   Item Feria III. & Sabbato.
3. *Dominica II. Quadrag. & Sabb. apud S. Joannem in Laterano.*
4. *Dominica III. Quadrag. apud S. Laurentium.*
   Item Feria III. & Sabbato.
5. *Dominica Lætare apud S. Crucis in Jeruſalem.*
   Item Feria III. & Sabbato.
6. *Dominica Paſſionis.*
   Item Feria VI. & Sabbato.
7. *Dominica Palmarum.*
   Item Feria VI.
8. *In Paſchate Feria III. IV. & V.*
9. *In Pentec. Feria III. V. & Sabb. apud S. Laurentium extra Muros.*
10. *In Feſto S. Joannis die 6. Maji, & 27. Decembris apud S. Mariam Majorem, & apud S. Paulum.*
    Item Feſto S. Joan. Baptiſtæ 24. Junii apud S. Joannem in Laterano.
11. *Omni die Lunæ à meridie apud S. Andream della valle.*
    Item omni die Mercurii apud S. Laurentium extra Muros.
    Item Sabbato IV. Temporum in Septembri.

12. Com-

12. Communione Generali quolibet menſe, quæ ſit Romæ ultima Dominica menſis: alibi aliâ. Addunt aliqui diem 27. Ianuarii propter tranſlationem S. Ioann. Chryſoſt. ad S. Petr. in Vaticano.

728 Hactenus illud folium omni ſybillino præferendum, ſi exploratum eſſet, omnes, qui potiuntur Indulgentiis Stationum, potiri etiam illis, quibus poſſunt eximi flammis expiatoriis animæ. Sed eſto deſit huic rei certitudo, non tamen deeſt vera probabilitas, ut vidimus ſuprà *cap. 8. num. 339. & ſeqq.* quæ quidem ſola abſolvit omni nota ſuperſtitionis, aut imprudentiæ, qui diebus hic enumeratis, dum recitat quinquies *Pater*, & *Ave* ad intentiones expreſſas *cit. cap. 8. n. 340.* etiam addit: *Domine Deus pretor te, ut ſi præter Indulgentiam ſolis vivis deſtinatam poſſim ſuppetias ferre alicui animæ in charitate defunctæ, velis hanc, aut illam eripere ex illis ignium vorticibus.*

Animum ad hanc induſtriam accendet memoria eorum, quæ de cauſis, modo, fructu pietatis erga manes vinculis corporeis in ſtatu gratiæ exſolutos, non minus doctè, quàm piè ſcripſit præcipuus, ni fallor, hac ætate animarum purgantium Patronus dogmaticus P. Jacobus Hautinus noſter tribus Libris *De Patrocinio Defunctorum.* Cui jungo Patronum Concionatorium R. P. Joannem Baptiſtam Mannium, nunc Collegii Bononienſis Rectorem, in illis Diſcurſibus Oratoriis, quos Italico ſermone ad populum Venetum habitos typis vulgavit diſertè, piè, doctè.

TRA-

TRACTATVS QVINTVS

SEV

THEOLOGIA IVRIDICO-MORALIS,

ID EST

ACCVSATIO CANONICA EBRIOSI,

Ad divortium compellendi propter ebriositatem, indéque secuta varia mala.

OPUS CONTEXTUM

Variis & curiosis Quæstionibus, Decisis

Ex Fundamentis Theologiæ Moralis, Atque Iurisprudentiæ.

PRÆFATIVNCVLA.

CONsideranti eos, qui de actionibus humanis scripserunt, videntur de re literaria bene meriti, non duntaxat ii, qui omnes, aut pleraſque materias Morales, uno, pluribúsve voluminibus persecuti sunt, sed & ii, qui de una aliqua veluti in manipulum collegerunt, quidquid de ea ad mores faciens, apud probatos scriptores sparsim legerunt. Hac enim ratione effecêre, ut plerorumque omnium dubiorum, quæ circa eam materiam oriri queunt, resolutio perfacili labore, magno pretiosissimi temporis compendio ex illo possit manipulo peti. Quod quidem verum esse agnoscunt, qui volverunt è Iureconsultis, Mascardum de Probationibus, Menochium de Præsumptionibus, Barbosam, de Officio, & Potestate Episcopi; è Theologis Thomam Sanchez de Matrimonio; Pasqualigum de Iejunio; Bonartium de Horis Canonicis, ut alios præteream.

Horum ego institutum secutus sum in opusculis meis prioribus, seu Alphabetis, & utroque proximè antecedente Tractatu. Sequor in hoc præsenti opere, in quo propono ferè omnia, quæ ad mores facientia de non probroso minùs, quàm frequenti vitio ebrietatis, reperi apud auctores, qui de ea scripsêre, vel ex professo, vel incidenter.

Quod vitium, quia satis crebrò justam divortii causam præbet, idcirco complura de divortio in medium protuli, sicut & de testibus, utpote qui ante sententiam divortii audiendi sunt

sunt juxta doctrinam C. *Forus* §. In omni. De verb. signif. *& de gula, veluti ebrietatis sorore, ac variis aliis criminibus ortum ab ea, ebrietatéque sumentibus.*

Universam materiam comprehendi verbis, & sententiis in formam Accusationis redactis, exemplo (in dissimili tamen materia,) gravissimi viri Ignatii Lopez in Practica criminali.

Tametsi verò me non lateat, Accusationem *propriè esse criminis delationem apud judicem publicæ vindictæ causa, intervenientе inscriptione legitima; & vice versa* Actionem *propriè, strictéque nil aliud esse, quàm jus quod sibi debeatur, judicio prosequendi. Text.* in L. Nihil aliud. ff. De oblig. & action. *ac proinde huic Operi potiùs* Actionis, *quàm* Accusationis *nomen tribuendum fuisse videri, quandoquidem pars læsa inducitur à me prosequens jus suum, non postulans vindictam; quia tamen hæc duo nomina sæpissimè ab ipsismet juribus promiscuè accipiuntur, ut* C. Tuæ De procurat. *itemque* L. *1. 2. 3.* C. De crimine stellionat. *atq; alibi passim; quia præterea accusatio adulterii ob divortium est actio quasi mixta. Text. express.* cit. cap. Tuæ. De procurator. *Eam ob rem jure ago, dum Librum hunc* Accusationis *nomine officio, nuncupans etiam non tam motu proprio, quàm judicio alieno* Theologiam Iuridico-Moralem, *quòd plurimas quæstiones resolvam è fundamentis Iurisprudentiæ, etsi plures ex Theologia.*

Totum Libri systema oculis tuis, amice Lector, subjiciet Oratio, quam præmittam, literis marginalibus indicaturam singulas materias in decursu pertractandas. Authorum, quorum placita probo, improbóve, numerum haud accumulo, sicuti mihi non difficile foret, ratus, illos, quorum nomina exprimo, sufficere ad authoritatem pariendam sententiis, pro quibus illos laudo, nec ignarus, posse apud illos ipsos reperiri plures, si cui multitudo allubescat.

Paucos ex antiquioribus, præter Doctorem Angelicum, scholarum nostrarum Theologicarum Ducem, & Antesignanum in meum patrocinium advoco, idcirco quòd & illi Neoterici, quos refero, sint petenti nominaturi priscos, & ego multiplici experientia didicerim, esse in rebus Moralibus plerumque standum potiùs judicio Recentiorum, quàm Antiquorum. Tertiam hanc Editionem auctam esse variis locis, agnoscet curiosus Lector.

ACCVSATIO CANONICA EBRIOSI.

Ad divortium ob ebrietatem, & inde secuta mala compellendi.

MEO, meorumque malo, & periculo adductus ad vestrum tribunal sto Reverendissimi, & Amplissimi Domini, coactus illum coram vobis agere reum, cui me patronum offerrem, si apud me esse non oporteret potiorem æqui rationem, quàm decori; & non meminissem, me, cùm cæpi socer esse, non desisse esse patrem, sperâsse, fore avum.

Sulpitius Merula gener meus, priusquam meam ipsi filiam nuptui darem, sobrietatis a *quam* b *juvenes, æquè ac* c *senes peculiari studio consectari decet, non secùs ac si vini non bibendi* d *Religione teneretur, laude clarus, & charus, nunc* e *ebrietati,* f *vitio, inquam, vitiorum pene omnium* g *fœdissimo perditissimè deditus est, eáque tum planè* h *ebrius i tum semiebrius factitat, quæ* h i *filiam meam Elpidiam ab eo etiam invitam discedere cogant. Idque faciendi potestatem petit ea per me, patrem suum, à vobis, Reverendissimi, & Amplissimi Iudices, minimè dubia, se, quod postulat, impetraturam, ubi suæ petitionis causas ex me patienter audieritis.*

Est, ut dixi, gener meus immodico potui vini intolerandum in modum addictus. Nec isto illum crimine postularem, nisi suo nos ipse exemplo, grandi nostro malo docuisset, illam potandi libidinem esse scaturiginem aliorum, quæ diutius ferri nequeant, permultorum, quà flagitiorum, quà ingentium malorum, ipsam crapulam k *comitantium, &* l *consequentium.* k l

Præcipua indicabo, nullum amplificabo, quia me socerum esse tam scio, quàm doleo.

Vix abit dies, Reverendissimi Domini, quo ille gener meus m *tabernam vinariam, vel cerevisiariam non adeat, séque vino oppleat. Et id quidem non tam aliorum exemplo, atque hortatu quàm eorundem hortator, atque antesignanus. Popinonum etiam* n *oberatorum greges secum* n *trahit, nec à provocatione ad haustus* o *æquales* o *desistit, donec vino marcidos, ac depositos videat. Etenim duos illos Sacerdotes, quorum alterum, quòd in crapula sacram hostiam (honorem præfando dictum velim)* p *vomuisset in mensam, alterum, quòd non absque gravi multorum offensione inter pocula identidem repetiisset verba,* q *sacrosanctis mysteriis conficiendis instituta, merito supplicio affecistis, ipse ad temulentiam, & quidem die* r *jejunio dicata, compulerat.* p q r

Quin alteri Sacerdoti, quòd hic, utpote non nescius

s *neſcius quàm propudioſum dignitatis* s *ſacræ crimen ſit ebrietas, tricongium exhaurire detrectaret, manus violentas injeciſſet, niſi is ſibi* t *fuga, ſanè non admodum decora conſuluiſſet.*

u *Vbi ebrius domum repetit, ſcelus* u *ſceleribus cumulare, obvios quoſque aut* x *verberibus, aut* yz y *ſpurcis verbis, geſtibuſque, aut* z *contumeliis* aa *laceſſere;* bb *abſentium famæ obtrectare;* cc *præſentes juxta cum abſentibus maledictis impetere;* dd *execrationes in Deum, & Cœlites jactare;* ee *falſa Catholico homine iuſignißima ruſtare;* ff *ſecretiſſima quæque jurejurando firmare;* gg *quæ ob res tametſi aliquoties infame* hh *ſupplicium vix evaſit, etiam poſtquam certis* ii *ſignis demonſtravit, ſe prorſus ebrium, ac mente captum hæc dixiſſe, feciſſe, jam tamen nihilo melior evadit. Nec illum emendat carcer, quo ob ipſammet ſuam continuam temulentiam, non ſemel ex* ii *Patrii Iuris præſcripto multatus eſt.*

kk *Accedit his malis, quòd per omne genus* ll *ingluviei: filiæ meæ bona* mm *paraphernalia, ipſamque adeò* nn *dotem, ut de bonis* oo *communibus nihil dicam, abliguriat, solvens, dum* pp *ebrius eſt, integra ſympoſia, ſumptuoſa* qq *convivia; graves inſuper* rr *morbos ultra pudagram parit ſibi portentoſa ſua ingluvie. Eámque ob rem tum complura divina humanáque præcepta negligit, tum cornicinis, atque fidicinis munere, quod honeſtam ſanè mercedem ei adfert, perſæpe* ss *fungi nequit. Quo quidem ſi ob ſuam exitialem intemperantiam, græcandique libidinem ſpolietur, non erit, unde ſe, unde uxorem, unde liberos* tt *ſuſtentet, &, ut verbo Vlpianæo utar, exhibeat.*

uu *Quamquam, quid de hiſce alendis loquar? Quibus ipſe vitam haud ſemel eſt eripere conatus? Quoties filiam meam? Quoties nepotulos meos fuſtibus diverberavit? Quoties cultrum, & gladium mero, zythóve gravis in hos, & illam ſtrinxit? vibravit? Certò necaturus, niſi declinando furorem amentis, vitam, ſervâſſent & ſuam, & ejus. Suam, quam petebat impius parricida; ejus, quam vindice gladio erepturus erat carnifex.*

xx *Suaſêre quidem haud pauci filiæ meæ, ut propinato, neſcio, quo pharmacorum genere tolleret viniperdæ appetentiam vini, atque ex ebrioſo redderet abſtemium. Sed* xx *ſcelus deteſtata eſt, cùm aliis de cauſis, tum quòd is naturæ ipſi adeò pervicaciter bellum indixiſſe videtur, ut cùm deeſt vinum, cerevißa, aut mulſum, quibus ratio-*

yy *nem extorqueat,* yy *tabaco,* zz *lupulo,* a 3. *fumo,* b 3. *pane ipſo (credetis teſtatißima proferenti) inſa-*

a 3. *nus ſeſe inebriet, non temperaturus ſibi, credo,* c 3. b 3. *ſanguine, ac* d 3. *lixivio, ſi & horum potûs homi-*

c 3. *nem in beſtiam conſueta ipſi metamorphoſi verte-*

d 3. *re poſſet.*

Accedit, quòd tanta ei neceſſitudo intercedat

e 3. *cum infami ſcorto, ut haud obſcura* e 3. *violatæ fidei conjugalis argumenta dediſſe cenſendus ſit. Etenim non ſemel de die, & de nocte plures horas ſolus cum ſola in clauſo cubiculo moratus, & pronuper ab ipſa filia mea deprehenſus, ſuóque rubore, ſi quid tamen ruboris in effronte reliquum fecit pallida conſcientia, ſeu meditatum, ſeu perpetratum ſcelus confeſſus eſt.*

Quocirca volens Elpidia mea, f 3. *cùm animæ* f 3. *ſuæ incolumitati, tum ſuæ, ſuorúmque liberorum*

g 3. *vitæ, ac fortunarum exiguis reliquiis con-* g 3. *ſultum, etſi authoritate* h 3. *propria, lecti, tecti-* h 3. *que ſeparationem facere poſſet, mavult tamen id veſtro conſenſu, auſpiciſque peragi, minimè ignara, ad veſtrum tribunal,* i 3. *de vortiorum* i 3. *æquè ac* k 3. *Matrimoniorum cauſas ſpectare.* k 3. *Orat proinde, obteſtatúrque, ut per vos, R. verendiſſimi Domini, ſibi liceat, cum dimidia* l 3. l 3. *communium liberorum parte in meas ædes commigrare, & ut habeat, quoſcè, ſuóſque* m 3. *ſuſtentet,* n 3. *dotem, paraphernalia, & quæ propria* n 3. *induſtria comparavit, ipſa ſecum auferre, ac ſeorſim à marito, liberámque ab omnibus ejus imperiis impoſterum vivere, aut etiam inter* o 3. o 3. *velatas Virgines nun velatam profiteri.*

Omnium, quæ adverſus generum dixi p 3. *teſtes,* q 3. *omni exceptione majores,* r 3. *Clericos,* qr 3. *& Laicos* s 3. *R. gulares, Sæculares,* t 3. *Domeſticos,* st 3. *Vicinos, vobis, cùm voluerit, juſſerit, ſiſtam; audite, quæ referent, & miſeris, ut ſoletis, conſulite.*

Scio, objiciet gener meus, quod & dictitat, meam videlicet filiam non minùs ſeipſo ſtudioſam vacuandorum poculorum, atque ebrioſam eſſe, idque vitium longè probroſius u 3. *in mu-* u 3. *liere meritò cenſeri, quàm in viro. Et fateor dolens ipſam uno, alterôve Anno vixiſſe vitam minùs ſobriam, ac decuiſſet, dignámque proinde fuiſſe, cui* x 3. *ſolenni formula diceret:* x 3. Res tuas tibi agito, conditione tua non utor, *ſi ea in id probri ultro potiùs, quàm mariti exemplo deveniſſet, nec à me caſtigata omni meraco jam abſtineret. Nunc quando certum eſt, eam toto, quod proximè elapſum eſt, ſexennio, vicinas omnes modeſtiæ, ſobrietatiſque laude æquâſſe, illum autem ruptis omnibus temperantiæ repagulis, eò dementiſſimæ impudentiæ, impietatiſque devenißſe, ut ſpreta jam ſacratißimorum* y 3. y 3. *quorumque, ipſius adeo* z 3. *Paraſceves, ſacrá-* z 3. *que Synaxi* a 4. *deſtinatorum dierum religione* a 4. *Bacchо litet, ac genio, auſus quoque (horreo referens) ſæpe ſæpius in ipſam ædem ſacram inferre vini lagenam, eámque in* b 4. *odæo, dum* b 4. *Eccleſiaſtes ad plebem verba faciebat, non ſine* c 4. *laſciva cantilatione vacuare, ideóque* c 4. *meritò formidandum ſit, ne ſacrilegam hominis improbitatem vindicante Numine, ſibi aliquando cervicem lapſu frangat ebrius, eámque ob rem cum mea, liberorúmque æterna ignominia, ſepultura* d 4. *aſini ſepeliatur; & verbo omnem* d 4. *planè ſpem* e 4. *melioris frugis ſuccideret, non eſt,* e 4.

cur

cur jam pridem emendatæ uxoris nævo inveteratam ſuam turpitudinem tegere, tuerique velit.

Quapropter iterum, atque iterum vos, Reverendiſſimi atque Amplißimi Domini, oro, quæſóque, ut meæ filiæ, nepotúmque ſecuritati per divortii perpetui ſententiam conſulatis.

A.
SOBRIETATIS LAUDE.
CAPUT I.
DE
SOBRIETATE.
SECTIO I.
De Sobrietatis natura.

SUMMARIUM.

Sobrietatis etymon, & ſignificatum. 1.
Sobrietatis vocabulo tria ſignificantur. 2.
Cur ſobrietas dicatur moderari affectum, & uſum potûs delectabilis? 3.
Quomodo differat ab abſtinentia ſtrictè dicta? 5.
Quid intelligatur nomine potûs inebriare valentis? 7.
Appellatione vini non venit cerevißa. 8. & 9.
In quo conſiſtat moderatio potûs inebriantis, quam ſobrietas procurare debet? 11.
Sitne actus ſobrietatis abſtinentia à vino etiam tunc ſuſcepta, quando ratio dictat eſſe bibendum vinum? 13.
Stupor, & inſenſibilitas opponitur temperantiæ per defectum. 14.

1 QUæres I. *Quod ſit Sobrietatis etymon, quod ſignificatum?*

RESP. I. Nomen Sobrietatis ſumitur à menſura; *dicitur enim aliquis ſobrius, quaſi Briam, id eſt, menſuram ſervans.* Ita loquitur S. Thom. 2. 2. *q.* 149. *a.* 1. Vide Cajet. *Ibid.* ex Donato, & Servio referentem qualem menſuram ſignificet Bria.

2 RESP. II. Sobrietatis triplex eſt ſignificatum. I. Enim latiſſimè ſumpta ſignificat ipſam temperantiam: ubi enim nos *Sap.* 8. Latinè legimus: *Sobrietatem, & prudentiam docet,* Græcè legitur: Σωφροσύνην Eodem ſenſu locutus eſt Apoſtolus ad *Titum* 2. ſcribens: *Sobriè, juſtè, & piè vivamus*, nam pro Latino *Sobriè* habetur in Græco Σωφρόνως. II. Accipitur ſtrictiùs pro virtute moderante appetitum potûs, & cibi ſimul, unde ſolemus vocare ſobrios, qui moderatè utuntur cibo, potúque. III. Strictiſſimè, & ad propoſitum ſumitur pro virtute moderante potum, deſcribitúrque hoc modo:

Sobrietas eſt virtus, quæ affectum, & uſum delectabilem potûs, inebriare valentis debitè moderatur.

Quæres II. *Cur Sobrietas dicatur moderari* 3 *affectum, & uſum potûs delectabilem?*

RESP. I. Ideo dicitur moderari tum ipſum affectum, ſeu appetitum elicitum, tum uſum potûs, ſcilicet frænare ex rationis præſcripto, tum ipſummet internum appetitum, deſideriúmque rerum tactui gratarum, tum etiam uſum externum, ita etiam ſobrietas, quæ ſpecies quædam temperantiæ eſt, duplex officium obeat, quorum altero efficit, ne homo ſobrius immoderatè appetat potum, altero, ne appetito, habitóque utatur immoderatè; atque adeò ſobrietas formam ſuam, id eſt rationis Regulam imprimit non ſolùm affectui interno, ſed etiam externo, quandoquidem bonos affectus internos formamus, & elicimus, ut illorum moderatio, & bonitas in opus externum exeat.

RESP. II. Sobrietas ideo dicitur moderari 4 appetitum, uſúmque potûs, quia diſtinguitur à virtute *Abſtinentiæ* ſtrictè ſumptæ cujus officium eſt temperare appetitum, uſúmque cibi.

RESP. III. Eadem virtus non dicitur ſim- 5 pliciter moderari appetitum, uſúmque potûs, ſed cum addito: *delectabilem*; quia ſicuti hoc ſolùm ſpectat ad gulam, ut aliquis propter concupiſcentiam cibi delectabilis ſcienter excedat menſuram cibi in edendo. S. Thom. 2. 2. *q.* 148. *a.* 1. *ad* 2. & proinde ad abſtinentiam ſtrictè dictam pertinet moderari appetitum, uſúmque cibi delectabilis; ita etiam ad ſobrietatem pertinet regulare appetitum potûs delectabilis.

Conſentit Cajetanus *in Summ. v. Gula* ita diſ- 6 ferens: *Gulæ* (quatenus opponitur abſtinentiæ ſtrictè dictæ) *peccatum conſiſtit in hoc, quòd inordinatè delectatio cibi appetitur, aut habetur*; ergo etiam gulæ (quatenus Sobrietati opponitur) vitium in hoc conſiſtit, quòd inordinatè delectatio potûs appetatur, ergo ad ſobrietatem ſpectat moderari potum delectabilem.

Quæres III. *Quid intelligitur nomine potûs* 7 *inebriare valentis?*

RESP. Intelligitur vinum, & omne, quod inebriare poteſt. S. Thom. *q.* 149. *a.* 1. ſeu omnis potus, qui poteſt ſua fumoſitate caput conturbare. Baldellus *Theologiæ Moralis Lib.* 5. *diſp.* 30. *n.* 4. adeóque intelligitur etiam ſuccus pomorum, aliorúmque fructuum, ut ſingulariter obſervat Franc. Sylvius *in cit. q.* 149. *a.* 3. addens, omnem potum, qui inebriare poteſt, vocari ab Hebræis Schechar, à Græcis Siceram.

Etſi autem Baldellus *loc. cit.* obſervat cervi- 8 ſiam, mulſum, & ſimiles potus eſſe inventos loco vini, & ut ſuppleant illius defectum, proindéque ſecundariò intelligi, & venire nomi-

ne vini, non tamen probanda est argumentatio, quam idem Author *loc. cit.* post Cajetan. format in hunc modum: Nomine vini intelligitur secundariò cerevisia, & alii similes potus, ergo qui uno die tenetur abstinere à vino, tenetur quoque abstinere à cerevisia, & omni alio
9 potu inebriare valenti. Nam hoc consequens meritò negatur à P. Sanchez *L.4. Moral. c. 11. n.44.* (etsi scio asseri à Cajetan. *quæst. 150. a.1.*) quandoquidem non una, sed plures rationes occurrere possunt, cur per legem, simplex præceptum, votum, aut juramentum interdicat sibi quis, vel aliis vino, permittens interim cerevisiam, sicuti videmus quotidie
10 fieri à medicis in morbis calidis. Deinde meritò etiam negatur antecedens prædictæ argumentationis. Si enim appellatione vini venit omne, quod inebriare potest, cur, postquam Angelus matri Samsonis bis prohibuit vinum, bis addidit, Siceram quoque esse ipsi prohibitam? ut videre est *Iud. 13. v.4. & 14.* Cur Anna Mater Samuelis non simpliciter dixit Heli Sacerdoti: *vinum non bibi*, sed addidit: & *omne, quod inebriare potest?*

11 Quæres IV. *In quo consistat debita moderatio potûs inebriativi, quàm sobrietas procurare debet?*

RESP. In eo consistit, ut per potum non lædatur, seu obtenebretur mentis serenitas, sed suas ipsa functiones ritè possit obire, ut post Lessium observat P. Dicastillo *L. 1. De Virtutib. Cardinalib. disp. 3. n.98.* Excipe, nisi rationabilis causa permittat quandoque largiorem potum, quàm conducat mentis serenitati secundùm ea, quæ dicam *Cap. 17.*

12 Quæres V. *An non sit officium sobrietatis moderari nimium appetitum, & usum aquæ?*

RESP. Non est; sed hujus potûs, omnisque alterius vim inebriandi non habentis moderatio spectat ad virtutem abstinentiæ, ut conformiter S. Thomæ notat Lessius *De Iustit. & Iur. Lib.4. c.2. n.87.* Hinc fit, ut contra abstinentiam, non autem contra sobrietatem peccet is, qui ex aquæ potu tantam capiens voluptatem, quantam ex cratere phalerni, bibit usque ad valetudinis læsionem.

13 Quæres VI. *Estne moderatio potûs inebriativita proprius sobrietatis actus, ut is contra hanc moderationem, adeòque sobrietatem delinquat, qui omni vino abstinet, etiam quando ratio dictat esse bibendum vinum?*

14 RESP. Sicuti generatim loquendo temperantiæ per defectum opponitur stupor, seu insensibilitas, ut post Aristotelem nominat S. Thom. *q.141. a.1.* vitium, inquam, illud, quo quis voluptatem tactûs, & gustûs ita aversatur, ut nolit eam admittere, etiam ubi Regula rationis, & temperantiæ admittendam esse decernit, & proinde ad temperantiam generatim spectat ita moderari usum rerum tactu perceptibilium, ut hic admittatur, cùm admittendum esse suadet: eodem modo ad sobrietatem pertinet ita ponere modum in usu potus inebriativi, ut non respuatur, quando ratio dictat utendum esse tali potu, & proinde contra sobrietatem delinquere videtur, qui non bibit vinum, quando ratio bibendum esse dictat.

Et verè ita dicendum puto secundùm com- 15
muniorem Doctorum persuasionem; interim tamen, quia sine dubio ineptè dicitur is delinquere contra legem jejunii, qui die jejunii respuit omnem cibum, etiam cum incommodo gravi valetudinis: quia etiam virtus omnis dicitur versari inter duo extrema, seu consistere in medio, non idcirco, quòd prohibeat, omnia extrema, undecunque illa sint vitiosa, sed quia ut sit actus virtutis requiritur, ne deflectat in aliquod extremum, quandoquidem bonum est ex integra causa, idcirco non videtur peccare contra sobrietatem, qui abstinet potu vini, etiam tunc, cùm recta ratio imperat illo uti, sed potiùs peccat talis quandoque contra charitatem propriam, quandoque contra urbanitatem, quandoque contra obedientiam, aut aliam quampiam virtutem, quæ pro varietate circumstantiarum obligat.

SECTIO II.

An Sobrietas sit virtus specialis?

SUMMARIUM.

An sobrietas sit virtus specialis? 16.
Quomodo sobrietas sit pars abstinentiæ? 19. & 20.
Quid si abstineatur vino, quatenus est nutritivum? 22.
An sobrietas differat à moderato sui amore? 25. *& seqq.*

PRopono hanc quæstionem, quia ex ejus 16
decisione videtur pendere resolutio practicæ cujusdam quæstionis, utrùm videlicet is, qui se voluntariè inebriavit, teneatur confiteri, quòd se inebriaverit, an sufficiat dicere, quòd illicito modo se ad notabile tempus privaverit usu rationis, seu proximâ ad usum rationis potentiâ; si enim sobrietas non est virtus distincta à moderato sui amore, tum sufficiet utique posterior Confessio, non sufficiet, si sit distincta.

Et verò non dubitat S. Thom. quin sobrie- 17
tas sit virtus omnino peculiaris, idque etiam probat *cit. q.149. a.2.* inde, quòd potus inebrians habeat specialem rationem impediendi usum rationis. S. Thomam sequuntur quotquot Legi Commentatores. At P. Theophilus Raynaudus *Lib.6. De Virtut. num.69.* negat expressè, sobrietatem prout est virtus moralis,

ralis, seu prout intendit honestatem moralem, esse virtutem ab omni alia distinctam, sed esse eandem vel cum moderato sui amore, vel cum virtute abstinentiæ; nam moderatus sui amor dictat, non esse plus potus inebriativi sumendum, quàm necesse sit; ergo sub isto respectu sobrietas non distinguitur à sui moderato a-
18 more. Deinde potus inebrians eodem modo afficit, & oblectat, quo cibus; ergo ea virtus, quæ moderatur delectationes cibi, moderatur quoque delectationes potûs; & diversitas, quæ tunc reperitur, est tantùm materialis; igitur ut sic Sobrietas non differt à virtute abstinentiæ.

19 Priusquam aperiam, quid mihi circa hanc controversiam videatur, separabo certa ab incertis, & controversis. I. Certum videtur, si nomen abstinentiæ sumatur, ut solet vulgo, imò & à SS. PP. sumi, sobrietatem esse vocandam partem abstinentiæ; nam nemo integre abstinens vocatur, si sit intemperans in usu vini, esto moderatè cibis utatur. Lessius & Dicastillo citati *sect. præced.*

20 II. Itidem certum videtur, si loquamur de cibo, & potu, quatenus præcisè sunt delectabiles, abstrahendo ab eo, an turbent, vel non turbent rationem, tum ut sic sobrietatem non distingui, in ratione virtutis, à virtute abstinentiæ strictè sumptæ. Nam Cajetan. *q.149. a.1.* rectè docet, spectare ad abstinentiam, moderari appetitum vini, quatenus delectabile est in se.

21 III. Si quis tam effræni impetu feratur in vinum, ut per vehementiam appetitus, & passionis turbetur ipsa ratio, sicuti turbatur e.g. per excessum iræ, tum facilè etiam concedit Cajetan. *Ibid.* pertinere ad abstinentiam, idque haud dubiè sentit S. Thom. *q.149. a.2. ad 1.*

22 IV. Cùm in vini potu, præter rationem delectabilitatis, reperiatur ratio nutritivi, & ratio inebriativi: nam vinum revera nutrit & inebriat, satis certum videtur, moderationem illius, quatenus est nutritivum, spectare vel ad virtutem abstinentiæ strictè dictæ, ut censet Dicastillo *n.103.* & Tannerus *Tom. 3. disp. 3. q.3. n.32.* apertè favente S. Thom. *q.150. a.2. ad 2.* ubi ait, quòd plus sumere in cibo, & potu, quàm necesse sit, spectat ad vitium gulæ (strictè dictæ, ut manifestum est ex eo, quòd mox ipse subdit) vel si non spectat ut sic ad virtutem abstinentiæ, tum spectare ad moderatum sui amorem, sicuti post Martinum de Magistris sentit Raynaudus *loc. cit.*

23 V. Fatetur ultro idem Raynaudus *loc. cit.* abstinentiam, quatenus respicit poculenta, specie differre, in ratione habilitatis, ab habitu, quo quis inclinatur, ad facilè abstinendum ab esculentis. Itaque hæc duo videntur esse controversa. Primum, utrùm abstinere à potu delectabili, quatenus inebriativus est, sit actus virtutis ab abstinentia strictè sumpta diversæ. Alterum, an, si est actus virtutis, distinctæ ab abstinentia, sit quoque distinctæ ab omni alia virtute, præsertim à charitate propria, debeátque proinde nomine peculiari vocari sobrietas?

Et verò dubitari non debet, quin S. Thom. 24
ll. cc. & Commentatores ejus censeant, respondendum esse affirmativè ad utrumque punctum controversum, cùm interim P. Raynaudi haud dubiè opinio sit, abstinentiam à potu, quatenus inebriativus est, non esse virtutem distinctam vel ab abstinentia strictè dicta, vel à moderato sui ipsius amore. Et qui- 25
dem non distingui à moderato sui amore probari potest hac non planè infirmâ ratione. Quia si datur necessariò peculiaris virtus ad impediendum, ne per usum potûs damnum adeat ratio, tum etiam dari debebit peculiaris virtus impediens, ne per usum potûs, aut cibi lædatur sanitas corporis; item ne per usum venereorum lædatur eadem sanitas; hoc autem est falsum, & contra S. Thom. qui consentientibus Lessio & Baldello rectissimè docet, incommodum valetudinis planè per accidens se habere respectu intemperantiæ, & gulæ. Sequela probatur, nam certum est, plurimis hominibus æque difficile esse abstinere potu, cibo, & venere noxiis corpori, ac difficile est abstinere potu noxio rationis usui.

Confirmatur inde, quòd incommodum va- 26
letudinis æquè naturaliter sequatur ex cibo, quo ad quantitatem, vel qualitatem valde immoderato, ac naturaliter sequitur incommodum rationis ex vino immoderatè sumpto; ergo sicuti ex sententia S. Thom. incommodum valetudinis ex nimio cibo ortum, non est contra ullam temperantiæ speciem, ita etiam incommodum rationis non erit contra ullam speciem temperantiæ, ergo non dabitur ulla species temperantiæ, cujus officium sit incomodum rationis cavere, ergo à primo ad ultimum sobrietas non erit virtus distincta à moderato sui amore.

Propter hanc, aliásque nonnullas rationes, 27
videri potest probabile, quòd sobrietas non differat à moderato sui amore, & consequenter ebrietas non repugnet temperantiæ, sed respectu hujus se habeat, sicuti respectu veracitatis se habet damnum ex mendacio noxio per se secutum. Verùm in re tanti momenti nolo discedere à communi persuasione.

Unde ad rationem in contrarium suprà al- 28
latam respondeo, ad præcavendam rationis, non autem corporis læsionem dari peculiarem virtutem, quòd & rationis bonum sit longè excellentius bono corporis, & bonum corporis bono rationis subordinari debeat, &

moderatio potûs inebriantis habeat peculiarem difficultatem, quæ non reperitur in moderatione cibi; & homines sint passim magis proclives, ad excessum in potu inebriante, quàm in cibo, & denique ille excessus sit gravior, damnosiórque juxta illud *Prov. 23. Ingreditur blandè, & in fine mordebit, ut coluber.*

SECTIO III.

Sitne fas per abstinentiam à vino, & cerevisia minuere vitæ Annos, aut sanitatem lædere?

SUMMARIUM.

An sit tanta obligatio vitam prolongandi per potum, & esum, quàm conservandi per hæc duo? 30.

An tanta non decurtandi per abstinentiam minuam ab his, quàm per horum nimium usum? 31.

Sitne fas abstinere omni vino ea intentione, ut mors accelleretur? 32.

An adsit obligatio vitam conservandi vino exquisito, & delicato? 34.

Licétne perpetuò abstinere potionibus medicis? 36.

Quid si cholica laborans graviter, eas respuat amore patiendi? 38.

An sit licita abstinentia à communi quoque potu, quando inde vita diminuitur notabiliter? 40.

Quomodo intelligenda doctrina, quòd virtus abstinentiæ imperet sumi tantum cibi, & potûs, quantum necessarium est ad valetudinem conservandam? 44.

Quid censendum de illo, qui non sumit tantam quantitatem potûs communis, aut vini, quanta est necessaria ad conservandam suam valetudinem? 45.

Quomodo excusandi illi Sancti, qui non sumpserunt illam tantam quantitatem? 47.

Non oportet hac in re esse scrupulosum. 49.

Quid si autem quis tali abstinentia reddat se ineptum ad officia, ad quæ tenetur sub mortali? 50.

Prælati Religiosi nequeunt suis subditis imponere tantam abstinentiam, quantam hi licitè exercere possunt. 53.

29 ILli etiam medici, qui potum aquæ summopere commendant, fatentur, quibusdam ad vitæ diuturnitatem magis vini, quàm aquæ usum conducere, ut reliquos inter concedit suâ morum conspicuâ integritate, & singulari eruditione notissimus Doctor Hippolytus Guarrinonius in sua Oenohydrogamia. Igitur

Quæres I. *Sitne eadem obligatio vitam pro-* 30
longandi, per vini aut cerevisiæ sumptionem, aut abstinentiam, quæ conservandi?

Negant rectè P. Sanch. *L. 5. Conf. moral. c. 1. n. 33.* & Pasq. *in praxi jejunii decis. 27.* loquentes de cibis. Ratio est, quia obligatio prolongandi vitam, importat singulare studium ad vitam producendam; at obligatio vitæ conservandæ non nisi commune studium imperat; quare omnibus hominibus est imposita obligatio conservandi vitam, non autem prolongandi. Meritò etiam negat Victoria *relect. de temp. n. 9.* esse idem, vitam non protelare, & vitam abrumpere, nam sæpius licitum est primum, quàm secundum.

An verò est saltem eadem obligatio vitam non 31
abbreviandi per vina vel noxia, vel nimis copiosè ingesta, quæ non abbreviandi per subtractionem vini? Cardinalis de Lugo *Tom. 1. De Iust. disp. 10. n. 32.* ita loquitur: In hoc pares sunt, qui excessu cibi, aut potûs, & qui eorum defectu (voluntario) vitæ abbreviationem causant. Verùm quia S. Thom. *q. 154. a. 12. ad 4.* pronuntiat, gravitatem in peccato magis attendi ex abusu alicujus rei, quàm ex omissione debiti usus; non est autem par obligatio vitandi levius, & gravius peccatum, idcirco censeo, nos habere majorem obligationem non abbreviandi vitam per vinum nimium, aut noxium; quàm per subtractionem vini opportuni, nec puto dissentire hunc Doctorem.

Cujus Doctoris Eminentissimi limitatissimo judicio cùm ego sæpissime in hoc, & Experientiarum volumine sensa mea confirmem, placet hîc referre illud omnino singulare, quod primùm hisce diebus legi in Bibliotheca Societatis nostræ, editâ à P. Nathanaële Sotuello, in qua hoc rarissimum Summæ docilitatis exemplum de eodem Cardinali refert his verbis: *Ab ipsis ferè incunabulis fuit* (Cardinalis de Lugo) *ea facilitate ingenii, ut vel triennis potuerit & libros, & literas manu exaratas legere.* Ita Pater Sotuellus.

Quæres II. *Vtrùm liceat abstinere à vino di-* 32
rectè ea intentione, ut quis citiùs moriatur? Negant omnes. Nam hoc ipso, quòd homo non sit dominus suæ vitæ, teneretur non intendere illius abbreviationem. *Quid si ut solùm una ho-* 33
ra citiùs moriatur? Hanc etiam tantillam abbreviationem nefas est intendere; sicut non licet se occidere etiam unâ tantùm horâ citiùs, quàm ab alio occidatur, inquit Card. de Lugo *loc. cit.*

Quæres III. *An tenear vitam conservare vi-* 34
nis admodum exquisitis, & delicatis? Imò reprehensibilem te pronuntiat post Victoriam Sanchez *num. 2.* si id facias: certè te non teneri docent Sayrus *in Clavi Regia l. 7. c. 9. num. 28.* & alii communiter, loquentes de cibis. Ratio est,

est, quia non tenemur vitam conservare, nisi mediis ordinariis, & communibus; vina autem valde exquisita, non sunt ordinaria me-
35 dia. Adde, quòd nemo teneatur vivere in loco saluberrimo, sed possit habitare in regione noxia ratione frigoris, caloris, humiditatis, ut argumentatur Victoria *n. 9.* & Sayrus, dicens expressè, non teneri quem ad locum etiam proximum migrare, ob salubriorem auram, nec bibere vinum, quamvis medicus dicat, ejus potu vitam ad decennium prolongatum iri; de quo iterum erit sermo *Sect. seq. n. 59.* Quòd si à tua longævitate penderet incolumitas Reipublicæ, tum non puto hos Doctores negaturos, quin tenereris uti vinis solito delicatioribus, & pretiosioribus, si medici pronuntiarent esse necessaria ad vitam producendam.

36 Quæres IV. *An liceat perpetuò potionibus medicis abstinere?*

RESP. Victoria *cit. Relect. De Temper. n. 1.* cujus sententiam approbat Sayrus *loc. cit.* præsens dubium ita resolvit: [Si quis haberet certitudinem moraliter, quòd per pharmacum reciperet incolumitatem, sine pharmaco autem moreretur, non videtur profectò excusatus à mortali; quia si non daret pharmacum proximo sic ægrotanti, peccaret mortaliter; & medicina per se etiam ordinata est ad salutem; sed quia vix hoc potest esse certum, ideo non sunt damnandi de mortali, qui in universum decreverunt abstinere à pharmacis, li-
37 cèt non sit laudabile.] Addit Sayrus non valere hanc consequentiam: Homo tenetur vitam sustentare cibo, ergo & pharmaco. Et P. Sanchez *n. 4.* sic loquitur: Non tenetur quis uti medicinis ad prolongandam vitam, etiam ubi esset periculum probabile mortis, ut quot Annis sumere pharmacum ad vitandas febres, quamvis teneatur quis, dum morbo laborat, consulere medicos, & uti cibis salutaribus ut addit *n. 5.*

38 Quæres V. *An exerceam opus laudabile, & meritorium, si cholicâ graviter laborans respuam medicas potiones?* Patris Sanchezii *cit. dub. 33. n. 8.* est hoc responsum: [Licitum, & meritorium est viris perfectis respuere medicinas in aliquibus morbis, & doloribus gravibus, non afferentibus periculum mortis, ut e.g. in dolore passionis iliacæ, remedia omittere, ad profectum spiritualem, & carnis mortificationem, & ad experiendum dolores Christi in passione. Similiter tempore Martyrii licet respuere medicinam corporalem, etsi adesset periculum mortis, quia utilitas maxima est, necessitas promptitudinis animi ad sustinendum, & promptè perhibendum testimonium fidei.] Et verò P. Henricus Lamparter in vita Religiosissimi, Theologiæque scientissimi P. Ludovici de Ponte *L. 3. c. 4. §. 8.* scribit de eo hæc verba: *Cùm Medicus deprehendisset, affluxisse oculo Ludovici malignum humorem, citò sermonem de illo abrumpens Ludovicus, ne quæ illi medicina fieret, constanter toleravit, donec per ejus acrimoniam tota videndi vis demum exsa est, jactura tanto acerbiore, quanto oportet charioremfuisse oculum homini legendi, scribendique studioso.*

Quæres VI. *Quid si æger sim, & nequeam po-* 39
tum sumere, nisi magno cum cruciatu? Victoria *n. 1.* sic respondet: [Si animi dejectio tanta est, & appetitivæ virtutis tanta consternatio, ut non nisi per summum laborem, & quasi cruciatum quendam possis sumere cibum, aut potum, jam reputatur quædam impossibilitas, & ideo excusatur saltem à mortali, maximè ubi est exigua spes vitæ, aut nulla.]

Quæres VII. *An sit mihi licitum abstinere* 40
etiam à communi potu, non tantùm quo ad pluralitatem potationum, sed etiam quantum ad quantitatem, esto, clarè, & sensibiliter videam, & advertam, ex tali abstinentia diminui meam vitam? P. Sanchez *n. 11.* respondet, id tibi esse licitum, dummodo per hanc abstinentiam non impediaris ab adimpletione tui officii, & sumas potum necessarium ad conservationem individui. Patrem Sanchez sequitur Pas- 41
qualigus *cit. decis. 27. n. 8.* Ratio prima est, quia licet exponere vitam corporalem pro salute spirituali, imò etiam corporali amici, ut tradunt D.D. cum S. Thom. *q. 24. & 26.* quid ni igitur licita sit prædicta abstinentia ob finem spiritualem suscepta? Ratio secunda est, 42
quia alioquin non liceret dare operam literis per multum tempus & exercere artes valde laboriosas, & calorem vitalem notabiliter suffocantes. Ratio tertia est, quia innumeri Sancti ejusmodi abstinentiam tam in cibo, quàm in potu coluerunt, nominatim Fundatores Religionum, quorum nonnulli suis injunxerunt pœnitentias, & austeritates, quibus vita sensibiliter abbreviatur. Plures rationes submi-
nistrat Cardinalis de Lugo *disp. 10. de Iust. à n.* 43
34. O felix pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam, inquiebat S. Petrus de Alcantara, factus post mortem conspicuus B. Teresiæ.

Objicies I. Illam sententiam, quæ ex S. Hieronymo refertur c. Non mediocriter *De Consecr. dist. 5.* & quam S. Thom. *q. 147. a. 1. ad 2.* ita refert: [Non differt utrùm parvo, an magno tempore te interimas, quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderatè corpus affligit.]

RESP. S. Hieronymum intelligendum esse, vel de illo, qui indiscretis abstinentiis se confi-
cit juxta dicenda *n. 48.* vel de illo, qui abstinentias suscipit cum intentione vitam minuendi.

Objicies II. Doctrinam communem, quòd 44
scilicet virtus abstinentiæ exigat tantum cibi

& potùs sumi, quantum ad valetudinem, & vitæ conservationem est necessarium.

RESP. Id per se loquendo exigi ab abstinentia, per accidens tamen non exigit tunc, quando alia nobilior virtus imperat majorem cibi, & potùs subtractionem. Hinc infer, abstinentias, & jejunia, quæ præscribuntur in Regulis Religiosorum, posse assumi, etsi prævideatur, vitam ideo fore breviorem, ut rectè post Petrum Navarr. *L.1. De Restit. cap.* 3 *n.*89. advertit Pasqualigus.

45 Quæres VIII. *Quid censendum de illo, qui ita abstinet à communi potu, aut vino, ut non sumat quantitatem præcisè necessariam ad alimentum, & sustentationem, ac valetudinem individui, secundùm suam propriam complexionem*? Talem passim damnant peccati, nominatim P. Sanchez *n.*12. *An mortalis?* Ita quidem, si illam
46 abstinentiam non suscipiat ex fine bono. *Quid si ex intentione subjiciendi carnem spiritui*? Omni peccato talem absolvunt Simanca, & Plaza apud Pasq. *n.*4. etsi advertat ea ratione imminui vitam, vel certè si putet, se rectè facere, ut ait Graffis *L.*2. *Decis. c.*6. *n.*63. quem proinde malè prioribus duobus Doctoribus jungit Pasqualig. Malè quoque refert *n.*5. Cajetanum, & P. Sanchez, quasi absolutè docentes, talem peccare solùm venialiter; nam hi duo Doctores solùm dicunt, quando ejusmodi homo advertit se excedere, putans tamen se rectè facere, peccare communiter duntaxat venialiter, propter intentionem, & nocumenti ignorantiam, quoad notabilitatem, ut addit Cajet. *q.*147. *a.*1. nam, ut optimè advertit, apprehendunt istæ piæ animæ nocumenta corporis e.g. doloré stomachi, quasi nihil, & tanto plus excusantur, quanto sanitas corporis consideratur ab eis non absolutè, sed in ordine ad servitium spirituale.

47 Nec dubitari debet quin horum alios excusset ignorantia, aut inadvertentia planè invincibilis, alios instinctus Dei, cui veluti domino vitæ paruerunt, juxta ea, quæ cum S. Augustino disserit S. Thomas 2.2. *quæst.* 64. *a.*5. *ad* 4. de illis Sanctis Virginibus, quæ se ipsas occiderunt. Et in hoc secundo casu meruerunt augmentum gratiæ per suas excessivas abstinentias; at in primo est dubium. Tannerus *Tom.*2. *disp.*6. *q.*6. *n.*70. asserit esse certum, quòd nil mereamur per opera materialiter mala, quæ per errorem invincibilem putamus esse honesta; at Martinus Bresserus de conscientia. *L.*2. *c.*6. *n.*39. affirmat esse satis certum, quòd per illa, & non solùm per bonam intentionem mereamur præmium.

48 Ex his apparet, abstinentias discretas non esse improbandas, indiscretas autem meritò improbari. *At quando in particulari sunt censendæ discretæ, & indiscretæ*? Respondeo cum Granado *in* 2.2. *Contr.* 3. *Tract.* 6. *disp.* 2. *sect.* 3. *n.*12. apud Dianam *Part.*5. *Tract.*4. *Resol.* 33. nil certiùs affirmari posse, quàm id arbitrio prudentis definiendum videri argum. cap. De causis 4. §. 2. *De Offic. Iud. Deleg.* Cùm enim ex una parte homo conditus sit ad gloriam promerendam, qui finis multa exigit non ita accommodata vitæ protrahendæ, ex altera autem parte idem homo non sit dominus sui corporis, aut membrorum text. *L. Liber. ff. Ad Leg. Aquil.* non est facile tradere generalem circa hoc Regulam.

Oportétne autem esse hac in re scrupulosum? 49
Negat P. Granadus rem hanc esse scrupulosè accipiendam præsertim ab his, qui ob divinum obsequium, & ad satisfaciendum Deo pro peccatis corpus affligunt, rarò enim, aut nunquam damnandus esset tanquam culpæ mortalis reus, qui propterea vitam valde abbreviaret. Ita Granadus, cujus doctrinam confirmant innumeri utriusque sexus, atque omnis ætatis Sancti; qui variis corporis afflictionibus multùm Annos vitæ minuerunt, alii quidem præter omnem opinionem, omnes verò citra directam intentionem. Porrò rectè notat Petrus Navarr. *loc. cit. n.*90. Cœnobitas feliciores esse hac in re Eremitis, eò quòd habeant Prælatos, à quibus dirigantur, refértque non sine approbatione Regulam, quæ nostræ Societatis hominibus præcipit, ut aperiamus nostras mortificationes Superioribus nostris.

Quæres IX. *Quid sentiendum de illo, qui per nimiam à potu, vel cibo abstinentiam reddit se ineptum ad obeundum officium, ad quod sub mortali tenetur*? Respondet rectè P. Sanchez *n.*13. talem delinquere mortaliter, quia est causa damni alieni. Unde Concionatores quadragesimales, itémque Professores, qui per nimiam abstinentiam reddunt se ineptos ad suum officium, peccati mortalis condemnat Sanchez cum doctis Junioribus, & Pasqual. *decis.* 28. si videlicet per notabile tempus fungi non potuerunt suo officio. Et addit Pas- 51
qual. hoc esse verum, etiamsi per alium Concionatorem possit suppleri defectus. Quam Sanchezii doctrinam admitto respectu Concionatorum, quibus stipendium, ut in Italia fieri solet, datur, non autem respectu illorum, qui ex mera charitate concionantur, nisi fortè non haberi possit, qui officium suppleret. Vide dicenda *C.*10. *n.*24. *Adésne autem obli-* 52
gatio aliquid restituendi? Negat Pasqual. eò quòd concio & lectio, quæ illicitè subtrahitur, sint functiones ita alteri debitæ, ut sint affixæ diei.

Quæres postremò. *An Prælati possint impo-* 53
nere subditis abstinentias à potu & cibo, tam rigidas, quàm possunt ipsi sine peccato assumere?

RESP. Meritò id negari à Pasqual. *decis.*29. quia

quia Lex, & præceptum humanum, & præsertim Regulare debet imitari suavem Dei Spiritum, cujus mandata gravia non sunt.

SECTIO IV.

An qui Religionis approbatæ Novitiatum ingressus, experitur abstinentiam à vino obesse suæ valetudini, teneatur Novitiatum deserere?

SUMMARIUM.

Casus Novitii delicatè enutriti, quem medici judicabant, tenerè redire ad sæculum. 54.
Quid censendum de Novitiis vino enutritis in sæculo, at in Religione carentibus eo? 55.
Tales se non occidunt, sed occidi permittunt, quando abstinentia à vino est ipsis noxia. 58.

AD elucidationem quæstionis propositæ in titulo hujus Sectionis repræsento hunc

Casum Novitii Romani.

54 TEstatur Cardinalis de Lugo Tom.1. de just. disp. 20. num. 33. *paucos ante Annos juvenem nobilem minùs firmæ valetudinis, & dedicatæ complexionis ingressum fuisse Noviciatum cujusdam approbatæ Religionis. Medicos nonnullos pronuntiâsse, illum obligari sub peccato ad deferendum Novitiatum. At à Theologis jussu Vrbani VIII. congregatis fuisse rejectum illud Medicorum consilium, illumque juvenem relictum suo arbitrio, qui quidem in Religione permanens Medicas conjecturas fallaces comprobârit, cùm melius multò sub disciplina Religiosa valuerit, & adhuc valeat, quàm priùs valuisset in sæcularibus deliciis.*

55 Idipsum, quod de Romano Novitio pronuntiârunt illi Medici, pronuntiabunt utique de iis adolescentibus, qui vino enutriti subeunt Tirocinium Religiosum, in quo non nisi cerevisia eorum stomacho, & complexioni parum grata, parum commoda, sed potiùs noxia præbetur. *Quæritur, an teneantur idcirco deserere Novitiatum*?

56 RESP. Non tenentur. Primò, quia ex Ecclesiæ praxi constat, nullum Novitium teneri exire novitiatu, etsi experiatur vitæ Religiosæ austeritatem, & abstinentias adferre non modica incommoda valetudini. Secundò, quia ipsa Ecclesia nobis imitandum proponit S. Casimirum, Casimiri Poloniæ Regis filium, quòd virginitatem, quam ab incunabilis servârat illæsam, sub extremo vitæ termino fortiter asseruerit; dum gravi pressus infirmitate, mori potiùs, quàm castitatis jacturam ex medicorum consilio subire constanter decrevit, ut refertur in Breviario Romano ad IV. diem Martii; ergo non peccat ille, qui constans manet in proposito castitatis, paupertatis, & obedientiæ Religiosæ, etsi inde timeat vitæ abbreviationem. Tertiò, potest quis laudabi- 57
lissimè vitam suam præsentissimo periculo exponere, ad avertendum aliquod grave malum spirituale, aut temporale, impendens suo proximo, & communitati; cur non igitur etiam laudandus sit, qui in rectissima ad cœlum via persistit, esto prævideat cerevisiam, aut aquam submersuram non paucos vitæ Annos?

Objicies. I. *Talis se occidit.* Resp. Non se 58
occidit, sed occidi permittit; valde autem cæcus est, qui non cernit immane inter hæc duo discrimen, nec advertit, etsi nefas sit unquam se ipsum directè occidere, sæpissime tamen laudari, qui se occidi permittunt, aut indirectè occidunt se ipsos.

Objicies II. *Talis Novitius sponte, & ultro* 59
utitur potu vitam abbreviaturo, ergo seipsum occidit directè. Resp. Etiam ille, qui habitat loco uliginoso, haurit auram putrem, sanitatique valde noxiam, & tamen non dicitur se occidere, nec tenetur; etsi possit, domicilium aliò transferre, sicuti ex Victoria, & Sayro observavi suprà. Ratio est, quia applicatio rerum valetudini noxiarum à sapientibus non vocatur occisio sui ipsius, quando fit ex causa proportionata, Sanctorúmque exemplis conformi. Vide, si placet, prædictum Cardinalem fusè de proposito argumento differentem.

SECTIO V.

An Religiosus, qui experitur, potum suo Monasterio consuetum, esse suæ valetudini noxium, teneatur alium à Superiore petere?

SUMMARIUM.

Nullus Religiosus tenetur petere victum diversum à communi, esto hic noceat valetudini. 60.
Non tamen delinquit, si alium petat rogando. 62.
Secùs si petat exigendo. Ibid. & seq.
Si tamen potus ordinarius sit multùm noxius, tenetur indicare superiori. 65.
Quid si causet solùm dentium dolorem, tremorem manuum &c? 66.

AD hanc dubitationem, quæ fortè plu- 60
ribus, quàm opus esset, molestiam facessit.

Dico I. Nullus Religiosus tenetur à suo Superiore petere potum, victum, vestitum diversum ab iis, quæ sunt in ejus Conventu, Monasterio, Collegio consueta. Probo, quia sufficit significare Superiori suam necessita-

tem, & dicere cum Magdalena & Martha : *Ecce : quem amas, infirmatur. Ioan.* 11. Ergo non est opus petere, ac rogare, ut sibi quid
61 peculiare detur. Antecedens probatur, tum ex illo S. Bernardi apud Umbertum *in Cap.* 19. *Reg. S. August. Qui vestri curam semel nobis commisistis, quid rursus de vobis vos intromittitis?* tum quia viri Sancti non leguntur petiisse ullas singularitates, sed respuisse oblatas; tum denique, quia obedientiæ perfectio non permittit, ut Superiorem in nostras partes, quando de carne, & sanguine agitur, trahere conemur.

62 Dico II. Non peccat, qui ratione infirmitatis formidatæ peculiarem potum petit rogando, peccat, qui petit flagitando. Primum probo, quia licitè rogo id mihi concedi, quod licitè datur, & licitè usurpatur à me. Secundum probo, quia Superior non tenetur ob infirmitatem tuam peculiarem tibi potum præ-
63 bere, ergo peccas, si ab illo tanquam debitum exigas. Antecedens ostendo, tum quia non tenetur tibi non petenti obtrudere potum peculiarem, tum quia non obligatur ad concedendas tibi singularitates, utpote quas Religionum Fundatores, & Ascetæ tam sæpe ac graviter infectantur. Quos inter S. Bernard. *Serm.* 30. *in Cant. sub fin.* graphicè illum Religiosum describit, qui suæ valetudini plusquam oportet studens dictitat: [Legumina ventosa sunt, potum aquæ non sustinet pectus, pisces de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt.]

64 Excipio tamen hinc casum, quo potus ordinarius gravem invaletudinem pareret, tunc enim non videretur peccare Religiosus exigens alium facilè parabilem; postquam enim Monasteria sunt ad sustentationem Fratrum dotata, habet quisque jus exigendi alimenta, cæteráque necessaria, inquit Less. *L.* 2. *De Iust. c.* 35. *n.* 68. post Navarr.

65 Dico III. Quando potus ordinarius grave incommodum adfert valetudini, tenetur Religiosus id Superiori indicare. Probatur I. ex SS. Isidoro, Basilio, Monachis Cælestinis, ac Sancto Ignatio, qui, ut videre est apud Nigronium *in Reg. Com. Soc. Reg.* 17. ita expressè statuerunt. Probatur II. quia si non indicet, periculum est, ne postea oporteat majores sumptus facere, & quidem cum propriorũ officiorum detrimento, domesticorúmque molestia; atqui tale damnum tali silentio Religio compensare non vult. *Cap.* 1. *De Converſ. infid.*

66 Dico IV. Quando ex potu ordinario generantur duntaxat catarrhi, tússes, manuum tremor, dentium dolor, somnus inquietior, notabiliter major difficultas in obeundis muneribus, & officiis, non tenetur quis id significare Superiori, ea intentione, ut potum peculiarem obtineat. Ratio est, quia nec Superiorum, nec Dei præceptum nos obligat ad hasce infirmitates, cum singularitatis nota cavendas, & infiniti Sancti, (quorum mores debent nobis esse norma vivendi *Cap. fin. dist.* 20.) laudantur, qui amore virtutis, ac patientiæ dissimulaverunt talia incommoda. Et præsertim illi sunt in conscientia tuti, qui suo Monasterio, seu Ordini parùm, aut nihil prodesse, aut possunt, aut volunt.

SECTIO VI.

An damnatus sententia Iudicis, ut siti pereat, possit licitè abstinere potu clam oblato?

SUMMARIUM.

Vtrùm damnatus sententia Iudicis, ut siti pereat, licitè abstineat potu clàm oblato? 67. *& seqq.*
Estne faciendum hìc discrimen inter damnatum injustè, & damnatum justè? ibid.
Quid si non semel, sed sæpius offeratur clàm talis potus? 70.
Quid agat Confessarius cum homicida, qui in carcere debilitat naturam abstinentia à cibus, & ideo debilitat, ut tanto citiùs moriatur inter manus Carnificis? 72. *& seqq.*

Quæres I. *Vtrùm sit eadem ad propositam* 67 *quæstionem responsio danda, sive per justam, sive etiam per injustam sententiam sit quis ad mortem siti subeundam damnatus?*

RESP. A Lessio *Lib.* 2. *De Iust. c.* 9. *n.* 29. ex Laymanno *Lib.* 1. *Tract.* 4. *c.* 18. *n.* 9. non fieri ullam distinctionem inter justâ, & injustâ sententiâ damnatum. Imò Cardinalis de Lugo *cit. disp.* 10. *n.* 30. expressè docet, non esse opus ulla distinctione. Certè nulla ratio suadet distinctionem.

Quæres II. *Vtrùm ejusmodi homini sit fas* 68 *uti potu, qui ipsi offertur, inscio, & invito Iudice?*

RESP. Omnino, quia est nimis durum, mortem oppetere, quando quis se facilè liberare potest, ut rectè Laymannus cum aliis. *Etiam quando sententia Iudicis est justa?* Utique, nam si sit injusta, non opus est probare licitam esse clanculariam illam potûs sumptionem.

Quæres III. *Quid directè respondendum sit ad* 69 *quæstionem, in titulo sectionis propositam?*

RESP. Fas esse, oblatum potum respuere, ut docent tres citati Doctores, loquentes de cibo, cum aliis permultis. Nec hoc est se ipsum occidere, sed is illum occidit, qui ei potum subtrahi imperat. Etsi enim sumendo potum furtim oblatum, esset vitam aliquamdiu protractu-

tracturus, non tamen ad illam protractionem obligatur tunc, cùm alius & vult, & etiam potest illum paulò pòst interimere, ergo licitè talem potum semel, iterúmque respuit, ut rectè Cardinalis de Lugo *loc. cit.*

70 *Quid si autem non semel, aut iterum, sed sæpe offerretur ei potus, & ita quidem, ut mortem ejusmodi à judice sibi decretam evadere posset?* Tunc assentior eidem Cardinali asserenti, adesse obligationem utendi, fruendi beneficio oblato. Probat ipse hanc doctrinam modo ipsi familiarissimo, videlicet per similitudi-
71 nem, & exemplum palpabile. Si enim, inquit ipse, ad ignem quis damnatus, dum jam flammâ circumdatus est, haberet ad manus aquam, quâ posset ignem extinguere, & vitam protrahere, quamdiu alia ligna afferuntur, & accenduntur, non ideo teneretur uti illo medio, ut vitam illo brevi tempore conservaret; si verò ei jam in strue lignorum posito, daretur facultas semper aquâ extinguendi incendium, & sic evadendi mortem, teneretur ad utendum tali medio, quia tunc jam non inferretur ei mors absolutè ab intrinseco, cùm & daretur facultas libera, defendendi se ab igne per media ordinaria. Similiter ergo quando loco flammæ applicatur fames, (aut sitis, quæ est incendium internum ut eum consumat, si simul relinquitur ei facultas extinguendi semel, vel iterum illud incendium cibo vel potu sibi oblato, non tenetur uti illo medio ad vitam aliquantulùm protrahendam, quæ statim nova fame consumenda est, teneretur tamen, si modus offerretur sustentandi vitam, & mortem evadendi.] Ita ille, respondens ad aliquam disparitatem, quæ intercedit inter ignem externum, qui ab alio, & internum ventriculi, qui à cujusque natura accenditur, & confirmans principalem hujus sectionis doctrinam argumento, quod quia multis mirum videbitur, dedit occasionem proponendi sequentem quæstionem.

72 Quæres IV. *Quid respondendum latroni, qui prævidens, se ob sua flagitia à judice, à quo jam in vincula datus est, certò damnatum iri ad suspendium, vel crurifragium, vel etiam rogum, ut tantò faciliùs, & breviùs à carnifice, aut igne perimatur, naturam suam siti, & inedia voluntaria valde debilitat, & quærit à Confessario utrùm non peccet, deditâ operâ suam naturam per inediam ex prædicta intentione debilitando?*

73 Fortè respondebit Confessarius, hunc latronem pessimè agere, quandoquidem *n.* 32. ex omnium sententia dixerimus, nefas esse abstinentias suscipere, cum directa intentione vitam abbreviandi, eò quòd, cùm homo non sit suæ vitæ dominus, teneatur non intendere ejus abbreviationem.

74 At verò talem excusaret Cardinalis de Lugo, utpote qui *n.* 31. ita ratiocinatur: [Qui strangulandus est, potest priùs ad hunc finem abstinere, vel comedere, ut faciliùs, & breviùs à carnifice suffocetur; ergo qui ab aliis fame necandus est, potest, si id prævideat, prius abstinere, ut postea ab aliis includendus debilior cùm sit, minùs resistat, & faciliùs, ac breviùs occumbat. Nec hoc est se occidere, (*inquit prædictus Doctor*) sed licitè auferre impedimenta, quibus futuram occisionem posset per aliquod tempus impedire, eique aliquantulum resistere.]

Et quamvis hæc doctrina videatur contra- 75
ria judicio multorum, est tamen probabilis, tum ob allatam rationem, tum ob tanti viri judicium. Ego misero homini vel prohiberem, vel dissuaderem illam inediam, casu, quo sperarem eum in rogo, aut sub carnificis manu non desperaturum, secùs si probabiliter timerem, ne carnificinæ diuturnitas illum ad blasphemias, aut desperationem vehementer incitatura esset; nam in utroque casu tutiora sequerer; in primo quidem casu vitando periculum peccati, etiam materialis, & dando occasionem expiandi scelera per diuturniorem cruciatum, in altero autem præcavendo periculum peccati formalis, & æternæ damnationis. Ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod minus habet de periculo, inquit Angel. Doctor 3. *p. q.* 83. *a.* 6. *ad* 2.

SECTIO VII.

An sobrietati, aut alteri virtuti repugnet bibere ob solam voluptatem?

SUMMARIUM.

Quid S. Augustinus scribat circa illam quæstionem, utrum sobrietati, aut alteri virtuti repugnet bibere ob solam voluptatem? 76.
Quid S. Thomas? 77.
Ratio, cur talis potus repugnare videatur rationi. 78. *& seqq.*
Authores, qui dicunt, talem potum esse indifferentem. 81.
Eorum rationes, 82.
Sententia recentioris Theologi, rati, talem potum esse actum honestum. 86.

TRiplex est de hac re quotidianâ senten- 76
tia. Prima, esse peccatum. Ita significat S. August. *Lib.* 10. *Confes. c.* 31. ubi ita de se ipso loquitur: *Cùm salus sit causa edendi, & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere*

vel

vel dico, vel volo; nec idem modus utriusque est, nam quod saluti satis est, delectationi parum est, & sæpe incertum sit, utrùm adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat.

77 Idipsum indicat S. Thom. 2.2. *q.*148. *a.*3. *ad* 3. malitiam gulæ in hoc constituens, quòd gulosus intendat in cibo delectari; & apertè docet S. Anton. *Part.*2. *tit.*6. §.2. confirmatúrque aliquibus doctrinis, quas ex Aristotele, & SS. August. & Thom. retuli *sect.* 1. Estque hæc communis opinio inter Recentiores, præsertim negantes dari actus indifferentes in individuo; quam nominatim defendit Pasq. *decis.*16. & Eminentissimus Cardinalis Sfortia Pallavicinus *Tom.* 1. *assert. Theolog. L.* 1. *cap.*15.

78 Ratio est, tum quia si potus non est necessarius saltem ad optimè nutriendum corpus, aut sitim restinguendam, tum est superfluus, ergo noxius valetudini, ergo qui sumit potum non necessarium, peccat, quia nocet saltem aliquantulùm valetudini; atqui omnis, qui ob solam voluptatem bibit, sumit potum non necessarium; tum quia Regula temperantiæ est, moderari appetitum cibi, & potûs, secundùm exigentiam valetudinis, atqui contrà hanc Regulam agit, & consequenter peccat, qui appetitum moderatur secundùm delectationem; tum quia delectatio subordinatur sustentationi, tanquam fini, ob quem est ab Authore naturæ indita delectatio comestioni, & bibitioni. Sistere autem in fine subordinato, & non dirigere illum ad subordinantem, est contra rationem exigentem, ut finis ex na-
79 tura intermedius ordinetur ad ultimum. Atque ita ratiocinatur Pasqualigus. At Cardinalis Pallavicinus eandem sententiam probat tum satis clara authoritate S. Auguſt. *Lib.*4. *contra Iulianum cap.* 14. tum inde, quòd cùm Deus naturam humanam elevârit ad beatitudinem supernaturalem, à qua plurimùm avertit studium voluptatis corporalis, satius fuerit ad hunc finem, ut tale studium omnino prohiberetur.

80 Addo his ego hanc rationem, quia si licèt bibere præcisè ob delectationem, licebit quoque conjugibus uti copula conjugali ob solam delectationem; consequens est sine dubio contra SS. Aug. & Thom. & videtur esse contra rationem.

81 Altera sententia tenet, quòd bibere, & comedere præcisè ob delectationem, secluso invaletudinis periculo, sit opus indifferens, omni laude, & vituperio per se carens. Ita expressè docet P. Less. *cit. Lib.*4. *c.*1. *n.*10. *&* 12. Escobar *in Summa Tract.*2. *Exam.* 2. *n.* 34. & multi alii teste Pallavicino *loc.cit.*

82 Prima hujus sententiæ pars probatur tum argumentis primæ sententiæ, tum quia delectatio non est motivum per se honestum, sed inferioris ordinis, quale etiam in brutis locum habet. Altera ejusdem secundæ sententiæ pars probatur tum argumentis pro tertia sententia adferendis, tum istis. Primò quòd *Genes.* 27. Rebecca dixerit filio suo Jacob: *Affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur*; his verò verbis significatur sanctum Patriarcham Isaacum delectatum fuisse istis escis. & satis insinuatur comedisse ob solam delectationem, nam non comedit ob sanitatem, quandoquidem medicorum scitum est, carnes hœdinas obesse potiùs, quàm prodesse sanitati. Secundò, nimis facilè & nimis multi homines damnandi essent peccati, si prima sententia esset vera, cùm revera difficile sit plerisque hominibus, delectationi præfigere finem honestum, & 83
non operari propter illam solam. Tertiò, non est ullum peccatum, facere quidpiam eo solo fine, ut appetitus naturalis fruatur suis naturalibus, & non malis actibus; delectatio autem ex cibo, & potu est naturalis actus appetitûs, & certum est, eam vacare ex se omni culpâ. Quartò, si edere, & bibere ob solam delecta- 84
tionem est peccatum, sequitur etiam illum peccare, qui suos oculos oblectat aspectu elegantis Imaginis, item illum, qui aures modis mulcet symphoniacis, atqui nimis durum est, hos omnes damnare peccati.

Propter has, & similes rationes negant ex- 85
pressè Joann. Sanchez *d.*2. *n.*14. & P. Escobar. *loc. cit.* consentiente, aut multùm favente Silvio 2.2. *q.*148. *a.*1. peccare illum, qui citra detrimentum valetudinis aliquid edit, & bibit, & quidem usque ad satietatem præcisè ob voluptatem. Negat haud dubie Hurtadus referendus *n.*96. Negavit id quoque constanter Recentior quidam, multarúmque palmarum Theologus, P. Simon Felix, quem in consessu multorum virorum doctorum audivi perquam eruditè defendentem hanc sententiam. Addo his hanc rationem, quòd scilicet intelligantur concessa, quæ non sunt expressè prohibita. Gloss. *Cap.*2. *De Transf. Episc.* Et cuncta licita sunt, nisi decreto, aut Lege prohibeantur. Nellus *Tract. De T. st. n.* 1. Atqui nulla Lege prohibemur quærere delectationem in potu.

Tertia sententia tenet, non solùm non pec- 86
care, qui ob solam delectationem edit, & bibit, sed etiam exercere actum honestum. Ita sentiebat Recentior ille Theologus, P. inquam Simon Felix. Ejusdem opinionis est haud dubiè Joann. Sanchez. Nam *disp.*23. *n.*26. expressè docet, & probat, illum honestè operari, qui capit delectationem in re, quam licitè potest operari, eò quòd operans ob delectationem, operatur simul ob finem honestum ex parte

parte operis, licèt ex parte sua, scilicet operantis operetur propter finem delectabilem. Eandem sententiam meo judicio tradit P. Azor referendus *n.* 89.

87 Confirmabat P. Felix sententiam istam hoc argumento, quòd scilicet sit honestum, & opus propriæ charitatis naturalis erga se, naturam oblectare mediocriter; hæc enim delectatio est quædam naturæ sublevatio, ad quam nos ipsa natura, & ratio ducit.

88 De his tribus sententiis ita ego sentiebam olim: Primam præstare authoritate, secundam ratione, tertiam esse quoque probabilem, tum ob judicium illorum Theologorum, quos pro ea retuli, tum ob utramque rationem allatam, tum fortè etiam ob hanc, qua illi quoque utuntur, quòd scilicet S. Auguſt. *Lib.*8. *Conf. c.*10. expressè doceat, esse opus *bonum*, id est, *honestum*, oblectare se cantu sobrio; verba S. Patris adscribo: *Quæro ab eis (bonis voluntatibus) utrùm bonum sit, delectari Psalmo sobrio, & utrùm bonum sit, Evangelium differere? Respondebant ad singula: Bonum. Quid si ergo pariter delectent omnia, simulque uno tempore? nonne diversæ voluntates distendunt cor hominis cùm deliberetur, quid potissimum arripiamus? Et omnes bonæ sunt, & certant secum &c.* His verbis apertè docet S. Pater, bonum, id est honestum esse, delectari Psalmo sobrio, seu cantu sobrio, id est non petulante, non perverso. Ergo etiam honestum est oblectare se cibo, & potu sobrio, qualis quidem est, quando nec est valetudini noxius, nec notabiliter in peccatum incitant, nec lege prohibitus est.

89 Eandem tertiam sententiam tenuit Azor; nam *Part.* 1. *Lib.*2. *c.*3. *q.*4. expressè dicit, quòd actus ex rationis deliberatione facti ad recreandam tantummodo cum quadam delectatione naturam, sine alia necessitate debita, sint honesti, & quòd sit bonum sequi, & amplecti, quæ sunt naturæ (spectatæ seorsim à sua corruptione) grata & jucunda.

90 Ad primam rationem *n.*78. allatam respondebam, in primis illâ non probari, quòd is peccet, qui cibos, aut potus salubres sumit, non salubritate, sed sola delectatione illectus, seu non cogitans de commoditate corporis, quæ revera per illos promovebitur, sed de sola voluptate. Est autem potissima lis de hoc, utpote frequentissimo casu; ergo argumentum istud non impugnat id, quod maximè impu-
91 gnandum esset. Respondetur deinde, posse tam modicum cibi, aut potûs ex sola delectatione, sine ulla optimâ nutritione sumi, ut vel nullo modo noceat valetudini, vel tam imperceptibiliter, ut in moralibus non sit æstimandum illud nocumentum.

92 Ad alteram rationem ibid. allatam dicitur, plus non probare, quàm quòd is, de quo loquimur, non exerceat actum Temperantiæ, non autem probatur, quòd exerceat actum contrarium Temperantiæ.

Ad tertiam rationem dicebam, eâ nimis- 93
multum probari, videlicet illum, qui exercet actum, vel ex sese indifferentem, vel præditum sola honestate naturali, peccare, si non referat ad finem supernaturalem; quorum primum à multis verissimè: alterum à plerisque rectissimè negatur. Et rectè docet Sancius *cit. n.*25. 94
non omnem subordinationem ab Authore naturæ factam esse in præcepto, sed aliquam posse esse in solo consilio; nam non peccat autis, qui Matrimonio utitur, solùm ad evitandum peccatum, aut Deo servit solùm ob æternam beatitudinem apprehensam ut suum, non ut Dei bonum.

Ad rationem Cardinalis Pallavicini dico illo 95
argumento rectè probari, immoderatum, & vehemens studium voluptatis esse vetitum, non item moderatum, commune, mediocre, si videlicet sit de objecto, aut actione licita.

Ad quintam rationem concedit facilè se. 96
quelam Joan. Sanchez, utpote qui *cit. disp.*23. *n.*25. post Majorem, Almainum, Pontium, & P. Casparum Hurtado *De Matr. disp.*10. *diffic.* 2. existimat, nullum admitti peccatum ab eo, qui solius causa voluptatis utitur matrimonio; quin addit, talem operationem esse honestam. Ego autem id non dico, sed potiùs posse ideo negari sequelam, quòd omnis commixtio carnalis & sit parva quædam epilepsia, (Hippocrates apud Damhouderium *in Pract. crim. c.*93. *n.*6.) & contineat talem partim turpitudinem, partim mentis absorptionem, seu rationis ligamentum, ut loquitur S. Thomas 1.2. *q.*33. *a.*3. *in C. & q.*34. *a.*1. *ad* 1. ut hæc duo mala non videantur rationabiliter eligi, propter delectationem solam.

Dices: *Quid si quis voluptatem in cibo, potu,* 97
copula conjungali quærat, atque intendat directè, illam tamen ordinando ad finem honestum? Resp. Rectè negat ipse S. Augustinus *cit. c.*14. itémque Pallavicinus *n.*186. ut sic peccari. Et quidni tunc ille finis suam honestatem refundat in ejusmodi intentionem, & opus?

SECTIO VIII.

Sitne peccatum bibere delectabiliter?

SUMMARIUM.

Sitne peccatum bibere delectabiliter? 98.
Quid S. Antoninus censeat circa hanc quæstionem? 99.
Quo sensu dicatur delectatio perficere operationem? 103.

Ita

98 ITa loquitur Cajet. *in Summa V. Gula*; sensus est, utrùm peccet, qui acceptat delectationem in sumendo cibo, & potu, seu qui gaudet, palatum suaviter mulceri cibo, & potu?

Respondet Cajet. id asseri non posse, nisi ab eo, qui ita sit insipiens, ut putet omnem voluntariam delectationem sensibilem esse, peccatum. Consentit Sylvius *q.* 148. *a.* 1. & Cardin. Pallavicinus *sect. præcedente n.* 77. relatus. Nec potest hæc eorum responsio revocari in dubium ab iis, quos *sect. præced.* retuli pro sententia secunda, & tertia. Sed neque ab iis, qui primam defendunt, existimo negari.

99 Equidem ipse S. Antonin. *loc. cit.* apertè hanc doctrinam tradit, & meritò; nam humana infirmitas eget non tantùm cibo, & potu, sed etiam cibi sapore, & delectatione, ad hoc, ut finem, propter quem sumenda sunt alimenta, meliùs, ac plenius assequatur; delectatio enim à sapore veniens, ut rectè observat Sylvius, facit, ut non recusemus alimenta sumere, & ut sumpta faciliùs retineantur, & concoquantur; nam *quod sapit, nutrit*, teste Avicenna.

100 Unde S. August. contra Julianum, *Lib.* 4. *Cap.* 14. rectè scripsit: *Non solùm cibi, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter saturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.*

101 Licèt itaque sit in controversia positum, an comedere, vel bibere propter solam delectationem, citra tamen valetudinis læsionem, sit peccatum, est tamen, aut certè esse debet extra omnem controversiam, quòd is non peccet, qui quando inter edendum, aut bibendum, sentit magnam in palato voluptatem, gaudet in animo, se illa voluptate mulceri; nam revera solùm gaudet, cibum, & potum sibi vehementer sapere; non saperet autem, qui diceret, ejusmodi gaudium esse illicitum, quandoquidem est de objecto planè licito, scilicet de delectatione ex potu, & cibo, ad sustentandam naturam sumpto.

102 *Quid si verò illa delectatio oriatur ex sumptione cibi vetiti, ob quantitatem, vel qualitatem &c.* Tum peccatur in eâ sibi complacendo; nam talis delectatio est mala, eò quòd habeat objectum malum, & talis sit delectatio, qualis operatio, ut cum S. Thom. 1. 2. *q.* 34. *a.* 1. in C. contra Vasquez. docent communiter Recentiores.

103 Dices: Delectatio perficit operationem, teste S. Thom. *Ibid. q.* 33. *a.* 4. Respondeo, illam doctrinam esse intelligendam vel de sola delectatione operationis bonæ, vel certè de perfectione Physica, non autem morali, ut rectè advertit P. Arriaga *Tom.* 3. *d.* 29. *n.* 47.

104 Etsi verò nullo modo peccet, qui se voluptate potùs non vetiti perfrui gaudet, imò honestissimè operetur, si ideo gaudeat, quòd illa voluptate allectus possit sumere cibum, quem etsi valde sibi necessarium, non poteratantea sumere, consultissimum tamen est, & omnibus perfectionis studiosis solenne non attendere ad ullam delectationem, utpote quæ insidias perpetuò struat.

SECTIO IX.

An bibere sit actus indifferens.

SUMMARIUM.

An bibere sit actus indifferens in specie? 105.
An indifferens in individuo? 106.
Refertur principalis ratio S. Thomæ contra indifferentiam. 109.
Adferuntur varia adversus hanc rationem. 110. *& seqq.*
Quid si quis bibat ex sola intentione, ut naturæ necessitatem decenter sublevet? 113.
Quid si ut præcisè mitiget dolorem ex siti provenientem? Ibid.
Quid si præcisè ut exerceat suam libertatem? Ibid.
An facere aliquid præcisè ideo, quòd sit à Deo permissum, sit actus indifferens? 114.
Refertur Cardinalis Pallavicini singulare argumentum contra assertores indifferentiæ actuum in individuo. 115.
Author mutat pristinam opinionem de actuum in individuo Indifferentia. 117. *in Append.* lit. a.
Referuntur literæ Romæ datæ, atque inducentes ad recantationem. lit. c.
Non tamen probantur omnia contenta iis literis. lit. o.
Proponitur fundamentalis difficultas contra negantes Indifferentiam. lit. n.
Assertores indifferentiæ quomodò in tribunali sacro absolvant optimas animas nihil aliud confitentes, quàm actus indifferentes non directos ad supernaturalem finem. lit. r.
Quanta fuerit temperantia P. Lessii. lit. t.

QUæres I. *Vtrùm bibere sit actus ex sua specie, seu secundùm speciem indifferens?*

Respondeo cum communi sententia, & persuasione affirmativè. Nam bibere non continet ex se ullam bonitatem, vel malitiam moralem. Est autem hæc responsio contra Scotum, & Gabrielem, qui apud Tannerum *Tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 5. *dub.* 5. negant dari actus secundùm speciem indifferentes, rectè asserente S. Thoma 1. 2. *q.* 18. *a.* 8. dari ejusmodi actus, eò quòd levare festucam è terra, ire ad campum, ut loquitur S. Thomas, non contineat aliquid pertinens ad ordinem rationis.

Quæ-

106 Quæres II. *An bibere, sit actus in individuo indifferens?*

RESP. I. Si ad bonum finem dirigatur potus, tum erit actus bonus, & non indifferens; malus & non indifferens, si ad malum finem sumatur. S. Thom. *loc. cit. a.* 9. nam finis dat actui speciem. S. Thom. *Ibid.*

RESP. II. Probabilius est, stando solâ, quæ mihi occurrit, ratione, quòd bibere sine intentione boni, aut mali finis esse possit actus in individuo indifferens; esto ille potus cum plena deliberatione sumatur. Fateor quidem hanc responsionem adversari S. Thomæ *cit. a.* 9. longè probabilissimè neganti dari actus in individuo indifferentes, verùm eam mihi persuadent hæ rationes.

107 I. Quòd sententia S. Thomæ, prout ab ipso, & ab aliis communiter defenditur, tradat, hominem esse obligatum, ut omnibus suis actionibus ex objecto indifferentibus præfigat finem honestum, seu virtutis; hoc autem non videtur esse asserendum. Quia non debet asseri naturam humanam ad aliquid admodum grave, & molestum esse obligatam, nisi hujus obligationis magna, claráque argumenta suppetant. Tum quia *affirmanti incumbit probatio. Leg.* 2. *ff. De probat.* tum quia *factum in dubio demonstrari debet.* DD. communiter *ex Leg. In bello* §. *facta. ff. De Capt. & postlim. rev.*

108 Tum quia *quoties dubia est interpretatio libertatis, secundum libertatem respondendum est*, Text. *L. Quoties dubia. ff. De Regulis Iuris.* Atqui ex una parte est valde grave onus, obligatum esse, ad præfigendum suis actionibus indifferentibus finem honestum; ex altera autem parte non suppetunt magna, claráque argumenta, pro hac obligatione asserenda.

109 Nam unicum S. Thomæ argumentum est hoc, quòd peccet ille, qui actiones suas non ordinat ad debitum finem, quæ propositio tametsi, ut jacet, vera est, non tamen probat intentum. Quamvis enim plurimis actionibus debeatur finis aliquis honestus, plurimis tamen non debetur ejusmodi finis; ergo licèt non dirigantur ad illum, non dicentur non ordinari ad finem debitum. Equidem non debetur semper honestus finis illis actionibus, quas qui exercet, ex sententia S. Hieronymi *Epist.* 89. *nec justitiam habet, ut est ambulare, capitis naribus purgamenta ejicere, sputis rheumata jacere.*

110 II. Quòd ex communi sententia S. Thomæ sequatur, illum per se loquendo peccare, qui res, quæ sunt cæteroquin solius consilii, omittit, nisi omittat ductus motivo honesto; hoc autem est revera nimis durum; quis enim peccati damnet illum, qui dicit: Esset quidem mihi utiliùs ad salutem, si audirem quotidie duo sacra, & non tantùm unum; volo tamen tantùm unum audire. Sequela autem proba-

tur tum inde, quòd eam admittat Suarez *Tom.* 4. *De Relig. Tract.* 1. *Lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 13. tum quia argumenta, quibus hic Auctor, aliique plerique probant, omnes nostras actiones, debere ad finem honestum dirigi, probant idipsum de omissionibus.

III. Hinc desumitur tertia probatio; quia 111
secundùm hanc sententiam, ejúsque palmarem rationem dicendum est, te non satisfacere officio hominis Christiani, etsi quotidie sexcenta opera supererogatoria facias, sed teneri te, tot facere, donec recta ratio dictet, te honestè acturum, si finem ponas illis bonis operibus. Hoc autem est conscientias infinitis scrupulis discruciare; quandoquidem juxta communiora principia hujus sententiæ, oportebit ad singulas actiones instituere examen, & disquirere, utrùm honestè agas, illas continuando, multiplicando, ab iis cessando, illas aliis præferendo, postponendo.

Et quia rem omnibus consideratis minùs 112
perfectam perfectiori præferre, non est honestè agere, debebunt omnes sæculares, pariter & Religiosi luere graves in purgatorio pœnas, si sola mandata Dei, suásque Regulas servent, aut etiamsi invigilent solis operibus supererogatoriis, nisi perfectiora secundùm suum statum sequantur, & sic fiet, ut res consilii non sint consilii in individuo, sed revera præcepti ad veniale obligantis.

Ex his, aliisque rationibus, quas lubens præ- 113
tereo, infero primò, probabilissimam, imò (spectata sola ratione) probabiliorem esse sententiam S. Bonaventuræ, Alensis, Carthusiani, Angesii, Palatii, Scoti, omnium Scotistarum, (ut testatur Raynaudus *in Morali disciplina, disp.* 4. *n.* 30.) Vasq. *in* 1. 2. *disp.* 52. *cap.* 1. Arriagæ *Tom.* 3. *disp.* 21. *n.* 43. Joannis VVigers apud eundem *n.* 41. Joannis Lalemandet *phys. disp.* 16. *part.* 8. Joannis Sanchez *in select. disp.* 4. *n.* 1. & Herreræ apud ipsum, qui omnes asserunt, posse dari actus in individuo indifferentes, qui sint plenè deliberati.

Infero secundò, quando quis bibit eo fine, 114
ut naturæ necessitatem decenter sublevet, sustentet, vel ei quietem adferat, esse actum honestum, præsertim si is suum corpus ordinet ad bonum virtutis, ut inquit S. Thom. *loc. cit. ad* 3. Imò, quia bibere præcisè ad mitigandum dolorem, qui ex siti persentiscitur, est actus honestus, quandoquidem dolor est natura sua malus, & incompossibilis cum beatitudine, quam omnes homines secundùm rationem appetunt, ut argumentatur ex S. Augustino *cit. c.* 14. *contra Iulianum* P. Pallavicinus *Tom.* 1. *Assert. Theolog. Lib.* 1. *n.* 184. Confirmatur doctrina *in Sect.* 7. allata, quòd scilicet vacet culpa, bibere ob solam voluptatem, cùm etiam voluptas sit pars beatitudinis.

Infero ulteriùs tertiò, non modò illum, qui 114

ex ſola voluptate bibit, non peccare, ſed neque illum, qui bibit non ob voluptatem, quia fortè nullam, ob læſum organum guſtatorium, experitur, ſed quia ita ipſi placet, dummodo alia mala circumſtantia non admiſceatur.

Infero quartò, diſſentire nos ab eodem Cardinali Pallavicino, dum *n.* 180. docet, omne objectum gratia ſui licitè amabile, poſſe terminare actum honeſtum, propter ſuam bonitatem nativam, & non tantùm quatenus poteſt eſſe utile ad aliud objectum, eò quòd omne poſſibile non illicitum ſit talis, ut Deus ſit illius cauſa per ſe, ergo quicunque illud facit, conformat ſe cum voluntate divina, ergo honeſtè operatur, ut argumentatur idem Doctor. Verùm reſpondetur, quòd conformare ſe cum voluntate Dei permiſſiva, ſeu (quod idem eſt) velle id, quod Deus permittit, non ſit actus, ut ſic, virtuoſus, cùm ne facere quidem id, quod permittit Deus, ſit actus, ut ſic, virtuoſus.

115 Infero quintò, diſſentire nos ab eodem doctore, dum *n.* 181. negans dari actus indifferentes in individuo, non ſolùm per ſe, cùm omne objectum non malum ſit bonum, ut ipſe ait, ſed ne ex ignorantia quidem, eò quòd quis exiſtimaret, contrariam opinionem eſſe veram, probat hac nova ratione: Ut quis operetur licitè, debet cognoſcere, objectum eſſe licitum, & permiſſum à Deo; vel ergo eligit hoc objectum propter hoc motivum, vel non? Si eligit propter illud, jam demeretur ſibi Deum, dum amplectitur aliquid, quoniam ille permittit, ac proinde ſubjicit ſe illius dominio. Si verò contemnit hoc motivum, hoc ipſo offendit Deum.

Verùm ad hanc ſubtilem ſanè rationem reſpondeo in primis, eſſe infinitos homines, bonos, & malos, fideles & infideles, qui actiones ex ſe indifferentes exercent, ſolùm habitualiter ſcientes, & non actualiter cogitantes, illas eſſe de ſe permiſſas. Hos autem, ut ſic, honeſtè vel inhoneſtè operari quis dicat? Nam nèque habitus Gratiæ, quo juſti prædíti ſunt, efficit, ut cenſeantur ita habitualiter eſſe ad bonum inclinati, ut propter hanc inclinationem derivetur honeſtas in omnia opera non mala; quandoquidem rectè negat Sanchez *Lib.* 1. *Moral. cap.* 11. *n.* 7. actu delinqui ab eo, qui ex erronea conſcientia ratus, obligari ſe ad omnia ſua bona opera offerenda idolo, & paratus habitualiter illa offerre, exercet aliqua bona opera, non cogitans, ſe teneri, illa offerre idolo. Nec habituale peccatum ſufficit, ad omnia peccatoris opera indifferentia commaculanda.

116 Reſpondeo ſecundò, poſſe utique fieri, ut aliquis dicat: faciam hodie omnia illa, quæ conſcientia dictabit eſſe indifferentia, utrùm autem velim facere etiam aliqua ex malis, non determino, ſed ſuſpendo omne circa illa propoſitum. Jam, ſi occurrente huic homini occaſione bibendi craterem, dicat: quia manè propoſui facere omnia opera indifferentia, ebibam hunc craterem, fortè bibiturus, fortè non bibiturus (nec enim hoc nunc determinare eſt neceſſe) ſi ſcirem eſſe vetitum. Profectò in hoc caſu ille homo non demeretur ſibi Deum, nec timore, aut contemptu Dei inducitur ad bibendum illum ſcyphum. Unde apparet, dari medium inter contemptum Dei, ejuſdémque timorem *moventem*.

Reſpondeo tertiò, ratione P. Pallavicini plus non probari, quàm quòd illa Dei permiſſio ſit conditio, ſine qua non. Hanc autem non ſufficere ad actûs honeſtatem probatur, tum communi judicio S. Thomæ *loc. cit.* aliorúmque ad honeſtandum actum indifferentem requirentium præfixionem boni finis, & inſuper aſſerentium, peccare, aut certè non virtuoſè agere illum, qui ambulat idcirco, ut ſuam libertatem exerceat, ſeu quod idem eſt, ut faciat id, quod ipſi licitum eſt; tum quia nullus famulus rem ſuo domino gratam facit, ex eò præciſè, quòd otietur tunc, cùm permittit ille dominus otium.

Adde, quòd ex hac ſententia ſequatur, ſi Mævius à Seio exigat debitos ſibi centum aureos, & Seius ſolvat, talem exactionem eſſe æquè actum juſtitiæ, ac eſt ſolutio, ſi videlicet Mævius exigat, non exacturus, ſi foret contra juſtitiam, & Seius ſolvat, non ſoluturus, niſi imperaret juſtitia. Hoc autem videtur repugnare communi omnium judicio: Sicuti illud, quod Religioſus ipſamet tranſgreſſione Regularum ad culpam non obligantium æquè mereatur augmentum gratiæ, & gloriæ, ac meretur eas obſervans, ſiquidem prior ille tranſgrediatur, non tranſgreſſurus, ſi vetaret Deus. 117

Addo tamen hanc hujus Eminentiſſimi dignitate, doctrinâ ſapientiâ, virtutibus, quas commemorat P. Nathanaël Sotuellus *in Bibliotheca Societatis lit.* S. Doctoris ſententiam mihi veroſimiliorem videri illâ, quæ jubet, ut omnes actiones ex ſe indifferentes dirigamus in finem honeſtum. Addo quoque, conſultiſſimè agere illos, qui ſuas proprias actiones inſtituunt conformiter doctrinæ Sancti Thomæ, adeóque eas dirigunt ſemper ad finem honeſtum, atque ad majorem Dei gloriam, quam quia Sanctus Fundator noſter Ignatius *ſemper in ore habuit*, *ſemper in omnibus quæſivit*, ut de eo teſtatur Eccleſia; idcirco in aureo Libello Exercitiorum Spiritualium, pro principio ſeu Fundamento vitæ perfectæ ſuppoſuit à fortiori ſententiam Divi Thomæ, quam etiam ſupponere debet, quiſquis illa Exercitia Spiritualia tradit homini, aſpiranti ad perfectionem ſuo ſtatui conſentaneam, nec enim conſequetur illum

illum finem, niſi ſuis moribus exprimat opinionem Doctoris Angelici. Expreſſit autem inter alios & quidem veſtitam ſupernaturali motivo Sancta Thereſia Virgo, utpote quæ ſuaſu Chriſti Salvatoris edidit illud maximè arduum votum *efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſe intelligeret*, ſicuti refertur *in Lect. 5. Officii* ejuſdem Virginis.

Appendix mutatæ opinionis.

a Quæ legiſti, benigne Lector, ſcripta à me hac ſectione in favorem ſententiæ ſcotiſticæ adverſus Thomiſticam de poſſibilitate actuum moralium indifferentium in individuo, velim à te accipi perinde, ac ſi prolata eſſent non à concludente finaliter, ſed à diſputante, fluctuante, ſuáque priſtina ſenſa duntaxat exprimente, non verò ultimatò confirmante; ſiquidem propter nunc primùm indicatas, atque alias è ſuperiùs relatis, rationes, maximè verò propter authoritatem D. Angelici, ac propè innumerorum, intérque hos præcipuorum ſcriptorum noſtræ Societatis aſſeclarum, captivo nunc meum judicium, credens ſcribénſque in hac tertia Editione, ſupremáque (agito, dum hæc imprimuntur, Monachii, per Dei gratiam Annum vitæ LXXIX.) meætate, videri mihi, perpenſis, & inter ſe collatis omnibus, veriorem doctrinam S. Thomæ, & quæ ei adverſantia ſcripſi hac, ſuperioréque ſectione, & fortè alibi, accipi debere eo ſenſu & modo, quem expreſſi initio hujus Appendicis, quæ quidem doctrina Thomiſtica acciperet magnum adhuc aliud robur ab authoritate, ſi aliqui è SS. Patribus loquerentur expreſſè de Chriſtianis, in genere, eo modo, quo præſtans ille Aſcetarum Magiſter P. Zacharias Ignatius Trinckellius olim Theologiæ Publicus Profeſſor Gracii, atque *magnis*, ut loquar cum P. Nathanaële Sotuello in Bibliotheca Societatis *lit.* Z. *naturæ, & gratiæ donis excellens*, in ſuo perquam inſigni opere, cui titulus in prima Editione eſt: *Major Dei Gloria*: in altera *Divinatorium*. Siquidem ille ſcriptor ex iis, quæ S. P. Noſter Ignatius in *Fundamento*, ſeu *Principio* ſuorum Exercitiorum ſpiritualium, partim expreſſit, partim implicitè, verè tamen, intellexit, deducit conb ſequentiam expreſſam hiſce formalibus: *Ex his concludes, hominem de facto obligatum eſſe, ſe ſuáque NB. omnia in Deum, ut finem ultimum, & quidem non ſolùm naturalem, ſed ſupernaturalem referre, cùm non ſolùm per creationem acceperit eſſe naturale, ſed inſuper elevatus per gratiam ſit ad eſſe ſupernaturale, atque adeò ordinatus per hoc abſolutè voluntate in Deum, ut finem ſupernaturalem.* Hæc verba leges in cit. voluminis Parte ſeu Tract. 2. cui titulus *Recollectio Annua*, in omnium prima Meditatione *n.* 22. *pag.* 402. Et *n.* 33. *pag.* 407. (non autem 345. ut vitioſè expreſſit Viennenſis Typoheta) repetitum hoc dogma. Quòd quo pacto concordet cum communi ſenſu DD. negantium, omnia opera infidelium eſſe peccata, viderint alii. Ego pro majore elucidatione controverſiæ Thomiſticæ & Scotiſticæ ſuperiùs excuſſæ, repræſento ſynopſin literarum admodum prolixarum ex urbe Roma à viro profundè docto vel dictatarum, vel exaratarum die 22. Auguſti Anno 1672. ac meum reſponſum redditum die 30. Septembris ejuſdem Anni. Eſto igitur.

Summa Literarum Romanarum.

PRimò doctrina (quam ſuprà *n.* 114. deduxi c ex Scotiſtica ſententia) videtur nimis laxa, & occaſionè præbere viris piis vitæ remiſſioris. Si enim non eſt peccatum bibere ob ſolam delectationem, non erit conſequenter peccatum comedere quacunque hora bellaria, fructus, & alia ejuſmodi gulæ irritamenta; producere ſomnum ultra naturæ indigentiam, quærere & admittere ſuperfluas delectationes in Muſicis Cantionibus, odoribus, curioſitatibus videndi nova quæque, terere tempus in confabulationibus, rugis, ſcurrilitatibus, licèt in his & ſimilibus oblectamentis nullus honeſtus finis, ſed voluptas ſola ſpectetur, dummodo non interveniat alia circumſtantia mala. Hujuſmodi autem conſequens videtur valde abſurdum, & ſcandaloſum.

Deinde eadem opinio videtur adverſari ex- d preſſis verbis Chriſti Servatoris Noſtri, ita loquentis *Matth.* 12. *verſ.* 36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Si enim verbum otioſum (quod ſanè aliud eſſe non poteſt, quàm prolatum cum deliberatione abſque fine honeſto, & ſolius voluptatis gratia) peccatum eſt, ut propterea ſit de eo reddenda ratio in die judicii, ſicut fateri tenentur omnes, qui Evangelium non negant, quanto majori jure dicenda erunt peccata omnia opera otioſa, & ob ſolam voluptatem facta, ut bibere, ludere, nugari? 2. Eadem doctrina opponi videtur Concil. Tridentino *in ſeſſ.* 6. *can.* 23. definienti non poſſe hominem venialia etiam peccata vitare niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia. Nam ſi ex venialium e peccatorum Catalogo deleantur omnes actus deliberati circa materiam indifferentem ob finem ſolius delectationis facti, in verbis, cogitationibus, & operibus, non modò non erit impoſſibile à venialibus abſtinere etiam per totam vitam abſque illo privilegio tam ſpeciali, ſed neque erit admodum difficile; imò ſine nota temeritatis poſſet affirmari conceſſum multis Sanctis, quos à primo rationis uſu

præventos legimus à Spiritus S. unctione, & lumine, quo summa cum diligentia omnes vel minimas Dei offensas vitare conati sunt, nimirum alia peccata venialia graviora, ut mendacia, detractiones, derisiones, & similia, versantia circa materiam de se inhonestam, vel directa in finem per se inhonestum, sunt vitatu faciliora, præsertim viris pietati
f seriò operam dantibus. 3. A fortiori repugnat communi Patrum & Theologorum sententiæ, existimantium, ne quidem per longum tempus posse hominem vitare omnia venialia, ita ut nonnulli vix paucas horas: alii verò unicum diem viris perfectionis studiosis, & apprimè vigilantibus immunem à venialibus etiam deliberatis concedant, ut videre est apud Suarez de gratia *Lib.9. cap.8.* nam facillimum erit hujusmodi viris diu vacare ab omni peccato veniali, si inter ista non annumerentur actus indifferentes Voluptatis solius gratia facti, qui sunt ferme unica materia Confessionum & culparum hominum etiam perfectorum.

g Tertiò videtur contra universalissimum usum, & praxin omnium fidelium, timoratæ conscientiæ, qui in confessionibus quotidianis se accusant, de hujusmodi peccatis, & sæpe nullam aliam exhibent materiam. Eidémque sensui de praxi concordant omnes Confessarii, impendendo Sacramentalem absolutionem illis, qui talia confitentur, quamvis
h aliam materiam non subjiciant. Et certè audirem libenter, quid esset factura Reverentia Vestra si ad ipsam accederet aliquis vir Religiosus e. g. & confiteretur, se aliquoties bibisse, aut comedisse ex Saccato, aut poma, ficus &c. solùm ut gulæ indulgeret: trivisse tempus in vanis collocutionibus, curiosè investigâsse nova inutilia, dedisse operam nugis, dicteriis, scommatis ad procurandos cachinnos, & alia his similia, in quibus nihil aliud spectaverit, præter voluptatem propriam, licèt nullam aliam adverterit fuisse admixtam circumstantiam pravam. Dimitterétne Reverentia Vestra talem pœnitentem tanquam prorsus Innocentem sine absolutione, nisi vellet exponere aliam materiam? Dicet forsitan peccásse illum ex conscientia erronea; sed quamvis contingat unum aut alterum rudem, vel scrupulis vexatum peccare ex errore intellectûs, temerarium ac penitus insulsum esset dicere, omnes communiter tam rudes, quàm doctos, & maximè pios homines semper peccare ex ejusmodi errore conscientiæ, & eò magis cæcutire in agnoscendis peccatis, quò magis in via Dei proficiunt, & majori Spiritûs S. lumine colluſtrantur; cùm potiùs pro modo progressus in vita spirituali augeatur cognitio etiam minimarum labecularum, quæ tamen verè sunt peccata, licèt minùs perfectis ne quidem appareant.

Quartò neque videtur verum ex contraria i opinione consequi, esse peccata venialia omnes omissiones operum perfectiorum, adeóque conscientias infinitis scrupulis discruciari, ut effatur Reverentia Vestra dictâ *sect. 9.* à *num.* 110. nam omissio operis perfectioris & consilii, de se nullum est peccatum, etiamsi fiat ad evitandam duntaxat molestiam illius; siquidem eo ipso, quòd à Deo proponitur aliquid per modum meri consilii, conceditur facultas illud omittendi, absque peccato, quanquam causa omissionis sit solummodo timor difficultatis seu molestiæ, propter quam ipsam non fuit expediens proponi sub præcepto. Pro cujus rei majori declaratione adverto, tripliciter posse contingere omissionem deliberatam actûs perfectioris non præcepti. 1. Cùm quis territus arduitate alicujus perfectionis & meri consilii ad eam tantummodo vitandam statuit illud omittere, nihil interim cogitans de alio opere, sive de otio, cui loco illius vacet. Et per hanc deliberationem præcisè nihil omnino peccat, ut dixi, alioqui consilium non esset diversum à præcepto.

2. Cùm quis omittit perfectiora, non solùm k ut laborem fugiat, & molestiam illam majorem, sed simul intendens loco illorum navare operam alteri operi, honesto quidem, & ex fine honesto, sed minùs difficili & molesto. In eo casu arbitror eum per talem actum deliberatum quatenus omissivum melioris boni non peccare, ut jam diximus, per eundem verò quatenus prosecutivum actûs honesti etiam mereri, honestéque operari. 3. Demum si omittat opus consilii eo tantùm fine, ut vacet operi voluptuoso, vel otio inutili, sistendo suam intentionem in ipsa delectatione operis aut quietis, peccabit profectò juxta sententiam, quam existimo veriorem, imò verissimam, quod tamen peccatum non procedit ex omissione operis non præcepti, sed ex inordinato fine illius omissionis, qui est sola voluptas operantis, seu omittentis. Hæc sunt, quæ me urgent, & sententiam Reverentiæ Vestræ mihi reddunt valde improbabilem, præter alia argumenta, quibus communiter demonstratur ab authoribus non posse dari actum deliberatum indifferentem in individuo.

Hactenus verba, rationúmque momenta l illius perquam docti Patris data Româ (unde epitheton literarum *Romanarum.*) Ad quæ respondi generatim, unicam rationem, quæ me vehementer reluctantem abstraxit olim à Thomistica ad Scotisticam de actuum in individuo indifferentia doctrinam, fuisse ingenii infirmitatem, qua nequivi comprehendere, quo pacto Thomistæ evitent necessitatem, semper sectandi sub reatu culpæ perfectiora occurrentia menti, hácque ad se invitantia, incitantiáque; nunc verò reddi mihi ex parte facilio-

riorem captu eam sententiam, si intelligatur eo sensu, quem exhibet Epistola verbis *lit.* i. descriptis; re enim verâ non delinquit, imò honestè agit, qui opus perfectius omittit eâ intentione, ut vacet minùs perfecto, verè tamen placenti Deo. Etsi enim actus, quo minus bonum præfertur majori, non sit in ratione prælationis formaliter honestus, quando tamen involvit intrinsecè animum efficiendi aliquid gratum Deo, non potest non esse in concreto meritorius, si reliquæ conditiones meriti adsint, atque adeò facilè concedo dari casum, quo sententia Thomistica defendi queat absque necessitate sectandi perfectius.
m At verò non video, qua ratione defendatur in communissimo casu, quem exprimit ille Pater, dum *lit.* i. ita scribit: *Cùm quis territus arduitate operis perfectioris, & meri Consilii ad eam tantummodo vitandam statuit illud omittere, nihil interim cogitans de alio opere, sive de otio* &c. Non video, inquam, quo pacto ea doctrina defendatur sine declinatione ad Scoticismum. Si enim propositum omittendi actionem perfectiorem susceptum ad evitandam arduitatem, aut molestiam annexam executioni operis perfectioris caret omni culpa ut sic, sequitur manifestè, non tantùm carere omni culpa, sed insuper esse vel honestum, vel indifferens in individuo, honestum nemo dicet, cùm nihil prorsus laudabilitatis insit secundo ex sequentibus duobus propositis: *Volo hodierno die Sabbathi audire sacrum usque ad consecrationem. Deinde volo domum redire, quia est mihi aliquantulum molestum interesse toti*; Vel: *Quia est solius Consilii interesse usque ad finem.* Igitur fatendum est, hoc propositum atque sexcenta alia esse in individuo indifferentia, si negetur esse mala. Et cùm fuga unius contrariorum sit prosecutio alterius contrarii, molestiæ autem sit contraria jucunditas, seu voluptas solita percipi ex absentia molestiæ, nónne rectè dicetur is, de quo loquor, omittere integritatem Sacri, eo fine, ut fruatur jucunditate, quam percipit ex absentia molestiæ, e.g. parvi frigoris caufandi per illam integritatem?
n Rursum si eo ipso, quòd à Deo proponatur aliquid per modum Consilii, conceditur, (ut revera concedi debet,) facultas id omittendi absque peccato, & hac concessione potest quis licitè uti, tametsi non intendat finem honestum, nónne similiter dicam: Hoc ipso, quòd Deus permittit usum potûs suavis, impertitur facultatem eum, sumendi, & quidem sine obligatione præfigendi finem honestum, sed præcisè dicendo: quia Deus dat mihi libertatem hauriendi Falernum, haurio idcirco, quia hic & nunc mihi placet? Et hic nodus Gordius, quem qui mihi solverit, habebit me Discipulum, mutabo enim meam illam mihi ipsi displicitam molestam persuasionem de possibilitate indifferentiæ in individuo, præsertim cùm perspiciam, communi doctrinæ non obstare actum illum, quo actus perfectus ideo omittitur, ut exerceatur imperfectior; rectissimè enim observat Reverentia Vestra etsi propositum illud quatenus præcisivè omissivum perfectionis non sit, ut sic, virtuosum, esse tamen in concreto (& de hoc intelligenda est sententia S. Thomæ) honestum, cùm realiter involvat electionem boni honesti.

Ita ego generatim respondi ad directam o quæstionem de indifferentia. At verò ad primam objectionem propositam *lit.* h. rescripsi inprimis retorquendo argumentum. Siquidem infero: Per communissimam, universalissimam, moraliter certam doctrinam de licito usu cujusvis opinionis certò probabilis practicè dari occasionem vitæ remissioris, si placeret facere tales inductiones, quales proferuntur in illo primo argumento, haud tamen inde rectè infertur eam doctrinam esse valde absurdam & scandalosam. Cæterùm non diffiteor nonnulla sindicatarum instantiarum vacare culpa juxta dogma indifferentistarum, non tamen omnes, ut est curiositas in audiendis quibuscunq; novis, scurrilitas &c. Siquidem curiositas est, (teste S. Thoma 2.2. *q.*167. *art.*1. & 2.) appellatúrque vitium, de quo etiam vide Gregorium à Valentia *Tom.*3. *disp.*3. *q.*9. *Punct.*1. Sicut & idem S. Thom. *q.*148. *art.*6. & alibi post S. Paulum ad *Ephes.*3. Scurrilitatem accenset peccatis. Et quia video, plerosque omnes ex indicatis haberi à choro Ascetarum, multúmque illustratorum lumine supernaturalis scientiæ, pro veris peccatis, eam ob rem nolo jam appellare probabilem sententiam, quam retuli illo *n.*114. sed absolutè sequi oppositam.

Ad alteram objectionem de verbo otioso p respondeo, nec dum esse de ullo errore convictos, qui Christi minas contra proferentes verbum otiosum explicant eo modo, quo indifferentistæ, ut Vasquez & alii, aut cum Theophylact. & Euthymio apud Maldonat. in Matth. *Cap.*12. *v.*37. intelligunt de verbo otioso.

Ad tertiam *lit.* d. de definitione Concil. q Tridentini. Respondetur, generatim illam doctrinam esse generaliter intelligendam, & consequenter esse vi illius id solùm credendum, quòd nemo possit sine speciali Dei auxilio vitare omnia tam male, quàm bene existimata peccata venialia, nec est, ut reor, Theologorum de hoc subjecto scribentium alia mens, quàm quòd exigant necessitatem specialis auxilii ad vitandum aliquo notabili tempore id, quod est vel certò, vel probabiliter peccatum aliquod.

Ad quartam Resp. me utique facere id, quod r alii, quibus obtingit pœnitens, qui nihil aliud

confitetur, quàm quòd fecerit sacrum nondum dicto Matutino, cùm tamen potuisset præmittere, aut quòd recesserit absque rationabili causa à bono proposito: aut quòd die Dominico audierit sacrum in solo Oratorio privato, non autem in Ecclesia: aut quòd non jejunaverit in Paraseeve, cùm tamen optimè valeat, esto sit jam septuagenarius &c. In quibus & similibus casibus concernentibus materiam solùm probabiliter peccaminosam, sicuti Thomistæ impertiunt absolutionem, vel quia existimant non esse necessarium, ut materia Confessionis sit certò peccaminosa, dummodo sit probabiliter talis vel quia supponunt pœnitentem, qui talia fecit, fuisse imbutum opinione agnoscentium malitiam moralem in illis actionibus, adeóque peccâsse contra dictamen conscientiæ, ita etiam dono absolutione illos quoque, qui nihil aliud confitentur, quàm se quæsiisse aliquam in potu vel esu voluptatem, legisse vel audiisse novellas ex sola curiositate.

s Cachinni, quia communiter repugnant contrariè modestiæ, idcirco cadunt sub claves, consequenter & nugæ, dicteria, scommata, directa ad procurandos cachinnos. Risum modestum si quis peccati absolutè damnet, ridendus ipse erit. Denique omnes omnino studiosi perfectionis sedulò confitentur, petúntque absolutionem Sacramentalem, si quando intra decem vel plures Annos sint vel semel absque necessitate vel utilitate peculiari in operando secuti sententiam minùs tutam, minúsque probabilem, cum periculo præciso committendi peccatum merè materiale, & tamen nemo dicet eos ex erronea conscientia detulisse talia ad sacrum tribunal. Cur igitur dicamus illos Sanctos, aut pios viros, quos innuit Epistola *lit.* h, procedere aut processisse ex erronea conscientia?

t Circa opinionem P. Lessii relati *cit. n.* 112. de inculpabili potu ob meram voluptatem, hoc solùm noto, idcirco difficulter à me appellari valde improbabilem, cùm fuerit P. Lessius sapientissimus & simul summus, capitalisque hostis omnis voluptatis ex cibo, potúque provenientis, de quo etiam in ejus vita *Cap.* 17. memoratur, illum plus quadraginta Annis eam temperantiæ censuram ea constantia tenuisse, ut nullo unquam tempore, neque cibum, neque potum, alio quàm rationis præscripto assumpserit; quo etiam loco narratur, quid fuerit solitus agere, quando sese insinuabat voluptatula. Et quia tanti viri judicium probatum est pluribus aliis etiam doctissimis, idémque nititur rationibus non planè futilibus, nec ullum prorsus Ecclesiæ decretum ei adversatur, nolim vocare prorsus improbabile, tametsi nec vocem probabile, nec dissimulem præplacere oppositam, & fatear præterea, rationibus, argumentísque productis ex illa docta Epistola multum roborari illam, ad quam me denique, ut dixi, recipio cum bono Deo Thomisticam, adeóque Prædicatoriam, Jesuiticam, magis piam, magísque ad opera vitæ æternæ meritoria inducentem sententiam.

B.

QVAM IVVENES &c.

CAPVT II.

An, & cur Iuvenes peculiariter teneantur esse sobrii?

SUMMARIUM.

Quibusnam generatim conveniat peculiariter sobrietas? 1.
Cur peculiariter Iuvenibus? 2.
Plato non permisit iis vinum ante Annum ætatis decimum octavum. 3.
Galeni Iudicium hac de re. 4.
Et Sancti Hieronymi. 5.
An reprehendendi Germani, qui filios à teneris educant vino? 6.
Iudicium Forneri, & Adami Contzen hac de re. 7. & 8.
Iudicium Authoris. 10.

1 Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 149. *a.* 4. docet, virtutem Sobrietatis quibusdam certis hominibus peculiari ratione convenire, iis videlicet, in quibus vinum aut magis accendit libidinem, aut rationem cum majore indecentia turbat, ut sunt juvenes, senes, mulieres, Clerici, Magistratus. De juvenibus, ac senibus ostendam hoc & sequenti capite, de Clericis *Cap.* 17. de mulieribus *Cap.* 43.

2 Quæres jam I. *Cur juvenes peculiari ratione teneantur esse sobrii?*

Respondet S. Thomas *loc. cit.* idcirco, quòd in iis propter ætatis fervorem vigeat concupiscentia delectabilis; quòd, inquam, propter dulcis sanguinis fervorem sint ad libidinem valde propensi. Et quia *Cap.* 10. ostendam, vini hunc esse genium, ut videlicet ad Venerem accendat, fit, ut oleum igni affundatur, dum ab adolescentibus vinum bibitur.

3 Hinc sapientissimus Plato *Lib.* 2. *De Leg.* ita sanxit: [Principio Lege sanciemus, ut pueri usque ad decimum octavum Annum, vini usum prorsus ignorent. Nempe eos monebimus, non oportere ignem igni in corpus, atque animam suggerere, antequam viri effecti subire labores incipiant; furiosum namque habitum juventutis cavere oportet. Deinde vino moderatè utantur usque ad Annum trigesimum.] Ita ille.

4 Cui addo judicium Galeni, summi simul Philosophi, & Medici, qui libro *de sanitate tuenda a.* 11. ita monet: [Pueros ne gustare quidem vinum suaserim, quippe quod & humectat nimiùm, & corpus calefacit, & caput suo halitu obtundit; quæ superfluitas utraque in pueris valde noxia est. Quin imò, neque jam adultioribus concedendum, nisi admodum modicè sumptum, atque dilutissimè; nimium enim & ad iras præcipitat, & incontinentes facit, & partem animæ rationalem hebetat, ac turbat.] Sic Galenus.

5 Sed Galeno, Platonéque elegantiùs S. Hieronymus, utpote qui *Epist. ad Eustochium de virginitate servanda* sic disserit: *Si quid itaque in me potest esse Consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc adversus adolescentiam prima arma sunt Dæmonum; non sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio; facilè aliis caremus vitiis, hic hostis nobis inclusus est; quocunque pergimus, nobiscum portamus inimicum: vinum, & adolescentia duplex incendium est voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium subministramus?*

6 Quæres II. *An hoc Sancti Hieronymi, aliorumque sapientum judicium det occasionem suspicandi, Germanos Nobiles haud levi crimine se obstringere, & proinde à Confessariis, aut concionatoribus graviter reprehendendos esse, quòd suos liberos in meraco educent, seu domi commorentur, seu peregre literis operam navent.*

7 Et verò delinquere non leviter inde probatur, tum quòd agant contra judicium, & illorum trium virorum, quorum verba retuli, & plurimorum aliorum usu peritorum; tum quia Fridericus Fornerus scriptor ipse Germanus *Lib.* 3. *De temulentiæ malo. cap.* 30. ita scribit: [Nemo miretur, Germanam juventutem adeò corruptam esse, quòd ab ineunte ætate parentes vino ipsam imbuant, aut quodammodo in vino nata, in vino educata dici possit.] Certè si judicio tanti viri corruptela juventutis Teutonicæ provenit ex eo, quòd liberi à parentibus in vino educentur, malè officio paterno funguntur, qui suos liberos ita educant.

8 Fornero adstipulatur P. Adamus Contzen *Polit. Lib.* 3. *c.* 10. *n.* 10. & 16. ostendens, juventutem, ac nominatim Germanos per vini potum perdi, probánsque id propria observatione, & experientia.

E diverso Nobilibus patrocinatur ipsa consuetudo; siquidem videmus passim adolescentibus, dum literis operam dant, suum meraci dimensum quotidie bis à patre familias ex pacto subministrari, nec hanc praxin à Confessariis damnari.

9 Accedit, quòd S. ipse Hieronymus *in Commentario super caput quintum Epist. ad Gal.* reddens causam, cur loco suprà citato dixerit, adolescentes debere vinum fugere ut venenum, ait, se id ideo dixisse, ne juventus sub occasione parum bibendi, plus biberet, & periret. Et certè hic S. Doctor non tam præcipit, quàm hortatur, & suadet, ne adolescentibus vinum præbeatur.

10 Idipsum & ego omnibus suadendum sentio; quamvis non damnem aperti peccati parentes, qui filios vino enutriunt, modò ita moderatè, ut neque oculorum, neque capitis aliorúmve membrorum functiones prodant, quidquam vini esse bibitum. P. Contzen *cit. n.* 10. pueris Germanis, utpote loca frigida incolentibus, vinum quidem permittit, sed dilutum; loca calida inhabitantibus omnino nullum, adeóque ne dilutum quidem.

C.

AEQVE AC SENES.

CAPVT III.

Cur senibus peculiariter competat Sobrietas?

SUMMARIUM.

Cur senibus specialiter conveniat sobrietas? 1.
Cur vinum dicatur lac senum? 2.

1 CUr senibus peculiariter conveniat sobrietas, rationem hanc adfert Sanctus Thom. 2. 2. *q.* 149. *a.* 4. quia nimirum in senibus debet vigere Ratio, ad aliorum eruditionem; nihil enim turpius sene ebrioso, & fatuo, inquit Lessius. Ob quam rem Apostolus Tito commendat, ut moneat senes, ut sobrii sint, *Tit.* 2.

2 Quæres. *Cur igitur vulgato Proverbio dicitur: Vinum est lac senum?*

RESP. Idcirco, quia moderatè sumptum fovet illos, ut lac infantes. Qua de causa Galenus *Lib.* 5. *De Sanitate tuenda, c.* 5. sic loquitur: [Vinum sicut pueris est alienissimum, ita senibus est aptissimum; id enim commodi præstat senibus, naturâ frigidis, & humoribus noxiis repletis, ut excalefaciat, ac serum sanguinis, quo maximè senectus abundare solet, per urinam expurget.]

D.

VINI NON BIBENDI RELIGIONE &c.

CAPVT IV.

De Voto, aut juramento non bibendi vini.

SECTIO I.

Proponuntur nonnullæ circa hoc votum, & juramentum quæstiones.

SUMMARIUM.

An abstinentia ab omni potu vini sit actus sobrietatis? 1.
Quid si illa abstinentia obsit Valetudini, aut vitæ prolongationi? 3.
Præsertim quando deest alius potus? 6.
Vini potus fuit ignoratus ante diluvium. 7.
Verùm qui vovit, se hodie non bibiturum vinum, teneatur pitissare, videns se aliter non posse servare suum votum? 9.
Votum non bibendi vini non adversatur per se potus cerevisiæ. 11.
Qui ob periculum ebrietatis vovit, se non bibiturum vinum, non peccat nisi venialiter, bibendo parum. 13.
Qui ob periculum jurgiorum vovit, se non lusurum, non peccat per se loquendo, contra votum licèt multum exponat in lusum. Ibid.

1 QUæres I. *Sitne actus sobrietatis abstinere ab omni potu vini?*

RESP. Quando ea abstinentia citra notabile valetudinis detrimentum, aliúdve incommodum extrinsecum suscipitur ex motivo sobrietatis, ut scilicet quis tantò sit remotior ab omni periculo faciendi ullum in potu excessum, facilè ex communibus Theologorum principiis deducitur, talem abstinentiam
2 esse actum sobrietatis elicitum. Quem quidem exercuêre, post S. Apostolum Jacobum, fratrem Domini, longè plurimi Sancti, quorum sat multos nominat Fornerus *Lib.* 2. *De Temulentiæ malo, Cap.* 3. *&* 4. intérque hos meritò Danielem cum sociis, Baptistam, Paulum Eremitam, Antonium, Hilarionem.

3 At verò quando prædicta abstinentia videtur incommodare valetudini, aut vitæ prorogationi, dubium est, utrùm sit licita, & laudabilis? Esse enim illicitam insinuat Sanctus Thomas *q.* 150. *a.* 1. ita loquens: *Si quis scienter in tantum à vino abstineret, ut naturam multum gravaret, à culpa immunis non esset.* S. Thomam sequitur S. Antoninus *Part.* 2. *Tit.* 6. *cap.* 3. ante §. 1. Addens idem videri dicendum, *si quis multum limpharet, ita ut noceret, præsertim si hoc ageret contra monita, vel consilia Superiorum.*

4 E diverso vini potum nunquam, ratione valetudinis, aut vitæ prorogationis esse præceptum, suadetur his rationibus. I. Quòd, ut retuli *Cap.* 1. *n.* 35. Sayrus neget quempiam obligari bibere vinum, etsi medicus dicat, illius potu vitam ad decennium productum iri; & Cardinalis de Lugo *Tom.* 1. *De Just. disp.* 10. *n.* 32. absolutè negat, teneri quem bibere vinum eo fine, ut longiùs vivat. II. Quòd suprà retulerim, esse magnorum Doctorum opinionem, propositum nunquam utendi medicinis, omni culpa vacare; atqui vinum esse medicinalibus potibus annumerandum docet ex instituto in sua Oenohydrogamia Doctor Hippolytus Guarinonius. III. Sanctus Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ testatur, eam, ne infirmam quidem voluisse gustare vinum. Quod ipsum de multis Sanctis potest cum veritate asseri, & nominatim de Sancta Elisabetha Regina Lusitaniæ hæc leguntur in Breviario Romano *ad* 4. *Julii*: Aqua in quodam ejus morbo, versa est in vinum, cùm id à medicis præscriptum bibere recusâsset. IV. Sanchez *Lib.* 5. *Consil. Cap.* 1. *dub.* 34. & Lessius docent, propositum nunquam vescendi carnibus esse laudabile; ergo multò magis propositum nunquam vinum bibendi.

6 Ob has rationes censeo, hanc posteriorem sententiam esse probabiliorem, si loquatur de casu, quo quis habet alium potum præter vinum, sicuti idem Sanchez *cit. dub.* 34. *n.* 6. docet de voto abstinendi à carnibus. At verò si loquatur de casu, quo quis non habet alium potum, quàm vinum, amplectenda est opinio Sancti Thomæ, sicuti in simili docet idem Sanchez *Ibid. num.* 7. His addo, potum vini fuisse 7 ignoratum ante diluvium, & antequam inebriaretur Noë, sicuti post SS. Chrysostomum, Hieronym. Theodoret. docent Pererius, Cornelius, Bonfrerius *in Cap.* 1. *Gen. v.* 21. & idcirco ebrietatem, quæ contigit S. Patriarchæ Noë, excusant à peccato, quòd neque ipse, neque ejus majores unquam antè vinum bibissent. Addo quoque, etsi Sanctus Thomas 8 *quæst.* 149. *a.* 3. rectè ostendat, vini potum non esse per se prohibitum, nec per se repugnare sobrietati, omnem tamen vini potum esse quibusdam per accidens prohibitum ratione voti, Regulæ, scandali &c.

Quæres II. *Vtrùm, qui vovit, se hodie non* 9 *bibiturum vinum, teneatur pitissare, si non possit suum votum observare, nisi bibendo parum quid vini?*

RESP.

RESP. Pasqualigus in Praxi jejunii *decisione* 242. & Diana *Part.* 3. *Tract.* 5. *Resol.* 61. affirmat, talem teneri parum quid vini bibere, eò quòd obligetur adhibere medium, ad voti sui adimplectionem necessarium. Subdit tamen, talem non teneri ad multùm vini bibendum, quia si multum biberet, ageret directè contra votum suum. Hæc secunda doctrina est utique verissima; prima non caret difficultate. *Quia tamen tradunt nonnulli Doctores, illum, qui nequit jejunium ab Ecclesia præceptum observare, nisi parum quid cibi manè sumat, obligari aliquid sumere, idcirco illa prima* 10 doctrina est verosimilis. Quòd si talis homo per suum votum intendit se obligare, ad ne quidem gustandum vinum, clarum est, non teneri modicum quid bibere; quamvis licitè gustet, quando videt se, nisi jam libet, paulò pòst coactum iri haurire. Vide Azor *Part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 10. qui etiam rectè addit, ejusmodi hominem non agere contra suum votum, etsi in sacro sumat utramque ablutionem; sicuti neque contra illud ageret, si esset Laicus, & post Communionem Sacram sumeret vinum, de more præberi solitum. Pasqualigus *loco citato decisione* 235.

11 Quæres III. *An votum non bibendi vini adversetur potui cerevisiæ?*

Adversari asserunt Cajetanus, & P. Baldellus relati *cap.* 1. *n.* 8. Negat meritò P. Sanchez *Lib.* 4. *Moral. cap.* 11. *n.* 44. & P. Tambur. in Decal. *Lib.* 3. *c.* 16. §. 6. *n.* 14. nam votum est strictè, non autem latè interpretandum, tum argum. *L. Divus Pius ff. De Reg. Iur.* tum quia *actus præsumitur in dubio ita gestus, ut sit minus quàm fieri potest onerosus.* Menochius *De Præsumpt. Lib.* 6. *Præs.* 9. Ergo votum non bibendi vini debet intelligi de vino, non de potu, qui non est vinum. Et ex hac ratione non planè improbabiliter inferes, illum, qui est obstrictus voto non bibendi vini, non agere contra suum votum, hauriendo quidem liquorem, qui nomine vini afficitur, at ita degenerat à propria vini natura, ut non sit materia apta pro consecratione.

12 Moneo tamen, spectandam esse voventis intentionem; si enim idcirco vovit abstinentiam à vino, ut omne ebrietatis periculum effugeret, erit utique ei prohibitus potus cerevisiæ, vini sublimati, Hippocras &c. non autem erit cerevisiæ potus interdictus, si tantùm intendit cavere periculum ebrietatis, à vino provenientis.

Quæres IV. *An, qui ob periculum ebrietatis cavendum vovit se vino abstenturum, peccet mortaliter, quoties vinum absque rationabili causa bibit?*

13 RESP. Si tantùm unum parvum vitrum ebibat, non peccat mortaliter, quia parvitas materiæ excusat. Imò credibile est, esse etiam immunem à peccato mortali, licèt multum bibat, modò sit omnino certus, abesse hîc & nunc periculum ebrietatis. Ratio est, quia sicuti, quando ob periculum jurgiorum, aut blasphemiarum vitandum, vovisti, jurásti, te non lusurum aleis, aut chartis, quantitas culpæ, quam ludendo admittis, desumenda est non ex diuturnitate temporis lusui impensi, neque ex quantitate pecuniarum in lusum expositarum, sed præcisè ex ratione periculi, cui ob circumstantiam sociorum &c. te exponis ludendo post tuum votum. Sanchez *Lib.* 3. *Moral. c.* 18. *n.* 3. communiter receptus; ita & hîc, ut scias, an mortaliter pecces bibendo post editum votum, de non bibendo vino, dispicere debes, in quantum, & quàm certum ebrietatis periculum te conjicias, hîc & nunc calices siccando: nam *quæ conveniunt in identitate rationis, non debent separari in constitutione Iuris.* Dynus *in Reg.* 78. *in sexto.*

SECTIO II.

Aliæ quæstiones de voto, & juramento vini non bibendi resolvuntur.

SUMMARIUM.

An qui, ut privaret se suavitate, quam percipit ex potu vini, vovit abstinentiam ab hoc, liberetur voto, si desinat perdere omnem gustum? 14.
Declaratur casu Viri Religiosi. Ibid.
Quandonam mortaliter peccent bibendo vinum nonnullæ particulares personæ, quæ ob diversas causas voverunt abstinentiam à vino? 15. 16.
Quoties peccet de die, qui manè vovit, se eo die non bibiturum vinum, & tamen sæpe bibit? 17.
An qui vovit, se hodie jejunaturum in aqua, & pane, toties peccet mortaliter, quoties bibit vinum? 19.
Ratio Jejunii magis pendet ex consuetudine, quàm scripto Iure. 20.

14 QUæres I. *An, qui ut privaret se suavitate, quam ex vini potu persentiscebat, vovit se abstenturum vino, licitè bibat vinum, è quo ullam percipit voluptatem?*

Casus ex Casu.

NOvi Religiosum virum, cui ex lapsu gravi ita fuêre læsa organa, ut nec gustu, nec odoratu vinum ab aqua discernere posset. Quæritur: *An si ante suum lapsum fecisset votum non bibendi vini, idque ob eam solam causam, quæ in quæstione proponitur, licitè post lapsum bibisset vinum?*

num? Et quid si vinum, quod ego jam bibo, mihi, vel ob mei palati, vel ob suum vitium nullo modo sapiat? An licitè illud bibo, postquam dixi: Domine Deus, ut gulam meam mortificem, voveo, me vino abstenturum.

RESP. Si ponamus, planè nihil aliud per illud votum fuisse intentum, nisi gulæ mortificationem, privationémque suavitatis, è potu percipi solitæ, tum non aget contra votum, qui bibet vinum, è quo nullam percipit voluptatem. Ratio est, quia votum obligat instar legis, Sanchez *Lib.* 1. *Moral. cap.* 13. Ergo sicuti cessante tota causa legis, cessat obligatio legis. Suarez *Lib.* 6. *De Leg. cap.* 9. cum communi, ita etiam cessante causa adæquata voti, cessat obligatio voti in casu, quem ponimus.

15 Quæres II. *Quandonam mortaliter peccent ii, qui vinum bibunt, postquam jurârunt, se toto Anno non bibituros; & quidem idcirco jurârunt, quòd vel solerent in ebrietate gravia mala committere, vel per symposia rem familiarem nimium minuere.*

RESP. Qui ob primam causam juravit, peccat mortaliter contra religionem juramenti, quando se inebriat sciens volens, aut quando se exponit periculo proximo ebrietatis; non autem peccat contra suum juramentum, etsi multùm bibat, modò sciat, non esse pericu-
16 lum ebrietatis. Qui verò ob secundam causam juravit, peccat tunc solùm mortaliter contra suum juramentum, quando per suum potum adfert rei domesticæ, & consequenter liberis, aut uxori notabile detrimentum. Ratio est, quia qui ideo vovit, se non lusurum chartis, quòd per lusum chartarum ad blasphemias, aut fortunarum dilapidationem deveniat, non est reus violati juramenti, nisi ludat tunc, cùm est periculum blasphemiarum, aut multum lusu perdendi, sicuti videre est apud Sanchez *Lib.* 3. *Moral. cap.* 18. *n.* 6. Ergo etiam, qui ob utramque prædictam causam juravit, se hoc toto Anno vinum non bibiturum, perjurus non erit, tametsi multum sæpe bibat, modò id fiat absque periculo incidendi in ea mala, quorum evitationem unicè intendebat, quando se jurejurando obstringebat. Sanè *in ambiguis orationibus maximè spectanda est sententia ejus, qui eas protulit*, Text. *Leg. In ambiguis* 97. *ff. De Reg. Iur.*

17 Quæres III. *Quoties peccet is, qui ubi vovit, se hodie non gustaturum vinum, manè, meridie, vespere non tantùm gustat, sed haurit liberaliter.*

RESP. Peccat sola prima vice. Azor *Part.* 1. *Lib.* 11. *cap.* 20. Ratio est, quia talis videtur solùm intendisse ejusmodi à vino abstinentiam, ut verè dicere posset se ob honorem Dei ne gustâsse quidem vinum, toto illo die; atqui postquam jam semel gustavit, non potest dicere, se non gustâsse; ergo licèt postmodum ter, vel quater gustet, aut bibat, non aget contra abstinentiam à se promissam, ergo non delinquet adversus votum. Confirmatur ex doc- 18
trina ad sequentem quæstionem danda. Quod si verò dixisset ille: *voveo me hodie bibiturum solam aquam*, tunc peccabit graviter, quoties de die bibet vinum in magna quantitate. Sanchez mox citandus. Ratio est, quia tale votum esset prorsus simile præcepto Ecclesiastico de non edendis carnibus die Sabbati, contra quod utique agitur, quoties de die carnes eduntur.

Quæres IV. *An, qui vovit se hodie jejunaturum in aqua, & pane, toties peccet mortaliter,* 19
quoties vinum bibit?

RESP. Peccat mortaliter sola prima vice, qua vinum bibit in notabili quantitate. Sanch. *Lib.* 4. *Moral. c.* 11. *n.* 45. & Pasqualigus *in Praxi jejunii decis.* 230. *contra Thilum.* Ratio est, quia quàm primùm sumpsit multùm vini, destruxit formam jejunii, quam observare cogitabat, sicuti illam destruxit, qui die jejunii secundam refectionem sumpsit. Etenim qui dicit: *Voveo, me jejunaturum in aqua, perinde se habet, acsi diceret: voveo, me tale jejunium observaturum, ut dici possit, nil notabile præter aquam, esse à me bibitum.* Unde apparet, tale votum non esse simile illi præcepto, quo tenemur die Veneris abstinere carnibus; quando-quidem toties contrahimus noxam lethalem, quoties tali, aut aliquo jejunii Ecclesiastici die carnes manducamus refectionibus moraliter distinctis, sicuti post hæc scripta respondimus Anno 1659. cuidam pererudito Theologo, Patri, inquam, Theodoro Moreto, è Silesia sensum nostrum exquirenti, & contrarium huic doctrinæ sentienti idcirco, quòd sit de essentia jejunii, non vesci carnibus; quæ essentia cùm destruatur per primam comestionem, ejus observatio erit postea illo die impossibilis; non igitur delinquet, qui primæ illicitæ comestioni carnium adjiciet secundam, aut tertiam, sicuti ex probabiliore opinione non peccat saltem graviter, qui die itidem jejunii Ecclesiastici secundæ illicitæ refectioni superaddit tertiam aut quartam.

Verùm quia totum jejunium magis pendet 20
ex more, & consuetudine, quàm ex Lege, & præcepto, ut loquitur P. Stephanus Fagundez *De Præc. Eccles. præc.* 4. *L.* 1. *c.* 4. *n.* 18. aq; adeò magis quàm à ratione speculativa, mos autem fidelium declarat, esse verum, tam id quod diximus de repetito esu carnium, P. Tanner. *Tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 3. *dub.* 5. *n.* 93. quàm quod de iterata justa refectione. Idem *Ibid.* ac P. Laymannus *Lib.* 4. *Tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 12. idcirco nunc quoque arbitror, standum esse illâ de carnibus doctrinâ.

Apparet deinde, illum, quo de loquimur, 21
post-

postquam semel bibit vinum in notabili quantitate, non obligari ad jejunium, nisi fortè aliunde teneatur jejunare. Pasqualigus *decis.* 240. contra Sanchez *cit. n.* 45. Ratio est, quia jam est ipsi impossibile servare illam jejunii formam, quam sibi præscripserat. Atqui *impossibilium nulla est obligatio L. Impossibilium. ff. De Reg. Iur.* Porrò existimat quidam eruditus Recentior, non delinqui mortaliter contra votum non bibendi vinum, nisi bibatur dimidia mensura Tirolensis, quæ est una ex mediocribus. At ego existimarem, me repugnaturum judicio seu communi, seu communiori si hoc scriberem. Malo tamen aliorum de hac doctrina sensum intelligere, quàm meum promere. Quem tamen post alteram editionem prompsi in Alphab. Votivo, seu Alphabeto Quadrupl. *Part.* 1. *Cas.* 3. *n.* 103. & 104.

E.

NUNC EBRIETATI.

Quid sit Ebrietas, & in quo consistat?

SECTIO I.

Ebrietatis significata, & Etymon.

SUMMARIUM.

Ebrietatis significatum est duplex. 1.
Ebrius dicitur quasi extra Briam, id est mensuram. 3.
Ebrietas significat Actum, Ebriositas Habitum. 4. & 5.
Temulentia differt ab Ebrietate. 6.

1 Quæres I. *Quotuplex sit Ebrietatis significatum?*

RESP. Duplex teste S. Thom. 2. 2. q. 150. a. 1. *Quandoque enim defectum, & privationem usus rationis ex nimio potu ortum significat; quo sensu dicimus, aliquem bibisse usque ad ebrietatem, id est usque ad rationis exturbationem. Quandoque autem significat illum actum potandi, ex quo oritur defectus, & privatio prædicta, sive oriatur ex vini generositate, sive negligentia hominis, (sicuti creditur Noë fuisse inebriatus,) sive oriatur ex inordinata concupiscentia vini; & hoc pacto ebrietas est quædam species gulæ, nam gula* (latiùs sumpta) *dividitur in Comessationem, & Ebrietatem.*

2 Ita S. Thom. cum quo nos de ebrietate in hoc secundo significato tractabimus, ubi priùs observaverimus, sicuti est duplex privatio usûs rationis, una perfecta, quando penitus absorbetur ratio: altera imperfecta, quando remanet adhuc aliquid rationis, & libertatis, ita etiam esse duplicem ebrietatem: perfectam, inquam, & imperfectam, ut pluribus declarabo *cap.* 21. *sect.* 2.

Quæres II. *Quod sit Ebrietatis etymon?* 3

RESP. Sicuti sobrius dicitur quasi Briam, seu mensuram servans, ut vidimus suprà *cap.* 1. *n.* 1. ita ebrius dicitur, quasi extra Briam, seu excedens mensuram, ut ex Sancto Thoma notat Lessius *Lib.* 4. *De Iust. & Iur. cap.* 3. *n.* 13. vel, ut censet Gloss. *in cap. à crapula, De Vit. & honest. Cler.* Ebrietas dicitur ab *è*, quod est *sine*, & *Bria*, quod est *mensura*. Huic vocabulo aptissimè respondet Germanicum, quo potum immodicum vocant Ohnmässig / seu sine mensura.

Quæres III. *Quæ sit differentia inter ebrium* 4
& ebriosum?

RESP. Hæc, quòd scilicet ebriosus sit is, qui consuevit bibere usque ad rationis exspoliationem, esto re ipsa jam sit compos rationis: at ebrius non diceris, nisi quando actu ipsô ratione cares ob nimium potum, esto nunquam aliàs incurreris ejusmodi carentiam. Verbo, ebrius actum, ebriosus habitum indi- 5
cat; de quo quidem eleganter Sanctus Ambrosius *Lib. De Pœnit.* apud Fornerum *Lib.* 1. *cap.* 2. *Ebriosus est, qui dum absorbet vinum, mala ebrietatis consuetudine absorbetur à vino; abominabilis fit Deo, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à viribus & virtutibus, confunditur à Dæmonibus.*

Quæres IV. *Quomodo temulentia differat ab* 6
ebrietate.

RESP. Apud modernos scriptores differt solis literis, cùm tamen apud priscos non in malam semper, ac vitiosam significationem fuerit detortum, ut testatur Athenæus *Lib.* 7. *Dipnosoph. cap.* 10. Est autem temulentia derivata à *temeto*, ita dicto, quòd tentet, seu labefactet mentem, de quo accipe Plinii sententiam: *Cato propinquos ideo fœminis osculum dare jussit, ut scirent, an temetum olerent; hoc tum vino nomen erat, unde temulentia appellata.* Ita Plinius *Lib.* 14. *cap.* 13.

SECTIO

SECTIO II.

Descriptio ebrietatis.

SUMMARIUM.

Ebrietatis descriptio ex S. Augustino. 7.
Et ex S. Petro Chrysologo. 8.
Ebrietas Theologicè est excessus in potu inebriante voluptatis causa, donec rationis usus adimatur. 9.
Meritò exprimitur in hac descriptione clausula: Voluptatis causa. 12.
Est his non verbalis, sed realis, utrùm illa clausula sit necessaria. 13.
Declaratur vero Casu. Ilid.
Pœnitentes tenentur confiteri illas solas circumstantias, quas apprehenderunt in operando. 14.
Nova objectio contra descriptionem ebrietatis. 16.
Cur Doctores dicant, ebrietatem esse rationis spoliationem violentam? 17.

7 QUæres I. *Quid censendum de illa ebrietatis descriptione, quam ex S. Augustino ferm.* 232. *De temp. refert Fornerus Lib.* 1. *cap.*4. *his verbis*: Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, grave peccatum, quam qui habet, seipsum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum.

RESP. Etsi hæc descriptio non sit aliena ab Augustini vel ingenio, vel doctrina, quam *cit. ferm.*232. *&* 231. tradit ipse, attamen in neu-
8 tro horum sermonum illam reperio. Idem auctor ex Sancto Petro Chrysologo *ferm. de jejunio* hanc ebrietatis descriptionem exhibet: *Ebrietas est Mater litium, furoris genitrix, petulantiæ Mater, hanc qui habet, homo non est. Hæc enim est rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris injuria.*

9 Quæres II. *Quomodo sit Theologicè describenda ebrietas?*

RESP. Hoc modo: *Ebrietas est excessus in potu inebriante voluptatis causa, donec rationis usus adimatur.* Sic describit Laymannus *in Theolog. Morali Lib.*3. *sect.*4. *n.*4. post Valentiam *Tom.*3. *disp.*9. *q.*3. *p.*1. & Lessium *De Iust. Lib.*4. *cit. cap.*3. *n.*13. Unde propriè, formaliter, & Theologicè loquendo non est ebrius, qui ob aliam causam, quàm ob voluptatem privavit se ratione per potum, ut diserte tradit Azor *Part.* 1. *Lib.*7. *cap.*22. *q.*7. post Medinam unà cum Cajetano *q.*150. *a.*2. Valent. *loc. cit.* & aliis asserentibus, illum, qui alia de causa, quàm ob voluptatem bibit, usque ad privationem usus rationis, non *formaliter*, sed tantùm *materialiter* esse ebrium. Quam doctrinam repetit ter Cajetanus *loc. cit.*

Eandem doctrinam sufficienter insinuavit 10
S. Thom. *cit. q.*150. *a.*1. ubi volens describere ebrietatem in eo sensu, in quo de illa, tanquam de peccato, tractant Theologi, dicit eam contingere, *ex nimia vini concupiscentia.* Et *a.* 2. *in Corp.* expressè dicit, eam consistere in usu, *& concupiscentia vini*, per vinum intelligens omnem potum inebriare valentem.

Et confirmatur inde, quòd ebrietas Theo- 11
logicè sumpta adversetur formaliter temperantiæ, ut ostendam *cap. sequenti*; ergo sicuti temperantia formaliter versatur circa delectabile secundùm sensum tactûs, illo moderatè utendo, ita ebrietas formaliter versatur circa delectabile tactûs, illo immoderatè utendo, contrariorum quippe eadem est disciplina. Aristoteles 1. *Topic. cap.*8. Hinc refutatur Syl- 12
vius, qui in 2.2. *q.*150. *a.*1. negat, in definitione ebrietatis, necessariò ponendas esse illas duas particulas: *voluptatis causa*, sed illum propriè & Theologicè esse ebrium, qui potavit voluntariè usque ad privationem usûs rationis, sive interim, quod potando quæsivit, sit delectatio, sive amici complacentia, sive è morte, quæ ipsi intentatur, evasio, sive aliquid aliud.

Quæres III. *Vtrùm hæc dissensio inter nos,* 13
& Sylvium, si tantùm de nomine an de re morali?

RESP. Esse de re morali, ut declarabit hic

Casus non imitandus.

Hilarius vir Nobilis, nulla siti pressus, convenit die cuex Bonifacio, se uno spiritu exsiccaturum ingentem mensuram vino plenam. Factâ sponsione illam exhausit, sed tanta cum violentia, ut mox humi corruat, spoliatus & sensu interno, & ipsa ferè vitâ. Quæritur utrùm rectè confessus fuerit, si fortassis præcisè dixit: me semel inebriavi?

RESP. Hilarium, qui mihi perbene notus fuit, per se loquendo non rectè, & Theologicè confessum fuisse, si forsitan ita confessus est. Nam ut sic ponitur, non tantùm non fuisse confessus evidens periculum gravis invaletudinis, cui se tam temerariè exposuit, sed etiam aliam peccati speciem fuisse confessus, quàm admiserit. Non enim admisit propriè peccatum ebrietatis, esto potaverit cum evidenti periculo amittendi rationem. Quare ejusmodi Confessio fuit mendax, perinde acsi diceret: semel per potum me privavi ratione voluptatis causa. Per accidens tamen fuit ea Confessio idcirco legitima, quòd pauci illorum, qui vino sese opplent, apprehendant diversam malitiam in potationibus, quarum unimium indulgent ex voluptate, alteri ob sponsionem, sociorum adhortationem, & similia; sed solùm hoc apprehendunt, esse grave

ve peccatum, privare se ratione per potum, absque gravi causa.

14 Et quia pœnitens non tam tenetur confiteri specificas malitias, quæ re ipsa insint objecto, & circumstantias, quàm quas apprehendit, harum enim solarum malitiam contraxit. Arriaga *Tom.*3. *disp.* 13. *sect.*2. Vasquez 1.2. *disp.* 107. Et Confessarius, nisi peculiaris ratio occurrat, supponere debet, singulos ex pœnitentibus, actiones malas, de quibus se accusant, exercuisse eo modo, quo solent à plerisque exerceri, Laymann. *Lib.*1. *Tract.*2. *cap.*4. *n.*7. Idcirco neque ipsi Hilario, neque Hilarii Confessario fuit movendus scrupulus. Et verò verbum inebriandi in Latina, vulgaribúsque linguis tam communiter accipitur pro ebrietate etiam materiali, ut ego ipse in posterum sim non semel cum aliis Doctoribus usurus hac voce in ista materiali significatione, sæpe tamen additurus adjectiva Formalis, Materialis.

15 At inquies: *Quomodo igitur per se loquendo debuisset confiteri Hilarius*? Respondeo hoc modo: Semel bibi usque ad plenam privationem rationis, cum præviso gravis valetudinis periculo. Neque opus fuit adjungere circumstantiam sponsionis, quia illa se merè per accidens habet respectu potûs nimii; at voluptas non habet se per accidens respectu ebrietatis Theologicæ. Optimè feciset Hilarius, si memor Regulæ *69. in 6. In malis promissis fidem non expedit observari*, factâ sponsione destitisset à proposito.

16 Etsi autem, ut dixi, ebrietas strictè, ac Theologicè loquendo videtur esse omnino describenda eo modo, quem expressi suprà *n.*9. nihilominus tamen etiam accipitur ab ipsismet Theologis (quorum morem sequemur non semel) latè, ac materialiter, scilicet pro privatione rationis proveniente ex potu nimio, sive Voluptatis, sive alterius finis ergò sit sumptus. Unde nos inferiùs *cap.* 18. quæremus: Utrùm sit fas inebriare sese eo fine, ut non sentiatur dolor proventurus ex sectione pedis? Imò quæremus *cap.* 31. Liceátne se inebriare tabaco, lupulo, pane? Hoc ideo in hac Editione observo, quòd insignis quidam Theologiæ Professor in urbe celeberrima amicissimis literis ad me die sexto hujus ipsius mensis, quo revideo hunc librum, scripserit mihi: Mirari se, quòd vitium ebrietatis definiamus per excessum in potu inebriante usque ad privationem rationis *Voluptatis* causa, & tamen postea quæratur, an incurratur vitium ebrietatis, si extrudatur ratio per vini potum, ne sentiatur abscissio membri &c. *Cur, obsecro, quæritur, an sit homo, ubi deest certa differentia rationalitatis? cur an sit ebrietas, ubi non reperitur illud*; Voluptatis causa? Sed huic non otiosæ objectioni satisfit distinctione nunc primùm allata.

Quæres IV. *Cur Doctores passim dicant* 17
ebrietatem esse violentam privationem rationis?

RESP. Alii cum Baldello Theol. Moralis *Lib.*5. *cit. disp.*30. *n.*1. ideo, quòd per illam fiat, ut homo non retineat in se facultatem, pro arbitratu recuperandi rationem, sed inducatur necessitas, manendi per vim sine usu rationis, toto tempore ebrietatis. Alii cum Filiucio *Tract.*20. *n.*12. idcirco, quòd ebrius etsi sit vigilans, tamen non possit uti ratione. Alii cum P. Dicastillo ideo, ut à descriptione ebrietatis excludatur somnus, quia etiamsi per illum auferatur usus rationis, interim dum ipse durat, est tamen hic modus à natura institutus, ad virium instaurationem.

F.

VITIO.

CAPVT VI.

In quo consistat malitia Ebrietatis.

SECTIO I.

Utrùm Ebrietas sit species gulæ?

SUMMARIUM.

Ebrietas est propriè dicta species gulæ. 1.
An intersit rei moralis nè esse, utrùm Ebrietas sit species gulæ, nec ne? 3.
An contra sobrietatem peccet Religiosus, qui locum ex intuitu sobrietatis interdictum ingreditur sine periculo Ebrietatis? 4.

QUæres I. *Vtrùm Ebrietas sit propriè dicta* 1
species gulæ?

RESP. Ita censere S. Thomam 2. 2. 2
*q.*150. *a.*1. S. Antoninum *Part.*2. *Tit.*6. *cap.*3. Sylvium *in* 2.2. *q.*150. *a.*1. & Baldellum *Lib.*5. *disp.*30. Qui Baldellus hanc communem sententiam probat hac ratione: Nam gula generatim accepta dicit inordinationem in esu, & potu; Ebrietas autem hujusmodi inordinationi genericæ superaddit quasi specificam differentiam, quod pertingat usque ad privationem rationis. Nam quemadmodum sacrilegium e. g. rectè dicitur contineri sub furto tanquam species sub genere, quia hoc, quod est rem alterius, quæ accipitur, esse sacram, aut commissam loco sacro, est quædam alienitas, & specialiter disconvenit rationi sub illo ipso genere, sub quo disconvenit in universum ae-

cipere rem alienam; & adulterium rectè dicitur contineri sub fornicatione, quia hoc, quod est, fœminam, ad quam acceditur, esse alienam, est quædam Non-suitas, & specialiter disconvenit sub hoc ipso genere, sub quo disconvenit in universum accedere ad non suam, ita ebrietas rectè dicitur contineri sub gula, tanquam sub genere, quia hoc, quod est inordinatum potum ob delectationem pertingere usque ad rationis turbationem, specialiter disconvenit sub hoc ipso, quod est inordinatè delectari potu &c.]

3 Quæres II. *Vtrùm interfit rei moralis, nôsse, an Ebrietas sit propriè species gulæ nec ne?*

RESP. Omnino interest. Nam si neges, esse propriè speciem gulæ (in lata significatione acceptæ) tum quando te inebriâsti, non erit opus, ut in sacra Confessione dicas: me inebriavi, seu: per intemperantem potum adèmi mihi ipsi rationem; sufficiet, modò dicas: semel voluntariè me privavi proxima ad usum rationis potentia. At verò hæc Confessio non sufficiet in sententia S. Thomæ, & communi; à qua, quia ægrè discedo in re tam gravi, idcirco magis propter auctoritatem, quàm propter allatam rationem, censeo esse dicendum, quòd ebrietas sit species gulæ latè sumptæ, adeóque intemperantiæ oppositæ sobrietati. Repete si placet, controversiam agitatam *Cap. 1. sect. 2.*

4 Quæres III. *Si Ebrietas opponitur sobrietati, an contra sobrietatem peccet Religiosus, qui locum, per suam Regulam ex motivo sobrietatis, seu ne quis se inebriet, sub præcepto interdictum adit, esto in illo loco revera se non inebriet, nec fuerit ullum inebriandi periculum?*

Affirmandum videtur ex communi principio, quòd lex rem præceptam ponat in ea virtute, quam ipsa lex, seu legislator intendit; ita enim docent omnes, teste P. Roderico de Arriaga *Tom. 3. disp. 41. n. 32.* Ipse tamen in terminis proponens istum casum *n. 36.* negat, & illam omnium doctrinam, & hunc Religiosum peccare contra sobrietatem; ac *num. 35.* idem negat de illo, qui transgreditur legem vetantem hausturn vini etiam moderatum, esto illum vetet ex motivo sobrietatis. Sicut non peccat contra castitatem, qui prospicit per fenestras contra Regulam, quæ ex motivo castitatis interdicit hunc prospectum. Ego sicuti non inficior, hanc P. Arriagæ opinionem esse valde verosimilem, ita nondum absolutè illam complector, erit fortè locus rem penitiùs examinandi.

SECTIO II.

Quantum sit peccatum Ebrietas?

SUMMARIUM.

Nonnulli malè negârunt, Ebrietatem esse peccatum. 5.
S. Thomas, & nonnulli alii censuerunt, Ebrietatem non frequentem non esse crimen lethale. 6. & seqq.
Explicantur tamen benignè. 10.
Vtique non esse hæreticus, qui defenderet, unam, alterámve ebrietatem voluntariam non esse peccatum lethale. 12.

NEmo nisi ebrio similis dubitavit unquam, 5
sitne ebrietas peccatum. Quid enim peccati rationem obtinet, si non obtinet tam effrœnis potandi libido, ut quis abjecta rationis potestate, qua nihil in homine divinius, ad brutorum stoliditatem, voluptatis causa vino, cerevisia, alióve ejusmodi potu se abjiciat? Quare explodendi sunt, & Antonius Triumuir, qui teste Plinio *Lib. 14. cap. 22.* Libro pro ebrietate conscripto negavit, ei quidquam inesse fœditatis; & illi Philosophi, qui referente Theophilo Raynaudo *De Virtutibus Lib. 6. n. 102.* idem inficiari sunt ausi.

Quæres autem I. *Quantum peccatum sit Ebrie-* 6
tas?

RESP. Non referri à quoquam quemquam Theologum, qui hac ætate dubitet, quin plena, voluntaria, formalisque ebrietas sit semper peccatum mortale, licèt Abbas *in C. A crapula. De vit. & hon. Cleric.* tradat haberi *in cap. Vnum. §. Aliàs autem. dist. 25.* textum, *semper tenendum*, quòd scilicet ebrietas non sit peccatum mortale, nisi sit assidua. Attamen non ita sonat ille textus, ut videbimus *n. 10.* Licèt etiam agnoscat Thomistarum Coryphæus Cajetanus in citatam *quæst. 150. a. 1.* negâsse S. Thomam, ebrietatem esse peccatum mortale, negâsse, inquam, in casu, quo tantùm semel, iterúmve admitteretur hoc vitium; at sapientior seipso factus damnavit *eit. a. 2.* noxæ lethalis omnem illum, qui vel semel voluptatis causa se inebriaret.

Videtur quoque S. Augustinus negâsse, 7
ebrietatem non assiduam esse peccatum mortale, & quidem bis in uno eodémque sermone, cujus pars refertur. *C. Vnum. Dist. 25.* Nam *ferm. 41.* de Sanctis dicit in primis, se, ne desperationem facere videatur, breviter enumeraturum, quæ sint capitalia, idest mortalia crimina; & nominato homicidio, adulterio &c. subdit hæc verba: *Et ebrietas, si assidua sit in eorum numero computatur.* Ergo hîc S. Doctor solam assiduam ebrietatem censuit esse mortaliter malam. Deinde paulò pòst dicens, 8
se

se indicaturum, quæ sint peccata minuta, sic loquitur: *Quoties quis in cibo, aut in potu plùs accipit, quàm necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere.* Atqui is, qui se inebriat, plus accipit in potu, quàm necesse sit, ergo ebrietas spectat ad minuta peccata. Unde insignis ille ac multùm Religiosus Jureconsl. Petrus Gregorius Tolosanus *Syntagm. Iur. Part. 3. Lib. 39. cap. 8.* ita post Glossl. *in C. Inebriaverunt. 15. q. 1.* Abb. *loc. cit.* & alios passim Canonistas absolutè pronuntiat: *Ebrietas assuefacta mortale est peccatum: sinon assidua, veniale.* Nihilominus tamen.

9 RESP. I. Indicatum Sermonem, à Doctoribus Lovanienfibus reponi inter eos, de quibus dubitatur, an sint genuini fœtus Divi Augustini. Quia tamen constat, illum à Catholicis cum in hac materia, tum maximè in materia de peccatis venialibus, & Purgatorio passim sub nomine S. Augustini citari, idcirco.

10 RESP. II. Ad primum locum vel cum Lessio *Lib. 4. De Iust. & Iur. cap. 3. n. 16.* à S. Patre enumerari duntaxat illa peccata, de quibus non poterat esse dubium, an essent mortalia; vel certè cum S. Thoma *a. 2. ad. 1.* hunc S. Patrem loqui de Ebrietate plenè voluntaria. Plenè voluntaria autem vix est, nisi sit assidua, id est sæpius iterata, quia antequam se quis aliquoties inebriaverit, vix sufficienter advertit periculum inebrietatis, cùm non habeat sui, & vini sufficientem notitiam. Et quidni hæc explicatio applicetur illis ipsis locis, quibus ipsemet Sanctus Thomas assevit, solam frequentatam ebrietatem esse peccatum mortale?

11 Ad alterum locum S. Augustini. Resp. eum loqui de excessu in cibo, & potu, citra incommodum, à cibo, potúque distinctum; etenim docebo infrà, excessum in appetitu, usúque vini, consideratum sine incommodo extrinseco, non esse nisi veniale peccatum.

12 Cæterùm si quis negaret, unam, alterámve inebriationem voluntariam esse peccatum mortale, non foret utique hæreticus; quandoquidem doctrina hîc tradita habet multos Canonistas adversantes, & nullo modo est de fide. Foret tamen is temerarius, utpote, qui in re tam gravi, tantísque firmata rationibus dissentiret ab omnium modernorum Theologorum sensu.

13 Quæres II. *Quinam optimè probare videantur, Ebrietatem esse grave crimen?*

RESP. Inter eos, quos ego legi, insigniter hoc argumentum tractaverunt Fridericus Fornerus toto Libro 1. *De Temulentiæ malo.* PP. Valentia, Lessius, Raynaudus, Baldellus *ll. cc.* Primus quidem enumerando, exaggerandóque mala multiplicia, quæ ex ebrietate oriuntur. Secundus & tertius argumentis petitis ex Scriptura Sacra, PP. ratione naturali. Quartus Patrum, Philosophorúmque multiplicem authoritatem de suo incomparabili, & ferè inexhausto thesauro adfert. Quintus rationes naturales, suo inter Theologos morales more singulari multùm urget. Ego singulas horum argumentorum sedes obiter lustrabo.

SECTIO III.

Ebrietatem esse crimen mortale probatur breviter tum sacræ Scripturæ, tum SS. PP. Authoritate.

SUMMARIUM.

Textus sacræ Scripturæ maximè damnantes ebrietatem. 14.
Et SS. Patrum in eundem sensum. 16.
Nihil est tam Dæmoni amicum, quàm ebrietas. 17.

QUæres I. *Quinam sacræ Scripturæ textus* 14
ebrietatem maximè damnent?

RESP. Sequentes: *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Proverb. 23.* vers. 29. & 30. Ubi breviter enumerantur mala, quæ ex ebrietate solent oriri; ergo ipsa ebrietas est mala. Et mox *Vers. sequent. scilicet* 31. & 32. additur: *ne intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut Regulus venena diffundet.* Nimirum sicut illa venena sunt corpori lethifera, ita vinum in fine mortem æternam adfert animæ, & corpori. *Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem Isa. 5. v. 11.* *Neque avari, neque ebriosi, neque maledici Regnum Dei possidebunt. 1. Cor. 6. v. 10.*

Hunc Pauli locum, ad probandum, ebrieta- 15
tem, etiam semel voluntariè susceptam, esse peccatum mortale, meritò adferunt plerique DD. eò quòd licèt vox ebriosus, (ut *Cap. 4. n. 5.* monui,) significet illum duntaxat qui solet se inebriare, attamen, quia Apostolus scripsit Græcè, & vox Græca Μέθυσος qua ipse fuit usus, idem significat, quod Μεθύων id est ebrius, ut bene observat Cornelius à Lapide in Commentario ejus loci, idcirco fatendum est, ab Apostolo reum gehennæ dici illum, qui etiam semel se formaliter inebriat. Scio à Justiniano aliter hanc vocem explicari, sed nostra expositio est longè probabilior.

Quæres II. *Quæ SS. Patrum sententiæ lucu-* 16
lentiùs probent doctrinam allatam n. 6. sect. 2.

RESP. Istæ I. *Ebrietas quasi infernì puteus, quoscunque susceperit, nisi digna subvenerit pœnitentia, ita fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo ad charitatem, sive*

sive sobrietatis lucem redire non permittat. S. Augustin. *Serm. 231. de Temp.* quem unà cum sequente utilissimè leget concionator parans invectivam in ebriosos. Non ignoro quidem, hos ipsos duos Sermones, qui certè communem S. Augustini stylum non redolent, à DD. Lovanienſibus referri inter dubios; verùm quia omnes utrumque citant, sub nomine Augustini, ejus non est authoritas spernenda.

17 II. *Nihil est ita Dæmoni amicum, quàm ebrietas, & lascivia, quæ est mater omnium vitiorum.* S. Chrysostomus *hom. 71. ad pop. Antioch.* relatus à S. Thom. *a. 3.*

III. *Ebrietas mortale crimen est: Ebrietas grave peccatum est: Ebrietas inter homicidia, fornicationes, & adulteria reputatur: Ebrietas ejicit hominem è Regno Dei.* S. Bernardus *de modo bene vivendi*, seu ad sororem *serm. 25.* ante medium.

SECTIO IV.

Quibus rationibus naturaliter probetur, Ebrietatem voluntariam esse peccatum mortale, etsi non nisi semel eveniat.

SUMMARIUM.

Adfertur prima ratio naturalis probans, ebrietatem esse crimen lethale. 18.
Adfertur secunda ad idem propositum. 20.
Et tertia ex SS. Basilio, & Chrysostomo. 21.
Et quarta hæc, quòd Ebrietas causet multos morbos. 23.
Et quinta, quòd alliciat ad turpia. 24.
Et sexta, quòd creet plurima alia mala. 25.

18 PRima ratio, qua Theologi probant, ebrietatem esse crimen lethale, est hæc, quòd ebrietas naturaliter, & necessariò privet hominem non tantùm usu rationis, sicut privat somnus, sed etiam proximâ ad usum rationis potentiâ. Ebrius enim non tantùm non potest uti ratione, dum est ebrius, sed neque potest liberare se ebrietate, quando vult, & proinde non potest redire ad rationem, quando vult, sicuti potest redire is, qui ad somnum se componit; potest enim hic antequam ad somnum se componat, ita res suas instituere, ut à famulo, horologio, aut alia simili machina excitetur. Ergo ebrietas privat proximâ ad usum rationis potentia; ergo est mortale
19 crimen. Cùm enim ex una parte sit certum, quòd privari saltem per notabile tempus proximâ ad usum rationis potentiâ, sit magnum malum, & longè majus, quàm privari per unum, alterúmve diem usu suæ domûs: ex altera autem parte etiam certum sit, hominem non esse dominum, sed tantùm administratorem suæ rationis, uti & aliarum potentiarum naturalium, sit, ut se inebriando inferat sibi grave damnum, cujus sibi inferendi non habet potestatem. Hoc argumento utuntur potissimùm Cajet. 2.2. *q.* 150. *a.* 2. *sub fin.* & Valent. *Tom. 3. disp. 9. q. 3. Punct. 2.*

II. Ratio. Ebrietas impedit, quò minùs satisfaciat quis præceptis affirmativis, est quoque causa, ut multa fiant contra præcepta negativa, ergo est peccatum mortale propter periculum peccandi saltem materialiter, cui se exponit ebrius. Nam esto, multi non transgrediantur in ebrietate ulla præcepta, quia tamen communiter solet fieri aliquorum transgressio, & doctrina moralis solùm attendit id, quod communiter accidit, & quod per se est, non autem quod rariùs, & per accidens, sequitur omnem, qui se voluntariè inebriat, peccare mortaliter propter hoc periculum, cùm præsertim non possit quisquam satis præcavere, ne, dum est ebrius, habeat turpes concupiscentias, & ne exteriùs proferat verba turpia. Hoc argumentum ex Cajetano desumptum, fusè deducit Baldellus. 20

III. Ratio. Omnis ebrietas facit hominem 21
bestiis similem, aut deteriorem, ut ex PP. ostendunt Valentia, Lessius, & Fornerus Lib. 1. cap. 26. *Quain re, dic homo miser, à brutis differs? nónne ratione? quam à Deo omnium conditore accepisti, reliquæ creaturæ factus Imperator ac Dominus? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter bestias, ratione carentes numerari poteris, & illis similis fieri.* Ita loquitur S. Basilius *Homil. in Ebriet. ante med.* mox ostendens, ebriosos esse magis rationis expertes, quàm pecora.

Quantò melior asinus ebrioso est? quantò canis 22
præstantior? Omnes certè animantes, quæ rationis expertes sunt, cùm bibunt, & comedunt, ultrà quàm satis est, etiamsi mille homines cogerent, nunquam biberent. Peiores igitur irrationalibus vos estis, qui inebriamini. Ita pronuntiat S. Chrysostomus *Homil. 50. in Matth.* fusiùs hoc ipsum argumentum deducens.

IV. Ratio. Ebrietas causat multos morbos 23
corporales. Res ista est ex auctoritate Aristotelis *sect. 3. problem.* apud Raynaudum *num.* 109. Galeni *Lib. 2. De Temperam.* aliorúmque medicorum apud Fornerum *Lib. 1. cap. 20.* Sanctorum Patrum Augustini, Basilii *ll. cc.* Chrysostomi *Homil. contra Crapulam*, & S. Ambrosii *de Elia, & jejunio*, adeò certa, ut Baldellus *n.* 17. ita argumentetur: [Quòd aliquis per inordinatam vini compotationem in ejusmodi morbos, aut pericula sponte, ac scienter se conjiciat, certum est, quòd non vacat culpa mortali; & ideo peccatum ebrietatis etiam ex hoc capite est damnandum ut mortale.]

Ita

Ita ille. Verùm inferiùs *cap. 10.* declarabimus, an, & quando periculum infirmitatis ex ebrietate secuturæ, non addat ebrietatis propriæ malitiæ plùs quàm venialem circumstantiam.

24 V. Ratio. Ebrietas corporis incendit igne Cyprio, & ferociter ad turpia allicit, ergo hoc ipso est peccatum mortale. Antecedentis veritatem declarabo *cap. 10. sect. 9.*

25 VI. Ratio. Ex ebrietate plura alia mala oriuntur. Ea non solùm enumerat, sed etiam verè ex ebrietate ortum deducere, omnium probabilissimè ostendit Fornerus *Lib 1.* per plurima capita, quorum nonnulla attingam. Ecclesiastica Respublica, orthodoxa religio à temulentia non exiguum detrimentum accipit. *Cap. 10.* Temulentia nationes integras, & populosas urbes delevit *Cap. 11.* Temulentia exercitus instructissimos, jam prope parta victoria protrivit. *Cap. 12.* Bonorum abligurigio è temulentia plerumque secuta, *Cap. 17.* Jurgia, lites, vulnera è temulentia plerumque oriri solita. *Cap. 22.* Temulentia quàm plurimos interfecit. *Cap. 23. & 24.* Temulentia recludit abditissima quæque animi secreta. *Cap. 29.*

SECTIO V.

In quonam integrè, & per se sita sit malitia mortalis ebrietatis formalis?

SUMMARIUM.

In quo integre, & per se sita sit malitia ebrietatis secundùm alios, atque alios Doctores? 26. *& seqq.*
Appetitus rei per se non malæ etsi vehemens non potest esse per se malus mortaliter. 26.
Malitia formalis ebrietatis non consistit in periculo causandi varios morbos. 29.
Neque in discrimine patrandi varia crimina in ebrietate. 30.
Lex naturalis non prohibet sub mortali generatim actionem illam, ex qua sæpissimè non sequitur peccatum mortale, etsi aliquando sequatur. Ibid.
Lex lata ob periculum peccati juxta nonnullos non obligat illum, in quo non subest tale periculum. 33.
Periculum committendi tantùm in genere aliquod peccatum, non censetur esse morale periculum. 34.
Explicatur S. Thomas. 35.
In quonam consistat igitur essentialis malitia ebrietatis? 36.

EGo malitiam illam, ob quam per se, & 26
semper ebrietas formalis dicenda sit mortaliter mala, non constituo primò integre in appetitu voluptatis potum inebriativum comitantis, aut consequentis. Jam enim pridem mihi probata est doctrina P. Lessii *Lib. 4. De Iust. & Iur. c. 4. n.* 110. & P. Laymanni *Lib. 1. Tract. 3. c. 5. n. 5.* negantium, excessum in appetitione rei per se non malæ, esse peccatum mortale per se loquendo. Atqui illa delectatio, quantumvis intensissima, non est per se mala; ergo, etsi summopere quis appetat omnem illam voluptatem, & delectationem, quæ percipitur in potu inebriante, non peccat idcirco mortaliter. In hoc puncto puto omnes consentire.

Deinde eandem, ut ita loquar, mortalitatem 27
ebrietatis, non constituo integre, præcisè, & formaliter in eo, quòd per potum amittatur usus rationis. Nam usum rationis possumus absque peccato amittere voluntariè, tum quandoque per potum, ut ostendam *Cap. 18.* tum per somnum.

Neque tertiò eandem malitiæ gravitatem 28
pono integre in eo, quòd ob solam voluptatem velit quis se usu rationis privare. Nam etiam ille se ob solam voluptatem privat, qui ex sola voluptate sine ullâ necessitate dormit.

Neque quartò in eo, quòd ebrietas varios 29
morbos, aut dolores procreet. In primis enim constat, longè plurimos reperiri, quibus ebrietas nullum morbum attulit, nullum etiam dolorem, quem sub gravi peccato cavere debuerint, pepererit. Aut si dicas, saltem post decem, aut viginti Annos emersisse morbum ex illa intemperantia, tum ajo te nimis rigidum esse Theologum, si ob periculum mali tam serò, & tam incertò eventuri damnes ebrietatem peccati mortalis. Deinde ebrietas semiplena, de qua disseram infrà, est tantùm venialiter mala, & tamen ex illa vix minus periculum imminet valetudini, quàm ex plenâ ebrietate; quandòquidem morbum generat temulentia, non quatenus inducit privationem rationis, sed quatenus vitalia nimium calefacit, frigefacit, exsiccat, humectat &c. Et quid dicemus de illis, quibus etiam modicus potus eripit usum rationis?

Neque quintò ideò judico, ebrietatem for- 30
malem esse semper, & ubique lethaliter malam quòd is, qui se inebriat ob voluptatem, exponat se voluntariè, & absque sufficiente causa discrimini committendi multa, aut aliqua crimina mortalia. Rationem contra Cajetanum *a. 2.* & Baldellum *cit. disp. 30.* adfero hanc, quia lex naturalis aliquam actionem non prohibet universim graviter ob periculum gravis mali ex illa impendentis, si id malum longè sæpissime non eveniat, esto eveniat sæpius; præser-

tim quando poteſt evitari per induſtriam illius, qui eam actionem exercet. Atqui ex actione inebriativa ſæpiſſime non oritur ullum grave peccatum, & omnia gravia peccata poſſunt evitari per induſtriam plerorumque, qui exercent actionem inebriativam, ſeu qui ſe inebriant: ergo lex naturalis non prohibet univerſim graviter ebrietatem propter pericula peccatorum ex illa imminentium, ergo ebrietas non eſt ideo formaliter prohibita ſub mortali, ſeu ſemper, & ubique mortaliter mala quòd is, qui ſe inebriat ob voluptatem, exponat ſe voluntariè, & abſque ſufficiente cauſa diſcrimini committendi multa, aut aliqua peccata mortalia.

31 Major propoſitio debet eſſe extra controverſiam, alioquin oportebit dicere, quòd choreas cum mulieribus alienis ex levitate ducere: illas in partibus honeſtis ex voluptate duntaxat ſenſuali (non dico venerea, nam in hac non datur parvitas materiæ) contrectare: adire ex ſola curioſitate, aut levitate domum, præbentem plurimis ſcandalum: legere abſque rationabili cauſa libros ſpurcos, aut hæreticos: ſit ſemper, & ubique crimen lethale, contra Legem naturalem; quod utique eſt à veritate
32 Theologica alienum. Minor propoſitio mihi, aliiſque plurimis in foro pœnitentiali, & ſecreto non parùm exercitatis conſtat inde, quòd ſciam, longè plurimos, qui confitentur ſe fuiſſe verè ebrios, nullum planè crimen admiſiſſe in ebrietate; imò ſatis certum eſt, eſſe non paucos, qui vix unquam ſint, ut loqui ſolemus, meliores, quàm quando ſunt probè poti; & plerique illorum, qui aliquid grave in ebrietate committere ſolent, fatentur, ſe, ſi velint, illi gravi malo occurrere poſſe. Nec obeſt, quod addit Baldellus, de turpibus concupiſcentiis &c. nam ſufficienter oſtendam *Cap.* 19. illas non imputari ebriis.

33 Accedit, quòd Coninck *De Sacrament. diſp. 26. num. 21.* generatim doceat, quando lex naturalis aliquid prohibet ob periculum imminentis mali, obligationem talis legis ceſſare reſpectu illius, in quo non eſt periculum. Et hanc doctrinam, quam tantùm ut probabilem ſuppono, à fortiori docet Diana *Part. 5. Tract. 14. Reſol. 69.* cum Mendoza, & aliis; ergo ex horum doctrina ebrietas non eſt reſpectu omnium idcirco graviter mala, quòd adferat peccandi periculum.

34 Addo aliam rationem nitentem doctrina multùm ſcrupuloſis proficua, quòd ſcilicet ex ſententia Suarezii *Tom. 4. in 3. Part. diſp. 35. ſect. 3. num. 11.* & Filliucii *Tract. 7. num. 40.* periculum committendi tantum aliquod peccatum mortale in genere, non cenſeatur morale periculum, neque moralis occaſio, & proinde non teneamur ſub mortali adhibere media, ad illud periculum evitandum neceſſaria. Quia igitur plurimi, qui ſe inebriant, non apprehendunt, nec apprehendere tenentur, quòd ſeſe exponant periculo proximo committendi in temulentia hoc aut illud ſpeciale peccatum, idcirco non debet mortalis, & eſſentialis, inſeparabiliſque malitia ebrietatis fundari in periculo committendi varia peccata.

Videtur quidem S. Thomas *a. 2. in C.* mali- 35
tiam eſſentialem, & ut loquitur Cajetanus *ibid.* ſubſtantialem ebrietatis conſtituere in eo, quòd qui ſe inebriat, conjiciat ſe in diſcrimen peccandi. Verùm Cajetanus *ibid.* oſtendit, S. Doctorem plus non velle, quàm quòd malitia ebrietati eſſentialis, inde etiam ſaltem veniaaliter augeatur, quòd omnes, aut ferè omnes ebrii ſe committant periculo peccandi, non quidem mortaliter, (nam Cajetanus, qui refert à ſe paucos ebrios fuiſſe viſos, meritò negat, illos communiter incurrere actus peccatorum mortalium,) ſed tamen venialiter: cùm multi dormiant, multi ſint otioſi &c. Hinc diſertiſſimè negat, ebrietatem eſſe mortaliter malam, ex periculo peccandi.

Itaque ſextò ebrietatis malitiam mortalem 36
in eo conſtituo, quòd quis voluptatem ex potu provenientem tanti faciat, ut ob eam ſaltem indirectè velit ſe privare uſu rationis, non quidem ſimpliciter (loquor cum Cajetano, & Valent. *ll. cc.*) ſed ita privare, ut non ſit in ejus arbitrio ſitum, ullo adhibito medio, redire (brevi) ad uſum rationis, ſicuti eſt nimirum in arbitrio hominis, qui ſe dat ſomno, redire ad uſum rationis pro lubitu, ſi adhibeat ſcilicet aliquem, à quo in tempore excitetur, vel horologium, aut aliam hujuſmodi machinam, per cujus ſtrepitum ſolvatur ſomno.

SECTIO VI.

An, ut ebrietas ſit mortaliter mala, neceſſe ſit, per illam turbari diu rationem, an verò ſufficiat turbari brevi?

SUMMARIUM.

Ebrietas non eſt idcirco mortaliter mala, quòd privet uſu rationis abſolutè, ſed quòd privet diu. 37.
Probatur ratione. 38.
Probatur authoritate. 39. & 40.
Habens apud ſe pulverem, qui ſumptus pellat ſubitò ebrietatem, non peccat mortaliter inebriando ſe. 41.
Quid hic intelligatur per brevem privationem rationis? 42.

Mihi

37 Mihi valde veroſimile eſt, nullam ebrietatem idcirco eſſe mortaliter malam, quòd voluntariè privet uſu rationis, ſed quòd *diu* privet, ſeu non relinquat potentiam proximam redeundi *brevi* ad uſum rationis. Probo hanc doctrinam in primis, rationibus. Nam nemo mortalis delicti illum damnat, qui ex mera levitate, aut petulantia ſe tam diu in gyrum agit, ſeu in orbem gyrat, donec vertigine correptus, & neſciens ubi ſtet, humi labatur planè rationis impos. Deinde multi patiuntur, ſe ita vehementer ira corripi, ut intra unum Pater, & Ave revera non ſint ſui compotes; & tamen non facilè reperietur, qui ob hanc præciſè rationem damnet peccati mortalis ejuſmodi iram, niſi habeat aliud malum adjunctum.

38 Præterea ſcribunt Philoſophi, & Medici hominem actui conjugali vacantem, eo tempore, quo eſt maxima delectatio, ita abſorberi, ejúſque rationem ita obtenebrari, ut revera non poſſit tunc quidquam pro viro ſano, & ſapiente agere, proindéque Hippocrates, ut jam retuli *cap. 1. n. 96.* coitum vocet *parvam Epilepſiam*, & tamen nemo conjugem, qui ſolius voluptatis cauſa utitur matrimonio, ait idcirco delinquere mortaliter. Plures alias ejuſmodi actiones, quibus ad pauxillum temporis ſopitur ratio, & quæ tamen non excedunt culpam venialem, omitto.

39 Eandem doctrinam probo authoritate. Nam Fagundez *in præcepta Eccleſiæ præcept. 4. Lib. 2. cap. 1. num. 13.* explicans ſententiam Cajetan. & Valent. *num. 18.* relatam, ſic loquitur: [quando dicimus, ebrietatem conſiſtere in potu immoderato, per quem violenter privatur quis uſu rationis, intelligimus per ebrietatem, non qualemcunque ſed talem, quæ ita privat hominem uſu rationis, & cum ea violentia, ut non ſit in hominis poteſtate ullo adhibito medio redire ad uſum rationis, cùm voluerit.] Ergo ſentit hic author, illum non peccaturum mortaliter, qui ſe per potum planè immoderatum privaret ad modiciſſimum tempus ratione. P. Tannerus *Tom. 2. diſp. 4. q. 5. n. 92.* malitiam ebrietatis in eo ponit, quòd homo ſolius voluptatis cauſa, ſe per potum privet uſu rationis, uſque adeò, ut etiamſi opus eſſet, non poſſet *brevi* ad uſum rationis redire. Leſſius *cit. cap. 3. num. 17.* ita ratiocinatur: Si quis alteri poteſtatem utendi ratione etiam ad *aliquot horas* eriperet, peccaret mortaliter, ergo etiam qui ſibi illam adimit. Ubi ſatis inſinuat, non qualecunque tempus ſufficere ad peccatum mortale hîc contrahendum.

40 Facit huc etiam Angelus, qui in ſumma *verb. Ebrietas*, ebrietatem ita definit: Ebrietas eſt privatio uſus intellectûs, facta ad *aliquod tempus*, ex immoderato potu vini &c. Fruſtra ſanè rò *ad aliquod tempus* poſuiſſet, ſi noluiſſet intelligi notabile tempus.

Hinc infero, illum non peccaturum morta- 41
liter contra ſobrietatem, qui ſe voluntariè inebriaret, ſciens ſibi ſuppetere pulverem, quo ſumpto rediturus ſit ad rationem intra breviculum tempus.

At, *quod tempus cenſetur hic breviculum?* 42

Nolo mihi ſumere, ut abſolutè determinem; ſufficit, quòd eruditioribus, & cordatioribus dederim occaſionem determinandi illud. Nec dubito, quin ii, quibus hæc ſententia placebit, pronuntiaturi ſint, longum tempus cenſeri unam horam; breve, & modicum illud, quo ſemel decurreretur oratio Dominica, & ſalutatio Angelica. Profectò ſi probabilis eſt opinio Cardinalis de Lugo *diſp. 8. De Iuſt. num. 21.* cum aliis negantis, illum delinquere mortaliter, qui magnam ſummam pecuniæ furatur, cum animo mox, id eſt intra horæ quadrantem, ut ait hic Eminentiſſimus Doctor *diſp. 14. num. 12.* illam reſtituendi, modò ſit moraliter certus, ſe reſtituturum, & domino interea nullum damnum emerſurum, ſi, inquam, hæc doctrina eſt probabilis, tum etiam veroſimile eſt, illum non admittere noxam lethalem, qui ſibi quodammodo furatur uſum rationis, ſi poſſit, & velit illum ſibi mox reſtituere, & interea non timeatur aliquod aliud malum.

SECTIO VII.

Occurritur objectioni contra doctrinam numero 40. traditam, & adfertur alia duplex utilis doctrina practica.

SUMMARIUM.

Proponitur, & ſolvitur objectio contra doctrinam n. 41. ſtatutam. 43.
Inter ea, quæ ponuntur in ſuppremo genere bonorum, ſunt aliqua, quæ in eo ipſo genere cenſentur exigua. 44.
Non valet hæc argumentatio: Mallem perdere decem aureos, quàm hanc, aut illam rem, ergo qui mihi aufert hanc, æquè peccat mortaliter, atque ſi auferret decem aureos. 45.
Non bene arguitur ex genere bonorum fortunæ ad aliud, ut inde colligatur materiæ gravitas in ſingulis generibus. 46.

COntra id, quod *num. 41.* dixi, non videri 43
peccaturum mortaliter contra ſobrietatem illum, qui ſe voluntariè inebriaret, certus, illam ebrietatem modiciſſimo tempore duraturam, objici poteſt hoc argumentum: Uſus rationis eſt in ſuppremo genere bonorum; & quivis prudens mallet carere uſu decem aureorum per Annum, quàm uſu rationis per

tantillum temporis, quo semel recitaretur *Pater*, & *Ave*; ergo hæc rationis carentia est grave malum, ergo est objectum peccati mortalis.

44 Ad hoc argumentum respondendum est in primis, etsi usus rationis sit in supremo genere bonorum, tamen in hoc ipso genere esse aliqua bona, quæ in illo censentur exigua, & proinde non sufficientia ad peccatum mortale; sicuti e.g. missæ sacrificium est in supremo genere bonorum, scilicet spiritualium, & tamen unum missæ sacrificium censetur in isto genere esse ita exiguum, ut non ignobiles scriptores negent, à te peccari mortaliter, si negligas facere sacrum unum, quod te pro me facturum esse liberaliter promiseras cum animo te obligandi. Similiter dico, etsi usus rationis sit per se res Excellentissima, attamen usus rationis per breviculum tempus non censetur res magna. Vide dicta in Experientiis *Cas.* 16. *n.* 489. *Tract.* 3.

45 Dico deinde, non quemvis prudentem malle carere usu decem aureorum per Annum, quàm usu rationis, per illud tempus, quod posuimus. Et quamvis revera prudenter id mallet, non est tamen in moralibus admittenda hæc argumentatio: mallem amittere decem aureos, quàm hoc, aut illud facere, vel pati, ergo sicuti qui mihi rationabiliter invito aufert decem aureos, peccat mortaliter, ita & ille, qui me rationabiliter invitum cogit ad agendum, vel patiendum illud, quod decem aureis æstimo.

46 Hanc doctrinam, quæ non nemini paradoxa videri potest, & cui contrariam tradit Molina *Tom.* 1. *disp.* 26. *n.* 5. suâ authoritate sufficienter probabilem reddit Card. de Lugo *cit. disp.* 14. *n.* 24. ita differens: [Non bene arguitur ex genere bonorum fortunæ ad aliud, ut inde colligatur materiæ gravitas in singulis generibus. Primò, quia homo nobilis, & dives maluisset perdere quatuor, vel sex argenteos, quàm pati frigus magnum, per duas, vel tres horas, aut quàm jejunus esse usque ad vesperam, aut quàm gelidâ aquâ irrorari, & madefieri, dum videt artificiosos fontes alicujus villæ; & tamen hæc omnia in ordine bonorum corporis levia æstimantur, ac per jocum hæc detrimenta inferuntur.

47 Secundò, etiam aliqua sunt, quæ in genere honoris, & famæ levia censentur, quæ tamen non quatuor, sed decem, vel pluribus argenteis redimerent, ut in exemplo posito, quando aliquis nobilis, dives, & prudens per fraudem aqua irroratur, & aspergitur, dum fontium artificium contemplatur, mallet octo, vel decem Julios solvere, quàm pati erubescentiam, & irrisionem ex fraude, & deceptione, quam publicè passus est; & tamen illud totum leve censetur in genere honoris, & famæ; nec obstat illum ferre graviùs id damnum, quàm furtum decem argenteorum.] Hæc & plura in hunc sensum Cardinalis.

Quæres fortè, *utrùm sicut illa particula* brevi 48
non otiosè posita est, si loquamur de ebrietate physicè sumptâ, ita etiam non ponatur otiosè, si loquamur de ebrietate considerata moraliter, seu ut solet contingere?

RESP. Frustra, & otiosè poni in hoc posteriore sensu. Nam credibile est, non suppetere cuiquam pulverem, Medicinam, aut aliud medium, ita efficax, simul & lene, ut sine gravi, & mortaliter prohibita læsione vitalium, possit ebrium sibi mox restituere. Unde infero, non esse absolutè opus, ut illa particula 49
brevi ponatur in explicatione malitiæ mortalis, ebrietatem constituentis, quandoquidem rerum moralium descriptiones, & explicationes intelligi debent moraliter, non autem semper metaphysicè, aut physicè: *Nam ea, quæ rarò accidunt, non temere in agendis negotiis computantur*, inquit Julianus *Leg. Ea quæ ff. De Reg. Iur.* Et eodem sensu Celsus: *Ad ea potiùs aptandum est jus, quæ frequenter, & facilè, quàm quæ rarò eveniunt, Leg. Nam ad ea. ff. De Leg.*

SECTIO VIII.

An non etiam quandoque sit peccatum mortale, privare se ratione per somnum?

SUMMARIUM.

Cur sit grave peccatum privare se ratione per potum, non autem per somnum? 50.
An peccent mortaliter, qui absque rationabili causa conciliant sibi somnum, non nisi difficillimè dispellibilem? 51.

OMnes post Cajetanum 2. 2. *q.* 150. *a.* 2. 50
conantur ostendere, cur sit grande peccatum, privare se per delectabilem potum usu rationis, non autem sit grave crimen, eâdem ratione, ejúsve usu se spoliare per somnum, ex mera voluptate, quam percipit quis, e.g. in aquæ stillantis sonitu, quod est exemplum Cajetani? Rationem hanc ex eodem Cajetano retuli *n.* 9. facilem intellectu. Aliam addit ipse, quòd scilicet privatio rationis per somnum, sit privatio naturalis, utpotè facta per sensuum ligamen, in quo ligamine consistit ratio somni: at privatio rationis per ebrietatem, non est privatio naturalis, sed violenta, idcirco quòd fiat, & contingat ex perturbatione ægritudinali, inquit Cajetanus; nam revera perturbatio, quæ ebrium exspoliat usu rationis, est quædam morbida perturbatio, utpote valde intemperata. Cùm igitur lumen naturæ non dictet, esse tantopere cavenda mala naturalia, quantopere violenta, consequenter non tam præcipit, ut illorum, quàm ut istorum causas removeamus, ergo non tantopere nos obligat ad fugiendum somnum voluptuosum, quàm ebrietatem voluptuosam, seu ex voluptate electam, quandoquidem hæc est causa mali violenti, ille naturalis.

51 Hæc doctrina etsi vera est in his generalibus terminis, quæri tamen potest, an non mortaliter peccaret, qui sibi ex voluptate inepta, vel ex alia prorsus irrationabili causa conciliaret lethargum, seu somnum talem, qui non posset citiùs dispelli, quàm dispelli potest ebrietas? Et ad hanc quæstionem existimo esse dandam responsionem affirmativam. Probo in primis authoritate Cajetani, Valentiæ, & multorum aliorum, qui pro potissima, & fundamentali causa, ob quam ebrietas voluptuosa, non autem somnus voluptuosus sit grave peccatum, dant hanc, quòd scilicet ebrius non possit redire ad rationem, quando vult, possit autem somno captus, si videlicet horologium, aut hominem constituat, à quo excitetur. Probo deinde ratione, quia cùm homo non sit dominus suæ rationis, tam parùm ipsi licet, se proxima ad illum potentia spoliare per somnum non necessarium, quàm per ebrietatem non necessariam.

G.

PENE OMNIVM FOEDISSIMO &c.

CAPUT VII.

De Turpitudine Ebrietatis.

SECTIO I.

An Ebrietas sit omnium peccatorum fœdissimum, & gravissimum?

SUMMARIUM.

Ebrietas cur sit omnium, excepta libidine, fœdissimum peccatum? 1.
Ebrietas maximè repugnat gloriæ. 2.
Gloria consistit in claritate nominis. Ibid.
Non tamen est Ebrietas omnium peccatorum gravissimum. 3.
Est deterior furto. 4.
Directè se inebriare est vitium plusquam humanum. 5.

QUæres I. *Utrùm Ebrietas sit omnium peccatorum fœdissimum?* 1

RESP. Est omnium, exceptâ impurâ libidine, fœdissimum. Probo ex Aristotele 2. *Eth. cap.* 12. itémque S. Thoma 2. 2. *q.* 142. *a.* 4. Nam uterque *ll. cc.* docet, vitium intemperantiæ esse omnium maximè exprobrabile, seu probrosissimum, idque ob duas causas. Primò: Illud vitium est maximè probrosum, quod maximè repugnat excellentiæ hominis; atqui intemperantia maximè repugnat excellentiæ hominis, utpote cùm sit circa delectationes communes nobis, & bestiis, propterèaque voluptates temperantiæ contrarias vocat Philosophus *ferinas.*

Secundò: Illud vitium similiter maximè 2
probrosum est, quod maximè repugnat gloriæ; repugnat autem maximè intemperantia gloriæ, quia gloria consistit in claritate nominis; in intemperantia autem minus, quàm in aliis vitiis apparet de lumine rationis, ex quo tamen est tota claritas, & pulchritudo virtutis, unde & ejusmodi voluptates vocantur *serviles*, inquit S. Doctor; qui præced. *c.* 2. post Aristotelem ex instituto docet, ac defendit, intemperantiam esse vitium puerile.

Quæres II. *An ebrietas, sit omnium peccatorum gravissimum?* 3

Respondeo cum S. Thoma *q.* 150. *a.* 3. non esse. Rationem ipse S. Thomas adfert his verbis: [Tantò aliquid est gravius malum, quantò majore bono privat, quandoquidem per hoc dicitur aliquid esse malum, quod privat bonum; manifestum est autem, quòd bonum divinum est majus, quàm humanum, ergo peccata, quæ sunt directè contra Deum, sunt graviora peccato ebrietatis, quòd directè opponitur bono rationis humanæ.]

Etsi autem ebrietas est minus peccatum, 4
quàm peccata opposita virtutibus Theologicis, rectè tamen monet Sylvius *in cit. a.* 3. illam esse furto deteriorem: tum quia rationis usus nobilior est usu rei externæ: tum quia turpius est directè agere contra dilectionem sui, quàm contra dilectionem proximi.

His addo, quod docet Cajetanus in fine ar- 5
ticuli primi, scilicet quando quis directè se inebriat, seu ex directa intentione in potu excedit, ut per illum excessum exturbet rationem, ejusmodi ebrietatem esse vitium plus quàm humanum, & planè bestiale, eò quòd ejusmodi homo cupiat, & intendat facere sese bestiam, brutúmque animal.

SECTIO

SECTIO II.

Adferuntur causæ, cur Ebrietas, licèt sit tam grave vitium, apud aliquas tamen gentes censeatur esse parvum; & minimè probrosum crimen.

SUMMARIUM.

Cur ebriositas apud aliquas gentes habeatur pro vitio minimè probroso? 6.
Adfertur prima ratio ex Sylvio. 7.
Altera est consuetudo. 8.
Tres aliæ memorantur ex eod. 9. *&* 10.
Sexta ratio ex Fornero. 11.
Verba inebriare *&* ebrium esse *accipiuntur sæpe pro sola satietate.* 12.
Quid censendum de Ebrietate Patriarcharum Noë, & Loth? 14.
Instruunt nos Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes. 15.

6 PArtim ex dictis *Sect. præced. & Cap. 6.* partim ex dicendis certum est, ebrietatem esse vitium fœdissimum, & prorsus indignum homine, meritò igitur quæritur, unde fiat, quòd *in nonnullis* Provinciis hoc vitium ita alienum à probro æstimetur, ut multos in Ecclesiastica, civilique, imò Ducali dignitate constitutos minimè pudeat, esse, videriqueebriosos.

Quinque hujus rei causas adfert Franciscus Sylvius *in 2. 2. q. 150. a. 3.*

7 Prima est vehemens amor, & inclinatio multorum ad comessationes, compotationes, & ebrietates; illa enim, ad quæ homines vehementer afficiuntur, vel bona esse putant, vel certè non magna mala, etiamsi ab iis non ita affectis clarè perspiciatur, quòd sint magna mala. Et hujus rei ratio est, quia, ut sapienter observat Philosophus *Lib. De Somniis. Cap. 2. in fine, tantò magis decipiuntur omnes, quantò in passionibus magis fuerint.*

8 Secunda causa est consuetudo ebrietatum. Nam ut loquitur S. Augustinus *in Enchiridio C. 20. Peccata, quamvis magna, & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur.* Et huc quadrat illud Aristotelicum: *Ab assuetis non fit passio.*

9 Tertia causa est falsa persuasio, qua creditur, ejusmodi peccata gulæ, ad amicitiam cum aliis ineundam, vel conservandam, atque ad honestatem tuendam valere. Hinc fit, ut tum in quibusdam Sanctorum confraternitatibus: tum opificum Sodalitiis: plurimùm usitatæ sint potationes etiam excessivæ, ut videmus fieri à Vinitoribus in festo S. Urbani, à Sutoribus, in Festo Sanctorum Crispini, & Crispiniani, quasi verò non sit absurdissimum, *mimâ saturitate velle honorare Sanctos, quos scimus Deo placuisse jejuniis*, ut perquam sapienter monet S. Hieronymus *Epist.* 19.

Quarta causa est, inquit Sylvius, quòd his malis interdum laborant illi, qui pii, & Religiosi videntur. Ita etiam fit, ut & ipsi se in talibus non multùm peccare existiment, & alii ipsorum exemplo invitari idem sentiant.

Quinta causa est, quòd multi cernantur gravioribus peccatis irretiti, quorum comparatione ebrietas, & comessationes, tanquam parva, vel nulla peccata existimantur.

Sextam causam addo ex Fornero *Lib. 1. De Temulentiæ malo. Cap. 1.* quòd videlicet non- » nullæ Nationes adeo effusa libidine ferantur in » compotationes, ut sine iis nil agi posse putent, » nihil faustis avibus executionem nanciscì, ni- » hil omnino transigi, nisi largiùs bibitum fuerit. Nascitur quis? bibendum. Moritur idem? » bibendum. Pacta fiunt? bibendum. Contractus celebrantur? bibendum. Vinum omnia » transigit, omnia roborat. Absente vino, o- » mnium abest negotiorum Spiritus, & anima. » Hæc & plura Fornerus, subnectens dictum Germani, qui cùm interesset ludis, à Ferdinando Rege non sine omnium applausu exhibitis, sonora voce exclamavit: *O valeant ludi, atque à me procul sint, quibus nemo bibit.*

12 Fortè sunt etiam nonnulli, quos idcirco minùs pudeat fuisse ebrios, quòd Sacra Scriptura testetur, fratres Joseph bibisse, & inebriatos fuisse cum eo, *Gen. 43.* Item Noë, atque Loth fuisse ebrios, *Gen. 6. & 19.* qui & fuêre Sancti, & à sacris paginis non reprehenduntur. Verùm hæc ratio nulla prorsus est. Nam in primis certum est, verbum *inebriare* in divinis voluminibus sæpe sumi pro sola satietate, ut tradit expressè S. Chrysostomus *homil. 28. in Gen.* & nominatim de inebriatis fratribus Joseph ita hoc verbum exponit.

13 Hinc illæ locutiones: *Calix meus inebrians quàm præclarus est? Psal. 22. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Psal. 35. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi Cant. 5.* Hinc etiam istud ipsum verbum transfertur ad inanimata, quæ tunc dicuntur inebriari, quando copiosè irrigantur, abundantérque replentur bonis sibi convenientibus, ut *Psal. 64. Visitâsti terram, & inebriâsti eam.*

14 Deinde Noë fuit inculpabiliter inebriatus, nam vini vim ignorabat, ut ex S. Thoma retuli *cap. 4. num. 7.* consentiúntque SS. PP. & interpretes apud P. Bonfrerium *Gen. 6.* Ad Loth quod spectat, excusant illum S. Chrysostomus, & alii, eò quòd putaverit, sibi largiorem illum potum esse permissum, ad leniendum dolorem; alii cum S. Augustino eum damnant. Sed sive hi omnes revera deliquerint,

rint, sive non deliquerint, non valet utique hæc consequentia: Scriptura narrat, aliquos viros Sanctos fuisse ebrios, nec illos reprehendit; ergo ebrietas non est tam turpe peccatum, quàm esse dicitur. Ut enim eleganter scribit
15 S. Ambrosius *Lib. 1. de Abraham: Non utique vitia Patriarcharum scriptura exposuit, quos vitios vino legimus; sed ut tu disceres, quid caveres. Illi nudus jacuit, iste filiarum errori patuit, & Noë justus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur, sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Loth filiabus se credidit, & per senectutem madidam, vino solutus commisit incestum ignarus. Tu sic bibe, ne capiaris. Instruant nos Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, ut confirmaretur magisterium cautionis.*

H. & I.

EAQUE TUM PLANE EBRIUS, TUM SEMI-EBRIUS FACIT &c.

CAPUT VIII.

Explico causas Ebrietatis plenæ, & semiplenæ, seu mortaliter & venialiter malæ.

SECTIO I.

Quæ sit Ebrietatis causa Physica?

SUMMARIUM.

Quomodo causetur physicè exturbatio rationis per potum? 1.
Quæ sit remota, quæ proxima causa hujus exturbationis? 2.

1 SErmo hic est de Ebrietate, prout significat ipsammet rationis privationem, seu impotentiam utendi ratione, quæritur enim, *quo modo ea contingat*, & respondeo breviter cum Baldello *Lib. 1. Theol. Moral. disp. 11. n. 3.* sicuti in pueris ex nimia humiditate cerebri, & totius corporis, continuò efficitur magna copia & acritatio spirituum, & vaporum, per quos deferuntur phantasmata, & consequenter impediuntur sensationes interiores, ita ut vel omnino non fiant, vel fiant aliæ, quàm ad aptam intellectionem requiritur, ita etiam in ebriis, ex vini nimia copia provenit nimia copia vaporum, spirituúmque, & ex ejus calore, nimia horum agitatio, & perturbatio, ipsorúmque organorum nimia calefactio, & innaturalis alteratio, per quam ita perturbantur phantasmata, à quibus in operando pendet intellectus, ut & alia repræsentent, quàm recta ratio exigat, & non ea repræsentent, quæ hîc & nunc ad prudenter operandum necessaria sunt. Et sicuti quando aqua nimium turbatur, aut movetur, nequit oculus in ea, aut per illam cernere, quæ sint in aqua, ita quando actus, dispositionésque phantasiæ per nimiam vini copiam turbantur, nequit intellectus suo munere aptè fungi, quandoquidem notum est illud Aristotelis, quòd intellectus non operetur, nisi per conversionem ad phantasmata.

Itaque hujus privationis, de qua loquimur, 2 seu proximæ ad rectè ratiocinandum impotentiæ causa physica remota sunt vapores calidi, è vino in cerebrum elati; proxima autem est phantasmatum inconcinnitas, & perturbatio ferè talis, qualis in phreneticis, & febricitantibus. Vide Aristotelem *Lib. De Somnus cap. 3.*

SECTIO II.

Quæ sit causa moralis Ebrietatis?

SUMMARIUM.

Quomodo voluntas causet moraliter directè, & indirectè ebrietatem? 3.
Præcognitio est necessaria ad id, ut voluntas possit impedire spoliationem rationis. 4.
Quid ad voluntarium indirectè requirat Suarez? 5.

3 HAud dubiè voluntas propria, aut aliena illius inquam, voluntas, qui est causa, ut hauriatur ille potus, qui rationem est extremè læsurus, debet vocari causa moralis ebrietatis. Porrò ea voluntas vel tendit directè, & formaliter eò, ut exturbetur ratio, & sic dicitur ebrietas esse directè voluntaria: ut cum quis expressè dicit: *Ego volo hunc craterem idcirco exhaurire, ut etiam semel sim ebrius*; vel non tendit directè eò, ut exturbetur ratio, applicat tamen ori, & stomacho potum, qui re ipsa inebriaturus est, idque facit vel penitus ignorans secuturam ebrietatem, vel non penitus ignorans. Si applicet penitus ignorans, tum ebrietas non potest nec directè, nec indirectè dici voluntaria. Non directè voluntaria; quia non idcirco applicat vinum, ut perdat rationem. Non indirectè; quia ad effectum voluntarium indirectè acceptum (ut multi accipiunt pro voluntario in causa) requiri-

quiritur, ut potuerit impediri, quandoquidem omne voluntariũ in causa est species effectûs liberi, liber autem effectus non est, qui impediri non potest à libera voluntate.

4 Porrò ut dicatur posse à libera voluntate impediri, debet saltem aliquo modo esse præcognitus, seu non penitus ignorari. Siquidem sicuti nihil est volitum nisi præcognitum, ita etiam nihil est à voluntate libera libere impedibile, nisi ab ea cognitum aliquo modo. Cùm autem supponamus, ebrietatem penitus ignorari, sitque certum, id, quod penitus ignoratur, non cognosci ullo modo, à primo ad ultimum sequitur, ebrietatem non esse voluntariam indirectè, seu in causa, si penitus ignoretur secutura ex tali, & tali potu.

5 Quamvis autem ponamus, quandoque non ignorari, sed clarè prævideri ebrietatem secuturam ex hausto, ad quem nos accingimus, si tamen sit ea nobis licita ob unam ex causis, quas adferam *cap.* 18. tum juxta principia P. Suarez *Tom.2. Tract.2. disp.1. sect.5.* ne indirectè quidem voluntaria dici debet. Etenim hic Doctor inter reliquas conditiones ad voluntarium in causa, seu (quod pro eodem hic sumimus, cùm tamen constet à S. Thoma distingui) indirectè, hanc etiam exigit, ut causa, ex qua effectus præter directam voluntatem oritur, sit prohibita, quam tamen conditionem non exigunt alii, & nominatim Laymannus *Lib.1. Tract.2. cap.3. n.5.*

6 Verùm huic liti nolumus nos miscere, sicuti nec quidquam ampliùs dicere de ebrietate voluntaria directè, quandoquidem & facilè constat ex allata superiùs descriptione, quidnam per illam intelligamus, & *cap.7.* diximus ejusmodi ebrietatem esse vitium non humanum, sed bestiale, & denique *cap.* 18. disquirimus, utrùm ea sit in aliquo casu permissa. Quapropter id solùm est in præsentia expediendum, quidnam requiratur ad id, ut culpabilis, punibilisque ebrietas censeatur indirectè voluntaria?

SECTIO III.

Quomodo diversi Authores loquantur de modo, quo Ebrietas sit mortalis, vel venialis?

SUMMARIUM.

Quomodo juxta S. Thomam ebrietas evadat mortalis, & venialis? 8.
Quomodo ex opinione Angeli? 10.
Quomodo ex sensu Silvestri? 12.
Quomodo judice Navarro? 13.
Et Gregorio de Valentia? 14.

7 QUia hoc peccatum est adeo frequens, & multi in illud labuntur cum culpa planè mortali, alii autem cum duntaxat veniali, non tamen sine magno metu, ne plusquàm veniabiliter deliquerint, & Confessarii libenter nôssent aliquam prudentem Regulam, ex qua verosimiliter colligere possent, utrùm suos pœnitentes, quos verè fuisse ebrios intelligunt, tanquam reos mortalis delicti tractare debeant, idcirco referam hac sectione varios celebriorum Doctorum ista de re loquendi modos, tum sectione sequenti dicam quid mihi videatur.

8 Agmen meritò ducit S. Thomas, qui *2.2. q. 150. art.2. in C.* sic loquitur: *Culpa ebrietatis consistit in immoderato usu, & concupiscentia vini. Hoc autem contingit esse tripliciter. Uno modo sic, quòd nesciat potum esse immoderatum, & inebriare potentem; & sic ebrietas potest esse sine peccato. Alio modo sic, quòd aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimet potum esse inebriare potentem; & sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest contingere, quòd aliquis bene advertat, potum esse immoderatum, & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quàm à potu abstinere; & talis propriè dicitur ebrius; & sic ebrietas est peccatum mortale, quia secundùm hoc homo volens, & sciens privat se rationis usu, quo secundùm virtutem operatur, & peccata declinat.* Ita S. Thomas, quem verbatim describit, & sequitur S. Antoninus *Part.2. Tit.6. cap.3. §.1.* cùm tamen ante §. 1. illum quoque mortalis ebrietatis damnâsset, qui probabiliter dubitans, utrùm per potum possit amittere usum rationis, tractus delectatione potûs nimium bibit.

10 Alter est Angelus, qui *in Summa Angelica verb. ebrietas* sic disserit: [Quæritur, utrùm ebrietas sit peccatum mortale? Respondeo, quòd aut rarò contingit, aut assiduè. Si rarò, sic distinguo: aut inebrians se, cognoscit vini potentiam, & suam complexionem dispositam ad ebrietatem, & tamen vult magis ebrietatem incurrere, quàm à potu abstinere, & sic est peccatum mortale; aut se inebrians nescit vini potentiam, & ignorat, quòd ex tali potu possit inebriari, vel non advertit, & sic est veniale peccatum, majus, vel minus secundùm excessum in potu, & negligentiam in advertendo. Si verò assidua est ebrietas, mortale peccatum est, non propter iterationem actûs, quia multiplicatio actuum venialium non auget in infinitum, sed quia non potest esse, quòd homo assiduè inebrietur, quin sciens, & volens ebrietatem incurrat, aut saltem omittat diligentiam, quam debuit adhibere de necessitate, ne inebrietur, cùm habeat tempus deliberationis reprimendi motus veniales, ne procedant in reatum peccati.] Ita Angelus, qui 11 suam de inebriante se assiduè doctrinam accepit

cepit à S. Thoma *loc. cit. ad 1.* & S. Antonino, loquente etiam hic ut S. Thomas, adeóque dicente: *Non potest esse, quòd homo assiduè inebrietur, quin sciens, & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini: & suam habilitatem ad ebrietatem.*

12 Tertius est Sylvester, qui *Verb. Ebrietas n.2.* citatis S. Thoma & Angelo sic resolvit: [Aut quis sciens, & volens inebriatur totaliter, & sic ebrietas est mortale peccatum; aut nesciens, & consequenter non volens, & hoc dupliciter scilicet aut rarò, & sic nullum, vel veniale peccatum secundùm negligentiam, qua utitur quis ad cavendum; aut assiduè, & tunc est mortale, non quidem ratione assiduitatis, vel iterationis actûs secundùm omnes, quia multiplicatio actuum venialium non facit mortale, sed quia non potest quis assiduè inebriari, nisi sciens, & volens, vel notabiliter negligens in sciendo & cavendo.]

13 Quartus est Navarrus, cujus in Manuali *cap.23. n.121.* hæc sunt verba: *Peccat, qui se scienter inebriat, sechs si id fecerit ignorantia qualitatis potûs, vel inadvertentia nimietatis ejus, quia tunc aut nihil, aut venialiter tantùm peccat. Idem est de scire debente, ut quia consuevit tali, vel tanto potu inebriari, & tamen bibit, non credendo se inebriatum iri: non quòd iteratio actûs ex veniali mortale faciat, sed quia consuetudo facit, ut ille scire debeat, se ejusmodi potu inebriatum iri, quod satis est secundùm Cajetanum 2.2. q. 150. a.2.* Atque ita Navarrus.

14 Quintus est Gregorius de Valentia, qui *Tomo 3. disp.9. q.3. p.2.* rem istam sic explicat: Ebrietas est etiam voluntaria tunc, cùm quis potest, & tenetur (sicuti semper tenetur) illam vitare, & non vitat; atque adeò tunc etiam est peccatum mortale; nam tunc est voluntaria indirectè; ut tamen censeatur quis potuisse vitare ebrietatem, quam non vitavit, necesse est, ut consideratis omnibus circumstantiis prævideret, vel prævidere potuerit, & debuerit, ebrietatem ex tali, vel tanto potu secuturam, spectata etiam complexione, & aliis circumstantiis; quando autem id contingat, judicio prudentis in particularibus casibus dijudicandum est. Et quidem si quis jam aliquoties expertus esset, inebriari se ex tali, vel simili potu, quoad quantitatem, qualitatem &c. meritò censeri is posset, prævidere potuisse, & debuisse ebrietatem secuturam, atque adeò mortaliter peccaret, illam incurrendo etiam præter directam suam intentionem, tametsi aliquantò minùs, quàm si ex intentione inebriaretur. Cùm autem quis nullam antea experientiam ebrietatis habuit, faciliùs potest accidere, ut quam præter opinionem incurrit, non sit illi ullo modo voluntaria, quia scilicet nec potuerit, nec debuerit illam prævidere.] Ita hic Doctor.

SECTIO IV.

In quibus punctis conveniant, in quibus discrepent prædicti Doctores?

SUMMARIUM.

In quibus punctis conveniant Authores præcedente sectione nominati? 15. & 16.
In quibus discrepent iidem? 17.
Qui habens consuetudinem se inebriandi se inebriat, non meretur juxta S. Thomam fidem, dicens, se non advertisse periculum ebrietatis. Ibid.

15 COnveniunt nominati authores. I. In hoc, quòd qui vel nunquam, vel rarò se inebriavit, si antequam se inebriaret, non putavit se inebriatum iri, non peccârit mortaliter, se inebriando. Conveniunt secundò in eo, quòd mortaliter peccet, qui bene advertens, potum esse immoderatum, & inebriantem sumit illum potum.

16 Conveniunt tertiò in eo, quòd qui assiduè inebriatur, etsi dicat, se non advertisse periculum ebrietatis, sit censendus habuisse sufficientem illius periculi advertentiam, adeóque peccâsse mortaliter, quando se inebriavit. Conveniunt quartò in eo, quòd quando quis vel rarò, vel nunquam antè se inebriavit, etsi tunc non peccet mortaliter, quando se inebriat, non advertens ullo planè modo, se aut nimis multum bibere, aut potum esse præditum vi inebriandi, attamen possit fieri, ut intercedat venialis negligentia in disquirendo, num adsit periculum temulentiæ, & ob hanc venialem, levémque negligentiam, ipsa ebrietas contineat malitiam peccati venialis.

17 At discrepant iidem Doctores, vel certè non satis clarè conveniunt in duobus punctis. Primò, quòd Angelus absolutè peccati saltem venialis reum agat illum, qui se inebriat, nesciens vini potentiam, & ignorans, quòd ex tali potu possit inebriari, vel non advertens; nam in hoc casu Sylvester non agnoscit ullum peccatum, nisi aliqua negligentia intervenerit. Secundò, quòd S. Thomas & S. Antoninus illum, qui consuetudinem sese inebriandi habet, ideo damnent peccati mortalis, quòd licèt dicat, se non advertisse periculum, re tamen ipsa sit advertisse censendus; at Angelus, & Sylvester talem idcirco condemnent, quòd saltem fuerit negligens in examinando, utrùm non adesset periculum. Idipsum est Valentiæ judicium: Navarrus verò ejusmodi hominem ideo lethalis noxæ reum agit, quòd sive adverterit, sive non adverterit periculum, debuerit tamen advertere.

SECTIO V.

Quid sit pronuntiandum de modo, quo Ebrietas evadit, vel mortaliter, vel tantùm venialiter mala?

SUMMARIUM.

Advertens, se ultra necessitatem bibere, at non cogitans de periculo Ebrietatis, non peccat mortaliter, etsi præter intentionem evadat ebrius. 18.

Quisnam censendus sit advertisse periculum ebrietatis? 20.

Quid censendum de perrarò se inebriante, & non advertente periculum tunc, quando hauritur ultimum poculum inebriativum? 21.

Quando actum ex se malum non præcessit actualis cogitatio de malitia, hæc malitia non est tali censenda voluntaria. Ibid.

Et hæc doctrina est vera etiam respectu soliti committere illum malum actum. 22.

Declaratur exemplo ebrioſi, qui post emendationem relabitur in aliquam Ebrietatem, asserens, se non prævidisse periculum. 23.

18 Dico I. Quando quis sit ebrius vino, aut cerevisia &c. non quidem advertens ullum periculum ullius in ratione turbationis, advertens tamen, à se stomachum onerari majore vini copia, quàm sitis, labores, & aliæ honestæ circumstantiæ exigant, non peccat contra sobrietatem, sed contra abstinentiam strictè dictam. Patet ex doctrina, quam *cap. 1. n. 20.* retuli ex Cajetano.

19 Unde inferes, ejusmodi excessum, saltem si fiat ab homine rarò se inebriante, non esse nisi venialiter peccaminosum, abstrahendo à gravi nocumento valetudinis &c. Et sic est intelligendus S. Thomas, quando relatus *n. 8.* dicit, ebrietatem esse posse cum peccato veniali, quando quis percipit, potum esse immoderatum, non tamen æstimat, illum inebriare potentem.

20 Dico II. Omnis ille censendus est advertisse, seu sciviſse periculum ebrietatis, seu se inebriatum iri, qui poculum ebibit, vel probabiliter putans secuturam ebrietatem *Argum. cap. Inquisitioni, De sentent. excom.* vel suspicans secuturam, vel dubitans, an non esset secutura; si videlicet ejusmodi dubium, suspicionem, opinionem non deponat, antequam ebibat illud poculum. Ita docent tum generatim Doctores, quando loquuntur de ignorantia, inadvertentiáque vincibilibus, tum nominatim de probabili opinione secuturæ ebrietatis Laym. *Lib. 3. sect. 4. n. 5.* loquens de illo, qui probabile periculum advertit & Reginaldus *Lib. 22. n. 58.* Et de dubitante, utrùm ebrietas sit secutura exprimit S. Antoninus allegatus *n. 18.* Ratio est, quia ejusmodi homo non potest dici laborare ignorantia inadvertentiáve secuturæ temulentiæ: ergo dicendus est advertisse illius periculum.

Dico III. Qui rarò, vel nunquam se inebriavit, non peccat mortaliter se inebriando, si tunc, cùm vacuandis cyathis operam dabat, non advertit actu, esse periculum ebrietatis, si ita pergeret bibere, esto actu cogitârit, se bibere plus quàm sitis exigeret. Est hæc conclusio mihi pridem persuasa, ob generale principium, sufficiente ratione, & authoritate firmandum *Cap. sequent.* quòd videlicet, quando non præcessit actualis cogitatio malitiæ moralis, seu turpitudinis, objectum aliquod afficientis, non possit illa malitia dici voluntaria voluntati, circa illud objectum versanti, adeóque non possit ea malitia contrahi à voluntate, nec hanc inquinare. Atqui in proposito casu non præcessit actualis cogitatio malitiæ, quæ inebrietati inest, ergo illam malitiam non contrahit voluntas, nec ab illa inquinatur; ergo tunc non peccatur mortaliter peccato ebrietatis. Fateor, hanc doctrinam displicere magnis doctoribus, sed sufficit, quòd placeat etiam magnis, & nitatur longè firmioribus rationibus. 21

Dico IV. Eadem doctrina est vera, etiam respectu illius, qui frequenter se inebriat. Probatur. Nam illud principium, quod antè attuli, est omnino universale, & procedit tam de habituatis in peccato, quàm de non habituatis. Et quamvis hæc conclusio sit haud dubiè contra Navarrum, & Valentiam *ll. cc.* non est tamen contra S. Thomam, neque contra S. Antoninum, hi enim supponunt, quòd ejusmodi ebrioſus revera advertat actu periculum ebrietatis; ego autem loquor ex hypothesi, quòd non advertat actu. Etsi verò hanc hypothesin videntur penitus negare hi duo SS. DD. possunt tamen non incommodè explicari, quasi velint prædictam hypothesin ordinariè, & ferè semper esse falsam in iis, qui assiduè vino deponuntur. 22

Certè illam non posse penitus negari inde 23 probatur, quòd negari non possit, quam in primis ea habeat locum quandoque in ebrioſis, qui inebriantur vino fortiore, quàm antè biberint, aut qui cùm soliti fuerint tabernas adire non nisi pasti cibo, semel, iterúmve jejuni hauserunt multum meri. Deinde eadem hy- 24 pothesis quandoque vera est respectu illorum, qui fuêre quidem toto Anno strenui lurcones, & bibones, sed postquam in Paschate e.g. suam adeò frequentem temulentiam fuêre cum singulari proposito integræ emendationis confessi, semel in hebdomade Paschali biberunt usque ad ebrietatem, ita tamen, ut edormitâ crapulâ mirentur, se, præter omnem suam

suam opinionem factos fuisse ebrios; quidni enim, quando postmodum se de ista ebrietate accusabunt apud Confessarium, hic credat iis asserentibus, se non habuisse animum se inebriandi, nec cogitâsse prudenter de periculo? maximè si addant, se, eò quòd illa hebdomade Paschali ita decepti fuerint, postmodum omnem fugisse, & effugisse temulentiæ occasionem?

25 Quapropter malo cum Regin. *Lib. 22. n. 55.* dicere, quòd ebrietas præter intentionem incursa vix habeat locum in solitis se inebriare, quàm quòd non habeat in iis locum. Et sine dubio hoc ipsum etiam sentit Fumus *V. Ebrietas n. 3.* ubi ait: [Licet DD. dicant, illum, qui frequenter inebriatur, peccare mortaliter, tamen solùm præsumptivè loquuntur, & non ut verè est, præsumitur enim, quòd qui frequenter inebriantur, percipiant virtutem vini.] Unde idem Author rectè præmiserat, etiam illum, qui rer se inebriat, posse titulo inadvertentiæ excusari à mortali.

SECTIO VI.

Deducuntur ex præcedente Sectione Corollaria practica.

SUMMARIUM.

Quando possit, aut non possit Confessarius esse contentus illa Confessione, qua intra duos menses non confessus dicit: Fui bis omnino ebrius? 26.

An si intra bimestre non confessus dicat, se illo bimestri fuisse vigesies omnino ebrium? 27.

Quid si exprimat, duas ex illis ebrietatibus fuisse sibi improvisas? 28.

Quandonam homo Germanus possit cum veritate dicere, se fuisse rarò ebrium? 29.

Quid pronuntiandum de peccato illorum, qui ob infirmitatem cerebri privantur ratione per modicum potum? 30.

Quo puncto temporis committatur internum peccatum ebrietatis? 31.

Quo puncto ebrietas externa? Ibid.

Quid si ebrietas ista contingat una hora post sumptum ultimum poculum? 32.

Necessitas actualis advertentiæ ad malitiam ebrietatis, quomodo applicetur aliis materiis? 33.

26 Corollarium I. Quando pœnitens, qui intra duos menses non est confessus, dicit confessario: *bis ab ultima confessione ita fui ebrius, ut nescirem, quid agerem*, seu: *fui omnino ebrius bis*; fieri potest, ut confessarius meritò sit contentus hac sola confessione, fieri etiam potest, ut meritò non sit contentus. Si enim pœnitens ille sit vir doctus, aut valde prudens, e.g. Sacerdos, vel consul, potest, debétque confessarius acquiescere, & non interrogare, utrùm prævideriť periculum ebrietatis, sed supponere, esse prævisum, quandoquidem tales homines solent vel confessionem talis ebrietatis penitus omittere, quando non fuit ullo modo prævisa, vel sponte, & ultrò dicere, se non advertisse ullum periculum. At verò, quando ejusmodi pœnitens est rusticus, mechanicus, aut rudis, meritò quærit confessarius, an non quando bibebat, timuerit, ne sequeretur ebrietas; constat quippe experientiâ, ferè tot è plebeis hominibus rarò se inebriantibus reperiri, qui præter opinionem inebriantur, quot qui cum prævisо periculo.

Corollarium II. Quando pœnitens, qui in- 27 tra duos menses conscientiam in sacro tribunali non exonerârit, confitetur, se fuisse illo bimestri vigesies omnino ebrium, nihilque ulteriùs addit, debet confessarius esse hac confessione contentus, & supponere omnes illas ebrietates fuisse voluntarias, tum quia ad hoc supponendum inducit authoritas DD. *sect. 4.* relatorum, tum quia debet confessario jugiter in memoria inhærere, & in praxi versari generalis hæc doctrina, quòd videlicet confessarius, quando peculiaris in contrarium ratio non occurrit, prudenter supponat, suum pœnitentem, se, dum peccabat, aut aliquam actionem exercebat, eo modo, quo ad intentionem, advertentiam hujus, aut illius circumstantiæ, eventûs &c. habuisse, quo solent ejusdem cum illo conditionis, ætatis, educationis homines, *Argum. Leg. In obscuris ff. De Reg. Iur.* ubi dicitur: *In obscuris inspici solet, quod plerumque fieri solet.*

Cùm igitur constet experientia, & auctoritate Doctorum suprà nominatorum, cujusque conditionis homines, qui ebrietati assueverunt, solere, priusquam inebrientur, habere sufficientem advertentiam periculi, potest, & debet confessarius, quando peculiaris in contrarium ratio non occurrit, de illo pœnitente, de quo in hoc Corollario loquimur, judicare sicut judicandum esse diximus, adeóque nil ulteriùs interrogare; nisi fortè dubitet, an suus pœnitens per ebrietatem intelligat potiùs crapulam, quàm veram ebrietatem.

Corollarium III. Quòd si quis tamen valde 28 cæteroquin ebrioſus, ultro, & sponte dicat, se quidem duodecies ab ultima ante mensem confessione, fuisse planè ebrium, primas tamen duas ebrietates evenisse sibi præter omnem suam opinionem, & intentionem, debet illi credere confessarius. Cùm enim illos, qui sæpe per vinum excidunt usu rationis, ex sola præsumptione dicamus præsensisse virtutem vini. Fumus *V. Ebrietas. n. 3.* suprà relatus, præsumptio autem nobilior sit attendenda, *L. Quintus. ff. De donat. inter vir. & uxor.* &

præsumptio major tollat minorem *L. Divus. ff. De in integr. restitut. & ibi Gloss. in verb. existimari.* Menochius *De Præsumptionibus. Lib. 1. q. 30.* credere debet confessarius pœnitenti ejusmodi; nam magis præsumendum est, illum dicere verum, quàm omnes, qui assiduè inebriantur, semper inebriari cum sufficiente advertentia periculi.

29 Corollarium IV. Quandoquidem DD. allegati *sect. 4.* fatentur, persæpe fieri, ut, qui rarò inebriantur, inebrientur citra noxam lethalem, ille autem opifex Germanus, qui tantùm semel in mense fuit ebrius, potest dici rarò inebriari, idcirco si ejusmodi homo in Paschate confiteatur, se singulis totius Anni mensibus fuisse semel circiter ebrium, & quidem ferè toties involuntariè, quoties voluntariè, seu cum periculi advertentia sufficiente, non video, cur confessarius non debeat fidem habere tali pœnitenti.

30 Corollarium V. Etsi sunt non pauci, qui ex morbo, contusione, vulnere ita debile caput habeant, ut evadant planè ebrii, si vel duo vitra vini ebibant, quia tamen ejusmodi homines supponuntur, sufficienter nôsse suam miseriam, supponendum quoque est, illos mortaliter peccare quoties duo vitra exhauriunt, nisi fortè eos excuset ea sitis, de qua locuturus sum *cap. 18. sect. 3.* & quæ singulariter id genus hominibus patrocinatur.

31 Corollarium VI. Cùm ebrietatis internæ peccatum admittatur illo ipso momento, quo quis statuit, neglecto temulentiæ periculo, ebibere poculum, ex cujus hausu prævidet secuturam rationis exspoliationem; externæ autem ebrietatis crimen tunc solùm perpetretur, quando reipsa deglutitur ultimus caliculus, qui rationem exturbaturus prævidetur; idcirco internum, & externum, & quidem in taberna peccatum ebrietatis commisisti, si eo, quo dixi, modo bibisti, prævidens mentis turbationem eventuram, non nisi post unam ab illo potu sumpto horam.

32 At inquies: *Quid si primùm post duas horas?* Nihil refert judice P. Laymanno *n. 5. Etiamsi ventus, & aër, in quem progressus sum, promoverit illam mentis turbationem?* Hoc ipsum asserit idem Doctor. *Quid si autem* experientia doctus sciam, vini mensurâ perdi quidem rationem, quando foras progredior, non autem perdi, quando maneo loco concluso? *Eritne mensuræ illius evacuatio in utroque casu, an in neutro crimen lethale?* Ad hanc quæstionem respondebo sequenti sectione.

33 Corollarium VII. ac probè notandum est, quòd scilicet doctrinas relatas *n. 25. & seqq.* applicent nominati Doctores variis materiis practicis, ac nominatim patrationi consuetudinariæ illorum malorum, quæ *cap. 9. n. 44. & cap. 19.* dicam, retinere vel non retinere malitiam objectivam, si absit actualis advertentia, esto illa mala patrentur à non ebrio, sed sobrio, attamen haud advertente malitiam actûs; ut cùm quis assuetus, vel non assuetus contumeliis, detractionibus, turpiloquiis, fraudibus in vendendo, emendo, committit talia non advertens vel à se committi, vel ex iis secuturum unum, aut plura ex malis, quæ solent, aut non solent provenire ex iis peccatis, ut quando e. g. coram uno denigras famam alienam, ille autem unus vulgat, quæ ex te audivit, tu autem non cogitabas vulgaturum.

SECTIO VII.

An mortaliter peccet, qui ebibit mensuram vini, sciens, per illam sibi ablatum iri rationem, si foras fuerit progressus, non ablatum iri, si loco clauso manserit?

SUMMARIUM.

An mortaliter peccet, qui ebibit mensuram vini, sciens, per illam ablatum iri rationem si progrediatur foras, non ablatum iri, si maneat in loco clauso? 34.
Rationes pro & contra tales. 34. & 35.
Excusandus & incusandus est cum distinctione. 36.
Talis peccabit mortaliter, si absque rationabili causa prodeat foras. 37.

FRequentem usum absque dubitatione habet decisio istius quæstionis, non tractatæ ab aliis.

34 Et quidem pro responsione affirmativa facit, quod paulò antè retuli ex P. Laymanno; sunt enim hæc ejus verba: [Tunc homo peccati mortalis damnandus est, si pergat bibere, postquam advertit periculum probabile secuturæ privationis rationis, nisi desistat, esto, quòd mentis spoliatio post unam aut alteram horam, cùm in liberum aërem progrediendum erit, proventura sit.]

35 Pro responsione autem negativa militat hoc argumentum, quòd ejusmodi homo possit proponere, se domi mansurum, & foras non proditurum; quod propositum, & animi decretum efficiet, ut absit probabile periculum secuturæ privationis rationis, ergo non est, cur damnetur peccati mortalis. Confirmatur hæc responsio. Nam si quis vel pedibus captus, vel carcere clausus tantum vini bibat, quantum sufficeret ad auferendam illi rationem, si foras progrederetur, nemo dicet talem peccare mortaliter, nisi eadem illa quantitas vini sit ipsum in suo carcere, aut podagrico lecto hærere coactum spoliatura usu rationis, ergo neque is, de quo proponitur præsens quæstio, dici debet delinquere mortaliter.

36 Ego salvo saniore judicio existimo hîc distinguendum; aut enim is, de quo præsens quæstio instituitur, priusquam illam mensuram ebiberit, constituit manere domi, aut non constituit? Si non constituit, tum omnino videtur habere locum, & veritatem doctrina P. Laymanni. Si constituit, tum, ut reor, neque ipse Laymannus pronuntiabit illum reum noxæ lethalis, propter rationem allatam *n. 34.*

37 *Quid si autem postquam ebibit mensuram, mutato proposito exeat domo?* Peccabit mortaliter, si exeat absque causa rationabili. Nam non licet absque causa rationabili exponere se periculo amittendæ, seu per potum solum, seu per ventum, seu per aliam causam naturalem, proximæ potentiæ ad utendum ratione, amittendæ, inquam, illius per tempus adeò notabile. Vix puto tamen, requiri hîc tam justam, gravémque causam exeundi foras, quàm requiritur ad id, ut secundùm dicenda *cap. 18.* licitè quis vinum hauriat cum prævisо periculo ebrietatis; sicuti gravior causa requiritur, ut applicem licitè horreo alieno ignem, quo exustum iri prævideo, quàm ut jam à me, aut alio sine gravi peccato applicatum excitem. Confirmatur responsio doctrinâ, quam suprà *cap. 6. n. 52.* dedi de pariente sibi lethargum.

SECTIO VIII.

An delinquant mortaliter, qui tantum quidem vini, aut cerevisiæ infundunt, quantum ad causandam Ebrietatem sufficeret, attamen priusquam inebrientur, revomunt, quod infuderunt?

SUMMARIUM.

An peccet mortaliter, qui tantum bibit, quantum sufficit causandæ Ebrietati, attamen priusquam inebrietur, removit, quod infudit? 38.
Rationes damnantes hunc porcum peccati mortalis. 39. & 40.
Re tamen verâ non peccat mortaliter. 41.
Sumens venenum ex se lethiferum non peccat mortaliter, si possit retundere vim sumpti. 42.
Animadvertens, quantitatem vini, quam sumpsit, allaturam privationem rationis, si non revomat, laudabiliter agit procurando vomitum. 47.
Imò tenetur ad hanc procurationem. 48.

QUod S. Hieronymus *in cap. 1. Epist. ad Tit.* de sui ævi Iurconibus scripsit, id ipsum de quibusdam helluonibus nostræ ætatis affirmare cogit veritas: *Vomunt ut bibant, bibunt ut vomant; digestio ventris, & guttur uno officio occupantur.* Solent enim hodiéque nonnulli plures vini, aut cerevisiæ mensuras certatim infundere in ventrem, etiam reluctantem, quod autem infuderunt, eructare, priusquam in stomacho sufficienter calefiat; & quia non permittunt moram necessariam concipiendo calori, fit, ut nequeat in cerebrum calidos vapores evibrare, & consequenter non possit inebriare. 38

Quæstio igitur est: *Vtrùm hujusmodi porci, vel canes, ut proprio nomine condecoremus eos, peccent mortaliter, ingerendo tantam copiam vini, aut cerevisiæ, quanta sufficeret, ad illos ter, quaterve inebriandos, si eam non revomerent vi adhibitâ?* Peccare mortaliter suadet hæc ratio, quòd moralia accipiant speciem ab iis, quæ sunt per se, non autem ab iis, quæ per accidens adjunguntur. S. Thomas *2. 2. q. 150. a. 2. in corp.* De illis enim & non de his datur judicium. Atqui illa copia vini per se est talis, & tanta, ut sit sufficientissima ad illos privandos ratione, & ex sese creet naturale periculum temulentiæ; est autem per accidens, quòd hi fœdi bibones cogitent, ejus vim naturalem tam innaturali, & violento modo impedire. 39

Confirmatur. Nam illud non dicitur posse fieri, quod licite fieri nequit. Dynus *in cap. Nemo potest. De Reg. Iur. in 6.* Atqui hi Bacchi nepotes non possunt licitè evomere, quod ingesserunt: tum quia per talem vomitum, utpote violentissimum, graviter lædunt stomachum: tum quia vomunt ideo, ut possint iterum immodicè bibere, quæ intentio est utique prava. 40

Ego etsi horum monstrorum patrocinium ægre suscipio, cogor tamen negare, ab iis, ut sic præcisè, incurri peccatum mortale ebrietatis. Constat siquidem ex suprà dictis, non peccari mortaliter peccato temulentiæ, nisi quando bibitur prævisо morali periculo ebrietatis; in hoc autem casu non prævidetur morale periculum, imò prævidetur non esse morale periculum, quia prævidetur, vinum regerendum priusquam possit nocere rationi. Confirmo hanc resolutionem inde, quòd nemo me damnaturus esset homicidii, si biberem venenum, ex se quidem mortiferum, at à me certò vel ejiciendum per medicinam, vel debilitandum, priusquam grave damnum corporî inferret, de quo casu vide Dianam *Part. 5. Tract. 4. Resol. 38.* & Malderum *De Virtut. Theolog. Tract. 3. dub. 19.* 41

Ad primam rationem in oppositum respondeo, distinguendo illam hoc modo: moralia accipiunt speciem ab iis, quæ sunt per se, si illa 42

quæ sunt per se non possint impediri à libero arbitrio, esto major, si possint impediri à libero arbitrio, negatur major propositio. Atqui vis inebriandi, quæ inest tam intemperato potui potest impediri, & defacto impeditur à libero arbitrio talium viniperdarum.

44 Ad alteram rationem, seu confirmationem dico in primis, nil probari in eo casu, in quo revomunt sine intentione mala. Dico deinde, allata ratione mihi satis verosimile videri, quòd peccent mortaliter peccato ebrietatis, quando illam copiam vini infundunt cum proposito revomendi in eum finem, ut aliud insuper vinum, quod secundùm se sufficientem vim illos inebriandi habet, identidem infundant. Quia tamen proposito revomendi adjungitur planè per accidens iste finis, qui, ut patet ex dictis, est tantùm venialiter malus, idcirco absolutè verosimilius videtur, tales non peccare mortaliter peccato ebrietatis, quamdiu certi sunt, omne exilium rationis actu impeditum iri per prædictam vomitionem. Puto tamen, rarò illos viniperdas esse certos hac de re, quia communiter vel tantum ingerunt, ut vomitus non possit impedire efficaciam vini, vel denique, uti semel, iterúmve canes imitati sunt vomendo, ita sanguisugas æmulantur retinendo, quod postmodum ingesserunt.

45 Dixi autem semper, tales non peccare mortaliter peccato temulentiæ. Nam multi illorum peccant mortaliter, vel quia graviter lædunt sanitatem, & stomachum, vel quia alios suo bestiali exemplo provocant ad violentiam summam inferendam aut stomacho, aut cerebro; & absolutè illos de peccato mortali damnat Antonius Fernandez *in Examine p. 4. c. 2. l. 6.* post hæc scripta visus à me.

46 At fortè quæres: *An, si quis horum turconum vinum revomat præcisè idcirco, ne inebrietur, & cum proposito, non infundendi aliud in locum evomiti, rectè, & laudabiliter agat?* Imò fortè scisciteberis: *Vtrùm non teneatur quis in conscientia per vomitum rejicere ejusmodi immodicam vini copiam?* Resp. I. Si tales peccant, non peccant nisi venialiter. Nam intemperantia, ex qua sequitur vomitus, non est, ut sic, nisi venialiter mala. Cajet. *in Summa V. Gula.*

47 RESP. II. Imò nec venialiter peccant. Nam etsi hic etiam hospes turpiùs, fœdiúsque ejiciatur, quàm non admittatur, quia tamen hostiliter se gerit, & mordere vult ut coluber, cùm priùs blandè intraverit. *Proverb. 23.* meritò ejicitur, priusquam venena diffundat, ut Regulus.

RESP. III. Hac ipsa ratione probatur, laudabiliter agere, qui cùm vident, se vel prudentes, vel imprudentes tantùm meri hausisse, ut si relinquatur in stomacho, moliturum sit, excitaturúmque seditionem, & rationem de sede sua dejecturum, illud foras exturbant oleo, vel tepida aqua infusis, intrusóve digito. Est enim utique honestum, medijs indifferentibus, quale est stomachi evacuatio per os, conservare id, quod est summum in homine.

RESP. IV. Quinimo arbitror, obligari 48 quemque ad id faciendum, saltem in eo eventu, quo probabiliter timet, si revera inebrietur, secuturum grave scandalum, aut aliud malum non leve. Imò etiamsi non timeatur ullum in particulari malum aliud, quàm ipsa rationis exturbatio. Illa quippe est tam fœdum, gravéque malum, quemadmodum constat ex supradictis, ut meritò dicatur, debere impediri longè minore malo, seu incommodo, quale est vini ingesti egestio per os, esto fiat cum cruciatu stomachi.

K.

CRIMINUM ET MALORUM EBRIETATEM IPSAM COMITANTIUM &c.

CAPUT IX.

De peccatis, & malis, quæ in ipsa Ebrietate patrantur.

SECTIO I.

An mala in Ebrietate patrata sint peccata?

SUMMARIUM.

Quid intelligatur nomine malorum, quando est quæstio de malis comitantibus, aut sequentibus Ebrietatem? 1.
Vtrùm, quando ea mala patrantur in ebrietate involuntaria, debeant vocari peccata? 2.
Quid si ebrietas fuerit quidem voluntaria, attamen illa mala non fuerunt prævisa? 3.
Differunt hæc duo: esse peccatum, & Imputari ad culpam, Ibid.
Vt aliquid vocetur propriè peccatum, debet tunc, cùm patratur, pendere ab actuali influxu libertatis. Ibid.
An saltem tunc sint peccata, quando & fuerunt prævisa, & ebrietas fuit voluntaria? 4.
Sitne de re, an solùm de nomine lis inter negantes, & asserentes talia esse peccata? 5

Quid

Quid rationem peccati propriè dicti habeat in illo homine, qui patravit homicidium in ebrietate, prævisum autem ante ebrietatem? 6. & 7.
Proponuntur, & solvuntur argumenta contra veram sententiam dicentem, solam voluntariam sumptionem poculi allaturi Ebrietatem, dici debere propriè peccatum. 9. & seqq.
Cur tunc primùm vocetur homicida, quando ex vulnere lethali moritur percussus iniquè? 10.
De generali consuetudine non punitur affectus, si non sequatur effectus, 11.

1 QUæres I. *Quid nomine malorum hic intelligatur?*

RESP. Omnia, & sola mala moralia, quæ ab ebriis proveniunt, seu omnes illæ actiones, & omissiones, quæ saltem quando fiunt à præditis sana mente, vocantur peccata.

2 Quæres II. *Vtrùm quando illa mala patrantur in Ebrietate omnino involuntaria, vocanda sint peccata?*

RESP. Non scio, qui vocet, scio autem negari à S. Thom. 2.2. *q.* 150. *a.* 4. & ab aliis communiter. Ratio est, quia, ut S. Augustinus *Lib. 1. Retract. Cap. ult.* loquitur, *usque adeò peccatum malum voluntarium est, ut non sit peccatum, si non sit voluntarium.* Atqui quando ebrietas non fuit ullo modo voluntaria, tunc mala inde secuta non sunt ullo modo voluntaria, cùm non sint voluntaria neque in se, utpote facta ab impote rationis, neque in causa, utpote involuntaria.

3 Quæres III. *An sint peccata, quando Ebrietas fuit quidem voluntaria, & culpabilis, attamen illa mala non fuerunt ullo modo prævisa?*

RESP. Neque ut sic sunt propriè peccata. Ratio petitur ex mox dicendis. An verò saltem imputentur ad culpam? explicabo *Sect. 3. Estne ergo aliud, esse peccatum, aliud imputari ad culpam?* Esse aliud, inde probatur, quòd etiam illa mala, quæ prævidentur committenda in ebrietate voluntaria, negent esse propriè peccata Lessius *cit. Lib. 4. De Iust. & Iur. cap. 3. n. 29.* & P. Dicastillo *Lib. 1. De Iust. disp. 3. n. 137.* cùm tamen neque hi Doctores, neque ullus alius neget, imputari ad culpam, quando sunt prævisa. Et ratio est, quia ut aliquid propriè dicatur peccatum, debet tunc, cùm fit, pendere ab actuali voluntatis influxu. Cardinalis de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. disp. 16. n. 459. & 460.* At verò ut aliquid imputetur ad culpam, sufficit modò augeat malitiam interiorem voluntatis, faciátque hominem magis reprehensibilem, magis punibilem. Atqui potest facere magis reprehensibilem, magísque punibilem, etiamsi non pendeat tunc, cùm fit ab actuali influxu voluntatis, modò videlicet sit prohibitum ex se, & à voluntate impedire debente, ortum mediatè acceperit. Quapropter talia mala moralia oportet nominare *effectus* peccatorum, non autem *peccata*, ut observant Lessius, & Dicastillo, aliíque infrà referendi.

Quæres IV. *An ejusmodi mala tunc saltem sint* 4 *vocanda peccata, quando & ebrietas fuit voluntaria, culpabilisque, & fuerunt perfectè prævisa?*

RESP. Etsi utique saltem multa illorum, si non omnia imputantur ad culpam, ut declarabo *sect. 3.* attamen nullum illorum est propriè, & formaliter vocandum peccatum. Vasquez *2.2. disp. 73. n. 46. & disp. 94. cap. 3.* Lessius, Dicastillo *ll. cc.* multique alii contra alios apud Vasquez. Ratio à priori est, quia ad conceptum peccati propriè dicti spectat libertas actualis, ut rectè notant citati cum Cardinali de Lugo *cit. disp. 16. sect. 9.* & suppono ex Prima Secundæ; atqui in ebrio non est actualis libertas, ergo nullæ ejus actiones, vel omissiones debent, aut possunt propriè dici peccata.

Quæres V. *Vtrùm sit lis de re ipsa, an de solo* 5 *nomine inter eos, qui negant, & asserunt, talia mala, in casu, quem posuimus quæst. præced. esse peccata?*

Respondent Lessius, & Dicastillo, esse litem de nomine. Quibus ego assentior respectu illorum, qui cùm negent, hæc esse propriè peccata, ajunt tamen esse necessariò confitenda: at verò respectu illorum, qui idcirco negant, hæc esse confitenda, quòd negent esse peccata, valde realis controversia intercedit. Et quia his postremis accedam *sect. seq.* hinc aio, me non sola voce, sed realiter dissentire ab asserentibus, hæc esse peccata.

Quæres VI. *Quid ergo rationem peccati pro-* 6 *priè dicti habeat in homine illo, qui in ebrietate voluntaria patrat homicidium probè prævisum?*

RESP. Facilè intellectum iri, si observentur quatuor actus, qui à tali homine exercentur, & ad præsens institutum faciunt. Primus actus est propositum, seu voluntas se inebriandi, quam habet ille neglecto periculo homicidii. Secundus est ipsa actualis deglutitio ultimi poculi, ex quo prævidetur sternenda ratio, quæ ob priora pocula jam vacillabat. Tertius est ipsa vini operatio, qua ex stomacho evaporatum in caput, sopit actualiter rationem. Quartus est ipsa actualis immersio gladii, e.g. in alterius cor, ex qua mox hic moritur.

Primus actus est totius mali origo, propriis- 7 simèque peccatum internum, non modò sobrietati, sed etiam justitiæ repugnans, utpote qui continet in se formaliter malitiam ebrietatis, & homicidii. Secundus est etiam propriissimè peccatum externum; nam illa de-

glutitio vini, allaturi certam ebrietatem, & est prohibita à lege naturæ, & in actu secundo jugiter pendet à primo actu, quoniam voluntas se inebriandi potest singulis momentis corrigi, & proinde singulis momentis impediri libera deglutitio vini. Ergo negari nequit, nec à quoquam negatur, quin illa sit propriè peccatum. Quamquam etiam verum est, illam sumptam cum primo actu efficere, seu constituere integrum, & completum peccatum ebrietatis.

8 Tertius actus est effectus primi, & secundi, non autem est peccatum, quandoquidem postquam vinum conscendit caput, non est in potestate hominis. Quartus denique est effectus omnium trium, ita tamen, ut dum est in fieri, non pendeat ab actuali libertate occidentis; cùm enim supponatur esse ebrius, in ebrio autem non habeat locum libertas moralis, utpote necessariò pendens à ratione libera, fit, ut non possit illa gladii immersio in cor, aut jugulum alterius dici, pendere ab actuali, & præsente libertate, licèt utique pendeat à præterita.

9 At inquies: *Omne homicidium injustum est peccatum; illa autem immersio gladii est homicidium injustissimum, ergo est peccatum.* Resp. est peccatum vel in se, vel in causa; & hoc ipso, quòd aliquando sit peccatum in sola causa remota, non est tunc propriè peccatum.

10 Nec obstat, quòd tunc primùm quis incipiat verè, & propriè denominari homicida, quando moritur is, quem lethali ictu vulneravit. Respondeo enim, denominationem homicidæ includere duo, scilicet actionem ex parte hominis, & passionem ex parte passi, seu positionem termini ultimi, qui est mors. Quamvis igitur aliquis tunc non vocetur propriè homicida, quando vel se inebriat cum prævisо periculo homicidii, vel ensem infigit in cor alterius, jamjam inde morituri, hoc tamen non est ex defectu actionis, nam ex parte sua erat posita actio necessaria, sed est ex defectu termini ultimi, qui postea ponitur sine nova actione proveniente ex parte ebrii homicidæ; postquam etenim immersit gladium in cor innocentis, mox sequitur mors, etsi nil amplius agat ebrius. Quare non est verum, quòd tunc occidat, quando alter moritur, sed quòd tunc ponatur terminus, ratione cujus est verum jam, quòd antea occiderit, eo sensu, quo S. Augustinus *in Psalm. 63.* dixit: quòd Judæi tunc occiderint Christum, quando clamabant: *Crucifige, crucifige.*

11 Instabis: *Si non moreretur ille, de quo hic disputamus, tunc ebrius non incurreret excommunicationem, siqua in homicidas sit lata; atqui excommunicatio non incurritur, nisi propter peccatum, ergo revera tunc peccat ebrius, quando alter moritur ex vulnere.*

RESP. Negando consequentiam, quia etsi tunc non peccet, incurrit tamen excommunicationem, & irregularitatem propter peccatum præteritum, quòd tamen Ecclesia non vult punire, nisi posita tali conditione effectûs secuti. Nam de generali consuetudine non punitur affectus, si non sequatur effectus. Pyrrhus Corradus *in praxi dispensationum Lib. 8. cap. 9. 13.* post Alexandrum *Lib. 1. Consil. 5. n. 2.* cùm tamen posset utique Ecclesia, si vellet, etiam non secuto effectu plectere excommunicatione, & irregularitate omnem illum, qui deliberatè se inebriat, sciens, se in ebrietate consuescere obvios petere ferro. Cæterùm de illo Pyrrhi pronuntiato vide insigniter differentem, & circa atrocissima scelera in foro sæculari id negantem Julium Clarum *in Pract. Crimin. q. 92.*

SECTIO II.

An mala in Ebrietate commissa oporteat confiteri?

SUMMARIUM.

Sintne confitenda illa mala, quæ patrantur in Ebrietate? 12.
An saltem tunc sint confitenda, quando Ebrietas fuit Voluntaria, & illa mala fuêre prævisa? 13.
Falluntur, qui censent, talia esse peccata non solùm objectivè, sed etiam formaliter. 15.
Quomodo igitur oporteat confiteri iniquam occisionem factam in Ebrietate voluntaria? 16.
Et singulariter, quando homicidium est casus reservatus? 18.

QUæres I. *Vtrùm sint illa mala, de quibus sect. præced. necessariò in Sacramentali Confessione aperienda?* 12

RESP. Non esse, cum neque sint peccata, ut probavi, neque imputentur ad culpam, ut ostendam *sect. seq.* Confirmatur hæc responsio à fortiori ex responsione ad sequentem quæstionem.

Quæres II. *Vtrùm saltem tunc non sint confitenda necessariò, quando Ebrietas fuit voluntaria, fuerintque illa prævisa secundùm dictanum. 4?* 13.

Respondeo ita quidem videri multis, quos sequitur P. Ferdinandus de Castro Palao *Tom. 1. Tract. 2. disp. 1. Punct. 4.* At rectiùs negari à Cardinali de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. cit. disp. 16. n. 440.* & multis aliis, quos nominat.

Ratio à priori, & fundamentalis est hæc, quòd teneamur confiteri sola peccata propriè dicta, ut patet ex doctrina Concil. Tridentini *sess. 14. toto cap. 5.*, ubi ex instituto declaratur, quæ-

14 quænam sit materia necessaria Confessionis, nec aliud unquam ibi dicitur, quàm quòd *peccata, & illa, per quæ nos Deum mortaliter offendisse meminimus*, sint confitenda. Atqui illa mala, de quibus præsens quæstio instituitur, non sunt peccata, ut ostendam *sect. seq.* multò minùs per illa mortaliter Deum offendimus; nam planè absurdum est dicere, quòd ebrius tunc mortaliter offendat Deum, cùm hominem occidit; ergo non sunt necessariò confitenda.

15 At inquies: *Praxis probarum virorum, & Confessariorum docet esse necessariò confitenda.* Respondet rectè P. Theophilus Raynaudus *in Morali Disciplin. disp. 4. q. 1. n. 119.* esse praxin imperitorum, nitentem falso fundamento, quòd hæc talia sint mala non solùm objectivè, sed etiam formaliter.

16 Quæres III. *Quomodo igitur oporteat confiteri homicidium, e.g. in plena ebrietate commissum?*

RESP. Sufficit per se loquendo, si dicat: me voluntariè inebriavi, prævisо periculo homicidii committendi; nec opus est confiteri, quòd inflixerit vulnus lethale, ut ostendit allata ratio.

17 Unde nec maritus, qui in temulentia uxorem, & liberos indignissimis modis decies habuit, tenetur dicere, quòd illos tam malè habuerit, e.g. pedibus conculcârit, domo ejecerit nocte intempesta; sufficit modo dicat: *decies me inebriavi cùm foleam uxorem, & liberos in ebrietate barbarè tractare.* Et si in illis decem ebrietatibus illos tantùm sexies barbarè habuisset, sufficeret hæc ipsa, quam dixi Confessio. Non ideo tamen ille, qui sobrius notat plagis innoxiam uxorem, sufficienter confitebitur, si se accuset de sua improba consuetudine; quia omnes ictus, quos in uxorem vibrat maritus sobrius, sunt vera peccata, utpote pendentia ab actuali libertate voluntatis. Plura de confitendis effectibus peccatorum tradidi proprio loco, id est in Experientiis *Tract. 6. Cas. 14. n. 348. & seqq.*

18 Quæres IV. *An etiam tunc ille homicida, de quo quæst. præced. fat bene confiteatur, casu, quo homicidium est casus reservatus, à quo nequeat absolvere is, cui confitetur.*

Respondeo: Clarum est, talem confessionem non fore tunc legitimam, eò quòd fiat non habenti potestatem absolvendi ab homicidio. Idem dic, si homicidium esset sub excommunicatione prohibitum, à qua non posset absolvere Confessarius, cui talis homicida confiteretur. Cæterùm rectè cum Vasquez advertit Cardinalis de Lugo, regulariter expedire, ut effectus ebrietatem consecuti exprimantur, atque ideo non esse pœnitentes impediendos, sed relinquendos in hoc usu, quia hoc modo explicatur meliùs malitia actûs præcedentis, & intelligitur meliùs status pœnitentis, & an habeat obligationem aliquam restituendi, vel incurrerit, censuram, vel casum reservatum, & quæ remedia oporteat ei applicare.

SECTIO III.

An mala, quæ ebrii committunt, imputentur eis ad culpam?

SUMMARIUM.

An mala in Ebrietate patrata imputentur ad culpam tunc, cum actu ipso patrantur? 19.
An saltem tunc, quando hauritur poculum allatarum Ebrietatem? 20.
Quid si Ebrietas fuit involuntaria? 21.
Quid si voluntaria quidem, at mala non fuêre prævisa? 22.
Non datur judicium de re aliqua secundùm id, quod est per accidens. Ibid.
Quid si illa mala soleant patrari ob ebrios? 24.
Explicatur mens P. Vasquez contra P. Arriagam. 25.
Illud non imputatur culpæ, quod nec directè, nec indirectè est voluntarium. 27.
Ostenditur clarâ instantiâ, illud non posse dici esse voluntarium, quod non est prævisum. 28.
Refutantur dicentes: Esto non prævideris, debuit tamen prævidisse. 29.
Sæpe ex habitu provenit, ut quis citiùs deliberet, quàm si habitum non haberet. 32.

QUæres I. *An mala, quæ ab ebriis admittuntur, tunc eis imputentur ad culpam, quando actu, & re ipsa committuntur?* 19

Asserunt quidem non pauci, negant autem omnes, quos *n. 4.* sum secutus, & negant utique consequenter. Nam ad culpã nil imputatur nisi peccatum, ergo solùm tunc aliquid culpæ imputatur, cùm peccatur; sed ebrius non propriè peccat, quando quidpiam mali patrat in ebrietate; ut ostendi *Ibidem*, ergo tunc, seu eo tempore, quo actualiter exequitur illa mala, non imputantur ei ad ullam culpam.

Quæres II. *An non saltem tunc, seu illo ipso tempore imputentur ad culpam, quo quis hauriat ultimum poculum, ex quo inebriabitur; seu utrùm tunc non contrahatur malitia illorum, quando deglutitur, & exhauritur poculum, quod allaturum est Ebrietatem?* 20

Ad hanc permagni momenti quæstiõnem respondeo per sequentes conclusiones, magis declarandas in sequentibus sectionibus.

Dico itaque I. Quando ebrietas est planè involuntaria, tunc quidquid in illa mali fiat, 21

ad

ad nullum peccatum, seu culpam id imputatur unquam. Ita docent omnes cum S. Thoma 2.2. *cit. q.*150. *a.*4. Ratio est, quia tunc non pendent ullo modo à libera voluntate, ergo nunquam possunt dici peccata, nec unquam culpæ imputari. Et hæc conclusio vera est, etiamsi quis bene notârit, se nimis multum bibere, modò non præviderit, ebrietatem secuturam ex suo nimio potu. Ratio est eadem, quam adferam pro conclusione sequenti.

22 Dico enim II. Etiamsi ebrietas fuerit omnino voluntaria, & valde culpabilis, si tamen mala, quæ in illa patrata sunt, neque fuerint ullo modo prævisa, neque soleant fieri in ebrietate, tunc non debent ullatenus imputari ad culpam. Hanc conclusionem tradit haud dubiè S. Thomas 1.2. *q.*20. *art.* 5. *in Corp.* ubi sic loquitur: *Si eventus sequens non est præcognitus, tunc distinguendum est: quia si per se sequitur ex tali actu, & ut in pluribus, secundùm hoc eventus sequens addit ad bonitatem, vel malitiam actûs; si verò per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus sequens non addit ad bonitatem, vel malitiam actûs, non enim datur judicium de re aliqua secundùm illud, quod est per accidens, sed solùm secundùm illud, quod est per se.* Ita S. Thomas.

23 Ex quo pro præsente conclusione desumo hanc rationem. Ille eventus non imputatur ad culpam, de quo non potest, seu potuit formari judicium, id est, de quo non potest, seu potuit prudenter cogitari, quòd sit secuturus ex tali, aut tali causa; atqui de illis malis, quæ neque fuerunt ante ebrietatem prævisa, neque solent in ebrietate fieri, non potest, aut potuit prudenter cogitari, quòd sint secutura ex ebrietate, ergo non imputantur ad culpam. Confirmatur hæc conclusio à fortiori ex conclusione sequenti.

24 Dico quippe III. Etsi ebrietas fuerit omnino voluntaria, & valde culpabilis, si tamen mala, quæ in illa patrata sunt, non fuerunt ullo modo prævisa, non imputantur culpæ, esto soleant sequi ex ebrietate. Hanc conclusionem expressè tradit P. Vasquez 1.2. *disp.*127. *cap.*8. *n.*8. in qua disputatione ex professo tractat hanc quæstionem: *Verùm omnia opera aliàs mala, quæ fiunt in ebrietate, sint peccata? & n.*8. *cit.* docet peculiariter id, quod dixi.

25 Nec possum assentiri P. Roderigo de Arriaga *Tom.*3. *disp.*44. *n.*3. asserenti, illam difficultatem: An scilicet opera facta in ebrietate imputentur ad culpam illi, qui se inebriavit? ita tractari à P. Vasquez, non quasi ipsa ebrietas sit gravior ex operibus postea secutis, sed utrùm ipsa opera ratione libertatis, quam homo habuit, dum se inebriavit, sint in se vera, & propria peccata, distincta ab ipsa ebrietate. Nam contra hanc opinionem P. Arriagæ est, quòd ipse Vasquez *cap.*2. *n.*4. neget pro doctrina, quam ibi defendit, rectè allegari Almainum, utpote qui solùm doceat, id, quod accidit in ebrietate, non esse peccatum novum; addit-que P. Vasquez, se de hac opinione Almaini disseruisse *disp.*94. *cap.*3. Et *cit. disp.*127. *cap.*3. *n.*10. ex professo refutat Cajetanum dicentem, ebrietatis ipsius malitiam posse augeri per eventus malos, nullo modo prævisos. Eandem nostram conclusionem ex proposito defendit idem Arriaga *loc. cit. n.*11. Lessius, *Lib.*4. *De Iust. & Iur. cit. cap.*3. *n.*27. Dicastillo *Lib.*1. *De Iust. & Iur. cit. disp.*3. *n.*134. utens verbis Lessii, & Baldellus *Theol. Moral. Lib.*5. *cit. disp.* 30. *n.*29.

Hanc eandem conclusionem certò defen- 26
dunt omnes illi, qui negant, ad malitiam moralem contrahendam sufficere advertentiam interpretativam, cùm scilicet non advertit operans dum potest, & tenetur, sed requiri cognitionem actualem circa objectum, saltem confusam, seu per modum dubii, suspicionis, scrupuli. Pro qua sententia refert Joan. Sancius *in select. disp.*19. ad viginti quatuor Doctores, eandémque ipse sequitur, & scio multis probari, quos inter eminet Cardinalis de Lugo *Tom.*3. *in* 3. *Part. disp.*16. *n.*460. & 541. consentitque Reverendissimus D. & Princeps August. Reding. Theol. Scholast. *Tom.*2. *q.*10. *Controv.* 3. *a.*2. *n.*7. & Stephanus à S. Paulo Theol. Moral. *Tract.*1. *disp.*1. *dub.*2.

Quapropter dubitari non debet, quin hæc sententia, etsi, ut fatear, quod sentio, habeat adversarium S. Thomam, tum *cit. a.*5. tum *cit. q.*150. *a.*4. multósque alios, sit ob authoritatem tutissimam; at ob rationem est adhuc probabilior, ut mox ostendam, ubi retulero verba S. Joannis Chrysostomi *Homilia* 44. *in Gen.* qui adferens causam, cur Patriarcha Loth non fuerit reus incestûs, ait: *Ea enim peccata nos condemnant, quæ scientes, & voluntariè facimus.* Quæ verba firmant nostram responsionem tum auctoritate tanti Doctoris, tum ratione.

Nam illud non imputatur culpæ, quod non 27
est ne indirectè quidem voluntarium, ut omnes supponunt, & patet ex sententia S. Augustini relata *n.*3. æque verbis S. Chrysostomi. Atqui illa mala, de quibus in hac conclusione loquimur, non sunt ullo modo voluntaria, quod sic probo: Illud non est ebrio voluntarium, de quo ipse non potuit cogitare, ut certum est ex definitione voluntarii approbata à Philosophis, & Theologis omnibus; atqui de illis malis, de quibus loquimur, non potuit cogitare ebrius, ergo illa non sunt ullo modo ei voluntaria. Subsumptum, in quo tota difficultas consistit, persuadetur inde, quòd non sit in mea, aut cujusquam potestate, habere primam cogitationem de ulla re, ut per se notum est, ac docet Aristoteles in Ethicis ad Eudemum *Lib.*7.

*Lib.*7. *sub fin.* fusèque declarat P. Vasquez *disp.* 107. *cap.*3. ergo non est in potestate ebrii cogitare de ullis malis, quæ patraturus est in temulentia, quando non præcessit cogitatio illorum malorum, seu quando non fuerint ullo modo prævisa.

28 Huic rationi ex tam universali, & summi momenti principio petitæ addo aliam, petitam ex natura intemperantiæ. Etenim si hodie nulla siti pressus, sed ex mera voluptate ebiberem poculum, mihi ab amico præbitum, & veneno infectum, nemo sanus diceret, me esse mei ipsius culpabilem homicidam, nec quisquam me magis reprehenderet, quòd hodie propinatum ab eo poculum ex mera voluptate, & cum excessu aliquo epotâssem, quàm quòd heri. Ratio autem, hujus rationis, seu cur nemo me hodie magis culpabilem censeret, est, quia hodie tam parum cogitavi de periculo veneni, quàm heri. Et quamvis ille meus amicus consuêsset venenum ponere in potu, si tamen, quando exhibitum ab ipso craterem siccavi, nulla mihi de ejus consceleratâ consuetudine cogitatio suborta fuisset, nemo rectè pronuntiaret, me mihimet necem attulisse culpabiliter; ergo etiam nemo debet ebrio imputare mala, quæ solent quidem ebrietati esse annexa, attamen non fuerunt ullo modo ab ipso prævisa, nec prævideri potuerunt.

29 Dices: *Esto non prævideris, nec prævidere potuerit, debebat tamen prævidere, debebat præcogitare.*

RESP. Hunc esse scopulum, ad quem haud immeritò mireris impegisse tam multos præstantes Doctores, & non vidisse, implicare in adjecto, ut quis debeat id facere, quod non potest facere, cùm impossibilium nulla sit obligatio.

30 Instabis: Quando jus actionem aliquam aggreditur, tenetur utique examinare omnes saltem ordinarias, & consuetas circumstantias, adeóque etiam eventus ex ea actione oriri solitos *Argument. Reg.* 19. *ff. De Reg. Iur. Qui cum alio contrahit, vel est, vel esse debet non ignarus ejus conditionis*; ergo sive ante ebrietatem potuerit quis cogitare de malis, in ebrietate ipsa patrandis, sive non potuerit, tenebatur tamen cogitare. Resp. Tenebatur quidem in actu primo, & remotè, non autem in actu secundo, & proximè; est enim impossibile, ut ego in actu secundo, adeóque sub reatu veri, & actualis peccati, actualisque pœnæ obliger hîc & nunc, ad faciendum quidpiam, quod non possum hîc & nunc facere.

31 Dico IV. Conclusio præcedens est vera, etiam respectu illorum malorum, quæ ipse, qui se sponte ingurgitat vino ad rationis exilium usque, consuevit in ebrietate patrare, modò, ut dixi, de illis nullo modo cogitârit, quando compotationi vacabat. Ita nominatim docet Vasquez *cit. disp.*126. *n.*5. Ratio est, quia fundamentum allatum *num.*19. probat hanc conclusionem, æquè ac præcedentem.

Cæterùm ne doctrina nostra, quæ in infini- 32
tis materiis locum habet, nimium videatur patrocinari hominibus bibentibus iniquitatem velut aquam, notandum est ex Scoto *in* 3. *dist.* 39. *n.*1. quem refert Suarez *Tom.*2. *De Relig. Lib.*3. *De Iuramento. Cap.*8. *n.*10. sæpe ex consuetudine, & habitu provenire, ut homo citiùs deliberet, quàm si habitum non haberet; nam qui est assuetus eliciendis actibus amoris Dei, audito Dei nomine statim prorumpit in ejus amorem, non quia indeliberatè operetur, sed quia citò deliberat, inquit Suarez, inde inferens, non esse *certam* illam Regulam, quæ assignari solet, quòd jurantes ex consuetudine, cæteris paribus, frequentius jurent sine advertentia, quàm alii, qui non habent consuetudinem, sed distinguendas esse personas.

SECTIO IV.

Explicatur adhuc magis, quomodo mala in Ebrietate patrata imputentur culpæ, vel non imputentur?

SUMMARIUM.

Quando adhibuisti diligentiam, ne accideret malum solitum sequi in Ebrietate, non imputatur illud tibi. 33.

Quid si orta fuit suspicio, fore, ut nihilominus accideret, hanc tamen repulisti tanquam irrationabilem? 35.

Quid si occurrant probabiles utrinque rationes de periculo? 37.

Non pecco emendo rem, quam esse, & non esse furtivam, probabile est. 39.

Quid si Ebrietas fuit tantùm venialiter mala, an malum inde secutum imputabitur ad gravem culpam? 41.

33 DIco I. Etsi quis actu cogitârit de aliquo malo à se verosimiliter in ebrietate patrando, si tamen antequam se inebriaret, adhibuit diligentiam sufficientem, ita ut moraliter esset certus, se re ipsa non esse patraturum illud malum, tunc id malum non debet ei imputari ad culpam, esto postmodum præter opinionem sequatur. Ita contra Cajetan. 2.2. *q.*150. *a.*2. docent passim priorum conclusionum patroni post Vasquez 1.2. *dub.* 127. *cap.*3. *cit. n.*8. Ratio est, quia quando homo prudenter præcavet illa mala, non possunt ei imputari, etiamsi postea per accidens eveniant, nec enim tenetur homo omnes eventus

extra-

extraordinarios, & ferè moraliter impossibiles prævidere, & præcavere, ut argumentatur Arriaga. Et, si culpâ caret, qui scit, sed prohibere non potest. Text. *Leg. Culpa caret. ff. De Reg. Iur.* longè innocentior est, qui nec scit, nec prohibere potest. Adde, quòd, qui omnia, quæ oportuit, observavit, culpâ careat. Text. *Leg. Qui occidit 30. ff. Ad Leg. Aquil.* Et culpâ caret, qui, ut damnum non accideret, de contingentibus nil omisit. Text. §. *fin. cap. Si culpa, De Injur. & dam. dat.*

34 *Estne autem par diligentia respectu omnium talium malorum adhibenda?* Respondet rectè Vasquez *loc. cit.* considerandum esse id, quod S. Thomas. 1.2. *q.*20. *a.*5. dixit, an nimirum eventus aliquis frequenter contingat in ebrietate, sive per se, sive per accidens, & tunc peculiaris cura adhibenda est, ne tale quid accidat. At si rarò accidat, multò minor cura adhibenda est. Quòd si juxta circumstantias temporis, & loci, nullum videatur imminere periculum tunc non oportet ullam diligentiam adhibere.

35 Dico II. Etsi cogitatio, suspicio, dubium, scrupulus &c. oriatur de aliquo malo committendo in temulentia, si tamen illam cogitationem, suspicionem, dubium, scrupulum &c. quis ejiciat, vel corrigat, persuadendo sibi ob rationes positivas, illam suspicionem, dubium, scrupulum, esse inanem, & imprudentem, tunc tam parùm ei imputatur illud malum, quàm si nunquam ulla de ipso cogitatio occurrisset. Qui hanc doctrinam à Vasquez *loc. cit. n.*8. *in fin.* insinuatam tradat in hisce terminis, non scio, est tamen mihi certa, quia puto esse optimam hanc consequentiam: *imprudenter timeo, hoc aut illud imminere, ergo possum me salva conscientia perinde gerere ac si nulla illius periculi cogitatio, vel metus mihi occurreret.* Cur autem hanc consequentiam putem esse certam, causa est hæc, quòd rerum agendarum, vel omittendarum Regula non debeat esse judicium, vel apprehensio, quæ reputentur esse falsa, sed illa apprehensio, aut judicium, quæ & quatenus habentur pro veris, ac minimè fallacibus.

36 Unde fit, ut quando vel scrupuloso, vel etiam alteri cuipiam venit in mentem, aliquid esse vetitum, possit nihilominus facere id, quod cogitat esse vetitum, modò prudenter, id est, sine præcipitatione, sed prout circumstantiæ loci, temporis, negotii &c. exigunt, sibi ob rationem non levem persuadeat, illam cogitationem esse inanem, & fundamento destitutam. Vasquez 1.2. *disp.* 67. *cap.* 1. Sanch. *Lib.* 1. *Moral. cap.* 11. *n.*10.

37 *Quid si autem occurrant rationes pro utraque parte ita ut probabile videatur, hoc aut illud malum in ebrietate eventurum, & similiter probabile videatur non eventurum? An tunc etiam non imputabitur illud malum, si eveniat?* Resp. Neque hanc quæstionem decidi à Doctoribus, sed tantùm generatim dici, ea mala imputari, quæ verosimiliter putantur eventura, seu de quibus est verosimile periculum, ut nominatim loquitur Armilla *Verb. Ebrietas*, aliique plures partim de hac ipsa determinata materia differentes, partim de casu, quo quis bibit, prævisо periculo ebrietatis, partim de casu, quo quis per gulam adfert grave nocumentum valetudini, vel certò advertens, vel probabiliter, & rationabiliter timens, ut videre est apud Baldellum *cit. Lib.* 3. *disp.*28. *n.*8. Lessium *cit. cap.*3. *Lib.*4. *num.*4. Reginald. *Lib.*22. *n.*88.

38 Puto tamen, sicuti non peccaret quis, exponendo se periculo committendi in ebrietate aliqua mala, si probabiliter judicaret, se non peccare adeundo tale periculum, esto simul etiam putaret admitti speciale peccatum per talis periculi susceptionem voluntariam, ita etiam fortasse non peccare (ratione periculi) qui se inebriat, judicando esse probabile, quòd ex sua ebrietate secuturum sit hoc, aut illud speciale malum, modò simul eriam judicet, esse quoque probabile, quòd non sit secuturum illum malum; nam non satis video, cur licitè possit quis se accommodare alteri opinioni practicæ, & non etiam alteri speculativæ.

39 Unde etiam non semel docui, me licitè emere rem, quam probabiliter censeo esse furtivam, modò etiam simul sit probabile mihi, eam non esse furtivam. Verùm quia hìc potest adferri disparitas, & in re tanti momenti non oportet contraire tam claris locutionibus Doctorum, idcirco malo absolutè damnare peccati mortalis illum, qui in prædicto casu exponit se discrimini probabili unius, aut plurium malorum.

40 Et cur, obsecro, ebriosis patrocinemur, nisi ad id compellat clara veritas? Equidem non eam excusationem meretur, qui rei illicitæ operam navat, quàm, qui licitæ, sicuti de se licita est emptio e.g. Certè malitiis indulgendum non est, inquit Celsus *L. In fundo* 38. *ff. De re vindicat.*

41 Dico III. Quando ebrietas est tantùm venialiter mala, seu si solùm venialiter peccâsti te inebriando, malum inde secutum imputabitur tibi ad culpam duntaxat venialem. Lessius *n.*26. & ex illo P. Dicastillo. Ratio est, quia ut bene advertunt hi Doctores, illud malum (v.g. homicidium in ebrietate commissum) non est in seipso voluntarium, seu liberum, cùm fiat ab homine destituto rationis usu, sed solùm est voluntarium in causa, videlicet in ebrietate; ergo nequit majorem culpam contrahere, quàm ipsa causa, seu ebrietas hìc, & nunc contineat. Suppono autem, quòd contineat culpam solùm venialem, ergo & homicidium

cidium, quantumvis injustissimum, erit solùm venialiter malum.

42 Dico IV. Per se loquendo ille ratione etiam periculi peccat mortaliter, qui se inebriat voluntariè, advertens periculum mali gravis in ebrietate patrandi. Ita omnes. Ratio est, quia communi judicio omnium hominum censetur talis velle illud grave malum, seu esse illi indirectè voluntarium; & qui occasionem damni præstat, damnum dedisse videtur. *L. Qui occidit. §.3. ff. Ad leg. Aquil.* Hinc fit, ut qui se voluntariè inebriat, prævidens periculum verberandi uxorem graviter, sit reus duplicis peccati lethiferi, scilicet ebrietatis, & iniquæ percussionis, sive reipsa sequatur illa percussio, sive non sequatur.

43 Dixi autem: *per se loquendo*; nam per accidens fit, ut vel nullum peccatum admittatur, ratione prævisi periculi, vel tantùm veniale. Nullum, quando malum prævisum definit ratione ebrietatis habere malitiam objectivâ, ut explicabo *sequenti Sectione.* Veniale autem, quando tantùm levis dubitatio de illo periculo incessit, & per venialem negligentiam major deliberatio fuit prætermissa. Lessius *num.*28. & ex illo Dicastillo. Ratio est, quia sicuti generatim loquendo, potest rei gravissimæ, & scitu valde necessariæ dari ignorantia vincibilis, quæ sit tantùm venialiter mala, ut suppono ex sententia, ideo apud me certâ, quòd possit utique fieri, ut quis non nisi imperfectè advertat, à se non adhiberi diligentiam tantæ rei cognoscendæ necessariam, ita etiam potest hìc fieri, ut committatur solùm venialis culpa in disquirendo, utrùm hoc, aut illud malum sit ebrietatem comitaturum, vel secuturum. Qua veniali culpâ positâ, non potest illud malum vocari perfectè voluntarium, sed tantùm imperfectè. Unde etiam fit, ut quis possit non plusquam venialiter peccare occidendo casu innocentem, si videlicet adfuit tantùm venialis negligentia in examinando periculo.

SECTIO V.

An omnia mala, quæ quis clarè prævidet, se in Ebrietate patraturum, imputentur ipsi ad culpam, si se inebriet?

Brevis est, non summatur.

44 AD propositam in titulo quæstionem Auctores communiter respondent negativè, post Majorem, & Vasquezium *cit. disp.* 127. *num.*11. Duas rationes pro duabus classibus talium malorum assignat Vasquez *loc. cit.* & Tanner. *Tom.*2. *disp.*4. *q.*3. *num.* 56. Primam, quòd multa ex illis malis in æstimatione hominum non censeantur injuriosa, e.g. dictum contumeliæ, ex quo non sequitur ullum alteri detrimentum. Alteram, quòd aliqua illorum malorum non possint imputari, nisi fiant scienter, ut sunt peccata blasphemiæ, infidelitatis, & perjurii. Generalem horum omnium rationem hanc adfert Cardinalis de Lugo *Tomo* 3. *in* 3. *Part. seu De Pœnit. disp.*16. *n.*207. quòd multa ex iis malis, quæ ebrii committunt, hoc ipso, quod ab ebriis, seu ratione privatis fiant, amittant rationem malitiæ objectivæ, quam tamen retinerent, si fierent à præditis ratione. Illa verò mala, quæ etiam ab ebrio commissa retinent suam malitiam objectivam, seu quæ in illis etiam fundant disconvenientiam, ut loquitur Baldellus *Moral. Theolog. Lib.*1. *disp.*28. *num.*24. imputantur culpæ, si eum illorum prævisione quis se inebriavit. Hanc generalem doctrinam declarabo enucleatiùs, *cap.*19. explicando contumelias, blasphemias, & alia communia peccata ebriorum.

SECTIO VI.

Quid censendum de illo, qui ideo se inebriaret, ut tantò animosius verba contumeliosa, blasphema, perjura, hæretica proferret?

SUMMARIUM.

Quid censendum de ejusmodi intentione circa verba blasphema, hæretica, & imprecatoria? 46. & 49.
Quid circa contumeliosa? 47.
Aut perjura? 48.
Aut actiones adferentes damnum proximo? 50.

45 ETsi puto, vix esse quemquam, qui se inebriet ea intentione, quæ in titulo hujus Sectionis indicatur, quia tamen nonnulli graves Doctores hanc quæstionem proponunt, duxi non esse silentio prætereundam. Et quidem inter illos, qui diligentiùs eam pertractant, Joann. Sancius *in selectis disp.*20. *n.*5. tradit sequentia.

46 I. Quando quis mero se ingurgitat eo animo, ut blasphemias, hæreses, maledictiones in temulentia proferat, non velle revera id, quod est blasphemia, hæresis, maledictio; cùm nequeat in ebrio reperiri propriè dicta blasphemia, hæresis, aut maledictio; sed illam depravatam voluntatem se inebriandi ad proferenda verba hæretica, esse peccatum contra fidem, non quidem hæresis, sed infidelitatis, ex

prava affectione ad fidem, vel hæresis reductivè, eo modo, quo ignorantiam fidei, peccatum hæresis reductivè appellat Canarienſis, & alii.

47 II. Qui ſe inebriat ea intentione, ut proximum tantò liberiùs verbis contumelioſis petat, non committere peccatum injuſtitiæ, (ſubaudi externum,) ſed odii erga proximum. Cùm enim contumelia peccatum injuſtitiæ non ſit, nec in dedecus contumeliâ affecti cedat, niſi à rationis compote dicatur, idcirco talis non peccat peccato (externo) contumeliæ, ſed odii.

48 III. Cùm neque in injuriam, aut dedecus Dei cedat, illum in falſitatis teſtem adducere, niſi fiat à compote rationis, non fore reum perjurii, qui ea intentione ſe inebriat, ut verba perjura proferat, ſed ad ſummum fore contra veritatem, & rectam affectionem ipſius conſtituti in morali occaſione falſa dicendi, nunquam tamen fore contra religionem.

49 IV. Dum aliquis ſe inebriat, animo jactandi contumelias, blaſphemias, aut falſa juramenta tempore ebrietatis, ſi in eo ea jactat, non teneri confiteri, ſe illa jactâſſe, ſed ſatisfacturum confitendo, quòd ſe illo animo inebriaverit. Ita Joan. Sancius, cujus totam doctrinam, per inſertas parentheſes limitatam, & *Capite* 19. diſtinctiùs explicandam approbo.

50 At ponamus, eſſe hominem, qui multiplici experientia compertum habens, ſe temulentum ſolere ſcortari, pugnare, reali injuriâ, & damno alios afficere, de induſtria ideo ſe inebriat, ut hæc peccata tantò liberiùs patret ebrius. Reſpondet Sylvius *in* 2. 2. *q.* 150. *a.* 4. peccata iſta fore graviora, quàm ſi ea committeret extra ebrietatem. Quæ reſponſio nititur generali doctrina S. Thomæ, & multorum aliorum, quòd ignorantia affectata augeat voluntarium, quam tamen doctrinam haud ſanè abſque ratione negant magni Doctores, quos inter conſuli poterit P. Arriaga *Tom.* 3. *diſp.* 12. *n.* 31. Ego nil hîc definio, & parùm omnino intereſt ad praxin, quid hîc dicatur, cùm præſertim ſequar opinionem negantium, circumſtantias intra eandem ſpeciem ſeu non notabiliter, ſeu notabiliter aggravantes, eſſe neceſſariò in pœnitentiæ tribunali exprimendas, ut multis declaro in Experientiis Theolog. *Tract.* 6. *Caſ.* 15.

SECTIO VII.

Ejuſdémne gravitatis, aut ſpeciei peccatum admittat, tam qui ſolùm ſub dubio, quàm qui certò prævidet, ſe in Ebrietate homicidium, e. g. patraturum?

SUMMARIUM.

Vtrùm qui ſolùm ſub dubio prævidit, aliquod malum ſecuturum in Ebrietate, committat idem ſpecie peccatum, quod committeret, ſi certò prævideret? 51.

Miles committens ſe dubio periculo mortis, admittit peccatum ſpecie diverſum ab illo, quod patrat, certus ſe occidendum ſi puguet. 52.

Multi cenſent peccata commiſſa per ignorantiam vincibilem eſſe ejuſdem ſpeciei, cujus commiſſa ſcienter. 53.

51 Quæſtionem oppoſitam more ſuo valde diſtinctè tractat, & expedit P. Arriaga *Tom.* 3. *Theolog. diſp.* 44. *num.* 10. & 11. reſolvítque in hunc modum: [In hac quæſtione eſt aliquid de re, aliquid de nomine. De re eſt, utrùm tam graviter peccet, qui cum eo dubio ſe inebriat, quàm qui cum ſcientia certa? In quo puncto judico, non ita graviter peccare. Nam minus eſt voluntarium damnû, de quo dubitatur, quàm illud, quod certò prævidetur, quia ſaltem eſt ſpes aliqua quòd non ſequetur, quæ non eſt, quando prævidetur certò. De nomine autem quæſtio eſt, utrùm ob hanc minorem culpam dicendum ſit, duos illos actus inter ſe ſpecie differre moraliter? Certè qui intra eandem ſpeciem nullam volunt eſſentialem inæqualitatem admittere, facilè dicunt, eos differre ſpecie infima, & quidem ſine ullo inconvenienti, peccatum v. g. homicidii eſſe ſpeciem ſubalternam, quæ habeat alias duas infra ſe, quarum una eſt homicidium cum voluntario *certo*: alia homicidium cum voluntario *incerto*, & dubio. Qui verò nolit, ea peccata diſtinguere ſpecie, dicat, intra eandem ſpeciem dari aliquam eſſentialem inæqualitatem, per quam ſolvet eorum peccatorum differentiam.] Ita P. Arriaga, qui mox ſubdit, ſe magis propendere, ut judicet, eſſe hîc ſpecificam diſtinctionem, eò quòd moraliter, & in prudenti hominum æſtimatione longè aliud ſit exponere ſe dubiæ ruinæ, aliud in certam ire, eſto in utroque caſu ſit præter intentionem.

Confirmat verò hic author iſtam doctri-ga nam inde, quòd omnis miles pugnam aggrediens, exponat ſe dubio periculo vitæ, & tamen ille actus eſt ſpecie diverſus ab eo, quo certò ſciens ſe mactandum eidem bello ſe committeret. Unde ſit, ut in ſimilibus caſibus ſæpe

pe liceat aliquid aggredi, aut inchoare ſub periculo, aut dubio damni, cum certitudine verò nullo modo liceat. Sic omnis, qui ſe longæ navigationi committit, profectò illud dubium ſubit, & tamen licitè conſcendit navem. At ſi Deus revelâſſet alicui, illum ſi navem conſcenderit, certò ſubmergendum, ſine dubio peccaret, eam conſcendens; ergo dubium damnum, vel certum ſufficit non modò ad diverſitatem actuum qualemcunque, ſed ad illam, quæ inter actum licitum, & peccaminoſum reperitur, quæ magna utique diverſitas eſt, & ſine dubio ſpecifica, imò & generica ſubalterna. Ita ille.

53 Ex hac Arriagæ ratiocinatione, quæ utique valde veroſimilis eſt, infertur pro praxi, ebrios confitentes, quòd ſe inebriaverint, cum periculo patrandi hæc aut illa mala, teneri exponere, utrùm illud periculum apparuerit ipſis dubium, an verò certum? Quia verò Doctores alii non faciunt mentionem tam diſtinctæ accuſationis, & non dicunt, eum, qui certus de ebrietate ſecutura ex poculo, ebibit illud poculum, teneri ebrietatem ſecutam manifeſtare ſacro arbitro aliter, quàm teneatur is, qui ſub dubio ſecuturæ ebrietatis illud exhauſit, nec pœnitentes ipſi apprehendunt hîc diverſam malitiam, idcirco poteſt meritò quis in praxi recedere ab hac Arriagæ opinione, cùm præſertim permultis arrideat doctrina Vaſquezii *diſp.* 100. *cap.* 4. & 6. tradentis, omnia peccata, ſaltem quæ opere externo conſumantur, eſſe ejuſdem ſpeciei, ſive committantur à laborantibus ignorantia vincibili, ſive ab habentibus perfectam illorum notitiam.

SECTIO VIII.

An, qui patrem ſuum ebrius occidit, poſtea licitè gaudeat hoc parricidio ob hæreditatem inde acquiſitam?

SUMMARIUM.

An qui ebrius necavit Patrem, licitè poſtea gaudeat fuiſſe necatum? 54.

An qui tunc fregit ſibi crus, licitè poſtea gaudeat hoc ſibi eveniſſe? 56.

An liceat etiam optare, ut aliqua mala ex ſe eveniant citra noſtram culpam, & cum noſtro commodo? 57.

Objectum honeſti gaudii eſt etiam objectum honeſti deſiderii. Ibid.

Non tamen eſt fas omnia procurare, quæ fas eſt deſiderare. Ibid.

Refellitur opinatio, & gloriatio Michaëlis Manrique, inſultantis Theologis quaſi ab ipſo triumphatis. Ibid.

Deſcribuntur ejus verba. Ibid.

54 Pater Fagundez *Lib.* 9. *in Decalogum cap.* 4. *n.* 22. ſic loquitur: [Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.] Hanc doctrinam deducit ipſe ex illo vero, & multis perſuaſo principio, quòd ſcilicet, quando ex aliqua actione ſecundùm ſe quidem prohibita, attamen ob defectum deliberationis inculpabili, oritur aliquis effectus bonus, poſſimus licitè gaudere, non ſolùm de illo effectu, ut per ſe clarum eſt, ſed etiam de ipſamet actione prohibita, non quidem quatenus prohibita, ſed quatenus eſt cauſa, vel occaſio boni eventus. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 115. Tanner. *Tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 8. *n.* 142. poſt Adrianum *in* 4. *q.* 4. *De Euchar.* & alios communiter teſte Tannero contra Manrique *quæſt. Vicarial. Part.* 2. *q.* 85.

Cùm igitur ex una parte ſupponatur, illud 55 parricidium fuiſſe inculpabile ob defectum tam deliberationis impeditæ per ebrietatem, quàm præviſionis non antegreſſæ, ex altera autem parte amplæ opes ſint hujus parricidii effectus vel bonus, vel certè non malus, ſit ut illa P. Fagundez doctrina, quæ paradoxa videri poſſit, veritatem habeat ſpeculativam, etſi practicè periculoſam.

Hinc ulteriùs inferes I. Illum nullius pec- 56 cati reum eſſe, qui cùm in temulentia per lapſum fregerit ſibi crus, gaudet id mali ſibi eveniſſe, idcirco, quòd niſi teneretur affixus lecto, frequentaret modo ſolito ganeas, & popinas.

Inferes II. Sicuti licitum eſt gaudere, quòd 57 hi, aut illi mali effectus evenerint inculpabiliter tempore ebrietatis, ita etiam fas eſſe optare, ut eveniant, ſi quo caſu contingat aliquem vino deponi. Vaſquez *loc. cit.* Leſſius *Lib.* 4. *cit. cap.* 3. *n.* 105. & 106. contra Tanner. *Tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 8. *n.* 144. Ratio eſt, quia quod eſt objectum honeſti gaudii, eſt etiam objectum honeſti deſiderii. Et planè peccat Manrique *Part.* 2. *q.* 85. tum in impugnatione doctrinæ hujus, dum ait, ex ea ſequi, quòd liceat ſe interficere propter tædium præſentis vitæ; tum in hoc ſuo ſolemni epiphonemate, quo toties ſibi ipſi canit triumphum de ſtratis à ſe Theologis, dum exarat verba inſultatoria, quæ hoc etiam loco refero. *Patet itaque in hac quæſtione, quòd adhuc Summiſtæ* (ita Azorium, Palaum, Dianam *Part.* 3. *Tract.* 5. *Reſol.* 81. & alios noſtræ ſententiæ patronos appellitat) *in profeſſione ſua decipiuntur; nil ergo mirum, quòd in aliena, & materiis juris labantur.* Sed labitur Manrique à ſuarum inventionum, judiciorúmque nimia æſtimatione in ruinam propulſus; ſicuti & erraret is, qui ex dictis inferret, fas eſſe, ob iſtos eventus optare ebrietatem voluntariam, vel de illa gaudere. Re-

ctiùs inferret, licere optare quandoque inculpatam ebrietatem, ex qua oriretur grande bonum. Vide Caramuelem in Theologia Regulari *n.* 151.

SECTIO IX.

Examinatur unum antecedens, & unum consequens P. Vasquez circa malas actiones ebriorum?

SUMMARIUM.

Sitne verum, quòd ebrii communiter non nisi irritati ab aliis committant actiones ex se malas? 58.
Singulariter an Germani? 59.
An eæ actiones sint communiter à casu? 60.
An eo ipso non teneatur homo eas præcavere? Ibid.
An graviter peccet incitans ebrios ad illas? 63.

58 QUæres I. *Quid sentiendum de hoc Vasquezii citata disp.* 127. *num.* 10. Antecedente: *Ebrii communiter non efficiunt aliquid, quod aliàs esset peccatum, nisi irritentur ab aliis.*

RESP. Rectè illud admitti à Sanchez *Lib.* 1. *Moral. cap.* 16. *n.* 43. tradíque à Cajetano *in* 1. 2. *q.* 50. *a.* 4. etsi à Tannero *Tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 3. *num.* 64. & Arriaga *Tom.* 3. *disp.* 44. *n.* 12. negetur ideo, quòd multi ebriosorum sint ad rixas proni, multi res pretiosas confringant, multi instar ferarum in obvios quosque grassentur.

Verùm hæc ratio non evertit pronuntiatum Vasquezii. Nam sæpe, & rectè dicimus aliquid *communiter* fieri, etsi contrarium illius frequentetur à multis. Certè homines *communiter* non pertingunt ad Annum ætatis septuagesimum; tamen est verum dicere, quòd multi illam ætatem superent. Et duas opiniones contradictorias posse dici communes patet ex Navarro in Manual. *cap.* 27. *n.* 289.

59 Et verò de Germanis possum ego testari id, quod Vasquez, & Sanchez de Iberis, scilicet eos communiter in ebrietate nil mali efficere, nisi incitentur ab aliis. Ut proinde existimem, ne à rigido quidem Theologo posse injungi confessario, ut hominem Germanum, quem aliàs non novit, confitentem: Se fuisse semel, imò ter ebrium, interroget, an non admiserit quidquam mali in temulentia. Nam confessarius non tenetur ex pœnitente scíscitari, nisi ea, quæ ejus ætatis, conditionis, & statûs homines facere (communiter) solent? Tannerus *Tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 7. *dub.* 5. *n.* 91. ex communi persuasione Theologorum. Quamquam reprehendendus non est confessarius, qui ejusmodi interrogationem proponit.

Quæres II. *Vtrùm admittendum sit illud Vasquezii loc. cit. Consequens: Eventus mali, qui accidunt in Ebrietate, communiter sunt à Casu, & ita nec debet ea homo præcavere.* 60

RESP. Licèt verum sit, prædictos eventus esse communiter à casu, seu fortuna, quandoquidem communiter non prævidentur, cùm communiter non contingant. *Suprà n.* 59. & licet proinde ulteriùs verum sit, quòd homo communiter non teneatur eos præcavere, non enim datur judicium de re aliqua secundùm illud, quod est per accidens, sed solùm secundùm illud, quod est per se. S. Thom. 1. 2. *q.* 20. *a.* 3. *in corp.* Qui tamen expertus est, solere se, dum ebrius est, ab aliis efficaciter incitari ad actiones retinentes in ebrietate ipsa suam malitiam objectivam, tenetur aut duplici titulo abstinere ab ebrietate, aut præcavere illas irritationes, seu non inebriare se eo loco, quo prudenter timet, se incitatum iri. Sanchez, Tannerus, Arriaga *ll. cc.* Ratio est, quia aliòquin illa mala censebuntur esse satis prævisa, ergo non rectè à Vasquez vocabuntur casualia; nam Theologicè, & moraliter loquendo, ad effectum casualem requiritur, & non fuisse intentum, & non fuisse prævisum, Argum. eorum, quæ disserit S. Thom. 1. *Part. q.* 22. *a.* 2.

Adde, quòd, si illæ pravæ actiones committerentur à compote rationis, earum malitiam non esset integre purgatura irritatio aliena, ergo nec integre purgat, quando fiunt ab ebrio, qui prævidit irritationem. *Argum. Leg. Qui occidit.* 30. *ff. Ad Leg Aquil.* 61

Hinc deduces, quid censendum sit de plurimis, qui cùm per nimium potum perdidêre usum rationis, nil prorsus incommodi afferunt cuiquam, nisi ab uxore domi, à malis pueris in platea incitentur; tum enimverò in gladios, fudes, & saxa involant, neminíque parcunt. 62

At interrogabis: *Vtrùm graviter peccent ii, qui vino turgentem incitant, provocántque ad mala?* 63

Peccant, qui incitant ad talia mala, quæ etiam ab ebrio patrara, retinent suam malitiam objectivam, seu quæ sunt ejusmodi, ut, si fuêre prævisa, imputentur ebrio ad culpam. Hanc doctrinam leges traditam à Laymann. *Lib.* 1. *Tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 3. ex communi, certáque. Nam ea meritò illis tribuuntur tanquam agentibus liberis, utentibus ebrio, ceu instrumento. Si verò illa mala amittant in ebrietate suam malitiam objectivam, ut sunt verba contumeliosa itémque ira nemini noxia, tum censeo cum Tannero *Tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 8. *num.* 143. loquente de amentium, (quibus æquiparantur ebrii *Cap. Venter. Distinct.* 35.) incitatoribus ad verba blasphema, non peccari graviter per se loquendo, à talibus incitatoribus; nam materialis prolatio ejusmodi verborum non continet per se turpitudinem. Non ergo rectè ab hoc responso dissentit Laymannus *loc. cit.* Vide dicta *sect.* 5. & dicenda *cap.* 19. *n.* 46. *& seqq.*

SECTIO X.

Vtrùm peccata in Ebrietate commissa sint leviora, quàm si à sobrio committerentur?

Brevis est, non summatur.

64 QUæstio hîc est de illis solis malis, quæ clarè prævidentur committenda in ebrietate; jam enim *n.* 5. dixi, mala, quæ solùm sub dubio apprehenduntur, non esse tam gravia, quàm quæ certò prævidentur eventura.

Quæstio item est de illis solis malis, quæ fiunt in ebrietate plenè, & perfectè voluntaria, culpabilíque; siquidem liquet ex dictis *num.* 62. quando ebrietas est minùs voluntaria, mala etiam, quæ in illa perpetrantur, esse minùs perfectè voluntaria.

65 De similibus itaque malis respondeo ex doctrina S. Thom. 2. 2. *q.* 150. *c.* 4. communiter recepta, illorum malitiam diminui, sicuti diminuitur ratio voluntarii; cùm autem ipsa supponantur esse voluntaria solùm in causa, seu indirectè, ejusmodi autem voluntarium sit minùs voluntarium, quàm voluntarium in se, & directè, sit, ut talia peccata ebriorum sint minùs voluntaria, & consequenter minùs malitiæ contineant, quàm si committerentur à sobrio, quia tunc forent voluntaria in se. Haud tamen foret repetenda confessio illius, qui cùm in temulentia patrâsset homicidium, probè prævisum dixisset confessario: Me semel inebriavi; & additâ unius adhuc alteriúsve peccati manifestatione subderet? Commissi voluntarium homicidium; etenim illa diminutio culpæ non est circumstantia necessariò exprimenda.

SECTIO XI.

Ex dictis toto hoc capite colliguntur varia Corollaria?

SUMMARIUM.

Non est verum, quòd illi, qui prima vice inebriavit se culpabiliter, imputentur omnia mala, quæ solent patrari in Ebrietate. 66.
Nec quòd proponenti facere aliquod peccatum reddantur voluntariæ omnes malitiæ annexæ illi peccato. 67.
Faciendum hîc quoque discrimen inter forum internum, & externum. 69.
Quæ mala commissa in Ebrietate retineant malitiam objectivam? 70.
Quæ non retineant? 71.
Malè docuit Henricus, quodammodo infinita mala imputari illi, qui voluntariè fit ebrius. 72.
An qui scit, se solere facere quædam mala, dum est ebrius, imputetur ipsi homicidium, si quod forte tunc admittat? 75. *& seqq.*
Adfertur instantia ex P. Arriaga, declarans ejusmodi dubia. 79.
Non peccat dicens: Vtinam inculpabiliter ignorarem esse diem jejunii, ut possem cenare sine peccato. 80.
Confirmatur generalis doctrina de prævisione necessitate ad contrahendam culpam coram Deo. 83.
Cognitio malitiæ in genere non sufficit ad contrahendam culpam mortalem. 84.

Corollarium I. Non est absolutè approbanda doctrina Cajetan. *in* 2. 2. *q.* 150. *a.* 4. indistinctè pronuntiantis, illi, qui prima vice se inebriat culpabiliter, imputari ea omnia, quæ communiter solent fieri ab ebriis, quia huic periculo probabiliter se exposuerit, etiam si nil cogitaverit de eventibus, qui communiter in ebrietate solent accidere. Idcirco autem doctrina hæc non est absolutè approbanda, quia hoc ipso quòd nil sit cogitatum de illis, non possunt imputari culpæ. Suprà *n.* 40. 66

Corollarium II. Non assentior illis Recentioribus, qui teste Arriaga *Tom.* 3. *disp.* 44. *n.* 2. generatim dicunt, eo ipso, quòd quis se resolvit ad amplectendum aliquod objectum malum, ei reddi voluntarias omnes malitias, quæ sunt tali objecto annexæ, etsi re ipsa non præviderit. Constat quippe ex dictis *n.* 36. hanc generalem doctrinam non posse sustineri salva veritate. 67

Corollarium III. Multò minùs credo Gabrieli, & nonnullis Jurisperitis apud Vasquez *disp.* 124. *n.* 3. unà cum Fumo *Verb. Ebrietas. n.* 1. generatim pronuntiantibus, quoties quis operam dat rei illicitæ, toties imputari ei ad culpam omnes eventus malos, etiam per accidens conjunctos, & nullo modo prævisos; nam falsitatem hujus pronuntiati demonstrant ea quæ *cit. n.* 24. *& seqq.* dixi. Profectò non possunt ejusmodi eventus vocari propriè voluntarii; cur ergo dicantur esse peccata? 68

Corollarium IV. Magna est hîc differentia inter forum conscientiæ, & externum. Nam forum externum, cùm nequeat animi recessus penetrare; cùm ne Papa quidem valeat de occultis 69

cultis divinare. *Cap. Vnic. Vt Beneficia Eccles. sine &c.* procedit sæpe ex præsumptionibus, præsumendo scilicet, probabilitérque judicando, adfuisse notitiam, quæ revera non adfuit, & propter hanc præsumptionem puniendo illum, qui cæteroqui puniendus non esset. At forum conscientiæ, cùm ipsa animi penetralia rimetur, non ita procedit ex præsumptionibus, sed ex ipsa rei veritate; quamquam etiam in ipso foro interno dari locum præsumptioni receptum est apud Theologos Morales.

70 Corollarium V. Peccata exteriora, seu actus externi repugnantes vel justitiæ, vel castitati, retinent, etiam quando fiunt ab ebrio, suam malitiam objectivam. Quare qui prævidit, se in ebrietate admissurum aliquid simile, duplici nomine, & titulo tenetur declinare ebrietatem. Id ipsum pronuntiandum est de multis actionibus contrariis temperantiæ, ut est esus

71 carnium die vetito. Vice versa etsi quis Sacerdos sciat, se solere tempore ebrietatis (de quo casu plura dicam *cap.* 15.) verba consecrationis proferre supra poculum vini, non arbitror, illam prolationem retinere in ebrietate ullam malitiam objectivam; nec enim aut Religioni, aut ulli alteri virtuti per se opponitur illa merè materialis locutio, atque usus sacrorum verborum; quare nec ulli culpæ ea unquam ipsi imputabitur per se, quamquam per accidens ratione scandali fieri potest, ut imputetur.

72 Corollarium VI. Malè docuit Henricus apud P. Paulum Comitolum *Lib. 5. Respons. Moral. q. 5. n. 11.* illum, qui se inebriat culpabiliter, præter peccatum ebrietatis committere alia quodammodo infinita propter circumstantias, & eventus adjunctos, quos neglexit. Nam dicendum est, ab ebrio non contrahi infinitas malitias, cùm neque infinitarum capax sit actus, neque infinitæ occurrant animo, sed tantùm illorum peccatorum malitias contrahit, quorum periculum prævidit.

73 Utrùm verò illæ malitiæ sint dicendæ distincta peccata, ita ut qui se voluntariè inebriat cum prævisione, e.g. trium homicidiorum, sit revera reus quatuor peccatorum mortalium, vel potiùs vocandæ sint duntaxat circumstantiæ ebrietatis, proindéque dicendum, ab illo, qui sciens volens exturbat nimio potu rationem, cum prævisione trium prædictorum homicidiorum, committi unicum peccatum, scilicet ebrietatem, vestitam tribus circumstantiis mortaliter malis? alterius loci est discutere. Saltem ob authoritatem probabile est, esse diversa peccata, & proinde, qui in confessione suam ebrietatem confessus, nil per oblivionem dixit de homicidiis, non teneri in proxima confessione dicere: me inebriavi, prævisо periculo patrandi tria homicidia; sed sufficere, si dicat: scienter me exposui periculo committendi tria homicidia. Imò probabile est, non esse necesse, sponte exprimere distinctum numerum homicidiorum, sed satisfacturum, qui loco trium dixerit: aliquot; nam voluntas patrandi tria homicidia est unicum numero peccatum. Lugo *Tom. 3. in 3. Part. disp. 16. sect. 3. n. 135.* post Megalam, cujus verba refert Diana 1. *Part. Tract. 3. Resol. 17.* contra Suarez *Tom. 4. in 3. Part. disp. 22. sect. 5. n. 36.* Laymannum *Lib. 1. Tract. 2. cap. 10. n. 3.* & alios communiter, securiùs dissentientes quoad expressionem faciendam in exomologesi. Cæterùm non placet, quod Tanne 74
rus *Tom. 2. disp. 4. n. 50.* tam asseverantèr asserit, à Comitolo *in cit. q. 5.* doceri, omnia mala, quæ in ebrietate, etiam casu, & post præmissam summam circumspectionem, cautionémque sequuntur, imputari ebrio, nam revera P. Comitolus non utitur talibus terminis.

Corollarium VII. Non omnino probanda 75
est doctrina Cajetani, qui *cit. a. 4.* sic loquitur: [Reputatur prævisum peccatum, non solùm si sit prævisum in sua specie, puta, quia novit, se ebrium aliis detrahere, aut in suo genere, puta quia novit quis, se ebrium vitio linguæ irretiri, quamvis modò detractione, modò contumelia, modò blasphemia, modò irrisione, modò turpiloquio; sed etiamsi sit prævisum etiam in communi, puta, quia scit, se ebrium in aliquo peccare, licèt nesciat, in quo genere tunc peccabit.] Ita Cajetanus, cujus 76
doctrinam idcirco ajo non esse omnino, seu omni ex parte probandam, quòd insinuet Cajetanus, sufficienter esse prævisum e.g. homicidium, quod planè casu accidit in ebrietate, modò qui illud commisit, antequam se inebriaret, cogitârit, se solere in ebrietate peccare. In primis enim ipsemet Cajetanus paulò infrà docet, peccata, quæ non ab ipsis ebriis, sed ab aliis captantibus tempus, emergunt, nec censeri prævisa, nec imputari culpæ, quoniam talia subterfugiunt humanam diligentiam communiter, qualis fuit incestus Loth, inquit Cajetanus.

Deinde potest fieri, ut qui scit, se solere in 77
ebrietate peccare, temulentus committat aliquod crimen, de cujus periculo si vel tenuissima suspicio mota fuisset, maluisset tota vita manere abstemius, quàm haurire immodicam copiam meri, aut zythi cum suspicione ejusmodi periculi. Certè talis potest rectissimè di- 78
cere, nulla omnino ratione fuisse prævisum. Imò, si quis nôrit, se ebrium consuêsse delinquere vitio linguæ, v.g. detrahendo, secreta revelando &c. si tamen contingat, illum semel in ebrietate jactare horrendam, scandalosámque blasphemiam, cùm nunquam ebrius, rarò sobrius effutierit illam, censeo, talem blasphemiam esse annumerandam non prævisis

visis. Nam potest rectè dici, quòd humanam diligentiam subterfugerit; siquidem humana diligentia, ac providentia non se extendit, nisi ad illa, quæ *fcire cebuimus, posse ex facto nostro verisimiliter contingere*, ut verbis Pontificis *cap. fin. De injur. & damn. dat.* utar.

79 Corollarium VIII. Debet itaque de ebrio exponente se discrimini committendi unum, aut plura peccata in ebrietate, applicari doctrina, quam P. Arriaga *Tom. 3. disp. 13. n. 23.* dat de illo homine, qui nefariè se projicit in puteum, de quo quidem sic pronuntiat iste Doctor. [Dico, huic homini non esse, ne quidem indirectè voluntaria quæcunque mala, quæ in puteo reipsa sunt; sed ea, quæ sub dubio ibi apprehendit, v.g. vel quòd esset suffocandus, vel collum fracturus, vel postea non esset ei futurus liber egressus inde; quæ pericula saltem sub dubio imperceptibiliter occurrere poterant. At si daremus hunc casum extraordinarium, quòd ibi esset locus siccus, & amplus, ac sine ulla læsione cadens inveniret ibi fœminam pulcherrimam, quæ illum incitaret, & de facto induceret ad peccandum, nemo prudens diceret, illum se in puteum projiciendo, peccâsse contra castitatem, exponendo se tantæ tentationi; ergo non fuit ei voluntarium omne malum, quod reipsa ibi est, sed quod ei occurrerat, ut in eo loco possibile.] Ita Arriaga, cujus verbum ultimum intelligendum non est de possibilitate præcisè, sed de possibilitate transitura in actum saltem sub dubio.

80 Corollarium IX. Non delinquit, qui die jejunii dicit: utinam ex oblivione inculpabili comedissem aliquid, ut faciliùs possem servare jejunium: Utinam haberem ignorantiam invincibilem talis præcepti humani, ut libere possem hoc facere. Sic docet Joannes Caramuel *in sua Theolog. Regulari n.* 1051. & meri-

81 tò quidem. Ratio utriusque dicti optima est, quod neutrum desiderium tendat in rem malam seu per se, seu per accidens. Etenim illa comestio matutina non continet in se, & per se ullam malitiam objectivam, nec refertur ad finem malum; cur igitur sit vetitum optare, ut fiat, aut sit ex oblivione, inadvertentia, aut rerum ignorantia prorsus inculpabili? Similiter ignorantia antecedens, seu prorsus inculpabilis caret omni turpitudine, alioqui non foret omnino inculpabilis, si igitur desideretur sine relatione ad parvum finem, non est cur reprehendatur ejusmodi desiderium. Atqui in iis terminis, in quibus versamur, non refertur ad malum finem, non enim est moraliter malum libere, seu sine scrupulo, cruciatúque conscientiæ transgredi ex inculpabili ignorantia, hoc aut illud præceptum merè humanum.

82 Nemo autem hinc rite concludet, fas quo-
que esse procurare inadvertentiam, ignorantiámve rerum prædictarum, ejusmodi enim ignorantia esset affectata, atqui ignorantia affectata veritatis, quam scire quis ex sese tenetur, peccatum est. S. Thom. 1, 2. q. 73. a. 5. re-
receptus ab omnibus.

Corollarium X. Quod *n.* 79. retulimus ex 83
Arriaga, ac sæpius insinuavimus toto hoc capite, de apprehensionis sub aliquo saltem dubio necessitate ad contrahendam denominationem *voluntarii*, applicandum est omnibus, singulísque materiis, atque actibus, omissionibúsque prohibitis lege aliqua naturali, aut positiva; adeóque generalissimè dicendum, nunquam à te peccari lethifere, exercendo, vel omittendo quamcunque demum actionem, nisi illud exercitium, omissionémve præcedat, vel comitetur actus, quo aut suspiceris, opinerísve ejusmodi actionem, seu omissionem esse moraliter malam, aut certè dubites, sitne moraliter mala, seu prohibita nec ne. Ita sanè universim docent, Alexandr. Alens. S. Bonavent. Albertus, Antoninus, Cajetanus, alii, quos referunt, sequuntúrque Vasquez 1. 2. *disp.* 107. *cap.* 3. atque Laymannus *Lib.* 1. *Theolog. Moral. Tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 13. probatúrque illo universali, notóque omnibus principio, quòd nec ignoti sit ulla cupido, nec quidquam sit volitum, quin prægnitum, non poterit ulla consultatio, ulla deliberatio de illo institui, quandoquidem omnem consultationem præcedere debet inquisitio veritatis. S. Thom. 1. 2. *q.* 14. *a.* 1. in c. Quapropter malitia moralis non potest dici esse ullo modo electa, & consequenter nec ullo modo voluntaria illi, qui ne sub dubio quidem, aut scrupulo habet, seu habuit ullam cogitationem de ipsa, esto habuerit de alia circumstantia vestiente objectum malitia maculatum, ut e.g. circumstantia commoditatis temporalis, aut incommoditatis, ut pluribus declarat Vasquez *loc. cit. n.* 9.

Imò ad contrahendam coram Deo noxam 84
lethalem, facientem reum æternæ damnationis non sufficit apprehensio in genere malitiæ moralis, sed requiritur, ut sit apprehensio malitiæ moralis *mortalis*. Sic docet in terminis Tannerus *Tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 5. *num.* 109. atque Diana *Part.* 3. *Tract.* 3. *Resol.* 16. rectè referentes Navarrum *in Manuali Prælud.* 9. *num.* 9. ubi ita expressè loquitur: [Ad hoc, ut peccatum sit mortale, non sufficit, quòd sit contra conscientiam, quæ dictet id esse peccatum simpliciter, sed oportet, ut dictet esse peccatum mortale.] Idem sentiunt Corduba, Almainus, Victoria, apud Vasquez *disp.* 59. *cap.* 3. quantumvis dissentientem. Ratio petitur ex præcedenti fundamento, declarando illam mortalitatem non debere necessariò apprehendi formaliter, sufficit si æquivalenter, ut cùm ap-

prehendit quis actionem illam esse graviter vetitam, aut graviter repugnare rationi rectæ.

85 Nec obstat, quòd talis exponat se periculo patrandi quidpiam à parte rei prohibitum sub mortali, potest enim fieri, imò sæpissime fit, ut homines, præsertim rudes, non apprehendant tale periculum, ac proinde laborent igno-
86 ratione inculpabili illius. Potest autem hæc doctrina confessariis tunc singulariter prodesse, quando excipiunt confessiones complurium Annorum, præsertim sacrilegas, possunt enim insistendo veritati hujus dogmatis omittere investigationem numeri, quem deberent scisciari stando principiis Patris Vasquez.

L.

MALORUM IPSAM EBRIETATEM SEQUENTIUM &c.

CAPUT X.

De malis, quæ transactam Ebrietatem sequuntur.

SECTIO I.

Brevis enumeratio malorum, quæ depulsam Ebrietatem sequuntur.

SUMMARIUM.

Enumeratio malorum sequentium Ebrietatem jam depulsam. 1.
Refertur Casus de Confessario imponente pro pœnitentia inebriationem. 2.
Reprehenditur ille. 3.

1 EBrietas est causa non modò multorum malorum, quæ committuntur ea durante, sed etiam aliorum, quæ ebriosos, jam sibi ipsis, & rationi redditos divexant. Eorum brevem epitomen ex variis scriptoribus collegit Augustinus Barbosa *Tom.2. Collect.* in Jus Canonicum *in cap. A Crapula. De vit. & honest. Clerie.* expressitque his verbis: [Ebrietas aufert memoriam, dissipat sensum, corrumpit sanguinem, obtundit visum, infirmat nervos, obturbat auditum, onerat cerebrum, resolvit viscera, balbutit linguam, confundit intellectum, enervat, & fœdat corpus; omnia membra debilitat, exhaurit substantiam, secreta pandit, libidinem provocat, rixas excitat.] Ita ille. De horum malorum ortu, & malitia proponam quæstiones aliquas sectionibus sequentibus.

Quia verò communissima merces, quæ 2
ebrietatem excipere solet, est capitis dolor, stomachique nausea, duxi, tædium lectoris aliquantulum levandum esse.

LEPIDO SANE CELEBRIQVE FACTO.

QUod hisce omnino verbis narrat gravissimus vir Fridericus Fornerus *de temulentiæ malo Lib.*1. *cap.*10. *Salsus*, inquit ille, *jocus, at verus tamen refertur de quodam Hispano, qui olim Pragæ excipiebat confessiones pœnitentium. Is persæpe pro confessione audiens, nonnullos vino nimio se ingurgitasse, atque ebrios evasisse, quod tamen quidnam rei esset, praxi nunquam expertus erat, modum enim bibendo nunquam excesserat, nec quid ebrietas, quantumve corporis malum, usu didicerat. Doctior ergo evadere, & quidnam homini delectationis adferret illa meri repletio, nôsse anhelans, curat amphoram optimi, atque delicatissimi vini apponi sibi; ac solita juxta bellaria, quæ sitim cient, atque exasperant: orditur bibere, ac heroicè perpotando, non absque insigni difficultate exonerat amphoram. Interea caput fumis è vino vaporantibus, nebula quasi offundi, ædes rotari, manus defluere, pedes labescere, ac naturalem usum omnia membrorum organa perdere. Ingruit porrò plurimarum horarum torpor. Expertus tandem altero die tantùm capitis dolorem integro sævientem triduo toleravit; tantámque nauseam, ac languorem, ut sibimet animo vix constaret. Ergo dolore suo tam acuto, tam vehementi; quid ebrietas esset, edoctus; quoscunque ab eo die ebrietatem confessos audire contigit, non alia, quàm hac injuncta pœnitentia à se absolutos dimisit; vade, & te denuo inebria. Ratus capitis dolorem, qui exinde secutus esset, tantulæ vini illecebræ sat gravem pœnitentiam esse.*

Hactenus Fornerus, qui magno merito po- 3
terat in hujus confessarii extremam, pudendámque insciriam stylum stringere. Insciriam, inquam, qua ignorabat ebrietatem esse crimen, ac proinde haud posse injungi in pœnitentiam Sacramentalem.

SECTIO

SECTIO II.

Verène Ebrietas sit multorum morborum corporalium causa?

SUMMARIUM.

De morbis ebriositatem sequi solitis, quid dicat sacra Scriptura? 4.
Quid Sancti Patres? Ibid.
Quid Theologi? 5.
Quid Medici, & Philosophi? 6.
Sintne graves morbi ita assidui comites temulentiæ, ut hæc propter illos contrahat semper malitiam explicandam in Confessione? 7.
An sperans, se diutius victurum, si vino abstineat, teneatur eo abstinere? 8.

4 QUæres I. *Quid de morbis è temulentia oriri solitis pronuntiet Scriptura sacra?* Verba ejus accipe: *Cui, sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Proverb.* 23. *v.*29.

Quæst. II. *Quid SS. Patres?*

Unum è præcipuis Latinis, alterum è præcipuis Græcis loquentes proferam. Primus est S. Augustinus, qui jam aliquoties indicato *Sermon.*131. *De Temp.* sic differit: *Est in illis* (ebriosis,) *oculorum caligo, vertigo, fatigatio, & dolor capitis; suffusio vultus, omnium membrorum tremor.* Alter est S. Chrysostomus, cujus sententiam *Homil. contra Crapulam Tom.*5. his verbis expressam accipe: *Oculi, nares, & os coriza, tuto, & putredine, & his, qui intus generantur, cænosis, & impuris affectibus sunt plena, & ipsa carnis substantia laxior fit, quàm naturæ proportio requirat, & fœtida, & mutila, & ad omne opus bonum inepta.* Plura, qui hanc in rem ex SS. PP. volet, consulat S. Basil. *Homil. in ebrietatem*, itémque S. Ambrosium *de Elia & jejunio*, reperiet copiosè diserta.

Quæres III. *Quid Theologi?*

5 Loquuntur ut Sancti Patres. Vide Valent. *Tom.*3. *disp.* 9. *q.*3. *p.*2. & Less. *Lib.*4. *De Just. & Jur. cap.*3. qui *n.*20. ex medicinæ principiis ita differit: [Ebrietas corpus fœdum, imbecillum, & morbidum efficit. Hinc enim est oculorum lippitudo, narium coriza, oris graveolentia, anima fœtida, membra tremula; hinc capitis distillationes, tusses, sereatúsque fœdi: hinc apoplexia, paralysis membrorum, articulares morbi.]

Quæres IV. *Quid Medici & Philosophi?*

6 RESP. Galenus medicorum ferè princeps *Lib.*2. *De Temperament.* ita respondet: [Vinum non semper animal calefacit, æquè ut nec oleum flammam semper accendit, tametsi aptissimum est ignis nutrimentum; imò si exiguæ flammæ confertim oleum infundas, suffocabis eam, penitúsque extingues potiùs, quàm augebis. Sic & vinum, ubi plus bibitur, quàm vinci possit, tantum abest, ut animal calefaciat, ut etiam frigidiora vitia gignat, quippe Apoplexia, & Paraplexia, & quæ coros, & comata vocamus, & nervorum resolutio, & comitiales morbi, & convulsiones immodicum vini potum comitantur, quorum unumquodque frigidum est vitium.] Ita Galenus. Sed longè distinctiùs, & prolixiùs Joan. Curio *Lib. De conservanda bona valetudine*, in præcepta scholæ Salernitanæ *cap.*15. Medicis consentit Aristoteles, ut videre est in problematis *sect.*3. *q.*1. 5. 6. 25. itemque *sect.*30. *q.*1.

Quæres V. *Sintne graves morbi ita assidui co-* 7
mites Ebrietatis, ut propter hanc causam Ebrietas sit peccatum mortale?

Videtur ita sentire P. Baldellus. Nam *Lib.*5. *Moral. Theolog. disp.*30. *n.*17. sic loquitur: [Quòd aliquis per inordinatam vini compotationem in ejusmodi morbos aut pericula sponte, ac scienter sese conjiciat, certum est non vacare culpa mortali, & ideo peccatum ebrietatis ex hoc capite est damnandum ut mortale.] Ita ille; cujus doctrina paulò pòst refellenda dat mihi ansam proponendi *sequenti sect.* curiosam quæstionem; priùs tamen,

Quæres VI. *An qui scit, se diutius victurum,* 8
si vino abstineat, teneatur abstinere?

RESP. Non tenetur. Lugo *De Justit. disp.*10. *n.*32. Ratio est, quia non habemus obligationem studendi prolongandæ vitæ, sed tantùm conservandæ per media ordinaria, & abstinentiam ab extraordinariis cibis, potibus &c. notabiliter officientibus valetudini. *Suprà cap.*1. *sect.* 3. Atqui vinum est potus ordinarius, & maximè naturalis.

SECTIO III.

An Clerici ebriosi incurrant censuram Canonis: Si quis suadente?

SUMMARIUM.

Utrùm ebriosi Clerici incurrant censuram Canonis: Si quis suadente? 9.
Rationes asserendi. Ibid.
Rationes negandi. 11.
Concluditur pro parte negativa. 12.
Fortè est hic faciendum discrimen inter Italos, & Germanos. Ibid.

9 RAtio asserendi Clericos ebriosos incurrere prædictam censuram continetur hoc syllogismo: Omnis ille Clericus incurrit censuram Canonis, latam in Clericorum monachorúmque percussores *Cap. Si quis suaden-*

tè

te 17. q. 4. qui se ipsum etiam hausto veneno interficit; atqui omnes, aut saltem multi ex Clericis ebriosis interficiunt se veneno; ergo omnes, aut multi ex Clericis ebriosis incurrunt censuram Canonis. Assumptum tradit Bonac. *De Censuris in communi disp. 2. q. 4. p. 1. n. 13.* ubi cum communi apud Dianam *Part. 9. Tract. 4. Resol. 10.* contra Avilam *De Censuris Part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 12.* docet, ab illo contrahi hanc censuram, qui alicui Clerico venenum præbuit, contrahi, inquam, cùm incipit venenum operari; & *p. 2. num. 4.* addit, quòd Clericus seipsum percutiens incurrat excommunicationem.

10 Subsumptum probatur ex illo *Proverb. 23. Ne intuearis vinum, dum flavescit in vitro, blandè intrat, sed in fine mordebit ut coluber, & quasi Regulus venena diffundet.* Nec dubium est, quin aliqui ex ebriosis Clericis, perinde ac laicis tam intemperanter vinum hauriant, ut æquè citò tollantur è vivis, ac si sumpsissent lentum venenum.

11 Ratio verò negandi, contrahi ab ullo ebrioso Clerico memoratam excommunicationem occurrit multiplex. I. Quòd sit planè in Ecclesia inauditum, quòd quisquam Clericus, qui potu intemperante mortem sibi accersivit, fuerit pro excommunicato habitus; nullus quoque confessarius ullum cuiquam scrupulum ob hanc rem movere soleat. II. Quòd illa Bonacinæ utraque doctrina præsertim prima, sit incerta, negetúrque ab aliis DD. nominatim ab Avila *loc. cit.* III. Quòd non sit paritas inter vini etiam immodici, & veneni sumptionem; nam istud sumitur ea intentione, ut & perimat, & citò perimat, éstque perimendi finis adeò naturalis veneno, ut Doctores cum Ægidio Coninck *De Actib. supernatur. disp. 18. num. 219. junct. 210.* Illud accenseant rebus per se malis; at vinum sumitur tanquam potus quoad substantiam naturalis homini, per se bonus, & in finem valde diversum à morte; & vel nunquam, vel vix unquam fit, ut quis ebriosus advertat, se suo potu sibi ablaturum esse vitam intra tam breve tempus, quod requiritur ad id, ut etiam sequendo opinionem Bonacinæ censeatur quis excommunicationem Canonis incurrere, præbendo Clerico toxicum. Denique quando ex potu nimio oritur morbus lethalis, est communiter ita incertum, utrùm ex solo potu, an verò aliunde proveniat, ut hanc ob causam videatur non posse sub excommunicatione prohiberi ebrietatem lethiferam, sed vel nullam, vel etiam non lethiferam. Certè usu recepta non est ulla ejusmodi.

Ob has, aliásque plures rationes ridendus omnino foret, qui scrupulum excommunicationis cuiquam ebrioso Clerico movere veller.

At inquies: *Quid absolutè respondendum videtur, ad quæstionem num. 9. propositam?* 1

RESP. Quandoquidem incautum est, & malum affirmare, aliquid esse peccatum mortale, quando non probatur sufficiente authoritate, vel evidenti ratione. Gabriel *in 4. dist. 15. art. 2. in fin.* nulla autem sufficiens auctoritas, multò minùs evidens ratio persuadet, illos morbos, quos sub mortali declinare tenemur, tam frequenter, tam certò, támque citò oriri ex plerisque ebrietatibus, ut propter periculum eorum pronuntianda sit ebrietas esse ex se mortaliter mala, idcirco non assentior opinioni Baldelli *citato num. 10.* indicatæ; quamvis utique sit illa doctrina vera respectu eorum, qui experiuntur, sæpius fieri, ut ex ebrietate, aut crapula incidant in graves morbos, quàm ut non incidant. Etenim tales sese conjiciunt in proximam occasionem, & periculum ejusmodi malorum, ut patet ex descriptione occasionis *proximæ* adferenda *cap. seq. n. 8.* quorum tamen sponte adeundorum jus non habent, cùm non sint domini suæ valetudinis. Infrà *num. 14.* Eam ob rem pœnitentes, qui confitentur, se fuisse ebrios, communiter non interrogo, utrùm non causaverint sibi gravem morbum, multò minùs suppono, quòd causaverint. Fortè Baldellus Italus ipse loquitur de ebriis Italis; apud Germanos non est tantum periculum in plerisque locis, quamvis sit in aliquibus, ita tamen, ut non nisi frequentata crapula progignat ejusmodi fœtus, & quidem propemodum in solorum suprà vulgus eminentium corporibus.

SECTIO IV.

An mortaliter delinquant, qui potu nimio podagram, aut chiragram sibi creant?

SUMMARIUM.

Temulentia creat multis podagram, & chiragram. 13.

Quid sentiendum de illo Axiomate: In naturalibus ita peccat mortaliter, privans se, quàm privans alterum? 14.

Peccat mortaliter procreans sibi potu nimio podagram, vel chiragram duraturam octo, vel decem dies. 15.

Dominus membrorum suorum nemo videtur. Ibid.

Confessarius tenetur podagræ obnoxium monere de peculiari peccato contrahendo ob circumstantiam imminentis illius mali. Ibid.

Casus causantis sibi innoxiè augmentum podagræ. 16.

Et medici callentis artem curandæ podagræ, ac nolentis eâ uti ob metum vanæ gloriæ. 17.

Et viri Nobilis, qui podagram causatam nimio potu curat alio etiam excessivo potu. 18.

13 PErmulti è grege bibonum usu minimè jucundo didicerunt, se solere podagra, vel chiragra, vel utroque malo simul corripi, uno alteróve die, postquam nimio vino stomachum, mentémque obruerunt. Inter hos vix quemquam reperies, qui censeat, se graviter delinquere, causando hunc morbum. Quæritur, utrùm non teneantur confessarii injicere ipsis conscientiam peccati mortalis.

14 Ad hanc quæstionem haud dubiè respondebit affirmativè Cajetanus, utpote, qui in *2. 2. quæst. 150. art. 2.* docet, quòd in naturalibus ita peccet mortaliter privans se, quàm si proximum; eíque apertè consentiunt P. Lessius *Lib. 4. De Iust. cap. 3. num. 18.* P. Baldellus *Lib. 5. disp. 30.* aliíque plures. Atqui omnino certum est, illum peccaturum mortaliter, qui podagram, vel chiragram alteri per injuriam causaret.

Ego non existimo, administrationem vitæ, integritatisque corporis, quam Deus homini concessit, esse tam angustis terminis limitatam, ut quis lædendo absque legitima causa valetudinem suam, peccet mortaliter toties, quoties peccaret lædendo alterius inviti. Sicut enim generatim loquendo, qui rerum alienarum est administrator constitutus, non censetur mox peccare mortaliter, si tantam pecuniarum, quarum administrator est, quantitatem injustè vel illicitè expendat, quanta præcisè sufficit ad constituendam materiam furti mortalis, respectu bonorum suæ administrationi nullatenus subjectorum. P. Tannerus *Tom. 3. disp. 4. quæst. 8. num. 118.* nam Theologorum nullus, ut puto, damnabit toties peccati mortalis Clericum, quoties hic è superfluis bonis Ecclesiastici beneficii tantum erogabit in causas profanas, quantum sufficit ad furtum mortale; & Officialem Regis, cui commissa est dispensatio multorum millium ducatorum, intervertentem ex iis centum, vel etiam ducentos absolvit (quamvis haud rectè) Bannes in *2. 2. quæst. 66. art. 6.* apud Tannerum *loc. cit.* à peccato mortifero; ita etiam puto, censendum esse de mala administratione corporis nostri, ejúsque naturalium partium, qualitatúmque.

15 Nihilominus tamen haud dubito, quin mortale crimen contra charitatem propriam admittant, qui potu intemperato procreant sibi chiragram, vel podagram, octo, vel plures dies duraturam. Ratio est, tum quia dominus membrorum suorum nemo videtur. Text. *Leg. Liber. ff. Ad Leg. Aquil.* tum quia non tantùm mortaliter omnium judicio peccaret, qui alicui alteri per medicatam potionem inferret tam diuturnam podagram, sed etiam est ea in se tam grave malum, tótque functiones corporis & animi suapte natura impedit, ut non videatur gravi scelere vacare, qui tam diuturnum malum sibi parit, absque rationabili causa.

Quandoquidem igitur arcanus arbiter conscientiæ est medicus spiritualis *Cap. Omnis utriusque. De Pœnit. & Remiss.* sunt autem partes medici ostendere patienti origines, causásque suorum morborum, ac pro re nata demonstrare, quàm malè consulatur corpori, si causæ illæ ponantur, palàm est, confessarium non integre functurum suo officio, ac munere, nisi suo ejusmodi pœnitenti aut ingerat, aut indicet, insinuétve, graviter offendi ab ipso divinam majestatem, quoties per crapulam (longè magis per ebrietatem plenam) sese præcipitat in discrimen gravis ægritudinis.

Porrò quia in hac Sectione facta est quæstio 16
podagræ, ac damnati de noxa mortali, qui per intemperantiam causant sibi podagram, octo, vel decem dies duraturam, si videlicet sit ejusmodi, ut podagricum reddat inutilem ad functiones ex officio obeundas, aut etiam ad alias suas privatas. Non tamen damno peccati.

Providum Factum.

Illius, seu illum Perillustris, & Generosæ familiæ fundatorem, qui cum ratione officii deberet Anno 1622. obire publicum aliquem actum in conspectu totius Imperii Romani, Comitia celebrantis Ratisbonæ, actum, inquam, sibi & perhonorificum, & perquam lucrosum, inhiberetur autem à podagra, quæ impediebat, quo minùs in publicum prodiret, quæsiit ex Medico: an non suppeteret ipsi pharmacum, quo possent podagræ cruciatus ita mitigari, ut permitterent progressum in pegma paratum? Respondit Medicus, suppetere sibi utique præsentissimum, at eo ita irritatum iri humores podagricos, ut sint postridie crudeliùs multò sævituri quàm aliàs unquam. At nihil territus dicto illo vaticinio sumpsit medicinam. Paulò pòst conscendit locum sibi designatum, atque Maximilianum Bavariæ tunc Ducem proclamavit Electorem Sacri Romani Imperii.

Dico, hunc fuisse immunem à peccato tum quia non nisi ex causa valdè gravi sese exposuit periculo tantæ carnificinæ, tum quia nisi pharmaco fuisset usus, debuisset inutiliter exigere diem, quem ita opportunè in decus suæ familiæ impendit.

Illud forrè alibi discutiemus, (& verò po- 17
stea discussi in Alphab. Quadrupl. *Part. 1. n. 556.*

n. 556. & 557.) utrùm obliget votum, quo non nemo peritus artis consanandi integre podagricos, se obstrinxit, ad nulli vel applicandam, vel indicandam hanc artem, & ideo vovit, ne conjiceret se in periculum vanæ complacentiæ, jactantiæque. Fortè reperiretur Confessarius, qui pro salutari pœnitentia injungeret huic Neoiatro curationem nonnullorum, quorum commiseratio tangeret ipsos etiam lapides, si hi sensu prædíti essent.

Illud autem resolvo hîc, cujus quærendi occasionem dat hic.

Casus Paradoxus.

38 *Æmilius consuevit quidem gravem excessum in potu luere podagra complurium dierum, attamen experitur, si postridie illius gravis excessus rursum bibat ad crapulam usque, impediri, repellique vires hostis parantis invadere pedes, manúsque. Haud immeritò quæritur, sitne ipsi fas uti ejusmodi antidoto.*

Respondeo cum distinctione: Istud mirificum antidotum, cujus à viro Nobili adhiberi soliti testem habeo gravissimum, adferet aut privationem, aut solùm aliqualem turbationem rationis? Si solam hanc turbationem, permittent illi, qui, ut referemus *cap.* 18. *sect.* 2. permittunt potum usque ad plenam ebrietatem, si hic sit necessarius ad morbum præcavendum, curandúmve. At fortè erunt rigidiores, si agatur de plena ebrietate, tum quia fortassis tantundem virium ad propulsandam podagram habet posterior potus, quàm ille prior; tum quia sicuti Jura positiva multa permittunt innocentibus, negant nocentibus, ita etiam naturalia videntur concedere iis, qui absque culpa inciderunt in aliquod malum, modos inde emergendi, quos non indulgent authoribus suimet mali, utpote quibus convenit illud: *Patere legem, quam ipse tulisti*; &: *Exede offam, quam ipse intrivisti.* Postrema decisio hujus heteroclitæ medicinæ esto penes judicium prudentis lectoris, ego non ambigo de potu illo, qui non nisi venialiter sit secundùm se vetitus; videtur enim finis adeò honestus sufficere ad tollendas mediorum labeculas, si non ad labes.

SECTIO V.

Quid pronuntiandum de illis, qui per Ebrietatem causant sibi dolorem capitis, nauseam stomachi &c.

Brevis est, non summatur.

HOsipsos, qui in titulo indicantur, etsi 19
nonnisi ad pauculas horas duraturum hoc malum prævideríntur, debet consequenter damnare peccati mortalis Cajetanus, alioquin ejus principium allatum *num.* 14. non subsistit. At non esse damnandos videtur inde fieri non improbabile, quòd nec ipsi ebriosi soleant de hac circumstantia, malóque eventu suæ ebrietatis accusare, cùm tamen sit communissima appendix intemperantis potûs, nec confessarii videantur illos hac super re interrogare.

Ego quidem non dubito, quin lethifere 20
peccent, qui prævident, ex suo intemperante potu oriturum, pérque sex vel octo dies duraturum capitis dolorem non levem, stomachi nauseam &c. si tamen unum horum malorum non nisi uno die perseverare solet, dubito, an ausim damnare peccati mortalis, propter rationem, quam attuli *n.* 12. Et existimo, difficulter probatum iri, quòd Deus, & natura tam rigidè imperent conservationem integræ valetudinis, ut omnis ille sit peccati mortalis damnandus, qui rei inutili, vel illicitæ operam navat, prævidens inde valetudinem mediocriter turbatum iri per unum diem. Equidem periculosè determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur, inquit S. Thom. *in Quodlibet. 9. a. 15. q. 7.* Vide, quod ex Sanchez referam *cap. 23. num.* 246.

SECTIO VI.

Quid censendum de illis, quos invaletudo orta ex Ebrietate reddit ineptos ad obeunda debita officia?

SUMMARIUM.

Quid generatim censendum de illis, quos invaletudo orta ex ebriositate reddit ineptos ad officia obligatoria? 21.
Hi peccant mortaliter contra justitiam. 22.
Quid si autem fungantur nihilominus iis officiis sed per alium? 23.
Quomodo Concionatores, & Professores teneantur confiteri illam suam negligentiam? 25.
An, & quæ restitutio facienda ratione officii neglecti, ob morbum ab intemperantia causatum? 26.
Et singulariter, quando invaletudo fuit diuturna? 27.
Cuinam tunc facienda restitutio? 28.
An faciendum discrimen inter habentes hebdomadarium, & habentes annuum? 31.

Repe-

21 REperire est non paucos Belli duces, Principum Consiliarios, Senatores, Academicos Professores, Ludimagistros, Canonicos, Cantores, quos vini intemperantia, & inde orta corporis invaletudo ita malè habet, ut jam uno, jam duobus, aut etiam pluribus diebus, atque septimanis inepti sint ad sua officia obeunda, ad quæ tamen ex justitia obligati existunt. De his igitur.

Quæres I. generatim: *An peccent mortaliter contra justitiam ii, qui se inebriant, prævidentes fore, ut per suam Ebrietatem, seu aliàs intemperatum potum, labantur in ægritudinem, quæ sit impeditura ipsos ab executione officii debiti ex justitia?*

22 Respondeo affirmativè juxta doctrinam, quam Sanchez *Lib. 5. Consil. Moral. cap. 1. dub. 33. num. 15.* tradit his verbis: [Nonnulli docti Juniores dicunt, quòd ille, cui ex officio incumbit docere legendo, vel prædicando, si comedat aliquid, quod notabiliter noceat, per magnum tempus impediendo ipsum ab officio, peccat mortaliter, nisi animo constituerit relinquere officium, quia injuriam infert subditis, vel discipulis in re gravi.] Eandem doctrinam exhibet Pasqualigus *in Praxi jejunii decis.* 28. ubi de concionatoribus ita pronuntiat: [Peccant concionatores quadragesimales, quando per cibos nocivos se reddunt inhabiles ad suum munus, dummodo prævideatur inhabilitas ex cibis nocivis, & per tempus considerabile fiant inhabiles. Ratio est, quia si sunt conducti ab aliqua Ecclesia, subtrahunt ipsi aliquid notabile, quod tenentur persolvere, nempe plures conciones, quod censetur damnum considerabile pro illa Ecclesia; si verò non sint conducti, sed concionantur in propria Ecclesia, tunc non solùm subtrahuntur Ecclesiæ cum gravi suo præjudicio conciones, sed etiam Religioni exhibitio debitæ obedientiæ in tali officio.]

23 *Quid si verò per alium concionatorem suppleri posit defectus?*

Respondet Pasqualigus, peccare nihilominus, eò quòd per ipsum non stet, quin inferatur damnum, & ipse de facto non solvat, quod teneretur solvere, sicuti non excusatur à peccato, qui dissipat bona, cum prævisione, quòd non poterit solvere, quamvis alter debitori possit resarcire damnum. Addit hic Doctor, idem dicendum de Cathedraticis, seu Professoribus, eò quòd inferant damnum grave discipulis, quibus tenentur legere.

24 Verùm quia non rarò fit, ut concionator e.g. sciat, suas decumbentis vices ab alio lubentissimo, cum auditorum, superiorúmque omnimoda satisfactione, non modò suppleri posse, sed re ipsa suppletum iri, ideo mihi non probatur universim hæc resolutio Pasqualigi, Argum. Capit. *Scienti, & consentienti. De Reg. Jur. in 6.* Sicuti nec injustitiam saltem mortalem admitteres, si centum aureos, quos sub mortali solvere hodie deberes, dilapidares, interim certus, uxorem tuam, eos pro te repræsentaturam; nam in hoc casu non videretur creditor meritò graviter ægrè laturus tuam dilapidationem, *Argum. Reg. 62. in 6. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.*

Quæres II. *Quomodo prædicti concionatores,* 25
& Professores teneantur confiteri suam intemperantiam?

Respondet rectè Pasqualigus, non sufficere, quòd confiteantur damnum corporale causatum à sua intemperantia, sed etiam damnum, quod inde provenit. Nam adest duplex peccatum, alterum contra sobrietatem ad se ipsum: alterum contra justitiam, dum alteri subtrahitur, quod ei est debitum.

Quæres III. *An ii, de quibus loquimur,* 26
teneantur compensare, seu restituere aliquid ratione neglecti officii?

Pasqualigus *loc. cit. n. 6.* negat de professoribus, & concionatoribus, eò quòd lectio, & concio, qua suos auditores privant, ob morbum ex intemperantia ortum, ita quidem sint auditoribus debitæ, ut tamen sint affixæ diei, & sic transacto die non retinent ii, quibus sunt debitæ, jus ad ipsas. Hæc Pasqualigi doctrina mihi universim probatur quoad illos, qui docent vel concionantur absque stipendio; imò etiam mihi probatur quoad illos, qui accepto stipendio horum officiorum alterutrum obeunt, modò morbus ille, quem nimius potus attulit, non sit vel creber, vel diuturnus. Etsi enim per se loquendo tenerentur compensare, etiam pauculos dies quos negligunt conformiter. *L. Si pecuniam. ff. De Condict. caus. dat.* attamen non videtur ea esse mens illorum, qui fundaverunt stipendia.

Quæres IV. *Quid si infirmitas sit diuturna, e.g.* 27
per mensem, aut valde frequens, ut si ter, quaterve in mense contingere soleat?

RESP. Tunc equidem spectata rei natura tenentur stipendiarii professores facere restitutionem, Argum. cit. Legis *Si pecuniam.* Cùm enim ex innominato contractu: *Do ut facias,* obliget eos veræ, rigidæque justitiæ lex ad munus docendi obeundum cum morali diligentia; hi autem moralem diligentiam ex sua culpa non adhibeant, non apparet, cur spectatâ rei naturâ, non teneantur æquè facere restitutionem, ac tenetur medicus, qui cùm ratione stati, fixíque stipendii quadraginta, vel quinquaginta aureorum obligetur, alicujus certi Cœnobii ægrotos visere, quoties vocatur, sæpe tamen non venit, etsi vocatus. Confirmatur ex iis, quæ dicam hoc ipso capite *n.* 51.

Scisciteberis: *Cuinam igitur oporteat facere* 28
prædictam restitutionem?

Respondeo per se loquendo illi, qui passus

est injuriam, injustitiámque realem S. Thom. 2.2.q.62.a.5. in corp. Pasta est autem Respublica, vel Princeps, qui stipendia præstat. *Quid si autem ejusmodi Professor compenset sua extraordinaria & aliàs indebita diligentia totum, quod neglexerit?* Tum prudenter præsumetur, Principem fore contentum, quia tunc erit præstita æqualitas, quam maximè spectat restitutio, utpote actus justitiæ commutativæ S. Thom. *loc. cit.*

29 Nec obest, quòd talis restitutio sit inaudita, & nullo modo in usu, quia sunt vel omnino pauci, quos planè constet creâsse sibi ex nimio potu, tam diuturnam, frequentémque infirmitatem, vel si qui sint ejusmodi, compensant postmodum extraordinario labore, & diligentia, quod neglexerunt, vel à Camerario Academico, si sint Professores, à Decano, Scholastico, Cantore, aut Rectore Ecclesiæ, si Cantores, privantur parte aliquota stipendii, vel ipsimet in egenos distribuunt, quod cæteroqui tenerentur reddere Principi, aut Universitatis Camerario.

30 Primus, & tertius modus restitutionis, tametsi per se loquendo non sit sufficiens, ut patet ex jamjam dictis, videtur tamen esse pro sufficiente habendus, quamdiu solet non exigi alia restitutio. Et non improbabiliter dicet quispiam, nullam planè deberi ante sententiam Judicis, nisi clarè exprimatur in statutis Professorum, Cantorum &c. eò quòd statuta particularia sint intelligenda (nisi aliud exprimant) instar legum communium, ut ex communi docet Alderanus Mascardus *Conclus.* 2. éstque bonus textus *in cap. Ex literis. De Constitut.* atqui jus commune ad restitutionem non obligat beneficiatum, qui ob morbum ortum ex ebrietate, nequit recitare Breviarium, ut declaro *Sect. seq.*

31 Interrogabis; *Vtrùm hæc ultima responsio locum habeat etiam in illis, quibus datur hebdomadarium, vel menstruum stipendium, & non tantùm in illis, quibus datur Annuum?*

Respondeo, videri habere locum etiam in illis, quibus sua merces penditur quot hebdomadis, posito quòd soleat dari ægrotis quoque. Probat hanc responsionem principium jam primùm allatum, si jungatur responsioni adferendæ *n.* 33. Suppono autem ex dicendis *cap.* 27. *n.* 55. à nemine, quod sciam, excusari illos, de quibus hac, & seqq. sectionibus tractabimus, casu quo quis esset ita demens, ut helluando causaret sibi ægritudinem ex intentione eximendi se ab obligatione sui muneris.

SECTIO VII.

An teneatur ad restitutionem beneficiatus, qui ob morbum contractum ex Ebrietate, nequit persolvere pensum Canonicum?

SUMMARIUM.

An beneficiatus, qui ob morbum ex intemperantiâ ortum nequit persolvere Horas Canonicas, obligetur ad restitutionem fructuum? 32.
Non obligatur, si alii labores æquent summam, quam percipit, 33.
Imò probabiliter, tametsi non æquent. Ibid.
Solvitur argumentum allatum in contrarium. 34.
Quid censendum de Capellano negligente ex eadem causa debitas Missas? 35.

32 HUjus quæstionis proponendæ occasionem dat doctrina, quam Pasqualigus relatus *n.* 26. tradit. Et responsio affirmativa confirmatur ex illo principio apud Canonistas, & Theologos recepto: *Beneficium datur propter officium*, ut loquitur Lateranense Concilium tertium *sess.* 6. *§. Statuimus.* E diverso non esse præceptam in hoc casu restitutionem fructuum, probari potest ex Bulla B. Pii V. editâ super obligatione restitutionis, ob neglectum pensum Canonicum; siquidem in ea illos solos obligat ad istam restitutionem, qui divinum officium *legitimo cessante impedimento* non dixerint; atqui gravis infirmitas est legitimum impedimentum, ut docent omnes, qui agunt de causis excusantibus à restitutione Beneficiatos non recitantes, & traditur *in Cap. Vnic. De Clericis non Resid. in 6.* nec quemquam legi, qui faceret hîc distinctionem inter illum, qui suâ culpâ, & inter illum, qui non suâ culpâ ægritudinem incurrit. Circa hanc, cujus nimis frequens usus est, quæstionem

33 Dico I. Qui præter pensum Canonicum habet suo Ecclesiastico beneficio adnexos labores tantos, quanti censentur facilè mereri, & digni esse universis beneficii fructibus, non tenetur ad ullam restitutionem fructuum, modò per alium, ut fieri solet, obeat illos labores. Ratio est, quia ne sani quidem, valentésque Parochi obligantur ob neglectum centies Breviarium, quidquam restituere, si percipiant tam exiguos reditus, ut præcisè respondeant laboribus, oneribúsque parochialibus, ut contra Suarez *De Orat. Lib.* 4. *cap.* 30. atque alios ab ipso relatos probabiliùs tenent Sotus *De Iustit. Lib.* 10. *q.* 5. *a.* 6. Medina, Aragonius, alii nominati, approbatíque à Sanch. *Lib.* 2. *Consil. cap.* 2. *dub.* 83. & severo cæteroqui Canonista Ferro Manrique *quæstion. Vicarial. Part.* 2. *q.* 115.

Dico II.

Dico II. Satis probabile est, Canonico collegiatarum, aut Cathedralium Ecclesiarum, quorum totus, aut ferè totus labor consistit in recitatione horarum Canonicarum, non obligari ad ullam restitutionem fructuum, etsi crebrò Breviarium non recitent idcirco, quòd impediantur morbo contracto ex ebrietate, esto præviderint certum periculum illius morbi. Ratio est, tum quia, ut paulò antè dixi, Doctores non faciunt discrimen inter morbum culpabiliter, & inculpabiliter contractum; tum quia licèt non sit dubium, quin posset summus Pontifex prædictam restitutionem imperare ejusmodi Canonicis, Germaniæ tamen praxis ostendit, non esse reipsa imperatam; tum denique quia in dubio non est imponenda restitutio. Polancus *in Direct. cap.* 1. sed potiùs semper in dubiis benigniora præferenda sunt. *Leg. Semper in dubiis. ff. De Reg. Iur.*

34 Dices I. Datum ob causam, causâ non secutâ, restitui debet. *Concilium Lateranen.* 3. *sess.* 6. *§. Statuimus, & Leg. Si pecuniam* 5. *ff. De condict. caus. dat.* cùm ergo Beneficium detur ob recitationem officii Canonicis, ut suprà vidimus, non secuta illius recitatione, debent refundi fructus beneficii.

RESP. Distinguendo antecedens: restitui debet per se loquendo, esto antecedens: si restitutionem remittat alter, nego antecedens. Nam etsi verum est, quòd tabellarius e.g. qui viginti aureos accepit, cum onere perferendi literas Romam, teneatur illos aureos reddere, si ideo non tulit, quòd morbus lethalis invaserit illum absque culpa sua, constat tamen ex Bulla B. Pii V. & praxi communi, aliud sentiendum de eo, qui ob morbum non potuit persolvere pensum Canonicum; quia scilicet Ecclesia condonat restitutionem, sicuti & condonat illi, qui primis sex mensibus omittit Breviarium. B. Pius V. *in Extravag. Ex proximo Lateranensi.* Confirmatur hæc responsio, & superior conclusio responsione, & ratione *ex Cap. Vnic. De Cleric. Non Resid.* mox adferenda. Priùs tamen.

35 Dices II. Ergo & erit immunis à restitutione Capellanus ille, qui ob ægritudinem causatam potu immoderato nequit persolvere illa sacrificia Missæ, ad quæ ipsum adstringit ratio fundationis. Resp. negando consequentiam, eò quòd non suppetat sufficiens causa, ob quam censeatur, seu præsumatur fundator voluisse suum bibulum Capellanum excipere à generali Regula, desumpta paulò antè ex Jure Canonico, atque civili. Equidem à Regula standum est, donec contrarium probetur, Argum. *Cap. fin. De Restit. spol. in* 6. Prateus *De Reg. Iur. Lib.* 6. *Tit.* 1. Atque ita cum Pace Jordano tradidi *in Alphab. Sacrif. Cas.* 17. *n.* 581. addendo, contrarium non improbabiliter doceri à Tamburino.

SECTIO VIII.

Vtrùm Canonici, qui immoderato potu morbum contraxerunt, lucrentur distributiones?

Brevis est, non summatur.

SUppono ex *Cap. Vnic. De Cleric. non Resid.* 36
in 6. distributiones quotidianas, seu ut vocant, præsentias, deberi beneficiatis absentibus, si ob infirmitatem interesse nequeant choro; & testatur Sanch. *Lib.* 2. *Consil. Moral. cap.* 2 *dub.* 9. ita habere usum omnium Ecclesiarum. Hoc supposito.

Quæritur: *Vtrùm prædictæ distributiones de-* 37
beantur etiam illis ægris Canonicis, qui suâ culpâ, adeòque intemperantia inciderunt in morbum? Deberi negat Philippus Probus apud Covarruviam *Lib.* 3. *Variar. Resol. cap.* 13. *num.* 8. fortè ideo, quòd sicuti nemini suus dolus prodesse debet *Leg.* 1. *De Dol. Mal. Except.* ita etiam malitia, & culpa non debeat patrocinari. Et potest confirmari hæc sententia ex decis. *Cap. Ex parte. De consuet.* Puto tamen cum eodem Covarruvia, Sanchez *loc. cit. dub.* 9. Filliucio *Tract.* 41. *cap.* 6. *num.* 52. his quoque ægrotis dandas esse distributiones, saltem quando hæ efficiunt magnam partem proventuum, tum quia licèt possint rectè dici esse causa impedimenti, rectissimè tamen potest, & debet Deus dici esse causa illius; nam verè Dominus non tantùm vivificat, sed etiam mortificat. 1. *Reg.* 2.

Excipio hinc cum communi eorundem Do- 38
ctorum illos, qui etiam cùm non sunt ægri, non accedunt templum, nam apud tales causa absentiæ est potiùs prava voluntas; quàm morbus. Vide Azor *Part.* 2. *Lib.* 7. *cap.* 7. *q.* 11. Utrùm verò in citat. capit. unic. nomine *infirmitatis* intelligatur omne justum, & legitimum impedimentum, sicuti generatim appellatione ægritudinis intelligi post Rebuffum, & alios censet Vallensis *Paratit. Lib.* 1. *Tit.* 11. *n.* 3. non est hîc locus disputandi, quamvis ex cit. cap. unic. & praxi videtur, non habere hîc locum doctrinam illam Rebuffi.

SECTIO IX.

Verène Ebrietas sit mater impudicitiæ & libidinis?

SUMMARIUM.

Quid hac de re Sacra Scriptura? 39.
Quid SS. Patres? 40.
Et Theologi? 42.
Et Ethnici? 43.
An igitur omnis voto castitatis illigatus, qui se inebriavit, teneatur in Confessione exprimere circumstantiam Voti? 44.
Fortè tenebantur Palæstini, non autem Germani. 45.

39 Quæres I. *Quid ad hanc quæstionem respondeat Scriptura divina?*

RESP. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas. *Proverb.* 20. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ephes.* 5.

40 Quæres II. *Quid Sancti Patres?*

Duorum sententiam adscribo. Primus est S. Ambrosius, qui inter reliqua, quæ *Cap.* 5. 8. 9. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Libri de Elia & jejunio* elegantissimè contra potatores, & ebriosos disserit, *citato cap.* 6. hæc habet: *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incendium insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati cohibere se nequeunt, & in libidines bestiales incitantur.* Vide eundem *in Epist. ad Ephes. cap.* 5. ubi ita loquitur: *Vbi Ebrietas, ibi certò certius luxuria est; luxuria verò provocat turpitudinem.*

41 Alter est S. Hieronymus *in cap.* 1. *Epist. ad Tit.* explicans illud Apostoli: *Non vinolentum*, sic post alia scribit: *Hoc nunc dixisse sufficit, quòd in vino luxuria est; & ubicunque saturitas, & ebrietas, ibi libido dominatur; spectà ventrem, & genitalia; pro qualitate criminum ordo membrorum; nunquam ego ebrium castum putabo.* Ita S. Hieronymus, qui Comment. *in Proverb.* 23. addit: *Consuetum, & planè naturale est vitium post ebrietatis venena diffusa in corde muliebrem sequi concupiscentiam.*

42 Quæres III. *Quid Theologi?*

Non reperio, qui clariùs loquantur, quàm Cajetanus, & Baldellus referendi *cap.* 19. *sect.* 2. Quamquam hi duo disertè loquuntur de illa sola impudicitia, quæ tempore ebrietatis committitur. Et licèt sententiæ, quas ex Sanctis Ambrosio & Hieronymo attuli, videri etiam possint petere illam solam libidinem, quæ tempore ebrietatis excitatur, vel exercetur, possunt tamen haud dubiè etiam intelligi de libidine, quæ transactam ebrietatem sequitur.

43 Quæres IV. *Quid Ethnici?*

RESP. Proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. Valerius Maximus *Lib.* 2. *c.* 1.

44 Objicies fortè, ex his authoritatibus præsertim S. Hieronymi verbis, inferendum id, quod ex sententia Cajetani inferri posse dicam *cit. sect.* 2. videlicet omnem voto castitatis obstrictum, qui per immoderatum potum vini causat sibi exilium mentis, teneri in confessione explicare circumstantiam voti.

RESP. Si verba S. Hieronymi, prima veluti facie inspecta vera sunt, tum certum omnino est, confitendam esse illam circumstantiam. At quia non puto venisse unquam ulli Theologo in mentem, hoc asserere, idcirco dico, vel Sanctum Hieronymum nomine libidinis intelligere præcisè stimulos carnis, seu motum carnalem, qui communiter sequitur ebrietatem, non tamen est ipse peccatum mortale, nisi in eo sibi quis complaceat; sicuti appellatione luxuriæ eosdem stimulos satis apertè intelligit S. Ambrosius in 2. sententia ex ipso relata; vel loqui per exaggerationem, tribuendo omnibus, quod multis convenit. Et quia S. 45 Hieronymus hæc scribebat inter Asianos, ac Palæstinos, quos ex sacris, profanisque historiis constat fuisse salacissimos, atque ad omnem turpitudinem projectissimos, de illis aut præcipuè, aut fortè solis tunc cogitabat. Certè sicuti plurimi Germani sunt minùs sobrii ac par est, ita præ multis aliis nationibus merentur laudem continentiæ, & castitatis. Verùm de objecto hujus objectionis plura dicam *citat. sect.* 2.

SECTIO X.

An Concionatores teneantur detonare sæpe contra Ebrietatem?

SUMMARIUM.

Refertur hanc in rem sententia S. Augustini. 46.
Alia sententia ex eodem. 47.
Concionaturus adversus ebrios quos Patres leget? Ibid.
Insigne exemplum & longævitas Sacerdotis abstemii? Ibid. in Append.

46 Concionatores teneri frequentes invectivas in ebriosos parare, probabit quis ex verbis Sancti Augustini, qui *cit. Serm.* 232. sic pronuntiat: *Ideo charissimi, tanta infelicitate sese inebriant homines, quia putant, ebrietatem aut parvum, aut nullum peccatum esse, sed pro ista ignorantia maximè Sacerdotes in*

die judicii reddent rationem, si commissis sibi populis, quæ, vel quanta mala de Ebrietate nascantur, assiduè noluerint prædicare. Ita S. Augustinus.

47 Ex cujus sensu infero, si quæ Provincia sit, ubi frequentetur ebrietas, idcirco, quòd ea putetur esse vel nullum, vel leve peccatum, obligari concionatores, ut frequenter contrarium doceant, juxta illud Isaiæ 58. *vers.* 1. *Annuntia populo meo scelera eorum*; & illud Augustini *serm.* 106. *de tempore*: Ne parcas iniquitati peccatoris, ne tacendo pereas, & dum verecundiæ ejus consulis, non consulas sanitati; ne vulnera illius, quæ clamando resecare poteras, reticendo in peius enutrias.] Concionator esse debet non *tibia*, sed *tuba*: inquit Cornelius à Lapide *in cit. locum Isaiæ* explicans hanc figuratam locutionem. Quia verò existimo, esse hac ætate vix ullam Provinciam, in qua falsa hæc persuasio vigeat, idcirco non arbitror hac ætate esse assiduè, sed tamen quandoque, & alicubi fortasse frequenter præticandam doctrinam Augustini. Vide quod à Carolo V. circa hoc statutum esse refero infrà *cap.* 22. *in fin.* & adde, à concionatore destinante insectari pro suggestu ebriosos, perquam utiliter lectum iri tum homiliam S. Basilii *de Ebrietate*, tum librum S. Ambrosii *de Elia, & jejunio.* tum S. Augustini sermonem 231. & 232. *de tempore.*

Appendicula mirè sobrii Sacerdotis.

Quia ex toto hoc capite liquet, temulentiam esse multorum causam morborum, vitæque abbreviationis, referò quid 19. Januarii Anno 1674. didicerim, hanc in rem faciens. Accepi nimirum eo die submissam mihi Fuldâ Iconem æri incisam, referentémque specie vivaci Sacerdotem cum hac inscriptione, seu si ita loqui malis, subimpressione. *Vera effigies Venerabilis viri Antonii Hascehi primi Pastoris Gulensis, in Diœcesi Leodiensi, qui per tentum Annos in eodem pastoratu vixit, obiit autem ætatis Anno* 125. *Anno Christi* 1586. *Interrogatus ab Episcopo Leodico, quo vitæ regimine vitam adeò longævam produxisset? Respondit se trium abstemium semper extitisse, videlicet Mulierum, Ebrietatis, & Iracundiæ.*

Sanè quemadmodum hic omni laude cumulandus Sacerdos longævitatem suam retulit partialiter in acceptis sobrietati, ita vice versâ longè plurimi fateri coguntur, se sibimet accersivisse mortem præmaturam intemperato meraci usu; nempe divina veritas per Eccles. *cap.* 37. pronuntiat: *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam.*

M.

TABERNAM VINARIAM ADEAT &c.

CAPVT XI.

An, & quatenus licitum sit cauponas frequentare?

SUMMARIUM.

Vtrùm bono publico conducant tabernæ Vinariæ, & Cerevisiariæ? 1.
Germania abundat commodis hospitiis nocturnis. 3.
Quandonam teneatur ebriosus vitare tabernas? 4.
Tenemur fugere occasiones peccandi proximas, non non remotas. Ibid.
Quænam censeatur occasio proxima? 5.
Clericis est peculiariter vetitum adire tabernas. 8.
Caupones, quatenus peccent præbendo vinum ebriosis? 8. *remissivè.*
Cuinam peculiariter sit vetitum habere tabernam Vinariam? 9.
Canonici Zurzachienses jure habent tales tempore nundinarum. Ibid.
Quid sentiendum de Monasteriis in Germania, dum subministrant, ut Caupones, potum ad fores Monasterii? 10.
An dicendi sint exercere negotiationem interdictam Clericis ii Regulares, qui è fructibus suorum prædiorum coquunt cerevisiam, eamque vendunt? 11.
Quid sit propriè negotiari? 12.
Quid si eo fine emant hordeum, ut vendant cerevisiam inde præxatam? 13.
Quid si non famuli Regularium, sed ipsimet Regulares parent talem cerevisiam? 15.
Quomodo excusandi Principes, interdicentes Religiosis collectionem cerevisiæ? 17.
An possint suis subditis vetare, ne emant à Religiosis Cerevisiam? 18.
Non licet his aut aliis Clericis emere tempore vilitatis vinum, ut postea chariùs revendant. 19.
An Clericus curans suis expensis excudi librum, ut exemplaria revendat cum lucro, censeatur negotiari propriè? 27. *in App. lit.* a. & c.
Casus specialis hanc in rem. lit. b.
Negotiatio alia est propriè, alia impropriè dicta. lit. c.
Quomodo evadere possit periculum Negotiationis, qui pro libro imprimendo accipit ab amico pecuniam cum onere restitutionis? lit. g.

Donatio potest dici esse liberalis, & propriè dicta, licèt importet obligationem restitutionis, lit. h.

QUæres I. *Vtrùm bono publico, & moribus conducant tabernæ vinariæ, atque cerevisiariæ.*

1 Ratio dubitandi esse potest primò, quòd Romani creatis ædilibus voluerint, ut popinæ omnes illico tollerentur, quòd eæ magnum detrimentum Reipublicæ progignerent; ut testatur Alexander ab Alexandro *Lib. 4. Genial. dier. cap. 3.* Quorum Romanorum institutum secutus Claudius Imperator, sustulit omnes cauponarias officinas, dictitans, eas esse omnis nequitiæ lustra, sicuti refert Xiphilinus in ejus vita. Secundò, quia usus quotidianus docet, innumera peccata ebrietatis, blasphemiarum, rixarum, contumeliarum, bonorum decoctionis committi in tabernis vinariis, quæ maximam partem vitarentur, si cauponæ funditus, stirpitus everterentur, & æternum proscriberentur.

2 Hæ rationes mihi persuadent, etsi ærarii Principum, atque urbium, non modica incrementa accipiunt ex vectigalibus, quæ caupones præstant è divendito vino, longè tamen meliùs consultum iri publico, & privatarum familiarum bono, si abrogarent omnes, ut votant, bibitorias tabernas, Trinckhäuser / permitterent illas solas, quæ peregrinis excipiendis destinatæ sunt, quæque publica hospitia, & à Marco Tullio *Lib. 2. De Divinat.* meritoriæ tabernæ nuncupantur. Plurimos enim reperire est passim in urbibus, quos puderet talia publica hospitia frequentare, cùm non vereantur, illas bibitorias popinas, utpotè à solis fere civibus adiri solitas, pene quotidie invisere. Quot novimus senatoria dignitate, opibus, artificio, opificio, cantu, fidibus &c. conspicuos viros, & juvenes, quos solæ perdidere bibitoriæ popinæ? Ut proinde possit de eorum singulis dici, quod olim dictitabatur de Callia Athenienſi: *Hic à vino deplumatus est.*

3 Cæterùm inter reliqua, quibus Germania nonnullas alias Provincias superat, meritò numeres hospitia publica, tam frequentia, & nitida, quàm fessa ex itinere hospitum corpora requirunt. Adde, in iis neque à Cauponibus circa hospitum crumenas, eam tyrannidem, neque à Cauponum familiis, aliisve ea furta circa eorundem hospitum sarcinas admitti, quæ in aliis quibusdam Provinciis à me non nominandis, sed cuivis, qui eas peragravit, hoc nomine invisis.

Quæres II. *Quandonam sub mortali teneatur*
4 *tabernas vitare is, qui sæpe in iis crimen ebrietatis, aut alterius generis admisit, & proinde quandonam teneatur confessarius tali homini interdicere Cauponam?*

RESP. Resolutio hujus quæstionis in usu frequenti versantis petenda est ex generali doctrina, quòd rarò quis peccet, exponendo se periculo remoto peccandi, peccet autem mortaliter quis, dum absque gravi, justáque causa exponit se periculo proximo delinquendi mortaliter. Ratio, cur rarò peccemus saltem graviter, exponendo nos periculo delinquendi solùm remoto, est, quia alioquin deberemus omnes de mundo exire, ut ex 1. *Corinth. 5.* argumentatur Navarrus *in Manual. cap. 3. §. sexto principaliter.* Etenim totus mundus plenus est, occasionibus remotis, ut patebit statim ex descriptione occasionis remotæ. Hinc rectè tradit Cardinalis de Lugo *De Pœnit. disp. 14. sect. 10. n. 150.* esse communem, & universalem Regulam, posse à confessario absolvi illum, qui non vult deserere occasionem remotam peccandi. È diverso causa, ob quam obligamur fugere, aut deserere occasiones proximas offendendi Deum, est, quia sicuti qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur *Cap. fin. De Injur. & damn. dat.* ita qui omnino libere vult causam seu occasionem proximam peccati, censetur moraliter velle ipsummet peccatum.

Quodnam verò censendum sit periculum § proximum, quod remotum? explicavi in Experientiis *Tract. 7. cap. 16. n. 525.* ubi dissero de absolutione danda, vel neganda nolenti deserere occasiones peccandi. Et ex illic dictis inferes, additionem tabernæ vinariæ non esse habendam illi pro proxima se inebriandi occasione, qui solitus quot mensibus in eam se conferre vicies græcandi gratia, non nisi ter, quater in mense rationem exturbavit potu immodicè sumpto, secùs si decies quater. Et tunc non sufficit confiteri, se fuisse ebrium decies quater, sed se potâsse in taberna vigesies, secuta actuali ebrietate decies quater; nec talis est per se loquendo absolvendus à confessario, nisi dicat, seu promittat, se non amplius, nisi gravi de causa, aditurum tabernam. Id ipsum asserendum est de illo, qui in tabernis consuevit aliud certum peccatum ab ebrietate distinctum committere, non commissurus extra tabernam.

Quæres III. *Cuinam hominum ordini sit pecu-* 6
liariter vetitum tabernas adire?

RESP. Clericis. Nam de illis *Cap. Non oportet, dist. 44.* sic sanxit Concil. Laodic. *Non oportet Clericos servientes à presbyteris usque ad diaconos, & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes, usque ad ostiarios tabernas (nisi necessitatis causa) intrare.* Et *Cap. Clerici. eod. dist inct.* ita statuit Concil. Carthag. 4. *Clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur nisi necessitate compulsi.*

Idipsum Clericis prohibent Synodi Provinciales Salisburgensis, & Diœcesanæ Pragensis,

Trevirensis, Moguntina, atque nostra Constantiensis, cujus sanctionem *Part. 2. Tit. 1. n. 16.* expressam adscribo: [Et quia frequenter multi Clerici hospitia publica, & diversoria contra sacrorum Canonum, & Conciliorum prohibitionem frequentant, cum rusticis, & aliis per integros dies, ac noctes potitant; ex qua turpi, & indecora consuetudine Ecclesiasticus status plurimum vilescit, præsentium tenore statuimus, & Vicario, ac Fiscali nostro seriò injungimus, ut quotiescunque Clericum aliquem in publicis tabernis, & diversoriis sic potitantem cognoverint, eum pro prima vice decem florenis, pro secunda decem dierum incarceratione puniant, pro tertia verò vice tanquam temulentum, & incorrigibilem officio, & beneficio privent.] Huc usque nostræ synodales Constitutiones providè, rigidè, paternè sanctæ, utinam ubique sanctè observatæ.

7 Sed & Gregor. Tolos. *Synt. Iur. Part. 3. Lib. 39. cap. 7.* testatur, in Gallicis civitatibus, & oppidis, singulis Annis, repetitis constitutionibus, uxoratis civibus, & oppidanis voce præconis diversoria illa, viatorum causa instituta prohiberi. Sæpe enim nidore earum helluones naribus attracti, & gutture inescati artifices, & mechanici oblivisceruntur domesticam familiam, & uno symbolo consumunt soli, quod omnibus domesticis in hebdomadem sufficisset. Sic ille.

8 Quæres IV. *An, & quando peccent Caupones, qui præbent vinum hospitibus solitis se inebriare?* Resp. me huic quæstioni satisfacturum *cap. 13. n. 60.* eo enim Cap. agam de provocatione ad ebrietatem.

9 Quæres V. *Cuinam peculiariter sit vetitum habere tabernam vinariam.*

RESP. Clerico. Etenim *Cap. Nulli Clerico. dist. 44.* ex 6. Synodo ita deternitur: *Nulli Clerico licet tabernam, aut ergasterium habere. Si enim hujusmodi tabernam ingredi prohibetur, quantò magis aliis ministrare in ea? Si quis verò tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.* Nomine tabernæ Gloss. *in Clement. 1. de vita, & honest. Cleric.* intelligit domum, in qua panis, vinum, & carnes coctæ venduntur. At per ergasterium intelligitur officina opificum, & mercatorum, juxta ea, quæ *Leg. Si cohortalis. 12. Cod. De cohort. & Leg. 2. Cod. de Episc. & Cleric.* atque alibi habentur.

Quamvis autem ille Canon sextæ Synodi ita generatim vetet Clericis, *ne tabernam* habeant, attamen sunt omnino excusandi Domini Canonici Zurzachienses, qui in utrisque Annuis nundinis recipiunt in suas ædes Canonicales alii quadraginta, alii sexaginta advenas, utriusque sexus, diversarum Religionum, & Sectarum, eisque subministrant non uno, sed octo, quindecim, aut etiam pluribus diebus omnia victui, somnóque necessaria. Id enim juris facit ipsis non modò consuetudo vetusta perspecta Illustrissimis Ordinariis, sed etiam ipsa necessitas, quæ id, quod non est licitum in lege, licitum facit. Cap. *Quod non est. De Regul. Iur. in 5.* Nec enim angustia oppidi Zurzachiensis, quæ incolitur à solis civibus, capere, decentérve tractare potest mercatores illuc confluentes magno numero è Burgundia, Gallia, Italia, remotis Germaniæ Provinciis. Accedit alia ratio etiam honesta, quam non ignorant illi Sacri per id tempus Caupones.

Quæres VI. *Quid sentiendum de Germaniæ* 10
illis Monasteriis, intra quorum septa, vinum, & panis subministrantur venientibus eò potitandi gratia; an non agant contra cit. Canon. Nulli Clerico?

RESP. Non videntur agere contra illum Canonem, I. quia non habent propriè, & rigidè tabernas, cùm non subministrent carnes, sed tantùm panem, & quandoque caseum. II. Quia ille Canon videtur intelligendus eo sensu, qui exprimitur *Clement. 1. de vit. & honest. Cleric.* ubi prohibetur, ne Clerici *tabernariorum officium publicè, & personaliter* exerceant. Ubi notat Gloss. itémque Barbos. *in cit. Clement.* ab illo solo peccari adversus hanc Clementis sanctionem, qui & publicè, & personaliter simul exercet officium *tabernarii & carnificis*, id est lanionis, *& macellarii*; atqui Monachi non exercent personaliter officium tabernarii, sed per suos sæculares famulos. Quòd si tamen compotatores illi mero æstuantes in omnem libidinem, & petulantiam despumare, & cum maximo scandalo, clamosa vociferatione jubilare, & obscæna, ac nonnunquam apertè impia proferre, quandoque etiam omnis generis rixas, conflictus, & sæpe clades inferre soleant, ut graphicè loquuntur Constitutiones Synodales hujus Diœcesis Constantiensis *Part. 2. Tit. 1. n. 24.* tum sanè prædicta monasteria non evadent graves obmurmurationes sæcularium, nec facilè omnem culpam.

Hæc quæstio præbet mihi occasionem proponendi aliam satis affinem, de qua scio non omnes rectè sentire.

Quæres namque VII. *An Regulares in Bo-* 11
hemia, Bavaria, Suevia, & alibi, qui domi suæ coquunt è suorum prædiorum hordeo cerevisiam, tum in suum usum, cum etiam ut vendant, pronuntiandi sint exercere negotiationem interdictam Clericis?

RESP. Etsi nonnulli, quos ego novi, in quadam lite super hoc negotio, Religiosis alicubi olim mota judicârint, ejusmodi coctionem, venditionémque cerevisiæ esse negotiationem vetitam Religiosis, & Clericis *Cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi*, & alibi sæpe, attamen pace illo-

rum omnino tenendum eſt, opinionem contrariam eſſe veram. Quia illa coctio, & venditio non eſt negotiatio per canones vetita, niſi ſit negotiatio ſecundùm phraſin, & ſenſum ſacrorum canonum; etenim verba legum intelligenda ſunt ſecundùm uſum ipſarum legum. Doctores *in Leg. Dubium. ff. De Leg. in Leg. Labeo. ff. De Supell. Legat. & in Proëm. Decret.* Atqui illa coctio, & venditio nullo modo eſt negotiatio ſecundùm phraſin, & uſum Sacrorum Canonum. Nam *Can. Ejiciens diſt.* 88. ubi ex inſtituto deſcribitur negotiatio, & negotiator, dicitur: *Quicunque rem comparat, non ut ipſam rem integram; & immutatam vendat, ſed ut materia ſibi ſit aliquid inde operandi; ille non eſt negotiator.* 12 Ut proinde Sylveſter *verb. negotiari*, ex communi Canoniſtarum nominatim Speculatoris. *De Cler. conjugat.* Abbat. *In Cap. A Crapula. De vit. & hon. Cleric. n.* 14. definiens negotiationem rectè dicat: Negotiari propriè eſt, cùm quis rem comparat, ut integram, & immutatam vendendo lucretur. Conſonat Vallenſis in Paratit. *Lib. 3. Tit. 1. num.* 12. II. Quia vel hìc maximè erubeſcendum eſt ſine Lege loqui *Authent. De Trient. & Sem. §. conſideremus. Coll. 3.* Atqui nulla lex Naturalis, Divina, aut Cæſarea aliquid ejuſmodi vetat Clericis, & Religioſis. III. Quia Molina *Tract. 2. diſp.* 342. Marta *De Juriſd. Part. 4. Caſ. 3.* rectè inficiantur cum Barboſa *De Offic. & poteſt. Epiſc. Part. 2. allegat.* 13. vendentes vinum ex uvis ſuorúmmet vinetorum expreſſum, annumerandos eſſe Clericis Negotiatoribus.

13 Amplia I. hanc doctrinam probabiliter ad caſum, quo illi Religioſi eo fine emunt hordeum, ut inde conficiant, vendántque cereviſiam; tum quia quidquid dicat Thomas Del Bene, loco mox citando, ne ſic quidem propriè negotiantur, etiamſi conficiant (ſic enim ſe explicat hic auctor) per miniſtros ad id conductos; tum quia nullo univerſali jure eſt id ipſis vetitum; atqui omnia ſunt licita, quæ non ſunt decreto, vel lege prohibita. *L. Nec non. ff. Ex quibus cauſ. major.* Gloſſ. *in cap. 2. De Tranſ. Epiſc. §. Non invenitur.* Nellus *De teſt. n.* 1.

14 Unde Manrique *Part. 1. q. Vicarial. q. 24.* itémque Thomas Del Bene, de Immunit. Eccleſ. *Part. 1. cap. 5. dub. 3. ſect. 5.* poſt Salcedo, Genuenſem, atque alios, contra Molinam *cit. diſp.* 342. Ferdinandum de Caſtro Palao. *Tract. 16. diſp. 4. Punct. 13. §. 3. n. 4.* docent, fas eſſe Clerico, emere uvas, & olivas, ut ſuccum inde expreſſum vendat. Et idem Manriq. *Part. 2. q. ultima*, poſt Cenedo negat peccare Clericum, qui ex ſuo tritico conficit panem vendendum, ſicut & in terminis de cereviſia loquens Lezana in Summ. Verb. *Negotiatio. n. 2.*

Et favent Graffius, Cevallos, Azor, Molina, Leſſius, atque alii, dum apud eundem Manrique *cit. q. 94. n. 1.* negant peccari ab illo Clerico, qui emit pullos equinos, ſeu manulos, ea intentione, ut illos in conductis paſcuis enutriat, factóſque grandiores vendat cariùs. Moneo tamen, eſſe in his caſibus habendam rationem neceſſitatis & ſcandali.

Amplia II. prædictam doctrinam ad caſum, 15
quo ipſi Religioſi coquunt cereviſiam; etenim poſſe Clericos artificium exercere etiam lucri cauſa, docet Riccius *deciſ. 372.* poſt Hoſt. Innocent. Ancor, Federic. quibus idem addit Gloſſ. *in cap. Cleric. diſt. 91.* Sed ego nil tale reperio in illa Gloſſ. Et cit. cap. *Clericus* non permittitur Clerico artificiolum, niſi victus cauſa. Igitur prædicta ampliatio habet locum ſaltem in caſu, quo ob ſuam honeſtam ſuſtentationem, diſſolvenda debita, ipſimet Religioſi coquunt ex empto hordeo cereviſiam, vendendam cum lucro. Et Thomas Del Bene *loc. cit.* vult, ut vinum, quod ex uvis emptis vendit Clericus, conficiatur ab ipſomet, vel familiaribus ad id non conductis.

Non obſtat I. quòd ea res cedat in grave 16
damnum ſæcularium cereviſiariorum, ſeu praxatorum, qui debent magna onera ſuſtinere. Nam reſpondeo, nemo damnum facit, niſi qui id facit, quod facere jus non habet *Leg. Nemo damnum. ff. De Reg. Jur.* Nec ad injuriam referendum eſt, quòd quiſque jure ſuo ſibi conſulat *Leg. Injuriam. §. 1. ff. De Injur. & cap. Eccleſia 31. De Elect.*

Non obſtat II. quòd aliqui Principes, Reſ- 17
publicæ, & urbes, ne quidem reſponſionis *n. 11.* expreſſæ uſum permittant Religioſis. Nam reſpondeo, ab iis agi contra immunitatem Eccleſiaſticam, & jus gentium, adeóque adverſus juſtitiam, niſi vel Pontificio indulto ſint muniti, vel ea conditione in ſuas terras, atque urbes receperint Religioſos, ut non venderent cereviſiam, atque in eam conditionem conſenſerint Religioſi. Etenim immunitas Eccleſiaſtica eſt libera facultas utendi, fruendique omnibus juribus, exemptionibus, & privilegiis, quibus univerſim ſeu divino, ſeu humano jure res, & perſonæ Eccleſiaſticæ gaudent. Tannerus *Tom. 4. diſp. 7. q. 4. dub. 5.* ex communi Canoniſtarum, & Theologorum.

Non obſtat III. quòd Principes poſſint ſuis 18
ſubditis vetare, ne à Religioſis emant cereviſiam, vinum aduſtum &c. Etenim non inde ſequitur, quòd poſſint vetare Religioſis, ne vendant, multò minùs poſſunt confiſcare cereviſiam Religioſorum. Nam *Cap. 2. De foro compet.* dicitur: *Nullus judicum ſæcularium Clericum ullum condemnare præſumat.* Adde, quòd nec poſſint ſuis ſubditis id abſolutè vetare. *Cap. final. De Immun. Eccleſ. in 6. & argument. Leg. 1.*

Leg. 1. & 2. ff. Si quis aliquem teſtari. Quare meritò negat Del Bene *cit. cap. 5. dub. 7. ſect. 22.* poſſe à Magiſtratu ſæculari prohiberi Clericis, ne habeant tabernas, ſeu officinas, in quibus libere vendant res ſuas ex ſuis prædiis mediatè, vel immediatè, formaliter, vel virtualiter) collectas. Nos quoque reſponſionem datam *num.* 11. meritò applicavimus Anno 1660. caſui tunc revocato in dubium.

19 Sed & providè vetat Synodus Conſtantienſis *Part. 2. Tit. 1. num.* 13. Clericis Diœceſanis, ne tempore vilitatis pretii emant vina, poſtea cariùs vendenda, eſt hæc enim vera negotiatio, ut patet ex Can. *Ejiciens diſtinct.* 88. omniúmque Theologiæ, Juriſque peritorum unanimi conſenſu. Si tamen Clericus ea coëmeret ſuum, ſuáſque familiæ uſum, ſuamet reſervaturus in tempus cariſtiæ, ut loquuntur Conſtitutiones, tum ſanè non perſpicio, quomodo talis poſſet verè (non dico præſumptivè) dici eſſe negotiatus propriè.

20 Porrò quia fecimus mentionem juris coquendi cereviſiam, Clericis per ſe loquendo competentis, infeſtati tamen à pleriſque laicis, lubet hìc referre, quid Joannes Borcholten Jureconſultus Lutheranus Reſponderit ad hunc.

Caſum Cereviſiarium.

21 *Capitulares Eccleſiæ N. gaudebant jure coquendi in domeſticum uſum, Cereviſiam certo loco extra Vrbem N. quod jus deinde extenderunt ad aliquos ejuſdem urbis Clericos, ita ut his quoque permiſerint eodem loco præxare cereviſiam &c. in ſuum etiam uſum. Quod cum ſæculares Cereviſiarii ferre nollent, ac proinde curâſſent, fruſtra tamen, per urbicum Magiſtratum ex vi cujuſdam antiqui mandati Epiſcopalis, non ſemel moneri Capitulares, ne impoſterum permitterent aliis Clericis eam praxationem, conſentiente eodem Magiſtratu detinuerunt ſub porta urbis quatuor dolia à dictis Clericis cocta, inſinuaverunt tamen Capitularibus, ſe reſtituturos ea quatuor dolia, dummodo reliqua cereviſia, quæ adhuc erat in loco, in quo fuerat cocta, ibidem relinqueretur uſque ad terminum litis; in quod cùm nollet conſentire Decanus Cathedralis, quæſitum fuit ex Doctore Borcholten. 1. Vtrùm cereviſiarii non tenerentur arreſto liberare illa quatuor detenta dolia. 2. Vtrùm præterea non obligarentur permittere, ut reliqua cereviſia inveheretur in urbem. 3. An iidem poſſint jure inhibere, ne impoſterum alii Clerici facultent id, quod ad id temporis fecerunt contra oppoſitionem cereviſiariorum.*

22 ReſponditBorcholten ad primum, & ſecundum affirmativè, ac proinde Cereviſiarios debere abſque omni dubio tum illis quatuor doliis, tum aliis quoque permittere, lite pendente, liberum curſum. Ad tertium quid reſponderit indicabimus *n. 27.*

Cauſa affirmativi reſponſi ad utrumque dubium fuit hæc, quòd ex ſpecie facti conſtiterit, Capitulares fuiſſe in poſſeſſione, vel quaſi juris permittendi, ut alii quoque Clerici Cereviſiam coquerent in loco nominato, ſiquidem cautum eſt, quod etiam ex unico actu acquiratur poſſeſſio, vel quaſi. Cap. *Cùm Eccleſia.* & Cap. *Cùm olim. De cauſ. poſſ. & propriet.* Gravetta *Conſil. 124. num. 9. & Conſil. 322.* Decius *in L.* Nemo alieno §. Temporales. *ff. De Regul. Jur.* Menochius *De arbitrar. Judic. Caſ.* 160. aliique plurimi; eſto ille actus fuerit momentaneus, duraveritve per unum, aut duos duntaxat dies. Cap. *Ad decenas. De Reſtitut. ſpoliat.* Præpoſitus, & Ferretus *Conſil. 27. num. 11.* Atqui hac quaſi poſſeſſione non potuerunt Cereviſiarii privare Canonicos, cùm in L. *Extat. ff. Quod metûs.* reſcripſerit Marcus Imperator: *Vis* 23
eſt & tunc, quoties id, quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit. Sunt ergo habendi pro iniquis ſpoliatoribus; ergo debent totam illam Cereviſiam liberare omni arreſto, ſeu detentione, quandoquidem trita Regula habet ſpoliatum eſſe ante omnia reſtituendum *cap. In literis. De Reſtit. ſpoliat.* ſiquidem nemo propria authoritate debet ſibi jus dicere, *Lib. 1. Cod. Quando liceat unicuique &c.* Et quidem 24
etiam tunc reſtituendus eſt ante omnia ſpoliatus, quando is, qui eũ ſpoliavit, nõ fuit in dolo. Baldus *Conſil. 217. n. 4. & 6. Volum. 2.* Alexander *Conſil. 6. num. 12. Volum. 3.* aut quando judex quidem ſpoliavit, at non ſervato juris ordine. Hoſtienſis *in Summa De Reſtit. ſpoliat. §. Quando facienda*, eſto deinde ſupremus princeps approbet talem ſpoliationem. Jaſon. *in Leg. Clam poſſidere §. Qui ad nundinas num. 26.* & alii; eſto denique ſpoliatus ſit prædo, adeóque iniquus poſſeſſor. *Cap. In literis. De Reſtitut. ſpoliat.* Baldus *Conſil. 135. Volum. 2.* Ripa, & Jaſon; quæ horum Doctorum ſententia vera eſt, quamvis notoriè conſtaret, illum, qui ſpoliatus eſt, eſſe, fuiſſéque prædonem, injuſtúmque poſſeſſorem. Decius *Conſil. 191.* & communis opinio teſte Ripa *in Leg. naturaliter §. Nihil commune num. 70. ff.* De acquir. poſſeſſ.

Nec obeſt dictis, quòd Clerici non capitu- 25
lares coxerint cereviſiam non proprio jure, ſed ex amica duntaxat conniventia Capitularium, ſeu jure amicitiæ, & familiaritatis, hinc enim rectè infertur quidem, eos nullam eſſe poſſeſſionem conſecutos adverſus Capitulares *L. Qui Iure familiaritatis. ff. De acquir. poſſeſſ.* Bartolus *Ibid.* & alii, at non rectè colligitur, illos eoſdem Clericos nactos eſſe poſſeſſionem adverſus Cereviſiarios, è qua hi non potuerint ipſos depellere per Jura citata.

Ex quibus proinde omnibus infertur primo, 26
non ſolùm eſſe ſpoliatis Clericis permittendam liberam evectionem cereviſiæ ſub porta

Urbis

Urbis detentæ, & quam habent adhuc in præxatorio, ſicuti conſuevêre loqui tam Theologi, quàm Juriſperiti Bavari, ſed ipſis eſſe fas pergere in coquenda, ſicuti hactenus, Cereviſia, donec vel Capitulares, vel judex legitimus jubeat eos ceſſare.

27 Infertur ſecundo, fuiſſe conſultum, ut Cereviſiarii indicarent Clericis non Capitularibus, ſe quidem nunc reſtituturos totam Cereviſiam, at petere cautionem de ceſſatione in futurum, quam ſi impetrare nequirent, tentanda eſſe alia media lenia, Cereviſiariiſque non detrimentoſa.

Hæc Bercholten *Conſil.* 2. ex cujus tametſi Lutherani reſolutione clarum eſt, non eſſe Magiſtratui ſæculari fas, propria authoritate arreſtare, ſeu vi detinere bona Clericorum quantumvis mobilia, quantumvis minimè ſacra, longè minùs vim inferre iiſdem Clericis conantibus impedire arreſtum, detentionem, ſpoliationem.

Appendix Libraria.

a QUandoquidem hoc capite tam multa dixi de negotiatione interdicta, permiſſáque Clericis, ſcio autem, videóque inprimis multos Clericos facere omnes ſumptus Typographicos Librorum, quos ipſi elaboraverunt, Nobiliſſima quoque Monaſteria Campidunenſe, Einſidlenſe, ſeu Eremitanum, ut alia ſilentio præteream, habere in ſuis Monaſteriis propriam Typographiam, in qua excudunt libros, non ſolùm ſuos, ſed etiam alienos, ideóque Campidunenſes Anno 1673. (quò ad finem declinante conſcribebam hanc Appendicem,) excuderunt eleganti typo ingeniosiſſimam Phonurgiam Noſtri P. Athanaſii Kircheri, & Einſidlenſe hoc Anno 1678. meam Experimentalem Theologiam plurimùm auctam, placet argumentum ab aliis (præterquam à noſtro P. Haunoldo, in quem jam conſcripta hac tota Appendice aliud agens incidi) præteritum, diſcutere, & quærere, ſitne Libraria hæc praxis vocanda *negotiatio*, præmiſſo tamen, expoſitóque hoc

Caſu vero, ſubtili, & non ficto.

b CYprianus Sacerdos declinaturus etiam umbram negotiatoris dicit Catoni amico ſuo: contexui Librum, è cujus publicatione referrem lucrum honeſtum, ſi eſſem par faciendis expenſis Typographicis, quas quia non ſuppeditat tenuitas mei beneficii, cùm excurſuræ ſint facilè ad quadringenta ſcuta, rogo te per noſtram amicitiam, ut vel illas facias tu, vel des mihi quadringenta ſcuta, non mutuo, impedior enim voti Religione celebrare ullum contractum mutui, niſi in ſumma neceſſitate, ſed ut velut tuus miniſter ſatiſfaciam papyropæo, operiſque Typographicis, ita ut omnia exemplaria ſint quidem futura tua, eadem tamen omnia ſis mihi relicturus, ſim autem præſtiturus te indemnem, proindéque refuſurus tibi (poſtquam divenditus fuerit à me juſtus numerus exemplarium) tua quadringenta ſcuta, & quò majorem fidem habeas, meis verbis, en ſyngraphum, qua in fide boni viri polliceor id me facturum.

Quæritur *tum, an Cyprianus, atque alii, de* c *quibus lit. a. debeant appellari negotiatores, tum ſingulariter an idem Cyprianus debeat dici egiſſe contra votum de non celebrando contractu mutui?*

RESP. Ad primum, neque Cyprianum, neque illos Clericos & Monachos, iiſque ſimiles poſſe propriè appellari negotiatores, ſeu dici eſſe propriè negotiatos, eſto impropriè poſſit illis attribui hoc prædicatum. Hanc diſtinctionem valde ſingulariter exprimit Lezana in ſumma verb. *Negotiatio n.* 2. ſcribens: *Negotiatio eſt duplex: alia Propria, alia minùs Propria, ſeu non Propria. Prior eſt, in qua comparatur res, ut integra & immutata cariùs vendatur, poſterior, in qua res comparatur, ut poſtea mutata & melior effecta cariùs vendatur;* probátque hanc diſtinctionem non ſolùm authoritate Cap. ſeu Can. *Ejiciens*, (quem deſumptum ex S. Chryſoſtomo protulimus ſuprà *n.* 11.) ſed etiam Medinæ, Proſperi, Auguſtini, Laymanni & Card. de Lugo. De Contractibus *diſp.* 26. *ſect.* 3. *n.* 21. quibus poterat addere tum illos, quos nominavi ſuprà *n.* 12. tum Barboſ. de Jure Eccleſ. L. 1. c. 11. *n.* 123. Atqui is, qui ſuis (multò minùs qui alienis) ſumptibus, curat imprimi Librum ea intentione, ut ex divenditis, exemplaribus lucrum faciat, non comparat rem ullam, ut integram, immutatámque revendat cariùs, quòd ſic declaro.

Sunt quippe in impreſſione tria vel quatuor, d pro quibus expendit nummos is, qui curat excudi Librum. Eſt primò labor typothetæ, & impreſſorum, qui utique non emitur. Eſt ſecundò uſus, & detritio characterum alphabeticorum, quæ cùm non habeant nomen *mercis*, non poteſt eis propriè competere *pretium*, adeóque nequeunt propriè vendi & revendi. Eſt tertiò niger color, qui eſto propriè ematur, attamen vel non revenditur cariùs, quàm ſit emptus, vel non revenditur immutatus, ſiquidem per impreſſionem ita mutatur, ut nullo modo ſit ampliùs aptus uſui, ad quem fuit adhibitus. Quartò denique charta emitur quidem propriè, & revenditur propriè, cúmque intentione faciendi lucri notabilis, ſed adeò mutata, ut & ſit inepta ad uſum priſtinum, & habeat ſeſe perinde, atque vel tela, in qua Imago depicta, vel ſtannum, cuprum, argentum & aurum, in quibus inſculpti, inciſive ſunt Characteres alphabetici, beſtiæ, mortales, cœlites &c.

e tes &c. *Igitur* procuratio impreſſionis illius, de qua inſtituitur præſens quæſtio, non eſt propriè negotiatio, eſt enim ſolùm reductio chartæ ad aliquam formam, ut loquar cum Barboſa. *cit. n.* 123. ergo nec interdicta Clericis, ut etiam à Congregatione VII. Generali Noſtræ Societatis Decret. 84. §. 3. declaratum expreſſè eſt; quandoquidem Canones inhibentes negotiationem ſunt leges propriiſſimè pœnales, utpote decernentes excommunicationem (ſententiæ ferendæ) *Cap. Secundùm. Ne Cleric. vel Monach.* & ſuſpenſionem *Cap. Sed nec. eod.* imò etiam depoſitionem *Cap. Clericus. Diſt.* 91. Sufficienter autem probavimus in noſtro Clypeo, Leges pœnales eſſe ſtrictè adeóque in proprio, non autem improprio ſignificato accipiendas.

f Et quia facta hic mentio ſtatarum pœnarum; obſerves tametſi earum gravitas ſatis oſtendat, Clericos libere negotiantes, ſeu negotiationem exercentes delinquere mortaliter, ut contra Cajetanum in Summa V. Clericus *num.* 5. junct. *n.* 4. atque Rodriq. *Tom.* 2. *Summæ cap.* 1. *n.* 2. citantem Navarrum, & Ludovicum Lupum, notant paſſim Doctores, & ſuadent Leges pœnales, quas exhibui, attamen à tanta culpa immunem eſſe, qui ſemel, iterúmve negotiatur. Barboſ. *n.* 120. cum aliis, ſeu qui non ita graviter peccat, ut poſſit dici dignus excommunicatione. Lezana *loc. cit. n.* 4. ſeu cujus negotiatio non eſt tam gravis, & talibus circumſtantiis veſtita, ut prudenter judicetur eſſe peccatum mortale. Idem *Ibid.* qui rectè præmiſerat, verbum: *Negotiatio*, eſſe nomen, ut ait, verbale, id eſt frequentativum, requireréque frequentationem, & praxin, ideóque pœnas Canonicas ſupponere frequentiam actuum iis prohibitorum, niſi forte in caſu, quem poſt Card. de Lugo exprimit P. Haunoldus de Juſtit. *Tom.* 4. *Tract.* 10. *cap.* 1. *n.* 281. quando ſcilicet negotiatio exercetur in maxima quantitate; ſed hic, caſus non probat efficaciter.

g RESP. Ad ſecundam quæſtionem, Cyprianum non eſſe votifragum agendo præciſè id, quòd exprimit ſpecies facti, ſiquidem contractus mutui eſſentialiter ſupponit, involvítque tranſlationem dominii: Inſtit. *Quibus mod. Contr. obl.* Et *ff. Si certum petetur. Leg.* 2. Ibíque Doctores: alioqui *mutuum* non differret à *commodato*; liquet autem ex ſpecie facti non intendere Cyprianum comparare ſibi Dominium illorum quadringentorum ſcutorum, ſed ſolorum exemplarium, eorúmque acquiſitorum per gratiam, liberalémque ceſſionem ac donationem Catonis, cui non repugnat, quòd Cyprianus ſe obliget ad præſtandum ex gratitudine indemnem Cyprianum, nec enim adverſatur rationi donationis liberalis, obligatio ex virtute gratitudinis præſtandi talem indemnitatem, ut reliquos inter obſervat P. Leſſius *Lib.* 2. *De Iure & Iuſt. cap.* 18. *dub.* 2. *n.* 14. Quia tamen nequit de Catone præſumi, quòd noluerit onerare Cyprianum obligatione, & titulo juſtitiæ, ſed ſolius gratitudinis, niſi idem Cato & fuerit probè inſtructus, ſeu informatus de hac ſubtilitate Theologo-Juridica, & paratus ſervire Cypriano quacumque licita ratione poſſet, dummodo Cyprianus ſe inconſcientia, & coram DEO graviter ex quocumque licito titulo obligaret ad refundenda illa quadringenta ſcuta, eam ob rem patet illum contractum fuiſſe admodum periculoſum, & ſine dubio habiturum fuiſſe rationem propriè dictæ Negotiationis, ſi Cato intendit Cyprianum conſtringere titulo juſtitiæ, adeóque ad tribunal Judicis citare, ſi fortè hìc non fecerit refuſionem.

Porrò ex tam multis factis, ſeu actibus ſuh prà recenſitis Sacerdotum ſecularium, Monaſteriorum, ipſiúſque adeò Capituli Cathedralis Conſtantienſis, quòd olim ſuis expenſis curavit imprimi & vendidit, venditque nunc etiam Breviaria & Miſſalia Romana, deduces, illos Canones, quos retuli ſuprà, non eſſe in hac Diœceſi (quidquid ſit de multis, aut paucis aliis) receptos, quatenus extenduntur ad præſentem materiam. Si cujus tamen Religionis Leges ſeu ſtatuta inhibeant ſuis alumnis ejuſmodi impropriè dictam negotiationem, ſtandum eſt illis Decretis, ita tamen, ut qui contravenit, haudquaquam peccet mortaliter, poſito, quòd dictæ Religionis Statuta generatim vel ad nullam, vel ad ſolam venialem culpam obligent.

Confirmò rurſum ſuperiùs dicta inde, quòd i dubium non ſit, quin ante repertam Typographiam multa millia Monachorum juſſu Superiorum deſcripſerint, depinxerintque Libros proprios & alienos, & quidem ea intentione, ut multa ex iis voluminibus venderent ad comparanda non modo neceſſaria ſuſtentationi, ſed etiam opportuna honeſtis relaxationibus, exornandis Eccleſiis, pauperibus juvandis &c. Ejuſmodi Librorum conſcriptioni ſuppar eſt impreſſio, nec habet hæc majorem negotiationis ſpeciem, quàm illa. Cur igitur dicatur eſſe jure communi magis vetita?

CAPVT

CAPVT XII.

An qui obæratos ducunt ad Cauponas, teneantur ad Restitutionem?

SUMMARIUM.

An si sciam, aliquem esse ita ære pressum alieno; ut solvendo non sit, licitè eum ducam, vel comiter ad potationem superfluam? 1.
An liceat celebrare contractus cum obærato, eóve promovere? Ibid.
Si obæratus non fiat per compotationem impotentior ad solvendum, non pecco contra justitiam illum ducendo ad tabernam. 2.
Quid sit fieri impotentiorem, seu pauperiorem per aliquem contractum? 3.
Non peccat graviter, qui tantùm semel, iterúmve ducit obæratum ad cauponam. 4.
Qui peccent potitantes cum abligurientibus lucrum necessarium alendæ familiæ? 5.
An teneantur ad Restitutionem? 6.

1 QUæres I. *An si sciam, aliquem ita esse ære alieno pressum, ut solvere non possit, licitè illum ad compotationes ducam, aut comiter?*

RESP. Hujus quæstionis resolutio petenda est ex generali alia quæstione: An videlicet quis licitè celebret contractus cum obærato, aut licitè promoveat contractus, quos iste init? Quam quidem generalem quæstionem inter alios tractant Molina *disp.* 328. 329. 330. ac Lessius *Lib.* 2. *De Iust. cap.* 10. *dub.* 19.

2 Dico breviter: Aut per illas compotationes obæratus fit impotentior ad solvendum, quàm antè erat, aut non fit impotentior? Si non fit impotentior, non delinquis contra justitiam, esto sis causa compotationum. Delinquis autem, si per illas fiat impotentior. Ratio est, quia citati Doctores cum aliis communiter, ita pronuntiant de illo, qui cum obærato init aliquem contractum, per quem fit, aut non fit pauperior, seu impotentior ad solvendum; ergo id ipsum etiam censendum est de eo, qui inducit ad contractum ejusmodi ineundum.

3 Porrò tunc solùm dicitur obæratus fieri pauperior per aliquem contractum, & impotentior ad solvendum, quando posito illo contractu nequit per ullam moralem diligentiam acquirere tantum, quantum potuisset, & voluisset dare creditoribus, si non iniisset illum contractum. Si enim vel posito illo contractu, possit adhuc per suam industriam comparare tantum, quantum erogavit per illum contractum: vel jam ante illum contractum constituerat, non solvere creditoribus, certè per illum non fit impotens ad solvendum, inquit Lessius *cit. cap.* 20. *n.* 170. sed merè per suam improbitatem, quæ alteri nocere non debet. *Leg. Si opera. ff. De eo, quod metûs causa*, cùm ex alterius malignitate damnum alteri emergere non debeat, Text. *In Leg. Ex Libris Cod. De acquir. & retin. possess.*

Hinc deduco, communiter loquendo, non 4 esse saltem gravis injustitiæ peccatum timendum, quando quis semel, aut iterum est obærato causa, ut in taberna ob compotationem minimè necessariam pecunias expendat, vel expendendi debitum contrahat, secus si crebrò id faciat. Et quia qui damnum dedit, restituere tenetur, S. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *a.* 4. *in C.* ab omnibus receptus, & *Cap. Si culpa. De Injur. & dam. dat.* Is autem, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur *Leg. Qui occidit. ff. Ad Leg. Aquil.* Et *cit. cap. Si culpa. §. final.* idcirco ad restitutionem creditoribus horum obæratorum popinonum faciendam obliganter ii, qui illos ad cauponas crebrò trahunt. Nec dubito, quin in foro externo competat ex vi Legis Aquiliæ citat. *Leg. Qui occidit* creditoribus actio in ejusmodi seductores, siquidem probari possit, illos fuisse conscios debitorum, & impotentiæ ad solvendum. Favet apertè citat. Cap. *Si culpa.*

Quæres II. *Quanto piaculo se obstringant, qui 5 sæpe potitant cum iis, qui vel uxorum dotes, vel omne suum lucrum abligurunt, ita ut uxores, & filii ad egestatem devolvantur, vel in magnum mærorem conjiciantur?*

Respondeo. Haud dubiè maximo, cùm sint magni mali directa, vel indirecta causa. Et quia hoc peccatum est perfrequens inter illos, qui ferè quotidie tabernas adeunt, idcirco consultò aget Confessarius, si ejusmodi perpetuos potatores interroget, an non consueverint esse authores compotationum iis, quos alieno ære pressos, vel magna debita, cum magno incommodo familiæ contrahere sciebant; & pro ratione responsionis magnam, modicam, nullam restitutionem, imperabit, restitutionem, inquam, seu compensationem faciendam non utique ipsi obærato; nam obligatio ejusmodi restitutionis fundatur in injuria. S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *a.* 6. *in C.* atqui obærato non fit injuria, cùm non sit invitus, sed uxori, & liberis meritò invitissimis. Fateor 6 tamen, rarissimè occurrere, & concurrere omnes circumstantias, necessarias ad id, ut confessarius vel prudenter, vel necessariò mandet compensationem, cùm è decem talibus non sit reperire unum, qui capere possit, se hîc & nunc obligatum esse ad hanc, aut illam, aut qui induci queat, ut faciat. Quare erit tunc usurpandum illud *Cap. Si quis 2. De Pœnitent. dist.* 7. ex S. Augustino: *Si scirem non tibi prodesse, non te monerem, non te terrerem.*

O.

A PROVOCATIONE AD HAUSTUS AEQUALES &c.

CAPVT XIII.

De provocatione ad haustus æquales, & Ebrietatem.

SECTIO I.

De Propinatione?

SUMMARIUM.

Vndenam promanârit usus propinandi? 1.
Videtur promanâsse apud Germanos ex pietate. 2.
Sintne hi vituperandi, dum claudunt convivia poculo, quod vocant S. Ioannis Benedictionem? 3.
Casus Prædicantis puniti ob contemptum ejusmodi poculum. 5.

1 PRovocatio ad haustus æquales solet fieri per propinationem.

Quæres itaque I. *Vndenam usus propinandi promanaverit?*

RESP. Promanavit à mera virtute, ut testatur noster Gretserus *Lib.* 1. *De Benedict. cap.* 14. scilicet à petitione apprecationis, & benedictionis. Nam propinans dicit: *offero, vel affero* (scilicet ad benedictionem) *vobis.* Alter respondet: *Deus vobis benedicat.* Aliam hujus originem refert Elias Cretensis apud nostrum 2 Raynaudum *Lib.* 6. *De Virtutib. n.* 106. Et verò certum est, non ita promanâsse à mera virtute, ut non etiam, & priùs quidem fuerit ille mos ex superstitione, aliáve, aut mala, aut certè non bona causa usurpatus. Constat quippe veteres Græcos, & Romanos propinationibus nimis quàm crebrò fuisse usos, & quidem in deorum falsorum honorem. Quare illud, quod ex Gretsero retuli, intelligendum est de propinatione, facta illa formula verborum, quæ expressi. Unde testatur Fornerus *Lib.* 3. *De Temulent. malo, Capit.* 16. esse nonnullorum non ineptam opinionem, quòd cùm inter Teutones ita increbuissent superstitiosi ritus propinandi, & bibendi, ut non facilè possent aboleri, permiserunt primi Germaniæ Apostoli, ut inter epulas alter alteri amoris ergo, & benevolentiæ propinarent, nemine tamen ad respondendum æquali haustu, ni placeret, adacto.

Quæres II. *Sintne Germani laude, an vitupe- 3 rio digni, dum sua convivia claudunt propinatione poculi, quod vocant benedictionem S. Ioannis?*

RESP. Sunt per se loquendo laudandi potiùs, quàm vituperandi, cùm & faciant ex antiqua, piáque consuetudine, & illo poculo tanquam amicitiæ symbolo utantur, ad impetrandam à S. Joanne Evangelista tam assiduo mutuæ charitatis præcone benedictionem, & sinceram amicitiam continuandam, vel ut observat Gretserus *loc. cit.* idcirco, ut quidquid potûs sumptum est, id ad utilitatem animæ, & corporis cedat, atque ut hac clausula benedicta potus intra viscera immissus, quasi obsignetur per merita illius, qui venenum innoxius bibisse creditur.

Fateor tamen, multos maledictionem pro 4 benedictione referre, ideo quòd ad istud benedictionis poculum ebibendum hortentur, & tantùm non cogant illos, quos vident constituros in proximo discrimine ebrietatis, ut patebit ex Sectione sequenti. Et in simili docet S. Augustinus *Serm.* 232. ubi ita disserit: *Illud porrò quale est? Quòd jam transacto convivio, expleta siti, cùm jam amplius bibere non possint, tunc quasi novelli, quasi qui ipsa hora supervenerunt, diversis nominibus incipiunt bibere non solùm vivorum hominum, sed etiam Angelorum, & Reliquorum Sanctorum, æstimantes, quòd maximum illis honorem impendant, si se in illorum nominibus nimia ebrietate sepeliant, ignorantes, quòd nullus tam gravem injuriam Sanctis Angelis & Sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quam illi, qui in eorum nominibus bibendo, per ebrietatem suos animos probantur occidere.*

E diverso observo hoc loco, non semel fuis- 5 se manifesto, subitaneóque supplicio divinitus illato punitos Luthericolas, etiam præcones, qui tametsi impigri, promptíque ad vacuanda pocula, in sanitatem variarum Personarum, attamen præfractè recusarunt etiam libare poculum, Benedictionem S. Joannis vocatum. Audivi non semel recensentes testatissimæ hujusce vindictæ exempla, & unum quidem pauculis hebdomadis priusquam mandarem ista huic chartæ, quo videlicet pacto minister Lutheranus à Dynasta Catholico, à quo seu collationem, seu præsentationem Parochialis curæ petens, ab eodémque adhibitus mensæ, ac sub finem prandii invitatus, pro more inter Germanos Orthodoxos solenni, ad bibendam S. Joannis, ut vulgo dicimus, benedictionem, recusavit, equum conscendit, quo vix conscenso excussus in terram fregit tibiam, ac postmodum reversus aliis, aliisque de causis ad illum Dynastam, doctúsque suo malo, sumpsit non semel illud postremum Symposii poculum eo ritu, ac modo, quo Orthodoxi.

SECTIO II.

An, & quantum ſit peccatum provocare ad hauſtus æquales?

SUMMARIUM.

An, & quantum ſit peccatum provocare ad hauſtus æquales? 6.
Eſt perſe mortale invitare ad poculum inebriativum. Ibid.
Et certare, quis plura, majoráve pocula exhauriat. 7.
Quid de talibus ſcribat S. Baſilius? 8.
Quid S. Ambroſius? 9.
Et Seneca? 10.
Iure civili eſt vetita provocatio ad hauſtus æquales? 12.
E à diverſis Synodis. 14.
Et à Concilio Generali. 15.

6 QUæres I. *An ſit crimen lethale, alterum invitare ad ebibendum poculum, ex quo prævidetur ipſe ebrietatem contracturus?*

RESP. Eſt haud dubiè per ſe loquendo crimen lethale. Etenim eſt propriè dare ſcandalum, ſeu occaſionem gravis ruinæ ſpiritualis, de qua Salvator apud Matthæum *Cap. 18. Væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Quamobrem provocatio ad hauſtus æquales eſt tunc habenda pro peccato mortali, quando provocans prævidet, eſſe periculum, ne is, qui provocatur, vino ſopiatur. An verò quando hæc invitatio fit ex urbanitate careat culpa, dicam *Sect. ſeq. quæſt. 2.*

7 Quæres II. *Quo crimine ſe obſtringant, qui inter ſe certant, uter alteri majores, & frequentiores cyathos vacuare poſſit?*

RESP. Ex omnium Theologorum, & ſano ſenſu præditorum graviſſimo, ut liquet ex allatis ſuprà rationibus. Et facere non poſſum quin hanc ſummam turpitudinem, quæ non plebeios duntaxat ſcurras, ſed permultos, generis politici, militaris, & Eccleſiaſtici officii laude claros inficit, ob oculos ponam, utens verbis duorum ſanctiſſimorum, doctiſſimorúmque Eccleſiæ Patrum, qui illam eandem turpitudinem ſua ætate graſſantem ita deſcripſerunt, ut ſatis appareat, horum temporum lurcones pudori ſibi ducere, ſi dicantur priſcorum intemperantiam non æquare.

8 Primus illorum SS. Patrum, & antiquiſſimus eſt Baſilius, qui in diſertiſſima illa in ebriet. Homil. ſic diſſerit: *Deinde potatione procedente eò veniunt, ut de augenda hac inſania certent, & de ebrietate per ambitionem contendant, cujus authorem legis diabolum habent, victoriæ verò præmium, peccatum; nam qui plus hauſerit meri, is præ cæteris laudatur, is victoriam refert, atque ita gloriam in ignominia captant. Quiſnam ferme eorum, quæ hic fiunt, turpitudinem unquam ſatis explicet &c.*

9 Alter eſt Ambroſius, qui prorſus affabre, ſuiſque coloribus depingit noſtræ ætatis helluones *Lib. De Elia & Jejun. cap. 13.* ubi inter alia, quæ de ferculorum multitudine, & apparatu famulorum aſſantium, infundentiúmque obſequiis, poculorum varietate, & oſtentatione, potandi certamine, atque aliis ejuſmodi, noſtri æquè ac ſui ſæculi probroſiſſimis inſaniis eleganter ſanè, ac diſertè ſcribens hæc habet: *Procedente potu longiùs, contentiones diverſæ, & magna certamina, quis bibendo præcellat; nota gravis, ſi quis ſe excuſat, ſi quis temperandum forte vinum putet. Deferuntur phialæ, maximi crateres, quaſi inſtrumenta bellorum, ac ne immoderatum hoc arbitreris, certatur ſub iudice, ſub lege decernitur; agonothetes illic furor eſt, ſtipendium debilitas victimæ, præmium culpa; pendet anceps diu, & dubius belli eventus, furor enim illic eſt præliaris &c.*

10 Porrò quàm alieni à ratione ſint, qui laudem hac ex re captant, declaravit Seneca *Epiſt. 83.* his verbis: *Quæ gloria eſt capere multum? Cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno, ac vomitantes recuſaverint, cùm ſuperſtes toti convivio fueris; cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam capax vini fuérit, vincéris à dolio.*

11 Ex his patet, optimè ſcripſiſſe Reginald. *Lib. 22. n. 55.* meram corruptelam eſſe, bibendi regulam ſtatuere alieni ventris, & viſcerum capacitatem, tanquam lagenæ, aut cloacæ potiùs, in quam vinum tranſfunditur perdendum.

12 Quæres III. *An iure civili ſit interdicta provocatio ad hauſtus æquales?*

RESP. Eſt omnino; & quidem à duobus Cæſaribus, Maximiliano I. in Comitiis Anni 1500. ejúſque nepote Carolo V. in Comitiis Anni 1530. & 1548. ut teſtatur Andreas Gail. *Lib. 2. Obſervat. 100. n. 24.* éſtque ad longum videre apud P. Adamum Contzen *Lib. 3. Politicor. cap. 14.* Sed has leges eſſe contrario uſu quaſi abrogatas, & ſublatas, idque paſſim exemplo, & quadam turpitudinis infamia, conqueritur idem Gail. Vide quod infrà *Cap. 12. ſect. 2.* referam. Fatendum tamen eſt, 13 pluribus jam in locis, præſertim Italiæ, Galliáque vicinis, plurimùm remiſiſſe illam ad hauſtus æquales provocandi inſaniam; & proinde plurimos Germaniæ Nobiles, & Magnates, quando convivia exhibent, conſueviſſe more Italorum, Gallorúmque edicere, fas eſſe cuivis ex invitatis, ſervare ſuum poculum, & bibere, cùm fuerit commodum. Quod quidem ſi omnes convivatores facerent, parceretur mirum,

rum, utile æque in modum vino, cerebro, valetudini.

14 Quæres IV. *Quid circa hoc ſtatuant Iura Eccleſiaſtica?*

RESP. A Provinciali Synodo Saliſburgenſi *Conſtit. 27. cap. 13.* decerni, ut ſi quem Clericum ad æquæles hauſtus certâſſe conſtiterit, ita puniatur, ut cæteri ejus exemplo ab hoc crimine avocentur. Synodus Diœceſana Pragenſis *Tit. De vit. & honeſt. Cleric.* in omni Chriſtiano, & multò magis in Clerico damnat, atque deteſtatur provocationes ad hauſtus æquales. Synodus Diœceſana Conſtantienſis *Part. 2. Tit. 1. n. 15.* ſub graviſſima pœna illas provocationes, *tanquam rem maximè deteſtandam* 15 interdicit *omnibus Clericis.* Denique *Cap. A Crapula. De vit. & honeſt. Cleric.* Ita ſanxit in Concil. Generali ſub Innocent. III. *Illum abuſum penitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad hauſtus æquales ſuo modo ſe obligant potatores; & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fæcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi à ſuperiore commonitus ſatiſfecerit, ab officio, vel beneficio ſuſpendatur.*

SECTIO III.

Quibus caſibus liceat alium ad Ebrietatem provocare?

SUMMARIUM.

Poteſt quis ad Ebrietatem induci quatuor modis. 16.
Quid ſi quis inducat primariò ea intentione, ut per Ebrietatem occidatur anima? 17.
Quid ſi abſque hac intentione, attamen prævidens, alterum culpabiliter inebriatum iri? 18.
Quid ſi prævideat inebriatum iri, attamen præter opinionem? Ibid.
Quid cenſendum de invitantibus ex amicitia ad poculum allaturum Ebrietatem? 19.
Pulchra hanc in rem ſententia Sancti Ambroſii. 21.
Peccat ſeriò invitando die jejunii ad Cœnam obligatum jejunare. 22.
Explicatur, quomodo invitatio ex charitate poſſit eſſe non mendax, & tamen non ſeria? 23.
An ſit fas vino opplere meditantes proditionem urbis? 24.
Licet propter majus malum vitandum invitare ad minus. 25.
Is ſaltem tunc, quando minus includitur in majore deſtinato. 26.
Quid ſi illi proditores ignorent vim vini propinati? 27.
Quid ſi miles præſidiarius impediat, ne arx reſtituatur vero Domino, an fas erit eos ſopire vino? 28.

QUæres I. *Sitne provocatio ad Ebrietatem ita intrinſecè mala, ut nunquam ſit licita?*

Reſpondeo I. Supponendum eſſe, quòd quatuor modis quis poſſit alterum provocare, & inducere ad ebrietatem, I. Directè, & formaliter intendendo formalem ipſius ebrietatem, hoc eſt ex deſiderio, ut ipſe patiatur damnum ſpirituale ebrietatis. II. Directè, ſed non formaliter, quando ſcilicet volo, ut vino ſopiat rationem, videns id non poſſe fieri ſine ejus peccato. Id autem volo, non quia malum ejus eſt, ſed quia inde commodum aliquod ſpero. III. Directè intendendo ejus ebrietatem materialem, quando ſcilicet illum ad immoderatum potum induco in ea circumſtantia, in qua ipſe non putat ſe inebriatum iri. IV. Indirectè, quando ſcilicet prævideo, quòd ex aliqua actione mea ipſe ſit facilè accepturus occaſionem ſe inebriandi, ego tamen id non intendo. Duos primos, & poſtremum modum indúcendi ad ebrietatem tradit cum aliis *in materia de ſcandalo* Cardinalis de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. diſp. 16. n. 157.* ac doctè, utilitérque diſcutit Dicaſtillo *De Pœnitent. diſp. 9. à num. 332. ad n. 350.* Tertius per ſe patet. 16

RESP. II. Qui primo modo inebriat alterum, agit propriè officium Dœmonis, qui homicida, erat ab initio, *Ioan. 8.* & proinde peccat ſemper mortaliter, adeò, ut Vaſquez *1. 2. diſp. 102. n. 23.* & Koninck *De Actib. ſupernat. diſp. 32. n. 51.* contra alios, damnet te peccati mortalis, ſi ea directa intentione quempiam incites etiam ad noxam venialem, eò quòd talis inventio videatur procedere ex odio Dei, & proximi vel ut placeas diabolo. Qui reliquis tribus modis inducit ad ebrietatem, peccat quandoque mortaliter, quandoque non peccat mortaliter. Quòd quandoque peccet mortaliter, non eget probatione, quia clarum eſt, poſſe in ſingulis horum trium modorum intervenire ſcandalum activum, & propriiſſimè dictum. 17

Quòd verò poſſit illa ſecunda, & tertia inductio fieri quandoque abſque peccato mortali, ut taceam de quarta, de qua nullum eſt apud quemquam dubium, probatur inde, quòd communior opinio Doctorum apud Tannerum *Tom. 3. diſp. 2. q. 6. dub. 8. n. 102.* contra Valentiam ferat, fas eſſe in quibuſdam caſibus, & circumſtantiis, ad minus malum incitare hypotheticè illum, qui paratus eſt facere majus, ſi per inductionem ad minus malum impediatur majus; éſtque hujus veræ doctrinæ, pro qua nominabo plures Doctores, hac, & ſequenti 18

Sectione, hæc concludens ratio, quòd nihil malitiæ contineat actus, quo dico, Sticho: *Mi Stiche, quia prava tua Passione induratus decrevisti facere quidpiam, quo non ignoras, gravissimè offensum iri divinam majestatem, ac multos mortales, rogo te, ut potiùs admittas aliquid, quod neque in Dei, neque in hominum tam atrocem injuriam cessurum sit;* sic enim præcisè rogando, hortando non intendo formaliter aliud, quàm minoritatem, ut ita loquar, seu minutionem injuriæ divinæ, & humanæ, & quidem ex hypothesi quòd Stichus obfirmato animo feratur, rapiatur in majoritatem, seu augmentum injuriæ Dei, hominúmque. Atqui potest utique contingere, ut per inductionem, ad ebrietatem tam formalem, quàm materialem impediatur majus malum, quàm sit ipsa ebrietas. Hanc generalem doctrinam declarabo per varios casus particulares, quos de ipsa in concreto ebrietate reperi decisos à variis Doctoribus, prius tamen.

19 Quæres II. *An delinquat, qui ex amicitia, & urbanitate aliquem invitat ad ebibendum poculum, ex quo prævidet, eum inebriatum iri?*

Respondeo I. Quando illa invitatio fit eo animo, ut invitatus revera ebibat poculum, ex quo inebriandus prævidetur, tunc utique delinquit invitans. Probo I. Quia ita docent omnes Theologi teste Pasqualigo *in praxi jejunii decis.* 371. post S. Thom. 2.2. *q.*150. *a.*2. *ad* 3. Probo II. Quia sine gravi causa non licet aliquem seriò invitare, & hortari ad faciendum id, quod ipse nequit sine peccato etiam materiali facere. Cardinal. de Lugo *De Pœnit. disp.*16. *sect.*4. §.2. *num.* 155. testans, neminem concessurum hanc licentiam, seu quia is, qui talem incitat, utitur illo velut instrumento ad peragendum opus de se illicitum illi eidem. Laymannus *Lib.*1. *Theol. Moral. Tr.* 4. *cap.*10. *n.*3. seu quia quando est quidpiam à quocunque legitimo Superiore interdictum, ex natura rei resultat in aliis obligatio non inducendi ad transgressionem. Joannes Dicastillo *De Pœnit. disp.*9. *dub.*8. *n.*333. At verò ille, qui in casu proposito invitatur, non potest absque peccato saltem materiali ebibere illud poculum.

20 Unde patet I. hanc doctrinam esse veram, licèt is, qui insinuatur, jam sit ex se, & citra omnem invitationem paratus ebibere illud poculum, ut teste Pasqualigo *loc. cit.* docent omnes, dum disputant de illo, qui obligatum jejunare invitat ad cænandum secum. Patet deinde, eandem doctrinam habere locum, etiam in casu, quo is, qui invitatur, ignorat, ebibitionem propinati crateris allaturam mentis exilium. Confirmatur. Nam peccas utique mortaliter, si die jejunii apponas carnes illi, qui nescit esse diem jejunii. Layman. *loc. cit.* Thomas Del Bene *De Immunit. Eccles. Part.* 2. *cap.*13. *dub.*1. *n.*16. aut si amentem incites ad libidinem. Tannerus *Tom.*2. *disp.*4. *q.*8. *dub.* 7. *n.*127. Palaus *Tract.*3. *disp.*1. *Punct.*24. §.2. *n.*14.

Probo III. pulcherrimâ sententiâ S. Ambrosii, quam *Cap.*14. *De Elia & Jejun.* leges his verbis: *Nec vos excusamini, qui vocatis ut amicos, & emittitis ut inimicos. Quantò melius in terram tua vina fudisses? Quid te delectant damna sine gratia? Rogas ad jucunditatem, cogis ad mœrem; invitans ad prandium, efferre vis ad sepulchrum; cibos promittis, tormenta irrogas; vina prætendis, venena suffundis.* 21

RESP. II. Licèt illa invitatio fiat sine præ- 22
dicta intentione, sed tantùm ex urbanitate, & ad ostendendam amicitiam, probabilius est, esse illicitam. I. quia communior, & probabilior opinio Azorii, atque aliorum, quos refert, sequitúrque Fagundez *De Præceptis Ecclesiæ Præcept.*4. *Lib.*1. *cap.*10. peccati damnat illum, qui obligatum jejunare invitat amicitiæ, & urbanitatis causa ad cœnandum. II. quia etsi speculativè loquendo potest quis ex amicitia aliquem invitare ad immoderatum potum, sine intentione incitandi eum ad intemperantiam, practicè tamen est difficillimum, & ideo practicè non tutum. III. quia aut putas illum, qui à te invitatur, acquieturum invitationi, aut censes non acquieturum? Si putas acquieturum, certè es causa peccati. Si existimas non acquieturum, simulatorem potiùs, quàm amicum agere videris.

Hinc refutatur Pasqualigus, dum *decis.*375. 23
à peccato excusat illum, qui etiam non paratum ex se frangere jejunium invitat ad cœnam, esto prævideat eum acceptaturum hanc invitationem. Equidem est per se loquendo assentiendum S. Antonino *Part.*2. *Tit.*6. *cap.*3. §.2. Tabienæ *Verb. Ebrietas*, & Regin. *Lib.* 22. *n.*58. absolutè pronuntiantibus reum peccati mortalis illum, qui ad potandum invitat aliũ, quem probabiliter credit, vino depositum iri. Quamquam rectè subdit idem Pasqualigus *n.* 10. si invitans videat, invitatum velle cœnare, in primis non posse illum urgere, ut comedat; deinde si commodè potest, teneri ipsi dicere, quòd solius urbanitatis causa eum invitaverit, & non ea intentione, ut ipse suam conscientiam læderet. Quæ doctrina potest applicari præsenti materiæ, & observari, eò quòd, sicuti Itali, & Galli millies se vocant humillimos servitores illorum, quibus nullum unquam servitium, aut præstiterunt, aut præstare cogitant, & tamen non mentiuntur, dum hac phrasi, hísque, ut vocant, complementis utuntur, ideo scilicet, quia est tantum urbana locutio, non intelligenda illo sensu, quem sonant verba, sed præcisè accipienda, ut signum alicujus honorationis, aut benevolentiæ vulgaris, vel peculiaris pro circumstantia personarum; ita etiam invitatio ad ebibendum poculum, de quo loquimur, possit esse signum non feriæ invitationis, sed præcisè urbanitatis. Et hoc pacto potest probabiliter defendi doctrina contraria responsioni datæ *n.* 22. in praxi tamen sequenda non est, nisi timeatur aliquod incommodum. Cæterùm an liceat alterum ideo inebriare, ut pellatur ejus morbus, aut mœror, explicabo *cap.*18. *sect.*2.

24 Quæres III. *Verùm si nonnulli proditionem oppidi meditentur in certam horam, nec suppetat mihi alia facultas impediendi proditionem, nisi eos lautè excipiendo, & sopiendo per potum, fas mihi sit illos ita vino obruere?*

RESP. Lessius *Lib.*4. *De Justit. cap.*3. *n.*33. Baldell. Moral. Theolog. *Lib.*5. *disp.*30. *n.*27. aliique esse id tibi fas asserunt propter rationem paulò antè indicatam. Nefas tibi id esse, ait Dicastillo *Lib.*1. *De Justit. & Jur. disp.*3. *dub.*11. *n.*146. Layman. *Lib.*3. *sect.*4. *num.*6. cum aliis, eò quòd ad impediendum majus peccatum non liceat suadere minus, nisi istud minus sit pars, formaliter, vel virtualiter inclusa in majore; de quo patrando cogitabatur. Consentit haud dubiè Arriaga *Tom.*1. *disp.*38. *n.*24. dum absolutè negat, esse licitum, directè unum peccatum persuadere, etiam ut alia vitentur graviora, sed solùm, ut si unum ex duobus velit facere, faciat minus. Nec puto, inquit hic auctor, aliquem Casistam docere, posse me licitè directè optare, ut alter libere Deum odio habeat, etiamsi sperem, vitanda imposterum innumera peccata gravio-ra.

25 Verùm utique non unus, sed plures Casistæ, & magni Theologi docent, quod doceri negat hic Doctor; hi sunt Vasquez *In Opusc. De Scandalo. art.*1. *dub.*1. *n.*9. Turrianus Vasquezium verbatim describens *disp.*96. de charitate *a.*6. Lessius *loc. cit.* Basilius Pontius *Lib.*5. *De Matrim. cap.*15. §.3. *n.*16. probans id tum facto Patriarchæ Loth *Gen.*15. & Levitæ *Iudic.* 15. tum authoritate SS. Chrysostomi, & Augustini: Tannerus *Tom.*3. *disp.*2. *q.*6. *dub.*8. ita loquens: [Licet propter majus peccatum vitandum, (secluſa tamen injuria tertii) inducere ad minus jubendo, suadendo, rogando, hypothetica tamen intentione. Et sic excusari potest factum Eliæ invitantis Sacerdotes Baal ad sacrificandum.] Sic ille.

26 Quare censeo, practicè, & speculativè probabilem esse responsionem ex Lessio, & Baldello relatam, licèt oppositam existimem veriorem, quia puto, esse probabilius, quòd non liceat inducere ad minus malum, pro evitando majore nisi illud minus includatur in majore, vel jam cogitatum, & destinatum fuerit; siquidem videre non possum, quo pacto non inferatur hinc, posse quem licitè, propriéque esse authorem peccati. Assentirer autem Lessio, si proditores statuissent statim post peractam proditionem exhilarare se mero usque ad plenam temulentiam; etenim esse authorem ejusmodi circumstantiæ temporis non apparet esse ita intrinsecè malum, quin recta ratio quandoque permittat. Lege omnino Dianam *Part.* 5. *Tract.*7. *Resol.*7. referentem alia exempla, atque authores.

Quæres IV. *An non saltem ejusmodi proditores liceat invitare, & hortari ad bibendum vinum fortissimum, cujus ipsi vim ignorant?* 27

RESP. Ipse quoque Dicastillo *cit. num.*146. post Layman. *cit. n.*6. talem inductionem excusat à peccato, idcirco, quòd tali haustu non sint peccaturi proditores, & proinde non sis futurus causa peccati, sed solùm privationis usûs rationis, quem utique licitè potes illis auferre, cùm posses licitè (si alia ratio proditionis avertendæ non suppeteret) totum caput ipsis auferre.

Quæres V. *Quid licitum sit, casu, quo cives,* 28
aut milites nolunt quidem urbem prodere, sed tamen volunt impedire, ne urbs, quæ est in manibus hæreticorum, & rebellium restituatur suo legitimo domino?

RESP. In hoc quoque casu permittunt Lessius, & Baldellus *loc. cit.* ut eis strenuè propines, donec humi sternantur; quod & ego permitto in casu præcedentis quæsiti.

SECTIO IV.

Proponuntur, ac resolvuntur aliæ quæstiones de provocatione ad Ebrietatem?

SUMMARIUM.

Casus capti à latronibus, eósque inebriantis, ut posset fugâ elabi. 29.
Qui juravit, se non fugiturum è carcere, illicitè inebriat custodem ad fugiendum. 30.
Quid si non juravit? Ibid.
Quid si prævidit, suam fugam fore custodibus damnosam? 31.
Quid si nequeam nisi ex ebrio cognoscere, quid hic in me iniquè moliatur? 32.
Aut quid alius in me Consilii coquat? Ibid.
Aut quid in alium amicum meum? 34.
An licitè inebrientur Legati, ad explorandas ipsorum Consilia? 35.
An & rei capitis, ut cognoscantur eorum crimina? 36.
Non potest damnari reus, si retractet Confessionem, quam fecit circumventus à judice. 37.
An licitè inebries afficiendum extremo supplicio, ut ipse minus sentiat carnificinam? 38.
An liceat inebriare stultos? 39.

An infantes? 40.
An hos licitè doceas mentiri? 41.
An proferre verba blasphema? Ibid.
An valeat Sponsio, inter duos, ut plus potans lucretur centum? 42.

29 QUæres I. *Quid respondendum sit ad hunc*

Casum Lessianum.

QVidam ante aliquot Annos captus à vicinis hæreticis, & ductus ad tabernam, cœpit strenuè cum illis potitare, ut eos inebriaret, & se fuga prorsperet, quod est ita consecutum.

RESP. Lessius *Lib.* 4. *De Justit. cap.* 3. *n.* 35. testatur, reipsa id contigisse, & excusat talem à peccato, sicuti & Baldellus *Lib.* 5. *disp.* 30. Et utique excusandus fuit, si ad materialem tantùm ebrietatem induxit, ut illis ratione spoliatis vitam in tuto collocaret, nec nego esse verosimile, quòd hunc ipsum ob finem potuerit ad formalem ebrietatem provocare.

30 Quæres II. *An, & quando peccet, qui carcere, aut custodia clausus vino sopit custodes, ac postmodum elabitur?*

RESP. Ad quæstionem in praxi frequentem, & ab aliis non decisam cum distinctione; aut enim juravit, se non fugiturum, aut non juravit? Si juravit, peccat mortaliter profugiendo, & consequenter inebriando custodes; nam juramentum in gratiam alicujus factum observari debet, si sine dispendio æternæ salutis servari possit. *Cap. Cùm contingat de jure jurando.* Si autem non juravit, tunc subdistinguendum est; aut enim detinetur justo carcere, an injusto? Si injusto excusabunt illum haud dubiè Lessius, & Baldellus, saltem casu, quo carcer esset valde molestus, vel immineret periculum mortis, mutilationisve; illi quippe custodes, & excubitores essent tunc cooperatores ad iniquam detentionem. Si autem justo carcere detinetur, tunc peccat mortaliter, seu ad formalem ebrietatem inducat custodes, seu ad materialem. Nam si ad formalem inducat uno ex tribus modis indicatis *num.* 16. tunc est propriè causa peccati, & quidem non ad evitandum majus, quo solo casu permittunt Doctores inductionem ad formale peccatum. Si verò inducat solùm ad materialem ebrietatem, præbendo videlicet potum, ex quo non censent custodes orituram ebrietatem, etsi non sit causa peccati formalis, est tamen causa, & quidem dolosa, ac proinde injusta, tum peccati materialis, tum exturbatæ rationis, tum denique mortis, aut alterius gravis damni; custodes enim, qui per temulentiam permiserunt elabi captivos, solent communiter vel capite plecti, vel gravi damno affici. Et quamvis probabilior sit opinio asserentium, fas esse captivo, etiam quem justa mors manet, perfringere carcerem, ac profugere, attamen carceris perfractio non est tantum malum, quantum inebriatio custodum, qui suam helluationem capite luere debebunt.

Video posse objici, supplicium, quòd à Magistratu impendet custodibus, habere se merè per accidens respectu inebriationis, & proinde non esse habendam rationem illius; peccatum verò materiale, & privationem usus rationis non esse tanta mala, quin ob vitam conservandam possint inferri alicui, præsertim non prorsus in vito, sicuti non sunt prorsus inviti custodes, qui scientes volentes hauriunt vinum, esto ignorent ejus vim. Quia tamen, sicuti nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur *Reg.* 62. *De Reg. Jur. in* 6. *& Leg. Consilii. ff. eod.* ita, si dolus, & calliditas intercesserit, de dolo actio competit, *cit. Leg. Consilii.* Hic autem dolus, & calliditas intervenire supponitur, ideo saltem Deo, si non Judici terreno competit actio adversus ejusmodi captivum; imò competit ipsis etiam custodibus, si non in foro fori, saltem in foro poli. 31

Quæres III. *Quid pronuntiandum de Cajo, qui probabiliter, & prudenter timens, ne Titius moliatur ipsi interitum, nec valens aliter sibi commodè cavere sine certiore notitia, & indicio talis molitionis, Titium inebriat, an licitè id fiat? posito, quòd nequeat alia ratione illud indicium expiscari.* Hunc casum reperio apud solum P. Baldellum *cit. Lib.* 5. *disp.* 30. *n.* 28. quem quidem proponit verbis, quæ retuli, & respondet sequentibus: Non irrationabiliter pluris facit securitatem suæ vitæ, quàm ebrietatem alterius, & ideo non est damnandus peccati mortalis.] 32

Ego circa hunc casum pronuntio sequentia. 33
I. Verissimè dictum esse à Salomone *Proverb.* 31. *Nullum secretum ubi regnat ebrietas.* II. Illum casum contingere frequenter, ut declarabo *cap.* 19. *sect.* 9. III. Cajum non delinquere, si Titio tantum vini apponat, quantum sufficit ad illum inebriandum; nam materiam peccati mortalis alicui subministrare possumus, quando adest gravis causa. IV. Neque delinquere Cajum, si Titio propinet poculum vini præstantissimi, quo mox præter suam opinionem capiatur. V. Etsi haud dubiè Laymannus, & Dicastillo relati *n.* 24. cum aliis negaturi sunt licitam fore hanc propinationem, & adhortationem in eo casu, in quo ipsemet Titius advertit manifestum periculum ebrietatis, Lessius tamen ibidem relatus eam utique permissurus esset, & ego permitterem authoritate potiùs, quàm ratione ductus.

VI. Etsi P. Nicolaus Baldellus *disp.* 30. *loc.* 34
cit. absolutè tradat, illud ipsum, quod Cajo licitum est respectu Titii, esse eidem Cajo licitum

rum respectu Lælii, casu, quo Lælius putatur omnino conscius Titianæ machinationis in Cajum, ego tamen id non admitto, nisi in casu, quem ponit ipse Baldellus, quando videlicet Cajus habet jus ad eruendam à Lælio veritatem, quomodocunque & quibuscunque artibus. Equidem fieri potest, ut Lælius ex sola charitate, & non ex justitia teneatur prodere Secretum; clarum est autem, obligationem ex sola charitate ortam, non tribuere tantum jus illi, ad quem est ea obligatio, quantum tribuit justitia. VII. Non immeritò censet Baldellus *loc. cit.* inebriationem, quæ Cajo licita est, ad eruendum secretum pro vitæ propriæ conservatione, esse etiam licitam ad explicandam veritatem, pro conservatione vitæ alienæ; nam quibus mediis licitè propriam vitam conservamus, iisdem ferè alterius non repugnantis tuemur. Doctores in materia de homicidio.

35 Quæres IV. *An excusandi illi, qui Legatos ad se missos inebriari curant, ut Secreta cognoscant?*

RESP. Vel volunt cognoscere illa sola Secreta, quæ Legati tenentur manifestare: vel illa, quæ non tenentur, possent tamen bona conscientia: vel denique illa, quæ bona conscientia nequeunt prodere Legati? Si primum, facilè deducetur ex dictis ad quæstionem præcedentem affirmativa responsio. Si secundum, excusandi non sunt, quia incitant ad ebrietatem, vel formalem, & sic sunt causa propriè dicti peccati, idque sine sufficienti ratione, vel materialem, & tunc rationabiliter invitos privant fraudulenter usu rationis, & proinde cùm fraus & calliditas absque sufficiente titulo interveniat, non potest non intervenire peccatum, *Argum. Legis Consilii, ff. De Reg. Jur.* Unde à fortiori patet, delinquere gravissimè illos, si vini equuleum adhibeant, ad exploranda, quæ Legati bona conscientia dicere nequeunt; nam cui non licet minus, nec majus licebit, *Cap. Nulli dist.* 44. & Gloss. *ibid.*

36 Quæres V. *Quantum peccet judex, qui reum idcirco inebriat, ut ex ebrio Confessionem criminis extorqueat?*

RESP. I. Tantum, & eo genere peccati peccat, quantum, & quo illi, qui illicitè aliquem ad ebrietatem provocant, ut explicabo *sect. sequent.* II. Peccat etiam contra justitiam, quia vult ab invito extorquere Confessionem, non servatâ Juris formâ; quare gravi injuria illum afficit, *Argument. Cap. Qualiter, & quando* 17. *De Accusat.*

37 III. Hinc infertur, ejusmodi Confessione non posse stare Judicem, neque secundùm eam posse procedere, vel ad torturam, vel ad supplicium. Baldellus *loc. cit. n.* 29. Ratio est, quia quando examinatio judicis non est juridica, & legitima, tunc Confessio non debet haberi pro legitima, & proinde illâ stari nec debet, nec potest, nisi fortè citra errorem confirmetur: Glossa, & DD. *In Leg. penult. ff. De quæst.* Clarus *q.* 55. *in practica criminali.* Lessius *Lib.* 2. *cap.* 29. *dub. ult. num.* 173. Cùm enim ille processus valeat, in quo servatus non est debitus modus inquisitionis. Text. express. *cit. Cap. Qualiter, & quando. De accusat.* Atqui Confessio, de qua loquimur, non est legitima, nec juridica, quandoquidem Leges adversantur, non autem patrocinantur fraudibus, Text. *in Cap. Nonnulli. De rescriptis*; nam jus est ars æqui, & boni, *Text. Lib.* 1. *ff. De Just. & Jur.* & inde non debent nasci injuriæ, unde jura nascuntur. *Text. cit. Cap. Qualiter, & quando. De accusat.* Unde infert generatim Laymannus *Lib.* 3. *Tract.* 6. *cap.* 5. *n.* 13. Si reus Confessionem per mendacium, simulationem, dolúmve judicis extortam postea retractet, non posse ex ea condemnari. Vide ex instituto hac de re plura in Alphabet. Quadrupl. *Part.* 2. *num.* 536. & 537.

Quæres VI. *An delinqueret graviter, qui extremo supplicio afficiendus vino obrueret idcirco, ut is cruciatum fortiori animo ferret?* 38

Respondent Tannerus, & Dicastillo *loc. cit.* à nemine id negari posse, foréque factum alienum à communi sensu, & praxi proborum, ac sapientum virorum, esto talis potus illis præberetur, postquam est ad mortem ritè dispositus: Assentior his DD. ob magnas absurditates, & incommoda, quæ ex tali praxi sequerentur. Confirmatur ex dicendis *cap.* 18.

Quæres VII. *Quid sentiendum de illis, qui stultos inebriant?* 39

RESP. Licèt nemo possit propriè inebriare stultum, seu amentem, cùm jam antea sit destitutus mente, ac ratione, qui tamen tantum vini illi ingerunt, quantum sufficeret ad eum ratione, si quam haberet, spoliandum, possunt aliquo modo dici illum inebriare. Censeo nihilominus, non esse damnandos gravis peccati, nisi prævideant ex ejusmodi ebrietate ægritudinem aliquam in iis amentibus orituram, vel aliis quidpiam mali illaturos. Ratio est, quia non apparet hìc per se ullum grave inconveniens. Et quamvis ebrietas soleat impedire usum sensuum exteriorum, non videtur tamen hoc impedimentum esse in amente tanti momenti, ut idcirco prædicta inebriatio contrahat malitiam mortalem.

Appendix.

Etsi autem Anno 1661. hanc doctrinam de 40
inebriante amentem tradidi sine authore, postea tamen publico data est Theologia Intentionalis D. Joannis Caramuelis in cujus *Lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 1057. etiam immunem à peccato mortali habet illum, qui amentem inebriat. Præmittit autem *n.* 1056. idem esse dicendum de

inebriante puerum, intelligendo per puerum illum, qui necdum est capax usus rationis: excipiendo autem, & meritò, casum, quo sæpius contingeret illa inebriatio pueri, quia judico, inquit Caramuel, gravem injuriam fieri illi, qui ita educatur, ut veniat ad usum rationis infectus malis moribus, est enim in periculo peccandi certissimo, qui incipit ratione uti, imbutus malis moribus, quibus vix resistunt prudentes. Ita ille. Addo ego aliam rationem, quia frequens inebriatio pueri summopere obest ejus corporali valetudini; etenim vinum humectat, calefacitque nimium pueruIos, quæ superfluitas est ipsis valde noxia, sicuti loquitur Galenus relatus suprà *Cap.* 2.

41 Excusat idem Caramuel à peccato etiam veniali eos, qui necdum adeptos usum rationis docent mentiri. E diverso damnat *n.* 1053. de mortali, qui eosdem docet proferre verba blasphema, hæretica, aut perjura. An rectè damnet? non est hujus loci disquirere, tametsi quisque, ut credo, videt, posse facilè negari saltem de perjurio, si supponamus, quod tradit, & rectè Caramuel, esse extra culpam etiam venialem, qui docet tales mentiri, sed fortè de his plura infrà. *Cap.* 19.

42 Quæres VIII. *An valeat sponsio inter duos, ut qui plus potaverit, præstet centum?*

Hanc quæstionem his verbis proponit Augustinus Barbosa *Tom.* 2. *Collectan. In jus Canon. cap. A Crapula. De vit. & honest. Cleric.* Respondétque negativè. Sed utique est error in typo; quare illam quæstionem tali modo propono: *Valétne sponsio inter duos, ut qui plus potaverit, lucretur centum?* Et respondeo non valere, antequam uterque potandi certamen finierit, nam in malis promissis fidem non expedit observari *Reg.* 69. *Iur. in* 6. Cùm ne quidem sit obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. *Reg.* 58. *eod.* Itaque potest hæc sponsio à qualibet parte rescindi, antequam sit finitum potandi certamen. At postquam est finitum, censeo debere præstari centum illi, qui plus potavit. Nam pacta servabo, ait Prætor, *Leg. Iuris Gent. ff. De Pact.* Et promissa etiam obturpem causam sunt post impletam conditionem præstanda, ut habet communior Doctorum opinio, Soti, Cavarru, Valent, Tanneri *Tom.* 3. *dub.* 4. *q.* 6. *n.* 303. contra Navarrum.

SECTIO V.

An, & quantum peccent, qui sunt causa indirecta alienæ Ebrietatis?

SUMMARIUM.

Tribus modis potest quis esse indirecta causa alienæ Ebrietatis. 33.
Quantum peccet inducendo solo tuo exemplo alios ad temulentiam? 44.
Rarò tales graviter peccant peccato scandali. 45.
Quid de Cauponibus apponentibus tantum vini, quantum sufficit ad Ebrietatem? 46. *& segq.*
Singulariter quando sciunt, hunc aut illum hospitem solere inebriari? Ibid. & 51.
Quid de invitante amicum ad Cœnam, apponentéque ipsi vinum superabundans? 50.
An & illi damnandi, qui non impediunt Ebrietatem alienam? 53.
Aut è diverso, qui effundant vinum, quo alter est se inebriaturus? 54.
An exprimendus numerus personarum, quibus fuisti causa indirecta Ebrietatis? 55.

QUæres I. *Quot modis soleat quis esse indirecta causa alienæ ebrietatis?* 43

RESP. Potissimum tribus. I. Exemplo. II. Materiam subministrando. III. Materiam non auferendo.

Quæres II. *An mortaliter delinquat, qui immoderatè potat, prævidens unum alium, aut plures suo solius exemplo ductos, bibituros esse usque ad Ebrietatem?* 44

RESP. Id omnino asserendum est conformiter communi doctrinæ à S. Thoma 2. 2. *q.* 43. *a.* 1. *& ibi.* 2. *in C.* ubi ipse, & cæteri Theologi constanter damnant illum peccati mortalis, qui suo exemplo dat alteri occasionem peccati mortalis, eò quòd agat (graviter) contra charitatem. S. Thom. *cit. a.* 2. Adeò ut Vasquez *In Opusculo. De scandalo. a.* 8. *dub.* 2. *n.* 17. illúmque more suo describens Turrianus *disp.* 96. *dub.* 7. absolutè dicant, peccari mortaliter à te, si per peccatum veniale des occasionem peccati mortalis, sive illud mortale sit in eadem specie, sive in diversa, ut addit Vasquez *n.* 26. Unde sequitur, ab illo quoque noxam lethiferam contrahi, qui excedit in potu, non tamen usque ad privationem usus rationis, interim probabiliter suspicans, unum aut alterum ex assessoribus tali exemplo moros non destituros guttur rigare, donec sint planè ebrii.

Ego tamen censeo, rarò quem peccare mortaliter dando per suum præcisè exemplum occasionem plenæ ebrietatis; nam communiter, 45

qui alios sese inebriantes imitari solent, sunt ejusmodi, ut licèt non haberent ante se ullum exemplum, forent tamen seipsos inebriaturi, & tunc non delinquit peccato scandali, qui præit malo exemplo. Navarrus *In cap. Consideret. 6. Animadvertere. num.* 9. *dist.* 5. *De Pœnit.* Layman. *Lib.* 2. *Tract.* 3. *cap.* 13. *n.* 6. Unde non puto, Confessarium teneri quærere ex pœnitente ebrioso, utrùm suo malo exemplo non fuerit causa alienæ ebrietatis, potiùs quærat, an non per suam propinationem fuerit ejusmodi causa?

46 Quæres III. *Quatenus excusandi, vel incusandi sint caupones, qui suis hospitibus tantum vini apponunt, quantum sufficit ad conciliandam temulentiam?*

Respondeo I. Excusandi sunt, quando non prævident periculum ebrietatis; nam præcisè præbere alicui materiam peccati mortalis non est illicitum, cùm ipse Deus nobis toties præbeat. II. Si tamen prævideant periculum temulentiæ, accusandi sunt gravis delicti. Ita post Tabienam, Antonium Fernandez *in Ex. Theol. Part.* 4. *cap.* 5. §. 1. & Regin. docet Baldellus *Lib.* 5. *disp.* 30. *n.* 22. Ratio est, quia si ex charitate tenemur nostrum proximum corrigere, ut constat ex Matth. 18. & S. Thoma 2. 2. *q.* 33. tenemur utique ipsi non præbere materiam peccandi. Sicuti autem non tenemur semper proximum nostrum corripere, S. Thom. *Ibid.* ita nec ei materiam peccandi semper non subministrare.

47 III. Ac proinde sunt excusandi prædicti caupones, quando volentibus se inebriare affatim vini præbent ideo, quòd timeant probabiliter, ne ab iis afficiantur contumeliis, si negent. Sanch. *Lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 33. Palaus *Tract.* 6. *disp.* 6. *Punct.* 14. aut quando timent, ne morosè negando, minuatur numerus, & affluxus

48 hospitum. Sanchez, & Palaus *ll. cc.* Quòd si caupo solùm timeat, ne potum largiorem negando perdat lucrum, quod ex largiore potatione sperare potest, negant citati Doctores, & quidem meritò, illum excusari à peccato; eò quòd metus tantilli lucri amittendi non sit causa sufficiens ad non impediendum peccatum alterius.

49 Fateor tamen, si quis ea legat, quæ Pasqual. *in praxi jejunii Resolut.* 363. differit, venturum in hanc opinionem, quòd iste Doctor putet, caupones, & tabernarios non delinquere, etsi tum ob metum lucelli amittendi, tum ob leviorem adhuc causam subministrent vinum lurconibus. Sed doctrina, quam tradidi, est vera. Cùm enim sit à Deo cuivis mandatum de proximo suo *Eccles.* 17. non videtur charitas Christiana permittere, ut illud mandatum transgrediamur ob causam valde levem. Sanè caupo ipse meritò ægrè ferret, si sibi in alia taberna potitanti fuisset tam facilè præbita illa exuberans copia vini, ergo etiam cogitet, alterum posse postmodum indignari, quòd ob tantillum lucelli fuerit condescensum suæ irrationabili petitioni, est quippe scriptum: *Intellige, quæ sunt proximi tui ex teipso. Ecclesiastici* 31. *vers.* 18.

Quæres IV. *Quid censendum de illo, qui amicum ad prandium invitat, prævidens illum ebrium domum rediturum, si ei tantum vini apponat, quantum ipse petet?* 50

RESP. S. Augustinus *Serm.* 231. *De Temp.* sic respondet: *Sed illi, qui tales esse volunt, excusant se miserabiliter dicentes: ingratum habeo amicum, si quoties illum ad convivium vocavero, potum ei, quantum voluerit, non dedero &c. In potestate ejus dimitte, ut quantum sibi placuerit, bibat, & si sic se inebriare voluerit, solus pereat, & non ambo pereatis &c.* Itaque judice S. Augustino communiter non peccant illi, qui, quos convivio exceperunt, ministrant vinum, ebrietatem ipsis allaturum, modo non incitent illos ad nimium bibendum; quia videlicet communiter non vitabuntur offensæ graves, si non detur talibus, quantum petitur. Si tamen citra offensam posset negari tanta copia vini, censeo esse negandam, sicuti non est sine justa, rationabilique causa ad convivium, vel prandium invitandus ille amicus, qui putatur ad ebrietatem usque potaturus, *mandavit enim Deus cuivis de proximo suo*, ut paulò antè dixi. Quia tamen invitatio illa se remotiùs habet ad inebriationem, quàm vini copiosi subministratio, idcirco ea faciliùs, quàm hæc excusationem habet.

Quæres V. *Quid teneatur facere caupo, quando ejus tabernam ingreditur civis, quem scit non solere egredi, nisi probè madidum, adeóque temulentum?* 52

RESP. Asserit S. Antoninus *Part.* 2. *Tit.* 6. *cap.* 3. §. 2. *in fin.* ejusmodi hospitem absolutè obligari, ut tali popinoni neget vinum, si videlicet absque suo incommodo possit. Nec obstat, quòd caupones hanc Theologiam non capiant; nam ideo non capiunt, quia nimis avidè lucra captant.

Quæres VI. *An caupones peccent, quando dant vinum iis, de quibus rationabiliter dubitant, utrùm sint se inebriaturi nec ne?* 52

RESP. Non peccant, ut rectè contra Navarr. in Manual. *cap.* 21. *n.* 26. monent in simili Sanchez *Lib.* 1. *Moral. cap.* 7. *n.* 34. Bonacin. *disp.* 2. *De Peccatis q.* 4. *p.* 2. Pasqual. *In Praxi Iejun. decis.* 363. Ratio est, quia caupo est in possessione ministrandi vinum petentibus; jure autem hujus possessionis privari non debet propter dubium. Imò si in hoc casu neget, peccabit; quia dubia in meliorem partem, saltem quoad actiones exteriores, nostrum proximum concernentes, interpretari debemus, juxta *Reg.* 2. *De Reg. Iur in* 5.

Quæ-

53 Quæres VII. *An & illi damnandi sint, qui non impediunt alienam Ebrietatem, cùm possint?*

RESP. Tales de mortali peccato damnant S. Antoninus *cit. cap. 3. §. 2. in fin.* Tabiena, Reginald. *cit. Lib. 22. n. 58.* si videlicet sine incommodo possint, & tamen non impediant ebrietatem. Ratio est eadem, quam suprà attuli; nam si obligamur ex charitate nostrum proximum reducere ad frugem, quando adsunt illæ circumstantiæ, & conditiones, quas in materia de correptione fraterna explicant Theologi cum S. Thom. *2.2. q. 23.* certè tenemur impedire eorum peccata, quoad possumus commodè.

54 Quæres igitur VIII. *An si Cajus habeat ante se mensuram vini, quam nisi auferam, & effundam, certò certiùs se inebriabit, lubiè effundam?*

RESP. Licitè effundam judice Cardinali Toleto in Summa *Lib. 5. cap. 15.* Quatuor tamen sunt circa hunc, & similes casus observanda. I. Si aliter possum facilè impedire ebrietatem, abscondendo vinum, ut postmodum sobrio reddam, teneor abscondere, & non licet effundere. II. Si non possim abscondere, nisi in meo ventre, licitè ebibam. III. Si Cajus videatur graviter blasphematurus ablato suo vino, auferendum non est, quia ejus minus peccatum non debet per majus impediri. Sanctus Thom. *2.2. q. 150. a. 4.* & Ibid. *q. 73. a. 6.* monéntque generatim Doctores, cùm quærunt, utrùm debitor licitè differat solutionem, quando prævidet creditorem ea abusurum in perniciem propriæ animæ. IV. Non debes pervim auferre illi suum vinum, quia solius Magistratus est, per vim coërcere sceleratos. Excipe, nisi illa ebrietas esset Cajo allatura extremum malum, ut in simili docet Cardinalis de Lugo *disp. 21. De Iust. n. 34.*

55 Quæres IX. *An oporteat in Confessione exprimere, quoties, & respectu quot personarum peccârit quis, ministrando potum excessivum, aut non impediendo Ebrietatem?*

RESP. Tenetur quis in Confessione manifestare, non solùm, quòd alios inebriaverit, aut occasionem, vel materiam dederit inebriandi, sed etiam debet manifestare, quot illi fuerint, & quoties id fecerit, sive cum uno, sive cum pluribus. Ita loquitur Baldellus *n. 22.* & ego cum illo. Addo tamen circa hujus Sectionis responsiones, nullo modo requiri tam graves causas, ad excusandos ab omni peccato illos, qui vinum ebriosis subministrant, aut illos non impediunt ab ebrietate, quàm requiruntur ad excusandos illos, qui propinando, aut incitando sunt causa ebrietatis; plurima enim fas est permittere, aut indirectè velle, quæ non licet directè intendere. Doctores in materia de scandalo & alibi.

SECTIO VI.

Cujus speciei peccatum admittant, qui sunt aliis directa, aut indirecta causa Ebrietatis?

SUMMARIUM.

Cujus speciei peccatum admittat incitans alterum ad formalem Ebrietatem, cum intentione maculandi ejus animam? 56.
Cujus ille, qui ad formalem quidem, non tamen cum tam Sathanica intentione? 58.
Refert ad praxin hoc scire. 60.
Quomodo ille, qui aliis modis fuit causa alienæ Ebrietatis? 62.

56 QUæres I. *Cujus speciei peccatum admittat is, qui alterum in Ebrietatem inducit ex directa, & formali intentione ad ejus animam macula Ebrietatis conspurcandam?*

RESP. Qui hoc modo inducit, diabolus est, non homo, similis illi, qui, ut infrà referemus ex fide dignis, nactus suum hostem, minatúsque ei mortem, nisi Deum negaret, postquam illum ad hoc tetrum facinus adduxit, eum mox confodit cum impio isto epiphonemate: *Iam non corpus solùm, sed animam quoque ipsam perimere possum.* Ut conscelcratus hic 57 latro per suum Sathanicum postulatum peccavit contra charitatem, & Fidei divinæ obligationem, ita & is, de quo præsens quæstio proponitur, peccat contra charitatem, & sobrietatis obligationem, & quidem ita graviter contra charitatem, ut quemadmodum suprà retuli, sint, qui damnent peccati mortalis etiam illum, qui alterum ad veniale delictum inducit, ex formali, & directa intentione maculandi peccato veniali animam ipsius. Causam attuli suprà *n. 17.*

Quæres II. *Quid censendum, quando ex directa 58 quidem, non tamen formali intentione aliquem inebriamus?*

RESP. Nos quoque contra charitatem in hoc casu mortaliter delinquere asserunt multi, negantibus multis, ut disces ex obviis quibusque Theologis de scandalo tractantibus, nominatim Laymanno *Lib. 2. Tract. 3. cap. 13.* Lugone, & Dicastillo mox citandis. Quin plerique ajunt, nos in eo casu committere idem specie peccatum, quod admittit is, quem inebriamus, adeóque contrahere malitiam formalis ebrietatis. At Cardinalis de Lugo *disp. 59 9. De Iustit. n. 14.* id inficiatur, eò quòd sobrietas, uti & alia quælibet virtus, etsi directè præcipiat, ut observetur ab iis, qui ad illam tenentur, attamen tantùm indirectè vetet, ne ejus impe-

impedimenta ponantur, adeóq; ne quis alium ab ea avertat. Quare in prædicto casu admittitur peccatum specie distinctum ab ebrietate propriè dicta, id peccatum tamen reductivè pertinet ad ebrietatem, ut addit idem, consentiente Dicastillo *De Pœnitent. disp. 9. num. 271.* ac bene declarante, mihique persuadente.

60 Nec ista inter Doctores controversia est solùm speculativa, sed verè ad praxin spectat. Nam si ponamus, ebrietatem in aliqua religione fieri peccatum reservatum, non incurret reservationem is, qui aliquem inebriat, ut deduces ex vero fundamento, quo Thom. Sanchez *Lib. 5. Summæ cap. 6. n. 10.* approbantibus Lugone ac Dicastillo *ll. cc.* probat, illum, qui peccato solùm venialiter repugnante castitati, cujus voto obstrictus est, inducit Religiosum ad crimen lethale adversans castimoniæ, idcirco non incurrere illam reservationem, qua tenetur inductus, & seductus, quòd inductus non peccârit mortaliter contra suum votum. Atqui neque is, quo de loquimur, delinquit propriè contra sobrietatem.

61 Quæres III. *Quomodo teneatur talis suum peccatum confiteri, si non peccat directè contra sobrietatem?*

RESP. Ex omnium, quos legi, sensu, certum est, non sufficienter confessurum, qui diceret: Incitavi alterum ad aliquod peccatum mortale, sed exprimendam esse speciem peccati, ad quam alterum quis induxit, eò quòd species peccati, quod seu directè, seu indirectè contra sobrietatem admittit is, qui alterum ad cemulentiam incitat, non possit explicari sufficienter, nisi exprimendo speciem intemperantiæ, cujus quis in altero causa fuit; atqui omnes species peccatorum mortalium sunt explicandæ Trident. *Sess. 14. cap. 7.*

62 Quæres IV. *Qui alteri fuit occasio ebrietatis, vel per pravum exemplum, vel subministrando vinum, vel non impediendo, cùm potuisset, quomodo confiteri teneatur?*

RESP. Probabile est, talem peccâsse solùm contra charitatem, & proinde non esse necesse, ut nominet speciem peccati, cujus in alio extitit author; sufficit, modò dicat: Fui per hoc, aut istud peccatum causa indirecta, ut quis committeret aliquod crimen mortale. Ita generatim de inducente per suum pravum exemplum alios ad peccatum, docet Cardinalis de Lugo *cit. disp. 16. n. 159.* Tannerus *Tom. 3. disp. 2. dub. 6. n. 98.* alii post S. Thom. *2.2. q. 43. a. 3. ad. 2.* ubi diserte asserit, in illo, qui opere non malo, sed habente speciem mali scandalizat alterum, reperiri scandalum absque alio peccato. Ratio est, quia non videtur ulla particularis virtus inducere obligationem, ut nemo etiam indirectè duntaxat causet illius expulsionem ex alieno subjecto; sufficit, modò charitas proximi ad hoc obliget; dissentiunt tamen ab his DD. multi alii; ut Laymann. *Lib. 2. Tract. 3. cap. 13. n. 6.* Dicastillo *De Pœnitent. disp. 9. n. 336.* fusè, & quos hi, cum Diana *Part. 5. Tract. 7. Resol. 3.* citant. Quorum opinio, quia est multò securior, ideo illam suadeo in praxi pœnitentibus omnibus. Confessarii poterunt rationabiliùs pro diversitate pœnitentium sequi priorem illam, si videlicet videant, se non posse sine tædio, aut alia molestia pœnitentis exquirere, ad quale peccatum induxerit suo exemplo proximum; atque adeò poterunt quandoque non moveri observatione Dianæ *loc. cit.* sic pronuntiantis: [Notandum verò est hìc unum, quod plurimi miserrimè nolunt intelligere, videlicet in casu, quo times à tè alios scandalizatos esse, teneri in Confessione explicare numerum personarum, & speciem peccatorum.]

SECTIO VII.

Quomodo peccent, qui gloriantur, quòd alios inebriârint?

SUMMARIUM.

Quomodo peccent, qui gloriantur, quòd alios inebriârint? 63.
Communiter non jactant se de formali inebriatione. Ibid.
Cujus speciei peccatum admittant, si se jactent de illa formali? 64.
An peccata jactantium se de diversis peccatis à se commissis, sint omnia ejusdem speciei? 65.

63 ESt hoc peccatum potatoribus valde familiare. Quoties enim sibi applaudunt, quòd alterum insigniter, ut loquuntur, contexerint: *Censendine sunt mortaliter per hanc gloriationem delinquere?*

RESP. Videntur communiter tales non delinquere mortaliter. Nam cùm tam multi hoc genere peccati delinquant, & tamen tam pauci de illo se in sacro tribunali accusare videantur, signum est, illos putare, quòd hæc jactantia non sit graviter mala, seu, ut rectiùs dicam, non apprehendere gravem malitiam in illa. Et ratio esse potest, quia scilicet non tam se jactant de ipso peccato inductionis, quod fecerunt, quàm de modo, & dexteritate, qua illud admiserunt aut de jocis, quorum occasionem ebrietas alterius dedit, aut de suò calore naturali, quo vinum præquam alii domare possunt.

64 Quòd si, ut non rarò fit, se jactent de ipsamet formali inebriatione, adeóque de ista provocatione mortaliter mala, peccant mortaliter,

liter, & ita quidem, ut si sibi complaceant in illa ebrietate, teneantur in Confessione indicare speciem peccati, de quo se jactaverunt, ut docent omnes; non autem teneantur, si in illa non habeant complacentiam, sicuti contra Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 3 n. 13.* docet Ferdinandus de Castro Palao *Tract. 2. disp. 2. Punct. 11.* Nam diversitas specifica peccatorum mortalium, de quibus se quis, absque complacentia in illis, jactat, haber se solùm materialiter, & proinde omnes jactantiæ de peccatis mortalibus sine complacentia in illis, sunt ejusdem speciei infimæ, ut etiam docet, fusè que declarat Dicastillo *De Pœnit. disp. 9. dub. 8. à n. 54. ad 59.* potéstque hæc doctrina securè in praxin deduci circa jactantiam de illis peccatis mortalibus, quorum objecta non solent ciere vehementem passionem, nisi quando sensibus exterioribus proponuntur vel ipsa, vel illorum occasiones, ut sunt ebrietas, imprecatio, furtum, violatio jejunii Ecclesiastici, omissio pensi Canonici &c. Nam quando quis sese jactat de istis, facilè potest dignoscere, an tunc revera habeat in eorum specifica malitia complacentiam. At verò quando illa gloriatio versatur circa crimina, quorum objecta per solam recordationem præsentia potenter admodum concitant pravos appetitus, ut sunt res venereæ, vindicta sumpta de illo, contra quem adhuc retinemus rancorem, tum sanè non est pronum discernere, utrùm non intercesserit complacentia; & puto in dubio præsumendum intercessisse, quia solet ut plurimùm.

65 Porrò quod Palaus, & Dicastillo dicunt de infima specie malitiæ peccatorum jactabundè narratorum, id ipsum meritò extendunt, ad transgressionem votorum; omnes enim quæ sunt de rebus per solum votum interdictis, aut præceptis, sunt ejusdem infimæ speciei. Dicastillo fusè *loc. cit. n. 490.*

SECTIO VIII.

Notantur nonnulla circa propinationes, in sanitatem Principum, & aliorum.

SUMMARIUM.

An mos bibendi in sanitatem Principum sit novus? 66.
An talis potus non contineat superstitionem? 67.
Obest sæpè valetudini talis potus. 68.
Gravis sententia S. Ambrosii, Ibid.
Si potationi in sanitatem alienam jungatur precatio ad Deum, vacat culpa superstitionis. 70.
Communiter inquinantur aliquâ culpâ tales potationes. 72.
Eæ invexerunt in Germaniam vini caritatem. 73.
Multum tamen est imminuta in Aulis Principum ea helluatio. 74.

QUæres I. *Vtrùm mos bibendi in Regum, Amicorum, Principumve sanitatem, vel honorem sit novus, an verò antiquus?* 66

RESP. Est utique perantiquus, ut ex Ovidio, Horatio, atque aliis ostendit eruditus Fornerus *Lib. 3. De Temulentiæ malo cap. 16.*

Quæres II. *Vtrùm revera sit fas propinare, & bibere in alicujus sanitatem?* 67

Esse fas probat in primis consuetudo usitatissima in conviviis etiam Clericorum, & Religiosorum, modestiæ laude non carentium. Probat deinde ratio, quia ejusmodi propinatio continet votum, & apprecationem sanitatis.

Esse nefas probatur 1. Quia ejusmodi potus videtur continere veram superstitionem. Tunc enim actus superstitionis exercetur, cùm ad Dei gloriam facimus aliquid, quod ad Dei gloriam non pertinet. Sanctus Thomas *2. 2. q. 93. a. 2. in c.* Et nos multis declaramus in Alphab. Quadrupl. Part. 4. Atqui talis potus non pertinet ad Dei gloriam, cùm sit actus ex se indifferens; & tamen fit ad Dei gloriam, quia is, qui bibit, vult suo potu inducere Deum, ut sanitatem largiatur, aut conservet illi homini, in cujus sanitatem bibit ipse; non possumus autem Deum ad aliquod beneficium concedendum inducere per actus merè indifferentes, seu non spectantes ad ejus gloriam, argument. doctrinæ primùm allatæ ex sancto Thoma.

Probatur II. Quia tales propinationes fæ- 68
pissimè fiunt ex sola adulatione. Probatur III. quia talia pocula ebibuntur cum præsentissimo periculo lædendi mentem, sanitatémque propriam, vel alienam. Unde scitè scripsit quidam notus mihi Medicus.

Quò tibi potarum plus est in ventre salutum.
Hoc minus è potis hisce salutis habes.

Et graphicè, atque patheticè S. Ambrosius de Elia, & jejunio *Cap. 7. Quid autem obtestationes potantium loquar? Quid memorem Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit voti reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O pia devotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant!*

RESP. I. Propinare, aut bibere in sanitatem 69
alicujus, abstrahendo ab omni alio actu bono est peccatum superstitionis. Patet ex ratione allata è doctrina S. Thomæ *n. 89.*

70 II. Si tamen illi potui addatur, ut persæpe fit, mentalis, aut vocalis precatio, qua propinans petat abs Deo sanitatem illi, in cujus sanitatem bibit, ita ut ea propinatio, & ebibitio, sit excitatio quædam ad talem precationem fundendam, tum caret per se culpa, imò est laudabilis, quia dirigitur ad bonum finem, scilicet ad precationem. Et utique convenit, ut Religiosi, qui quandoque provocantur ad bibendum in ejusmodi sanitatem, præeant bono exemplo sæcularibus, & alta voce, atque ex animo petant à Deo incolumitatem illi, qui nominatur.

71 III. Si memorata propinatio fiat præcisè ad excitandam memoriam illius, in cujus sanitatem bibitur, tum etiam ut sic vacat culpa.

IV. Quando illa propinatio fit cum periculo crapulæ, ebrietatis, invaletudinis, continet malitiam mortalem, aut venialem. Mortalem, si sanitas, aut ratio graviter lædatur in propinante, aut illo, qui respondere debet, venialem, si tantùm leviter lædatur. Patet ex hactenus disputatis.

72 Et quia ferè in omnibus conviviis, in quibus plures id genus Salutiferi, ut vocant, potus in gyrum eunt, aliquod indicatorum incommodorum reperire est, ideo damno peccati ut plurimum frequentationes illorum damnat & Fornerus *loc. cit. cap. 19.* qui proinde suadet Principibus viris, ne permittant hujusmodi vinaria vota pro sua salute fieri, ne Deus irritatus peccatis, quæ intervenire solent morbo potiùs illos plectat, quàm sanitate donet.

73 Et præmiserat hic Doctor, quosdam non temerè credere, ex quo tempore hic bibendi ritus in Germaniam invehi cœpit, vini caritatem maximam simul invectam esse, tum quia plurimum vini perditur hisce haustibus salutiferis, tum quia Deus crebra sterilitate plectit peccata eos haustus comitari solita.

74 Verùm audivi non semel, esse in Aulis, præsertim Ecclesiasticorum, temperatam intemperantiam, qua olim cogebantur ebibere pocula propinata in sanitatem alienam, ita ut in iis Aulis nemini, saltem in præsentia Principis inferatur illa amica inimicissima vis; atque utinam hæc reformatio longè, latéque propagetur.

P.

IN CRAPULA SACRAM HOSTIAM &c.

CAPVT XIV.

De Pœna illorum, qui in crapula, vel per crapulam evomunt Sacram Hostiam.

SUMMARIUM.

Quid Iure Canonico statutum sit circa tales? 1.
Ea pœna relinquitur arbitrio judicis. 2.
Hoc arbitrium quousque se extendat? 3. remissivè.

1 DE hoc sacrilegio legitur in Jure Canonico *Cap. Si quis per ebrietatem. De Consecr. dist. 2.* hoc decretum: *Si quis per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, 40. diebus pœniteat, si laicus est; Clerici, vel Monachi, seu Diaconi, & presbyteri. 70. diebus pœniteant, Episcopi 90.* Et addit Ignatius Diaz *in sua practica criminali. Cap. 41.* post Turrecrematam, hanc pœnitentiam, si consideretur causa vomitus, scilicet ebrietas, & aliæ circumstantiæ, non esse nimis gravem, sed securè injungi posse, quandoquidem supponitur, illum vomitum fieri, dum species Sacramentales sunt adhuc ita integræ, ut meritò censeatur Christum Dominum adhuc sub illis contineri.

Cæterùm in Alphabeto Sacrificantium *Casu 13. n. 231.* ex Tannero, ac Tambur. dixi, species Eucharistica in stomacho vix diutius una hora manere incorruptas. Retuli quoque ex eodem Tamburino eventum notabilem.

Quia verò in allegato Canone: *Si quis*, non 2
exprimitur qualitas pœnitentiæ, ideo censet idem Diaz, relinqui arbitrio judicis; quod & credo, quandoquidem Cap. *De causis. De Offic. Iudic. deleg.* sic describit Alexandr. III. *Si tale fuerit negotium, quod certa exinde pœna Canonibus exprimatur, eandem infligas; alioquin ipsos pro delicti qualitate, & causa secundùm tuum arbitrium punire procures.*

Ex quo rescripto, ut alias rationes omittam, 3
refutatur opinio Menochii de arbitr. judic. *q. 13. n. 1. & seqq.* sine allegatione ullius textus, non tamen sine authoritate pronuntiantis: *In absoluto, & libero arbitrio nulla Regula, nulla norma, nulla lex saltem positiva observari necesse est.* Etenim contrarium huic pronuntiato tam generali probatur clarè ex cit. rescripto.

Quare adhærendum est Alexandro *Tom. 1. Consil. 65.* Marantæ, Marsilio, & aliis apud, & cum Doctore Marta *Tract. De Clausulis Part. 1. Claus. 57.* docentibus, quando alicui inferiori fit potestas procedendi secundùm *Liberum arbitrium* (quæ clausula est communissima, & idcirco hîc commemorata) semper debere esse regulatum secundùm jus commune; deberéque judicem procedere secundùm bonam conscientiam, regulatam à jure, & æquò.

Q.

VERBA SACROSANCTIS MYSTERIIS.

CAPVT XV.

Quid censendum de Sacerdote proferente in ebrietate verba consecrationis?

SUMMARIUM.

An ebrius proferens sacra verba super materia apta consecret? 2.
Quid si ante ebrietatem habuit intentionem consecrandi in ebrietate, casu, quo proferret ea verba? 3.
Quid si ex intentione ea proferendi se impleret vino? 4.
Solvitur objectio ex S. Augustino. 5.

1 HAnc quæstionem non esse otiosam satis reliquos inter ostendit Cardinalis de Lugo, dum de illa ex instituto disserit loco mox citando.

2 Quæritur igitur I. *An si ebrius verba consecrationis proferat super panem, verè consecret?*

RESP. Negant omnes, eò quòd ebrius careat intentione necessaria ad valorem consecrationis.

3 Quæres II. *An tunc saltem consecret, quando scit, se solere in ebrietate illa verba proferre, & antequam se inebriaret, dixit apud se: si in ebrietate protulero verba consecrationis, volo, ut ea vim consecrandi habeant?*

RESP. Cardinalis de Lugo *Tom. 1. in 3. Part. disp. 8. n. 100.* rectè ad hanc quæstionem respondet negativè. Nam ut verba significent, non satis est, velle me, ut ea significent casu, quo illa protulero, sed requiritur, ut velim ea ad hunc finem proferre, atque adeò, ut velim ipsam prolationem verborum, & hæc oriatur ex intentione significandi per verba, alioquin non censebor habere voluntatem loquendi, & consequenter non loquar humano modo.

Cùm igitur forma Sacramentalis nil efficiat, nisi significet ex instituto, & voluntate adhibentis, seu proferentis eam, sequitur illum, de quo præsens quæstio instituitur, non consecrare, etsi millies enuntiet formulam, habeátque materiam sufficienter præsentem.

Quæres III. *Ulteriùs, quid censendum de illo,* 4 *qui ex intentione proferendi illa verba in ebrietate, se inebriaret?*

Hunc casum videri à Recentioribus omissum ait idem Cardinalis *n. 101.* A plerisque expressum asserit, ostenditque P. Dicastillo *Tom. 1. De Sacramentis Tract. 1. disp. 3. n. 117.* Nec dubitant esse possibilem, docent nihilominus uterque, consecrationem in ejusmodi casu esse invalidam; eò quòd consecratio, sicuti & confectio cujusque Sacramenti, debeat constare locutione humana, qualis non est, quæ fit in ebrietate; nam locutio humana imposita est ad significandam, & exprimendam mentem loquentis. S. Thomas *2. 2. q. 110. a 3. in corp.* mentem, inquam, præsentem, hoc est, quid de rebus nunc sentiat vel formaliter, vel virtualiter, per intentionem derivatam humano modo ex priori intentione magis explicata, ut fusiùs explicat idem Cardinalis.

Nec huic doctrinæ obstat S. Augustinus 5 *Tract. 5. in Joan.* dicens, Baptismum ab ebrioso collatum esse validum; plus enim non indicat, quàm illum, qui flagitiosè deditus est ebrietati, valide conferre Baptismum, validè, inquam, conferre, non quando ebrius est, sed quando est sobrius, esto non cogitet desistere à bacchanali libidine.

R.

ET QUIDEM DIE IEJUNIO SACRATA &c.

CAPVT XVI.

An per Ebrietatem frangatur jejunium?

SUMMARIUM.

An per ebrietatem frangatur jejunium? 1.
Quid si vinum hauriatur intentione sedandi famem? Ibid.
Usus vini fuit olim interdictus jejunantibus. 2.
An ebrii teneantur lege Jejunii? 3.

QUæres I. *An per ebrietatem frangatur jejunium?*

RESP. Etsi Alexander Alensis referente 1 Pasqualigo *in praxi jejunii Ecclesiast. decis. 117.* putaverit, potu vini solvi jejunium, præsertim si manè adhibeatur, eò quòd nutriat; & hanc sententiam amplectatur S. Thom. *in 4. dist. 15. q. 3. a. 4.* cum multis à Pasqualigo *decis. 117.* relatis, in eo casu, quo quis ea intentione vinum bibit, ut inediam, famémque sedet, quandoquidem videtur tunc vinum sumi per modum cibi, praxis tamen præsentis vitæ, approbata usu, tum ipsorum pœnitentium, tum confessariorum, & confirmata authoritate Navarri in Manuali *cap. 21. n. 13.* aliorúmque plurimorum, quos nominant, & sequuntur Sanchez *Lib. 3. Conf. Moral. cap. 1. dub. 23.* Antoninus Diana *Part. 2. Tract. 9. Resol. 23.* & Pasqualigus *loc. cit.* contrarium mihi persuadet.

2 Accedit hæc ratio, quia etsi olim usus vini fuerit vetitus diebus jejuniorum, jam tamen nullo modo prohibetur. Atqui judicandum est de rebus, prout tempora postulare videntur. *Cap. fin. De Transf.*

3 Quæres II. *An ebrii teneantur lege jejunii?*

RESP. Eatenus tenentur, ut quamvis non peccent actu, & propriè, dum cœnant in ebrietate constituti, sicuti deducitur ex generali doctrina de peccatis ebriorum, tradita *cap. 9.* peccent tamen mortaliter contra legem jejunii, si scientes se solere in ebrietate multum extra tempus prandii vorare, sese nihilominus inebrient. Patet ex generali doctrina eodem *cap. 9 sect. 3.* traditâ. Unde qui ebrio administrat die jejunii cœnam, peccat mortaliter per se loquendo. Thomas Del Bene de Immunit. Eccles. *Part. 2. cap. 13. dub. 1. n. 16.* Laymannus in simili *Lib. 1. Tract. 4. cap. 10. n. 3.*

S.

PROPUDIOSUM CRIMEN SACRAE DIGNITATI &c.

CAPVT XVII.

Quantopere Clericalem statum deceat Ebrietas?

SUMMARIUM.

Ebrietas dedecet peculiariter Clericos. 1.
Et cur peculiariter? 2.
In Veteri Lege quid fuerit statutum pro Sacerdotibus? 3.
Quid à Synodo Trevirensi? 4.
An peccet mortaliter Clericus bibens vinum sine aqua, & quidem ter in uno prandio? 5.
Discrimen inter Decretales, & Decretum Gratiani, quoad vim obligandi. 6.
In foro externo statur decisionibus Decreti. 7.
Imperatori debet porrigi Scyphus vino, & aqua permixtus. 9.

QUæres I. *An ebrietas peculiariter dedeceat* 1 *Clericos?*

RESP. Haud dubiè, adeò, ut P. Adamus Contzen *Politicorum Lib. 6. c. 10. n. 7.* meritò scribat: *Ebriosus Sacerdos res monstrosa est*; & Moscovitæ Sacerdotes ebrios publicè verberaverint, ut testatur Ignatius Lopez *in Pract. crim. cap. 77.* Responsionem dat am probo. I. Quia Clerici tenentur peculiariter esse sobrii, ergo peculiariter illos dedecet ebrietas. Probo II. Quia in Clericos ebrios, & ebriosos statutæ sunt pœnæ peculiares. Utrumque hoc argumentum pluribus declaro.

Quæres itaque II. *An, & cur Clerici teneantur peculiariter esse sobrii?* 2

RESP. Teneri docet S. Thomas *2. 2. q. 150. a. 4.* probátque hac ratione; quòd scil. Episcopi, & quilibet Ecclesiæ ministri, mente devota debeant spiritualibus insistere. Equidem oratio, Sacræ Scripturæ lectio, Sacramentorum administratio, quibus operibus vacare debent Clerici, sobrietatem non mediocrem exigunt.

Confirmatur hæc doctrina in primis exem- 3 plo Leviticorum Sacerdotum, de quibus *Levitici 10.* ita statuit ipse Dominus: *Vinum, & omne quod inebriare potest non bibetis, tu, & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras; & ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum.* In qua lege ponderanda est altera illius ratio. Nam longè potiore jure in Clericis novi, quàm antiqui testamenti requiritur scientia discernendi inter sanctum, & profanum. Confirmatur deinde illo monito, quo Nepotianum imbuit S. Hieronymus: *Nunquam*, inquit, *vinum redoleas, ne audias illud Philosophi:* Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. *Vinolentos Sacerdotes, & Apostolus damnat, & Lex vetus prohibet.*

Accedit auctoritas Trevirensis Synodi habi- 4 tæ Anno 1548. *Tit. De Cler. Temulentia* ita pronunciantis, & sancientis: *Ebrietas, ut palàm est, insignium flagitiorum incitatrix, & scaturigo, quæ in comessationibus, & conventiculis dominatur, Ecclesiasticum gradum summa cum turpitudine passim infamavit &c.* tum enumeratis ebrietatis malis subdit Synodus: *Cæterùm, qui turpiter illi vitio indulgent immorigeri, ab officiis, & beneficiis Ecclesiastica Censura, & Synodi authoritate suspendantur. Deinde si etiam impudenter detestandæ consuetudini, & dicto pariter, ac visu fœdissimæ ulteriùs inhæserint, omnibus honorum gradibus exutos, ad quadrupedum sortem, quæ natura prona, atque ventri obedien-*

dientia finxit, majoribus suppliciis affectos, statuit abiciendos. Plures hanc in rem leges Ecclesiasticas referam *cap.* 22.

5 Quæres II. *An mortaliter peccet Clericus, qui bibit vinum sine aqua, & sæpius quàm ter in uno prandio?*

Hanc multis mirabilem, quibusdam etiam ridiculam futuram quæstionem post Panormitanum *in Cap. A crapula. De vit. & honest. Clericorum* proponit Bartholomæus Fumus in sua Armilla *Verb. Ebrietas n.*7. propterea quòd *cit. Cap. A Crapula, & Cap. Quando,* 2. *dist.* 44. utrumque prohibeatur. Verùm etsi *in cit. Cap. A Crapula.* jubeantur Clerici *vinum sibi temperare & seipsos vino,* non idcirco jubentur illud diluere. Nam satis sibi temperant, si modicè bibant; idque declarat praxis infinitorum tam sæcularium, quàm Regularium Clericorum, qui absque ullo scrupulo meracotuntur. Deinde citatum Cap. *Quando* desumptum est ex Concilio Nannetensi, quod cùm fuerit Provinciale, non obligat universos Clericos.

6 Etenim probè observare debent imperitiores, esse hoc, præter reliqua, discrimen inter Decretales, & Decretum, seu inter libros Decretalium, & Decretum Gratiani, quòd leges contentæ in Decretalibus, licèt quandoque sint desumptæ ex authore non habente jus obligandi universam Ecclesiam, re ipsâ tamen (*nisi alicubi* patrocinetur privilegium, præscriptio &c.) obligent, quia videlicet iis omnibus suam authoritatem tribuerunt Gregor. IX. & Bonifacius VIII. ut liquet ex eorum Epistolis præfixis quinque libris, & sexto Decretalium, ac proinde eo modo, quo Justinianus *Leg.* 1. *C. De veter. Iur. enucl.* dedit Legibus Digestorum, collectis à Jurisperitis, quibus id mandaverat, authoritatem tantam, quantam si *à divino ipsius ore profusæ fuissent,* ut loquitur ipse *loc. cit. §. 6.*

7 At verò, quia Decretum Gratiani non habet ullam authoritatem ab ullo Pontifice, hinc fit, ut præcepta eo contenta plus virium, plúsque authoritatis non habeant in foro interno, quàm tribuere potuerit, ex quo descripsit Gratianus. Atque ita cæteros inter observant Suarez *De Legib. L.*4. *cap.*5. *n.*6. referens alios. Vivaldus *in Candelabro, in Prologo, ante n.*4. Layman. *Lib.* 1. *Tract.*4. *cap.*6. *n.*12. quamvis in foro externo soleat procedi juxta Canones à Gratiano collectos, undecunque eos ipse desumpserit.

8 Accedit, quòd allegatum Concilium Nannetense non loquatur, nisi de Agapis, & conviviis, quæ ex charitate fraterna instituebantur, priusquam adiretur sacra ædes, de quibus aliquid dicam *cap.*48. Quare non tantùm non mortaliter, sed ne venialiter quidem per se loquendo peccant Clerici, tametsi ter, aut sæpius in eodem prandio bibant meracum, seu vinum non dilutum aqua; quamvis permulti meliùs consulerent valetudini, si crebrò facerent connubium inter Bacchum, & Thetyn, vinum, aio, & aquam, ut liquebit ex dicendis *Cap.* 51. *n.* 33. *& seqq.*

Hisce addo, in Aurea Bulla Caroli IV. *Cap.* 9 25. §. *Post hæc* expressè statui, ut quando Rex Boëmiæ fungitur officio Pincernæ in Comitiis Imperialibus, Imperatori porrigat *ad bibendum Scyphum vino, & aqua permixtim implectum*; hæc enim sunt verba Bullæ.

T.

NISI FUGA SIBI CONSULVISSET.

CAPVT XVIII.

An liceat se quandoque inebriare?

1 HUjus practicæ quæstionis occasionem dat Casus, qui in ipso Accusationis Canonicæ contextu fingitur, quòd scilicet Sacerdos maluerit adire periculum irrisionis, quàm se inebriare. Quæritur igitur: *An ad aliquod malum avertendum à se, aut etiam aliam ob causam liceat bibere usque ad privationem rationis.* Ad istam quæstionem respondebo duabus sequentibus Sectionibus.

SECTIO I.

An fas sit se inebriare ob necem, aut alia mala evadenda?

SUMMARIUM.

Verùm ebrietas formalis in nullo casu sit licita? 2.
An licitè ebibam poculum inebriativum, si mihi nolenti ebibere intentetur mors? 3.
E duobus malis eligendum minus. 4.
Licitè mihi præcida brachium, ut evitem mortem, quam minatur tyrannus. Ibid.
An etiam ad conservationem honoris liceat se inebriare? 5.
Numerus ingens in duello occisorum in Gallia. Ibid.
Est vulgi error, quòd pro honore moriendum sit. 8.
Cujus famæ, multò magis vitæ parcendum est. Ibid.
An metus gravium verberum licitam reddat inebriationem propriam? 9.

Pro-

Proponitur, & exponitur difficilis locus ex S. Augustino. 11. & 12.
Insania est mors animæ. Ibid.

2 QUæres I. *Verùm ebrietas formalis sit ita intrinsecè mala, ut in nullo casu ea sit licita?*

RESP. Non legi, qui hoc neget, si per ebrietatem formalem intelligatur, ut intelligi debet, ille omnis, & solus potus, qui ex sola voluptate, & delectabilitate sumitur scienter usque ad privationem rationis. Ratio est, quia non videtur posse poni casus, quo sola voluptas, quæ ex potu percipitur, licitè tanti fiat, ut propter illam procurandam sit fas rationem exturbare; de aliis ebrietatibus, quas materiales suprà nominavi, est lis, & controversia multiplex.

3 Quæres II. *An si quis mihi minetur mortem, nisi ebibam poculum, quod mihi porrigit, & quo me inebriandum prævideo, licitè illud poculum exhauriam?*

RESP. Etsi id negat Cajetanus 2.2. *q.* 150. *a.*1. meritò tamen asserunt Lessius *Lib.* 4. *De Justit. & Iure, cap.*3. *num.* 37. *& sequentibus.* Baldellus *Theolog. Moral. Lib.*5. *disp.*30. *n.*26. Dicastillo *Lib.*1. *De Just. & Iur. disp.*3. *n.*155. testatúrque P. Lessius, multos viros doctos Universitatis Lovaniensis à se consultos ita sentire. Ratio fundamentalis petitur ex duobus principiis, ab ipsomet Cajetano admissis. Primum, quòd per potum privare se ratione, non sit ita intrinsecè malum, quin aliquando liceat, sicuti licet medicinæ causa, ut declarabitur infrà. Secundum, quòd tota essentialis malitia ebrietatis in hoc consistat, quòd quis tanto bono, quantum est rationis usus, cujus homo solam administrationem habet, se spoliet absque magna causa, seu adeat tantum damnum sine causa proportionata huic damno; ergo ubi adest causa proportionata huic damno, potest illud licitè adiri; atqui in nostro proposito adest causa proportionata.

4 Etenim causa electioni alicujus damni proportionata tunc adest, quando adest necessitas illud eligendi, ut evitetur majus; è duobus quippe malis minus esse eligendum nôrunt omnes ex *Cap. Non solùm* 23. *q.*4. *cap.*1. *dist.*13. *Leg. Quoties nihil. ff. De Reg. Iur.* Est autem in nostro casu necessitas ejusmodi; nam majus utique malum est perdere vitam, atq; omnem imposterum rationem, quàm carere per aliquot horas ratione. Aliis argumentis utuntur citati, sed hoc mihi occurrit, judicóque efficacissimum, & confirmo à simili. Quando enim tyrannus mortem mihi minatur, nisi mihi ipsi præcidam brachium, licitè illud mihi præcido, ut post Toletum *Lib.*5. *cap.*6. docet; probátque Lessius *De Just. & Iur. Lib.*2. *cap.*9. *dub.*14. *num.* 101. repugnante licèt Dominico Soto *Lib.*5. *De Just. quæst.*2. *art.*1. *Conclus.*3. qui tamen inde meritò refutatur, quòd pars sit naturaliter propter totum; ergo licitè exponitur extremo discrimini propter conservationem totius, sive illud discrimen proveniat ab intrinseco, ut ultro fatetur idem Sotus, sive ab extrinseco. Ergo etiam licitè me inebrio, quando mihi quis minatur mortem, nisi me inebriem, nam privatio rationis ad aliquot horas, est & minus malum, quàm mutilatio brachii; & privatio solius partis, respectu longioris usûs rationis.

Quæres III. *An non solùm ad vitæ, sed* 5 *etiam ad honoris conservationem liceat se inebriare?*

RESP. Etsi hanc quæstionem nemo expressè proponit, videri tamen potest affirmativè respondendum ex doctrina Lessii *cit. Cap.* 3. *Lib.*4. *n.*6. & Baldelli *loc. cit.* qui referentes, esse quibusdam locis homines adeò barbaros, ut nisi æquali cyatho respondeas, provocent ad duellum, vel invadant gladio, expressè subdunt, in hoc casu fas esse respondere æqualibus cyathis, etiam cum ebrietatis manifesto periculo. Ex qua responsione videtur manifestè sequi, ad honoris, & reputationis conservationem licere ad ebrietatem usque potare. Nam quando mihi nolenti rationem facere, ut loquuntur, seu respondere, non imminet, nisi provocatio ad duellum, tunc non periclitatur nisi meus honor.

Cùm enim non possim bona conscientia decertare duello, ut suppono ex communissima doctrina, quam reliquos inter optimè confirmat noster P. Theophilus Raynaudus, *Lib.*5. *De Virtut. sect.*3. *cap.*3. observans, tum duellantes à Concil. Valentino meritò vocari *latrones crudelos, & homicidas iniquissimos*, tum in sola Gallia, intra triginta Annos tot cecidisse in duello, quot sufficiant ad numerosissimum exercitum conflandum, ipsúmque Turcam non mediocriter vexandum, cùm, inquam, non possim decertare duello, debebo illud detrectare, & sic non periclitabitur mea vita, sed tantùm mea reputatio, quæ apud improbos amatores hujus mundi lædítur, quando quis provocatus ad duellum non comparet.

Confirmari potest hæc doctrina ex eo, quòd 6 honor à multis vel æquiparetur, vel etiam præferatur ipsi vitæ; nam ex communi jure consultorum sensu periculum famæ æquiparatur periculo vitæ, inquit Julius Clarus *§. Homicidium n.*26. & latiùs Chassanæus *in Catal. gloriæ mundi Part.*1. *consider.* 2. atque Andreas Gaill. *Lib.*2. *Observat.* 100. *n.*6. Si ergo fas est pro vita, & membrorum integritate conservanda potare usque ad ebrietatem, cur non pro conservatione honoris?

Censeo nihilominus, titulum conservandi 7 honoris non esse sufficientem ad justificandam, excusándamve ebrietatem. I. Quia non

ficio ullum, qui expressè id asserat, & negant utique tum Cajet. *loc. cit.* 8. Antoninus *Part.* 2. *Tit.* 6. *cap.* 3. & 2. Angelus, & Rosella *Verb. Ebrietas*, aliique plures, dum absolutè negant, ebrietatem voluntariam esse ullo in casu licitam, tum in hoc ipso casu tacitè Coninck *De Charitate d.* 3. *n.* 8. loquens de periculo irrisionis. II. Quia honor, qui pendet à phantasticorum, insipientúmque lurconum, & helluonum stulto judicio, atque opinione, nullo modo est tantum bonum, ut pro illius, vel conservatione, vel adeptione liceat perdere verum, solidúmque bonum rationis. Et sine dubio ejusmodi honor est longè postponendus vitæ, non autem æquiparandus.

8 Et verò Laymannus *Lib.* 3. *Tract.* 3. *Part.* 3. *cap.* 3. *n.* 3. approbat judicium Navarri absolutè pronuntiantis, *esse vulgi errorem, quòd pro honore moriendum sit.* Et Lessius *Lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 88. ita loquitur: *nemo prudenter pro quantavis magna fama eligat mori*; ergo longè minùs pro honore, quandoquidem honor, prout seorsim à fama consideratur, minus bonum est, quàm fama. Cardinalis de Lugo *De Iustit. disp.* 14. *n.* 9. post Molinam. Unde, ut phrasi Andreæ Gaill. *loc. cit. n.* 8. in simili utar, magis politicè, quàm Christianè loquuntur Juristæ, de quibus *n.* 6. Equidem ipse supremus Nomotheta Christus Dominus *Ioan.* 15. pronuntiat: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam* (non dicit: ut honorem, ut reputationem, aut famam) *ponat quis pro amicis suis*; foret autem ex opinione illa Juristarum major dilectio, si fama esset pluris facienda, quàm vita. Adde, quòd *Leg.* Si adulterium *ff. Ad Leg. Iul. De Adult.* disertè *in* §. *penultim.* illius Legis pronuntiet Papinianus: *Nam cujus famæ, multò magis vitæ parcendum est.* Ubi quis non videt haberi majorem rationem vitæ, utpote majoris boni, quàm famæ? Leges autem solùm idcirco rectè dicuntur periculum famæ æquiparare periculo vitæ, quòd quandoque de fama statuant idipsum, quod de vita. Videsis *Leg. Iusta.* 9. *ff. De manum. vindict.*

9 Quæres III. *An si furiosus herus suo famulo gravia verbera minetur, nisi ebibat poculum, certò ebrietatem allaturum, licitè exhauriat?*

RESP. Quandoquidem immunitas à gravibus verberibus spectat ad illud ipsum genus bonorum, ad quod ipsa vita, idcirco existimo, Lessium, & Baldellum ad hanc quæstionem responsuros idipsum, quod ad sequentem. Confirmari potest inde, quòd ad valetudinem conservandam, & recuperandam fas sit vino sopire rationem, ut explicabo infrà, cur non etiam ad effugiendum per grave fustuarium?

10 Confirmari quoque posset authoritate duorum eruditorum Theologorum, mihi probè notorum, qui docuère, si quis te ita urgeat ad pares haustus, ut nisi, etiam cum manifesto inebrietatis discrimine respondeas, oneraturus te sis gravi ipsius inimicitia, esse tibi licitum respondere, & discrimen ebrietatis adire. Verùm huic secundæ confirmationi non acquiesco, utpote nimis remotæ à sensu communi, ac simul periculosæ. Prior probabiliter aliquid concludit respectu verberum valde atrocium, ac certò infligendorum.

Porrò contra responsionem allatam *n.* 3. 11 objicitur authoritas S. Augustini, qui in aliquoties jam citato *Serm.* 231. *De Temp.* ita loquitur: *Solent ebrii sibi se excusare, ut dicant: persona potens me coëgit, ut amplius bibam, & in convivio Regis non potui aliter facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus, nolle in culpa est nostra, & non posse prætenditur. Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur; aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima morereture.* Hæc ultima sententia videtur omnino adversari allatæ responsioni.

Respondeo tamen, non adversari, alioquin adversaretur etiam illis, quas *fcil. frequens* excommuni DD. trademus, & firmis rationibus stabiliemus. Videtur itaque S. Augustinus loqui de illo casu, quo quis alterum ideo immoderatè cogit bibere, ut sobrietatem, & modestiam fugillet; quo sanè casu nefas est illi parere, nam præcipienti, aut petenti quidpiam in contemptum Religionis, aut virtutis alicujus nunquam licitè paremus: *Argum. Cap. Sacris. De his, quæ vi.* Azor *Tom.* 1. *Lib.* 7. *cap.* 7. *q.* 1. Alia ratio est, quando ebriosus tribunus capitaneum sub interminatione confossionis urget idcirco ad evacuandum poculum, quia putat, se ab eo contemni, aut sibi fieri injuriam, nisi hic tantundem bibat, quantum ipse propinando helluatus est. Atque hoc sensu Augustinum explicant Lessius, & Dicastillo.

Mihi alia insuper occurrit explicatio hujus, 12 in ore multorum versantis sententiæ, quòd scilicet S. Pater per *mortem animæ* non intelligat spiritualem, quæ fit per peccatum, sed quæ fit per rationis spoliationem. Cùm enim anima vivat ratione, meritò spoliatio rationis vocatur quædam ejus mors. Hujus explicationis occasionem dat mihi Judæorum disertissimus Philo, non ignotus S. Augustino, qui *in Lib. De plantatione Noë* contra ebrietatem differens, inter reliqua hæc habet: *Hoc venenum si non mortem, verè creat insaniam. Et quid vetat etiam insaniam mortem dicere? Cujus accessu præcipua nostri pars mens interit.* Hac probabili explicatione suppositâ dicendum est, esse quidem judicium S. Augustini, quòd sit melius, seu consultius, ut quis patiatur suum cor-

corpus trucidari potiùs, quàm usum rationis, quæ animæ quædam vita est, tolli ipsi animæ; at non est opinio hujus Sancti viri, quòd sit præceptum, ut illud potiùs, quàm hoc permittatur.

SECTIO II.

An sit fas se inebriare ob morbum, aut aliud malum corporis curandum?

SUMMARIUM.

An liceat in periculoso morbo haurire, ad vomitum ciendum, poculum inebriativum? 13.
An generatim id liceat, quando aliter nequit curari morbus lethalis? 14.
Probabile est, quòd etiam liceat ad non lethalem curandum. 15.
An, si agatur non de curando, sed impediendo morbo gravi? 16.
An ad non sentiendum dolorem, quem adferet abscissio cruris? 17.
An ad inducendum suo exemplo amicum, ut hic sese inebriet, & sic melancholiam pellat? 18.
Explicatur inebriatio Patriarchæ Loth. Ibid.
An liceat suadere melancholico ebrietatem? 19.
Aut etiam bibere usque ad ebrietatem pro pellendo mœrore? 20.

13 Quæres I. *An, si suadeat Medicus, ut ad vomitum ciendum hauriam vinum, quo certò inebriabor, liceat parere huic suasioni?*

Respondet S. Thomas 2. 2. *q.* 150. *a.* 2. *ad* 3. & ex eo S. Antoninus *Part.* 2. *Tit.* 6. *cap.* 3. §. 2. quandoquidem ad vomitum provocandum non requiritur potus inebrians, eò quòd potus aquæ tepidæ eundem causare possit, me propter hanc causam non excusatum iri ab ebrietate, id est, à peccato ebrietatis.

Quòd si ponamus, vel non cogitari de aqua tepida, vel non posse haberi, satis innuit Angelicus Doctor, & apertè Sylvester *Verb. Ebrietas* dissentiente Sylvio 2. 2. *q.* 150. *a.* 2. licitam esse ebrietatem, si videlicet ille vomitus sit necessarius ad morbum curandum, vel præcavendum, ut mox dicam.

Potest ad præsentem quæstionem referri sequens

Paradoxum Medicum.

Quod contigit in Valle Telina Anno 1625. *dum videlicet quidam Vexillifer, correptus febri Vngarica, atque siti propè enecatus, hausit è vino, quod in eâ Valle erg seit propè Cretico suppar, tantum, quantum & sitis exposcebat, & venter capere poterat; indéque factum, ut illud insolens pharmacum extruserit per omnes corporis meatus, quidquid maligni humoris grassabatur in corpore, fueritque sanitati integre restituendo æger, proindéque inexpectatam illius dulcis potionis energiam passim deprædicârit, & nominatim apud illum virum Religiosum, qui eodem illo Anno mihi recensuit hic Constantiæ adulto Decembri.*

Quæres II. *An si morbus aliter nequeat curari, quàm sumendo haustum, quo ratio ad notabile tempus consopienda sit, permittat ipsa ratio, sumi illum haustum?* 14

RESP. Etsi permittere negat Sylvius *loc. cit.* & ferè S. Antoninus *loc. cit.* asserunt tamen rectè Cajetanus, Sylvester, Navarrus, Toletus, Azor, Valentia, & alii, quos referunt, sequuntúrque Lessius *Lib.* 4. *De Iustit. cap.* 3. *n.* 13. Reginald. *Lib.* 22. *n.* 55. Baldellus *Lib.* 5. *disp.* 30. *n.* 24. Ratio est, quia in tali casu non peccatur contra temperantiam, ergo nullo modo peccatur. Antecedens inde patet, quòd ille potus non sit intemperatus, nec ullo modo contra Regulam temperantiæ, quandoquidem Regula temperantiæ permittit, tantum sumere cibi, & potûs, quantum requirit necessitas præsentis vitæ, illa, inquam, necessitas, sine qua non potest homo vivere convenienter, id est, conservare valetudinem, & bonam habitudinem, juxta rationem, & proportionem suorum officiorum &c. ut loquitur S. Thomas 2. 2. *q.* 141. *a.* 6. Potiùs dixeris, si in hoc casu omitteretur ebrietas, peccari peccato stuporis, de quo suprà *cap.* 2.

Quæres III. *Verùm allata doctrina sit intelligenda de solo morbo lethali curando, an verò etiam de non lethali?* 15

RESP. Sylvester, Lessius, & Baldellus *loc. cit.* Toletus *Lib. de septem peccatis mortal. cap.* 61. Laymen. *Lib.* 3. *tract.* 4. *n.* 5. & alii passim absolutè permittunt, potum inebriantem, quando est necessarius ad sanitatem recuperandam, aut infirmitatem curandam, ut postea meliùs, & diuturniùs peragantur officia rationis, inquiunt Toletus, & Laymannus. Nec ullus horum authorum dicit, illam infirmitatem esse debere gravem, sed utuntur absolutè vocabulo infirmitatis. Et ego quidem censeo, hanc doctrinam habere locum, etiam respectu morbi non lethalis; puto tamen debere esse gravem, quia quæ sunt ad finem, debent Regulari secundùm quod exigit ratio finis, ut sapienter tradit S. Thomas 2. 2. *q.* 33. *a.* 6. in Corp. atqui ratio finis non exigit, ut leve malum gravi malo curetur. Porrò Toletus *loc. cit.* allatam doctrinam non vult habere locum, nisi casu, quo sanitas non potest aliâ medicinâ, aut viâ recuperari. Fortè tamen nonnemo dixerit, etiam habere locum casu, quo non potest recuperari sanitas, nisi medicinâ tam pretiosâ, ut in eam oporteret totam substantiam expendere.

16 Quæres IV. *Quid liceat, si agatur de morbo non curando, expellendove, sed præcavendo?*

RESP. Id ipsum licebit, quòd licere dixi paulò antè. Nam recta ratio permittit, ut tanto studio coner impendentes morbos excludere, quanto jam præsentes expellere. Quare in subito pestis timore, aliis remediis æquè commodis deficientibus, magnus haustus vini generosi permittitur à P. Lessio *cit. cap. 3. n. 13.* cui credo asserenti, magnam vini copiam prodesse, si quis venenum frigidum, e.g. cicutam bibit, aut sumpsit.

17 Quæres V. *An quando per alicui est ex Chirurgi præscripto resecandus, possit is vino rationem sopire, ideo ut dolorem tantò fortiùs ferat?*

RESP. Id post Tanner. *Tom. 2. disp. 4. q. 5. n. 54.* expressè negat P. Dicastillo *Lib. 1. De Iustit. & Iur. disp. 3. n. 117.* eò quòd potus sit institutus solùm ad valetudinem acquirendam, vel conservandam. Ergo non licet illum sumere, nisi quantum, & quatenus est ad hunc finem necessarius, argument. eorum, quæ S. Thomas *cit. a. 6.* disserit. Hæc doctrina mihi non improbatur, nisi in casu, quo ex doloris apprehensione, & sensu timetur oriturus morbus, e.g. febris, in tali enim periculo alienatio mentis foret quoddam Alexipharmacum.

18 Quæres VI. *Quid de illo sentiendum, qui ideo se inebriat, ut suo exemplo amicum, magno mœrore correptum, inducat ad ebrietatem, expulsuram illum mœrorem?*

RESP. S. Chrysostomus *hom. 44. in Gen.* videtur talem excusare. Nam de ebrietate Patriarchæ Loth sic disserit: *Ebrius factus est, quia paulò largius bibit, ut leniret, ac mitigaret tristitiam, atque animi ægritudinem tam suam, quàm filiarum, ob bonorum amissionem & cognatorum, amicorumque & uxoris interitum, & ob præsentem solitudinem, & penuriam rerum omnium.* Philo quoque *loc. cit.* permittit, ut te inebries ob tuorum salutem. At verò S. Augustinus *Lib. 22. contra Faustum cap. 43.* hanc causam inebriandi se non admittit, ita quippe loquitur: *Quid cogebat, ut Loth filiabus suis crebra vina miscentibus, aut fortasse non mixta crebrò porrigentibus consentiret, ac crederet? An per hæc filias, nimirum tristitiam fingentes ita voluit consolari, ut illius destitutionis, & materni luctûs dolor de cogitatione mentis ebriæ fugaretur, etiam ipsas tantundem bibere existimans, & aliqua fraude agentes, ne biberent. Verumtamen etiam talem tristibus suis adhibere consolationem, quomodo virum justum decuerit, non videmus.*

19 Huic S. Augustini sententiæ, cui non apertè repugnat D. Chrysostomus, lubens subscribo. Nam duplicem ebrietatem procurare, proleniendo unius, aut plurium mœrore, qui fortè transacta ebrietate rediturus sit, est uti medio ad finem nimis improportionatum, nimis extrinsecum, & accidentarium. Atqui media debent esse proportionata fini, S. Thom. *2. 2. q. 33. a. 6.*

At instabis: *An non saltem liceat verbo ad ebrietatem inducere mœstum hominem, ut ea ratione mœror ejus detergatur?* Resp. Me nèque hîc videre sufficientem causam ejusmodi inebriationis; quare nego licere; negat & Fumus *Verb. Ebrietas n. 4.*

Quæres VII. *An saltem ad propriam mœstitiam luctumque leniendum, liceat bibere usque ad ebrietatem?* 20

RESP. Procopius Gazeus antiquùs, gravisque scriptor *in Gen. cap. 9.* videtur hoc casu permittere ebrietatem. Nam de Patriarcha Loth scribit in hunc modum. [Verùm quæstio oritur, & moveri potest, quæ causa impulerit Lothum, qui virtutem vini præcognitam habebat, ut ebrietati operam dederit? Forsitan (ut responsum detur) largiùs merum ingurgitaverat, ut abigeret tristitiam, & metum, quem ex illa calamitate acceperat, & sic vino semetipsum non nihil consolatus est. Clariùs illum, saltem à gravi noxa excusat 21 Theodoretus *q. 96. in Gen.* ubi ait: [Ebrietas Loth nonnullam habet reprehensionem, verumtamen temperatam; siquidem perquam ægre ferens, & anxius, se omnibus suis bonis simul, sua etiam uxore spoliatum, vino animi ægritudinem solabatur, nec cùm filiæ illi vinum funderent, quid filiæ struerent, ac molirentur, intelligebat, sed ad mitigandam, leniendámque tristitiam, id fieri ab illis suspicabatur.]

Dico tamen, ebrietatem ad mitigandum 22 mœrorem susceptam, esse graviter illicitam. I. Quia nullus moralium Theologorum, quantum quidem scio, in hoc eventu approbat. Improbat haud dubiè S. Antoninus, Angelus, Cajetanus, aliique plures, quos contra resolutiones, à nobis in hoc capite datas citavimus. II. Quia mœror animi non est majus malum ebrietate, ergo non debet eligi hæc ad illud pellendum, nam ex duobus malis minus, non autem majus est eligendum, *Leg. Quotiens nihil. ff. De Reg. Iur.*

SECTIO

SECTIO III.

Aliæ super eadem re quæstiones proponuntur.

SUMMARIUM.

Quid scripserit Seneca de inebriatione propria ad mœrorem levandum? 23.
Refutatur. Ibid.
Et refertur Aristotelis judicium contrarium Senecæ. 25.
An liceat paulò largiùs, citra tamen ebrietatem, bibere, ad exhilarandum se, aut alterum? 26.
Regula temperantiæ ex S. Augustino. Ibid.
Quid censendum de Religiosis, qui quandoque per Annum habentur ad mensam liberaliùs, quàm soleat quotidie, si autem hac utantur liberalitate, & omnia, quæ apponuntur, bibant, comedántque, non possunt intra duas horas commodè studere, an peccent illa comedendo, & bibendo? 28.
Proponuntur rationes pro parte negativa. 28.
Et pro affirmativa, quæ præfertur. 29.
Quid sentiendum de illo, qui inebriatur ex vino etiam modicè potato, at cujus ex alio potu lædiatur sanitas? 33.
An quando sitis nequit aliter sedari, quàm potu sumpto ad ebrietatem usque, licitus sit talis potus? 34.
In quem finem sit primariò creatum vinum? 35.
Explicatur sententia Paulina: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. 37.

23 Quæres I. *An ad melancholiam pellendam liceat se inebriare?*

RESP. Licet, si stetur judicio Senecæ, cujus sententiam, & Seneca ipso, & Stoica gravitate indignam adscribo. [Indulgendum est animo, inquit is, *Lib. De Tranquillit. animi sub finem*; aliquando vexatio, itérque, & mutata Regio vigorem dabunt, convictus, & liberalior potus; nonnunquam, & usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat curas; eluit enim curas, & ab imo animo animum movet, & ut morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur &c. sed nec sæpe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat, & aliquando tamen in exultationem, libertatémque extrahendus, tristísque sobrietas removenda paulisper. Nam sive Græco Poëtæ credimus: *Aliquando & insanire jucundum est*, sive Platoni: *Frustra Poësin fores compos sui pepulit*; sive Aristoteli: *Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit*, non potest grande aliquid, & supra cæteros loqui, nisi mota mens. Cùm vulgaria, solitáque contempsit, instinctúque sacro surrexit celsior, tum demum aliquid cecinit grandius ore mortali; non potest sublime quicquam, & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est, desciscat oportet à solito, & efferatur, & mordeat frænos, & rectorem rapiat suum, eòque ferat, quò per se timuisset ascendere.] Hæc & alia elegantiùs, quàm veriùs Seneca, quem quidem falsitatis convincunt omnes Christiani, qui ab ebrietate alienissimi, tam multa sublimia, & in arduo posita attigerunt commentando, scribendo, agendo, patiendo.

Ratio autem, cur ad pellendam, melancho- 24
liam, animúmque exhilarandum, non liceat sese inebriare est multiplex: tum quia ipsa ebrietas in multis excitat furorem, non lætitiam, in aliis dolorem capitis, stomachi, & alia, ut vocat S. Ambrosius, *intemperantiæ stipendia*; tum quia si melancholiam tollit, tollit solùm ferè pro tempore, quo durat ebrietas, qua transacta redit melancholia; tum quia haustus liberalior solito, citra tamen temulentiam, longè magis exhilarat, quàm is, qui habet ebrietatem adjunctam, hic ergo est præ illo eligendus; tum quia melancholiæ ad breve tempus mitigatio, vel depulsio non est tantum bonum, ut, cùm possit per alia media acquiri, liceat tanto bono, quantum est usus rationis, sese spoliare.

Denique Stoico Philosopho oppono Peri- 25
pateticorum principem, qui *sect. 3. Problem. 30.* ita sapienter disserit: [Immoderatior vini usus labefactat mentem, ac ingenium, & virilem protinùs eneruat vigorem. Contrà, si moderatè sumatur, concoctionem juvat, cor exhilarat, cerebrum roborat, spiritus animales fovet, suavem somnum conciliat. Hinc memoriam, & intelligentiam adauget, sensuum implexam habitudinem reddit puriorem, excitat animum ad ALTAS speculationes.]

Quæres autem II. *An revera liceat potulà* 26
paulò largiùs citra tamen ebrietatem indulgere, ad sese, aut alium exhilarandum?

Pater Dicastillo *Lib. 1. De Justit. & Iure. disp. 3. n. 15.* testatur, viros graves, doctos, & Religiosos censere, te non peccare, si in gratiam amici petentis, & provocantis eò usque bibas, donec fias paulò hilarior solito. Ipse autem dissentit ab iis, eò quòd ad nullam virtutem possit pertinere talis potus, & si sis ejus authoritatis, ut possis facilè ejusmodi provocationem rejicere, multò magis absonum fore, si non rejicias.

Ego tamen, etsi plurimum, uti par est, tribuo tam sapientis Doctoris judicio, præsertim in quæstionibus non tractatis ab aliis; assentior tamen illis viris gravibus, & doctis, casu, quo illa provocatio, & responsio utilis, atque necessaria est ad exhilarandum animum provocantis, vel provocati, molesta melancholia, aut mœstitudine occupatum. Moveor I. autho-

authoritate S. Augustini, qui *de morib. Eccles. Cap. 21. De Reg. Temperant.* Ita philosophatur: *Habet vir temperans in rebus hujus vitæ Regulam in utroque testamento firmatam, ut eorum nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet utentis modestia, non amantis affectus.* Atqui ad necessitatem officii, quo quis amicus amicum colit, potest spectare, ut in ejus gratiam largiùs bibat, quàm præcisa valetudinis ratio permittat; potest quoque ad necessitatem vitæ propriæ sine gravi tædio transigendæ spectare, ut solitus bibendi, edendique terminus excedatur.

27 Moveor II. Quia si propter amicum licet varia corporis incommoda subire, & propter proprii corporis meliorem statum, sumere pharmaca impedientia usum expeditum corporis, & animi, cur sit nefas cum aliquali oneratione corporis, & nonnulla obfuscatione mentis excedere mensuram potûs ordinariam, & valetudini sufficientem, si id fiat ad amici, propriúmve animum exhilarandum, & melancholicis pathematis, phantasiisque liberandum?

28 Quæres III. *Quid censendum de Religiosis, qui quandoque per Annum tractantur ad mensam liberaliùs, quàm fieri soleat quotidie; si autem hac liberalitate utantur, & omnia, quæ apponuntur, bibant, ac comedant, non possunt intra duas horas commodè studere; an deliquunt illa edendo & bibendo?*

RESP. Videri possunt non delinquere, si præcisè id incommodi rarò accidat, quòd duabus, aut tribus post mensam horis non possint commodè studiis literarum vacare. Ratio est, quia etiam respectu Religiosorum locum habet vulgare monitum.

Interpone tuis interdum gaudia curis.

Nec rei natura, aut Superiorum voluntas exigit, ut Religiosi sint quovis tempore ad seria literarum studia aptissimi. Accedit, quòd ille liberalioris tractationis usus seu melior, & plenior exhibitio, ut loquar cum Innoc. III. Cap. *Cùm ad Monasterium. De stat. Monach.* copiosiores Spiritus animales pro diebus sequentibus procreet; & recordatio illius ejusdem, utpote quæ signum est extraordinariæ Superiorum beneficentiæ, benevolentiæque, excitet bonum Religiosum ad tantò gnaviùs obeunda in posterum sua officia.

29 Sed his non obstantibus existimo contrarium esse dicendum. I. Quia non reor, ullum Religiosum esse in articulo mortis gavisurum, sed potius doliturum, si conscientia testetur, illum fecisse prædictum excessum in cibo, & potu ob finem hîc indicatum. Atqui scriptum est: *Quàm felix, & prudens, qui talis nunc nititur esse invita, qualis optat inveniri in morte.* Thomas à Kempis de Imit. Christi *Lib. 1. cap.* 23. II. Quia non dubito, quin omnes, aut Religiosiores Religiosi se accusent in secreto tribunali, si quando citra necessitatem tam multum cibi, potúsve sumpserint, ut intra duas à prandio horas nequeant commodè studere. 3. Quia Regula temperantiæ plus cibi, aut potûs non permittit, quàm ut usurpetur tantum, quantum ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem satis est. S. Augustinus relatus suprà *n. 26.* atqui excessus, de quo est sermo, non est necessarius ad vitæ conservationem, aut officia rite obeunda.

Ad rationes in oppositum respondetur in 30
primis, haud quidem delinquere Religiosos, si interdum suis curis interponant exhilarationes animorum non repugnantes Regulis aut communibus toti humano generi, aut propriis sui instituti, atqui ille excessus, de quo loquimur, repugnat temperantiæ, ut vidimus, atque adeò Regulis communibus toti generi humano.

Ad alteram respondetur, non valere hanc 31
consequentiam: Superiores Religiosi non exigunt, ut sui subditi sint quovis tempore aptissimi ad seria studia literarum, ergo permittunt sumi sine ulla necessitate tantum cibi, ac potûs, ut per duas horas nequeat animus præ gravedine stomachi etsi sani, aut turbatione cerebri tametsi bono prædíti temperamento, commodè incumbere in serias cogitationes. Hoc verum est, quòd ratio naturalis, à qua non recedit voluntas Superiorum, permittat illam copiam cibatûs, & potationis etiam cum prævisо periculo ineptitudinis ad seria studia per duas horas, si quidem stomachi, cerebrive constitutio sit talis, ut nisi sumatur tantum, quantum sat est iis dicto modo lædendis, vires defecturæ, defuturáque sint per totum tempus pomeridianum; secùs si absque illa exuberantia sit homo futurus habilis ad omnia officia perfungenda, uti par est.

Ad postremam rationem respondetur, spi- 32
ritus aptos studiis non enasci ex copia pastus superflui, sed ex moderato; quod enim Aristoteles relatus suprà *n. 25.* scripsit de vinô, quòd illius usus immoderatior labefactet mentem, & ingenium, si verò moderatè sumatur, cerebrum roboret, Spiritus animales foveat, eâdem ratione pronuntiari potest de cibo, ac dapibus salubribus, convenientibúsque temperamento subjecti.

Quæres IV. *Quid ei licitum sit, qui est talis* 33
complexionis, ut ex vino quocunque, & quantumcunque potato inebrietur, & ex alio potu non inebriante gravius lædatur?

RESP. Licitum est ei medicorum Consilio vinum bibere, cum supposito illo ebrietatis periculo. Cajet. 2.2. *q.* 150. *a.* 2. & Baldell. *Lib. 5. disp. 30. n. 25.* Si videlicet alius potus non inebrians

inebrians lædat admodum graviter. Sequitur ex dictis *n. 23. & 24.*

34 Quæres V. *An quando sitis valde vehemens nequit extingui, nisi vino ad ebrietatem usque sumpto, sit licitum, eam istiusmodi remedio extinguere?*

RESP. Admodum credibile est esse licitum. I. Quia ita apertè sentit P. Antonius Escobar *in Theolog. Moral. Tract. 2. Exam. 2. n. 24.* loquens nominatim de iis, qui in mari navigant. Et haud dubiè id etiam pronuntiarent Cajetanus, ac Baldellus *quæst. præc.* relati. Sed & audivi ipse, quendam Neotericum celebris nominis Theologum, (P. Simonem Felicem) publicè hoc ipsum, copioséque docentem. II. 35
Quia potus vini est à Deo, & à naturâ institutus ad sitim pellendam, ita ut hic sit ejus finis primarius; cùm ergo actus morales recipiant speciem secundùm id, quod intenditur, non autem ab eo, quod est præter intentionem, cùm sit per accidens, ut in simili argumentatur S. Thom. *2.2. quæst. 64. art. 7. in Corp.* & idcirco in plurimis aliis materiis Theologi permittant mediorum usum ad finem suum primarium, licèt per accidens ex tali usu sequatur aliquod malum, & incommodum leve, non apparet, cur non etiam usus vini sit licitus in nostro casu, esto per accidens, atque adeò præter intentionem sequatur turbatio rationis: cùm præsertim nos Superius cum tam multis Theologis permiserimus ebrietatem ad bona procuranda, & mala avertenda, ad quorum procurationem, aversionémque vinum
36 ex se non est institutum. Potest autem hæc doctrina habere usum singulariter in iis hominibus, qui vina fortiora e.g. Hungarica domare non possunt, & tamen nullum alium potum habere queunt, estque sitis tam arida, ut non sit desitura discruciare fauces, nisi largo proluantur liquore.

37 Neque contra hanc, & plures alias ex superioribus responsionibus objicias, non esse facienda mala, ut veniant bona *Rom. 3.* ebrietatem autem esse rem malam. Sensus enim Apostoli est, neque Deo, neque hominibus convenire, aut fas esse id, quod est, manéque semper peccatum, facere eo fine, ut procuretur aliquod bonum, sicuti videre est apud Cornelium à Lapide, & apud Justinianum *in cit. c. 3. ad Rom.* Non autem est sensus, quod non liceat id, quod secundùm se quidem, seu abstrahendo à certis quibusdam accidentalibus circumstantiis est peccatum, in certa tamen circumstantia definit esse peccatum, facere, ut eveniat aliquod bonum, vel impediatur aliquod malum gravius, sicuti in proposito habet ebrietas; quæ licet secundùm se sit peccatum, & quidem fædissimum. *Suprà c. 7.* in certis tamen circumstantiis definit esse peccatum, ut satis ostensum est superiùs. Vide S. Thom. *1.2. q. 94. a. 5.*

38 Unde sicuti dicimus, non licere se exponere certo discrimini vitæ sine rationabili, eáque gravi causa, licere autem ex gravi, rationabilique causa; S. Thom. *2.2. q. 26. a. 4. & 5.* ac passim Theologi in *materiis de charitat.* & *homicidio*, ita etiam de sui ipsius inebriatione sentiendum, loquendúmque est.

SECTIO IV.

Resolvuntur duæ quæstiones superiora explicantes?

Brevis est, non summatur.

39 Quæres I. *An si ad evitandum aliquod malum, aut procurandum aliquod bonum (ex enumeratis hoc capite) necessaria sit ebrietas, non solùm in causa, sed etiam in ipsa, liceat eam eligere?*

RESP. Etsi P. Dicastillo *Lib. 1. De Just. disp. 3. n. 117.* neget, unquam licitam esse electionem ebrietatis in se, salvò tamen ejus, & cujusvis meliùs sentientis judicio, puto oppositum posse defendi, & probo instantia. Nam si cui, ad vitæ conservationem resecandus sit pes, existimetur autem, ut revera fieri potest, illum præ pusillanimitate moriturum inter cruciatus, aut certè ex apprehensione ita commotum iri ejus humores, ut præsens vitæ periculum adeat, non aget contra rationem dicendo apud se: vino generoso me inebriabo, ut sensum doloris minùs apprehendens, vitam conservem. In hoc casu eligitur non solùm vini qualitas, aut quantitas, sed ipsamet alienatio mentis, utpote, quæ profutura videtur ad finem intentum, & proinde eligitur temulentia in se. Hoc fateor, ebrietatem in se non posse intendi ut finem, sed solùm eligi, ut medium.

40 Quæres II. *An, in quibus casibus dixi hoc capite, licitam esse inebriationem sui ipsius, ea sit licita, etiamsi prævideatur ex ipsa oriturum aliquod ex iis malis, quæ temulentiam comitantur, aut sequuntur?*

RESP. Licitam esse asserit Escobar in Summa *Theol. Moral. Lib. 2. Exam. 2. n. 24.* contra Toletum *Lib. De 7. peccat. Mort. c. 61.* & Baldellum *Lib. 5. disp. 30. n. 24.* eò quòd, quando valetudini consulitur directè, cuncta mala sequentia reputentur accidentalia. Sed utique hic author non includit illos casus, quos excludendos esse deduces ex materiis de charitate & justitia, ut e.g. quod bellum de se licitum oporteat omittere, si inde oritura sit subversio religionis; quòd bona opera sint quandoque intermittenda ob scandalum pusillorum &c. Coninck. *De Act. supern. disp. 31. n. 72.*

Fortè

41 Fortè autem contra Toletum vult suam doctrinam esse veram, etiamsi quis prævideat, se in ebrietate blasphematurum; & ego etiam in hoc casu illam admitto; tum quia blasphemiæ non sunt in ebrio blasphemiæ, ut ostendam *capite sequenti*, tum quia licet essent vera peccata, quia tamen per se non sequuntur ex ebrietate, non apparet, cur ebrietas gravem ob causam licita, desinat propter hunc accidentarium effectum esse licita, Argum. doctrinæ S. Thom. 2.2. *q.64. a.7. in Corp.* ubi explicat, quo pacto licita defensio sui ipsius non transeat in illicitam, etsi ex illa sequatur mors alterius.

SECTIO V.

An aliquando sit præcepta Ebrietas?

SUMMARIUM.

Nunquam in actu secundo obligat lex ulla ad se inebriandum, si spectentur generalia principia actionum humanarum. 43.

Abstrahendo tamen ab his, duo sunt casus, quibus facilius posset admitti obligatio bibendi usque ad ebrietatem. 46.

42 QUærat fortè quispiam: *Verùm, in quibus eventis superiùs asseruimus, ebrietatem esse permissam, sit tantùm permissa, & non simul præcepta?*

Ratio dubitandi est, quia homo tenetur vitam suam conservare mediis licitis, possibilibus, & necessariis; ebrietas autem est in enumeratis eventibus medium licitum, & possibile, imò necessarium ad vitæ conservationem.

43 RESP. Si spectentur generalia principia actionum moralium, non est ebrietas unquam in præcepto, quod obliget in actu secundo. Probo I. Quia probabile est, in nullo eorum casuum, quos suprà admisimus, licitam esse ebrietatem. Huic probabili opinioni, qui se in praxi accommodabit, non peccabit; non enim peccat, qui qualemcunque ex duabus practicis opinionibus probabilibus sequitur. Probo II. Quia S. Augustinus, ut retuli, ait, esse melius sobriam carnem occidi, quàm ebriam animam mori. Si est melius, tum certè oppositum non est in præcepto.

44 Ad rationem in contrarium respondetur contra Pasqual. *in Prax. Iejun. decis.* 11. *n.9.* refutandum *Cap.23. sect.3. subsect.2.* esse certum, quòd quis non teneatur vitam conservare omnibus mediis licitis, possibilibus, & necessariis, ut patet tum ex iis, quæ dixi *Cap.1. sect.3. & sequent.* tum ex eo, quòd nemo teneatur vitam conservare esu carnis humanæ, aut murium, esto talis esus sit in extrema necessitate licitus, possibilis, & necessarius, quando planè nil aliud edulii suppetit, sicuti ostendam *citata subsectione 2.* Ratio autem à priori, 45
cur ebrietatem non teneatur quis eligere ad vitam conservandam, est, quia ea est valde grave malum physicum adjunctam habens valde gravem turpitudinem fundamentalem, ergo non videtur ratio naturalis dictare, illam esse necessariò complectendam.

Duo sunt tamen casus, in quibus posset fa- 46
cilius admitti præceptum se inebriandi. Primus, quando poculum inebriativum est mera medicina, & is, cui illud præbetur toti communitati valdè utilis, aut necessarius, moriturus tamen, nisi eam medicinam sumat. Alter casus est, quando is, cui mortem minaris, nisi propinatum sibi à te poculum exhauriat, est in statu multorum gravium peccatorum mortalium, simúlque jam semiebrius, & proinde valde ineptus ad eliciendum actum contritionis; qui enim negabit, istum ex præcepto charitatis sui ipsius, quo mortem æternam, omni, qua potest ratione evitare debet, obligari ad exhauriendum illum craterem? Nihilominus 47
prior ex allatis *n.43.* rationibus concludit, in neutro horum casuum adesse actuale, & vigens præceptum inebriationis, præsertim si sequamur opinionem docentium, sententias, quas in vitæ decursu licitè sequimur, nos in ipso quoque agone licitè sequi. Accedit ratio allata *n.45.*

SECTIO VI.

An foret Martyr, qui mallet mori, quàm inebriari?

SUMMARIUM.

Describitur pulchra sententia ex S. Augustino. 48.

Videtur ad quæstionem propositam respondendum affirmativè. 50.

Non licet ex sola cupidine Martyrii ingerere se in Martyrium. 51.

OCcasionem movendi hanc quæstionem 48
dat S. Augustinus, qui relatus *sect.1. n.15.* ita pronuntiat: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut diceretur tibi: aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria moreretur quàm per ebrietatem anima moreretur.* Quibus verbis apertè indicat, esse virtutis opus mortem excipere potiùs, quàm acquiescere provocanti minaciter ad ebrietatem; atqui omnium virtutum opera, secundùm quod referuntur in Deum, possunt esse Martyrii causa. Text. S. Th. *2.2.q.123.a.5.* in Corp. quia ut sic sunt quædam protestationes Fidei. Idem *Ibid.*

RESP. I. Supposità sententiâ illorum, qui 49
negant,

negant, esse fas, se inebriare in casibus superiùs enumeratis, tum utique foret Martyr ille miles, qui, ne offendat Deum, mavult à suo Centurione confodi, quàm propinatum ab ipso, cyathum epotare, cum certo periculo temulentiæ; illa tamen suppositio non est certa, & proinde non potest credi fide divina, causa autem Martyrii veri debet credi fide divina. S. Thom. *loc.cit.* Lessius *Lib.3. cap.1.dub.* 3. ideo non ausim absolutè dicere, ejusmodi militem referendum in album Christi purpuratorum.

50 II. Quia tamen ex una parte recepta est doctrina S. Thom. *loc. cit.* Cajetan. *in eundem artic.* Lessii *loc. cit.* & aliorum; quòd scilicet actus virtutis etiam non præceptus possit esse causa Martyrii, dummodo ob circumstantiam mortis pro illo omittendo intentatę nō desinat esse actus virtutis, ut sagaciter notat, explicátque Cajetanus; ex altera autem parte constat, ex opinione S. Augustini indicata, atque communi Christianorum persuasione, fore actum heroicæ, Christianæque sobrietatis, si miles, quo de loquimur, mortem oppeteret, potiùs quàm acquiesceret provocationi sui Centurionis, ideo sub hoc respectu posset is miles Martyrii laureola potiri.

51 Hisce propter nonnullos secùs, absque sufficiente authoritate sentientes, addo, non esse licitum ingerere se, ex sola cupidine Martyrii in Martyrium. Nam ita docet expressè S. Tho. *cit. q.124. a.2. ad 3.* Cajetan. *Ibid.* Sylv. *verb. Martyrium*, Navarrus, *in Manual. cap.11. n.40.* Lopez 1. *Part. Institutoria. c.41.* Sanchez *Lib.3. Moral. cap.34. n.15.* Layman. *Lib.3. Tract.3. cap.1. n.6.* addentes nullatenus licitum esse, absque necessitate præbere occasionem infidelibus, & Sanctos, qui absque necessitate id fecerunt, fecisse divino instinctu ductos, & magna necessitate ostendendæ fidei. Cajetanus, & Sanchez. Adeò, ut Layman. *loc. cit.* peccati damnet Catholicum, qui in quadragesima e.g. abstinet carnibus, sciens se ob hanc abstinentiam habitum iri pro Catholico & ideo in odium Fidei occidendum. Unde apparet discrimen inter malentem mori, quam inebriari, & malentem mori, quàm abstinere carnibus.

Cæterùm in Alphabeto Baptizantium, *Cas.* 18. ubi dissero de Baptismo sanguinis, explico conditiones requisitas ad Martyrium.

V.

SCELUS SCELERIBUS &c.

CAPUT XIX.

Explicantur in specie mala, quæ alii, atque alii ebrii solent in ipsa Ebrietate patrare.

IN hoc capite suppono omnia, quæ generatim de malis patratis in ebrietate disseruī *Cap. 9.* hîc enumero, sigillatímque explico omnia, quæ usitatiùs solent evenire, atque adeò illa, quæ à *lit.X. ad lit.F.F.* enumerantur in contextu Accusationis Canonicæ.

X.

AUT VERBERIBUS &c.

SECTIO I.

An, & quantùm peccet, qui se inebriat, sciens se solere in Ebrietate alios verberare, eorum rebus damnum inferre &c.

SUMMARIUM.

Quotuplex peccatum committat maritus, qui se inebriat, sciens, se solere in ebrietate malè tractare uxorem, & liberos? 1.

Qui delinquat sciens, se consuevisse tunc inferre damna aliis? 2.

An tenebitur ad restitutionem, si non prævidit periculum horum damnorum? 3.

Probabile est, ad restitutionem, non obligari, qui damnum etiam grave intulit sine culpa coram Deo mortali. Ibid.

An fugiendum illi, quem ebrius invadit gladio? 4. & 7.

Quid si supponatur, illum ebrium esse in statu peccati mortalis? An non licebit eum necare ad servandam vitam propriam? 5.

Quid si autem ille ebrius sit tuusmet Princeps? 6.

Quid si fuga sit valde ignominiosa illi, qui invaditur ab ebrio plebeio? 7.

Refertur Alexandri VII. Decretum contra faventes Religiosis occidentibus illum, qui minatur deferre gravia crimina de ipsis. 9.

1 QUæres I. *Quotuplex peccatum committat maritus, qui se inebriat, sciens, se solere uxorem, & liberos pugnis, pedibus, fustibus petere?*

RESP. Præter peccatum ebrietatis, committit peccatum impietatis in filios, injustitiæ in uxorem. Ratio est, quia licèt tunc, cùm ita furit, & sævit, propriè non peccet, sicuti monstravi *cit. Cap. 9. Sect. 1.* exhibet tamen totam malitiam materialem, & objectivam, quæ reperitur in ratione injuriæ, impietatis &c. revera enim æquè injustum cruciatum infert suis, quàm si non esset ebrius, nam ebrii pugnos, & fustes æquè sentit tergum uxoris, ac si à sobrio vibrarentur.

2 Quæres II. *Quid censendum de obviorum vulneratione, homicidio, alienarum fenestrarum confractione, domus incensione?*

RESP. Quia hæc omnia damnum reale, & sensibile inferunt, etiam quando ab ebrio committuntur, adeóque retinent totam malitiam materialem, & objectivam vulnerationis, homicidii, damnificationis, idcirco tenentur sub reatu injustitiæ ebrietatem vitare, qui ad talia sunt proni, nisi, ut monui *cit. cap. 9.* diligentiam adhibeant sufficientem, ad similia præcavenda; & proinde tenentur perinde ad restitutionem, ac si sobrii hæc mala intulissent. Quas verò pœnas Canonicas, & civiles mereantur, aperiam *cap. 20*

3 Quòd si aliquid horum malorum semel aut sæpius sit in temulentia patratum, præter omnem prævisionem, in primis constat ex doctrina *cit. cap. 9.* tradita, per illud non aggravari malitiam ebrietatis: deinde quia valde probabilis est opinio negantium, illum ad restitutionem obligari, qui damnum materialiter injustum, etsi gravissimum intulit, sine vera coram Deo culpa, ut docent Cardinalis de Lugo *disp. 8. De Iustit. n. 41.* Lessius *Lib. 2. De Iustit. cap. 7. n. 26.* & alii, nósque probavimus in Clypeo Clement. judicium *Part. 2. n. 262. Edit. 1.* idcirco perquam probabile est, istum ante judicis sententiam non teneri ad reparandum ullum damnũ, aut faciendam restitutionem, licèt in ebrietate domum incenderit, vitrum pretiosum fregerit, puerum exoculaverit, sicuti in specie de ebrio homicida inter alios docet Anton. Fernand. *in Examin. Theolog. Part. 1. cap. 14. §. 1. n. 23.* loquens de eo ebrio, qui non erat expertus, se in ebrietate committere ejusmodi delicta.

4 Quæres III. *Quando ebrius gladio invadit quempiam, quid huic sit faciendum? fugiendumne? an vis vi pellenda?*

RESP. I. Si non potest aliter mortem evadere, quàm occidendo, occidat. Ratio est, quia vitæ meæ invasorem licitè interficio, Sanctus Thomas *2. 2. q. 64. art. 7.* communiter receptus, esto is à peccato injustæ, invasionis excusetur propter amentiam, somnum, invincibilem ignorantiam. Tanner. *Tom. 3. disp. 4. q. 3. n. 69.* & Palaus *disp. 1.* de charitate *punct. 9.* cum aliis communiter contra Gersonem; ergo & ebrium. Palaus *Ibid.* Malderus. *2. 2. Tr. 3. c. 1. dub. 12.*

Nec obest, quòd is, ebrius inquam, sit in 5 statu peccati mortalis, & propterea sim futurus causa futuræ æternæ damnationis ipsius, quam quidem ex lege charitatis teneor impedire, si possim etiam profundendo propriam vitam. Sanctus Thomas *2. 2. quæst. 26. art. 5.* ab omnibus approbatus. In primis enim non scio, utrùm iste ebrius peccârit à parte rei mortaliter inebriando se. Deinde non scio, utrùm ipse ego sim in statu gratiæ. *Eccles. 9.* Tertiò ignoro, utrùm sit statim moriturus ex vulnere, & utrùm, si supervixerit mihi interfecto, sit postmodum moriturus in statu gratiæ. Malderus *loc. cit.* Quòd si haberem moralem certitudinem de meo bono statu, & de ipsius malo, déque ejus secutura postmodum perseverantia finali, tum valeret aliquid objectio.

Est autem hæc doctrina vera etiam casu, quo 6 Princeps non multùm necessarius Reipublicæ subditum, pater filium, maritus uxorem invadit, interfecturus ni præverteretur. Lessius *Lib. 2. cap. 9. dub 8. n. 41.* nam vim vi repellere omnes Leges, omniáque jura permittunt. Text. express. *cap. Si verò 2. De Sent. Excom.* Vera quoque, licèt non timerem mortem, sed solam mutilationem, Lessius *Ibid.* quia mutilatio inter gravissima mala meritò numeratur. *Gloss. in cap. Cùm dilectus. De his quæ vi.* Sanch. *Lib. 4. De Matrim. disp. 5.*

RESP. II. Si mortem evitare fugiendo pos- 7 sum, teneor fugere, & non licet ebrium invasorem perimere. Malderus *loc. cit.* & post illum Diana *Part. 5. Tr. 4. Res. 9.* Ratio est, quia licèt valde probabile sit, fas esse occidere injustum invasorem, & non fugere, quando fuga esset valdè ignominiosa, proindéque non posse affici supplicio illum, qui invasorem hac occasione interficit, sicuti contra Andream Gaill *Lib. 2. Observ. 100. n. 8.* tradunt tum Bartolus, & alii Jureconsulti, quos ipsemet Gaill. refert, in hoc quippe casu poterit periculum famæ æquiparari periculo vitę. Clarus *§. Homicidium. n. 26.* tum Theologi, quos citat, & sequitur Diana *loc. cit.* quia tamen non videtur cuiquam esse valde ignominiosum, fuga declinare petitiones ebrii, idcirco illa probabilis doctrina non est huc applicanda. Et universim monet 8 Lessius *loc. cit. n. 55.* probátque ex Patribus, sæpe esse salutare Consilium, permittere se occidi potiùs, quàm occidere, idque Consilium amplectendum omnibus Clericis, maximè Religiosis viris. Sed & Alexand. VII. inter alias 9 sententias vetuit An. 1665. doceri hanc: *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.*

V.
AUT SPURCIS VERBIS &c.
SECTIO II.
De Ebriorum peccatis contra castitatem?

SUMMARIUM.

Sequitur ex doctrina Cajetani, omnes, qui voto Castitatis obstricti sese inebriant, committere duplex peccatum in Confessione specificandum. 10.

Idcirco negatur illa doctrina. 11.

Germani ebrii non consueverunt loqui de rebus obscœnis. Ibid.

Verba turpia prolata in ebrietate non retinent suam malitiam objectivam. 12.

Non est ridiculum confiteri turpia somnia, quorum causam quis dedit. 15.

Non est licitum procurare directè talia somnia. 16.

Turpes cogitationes ortæ in ebriis præter directam intentionem, non sunt necessariò confitendæ. 17.

Tales cogitationes, & somnia non sunt peccata. 18.

An, & quatenus confitenda sit pollutio, quæ evenit in ebrietate? 19

Ratio naturalis non valde obligat ad tollendas causas, quæ per se non influunt in pollutionem. 20.

Vxor non tenetur reddere debitum marito ebrio. 22.

10 QUæres jam I. *Vtrùm quando quis voto castitatis obstrictus se inebriat, teneatur hanc voti circumstantiam aperire in confessionali?*

Ridicula videtur hæc quæstio, nam & pœnitentes, & Confessarii riderent, si juberentur hi exquirere, illi sponte indicare circumstantiam sui voti. Haud dubiè tamen aperienda est illa circumstantia, si vera est doctrina Cajet. *2. 2. q. 150. a. 2.* & Baldelli *Lib. 5. disp. 30. n. 30.* censentium turpes cogitationes, & verba turpia non posse morali studio vitari ab ebriis, & ideo omnem, qui se sponte inebriat, exponere se periculo cogitandi, loquendíque obscœna, propterea quòd hoc etiam respectu, & consideratione, esse ebrietatem peccatum mortale. In qua responsione manifestè supponunt, obscœnas cogitationes, & fescennina verba retinere etiam in ebrietate malitiam objectivam, unde ego infero: Ergo crimen sacrilegii admittit Sacerdos, & Religiosus, dum se inebriat, quia exponit se certo periculo peccandi contra castitatem per cogitationes, aut verba mortaliter mala.

Imò, quia hi duo Doctores dicunt, *communi-* 11 *ter* solere hæc peccata in ebrietate committi, idcirco quisquis se vel zytho, vel mero proluit usque ad submersionem cerebri, debet, si de oppósito non constat, supponere, se in ebrietate cogitâsse turpia, locutúmque fuisse obscœna, adeóque contra suum castitatis votum egisse, peccasséque mortaliter, quia in obscuris inspici solet, quod plerumque fieri solet. *L. In obscuris. ff. De Reg. Iur.* & argumentum à consuetis est utilissimum ad probandum. Everhardus *De Locis, Loc. 104. n. 1.* Cũ verò hæc sint fine dubio aliena ab omnium prudentium praxi, judicióque, ut jam occasione objectionis alicujus ex verbis S. Hieronymi factæ monui *c. 10. n. 44.* eam ob rem negandum in primis est, temulentos communiter, & ferè semper loqui turpia. Certè nostri Germani (de Italis pronuntiare nihil possum) quando pleni sunt mero, potiùs de ipso mero, quàm de mulieribus sermocinari solent, ac balbutire. Unde concludo, illos communiter loquendo non agitare animo res fœdas, alioqui sæpius de illis loquerentur, quàm faciunt, quia etiam ebrii os ex abundantia cordis loquitur *Matth. 12.*

Negandum deinde est, verba turpia à temu- 12 lento prolata retinere malitiam objectivam: quare licet quis probè noverit, se consuèsse tempore ebrietatis ejusmodi sermonibus aërem incestare, aut incestâsse, non est opus, per se loquendo, ut hac de re se reum agat in Confessione. Rationem hanc adfero, quia verba impura non continent gravem culpam, nisi quatenus sunt vel significativa obscœni animi, vel excitativa turpitudinis in se, aut alio. Filliuc. *Tract. 30. c. 10. n. 207. 208. 209.* latè Tanner. *Tom. 2. disp. 4. q. 8. n. 99.* Graviter scandalosa communiter non sunt, quando ab ebriis effutiuntur. Nam qui audiunt, ad risum, aut ad aliquam, eámque justam indignationem moventur potiùs, quàm ad obscœnitátem. Nec 13 etiam continent gravem culpam, quatenus sunt significativa turpis imaginationis; illa quippe imaginatio est planè indeliberata, & nimis indirectè, mediatè, casualitérque causatur à potu vini; ergo non videtur, quòd verba illa indeliberatè significantia contineant turpitudinem objectivam, ut confirmabitur ex mox dicendis.

14 Quæres II. *An cogitationes turpes, & turpia somnia, quæ oriuntur ebriis, oporteat confiteri, posito, quòd quis sciat, se illas, & illa habuisse?*

Respondeo. Joannes Sanchez in Select. *disp.* 25. *n.*13. expressè dicit, esse ridiculum, quòd qui interdiu cogitaverunt, aut locuti sunt turpia, non contenti confiteri suam diurnam turpitudinem, addant, sibi postmodum fuisse orta turpia somnia. Nam esto revera orta fuerint, quia tamen ea non sunt peccata, nec in se, nec in causa, ideo non esse confitenda. Unde, ait Sanchez, qui ederet calida, ea intentione, ut somnia immunda haberet, non peccaret, quia somnium impudicum voluntarium in causa nullo jure prohibitum est. Sic ille.

15 Ego verò circa hanc quæstionem dico tria. I. Non esse ridiculum, turpia somnia confiteri, quorum causam dedimus, cùm & praxis virorum proborum, prudentúmque ostendat, non esse ridiculum, & è turpibus somniis facilè oriatur pollutio, quam etiam in somno ex culpabili causa interdiu data ortam, utique non est ridiculum confiteri. Abulensis in Matth. *cap.*5. *q.* 246. & alii cum Sanchez *Lib. 9. De Matr. c.*45. *n.*28. licèt sit probabilius non oportere confiteri.

16 II. Non esse licitum procurare directè turpia somnia, seu per ebrietatem, seu per aliud etiam indifferens medium. Ratio est, quia cùm ex una parte illa directa procuratio non videatur posse habere finem honestum; ex altera autem parte certum sit, communiter ex immundo somnio oriri gravem carnis commotionem, ac sæpissimè pollutionem, quæ certè continent materialem, naturalémque aliquam fœditatem & turpitudinem, omnibus puris mentibus summè displicitam, videtur omnino virtus castitatis saltem sub veniali prohibere directam procurationem turpium somniorum. Atque ita sine dubio sentiunt S. Gregorius relatus *cap.*1. *dist.* 6. & Isidorus *cap.* 2. *eod.*

17 III. Turpes cogitationes & turpia somnia, quæ præter directam intentionem ebriis obveniunt, non adferre ebrietati circumstantiam mortaliter malam, & proinde non esse necessario manifestanda in tribunali sacro. Ratio à posteriori est, quia ipsa pollutio quam patiuntur ebrii, non est peccatum mortale, ut paulò pòst dicam, ergò multò minùs turpe somnium, aut turpis cogitatio.

18 Ratio à priori est, quia turpis cogitatio, & turpe somnium non sunt peccata, neque in se, cùm supponantur exurgere tempore ebrietatis, neque in causa, tum quia ebrietas valde accidentaliter se habet ad illa, tum quia iis non inest ea materialis, naturalisque turpitudo, ut ratio naturalis graviter prohibeat dari indirectam causam illorum. Adde, quòd turpia cogitare, etiam deliberatè, non sit ex se peccatum mortale. Lessius *Lib.*4. *cap.*3. *n.*108. Filliuc. *cit. n.*207. sed tantùm ratione turpis delectationis quæsitæ, vel admissæ, aut ratione alterius mali. Filliucius *Ibid.*

Quæres III. *An pollutio, quàm ebrius patitur,* 19 *sit necessario confitenda?*

RESP. Si illam provocavit per turpem tactum sui, aut alterius, tenetur confiteri, se causam dedisse, modo, dum erat sobrius, præviderit periculum hujus turpitudinis eventuræ in ebrietate. Ita Sanchez *Lib.*1. *Moral. cap.*16. *n.*44. cum cæteris Theologis. Ratio est, quia ejusmodi pollutionis provocatio habet veram malitiam objectivam. An verò teneatur ipsammet pollutionem confiteri, mox patebit.

RESP. II. Si orta est sine turpi contactu &c. 20 sed solùm ex intemperantia, aut somnio, tunc esto fuerit prævisa, non tamen necessariò est confitenda, & proinde ebrietas non contraxit inde peculiarem mortalem malitiam. Ita cum multis contra non paucos docet P. Sanchez *loc. cit. & Lib. 9. De Matr. disp.*45. *n.*17. itemque Baldellus Theologiæ Moral, *Lib.* 3. *disp.*29. *n.*16. fusè hoc declarans. Ratio est, tum quia illa vini copia, quæ parit ebrietatem, nimis accidentaliter, & remotè se habet ad pollutionem Bonacin. *De Matr. q.*4. *p.*10. *n.*6. *punct. n.*5. tum quia in aliis parùm vini causat ebrietatem, in aliis non nisi multum; tum quia ipsa pollutio sequitur jam post non adeò multum, jam non nisi post valde multum vini sumptum; tum quia nulla pollutio peracta in somno est in se peccatum. S. Thomas 3. *Part. q.* 88. *a.*7. *in Corp.* Atqui sola peccata sunt necessariò confitenda. *Suprà cap.*9. *n.*23. tum denique, quia licèt rectè S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.*5. *in C.* doceat, quando humor seminalis, quem utique notabiliter auget vinum copiosè ingestum, superabundat, dormientem somniare ea, quæ pertinent ad expulsionem hujusmodi humoris abundantis, & proinde oriri in illo phantasmata pertinentia ad expulsionem talis humoris, & affluxus spirituum animalium ad partes seminales, & consequenter resolutionem humoris spermatici; quia tamen ille influxus est tantùm indirectus, & ratio naturalis nos non valde obligat ad tollendas, aut non ponendas causas, per se, & directè non influentes ad pollutionem. Sanchez *cit. disp.* 45. *num.*15. Bonacin. *cit. num.*5. Filliuc. *Tract.* 30. *cap.*8. *num.*152. alioqui perpetui scrupuli orirentur plurimis hominibus, cùm sint plurimi homines, qui facillimè ad pollutionem, aut certè seminis distillationem (quæ in moralibus pollutioni æquiparatur. Sanch. *loc. cit. n.*32. Reginald. *Lib.*22. *num.*45.) concitantur, idcirco dicendum est, non peccare mortaliter

taliter contra castitatem, qui se inebriat, sciens sibi ebrio dormienti solere oriri pollutionem.

21 Addo tamen, talem ebriosum delinquere venialiter contra castitatè, ut docet satis clarè S. Gregorius relatus *Cap. Testamentum, dist.* 6. & alii cum Sanch. *n.*22. Nam amor puritatis videtur imperare, ut hujus naturalis fœditatis occasiones vitemus, quoad commodè possumus.

22 Quæres IV. *An uxor teneatur ebrio marito petenti debitum conjugale reddere?*

RESP. Non tenetur. Sanchez *Lib.*9. *De Matrim. disp.* 23. *n.*12. & Laymann. *Lib.*5. *Tract.* 10. *Part.* 3. *cap.*1. *num.*9. post alios. Ratio est, quia ebrius non petit debitum modo rationabili, & humano. Addit tamen Sanchez teneri per accidens, si videlicet esset periculum incontinentiæ in ebrio. Et hoc utrumque docet de marito, à quo uxor ebria peteret debitum.

Z.

AUT CONTUMELIIS LACESSERE &c.

SECTIO III.

An mortaliter ratione contumeliæ prævisæ peccet is, qui se voluntariè inebriat?

SUMMARIUM.

Non delinquit mortaliter ratione prævisæ contumeliæ is, qui se inebriat, sciens, se in ebrietate eam esse prolaturum. 24.

Probatur Authoritate S. Thomæ. Ibid.

Verba contumeliosa prolata ad effectum correctionis, non continent malitiam contumeliæ. 25.

Quomodo materialiter prolata possint transire in malitiam mortalem? 26.

23 QUid de hoc & aliis per sequentes Sectiones explicandis malis sentiendum sit, quando quis se inebriat eo fine, ut tantò animosiùs ea perpetret in ebrietate, explicavi *cap.*9. *sect.*6. At in hoc capite de illis disfero, quatenus tantùm indirectè sunt voluntaria. Et sub isto respectu fusiùs, quàm sub illo, quia sub, & cum isto longè frequentissima sunt.

24 Porrò ad propositam in titulo quæstionem negativè, & meritò quidem respondent Cardinalis de Lugo *Tom.*3. *in* 3. *Part. disp.*16. *sect.* 4. *n.*212. Baldellus *Theolog. Moral. Lib.*3. *disp.* 28. *n.*13. Sanchez *Lib.*1. *Moral. cap.*16. *n.*44. Arriaga *Tom.*3. *disp.*44. *n.*11. Palaus *Tract.*2. *disp.*1. *punct.* 3. Bonac. *quæst.* 4. *De Peccatis punct.*4. *n.*11. & Joan. Sanchez *in Select. disp.*20. *n.*5. Rationem hanc afferunt omnes, quòd verba contumeliosa, & probra, ut addit Sanch. non soleant curari ab iis, in quos jactantur ab ebriis, sed ab iis, spernantur, vel ad illa rideant, sicuti ad jocos, & facetias. Unde fit, ut nullam contineant imminutionem honoris, adeóque amittant rationem objectivam injuriæ, contumeliæque secundùm doctrinam receptam S. Thom. 2. 2. *q.*71. *a.*1. & 2. *in C.* Quo *art.*2. *in Corp.* sic loquitur: [Verba in quantum sunt sonus, non sunt in nocumentum aliorum, sed in quantum significant aliquid; quæ quidem significatio ex interiore affectu procedit; & ideo in peccatis verborum maximè considerandum est, ex quo affectu aliquis verba proferat. Cùm ergo convitium, & contumelia de sui ratione importent quamdam dehonorationem, si quis verbum convitii, vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, non dicit convitium, vel contumeliam formaliter, sed materialiter.] Ita S. Doctor, cujus verba idcirco descripsi, quòd sint profutura aliquibus sequentium responsionum.

Itaque quemadmodum verba contumeliosa 25 advertenter, & voluntariè in se prolata, v.g. ad effectum docendi, corrigendi, non autem ad effectum significandi internum conceptum, & contemptum ipsius proferentis, non fundant disconvenientiam ad rationem, nec tribuunt illam malitiam. S. Thom. *cit. a.*2. in C. sed tunc solùm fundant, & tribuunt, in quantum proferuntur voluntariè, & deliberatè, ut injuriosa, & modo injurioso, honorísque imminutivo. S. Thom. *Ibid.* ita nec videntur illam fundare, in quantum proferuntur in alio, id est in ipsa ebrietate, & in illa solùm prævidentur, ut proferenda, non tanquam injuriosa, & modo injurioso, sed solùm ut proferenda materialiter ex vini efficacia, sicuti & proferrentur tempore somni, longioríque amentiæ. Baldellus *loc. cit.*

Porrò quia idem S. Doctor in allegato *a.*2. 26 subdit: Verba contumeliosa etiam materialiter prolata posse transire in malitiam mortalem, quando e. g. *per incautelam* prolata auferunt honorem ejus, contra quem proferuntur, idcirco si quis prævideret, sua verba contumeliosa esse cessura in alterius probrum, grave mœrorem, aliúdve grave incommodum, tametsi solùm per accidens, tum nullo modo dubitandum est, quin Gabriel, Fumus, aliique indicati *cap.*9. *num.*68. essent illum, & quidem haud absque ratione. isto nomine condemnaturi

turi tanquam reum gravis criminis adversus charitatem fraternam, aut etiam almam justitiam.

A. A.

ABSENTIUM FAMAE OBTRECTARE.

SECTIO IV.

Quid censendum de illis, qui solent in ebrietate alienæ famæ obtrectare, & detrahere?

SUMMARIUM.

Communiter non peccant graviter peccato detractionis qui se inebriant prævisо periculo. 27.
Sæpe tamen peccant contra charitatem. Ibid.
An graviter ii, qui tantùm uni narrant occultum crimen alterius, dicentes, se ita audivisse? 28.
Suspicio temeraria etiam de gravi malo fortè non est mortaliter mala. 29.
Aliud est de judicio temerario. 31.

27 AD quæstionem propositam in titulo. RESP. I. Tales communiter non peccant graviter, quia communiter dicunt vel jam passim nota, vel non nota quidem, talia tamen, ut credantur à nemine, eò quòd ebrio non esse credendum nörint omnes. Resp. II. Nonnunquam tamen graviter delinquere possunt, quando videlicet sciunt, se solere talia occulta deblaterare, ut eos, de quibus loquuntur, vel rubore afficiant, vel in damnosam suspicionem patrati gravis delicti adducant. Dicastillo *De Pœnitent. disp. 9. n. 421.* Ratio est, quia saltem ex charitate, si non ex justitia obligantur, ad non præbendam occasionem ejusmodi malorum, sed potiùs ad impediendam, juxta doctrinam S. Thom. *2. 2. q. 31. a. 2.* in C.

28 At: *Peccántne in hoc casu peccato detractionis, adeóque contra justitiam?*

RESP. Sicuti quando dicis, te audivisse, Cajum esse in furto deprehensum, non peccas ex opinione Cajetani, Sylv. Petri Navarr. *Lib. 2. De Restitut. Cap. 4. n. 329.* contra justitiam, etsi prævideas, tuos auditores habituros esse Cajum pro fure, quia videlicet jactura famæ, quam apud illos adit, tribuenda videtur potiùs eorum levitati, quàm tuæ assertioni: peccas autem contra justitiam ex opinione receptiore Valentiæ *Tom. 3. disp. 5. q. 17. p. 2.* Cardinalis de Lugo *disp. 14. De Justit. sect. 4.* eò quòd videaris esse causa efficax imminutionis boni nominis; ita etiam videtur conformiter utrique huic doctrinæ, posse ad propositam quæstionem probabiliter responderi, & affirmativè, & negativè. Equidem dictum ebrii non sufficere ad gignendam prudentem suspicionem patrati sceleris, deduces facilè ex iis, quæ dicam *sect. 9.* Adde, quòd probabile 29 sit, suspicionem etiam temerariam de gravi peccato proximi innocentis esse duntaxat venialiter malam, ut ex S. Augustino *Tract. 9. in Ioan.* tradunt Cajetanus *2. 2. q. 60. a. 3.* Petrus Navarr. *loc. cit. n. 446.* & alii permulti, favente apertè S. Thom. *2. 2. q. 60. a. 3.* in C. Ergo gignere in unius tantùm animo suspicionem temerariam, & falsam, non videtur esse, ut sic præcisè crimen lethale, cùm ut sic præcisè non generetur grave malum.

Ratio autem, cur temeraria suspicio (intra 30 pectus clausa, (secùs si pluribus manifestetur) licèt de gravi malo, (gravissimum excipit Valentia *Tom. 3. disp. 5. q. 4. punct. 3.* non excipiente, sed includente Petro Navarra *Lib. 2. cap. 4. n. 446.* ac Tannero *Tom. 3. disp. 4. quæst. 3. dub. 2. n. 39.* cum aliis) est hæc fundamentalis, quòd detractio tam mentalis, quàm verbalis, seu imminutio famæ alienæ in tantum sit mortaliter mala ex sese, in quantum injustè aufert proximo grave bonū, seu adfert grave malum. S. Tho. *2. 2. q. 60. a. 3.* & *q. 72. a. 2.* & alibi; atqui suspicio etiam temeraria de gravi malo alterius non aufert per se grave bonum. Cùm enim sit opinio infirma, ac vacillans, S. Thom. *cit. a. 3. in corp.* fit, ut si non oriatur ex pravo affectu, facilè deponatur, ac proinde non tollat habitualem inclinationem sentiendi bene de altero; quæ habitualis inclinatio sola censetur in præsente materia magnum bonum. Unde ulterius fit, ut homines non possint me- 31 ritò valde ægrè ferre, si quis temere non ex malo affectu suspicetur malè de ipsis, cùm præsertim temeraria, seu ex levibus indiciis formata suspicio pertineat ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur. S. Thom. *Ibid.* Aliud est de judicio temerario, quod quando est de gravi malo proximi plenè deliberatum, continet malitiam mortalem. S. Thom. *Ibid.* cùm omnibus Theologis; est enim firma, definitivàque sententia de malo alterius, orta ex levibus indiciis. S. Thom. *Ibid.* ex S. Auguſt. *Tract. 90. in Ioan.* ejusmodi autem sententia concepta de gravi peccato alterius aufert magnum bonum, scilicet habitualem inclinationem, ac proximam potentiam opinandi bene de altero; ergo si concipiatur temere, id est sine examine, utrùm rationes, quibus nititur, sint sufficientes ad ferendam de proximo adeò pertinacem, præjudiciosámque sententiam, non vacabit culpa mortifera.

B.B. MA.

B.B.

MALEDICTIS IMPETERE &c.

SECTIO V.

An, qui solent in Ebrietate aliis hominibus maledicere, teneantur hanc suam consuetudinem confiteri?

Brevis est, non summatur.

32 SOlent multi ebriosi facilè ira corripi, & in ira maledicere uxori, liberis, aliis, imprecando scilicet diabolum, pestem, mala omnia; & consueverunt se hac de re in Confessione accusare, dicendo, quòd ex domesticis intellexerint, se, cùm essent mero turgidi, horrendis maledictionibus detonuisse in varios homines. *Quæritur, an teneantur id factum indicare in Confessione Sacramentali?*

33 Et Resp. breviter non teneri. Ratio est, quia revera non maledixerunt cuiquam; siquidem maledicere propriè est alteri malum precari, non verbotenus, ut faciunt plurimi patres, & matres, utentes verbis maledictoriis, seu imprecatoriis, ad solum terrorem incutiendum. *Infrà cap. 29. n. 28.* sed ex animo. S. Thom. *2. 2. q. 76. a. 1. 2. 3. 4.* qui animus deest ebriis, aut si fortè adest, tamen quia non est deliberatus, & ideo non curatur, sed negligitur ab hominibus, idcirco neque in hoc casu continent illæ ebriorum maledictiones malitiam objectivam. Quare rectè docet Joan. Sancius in Select. *disp. 30. n. 5.* illum, qui expertus est, se in ebrietate proferre maledictiones in creaturas, non incurrere hujus peccati reatum. Quamquam potest fieri, ut ratione scandali, & offensionis illæ maledictiones contrahant malitiam alterius peccati, sed rarò. Alia de maledictionibus dicam *cit. cap. 29.*

C.C.

BLASPHEMIAS IN DEUM &c.

SECTIO VI.

An revera graviter duplici peccato peccent, qui se inebriant, scientes se in Ebrietate consuêsse blasphemare?

SUMMARIUM.

An revera graviter duplici peccato peccent, qui se inebriant, scientes, se solere blasphemare in ebrietate? 34.
Pars negativa probatur. Ibid.
Probatur & affirmativa. 35.
Affirmativa est vera, quando ea verba continent blasphemias extraordinarias. 36.
Secùs quando leves. 38.
In peccatis verborum maximè considerandum est, qua intentione proferantur. Ibid.

PErmulti ebriosi, dum suam ebrietatem 34 confitentur, solent addere, se ex uxore, aut aliis familiaribus intellexisse, quòd valde graviter blasphemârint. Examinandum hîc est, an ejusmodi Confessio sit necessaria? Necessariam negant Vasquez, Lugo, Arriaga, Joan. Sancius *locis nam. 24. citatis.* Rationem hanc adferunt, quòd de ratione verborum blasphemorum, ut ad culpam imputari possint, sit, ut à sciente, seu prædito ratione proferantur. S. Thom. *2. 2. q. 13. a. 2. ad 3.* Aliter non significant ullum Dei contemptum, nec ejus honorem minuunt, cùm tamen blasphemus intendat nocumentum inferre honori divino. S. Thom. *loc. cit. a. 3. ad 1.* ergo non retinent in ebrietate malitiam objectivam, ergo ebrietatis malitia non aggravatur per hoc, quòd quis sciat, se solere verba blasphema proferre, ergo non tenetur quis vel hanc consuetudinem, vel ipsum factum confiteri. Vide dicta *n. 25.*

E diverso ebrietatis malitiam magnopere 35 augeri per circumstantiam verborum blasphemorum, quæ prævidentur proferenda, censent Sanchez, Palaus, Bonacina, (qui malè pro se citat Vasquezium) locis, quos retuli *n 24.* favétque Layman. *Lib. 1. Tract. 4. cap. 10. n. 3.* Ratio est, tum quia pœnitentes, & Confessarii procedunt secundùm hanc doctrinam, tum quia Magistratus politicus punit blasphemos etiam ebrios, ut nominatim videre est in Jure Bavarico, & reipsa fuisse quendam Christophorum, & quendam Ludovicum, aliósque ob blasphemiam in ebrietate prolatam punitos uno, & etiam duobus ictibus funis, testatur Julius Clarus *in praxi crimin. q. 60. §. final.* sicuti etiam Damhouderius *in pract. crimin. cap. 61. n. 22.* absolutè negat, quòd blasphemantes excuset ebrietatis prætextus; tum quia blasphemiæ sunt intrinsecè malæ, & videntur graviter adversari divino honori, ut argumentatur Bonacina; tum quia licèt non habeant propriè rationem blasphemiæ, habent tamen cujusdam moralis irrisionis, & irreverentiæ Deo factæ, ratione cujus voluntas illas causandi est mala: & peccaminosa, ut post Sanchez rationatur Palaus; tum denique, quia constat, homines non parùm commoveri, & indignari, quando audiunt tam execrandas blasphemias evomi ab ebriis.

Propter has causas censeo in primis, ebrie- 36 tatis malitiam graviter admodum aggravari à circumstantia prævisæ blasphemæ dictionis-

valde atrocis, eructandæ in temulentia, ut quando Germani dicunt Blut-Sacrament/ Item/ Donner/ Hagel &c. Sacrament. Galli: *Teste de Dieu, ventre de Dieu*, & similia in orcum releganda. Nam revera grande scandalum, gravem indignationem solent ejusmodi verba blasphema adferre.

37 Excipi fortè possunt hinc milites, qui in castris talia effutiunt, etenim solent risu potiùs, quàm ira excipi hæc illorum elegantes scilicet phrases. Censeo deinde, rationem blasphemiæ propriè dictæ non reperiri in id genus verbis, sicut neque propriè dictæ irrisionis erga Deum. Causam attuli *n.33.*

38 Censeo tertiò, ebrietatis malitiam non aggravari mortaliter circumstantia prævisæ mediocris, & vulgaris blasphemiæ, ut quando nostri Germani per Sacramenta blasphemant, eò quòd tales blasphemiæ nec sint verè blasphemiæ, ut patet ex paulò antè dictis, atque ex illo pronuntiato S. Thomæ 2.2. *q.72. a.2. In peccatis verborum maximè considerandum est, qua intentione proferantur*: nec videantur cedere in gravem inhonorationem Numinis, notabiléve scandalum proximi. Proinde non est communiter opus, ut in Confessione fiat hujus circumstantiæ mentio, quamvis authoritas talium Doctorum, & rationes, quas suprà attuli, valde magnam probabilitatem adferant oppositæ sententiæ, & sine dubio permittendi sint pœnitentes addere istam circumstantiam, quando ultro addere volunt; & apud nonnullos erit operæ pretium, iis ebrietatem etiam hoc titulo exprobrare. Imò erit necessarium tunc, cùm ebrius illis verbis incestavit aërem in certa ditione, aut urbe, in qua sciebat, illis ipsis verbis graviter exulceratum iri aures, & animos audientium, ut e.g. in Helvetia Catholica, ubi propter infrequentiam blasphemiarum, utpote graviter, meritóque solitarum mulctari à Magistratu civili, magnopere offenduntur ii, quorum aures verberant ejusmodi propriè id loci scandalosæ eructationes verborum, quemadmodum singulari, & notando casu ostendo in Alphab. Quadrupl. *Part.3. n.749.* Et hoc ipso, quòd sint ratione loci graviter scandalosæ, & insuper manifestè habeant speciem mali, continent illic malitiam objectivam scandali, juxta communem opinionem S. Thom. 2.2. *quæst.43. art.1. in Corp.*

D. D.

VERBA CATHOLICO HOMINE &c.

SECTIO VII.

Quid pronuntiandum de illis, qui in Ebrietate solent verba hæretica proferre?

SUMMARIUM.

Probabilius est, ebrietatis malitiam non aggravari ex circumstantia verborum hæreticorum solitorum proferri in ea. 39.
Nequit talis puniri ut hæreticus. 41.
An autem citari ad inquisitionis tribunal? 42. *rem si vè.*
Tuba cordis, est lingua loquentis. 40.

39 Est non nemo, qui solet in ebrietate dicere: *Ebrietas non est peccatum: nullus est infernus, ut nostri concionatores garriunt: Lutherana fides æquè bona est, atque Catholica: credo quod mihi lubet &c.* Quæritur, utrùm hæc, & similia verba imputentur illi ad culpam, ita ut teneatur apud Confessarium se de hac consuetudine accusare. Negant, quos nominavi *n.34.* asserit Sanchez *cit. n.44.* & Palaus *loc. cit.* Negantibus adstipulor, quoad propriè dictam hæresin, quia de ratione verborum hæreticorum, ut peccata, seu objectivè in ratione hæresis mala censeantur, est, ut proferantur ab homine rationis compote, quandoquidem hæresis ex suo conceptu essentiali dicit errorem quendam intellectûs existentem in homine rationis compote, seu errorem illum eligente. S. Thom. 2.2. *q.11. a.1. in C.*

40 Fortè tamen posset in foro externo ab Inquisitoribus procedi contra ejusmodi hominem, non tam propter talia verba, quàm propter præsumptionem, quæ ex iis formatur de ejus animo talia quippe verba sæpe in ebrietate repetita facere videntur præsumptionem, quòd etiam sobrius minùs sanè sentiat de inferno e.g. etenim ex abundantia cordis os loquitur. *Matth.12.* & sicuti.

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.

ut canit Claudianus, & proinde plurimùm interesse inter somnia proborum, & flagitiosorum, monebat Zeno teste Mureto *in 1. Ethic. cap. ultimo*, ita etiam vinum videtur in temulentia reddere ea, quæ quis sobrius mente agitavit. Et confirmari potest illa eleganti sententia ex Baldo relata: *Talis intelligitur mens in corde, quale verbum est in ore; nam tuba cordis, est lingua loquentis.*

Censeo

41 Censeo nihilominus, hanc præsumptionem non esse tantam, ut possit puniri tanquam hæreticus, licèt contrarium censeant nonnulli Jurisperiti, ut testatur Zanchinus Ugolinus *in Tract. De Hæreticis. cap.7. n.10.* relatus *in Part.2. Tomi XI.* Tractat. *Iuriditorum.* Ratio est, quia revera potest fieri, ut etiam à viro Religioso, quando phreneſi corripitur, ejusmodi verba proferantur, & proinde illi non imputentur ulli culpæ, ut sapienter monet noster S. Fundator *Constit. Part.6. cap.4 in declarat. lit. A.* Atqui ebrius comparatur phrenetico, & furioso. Mascardus, & alii referendi inferiùs.

42 An verò talia verba sæpius in ebrietate repetita dent Inquisitoribus sufficientem causam vel instituendi specialem inquisitionem circa fidem istius hominis, vel illum citandi, & examinandi circa fidem, & abjurandi de levi, aut gravi &c. seu juramento purgandi suspicionem levem, vel gravem hæresis, colliges ex iis, quæ differam *sect.9. num.66. & 67.* unde confirmabitur primùm allata responsio. Interim minimè est revocandum in dubium, quin ejusmodi verba hæreticalia quandoque possint à temulento effutiri in iis locis, ac circumstantiis personarum, ut ratione scandali contineant malitiam mortalem; huc enim utique etiam facit doctrina de blasphemis verbis allata suprà *n.38. post medium.*

E. E.

FALSISSIMA IURE IURANDO FIRMARE.

SECTIO VIII.

An Ebrietas aggravetur ex circumstantia perjuriorum in ea patrari solitorum?

SUMMARIUM.

A nullo ebrio proferuntur perjuria propriè dicta. 43.
Perjurium de sui ratione importat Dei contemptum. Ibid.
Non est opus explicare in Confessione, quòd soleas proferre perjuria in temulentia. 44.
Quomodo peccet ebrios incitans ad verba perjura, aut blasphema? 46. *& seqq.*
Quomodo talia scribens in pariete, aut docens Psittacos, pueros? Ibid.
P. Colnagus mirificè docet sturnos proferre sacratissima nomina. 50.

43 De perjuriis asserunt, & negant DD id ipsum, quòd de verbis hæreticis, & blasphemis ab iis asseri, & negari dixi suprà. Proinde consequenter ego in primis cum omnibus dico, à nullo ebrio ulla propriè dicta perjuria fieri. Nam de ratione perjurii est, ut fiat vel ab eo, qui advertat ad falsitatem sui dicti, vel saltem sit in eo statu, in quo advertere possit. Lugo *De Pœnit. disp.16. sect.4. n.206. & 208.* Quandoquidem perjurium de sui ratione importat contemptum Dei. S. Thom. 2.2.*q.98. a.3. in C.* Quare quando ebrius homo solet dicere: *Per Deum, ne guttam quidem vini bibi*, non rectè confitetur absolutè dicendo, se toties, aut toties pejerâsse.

44 Dico deinde cum Cardin. de Lugo, & aliis *n.33.* relatis, haud quaquam opus esse, ut in Confessione ulla mentio fiat de his impropriè dictis perjuriis, quia revera non continent ullam gravem malitiam, nullam Dei inhonorationem, nullum grave aliorum scandalum, aut turbationem, quando ab ebriis proferuntur; cur ergo dicamus esse opus illa, vel illorum prævisum periculum, consuetudinémve clavibus subjicere?

45 Est tamen probabilissimè aliter philosophandum de illo, qui ex inolita, liberéque conservata assuetudine pejerandi plenè voluntariè prolabitur identidem etiam mentis compos, sed tamen cum naturali inadvertentia, in asseverationes falsi, inficiationes veri, & quidem roboratas firmatas una ex sibi consuetis formulis jurisjurandi. Tametsi enim tali non incumbit obligatio manifestandi in sacra exomologesi, quoties reipsa proruperit imprudens in id genus phrases Lugo *De Pœnitent. disp.16. n.204.* cum cæteris communiter; tenetur tamen etiam hoc nomine & extirpare illam flagitiosam consuetudinem, & indicare, in quot ejusmodi materialium perjuriorum discrimen sese per eandem consuetudinem libere enutritam conjecerit, sicuti infrà *cap.50.* pluribus disseremus cum P. Thoma Sanchez *Lib.3. Moral. cap.5.* adversùs Joannem Sanchez *in select. disp. 20. n.5.* Vide etiam in Experient. *Tract.7. n.586.*

46 Quæret fortè quispiam: *Quid censendum de iis, qui incitant ebrios ad proferenda illa verba blasphema, maledica, hæretica, de quibus fuimus locuti in præcedentibus sectionibus, posito, quòd incitent non ex pravo affectu in Deum, vel homines, sed e.g. ad risum captandum, aut alium finem non mortaliter malum?*

47 D. Joannes Caramuel in Theologia Intentionali *Lib.2. disp.1. a.2. n.153.* statuit hanc conclusionem: *Qui instruit puerum, ut blasphemias, hæreses, aut perjuria proferat, quique ut verba graviter alium infamantia dicat, aut secreta gravia publicet, peccat mortaliter.* Probat suam conclusionem inde, quòd illa verba ex

se

se sint scandalosa, & impia, & opponantur directè reverentiæ Deo, & proximo debitæ; & qui puerum instruit, utitur eo ut instrumento, ut honorem extrinsecum Dei lædat, & ejus authoritatem parvi faciat. Unde censet tales blasphemias imputandas esse instrumento ut
48 causæ principali. Ob quam causam ulteriùs infert, esse peccati mortalis reos, qui vel in muris blasphemias hæreticas scribunt, vel easdem periodos à Psittacis proferri curant. Consequenter relegabit hic Doctor ad orcum omnes, qui ebrios concitant ad actiones suprà enumeratas. Et verò jam concessi suprà *cap. 9. sect. 9.* illos gravissimè delinquere, qui oppletos vino inducunt ad exercendas illas seu reales, seu verbales actiones, quæ etiam dum exercentur ab ebrio, retinent veram malitiam objectivam, at negavi generatim de illis, quæ non retinent illam malitiam, intérque has nominavi cum Tannero blasphemias, seu verba blasphema.

49 Fortè non dissentiet D. Caramuel à nobis, si conformiter iis, quæ expressimus suprà in hoc ipso *cap. 19. sect. 6.* dixerimus, sicut eâ Sectione sextâ scripsi, malitiam ebrietatis augeri notabiliter à circumstantia grandium blasphemiarum, evomendarum quidem in ebrietate, & consequenter indeliberatè, attamen prævisarum ante ebrietatem; è diverso non augeri notabiliter, si illæ sint blasphemiæ judicio, & usu hominum, coram, & à quibus proferuntur, leves, seu tantùm leviter repugnantes honori divino; ita etiam ratiocinandum esse de incitantibus illos ad talia verba blasphema, posito quòd incitatores careant mala intentione. Eadem distinctio locum meo judicio habebit in scribente in pariete, aut docente Psittacum eadem verba; quamquam quia scriptura in pariete, loquelave Psittaci est exposita majori, seu latiùs patenti periculo, quàm verba unius cujuspiam ebrii, damnabilior judicari debet ille & scriptor & Magister verborum blasphemorum, hæreticorúmque, quàm incitator.

50 Quemadmodum autem pœnam mereri potest, qui brutas animantes docet profari verba impia, ita è diverso laudem is, qui eisdem est Magister proferendorum verborum Sanctorum, sive doceat longa operâ, sive subitaneo miraculo, ut instruxit noster P. Bernardus Colnagus, de quo P. Joannes Paulinus in ejus vitæ *Lib. 2. cap. 15. §. 8.* hæc inter cætera prodigia: *Duos sturnos, refectis alis in fororis domo ubi Pater conspexit, ad se vocatis bene precatus imperavit, ut dicerent*: JESUS MARIA: JESUS CHRISTUS: *O! rem prorsus admirandam! mox eadem Sacrosancta verba efferebant sturni, & clara, ac in articulos distincta voce exclamabant*: JESUS MARIA: JESUS CHRISTUS. Ita ille. Præmium æviternum merentur, qui fistulis organicis piè, modulantur divinas laudes, quid ni hi & ii, qui avicularum gutturibus?

F. F.

SECRETISSIMA QUÆQUE PRODERE.

SECTIO IX.

An, & quanto crimine se adstringere censendi sint, qui consueverunt, dum mero gravidi sunt, vulgare ea, quæ oporteret esse secretissima?

SUMMARIUM.

An non duplex peccatum mortale admittat, qui se inebriat, sciens aliquod secretum non manifestandum? 51.
Rationes affirmandi. 52. *& seqq.*
Quid si talis nôrit, se solere etiam non interrogatum prodere secreta? 55.
Quid si interrogatum? 56.
Quid specialiter dicendum de Legatis Principum? 57.
Quid censendum communiter de Germanis? 58.
Quid de semiebriis? 59.
An possit prudenter haberi fides verbis ebrii pandentis secreta? 60.
Ebriosi comparantur phreneticis, furiosis, infantibus. 61.
An & quomodo sit in vino veritas? 62.
Potest tamen non rarò formari prudens suspicio ex verbis ebrii. 64.
An Iudex possit ex officio procedere contra illum, qui in ebrietate dicit, se patrâsse hoc, aut illud crimen, vel nominatur à tali? 65.
Quid si illud crimen sit læsæ majestatis? 68.
An homo privatus possit adhibere media de felicita, ad explorandum, utrùm sint vera ea, quæ ebrius revelavit? 69.
An peccet graviter referens aliis ea mala, quæ ebrius dixit de se, vel aliis? 70.
An sit licitum aliquem inebriare ad aliquod secretum ex eo expiscandum? Ibid.

QUæres I. *An non duplex mortale crimen* 51
admittat, qui se inebriat, sciens aliquod secretum, cujus revelatio est ipsi prohibita sub mortali peccato. Ratio negandi est, tum quia neque pœnitentes se de hac circumstantia accusare, neque Confessarii de illa interroga-

rogare solent; tum quia ebriis nulla fides potest prudenter haberi, ut postea declarabo.

52 Ratio affirmandi est, quòd ex Scriptura, Patribus, judicio sapientum, praxi, experientia constare videatur, illos omnes, qui temulentiæ vacant, exponere se periculo vulgandi omnia arcana. In primis enim *Proverb. 31. vers. 4.* inducitur Bethsabee dans filio Salomoni hoc monitum: *Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.*

Deinde S. Augustinus ad sacras Virgines ita scribit: *Ebrius vultu dejecto supinus accumbit, & nullo alio cognito præter vinum, cordis sui arcana patefacit, & amicorum commissa secreta in medium adducit.* Consentit S. Ambrosius *Lib. De Elia, Et Jejun. Cap. 17.* dicens: *Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?*

53 Præterea: *Speculum formæ est æs, animi autem vinum*, ajebat Æschines: Et: *Arcanum demens detegit ebrietas*, canit Horatius. Ad hæc praxis, & experientiæ testes sunt, in primis idem Horatius, cujus hoc notum carmen.

Dicuntur Reges multis urgere culullis,
Et torquere mero, quos perspexisse laborant.

Insuper S. Ambrosius, qui *loc. cit.* ita loquitur: *Plerique vino utuntur, ut equuleo, quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo &c.*

54 Postremò, & olim, ut ostendit Cornelius à Lapide in *cit. cap. 31. Proverb.* fuit, & hodie est usitatissimum, ut Principum Legati inebrientur, quò secreta exprimantur. Ex his formatur hoc argumentum: Qui se exponit manifesto periculo prodendi secretum, cujus revelatio graviter prohibita sit, is peccat mortaliter contra virtutem à sobrietate distinctam. Atqui omnis, qui est conscius secreti, cujus revelatio graviter ipsi interdicta sit, exponit se ejusmodi manifesto periculo, dum se inebriat, ergo

55 Ad hanc quæstionem respondeo I. Qui expertus est, se sponte, & à nemine interrogatum solere in ebrietate effutire ea, quæ occulta esse oportebat, admittit duplex peccatum se inebriando, posito, quòd conscius sit secreti non revelandi. Ratio hujus responsionis est jam primùm allata. Utrùm verò illud peccatum, quod ebrietati adjungit, sit mortale, an veniale, colligendum est partim ex qualitate secretorum, quæ solet vulgare, partim ex damno, & scandalo illam evulgationem sequi solitis. Sanè nemo non damnaret peccati mortalis Confessarium, qui se inebriaret, sciens; solere se in ebrietate pandere quæ in Confessione audiit.

Non obest, quòd ebrii non mereantur fidem, nam nihilominus multi mali homines illis fidem habent; alii ex dictis ebrii accipiunt occasionem indagandi, & denique per varias indagines deveniendi ad ipsammet veritatem quam tamen oportebat esse occultam. Et fortè has ob causas absolutè pronuntiat Baldellus *n. 16.* revelationem secretorum ab ebriis factam, non posse non esse graviter illicitam.

RESP. II. Similiter, qui expertus est, se ab 56
aliis interrogatum, solere abdita in apertum proferre, admittit peccatum ebrietatis qualificatum, si videlicet videat, esse periculum, ne interrogetur, & ei periculo non occurrat sufficienter. Ratio est eadem pro hac responsione, quæ pro priore.

RESP. III. Consiliarii intimi, Legatique 57
Principum, quando se inebriant inter homines scrutatores alienorum secretorum, communiter admittunt duplex peccatum mortale; unum contra sobrietatem, alterum contra fidelitatem; se quippe exponunt manifesto periculo detegendi arcana suorum Principum, ut patet ex authoribus supra relatis. Et verò auctor est Flavius Vopiscus, Bonosum Imperatorem solitum barbarorum Legatos propinato vino ebrios reddere, & sic extorsisse, quæcunque volebat.

RESP. IV. Quandoquidem experientia, & 58
praxis quotidiana docet, pleroque saltem in Germania reperiri, qui in ebrietate, vel non revelent arcana graviter prohibita revelari, (nam neque id faciunt sponte, neque solent ad id per technas induci) vel non revelent cum gravi scandalo, aut incommodo, offensionéve aliorum, idcirco non puto, ullum facilè admittere ebrietatem qualificatam, nisi qui se inebriat, postquam expertus est, se revelâsse secreta in ebrietate, vel probabiliter timet, ne ebrius interrogetur de secretis. Ratio est, quia non exponit se communiter periculo proximo, qui exercet actionem malam quidem, attamen communiter non habentem aliud vitium annexum, seu malum, *Suprà cap. 11. n. 8.*

RESP. V. Quod dixi de ebriis, id ferè etiam 59
de semiebriis dici potest. Nam & horum alii solent arcana vulgare. Nec est Sacræ Scripturæ, aut Patrum sensus, quòd absolutè, & à parte rei soleant communiter ebrii secreta pandere, sed quòd ea pandant nonnulli quidem sponte, plurimi verò, quando insidiosè, & callidè examinantur; quia tamen hoc callidum examen est rarum, ideo vera manet quarta responsio, quam attuli. Et ulteriùs sequitur, Confessarium supererogatoriam interrogationem facturum, si ex pœnitente, suam ebrietatem confitente quæreret, utrùm ipse non sit conscius magni alicujus secreti. Sicuti nec opus est, ut quando tibi confitetur ebriosus Parochus, aliúsve Confessarius, interroges, an in ebrietate non violârit sacrum secretum.

Quæres II. *An quando ebrii quædam de seipsis* 60

aut aliis occulta peccata narrant, possint audiores prudenter, ac sine temeritate judicare, aut saltem suspicari, esse vera, quæ dicunt?

Ratio dubitandi est, tum quia *In vino veritas*, ut fert commune Axioma Græcorum dicentium: Οἶνος ἀλήθεια; tum quia Principes non inebriarent Legatos ad se missos, si non possent prudenter stare dictis illorum.

61 RESP. Tamen I. Nemo potest sine temeritate judicare, & credere esse vera, quæ ebrii de se, aut aliis dicunt, nisi aliunde habeatur notitia. Probo I. Quia constat, ebrios plurima dicere longe falsissima. Probo deinde, quia nemo potest sine temeritate, & imprudentia credere ea esse vera, quæ de se, & aliis dicunt furiosi, phrenetici, & infantes, cùm sit temerarius, & imprudens, qui judicat ex levibus rationibus, S. Thom 2.2. *q* 60. *a*. 3. *in C.* quales quidem sunt, quæ petuntur ex dictis furiosi. Atqui ebrii æquiparantur furiosis, phreneticis, & infantibus, ut conformiter *cap. Venter. dist.* 35. docent passim Doctores, nominatim Covarruvias *in Clementinam: Si furiosus. De homicidio part.* 3. *n.* 4. Farinacius de test. *q.* 56. *n.* 434. & in *Praxi crimin. Part.* 3. *q.* 93. *num.* 4. Joseph. Mascard. *De Probation. Conclus.* 579. phreneticis verò credendum non esse credunt omnes, quia omnes credunt, fieri posse, ut phrenetica febri corripiantur ipsi, déque seipsis pessima quæque loquantur Adde, quòd qui in somniis loquuntur, longè sæpius differant de rebus, quas vigiles fecerunt, vel destinârunt, quàm ebrii, quas sobrii, ut patet ex dictis *suprà num.* 40. Atqui non plus somniante sapit, qui somnianti credit. Itaque si ebrius dicat: commisi ante tres Annos homicidium: Cajus nuper templum effregit: Lælius me voluit habere socium proditionis, quam molitur &c. si, inquam, ebrius aliquid ejusmodi proloquatur, nullus Superior, nullus æqualis, aut inferior, potest sine gravi peccato judicare, seu firmiter sibi persuadere, talia crimina esse ab illo, & iis, quos nominat, designata.

62 Nec obest, quòd dicatur esse *In vino veritas*; non enim idcirco id dicitur, quasi verò non sit sæpissime in illo falsitas; sed partim quia veritas fortè in illo proverbio accipitur pro veracitate; ebrii quippe non solent mentiri, seu contra mentem loqui, licèt frequentissimè falsissima quæque effutiant; partim quia vinum aufert timorem, ob quem solum frequenter secreta servantur; partim quia ex ebriis possunt veritates per callidas interrogationes elici, partim quia qui proximi sunt ebrietati, facillime sua Consilia detegunt, & his, utpote adhuc non omnino ebriis, potest frequenter fides indubitata haberi, sive sponte, sive interrogati, loquantur de se aut aliis. Vide Plinium *Lib.* 14. *cap. ultimo*, ridentem, & explodentem illud Græcorum proverbium: *In vino veritas*,

63 RESP. II. Nec etiam communiter loquendo, vacat temeritate, qui suspicatur ea esse vera, quæ ebrius deblaterat. Ratio est eadem pro hac responsione, quæ pro prima. Nam & is temere agit, qui ex levibus indiciis suspicatur malum de altero. S. Thom. 2.2. *quæst.* 60. *art.* 3. *in C.* qualia quidem sunt verba, assertáque ebrii.

64 RESP. III. Potest tamen non rarò, concurrentibus variis circumstantiis fieri, ut quis prudenter suspicetur, subesse veritatem dicto alicujus ebrii. Declaro familiari exemplo. Latronianus miles ebrius dicit: *Nunquid egregiè farsi meum marsupium, auro illius mercatoris, quem ego, & meus commilito Fabius occidimus superiore hebdomade? hac chlamyde non niterem, nisi illam nebuloni occiso detraxissem.* In hoc exemplo existimo, posse Latronianum militem meritò in suspicionem patrati homicidii vocari ab omnibus, qui sciunt, fuisse in ea vicinia necatum mercatorem ante paucos dies, & fuisse sub idem tempus Latronianum visum cum Fabio, non procul à loco, in quo repertum est cadaver mercatoris, esto alii etiam milites fuerint Ibidem conspecti; & denique chlamydem, qua est indutus habere primùm à pauculis diebus. At

65 Quæres hinc III. *An quando ebrius de se, aut altero enarrat aliquod crimen capite plectendum, possit judex, qui rescit eam narrationem, procedere ex officio adversus illum ebrium?*

RESP. I. Non potest propter illam præcisè narrationem procedere ad torturam, nedum ad supplicium capitale; tum quia furiosi Confessio ei nihil præjudicat, nec damnum inferre potest. Arnald. Albert. *De Agnosc. assert. hæret. q.* 26. *n.* 25. Mascardus de probat. *q.* 7. *num.* 53. atqui ebrius similis est furioso. *Suprà num.* 61. tum quia ebrius non potest esse testis. Doctores communiter, & nos infrà *c.* 25. *n.* 14. ergo nec ejus Confessio potest esse sufficiens ad torturam.

66 II. Illa ebrii Confessio non sufficit ad inquisitionem specialem, neque ad examen juridicum. Ratio est, quia inquisitionem specialem, & consequenter examen juridicum præcedere debet saltem infamia personæ, de qua inquiritur. Julius Clarus *in Pract. crimin. quæst.* 5. *&* 6. cùm inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt, Text. *in cap. Inquisitionis. §.* 2. *De Accusat.* Atqui illa Confessio non parit infamiam per se loquendo, ut facilè deduces ex supradictis.

67 III. Tamen si illa Confessio aliis quibusdam adminiculis, & conjecturis adjuvetur, potest fortè sufficere ad inquisitionem specialem, & ad rei citationem, Juridicúmque examen. Hoc ut minimum vult Joan. Compegius, dum *Tract. De Test. Regul.* 117. post Innocent. docuit,

cuit, etsi verba ebrii fidem non mereantur, esse tamen consilium, ut postquam vinum digesserit, examinetur à judice. Ratio est, quia quando adsunt aliæ conjecturæ, facilè unà cum tali Confessione pariunt probabilem suspicionem, ut constat ex suprà dictis. Verùm quia citat. Cap. *Inquisitionis.* non permittitur inquisitio specialis, nisi præcesserit saltem infamia, & hoc totus mundus observat. Catus apud Clarum *loc. cit. q.* 20. & ipse Clarus *loc. cit. q.* 6. ne quidem de crimine hæresis, quod tamen enormissimum est, permittit institui inquisitionem, nisi præcedat saltem vehemens suspicio, ideo illam Confessionem debent comitari alia non levia indicia, si ex ea procedendum sit ad inquisitionem.

68 Addo, quando ebrius absolutè dicit, se à Lælio fuisse solicitatum ad proditionem, Principis necem &c. jure factorum judicem, si illum, ubi crapulam edormierit, ad se citârit, & juridicè examinârit; neganti tamen esse vera, quæ in ebrietate dixit, fidem habere oportet, plus enim credendum sano, quàm insano, seu furioso *Argum. Leg. Qui testium. §. Nec furiosus. ff. De testibus.* Nisi fortè, quia proditio, & nex Principis meditata sunt crimina excepta, in quibus non servatur ordo Juris. Damhouderius *In Praxi rer. crimin. cap.* 62. & antequam patrentur, omni possibili ratione impedienda, non nemini videatur posse nihilominus specialem inquisitionem de Lælio instituì; certè poterit ad Lælium magis, quàm antè attendi, saltem sine ejus infamia.

69 Quæres IV. *An quando ebrius aliquod scelus de se, vel altero fatetur, possit homo privatus adhibere media de se licita, ad explorandam denique veritatem?*

RESP. Me non videre sufficientem causam damnandi talem de peccato gravi, nam jure suo utitur, & consequenter nemini facit injuriam, utendo notitia, quam ex verbis ebrii hausit. *Leg. Nullus videtur dolo. ff. De Reg. Iur.* Suppono autem illum privatum hominem duci fine honesto, & non sola curiositate.

70 Quæres V. *An peccet graviter, qui aliis refert ea mala, quæ ebrius de se, vel aliis dixit?*

RESP. Si referat, addendo expressè, illa fuisse dicta ab ebrio, tum communiter non peccat graviter, quia communiter vel spernuntur talia, vel levis admodum suspicio concipitur ex illis. Posset tamen occurrere casus, in quo graviter peccaret talia referendo, ut si prævideret ex ea relatione orituras graves diffidentias, exprobrationes &c.

Quæres VI. *An sit fas aliquem falerno sopire, ad explorandum ex illo aliquod secretum?*

RESP. Esse huic quæstioni satisfactum superiùs *Cap.* 13. *Section.* 3. *&* 4.

SECTIO X.

An, & quatenus licitum, illicitum, aut necessarium sit revelare secretum?

SUMMARIUM.

Secreti descriptio. 72.
Unde oriatur obligatio servandi secreti? 73.
Potest committi grave crimen pandendo secretum cognitum etiam sine promissione non revelandi. 75.
Quid si arte injusta devenit in notitiam Secreti? 77.
An, & quando liceat legere literas alienas? Ibid. & seqq.
Casus legentis fragmenta literarum cum damno alterius. 80.
An amisso authentico instrumento nobilitatis, exemptionis, factæ solutionis &c. licitè aliud substituere? 81.
Quando pactum servandi secreti supervenit communicationi secreti factæ, non tam rigidè obligat, quàm quando illud pactum præcedit communicationem. 83. *&* 84.
Juramentum non potest esse vinculum iniquitatis. 83.
Quando aliquid tibi revelavi præmisso expresso pacto, & promissione non manifestandi, non teneris ne quidem Judici etsi juridicè interroganti pandere. 86.
Idem dic, quando pactum fuit duntaxat implicitum. 87.
Quinam teneantur ex pacto tacito servare secretum? 87. *&* 89.
Quæ secretò, & Consilii petendi gratia simul creduntur invicem personæ Societatis, illicitè revelantur etiam superioribus. 88.
Quænam liceat revelare etiam post pactum de silentio expressum? 90.
Quomodo teneatur secreto is, qui illud per vim, aut fraudem, est expiscatus? 91.
An licitè reveles qualecunque secretum naturale, quando nequis aliter servare vitam? 92.

72 EST hæc res usus quidem quotidiani, sed tamen non cognita iis omnibus, quorum haud parùm interest nôsse, ergo commodissimè expedietur hoc loco hac peculiari sectione.

73 Est autem præmittendum, satis commodè à Navarro in Manuali *cap.* 18. *n.* 52. (ubi tamen non satis commodè pro se citat S. Thom. & Scotum) describi hoc modo Secretum: Secretum est id, quòd à nemine, vel à tam paucis scitur, ut neque sit famosum, neque notorium. Ex qua descriptione patet, esse ex suo genere grave peccatum, revelare secretum,

quandoquidem manifestatio rei non famosæ, non notoriæ potest versari circa materiam tam magni momenti, ut in grave damnum privatum, aut publicum cedat ejus detectio. Sicut vice versa ex eadem descriptione infertur, posse quandoque graviter delinqui non aperiendo secretum. Hoc supposito.

73 Quæres I, *Vtrum amoriatur obligatio servandi secreti?*

RESP. Generatim ex duplici capite, scilicet ex natura rei citra omnem promissionem, & deinde ex promissione seu pacto expresso, tacitóve. Utrumque hoc caput potest in alia duo subdividi, ut videre est apud Ludovic. Molinam de justit. *Tract.4. disp.3. & duabus sequentibus.*

74 Etenim fieri potest, ut citra omne pactum in cognitionem rei arcanæ deveneris, vel sine injuria illius, cujus interest rem manere secretam, ut e.g. quando illum casu deprehendisti in flagranti crimine; vel cum injuria, ut quando nequiter reseràsti ejus literas arcano mysterio plenas. Fieri quoque potest, ut promissio de non revelando secreto facta sit ante revelationem, item ut primùm post revelationem. Hi quatuor modi suggerunt rationes aliter, atque aliter philosophandi. Etsi quippe omnes, & singuli continent secretum, quod vocant Naturale; ad distinctionem à Sacramentali, & per se loquendo imponunt silentium, non tamen singuli cum æquali rigore, cum æquali restrictione, ut liquebit ex dicendis in particulari.

75 Et verò ad primum modum quod attinet, quando videlicet quis citra cujusquam injuriam, atque sine omni præmisso, aut secuto pacto pervenit in cognitionem secreti, seu, quod juxta Baldum *Lib.5. Consil.438. n.4.* idem est, non publicè noti, utique potest grave crimen etiam cum obligatione compensandi omnia damna patrari pandendo illud, siquidem quisque non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia obligatur non propalare id, ex cujus manifestatione derivabitur grave malum in alterum. Molina *cit. disp.3.* Ex quo fundamento deducunt Theologi, illum, qui per detractionem revelat occultum, verúmque crimen proximi, esse reum aperti peccati.

76 Unde etiam ulterius fit, ut grave crimen admittat, qui secreta exercitus, justum bellum gerentis pandit hosti; ideóque omnia damna compensare tenetur. Molina *cit. disp.3. num.4.* Et qui scit, ubi lateat thesaurus Caji, satisfacere tenebitur, si detegat prædonibus, atque hi illum sublegant. Uti & ille, qui res apud se depositas, & occultas prodit prædoni, ut suas servet. Emmanuel Sa *Verb. depositum n.2.* Homicidii quoque crimine se adstringit, qui Cajo quærenti ad necem injustam sibi quidem ignotum, aliis tamen omnibus notum in foro existentem demonstrat digito. Molina *loc. cit.* nisi non demonstrando adeat ipse periculum mortis. Diana *Part.5. Tract.4. Resol.63.* post Rodriq. contra Comitolum.

Qui arte injusta devenit in notitiam secreti, tenetur strictiore silentio, quàm qui sine injustitia; quia est similis illi, qui furatus est alienas pecunias, atqui talis strictiore jure tenetur restituere, quàm si amissas reperisset. Molina *loc.cit.n.6.* Hinc qui inique aperuit literas alienas, magis tenetur non evulgare quæ legit, quàm si incidisset in jam apertas, ac bona fide legisset. Idem *Ibid.* 77

Porrò quia literæ vel maximè spectant ad secretum, notandum est ex communi doctrina Sylvestri *Verb. Falsarius q.1.* Navarri *ad cap. Sacerdos. De Pœnit. dist.8. n.10. & seqq.* Item in Manuali *cap.18. n.53.* Reginaldo *Lib.24. cap.6. n.119.* atque aliis, esse ex suo genere mortale crimen, literas alienas aperire, ac legere, nisi justa causa subsit; e.g. quia es Superior illius, cui, vel à quo scribitur, aut quia justè, ut loquitur Regin. *n.120.* times tibi, vel alteri, ut addit Navarr. parari malum. Non tamen est tibi fas plus legere, quàm sit necesse ad tui defensionem, teneríque reliqua Religiosè celare. Regin. *Ibid.* Nec mortalem malitiam excusat, quòd nullum malum secuturum sit ex apertione, sufficit modò is qui scripsit, aut ad quem datæ sunt, multùm optet non aperiri, nec legi. Regin. *n.119.* secùs si sciretur parùm curare. 78

Paulò liberaliùs loquitur Navarrus, dum *cit. n.5.* hæc scribit: [Peccat non nisi venialiter, qui aperit sine consensu literas, ob curiositatem, sine intentione, aut periculo probabili nocumenti notabilis, sola causa sciendi nova, vel captandi risum ex barbara compositione, vel ex elegantia voluptatem, quia id non est contra charitatem Dei, aut proximi necessariam] Ita ille. Sed an hæc mitior doctrina Navarri locum habeat apud Religiosos, apud quos apertio literarum inferioris ad Superiorem, aut Superioris ad inferiorem est ex Constitutione Clementis VIII. casus reservatus, viderint alii. Ego censeo non esse laxanda frœna ejusmodi curiositati. Hisce literis adde resolutionem 79

Casus Curiosi.

SCilicet non immeritò à Ferdinando Rebello *De Obligat. Justitiæ Part.2. Lib.9. quæst.7. num.8.* revocari in dubium, utrùm non peccârit contra justitiam ille Mercator Venetus qui fragmenta literarum ab alio Mercatore, ad quem datæ erant, laceratarum, foràsque projectarum collegit, collectáque legit, ac mox coëmit aromata omnia, quæ potuit, utpote quorum pretium valde auctum iri nuntiabant illæ literæ, hácque sua festina 80

na coëmptione prævenit priorem mercatorem, frustra spe devorantem ingens lucrum ex monopolio à se destinato faciendum. Licèt enim teste ipso Rebellio industriam hujus collectoris à peccato excusent S. Anton. Silvest. Tabiena. Armilla, omnes *Verb. Emptio* iisque adstipuletur Laymann. *Lib.3. Part.1. cap.4. n.4.* eò quòd alter projiciendo in publicum pro derelictis habuisse videatur; attamen quia nemo facilè dicet, fas esse colligere fragmenta chartæ, continentis peccata in Confessione Sacramentali exposita, ac legere sic collecta, præsertim cum detrimento illius, qui ea projecit ut vidimus in Experientiis *Tract.7.n.857.* idcirco prædicta sparsio, & projectio in publicum non est signum sufficiens, quòd qui sparsit, velit fragmenta esse primò occupantis, ita ut pro libitu possit iis uti.

81 Porrò occasione hujus de literis mentionis observo ex Laymanno *cit. cap.4. n.3.* post Covarr. *Var. Resol. cap.2. n.3.* & Sa *Verb. Falsarius n.2.* si amisisti publicum instrumentum, aut chirographum creditoris, quibus continebatur testimonium tuæ nobilitatis, hæreditatis, mandati, factæ à te solutionis &c. nequaquam esse tibi fas aliam scripturam amissæ similem fingere, & pro originali, vel authentica copia obtrudere, eò quòd ejusmodi practica sit oppido noxia bono publico, præbeátque ansam sexcentis fraudibus, ac litibus.

82 Hactenus dicta de secreto, literis vel extra literas contento, respiciunt casus, quibus secretum obligat sine omni pacto adjecto. Jam verò videndum, quomodo obliget, quando est vestitum, seu firmatum pacto non revelandi. Ac dico:

83 Quando pactum non revelandi secretum supervenit cognitioni secreti, ut quia e.g. deprehensus à te in flagranti scelere Stichus exegit, imperavítque à te juramentum non manifestandi illud juramentum, non impedit, quò minùs pandas in iis circumstantiis, in quibus obligareris secluso juramento. Nam neque juramentum potest esse vinculum iniquitatis *Cap. Quando. De Iurejur.* neque pactum rei turpis obligat *Cap. in malis 22. q.4.* Itaque juramentum ejusmodi tantùm cò valet, ut vel graviùs delinquas, si eo præstito propales, quod eo etiam non præstito nefas tibi erat, producere in apertum; vel certè non liceat tibi in aliorum notitiam deducere id, quod cæteroqui licuisset.

84 Hinc fit, ut si ante hujusmodi pactum certò nósti, esse à Sticho patratum homicidium, pacto autem sanctè postea jurato judex te juridicè, quia scilicet publica fama, vel semiplena probatio eum adjuvat, interroget, an, & quantum habeas compertum de homicidio Stichi, graviter peccaturus sis, si parere detrectes. Molina *cit. Tract.4. disp.4.*

E diverso, si secretum sit ejus naturæ, ut jus habeas tam occulendi, quàm aperiendi, ut quando e.g. Mævius clepsit tibi centum aureos, tunc equidem pactum nemini indicandi non permittet, ut reveles: *Pacta enim servabo*, ait Prætor. *Leg.1. Cod. De pactis.* Itáque docet idem Molina *cit. disp.4.* 85

Jam verò si loquamur de frequentissimo casu, quo aliquid manifestatur præcedente pacto de re tota premenda silentio, longè aliter est philosophandum, ac proinde dicendum, per illud pactum indici tantam obligationem habendi rem totam tacitam, ut ne quidem Superiori, seu judici, quantumvis juridicè interroganti possis salva conscientia prodere secretum. Navarr. *In Manual. cap.18. n.6.* Molina *loc. cit. disp.5. n.2.* Laymannus *Lib.3. Tract.6. cap.4. n.9.* uterque rem bene explicans; éstque apertè sententia S. Thom. *2.2. q.70. a.1. in Corp.* dicentis: Quando ea, quæ sunt sub secreto commissa, sunt ejusmodi, ut homo non teneatur ea prodere *statim, cùm ad ejus notitiam pervenerunt*, posse pacto obligari ad non manifestandum, & tunc nullo modo teneri prodere, *etiam ex præcepto Superioris*, per *rò teneri*, intelligens *licere*, nam mox subdit rationem: *Quia servare fidem est de jure naturali; nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de jure naturali.* Quæ verba continent optimam rationem responsionis. 86

Nec de hoc meritò dubitari debet, quando intercessit pactum expressum cum quocunque tandem, aut etiam tacitum cum illo, qui munus habet adhibendi remedium Consilio, arte sua &c. eique tanquam tali communicatur secretum Navarr. *In Manual. cap.25. n.42.* Mol. *cit. disp.5.* Laym. *loc. cit. & Lib.3. Part.3. c.5.* ut sunt Advocatus, Confessarius, Medicus. Navarr. *loc. cit.* Item Chirurgus, Obstetrix, Consiliarius proprius; Vir doctus in Theologia, aut jure, qui profitetur talem peritiam, adeuntúrque consilii causa. Laym. *cit. c.5. n.1.* Molin. *loc. cit.* & alii. Hi enim eo ipso, quòd tale munus profitentur, censentur ex sua parte cum eo onere, & tacito pacto id accipere, ne deregant. Molina *loc.cit. n.2.* 87

Quæ doctrina ita vera est, ut licèt Religiosi aliquorum Ordinum ex vi suarum Regularum, à nonnullis frustrà in hoc puncto tametsi à Sede Apostolica approbato impugnatarum, debeant esse contenti, ut eorum defectus omnes, per quemvis, qui eos extra Confessionem cognoverint, manifestentur Superiori, hæc tamen Regula non extendatur ad *illa*, quæ aliqui *Secretò, & Consilii petendi gratia, ut dirigantur, vel juventur, alteri communicaverint*, sicut observat. P. Franc. Suarez *De Rel. Tom.4. Tr.10. Lib.10. c.7. n.23.* atque alii, additque Suarez illas particulas: *Secretò, & Consilii gratia*, hoc loco facere sensum copulatum, non autem disjunctum. 88

89 Quòd si parenti, propinquo, amico communicásti absque expresso pacto secretum, amicitiæ, vel propinquitatis, capiendi solatii, consilii ve causa, dubitat Molina *cit. n.2.* an possint hi revelare judici juridicè quærenti? Laymannus putat eadem lege teneri, qua advocatum, Medicum &c.

90 Certum tamen est, illud pactum seu tacitum, seu expressum non facere, quin oporteat revelare ea, *quæ statim, cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur: puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud hujusmodi, quod quis propalare teneatur vel testificando, vel denuntiando.* Sic loquitur S. Thomas 2.2. *q.*70. *a.* 1. *in Corp.* cujus doctrinam magis specificant Navarr. *In Manual. cap.*25. *n.*33. Molina, & Layman. *ll.cc.* atque adeò, quando revelatio est necessaria ad salutem revelantis, aut cui revelatur. Layman. *cit. cap.*5. cum aliis.

91 Quæ de obligatione servandi secreti, quod quis alteri sub pacto communicavit, dicta sunt, intellige à fortiori de illo, qui per fraudem, aut vim injustam expiscatus est secretum, sicut & de illo, qui notitiam secreti hausit ab illo, qui revelandi jure carebat. Molina *cit. disp.* 5. Laym. *cit. cap.*5. *n.*5.

92 Quæres II. *An si nequeas evadere præsens discrimen gravissimi damni in fortunis, honore, vita, nisi pandas secretum, sit fas pandere?*

RESP. I. Est fas, si ei, qui tibi revelavit, non imineat majus malum, quàm tibi. Laym. *loc. cit. n.3.* quia debuit ille cogitare, tuâ incolumitate esse tibi in pari causa chariorem, quàm suam. At verò est sæpe, non tamen semper nefas, si tua manifestatio sit causa, vel occasio damni pernicioſioris revelanti, quam tibi, ut sapienter ponderat, explicátque Laym. *loc. cit.* disputans etiam paulò pòst, an si promisisti, te ne quidem ad evitandam torturam, aut mortem, revelaturum, possis, aut etiam tenearis in tali eventu stare promissis?

SECTIO XI.

Quid pronuntiandum de illo secreto, quod homines Laici sæpe credunt Confessariis dicendo: Hoc dico Reverentiæ vestræ sub sigillo Confessionis?

SUMMARIUM.

Naldus non rectè scripsit illud secretum, quod mihi extra Confessionem manifestâsti, addendo te illud mihi dicere sub sigillo Confessionis, *perinde arctare, ac si dictum fuisset in Confessione.* 94.

An, & quatenus servandum tale Secretum? 97.

Quid si in ipsomet Confessionali, non tamen in ordine ad Confessionem adhibeantur talia Verba? 98.

Et quidem de rebus in Confessione Sacramentali detectis? 99.

Quid agendum Confessario notanti, pœnitentem non esse revelaturum secretum, nisi falsò putaret, cadere sub sigillum Sacramentale? 100.

Quid si revelatio sit necessaria ad avertendum grave malum? 101.

Quid si Confessarius advertat, secretum pandi solo animo decipiendi? 102.

93 PLerique Confessarii usu periti meminisse possunt, fuisse sibi partim à suis pœnitentibus, partim ab aliis persæpe aliquid manifestatum, præmissa, vel superaddita hac formula verborum: Dicam aliquid Reverentiæ vestræ, sed *sub sigillo Confessionis:* Dixi quidem Reverentiæ vestræ, sed *sub sigillo Confessionis*; vel, ut linguæ Latinæ imperitorum phrasin reddam Latinè: Dicam, seu dixi hoc tanquam *in Confessione.* Quæritur, quantam obligationem servandi secreti importet hæc clausula?

94 Diana *Part.*5. *Tract.*11. *Resol. ult.* proponit hoc dubium hisce verbis: *An secretum tanquam in Confessione detectum obliget, ac si fuisset dictum in Confessione.* Respondet autem hisce verbis: [Casus passim accidit, & noster bonus & doctus senex P. Naldus ad illum sic respondet in Summa *Verb. Revelare n.* 5. Revelari non potest, quod sibi dictum fuit tanquam res dicta in Confessione, quamvis enim non cadat sub *sigillo* Confessionis Sacramentalis, perinde tamen arctat ad celandum illud, ac si dictum fuisset in Confessione. Ita ille. Sed in specie nominatim contra illum insurgit Theophilus Raynaudus *In Tract. De Monitoriis. Part.* 1. *cap.*3. *q.*4. ubi sic asserit: Miror autem, quid in mentem venerit Naldo, ut diceret, quamvis non intervenerit sigillum Confessionis in ea commissione arcani, cum protestatione prædicta, tamen perinde hominem arctare ad celandam rem sic commissam, ac si in Confessione Sacramentali fuisset concredita, hoc enim nullo modo verum est.] Sic Raynaudus. Igitur dicendum est, tale arcanum sic alteri concreditum non obligare, nisi sub secreto naturali, & in hoc sensu benignè interpretandus est noster Naldus, ipse enim negat, tale arcanum cadere sub sigillo Confessionis.] Hactenus verba formalia Dianæ.

95 Cujus quidem studium in benignè interpretando Naldum meritò cuivis probari debet; quandoquidem dubia esse, quoad possunt, in meliorem partem interpretanda docent,

cent, & Theologi cum S. Thom. 2.2. *q.*66. *a.*4. & Canonistæ cum Venerabili Beda relato, & canonizato in *Reg.* 2. *De Reg. Iur. in* 5. & præsertim *domesticos fidei* debemus omni, quo honestè possumus, studio defendere. Verùm ipsam capitalem quæstionem quod attinet,

96 Notandum est, sæculares homines sæpius, quàm par est, hac phrasi uti, dum aliqua manifestant ex mera garrulitate, quàm vel potus liberalior, vel naturalis indolis levitas causat; ita ut quod jam sine ullo prorsus respectu ad Confessionem dicunt Confessario *sub sigillo Confessionis*, mox suis congerronibus aperiant sine ulla conditione, atque adeò, quòd jam locuti sunt in cubiculo, statim prædicent super tecta, *Luc.*12. Et tunc satis clarum est, communiter non oriri gravem obligationem silentii: cùm satis ex his circumstantiis pateat, illos, qui ita committunt secretum, non valde seriò aut petere, aut posse petere, ut remaneat secretum. Quodsi autem seriò, rationabilitérque petant, sitque res alicujus momenti, tum utique inducitur illa obligatio secreti, de qua differuimus suprà *n.*86. at non Sacramentalis.

97 Si quippe non in ordine ad Confessionem peragendam aperiantur sub hac formula qualiacunque tandem arcana, tum revera non exurgit major obligatio, quàm exigat secretum naturale. Sic censent Raynaudus, ac Diana *n.*94. relati; & ante illos Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.*4. *n.*5. Navarr. *in Manual. c.*8. *n.*17. Tannerus *Tom.*4. *disp.* 6. *q.*9. *dub.*6. *n.*136. Etiamsi Confessarius promiserit, se perinde servaturum, ac sigillum. Tannerus *ibid.* expressè cum citatis, quæ doctrina est studiosè notanda, nam ejus frequens usus in praxi.

98 Amplia hanc doctrinam I. ad casum, quo quis in ipso confessionali flexis genibus, & facto signo crucis, sine tamen animo confitendi aperit aliquid: *sub sigillo.* Dicastillo *De Pœnit. disp.*12. *n.*31. post Tannerum, Lugonem, Vasquez, alios, quidquid in contrarium dixerint Sylvester, & alii apud Tann.

99 Amplia II. etiam ad casum, quo quis post integre peractam unam Confessionem sine ordine ad aliam, loquitur cum Confessario de rebus ipsi detectis in Confessione, aut earum circumstantiis, dicens, se dicere sub sigillo. Lugo *De Pœnitent. disp.*22. *n.* 133. Adeò, ut si tunc dedit facultatem loquendi de illis rebus, non possit eam ampliùs revocare. Suarez *Tom.*4. *in* 3. *Part. disp.*33. *sect.*5. *n.*7. Ratio responsionis, & ampliationum est, quòd obligatio sigilli Sacramentalis oriatur ex sola confessione Sacramentali. Suarez *loc. cit. sect.*2. *n.*1. testans ita sentire omnes; qualis Confessio tunc solùm est, quando fit animo se accusandi in foro Sacramentali, séque subjiciendi clavibus Ecclesiæ. Suarez *Ibid. n.*6. & 7. Atqui ejusmodi nullus animus apparet. Unde, quia non entis nulla sunt accidentia, ut ex philosophis sæpe dicunt Jureconsulti, idcirco ex eo, quod non est Confessio (formaliter, aut dispositivè) Sacramentalis, nequit induci obligatio Sacramentalis.

Si tamen notaret Confessarius, suum pœnitentem nullo modo esse revelaturum ea mysteria, nisi hic existimaret, revera orituram obligationem sigilli Sacramentalis, deberet ante manifestationem Confessarius corrigere illam falsam existimationem. Quòd si non corrigat, tum sanè videtur illum decipere mortaliter, saltem si supponamus opinionem Cardinalis de Lugo *loc. cit. n.*16. dicentis, omnem etiam tacitam promissionem servandi secreti obligare ex justitia, de qua controversia vide Dicastillo *cit. disp.*12. *n.*23. Nihilominus tamen, si non posset grave malum publicum, aut privatum aliter evitari, quàm proferendo in publicum ejusmodi secretum, permitteret (facta tamen diligenti comparatione gravitatis mali, quod hinc ex omissione revelationis, inde ex revelatione prudenter timetur, perpendendo quoque malitiam fraudis, cum qua, aut per quam Confessarius acquisivit notitiam) justitia, fidelitásque publicationem. 100 101

Quapropter rectè scripsit Cardinalis de Lugo *De Pœnit. cit disp.*22. *n.*43 [Quando pœnitens confitetur sine ulla intentione absolutionis obtinendæ, non oritur obligatio sigilli, licèt ipse protestetur se loqui sub sigillo, si verè constet, non accedere ad finem obtinendæ absolutionis, quod ex ipsius dictis constare potest, vel ex factis; si appareat accessisse solùm animo inducendi Confessarium ad peccatum.] Porrò utrùm sigillo Confessionis Sacramentalis obligentur alii, præter Confessarium e.g. interpres; qui legit chartam, in qua sunt descripta peccata confessa, vel confitenda; item ille, qui adgeniculans ad confessionale audit casu, vel dedita opera aliquod peccatum, explicavi in Experientiis *Tract.*7. *n.*876. *& seqq.* 102 103

G.G.

INFAME SUPPLICIUM &c.

CAPUT XX.

An ebrius patrans in Ebrietate aliquod delictum, incurrat pœnas Canonicas, & civiles?

SECTIO I.

An patrans in Ebrietate homicidium fiat irregularis?

SUMMARIUM.

Qui tractent illam quæstionem: Utrùm ebrius homicida fiat irregularis? 1.
Quid dicendum, si ebrietas fuit omnino inculpabilis? 2.
Sal mixtus vino promovet ebrietatem. Ibid.
Quid si ebrietas fuit tantùm venialiter peccaminosa? 3.
Quid si mortaliter mala, sufficientérque prævisum homicidium? Ibid.
Quid si autem contigit præter prudentem suspicionem? 4.
Nullus ex homicidio propria authoritate patrato fit irregularis, nisi peccârit mortaliter in eo patrando. 5.
Irregularitas non incurritur, nisi in casibus in Iure expressis. 6.
Quid si fuit prævisum periculum homicidii: sed negligentia in eo præcavendo fuit solùm venialiter mala? 10.
Quid si in ebrietate necetur Sacerdos? 12.
Regula facilis ad cognoscendum, utrùm quis irregularitatem contraxerit per homicidium. 13.
Et singulariter, qui promovet mortem alicujus afficiendi extremo supplicio. 16.
Aut ægroti, cui inservivit. 17.

1 HAnc quæstionem tractant Juris Canonici interpretes scribentes in Clement. *Si furiosus. De homicidio*, quos inter Covarruvias *In Relect. in prædict. Clement. Part.* 3. *n.* 4. & inter Theologos Stephanus Fagundez *De Præcept. Eccles. præcept.* 4. *Lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 16. *& seqq.*

2 Dico I. Si ebrietas fuit planè inculpabilis, non incurritur irregularitas per homicidium in illa patratum. Ita omnes. Rationem fundamentalem adferam *n.* 5. Potest autem ebrietas esse inculpabilis, tum quando quis se voluntariè inebriat in casibus, quibus voluntariam ebrietatem permissam esse dixi, *cap.* 8. tum quando quis ex potu vini sit ebrius, planè præter omnem opinionem, quia videlicet aut vinum est longè generosius, quàm existimabat; aut quia vino immixtum est aliquid promovens ebrietatem, ut v.g. sal, nam multi Jurisconsulti cum Claro *In Pract. crimin. q.* 93. *num.* 12. testantur evenisse, ut nonnulli bibones suum socium inebriârint miscendo salem vino; aut quia petenti aquam ad diluendum vinum, porrectum est loco aquæ aliud vinum generosius, quod ipse affudit pro aqua.

3 Dico II. Idem probabiliter censendum, quando ebrietas fuit solùm venialiter peccaminosa. Rationem dabo *n.* 10.

Dico III. Si ebrietas fuit mortaliter peccaminosa, & simul prævisum probabile periculum homicidii, vel mutilationis, nec eis sufficienter occursum, tum haud dubiè incurritur irregularitas, si postea sequatur homicidium injustum. Ita omnes, teste Fagundez *loc. cit.* Ratio est, quia is incurrit irregularitatem, qui alterum occidit per injuriam mortaliter malam, *Cap. Ad audientiam. De homicidio, & aliis eod.* Et à fortiori certum est, illum fieri irregularem, qui se inebriat ea intentione, ut aliquem occidat, posito, quòd sequatur homicidium. Covarruvias, & Fagundez *ll. cc.* Et addunt hi Doctores, illum, qui sciebat, se solere in ebrietate arma corripere, & hos, vel illos invadere, sufficienter prævidisse periculum occisionis, aut mutilationis injustæ.

4 Dico IV. Licèt ebrietas fuerit mortaliter mala, si tamen homicidium contigit, præter prudentem æstimationem, ac suspicionem, non incurritur irregularitas. Ita contra multos censent Covarruvias, Fagundez *ll. cc.* ac Laymann. *Lib.* 3. *Tract.* 3. *Part.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. cum multis Theologis, & Canonistis. Nec admitto distinctionem, quam adfert Azor *Part.* 1. *Lib.* 7. *cap.* 22. *aliàs* 33. *q.* 7. dicens talem quidem non esse irregularem in foro interno, adeóque non peccare, suscipiendo ordines sacros; at in foro externo debere à judice tractari, ut irregularem. Ratio fundamentalis est, quòd

5 nullus ex homicidio privata auctoritate facto contrahat irregularitatem, nisi illud sit factum culpabiliter coram Deo. Atqui homicidium factum præter omnem probabilem suspicionem, non est patratum culpabiliter, ut ostendi *cap.* 9. *sect.* 3. *&* 4. Ergo.

6 Major propositio probatur I. Quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis. Text. *Cap. It qui. De sentent. excomm. in* 6. & quidem ita clarè expressis, ut meritò dubitari non possit, quin verba juris ad illos casus se extendant. Suarez, *de censuris disp.* 40. *sect.* 4. Filliucius, & alii cum Macado apud Dianam

Part. 9. *Tract.* 7. *Resol.* 28. dissentiente Laymanno *Lib.* 1. *Tract.* 5. *Part.* 5. *cap.* 1. *n.* 6. ubi ait, nonnullas irregularitates sine jure expresso, per Doctorum ita opinantium authoritatem introductas esse. Atqui nullum jus exprimit, incurri irregularitatem ob homicidium privata Authoritate factum non culpabiliter.

7 Probatur II. Authoritate illorum, qui in terminis docent, irregularitatem non contrahi ob homicidium, nisi id sit patratum vel à ministro publico, quamvis justè, vel à privata persona injustè; hoc autem in terminis docent Gaspar Hurtado *disp.* 2. *De Irregul. differ.* 11. Diana in Addit sec. *Resol.* 15. & apud ipsum. *Part.* 3. *Tract.* 5. *Resol.* 79. Turrianus *Lib.* 9. de Censuris *disp.* 66. *dub.* 3. consentientibus, quos addam *n.* 13. post Vasquez hujus doctrinæ authorem, multósque alios doctos recentiores.

8 Et verò quòd isti Doctores per homicidium injustè patratum, intelligant illud solùm, quod est culpabiliter patratum, constat vel ex ipso P. Hurtado, qui *loc. cit. diffic.* 8 quærens, quo modo contrahatur irregularitas ex homicidio injusto casuali, respondet *n.* 31. ob homicidium omnino casuale, cujus scilicet nulla præcessit suspicio, aut dubitatio, ut evenire potest, quamvis factum sit dando operam rei illicitæ adhuc tendenti ex se ad homicidium, non fieri quem irregularem, eò quòd ob homicidium, quod aliquo modo, saltem indirecto non est voluntarium, seu liberum, haud incurratur irregularitas.

9 Probatur III. eadem propositio major auctoritate illorum, qui expressè docent, ut ob homicidium casuale (cujusmodi est illud, de quo disputamus) fiat quis irregularis, non sufficere, ut actio, ex qua id sequitur, sit quomodocunque illicita, sed debere esse hic & nunc ita periculosam, ut graviter contra jus naturæ præcisè ratione periculi occidendi, cui hic & nunc operando se exponit. Ita expressè docent Coninck de Cens. *disp.* 18. *num.* 80. Diana *Part.* 4. *Tract.* 2. *Resol.* 20. Sa, Tannerus, & alii.

10 Dico V. Probabile est, ebrium non fieri irregularem per homicidium in temulentia commissum, etsi illius periculum præviderit, modò non plusquam venialem culpam admiserit in avertendo illo periculo. Ratio est: tum quia id satis insinuat Coninck, verbis paulò ante relatis, dum requirit graviter peccari contra jus naturæ: tum quia Sotus *Lib.* 5. *De Justit. q.* 1. *a.* 9. sub finem profitetur, se vix audere credere Cajetano asserenti ob homicidium, in quo intervenit solùm culpa venialis, contrahi irregularitatis notam. Eandem conclusionem sustinent Sylvius. 2. 2. *quæst.* 64. *a.* 8. & Diana *Part.* 4. *Tract.* 2. *Resol.* 21. aliique communiter, ut testatur Diana contra Megalam,

dum dicunt, ut per homicidium casuale inducatur irregularitas, requiri negligentiam mortalem.

11 Et hujus doctrinæ tam Sylvius, quàm Diana adfert hanc post Sotum *loc. cit.* rationem, quia irregularitas ex homicidio casuali, est pœna Ecclesiastica, ut docent citati, & apertè supponit Bartholomæus Ugolinus *Tract. De irreg. c.* 25. *§. Nunc.* ac planè gravis; non decet autem imponi tam gravem pœnam propter negligentiam solummodo venialem; pœna enim debet commensurari delicto Doctores *ex cap. Disciplina. dist.* 45. Lege omnino Sotum *loc. cit. sub med.* pulchre refutantem illos, qui indiscriminatim impingunt notam irregularitatis omni, qui dans operam rei illicitæ, interficit quempiam absque omni advertentia periculi. Ex his deduco sequentia Corollaria.

12 I. Cùm ebrius occidit Sacerdotem nec irregularitatem, nec excommunicationem incurrit, si videlicet occidat non prævisо in ebrietate periculo. Ratio est, quia ad excommunicationem decretam *Cap. Si quis suadente.* 17. *q.* 4. incurrendam requiritur, ut minimum, tanta actualis advertentia ad injustitiam etiam sacrilegam, támque deliberata injuria, quàm ad irregularitatem.

13 II. Quando quis dubitat, utrùm per suam aliquam actionem contraxerit irregularitatem ratione homicidii, vel mutilationis, facillimè se expediet, si statim se reflectat, recogitando utrùm actionem illam exercuerit auctoritate publica, an privata; publica, inquam, si videlicet ad deformitatem publica authoritate factam concurrit, vel tanquam publicus minister justitiæ, vel tanquam necessarius ad probationem causæ, vel tanquam executor sententiæ publicæ. Nam non nisi uno ex his tribus modis fit quis irregularis ob defectum perfectæ lenitatis. Vasq. Turrianus, Diana *ll. cc.* Escobar. *Tract.* 4. *Examine* 6. *n.* 71. approbante Cardinale de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *Part. disp.* 22. *num.* 33. & Palao *De Censuris disp.* 6. *punct.* 14. §. 4.

14 Quòd si sciat, se nullo horum modorum fuisse causam homicidii, tum occidit authoritate privata, & subinde debet cogitare, an in illa occisione peccârit mortaliter contra justitiam? Si non peccârit mortaliter contra justitiam, fiat in nomine Domini Sacerdos, cùm lubuerit, aut si jam est, faciat Sacrum sine metu. Ita sentiunt citati *num. præced.* Scio quidem à Navarro asseri, per hanc tam generalem doctrinam everti infinitas decisiones juris Canonici, sed omnes illæ habent commodam explicationem, & amplectendam ideo, quòd semper in dubiis benigniora præferenda sint. *Leg. Semper in dubiis. ff. De Reg. jur.*

15

16 III. Qui promoverunt mortem alicujus, juste

stè extremo supplicio affecti, non contraxerunt irregularitatem, nisi promoverint instructi publica authoritate. Et nominatim tutissimi sunt Confessarii, quando mortem hominis afficiendi supplicio accelerant, monendo, ut ipse surgat, aut monendo carnificem, ut bonum pulverem ori hominis cremandi applicet, vel ut latronis rota frangendi pectus valido, primóque ictu quatiat, quo is citiùs liberetur cruciatu. Hurtadus *loc. cit. difficult. 6. n.* 20. Baunius, & alii, apud Dianam *Part. 8. Tract. 7. Resol. 91.* loquentes in specie de illo, qui etiam causa est injusti homicidii *citiùs patrandi.*

17 Et Sacerdotes Religiosi possunt tam libere ægrotos periculosè decumbentes movere, quàm laici fratres. Nam si non peccant mortaliter contra justitiam movendo ægrotos, aut monendo carnificem, ut citò expediat miseram veneficam, non incurrunt irregularitatem. Quare ne credas Ugolino *loc. cit.* asserenti, illum esse irregularem, qui reum hortatur, in scalam ascendat, vel juvat ad eam scandendam, vel hortatur, ut reus collum gladio supponat. Cæterùm conclusio IV. qua nituntur hæc, & plura ejusmodi Corollaria, validè confirmatur ex iis, quæ dicam *Conclus. 3. sequentis Sectionis.* Prius tamen indico, me in Alphabeto Sacrificantium, seu in Experientiis *Tract. 3. Cas. 15. n.* 451. & sequent. latè discutere illam quæstionem, an irregularitas fuerit contracta à nonnemine, qui jussu Magistratûs fuerat cum aliis armatis armatus & ipse ad patibulum comitatus quendam læsæ Majestatis reum, & ideo comitatus, quia erat periculum, ne per vim injustam impediretur extremum supplicium.

SECTIO II.

An quando ebrius homicidium, aut aliud crimen admittit, possit à Magistratu sæculari affici supplicio?

SUMMARIUM.

Qui Theologi, & Iurisconsulti tractent illam quæstionem: An ebrius homicida possit affici supplicio? 18.
Abeunt ii in tres diversas sententias. 19.
Quid si ebrietas fuit plenè inculpabilis? 20.
Quid si inexcusabilis, prævisumque discrimen? 21.
An tunc sit aliquid remittendum de supplicio ordinario? 22.
Quid si ebrietas fuit voluntaria, sed non prævisum periculum homicidii? 23.
Iudex debet pœnam metiri ex culpa. Ibid.
Sanctius est impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. 25.
Cavendum est, ne pœna major sit quàm culpa. 26.
Miseratione dignissimus est, qui ex insania Imperatorem petulanti maledicto lacessiverit. 27.
Doctrinæ de dormiente, intelligendæ sunt etiam de ebrio. Ibid.
Quid si alicubi non sit sub ulla pœna vetita ebrietas, & in ea voluntaria factum homicidium improvisum? 28.
Iudex non debet punire nisi secundùm leges, & receptas consuetudines. 29.
Practicè loquendo non peccat Iudex, si gravi pœna mulctet ebrium homicidam in eo casu, de quo num. 28. *actum.* 31.
Referuntur variæ exempla. 33.
Laudandi Principes, qui publico edicto sanciunt illos, qui in voluntaria ebrietate committent aliquod delictum, etsi omnino improvisum, aque, aut etiam gravius punitum iri, quàm si sobrii patrâssent. 35.
Ita sanxit Maximilianus primus. 36.
Et ex parte Maximilianus Elector Bavariæ. Ibid.
Non est verum, quòd post ebrietatem depulsam glorians, esse in ea à se commissum homicidium improvisum, possit æque puniri, ac si prævidisset. 39.
Doctrinæ severiores intelliguntur hic de plenè ebrio, non de semi. 40.
An puniendus furiosus, homicida? 41.
Casus punitus in Hispania. Ibid.
Reginæ Lusitaniæ judicium de suis Consiliariis. Ibid.
An is, qui patravit homicidium sanus, at postea evasit insanus, puniri possit? 42.

18 QUæstionem in titulo propositam inter Theologos tangunt Azor. *Part. 1. Lib. 7. cap. 22.* aliàs 33. *quæst. 8.* & Fagundez in præcept. Eccles. *Præcept. 4. Lib. 1. cap. 1. n. 20.* copiosè discutit Molina *Tract. 3. disp. 38.* At inter Jureconsultos, quos quidem Legi, illam bene explicant Josephus Mascardus *De Probat. Conclus. 579.* Laderchius relatus *Tom. 2. Consil. Illustr. Consil. 32.* Menochius *De Arbitrariis Iudicum. Casu 326.* Antonius Gomez de delictis *cap. 1.* meliùs Julius Clarus *In Pract. crimin. q. 60. §. final.* Ferdinand. Vasquius *Controvers. Lib. 1. cap. 19.* Andreas Gaill *Lib. 2. Observat. 110.* optimè Farinacius *In Prax. crimin. q. 93.* Andreas Tiraquellus *Tract. De Pœnis temperandis. Causa sexta.* Laurentius Kirchhoff relatus *in Tom. 2. Responsorum Iuris, Consil. 14* resolvens in specie casum homicidii patrati à Clerico temulento. Succinctè Jodocus Damhouderius *In Prax. rerum crimin. cap. 84. n. 17.* Petrus Gregor. Tolos. Syntagm. *Part. 3. Lib. 39. cap. 8.* Et Abb. *in cap. Sicut. De testib. n. 5.*

Hos

Hos authores, & plures alios nominat Petrus Caballus in Resolut. Criminalibus Casu 297. post hæc scripta à me lectus.

19 Abeunt autem hi Doctores in tres diversas sententias. Nam Andreas Gaill *n. 29.* dubiè loquens, censet, delictum ab ebrio patratum, plecti debere pœna ordinaria. Azor, Fagundez, Gomez, Menochius, Clarus, Farinacius, Mascardus, Tuschus *Verb. Ebrietas.* Tiraquellus. Kirchhoff. Abb. Laderchius, & Damhouderius pœnâ extraordinariâ mitiore, quàm si extra ebrietatem esset patratum. Denique Molina, Fern. Vasquius, & Petrus Gregor. censent nulla pœna afficiendum.

20 Dico I. Quando ebrietas fuit planè involuntaria, & inculpabilis, non potest ulla pœna plecti delictum, qualecunque in ea commissum. In hac conclusione conveniunt Theologi, & Jureconsulti, licèt Gaill. insinuet, puniendum pœna mitiore. Rationes adferam *Conclus. 4.* Hinc testatur idem Vasquius *n. 14.* absolutum fuisse illum, qui in temulentia hominem interfecerat, eò quòd ebrietatem nescius incurrisset epoto vino, cui socii dolosè salem immiscuerant.

21 Dico II. Quando ebrietas fuit verè culpabilis, & prævisum periculum homicidii e. g. quia scilicet sobrius sciebat, se ebrium solere alios invadere, percutere &c. debet haud dubiè puniri talis homicida. In hac etiam conclusione conveniunt omnes. Ratio est, quia tunc homicidium est propriè voluntarium saltem indirectè. Et quidem Molina, Azor, ac Vasquius putant, in hoc etiam casu homicidium non esse supplicio capitali plectendum; at reliqui Doctores, quos citavi, infinitique alii censent, nil esse remittendum de rigore supplicii.

22 Ego censeo, nisi leges, aut consuetudo aliud decernant, mitigandam esse pœnam, quia pro mensura peccati, erit & plagarum modus. *Deuteronom. 25. vers. 2.* Atqui homicidium à temulento patratum, quantumvis prævisum, non est tantum peccatum, quantum si patratum fuisset à sobrio. *Supra cap. 9. sect. 10.* Limita, nisi quis ideo se inebriâsset, ut alterum tantò animosiùs occideret, tunc enim nil planè veniæ mereretur. Farinacius *locis citatis* & alii communiter. Hanc resolutionem unà cum addita limitatione firmat receptissima, (ut testatur Cevallos *De Opin. Comm. contra Commun. quæst. 580.*) sententia Bartoli *in Leg. 1. §. 1. n. 1. ff. De Testament.* quo loco tradit, aliquem non posse unquam puniri corporaliter, nisi intervenerit dolus; atqui abest omnis dolus ab illo ebrio, cujus patrocinium hîc suscipimus, quandoquidem dolus malus, quem nos cum Bartolo intelligimus, est calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, ut definit Labeo, ejus definitionem approbante Ulpiano *Leg. 1. §. dolum malum. ff. De dol. mal.*

23 Dico III. Si homicidium non fuit ullo modo prævisum à sobrio, sed contigit præter omnem ejus probabilem suspicionem, tum spectato jure naturali solo nulla pœna plectendum est illud homicidium.

Probo I. Ex illa juris naturalis Regula, quam S. Augustinus *Lib. 1. Retract. cap. 9.* exprimit his verbis: *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* Probo II. ex alia juris naturis Regula, quam exhibet jus divinum *Deuteronom. 25. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus;* cùm igitur homicidium ab ebrio factum, non sit peccatum. *Supra cap. 9. num. 24.* nullæ plagæ, nulla pœna infligi potest. Hinc Bonif. VIII. *Cap. Felicis. De Pœn. in 6.* rescripsit: *Iudex pœnam metiatur ex culpa; ut secundùm quod excessus exegerit, vindicta procedat.*

24 Probo III. Ex judicio SS. Augustini, & Ambrosii, sanè quàm conformi Legi naturali. Nam *Cap. Inebriaverunt. 15. q. 1.* quod desumptum est ex Augustino, *Lib. 22. contra Faustum cap. 44.* legitur hæc sententia: *Inebriaverunt Loth filiæ ejus, & ipso nescienti miscuerunt. Quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum ebrietas illa meretur.* His verbis clarè docet S. Augustinus, incestum Patriarchæ Loth commissum in ebrietate, quæ ex ipsius S. Augustini sententia fuit culpabilis, non esse culpandum, ergo nec puniendum. Rursum *Cap. Sanè.* ead. refertur ex S. Ambrosio hæc gnome: *Siqua per vinum deliquerint,* (Ebrii) *apud Sapientes judices venia quidem facta donantur, sed levitatis damnantur auctores,* id est, levitas, & culpa, qua se inebriaverunt, damnatur, & punitur.

25 Probo IV. Ex illo juris Gentium pronunciato, quo *Leg. Absentem. ff. De Pœnis*, Trajanus Aufidio Senatori rescripsit: *Sanctius esse, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare;* atqui homicida, de quo loquimur, est innocens respectu homicidii, qui enim non habet animum nocendi, meritò innocens nuncupatur, cùm non delinquat. Fern. Vasquius *loc. cit. n. 3.*

26 Probo V. Ex aliis generalibus, & à lumine naturæ approbatis effatis Doctorum, quorum alii cum Viviano *In Ius Canonicum Lib. 1. Tit. 6. cap. 44. ex cap. Disciplina. Distinct. 45.* dicunt: Pœna debet commensurari delicto; ubi autem non est animus nocendi, ibi non videtur esse delictum. Fern. Vasquius *loc. cit. ex Leg. Divus. ff. De Offic. Præsid.* Alii cum eodem Vasquio *Ibid. ex Leg. Absentem. ff. De Pœnis*: Ubi delictum non est, ibi nulla pœna esse debet. Alii cum Tullio *Lib. 1. De Officiis*: Cavendum est, ne pœna major sit, quàm culpa. Alii cum Mascardo *De probat. Casu 325. ex*

Cap.

Cap. Quia diversitatem. De conteſſ. præbend. & Gloſſ. *ibid.* Culpa ad caſum minimè præmeditatum, non eſt conſiderabilis, atqui caſus homicidii, de quo agimus, eſt minimè præmeditatus.

27 Accedit, quòd crimen non contrahatur, niſi voluntas intercedat. Text. pulcher *in Leg.* 1. *Cod. ad Leg. Cornel. De Sicar.* ubi imperator Antonin. ſubdit hanc rationem: *Ea, quæ ex improviſo caſu, potiùs quàm fraude accidunt, fato plerumque, non noxæ imputantur.* Quò ſpectat & illud, quod ex Paulo JC. refertur in *Leg. Qui injuriæ. ff. De furt: voluntas, & propoſitum diſtinguit maleficia delinquentium.* Ergo ubi deeſt omne propoſitum, ſicut in ebrio, deeſt & maleficium, & conſequenter pœna. Spectat & huc, quòd Cavallus in Tract. de homicidio, quem attexuit ſuis tribus Centuriis Reſolution. Criminal. *n.* 186. generaliter poſt Matthæum de Afflictis pronuntiet: concluſionem, ſeu doctrinam, *quæ procedit in dormiente, faciendam eſſe in ebrio.* Atqui non poteſt ulla pœna plecti is, qui dormiens commiſit homicidium nullo plane modo prævisum, quandoquidem dormiens æquiparatur & infanti, & furioſo. Idem Cavallus *Ibid. num.* 182. Atqui infans, & furioſus non incurrunt ullum reatum pœnæ, quia alterum innocentia: alterum fati infelicitas excuſat. *Leg. Infans. ff. Ad Leg. Cornel. De Sicar. & Cap. Aliquos.* 15. *q.* 1. ubi perappoſitè ad noſtrum propoſitum de furioſis, qui ferro aliis nocuerunt, loquitur S. Auguſt. *Ibid.* relatus: *Quomodo enim reus conſtitueretur, qui neſcit quid faciat?* Ille verò ebrius, cujus patrocinium hic ſuſcipio, planè neſcit, quid faciat; quomodo ergo conſtituetur aut magnæ, aut etiam parvæ pœnæ reus?

Poſtremò Imperatores Theodoſ. & Arcad. relati in Leg. Unic. *Cod. Si quis Imperat. maledix.* edicunt, illum eſſe *miſeratione dignißimum, qui ex inſania Imperatorem petulanti maledicto laceßiverit.* Videntur autem per *inſaniam* deſignare ipſammet ebrietatem, eſt quippe in ea Lege ſermo de ebrietate, & ebrietatem eſſe furorem, adeóque inſaniam, oſtendimus ſuprà *cap.* 19. *n.* 59.

28 Dico IV. In quibus locis non viget lex civilis, vetans ebrietatem ſub pœna, non poteſt ebrietas voluntaria, etiam ex qua præter omnem opinionem ſecutum eſt homicidium, puniri. Sic docet expreſſè Molina, conſentiente haud dubiè Toloſano *loc. cit.* atque Laymanno *Lib.* 3. *Tract.* 3. *Part.* 3. *cap.* 4. *n.* 2. licèt diſſentiant ferè, quos ſuprà retuli, cum innumeris, quos enumerat Farinacius.

29 Probo I. Ex verbis Sancti Auguſtini paulò antè relatis. Probo deinde ex eo, quòd Judex non debeat punire niſi ſecundùm Leges, & conſuetudines receptas. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 5. Kirchhoff. *loco citato num.* 74. *& Leg.* 1. §. 1. *ff. De Senatus-Conſulto Turpil.* niſi fortè quando ipſius arbitrio permittitur pœnæ qualitas. Text. *in Cap. De Cauſis, De Offic. & poteſt Iud. Deleg.* ergo quando nulla lex, aut conſuetudo civilis vetat ebrietatem, puniri ea non debet.

Dico V. In quibus locis viget lex, aut conſuetudo puniendi ebrietatem omnem, aut ſaltem illam, quæ habet annexum aliquod aliud crimen, debet utique puniri ebrius homicidium patrans. Ratio eſt, quia lex eſt juſtiſſima, ut agnoſcunt citati, nominatim Laymannus. Hinc 30

Dico VI. Practicè loquendo non errat Judex, ſi ebrium homicidam, de quo loquimur, gravi pœna mulctet. Probo I. Quia tali judici patrocinantur omnes ferè Juriſconſulti, imò ſaris clarè ipſum jus Romanum. Nam *Leg. omne delictum. ff. De re milit.* §. *per vinum*, ita abſolutè ſtatuitur: *Per vinum, aut laſciviam lapſis capitalis pœna remittenda eſt, & militiæ immutatio irroganda*; atqui mutatio militiæ erat apud Romanos gravis pœna. 31

Probo II. Quia videtur ubique locorum jure ſcripto, aut non ſcripto receptum, ut graviter plectatur ille ſaltem ebrius, qui in ebrietate voluntaria admiſit aliquod grave crimen; talem quippe eſſe puniendum non docerent plerique J.C. Germani, Galli, Itali, Hiſpani, ſi non vigeret tale jus. Ut proinde propter authoritatem Jureconſultorum, quibus haud dubiè hac in re credi oportet, dicendum ſit, citatam legem: *Omne delictum*, loqui etiam de illo, qui nullo modo prævidit, à ſe in ebrietate commiſſum iri ullum delictū. 32

Hinc ita loquitur Julius Clarus *loc. cit.* [Vidi pleroſque imputatos pro variis delictis, non potuiſſe prætextu ebrietatis impunitos evadere; & in ſpecie Chriſtophorus de Prinis pro blaſphemiis fuit affectus uno ictu funis publicè, & Ludovicus de Papia duobus, & alii plerique.] Ita ille. 33

Hinc etiam Bertaz apud Farinacium *loc. cit. n.* 16. teſtatur, ad triremes fuiſſe tranſmiſſum quendam, qui in ebrietate hominem occiderat; & Bonifacius apud Farinacium *cit. q.* 93. *n.* 16. teſtis eſt, Januæ homicidam ebrium condemnatum fuiſſe ad carceres per decem Annos, & quòd non daretur ſibi vinum, *& fuit magna pœnitentia.* Ita Farinacius. Idem Gregorius Toloſanus *loc. cit.* docet, ebrium homicidam eſſe arbitrio judicis puniendum pro ipſa culpa ebrietatis, leviùs tamen, quàm homicidii natura poſtulet.

Hinc ego ipſe ante Annos 56. vidi Bruntruti ad carcerem rapi, & in eo ſaltem per octiduum detineri ſutorem, qui vino correptus, Principem ſuum vix trecentis paſſibus diſtantem 34

tem contumelioſè in foro compellabat; & fuiſſet haud dubiè ſeveriùs in eum animadverſum, niſi conſtitiſſet, ipſum eſſe aliàs mitiſſimi ingenii, ſuique Principis reverentiſſimum, & vix unquam fuiſſe ebrium.

Denique teſtatur Damhouderius *loc. cit. n.* 20. fuiſſe à Carolo V. Imperatore Anno 1531. ſancitum, ut qui temulentus hominem necâſſet, puniretur primò propter ebrietatem, deinde propter homicidium. Innuit autem hic Doctor, homicidii pœnam eſſe hìc minuendam.

35 Dico VII. Longè optimè, longè conſultiſſimè, longè piiſſimè agunt Principes, qui publico edicto ſanciunt, omnem, qui in ebrietate voluntaria, ſeu præter, ſeu juxta ſuam intentionem aliquod flagitium linguæ, aut operis commiſerit, perinde, imò etiam graviùs punitum iri, quàm ſi ſobrius illud admiſiſſet. Ratio eſt I. quia ebrietas eſt origo infinitorum malorum. *Suprà cap.* 10. *n.* 1. meritò igitur tam ſevera lege arcetur. Ratio eſt II. quia ejuſmodi Principes imitantur alios ſapientiſſimos Principes. Etenim Carolus V. pro Regnis Hiſpaniæ ſtatuit, ne pœna delicto decreta minueretur ebriis, & ita in Hiſpania obſervari teſtatur Bajardus *in addit. ad Iultum Clarum q.* 60. §. *final.*

36 Quin hujus Caroli avus paternus Maximilianus I. Imperator in Comitiis Spirenſibus Anno 1610. de militibus ebriis ita ſanxit: *Per militiæ præfectum, duces, & equeſtre judicium in omnibus delictis, quæ in ebrietate à Dominis, nobilibus, militibus cujuſcunque conditionis, aut ſortis ſint, commiſſa ſunt, ebrietas ad excuſationem, aut pœnarum mitigationem nullo modo capetur; quin imò hujuſmodi delicta eò ſeverius, graviùs etiam altero tanto puniantur, ac multentur.* Sic loquitur Imperator interprete P. Adamo Conzten *Politic. Lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 13.

Hujus ipſius Maximiliani abnepos Maximilianus Bavariæ Elector in Jure Bavarico (Lands vnd Pollicey Ordnung) *Tit.* 7. *a.* 4. abſolutè decrevit, illum, qui in ebrietate quodpiam ſcelus patrat, eſſe puniendum pro ratione ſui delicti.

37 Ratio eſt III. quia Pittacus è Græcis Sapientibus unus, referente, & tacitè approbante Ariſtotele partim 3. *Ethic. cap.* 5. partim 2. *Politic. cap. in fine* cenſuit, ebrium, qui in ebrietate aliquod crimen admiſit, eſſe duplici pœna dignum, unâ, qua ipſa ebrietas: alterâ, qua ſcelus in ea admiſſum plectatur. Et ſubſcribit Sanctus Thomas *art.* 4. *ad* 1. atque ita etiam ſtatuit pro Germanis Carolus V. relatus *n.* 34.

38 Fateor Farinacium *cit. q.* 33. *n.* 15. exiſtimare, homicidium in ebrietate patratum non poſſe puniri pœna corporali, ſed tantùm pecuniaria. Verùm haud dubiè fallitur Farinacius. I. quia ratio, qua nititur, eſt apertè falſa, ſcilicet ebrietatem, quæ non eſt affectata, nec doloſa, eſſe culpam duntaxat venialem. II. quia habet tum reliquos Jureconſultos, tum Principes paulò antè nominatos ſibi contrarios. Tum denique, quia oſtendam *cap.* 22. poſſe ebrietatem prohiberi ſub pœna capitali.

Sed nec probo, quod idem Farinacius *n.* 22. docet cum Menochio, ſcilicet illum, qui tranſacta ebrietate gloriatur à ſe hominem occiſum, hoc ipſo poſſe puniri pœna ordinaria homicidii. Nam eſto, præſumi poſſit, futurum fuiſſe, ut eodem modo ipſe delinqueret, ſi non fuiſſet ebrius, ſicuti argumentatur Farinacius, id tamen non facit, ut ejus homicidium fuerit à parte rei peccatum, ergo non eſt idcirco morte mulctandus, niſi fortaſſe lex velit, omnem ebrium homicidam morte mulctari. 39

Doctrina, quam tradidi *Concluſ.* 4. ſtando communi ſententia, intelligenda eſt de planè ebrio non autem de illo, qui eſt ſemiebrius tantùm, ſeu, ut loquuntur jure conſulti, leviter tantùm ebrius; ſiquidem Farinacius *n.* 18. poſt Baldum, Molinam, Menochium, Maſcardum, Damhouderium *il. cc.* & alios exiſtimat, non eſſe huic pœnam mitigandam. Eſt tamen probabilis opinio Ladetchii, qui in caſu, qui contigit, eique propoſitus fuit, judicavit, homicidam, qui in levi ebrietate alium necaverat, non fuiſſe morte afficiendum. Vide ſuprà *n.* 14. rationem. 40

Quæres fortè: *An ſi furioſus, cui ſimilem eſſe ebrium ſuprà dixi, quempiam occidat, poſſit puniri?* 41

RESP. Cùm citatis ſuprà Doctoribus, & nominatim Tiraquel. *loc. cit. Cauſ.* 2. *per totam*, & Caballum cit. Caſ. 297. non poſſe, propter rationes ſuprà allatas ac *Leg. Divus. ff. De Offic. Prætor.* Unde non probat Molina *loc. cit. n.* 4. quòd Regina Hiſpaniæ Eliſabetha curârit ſuſpendi furioſum, qui ejus marito Regi Ferdinando vulnus inflixerat. Et quamvis, inquit Molina, non dubitem, Conſilio peritorum Reginam id juſſiſſe, fortaſſe tamen in eo, & in aliis ſimilibus eventibus locum habuit, quod neptis illius, Regina Catharina Conjunx Joan. III. Luſitaniæ Regis retulit, eandem Eliſabetham aliquando dixiſſe, ſe ſcilicet nunquam conſuluiſſe Medicum Juriſperitum, nec Theologum, qui ei non reſpondiſſet, quod ipſa fieri optabat. Adeò ſumus omnes propenſi ad Regibus, & potentibus placendum in omnibus.] Ita Molina.

Equidem illis Conſiliariis Reginæ Eliſabethæ non fuiſſent ſaltem ex animi ſui ſententia adſtipulati Andreas Tiraquellus *loc. cit. Cauſ.* 3. & Kirchhoffius etiam *loco proximè allegato n.* 62. quandoquidem uterque ſecuti præeuntem Décium inficiantur, etiam illum poſſe capitali ſup- 42

supplicio affici, qui quum esset sanæ mentis, interfecit innocentem, at illo peremptо factus est, manétque furiosus. Sed de hoc viderint alii.

H. H.

ETIAM POSTQUAM CERTIS SIGNIS:

CAPUT XXI.

De signis Ebrietatis.

SECTIO I.

Quibus signis probetur Ebrietas?

SUMMARIUM.

Interest utriusque fori nôsse signa ebrietatis. 1.
Quæ signa ebrietatis proponant Theologi? 3.
Variorum dicta referuntur. Ibid. & seqq.
Explicantur. 7.
Quæ signa ebrietatis proponant Iurisperiti? 8. *& seqq.*
Quæ Hippocrates, & Aristoteles? 12.

1 QUæres I. *An utriusque fori interfit, nôsse ex quibus signis dignosci queat, utrùm quis revera fuerit ebrius?*

RESP. I. Interest fori interni, ut videlicet ipsemet pœnitens probabiliter judicare possit, fuerítne verè ebrius, nec ne? adeóque an téneatur sub mortali confiteri suum excessum in potu, maláque inde secuta: vel ut etiam ipse Confessarius judicet, utrùm pœnitens, qui talem excessum confitetur, fuerit verè ebrius?

Etsi enim rectè omnino doceat Cardinalis de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. disp. 21. n. 71.* non requiri, ut Confessarius de omnibus, quæ à pœnitente audit, judicet, utrùm sint peccata gravia, vel levia, imò neque an sint peccata, sed de communibus, reliqua verò audiat, ac intelligat, & postea absolvat cum debita intentione, quia tamen ebrietas est peccatum commune, convenit, ut Confessarius in promptu habeat aliquas conjecturas, ex quibus in dubio possit rectè, ac verè judicare de statu pœnitentis, præsertim si pœnitens sit Sacerdos, qui soleat sæpius celebrare, post factum notabilem excessum in potu. Adde, quod suprà docui, per homicidium improvisum, à temulento patratum, non incurri irregularitatem. Si igitur homicida occultus, quærat ex Confessario, an liceat sibi suscipere, vel administrare ordines sacros, aut Sacramenta, poterit juvare Confessarius, habens in promptu signa ebrietatis, qua, an verè fuerit correptus ille homicida, dubitatur. Adde quoque, posse non semel evenire illum perplexum casum, quem referam infrà *cap. 51. n. 12.*

RESP. II. Horum quoque signorum notiam habere interest multùm ad forum externum, tam pro Canonicis, quàm pro Civilibus pœnis in ebrios simplices, aut facinorosos statutis, ut videlicet sciat Judex, sintne illæ revera incursæ, an non incursæ? 2

Quæres II. *Quæ signa ebrietatis proponant Theologi?* 3

RESP. Id patebit ex verbis quatuor illorum, quæ apponam.

Primus est P. Lessius, qui *Lib. 4. De Iustit. & Iur. c. 3. n. 30* sic disserit: [Petes, quibus signis cognosci poterit, an fuerit quis ebrius. Respondeo I. Quando quis postridie non meminit, quid dixerit, egerit, quomodo domum venerit, aut cubitum concesserit; à quo deductus, vel adjutus, aliàs autem probè meminisse solet, magnum signum habet hesternæ ebrietatis. Ratio est, quia dum quis ratione utitur, reflectit mentem supra suos actus, & ita retinet gestorum memoriam. Unde, si non recinuit memoriam, non videtur mentis compos fuisse.] Ita etiam ratiocinatur Bonacina de præcept. Eccles. *disp. ultima q. 1. part. 1. n. 4.*

II. Si commisit, quæ nunquam integrâ mente solet, ut si locutus est, aut fecit turpia, vel absurda, cùm aliàs sit castus, & prudens; si juravit, blasphemavit, uxorem, & familiam turbavit, cùm aliàs sit modestus, & benignus; indicia enim hæc sunt, rationem, & prudentiam fuisse consopitam, & hos insolitos motus ex vino, perturbata imaginatione processisse. Lessius *loc. cit.* 4

III. Qui novit discernere inter bonum, & malum, licitum, & illicitum, vitare mala, ac eligere bona, non videtur esse ebrius, etiamsi non possit rectà incedere, & omnes ei domus verti videantur; talis enim discretio non potest cum rationis defectu consistere. Pari modo, si adhuc solita officia possit utcunque exequi, & perficere, etsi cum aliqua vertigine.] Ita Lessius & Bonac. *ll. cc.* 5

Secundus, & tertius sunt Baldellus *Lib. 5. cit. disp. 30. n. 31.* & Dicastillo *Lib. 1. De Iust. & Iur. disp. 3. n. 140. 141. 142.* ubi Lessium describunt, & sequuntur. Addit rectè P. Dicastillo, tertium signum à Lessio allatum, potiùs servire ad id, ut cognoscatur, & judicetur ebrietatem non fuisse perfectam, quàm fuisse perfectam. Et rationi à Lessio allatæ meritò addit hanc Baldellus, quòd ex vino bene potuerint impediri vires motivæ, magis quàm appre-

apprehensivæ. Videt etiam Reginald. *Lib. 22. n. 57.* eadem signa approbantem.

6 Quartus, aut si vis, sextus est P. Laymannus, qui *Lib. 3. cit. sect. 4. n. 5.* illam tertiam doctrinam P. Lessii ex Cajetano *in Summ. Verb. Ebrietas* desumptam, aliquanto distinctiùs proponit in hunc modum: [Si homo post vini haustum discernere possit inter bonum, & malum, honestum, & turpe, tametsi phantasia non nihil turbata sit, atque idcirco vel lingua titubet, vel pedes vacillent, vel oculi duplicata aspiciant, vel caput in gyrum agi videatur, imperfecta est hæc ebrietas, & peccatum veniale.] Ita ille, nec reperio, qui clariùs hanc rem proponat.

7 Quæres forte III. *Verùm sicut ex horum Doctorum sententia, sufficiens ebrietatis perfectæ signum non adest etsi vel lingua balbutiat, vel pedes vacillent &c. ita etiam non sit sufficiens signum, si omnes illi linguæ, pedum, oculorum, & phantasiæ defectus, quos ex Laymanno recensui, simul reperiantur in aliquo, qui largiter pocula hausit?*

RESP. Satis ex doctrina P. Lessii, & P. Dicastillo constare, etsi tam pedes vacillent, quàm omnes domus verti videantur, hos tamen duos effectus simul junctos non sufficere, ad certò pronuntiandum, aliquem fuisse plenè ebrium. Si autem ad hos duos defectus alii etiam duo accedant, videlicet linguæ balbuties, & simplicium objectorum repræsentatio duplicata, tum non dubito, quin juxta doctrinam Baldelli, & Laymanni, qui loquuntur, post Cajetanum, sub disjunctione, dicendum sit, illum, in quo omnes hi defectus unà reperiuntur; præsumendum esse ebrium; si tamen ipse liquidò sciret, se his non obstantibus, bene de rebus agendis judicâsse, tum hæc præsumptio deberet cedere ejus scientiæ, nam præsumptio cedit veritati, *cap. Tua. & cap. Hu qui. De sponsal.* ac minor præsumptio majori *L. Non est verosimile. ff. Quod metus causa.*

8 Quæres IV. *Quæ ebrietatis signa à Iurisconsultis ponantur?*

RESP. Paulò alia, quàm à Theologis, ut ostendunt verba duorum insignium Canonistarum, quæ adnumero.

Primus est Josephus Mascardus, qui *Volum. 2. De Probat. Conclus. 578.* sic loquitur: [Ebrietas probatur primo ex aspectu illius, qui asseritur ebrius, ut author est Ludovicus de Penna. Secundò ex eo, quòd quis loquitur ut ebrius, ut si extra sensum, vel aliter non subsistens. Præterea ex eo, quòd semper nimium bibat. Similiter præsumitur ebrius, si præter consuetudinem bibat.] Ita Mascardus hæc probans auctoritate variorum DD.

9 Alter est Prosper Farinacius, qui *In Praxi crimin. Part. 3. quæst. 93. n. 16.* sic ait: [Ex DD. dictis colligitur, ebrietatem esse difficilis probationis, ideo signis, & conjecturis probari, ut puta ex transformatione faciei, ex aspectu rubeo, seu exhilarato, seu iracundo, ex loquela, seu actibus indecentibus, vel aliàs extra propositum, ex nimio potu, & præsertim diversorum vinorum, ex evomitione, & aliis similibus actibus.] Ita ille.

Addo his interim I. C. Conradum VVeydmann relatum *Tom. 1. Consilior. Matrimon.* qui interrogatus, an valeret certum quoddam matrimonium, de quo in Consistorio Augustano fuerat ligitatum, respondit, malè fuisse judicatum validum, eò quòd eum, qui id contraxisse dicebatur, revera fuisse ebrium sufficienter probari posset inde, quod de gestis, & dictis tempore ebrietatis, postero die nil penitus scivit, ut ipse interrogatus asseruit. 10

Nec obstat, inquit hic Doctor, quòd ipse post prolata verba contractus matrimonialis jusserit familiam ire cubitum, quia etiam talis actus potest geri ab homine ebrio; non enim illum duntaxat dicimus usu rationis carere, qui nullis humanis moribus utitur, aut qui belluino prorsus more grassatur, ita enim rarissimè, vel nunquam ratione carere potest homo, sed & eum rationis usu carere dicimus, qui ita mente alienatus est, ut ea faciat, quæ antea semper cavit, quique id agit, quod extra illam mentis alienationem nunquam facturus fuisset *Cap. Cùm apud, & cap. 11. q. 3.* Cùm igitur is, de quo est lis, antea apertissimè demonstrârit, se nolle contrahere cum illa, non potest præsumi consensisse in eam tunc, cùm propter ebrietatem minimè esset idoneus ad consentiendum *Cap. Ex studiis, & cap. Mandata. De præs.*] Hactenus VVeydm. conformiter doctrinæ ex Lessio relatæ. 11

At verò Augustinus Barbosa *De Offic. & potest. Episc. Part. 1. Tit. 2. Gloss. 11. n. 6.* scribit in hunc modum: Ebrietas hæc (*plena*) multis signis cognoscitur. Hippocrates *Lib. 2. prænot. n. 8.* cognosci asserit, quia sudabit magis quam antea: & difficulter spirabit, & ipse seipso gravior erit, ac humidior; sed & levior erit, si ipsi caput non affligatur. Galen. *De Magn. Morb.* ebrietatis signa dicit, supinum jacere, hiare & stertere. Aristoteles denique *sect. 3. problem.* multa signa colligit, quibus ebrietas innotescere potest, præter quæ alia etiam in ebriis conspiciuntur, nempe stupiditas quædam, nimius risus absque causa, furor talis, ut quandoque alios pulsent, tortuosa ambulatio, oculorum inconsueta turpiditas, nimia, atque irrationalis locutio.] Hæc & alia Barbosa. 12

SECTIO II.

Aliæ quæstiones de signis Ebrietatis resolvuntur, agitúrque de duplici, ac triplici Ebrietate?

SUMMARIUM.

Iuristæ statuunt triplicem ebrietatem. 13.
Theologi duplicem. 14.
Semiebrietas non est vera ebrietas. 15.
An, quando maritus leviter ebrius facessit uxori multa mala, non autem quando graviter est ebrius, uxor licitè præbeat ipsi tanto plus vini? 16.
An sit habendus pro ebrio, cui ex turbatione phantasiæ videtur domus gyrari? 18.
Crapula quomodo differat ab ebrietate? Ibid.
Vtrùm sit in dubio præsumendum, aliquem fuisse ebrium? 20.
Casus unus homicidæ, de quo quærebatur, utrùm fuerit verè ebrius, nec ne. 23.

13 SOlent Jurisconsulti, dum se signis ebrietatis tractant, statuere duplicem, ut VVeydmannus, vel triplicem, ut Laderchius, ebrietatem, scilicet levissimam, levem, & magnam. Levissimam vocant eam, quæ mentem non impedit, sed tantum exhilarat, eámque promptiorem reddit, levem eam, qua color vini mentem turbat: magnam, quæ mentem inducit, furori prope similis.

Quæres I. *Quid Theologi de hac triplici ebrietate sentiant?*

14 RESP. Non admittunt illam levissimam, de qua Laderchius, sed duplicem aliam, unam, qua non solùm ratio integre, sed etiam sensus exteriores magna ex parte consopiuntur, & ligantur; alteram, qua sola ratio sopitur, at functiones sensuum externorum manent penitus, aut magnam partem integræ, ut reliquos inter notat Baldellus *Lib.*5. *Theol. Moral. disp.* 30. *n.*13. *& Lib.*1. *disp.*11. *n.*4. post Aristotelem *Problem. sect.*3. *q.*2. *&* 26. Quo loco idem Philosophus tradit, illos, qui hoc posteriore modo sunt ebrii, magis delirare, magísque peccare, quàm priori modo, seu graviter ebrios, eò quòd graviter ebrii, ob sensuum interiorum, exteriorúmque ligamen ne tentent quidem judicare de rebus, at leviter ebrii judicent de rebus, sed malè & distortè judicent, jam rati, se ab aliis sperni, jam arbitrati, se esse ditiores, robustiores &c. quàm sint.

15 Ratio autem, cur Theologi tantùm hanc duplicem ebrietatem agnoscant, est, quia ebrietatem absolutè sumptam definiunt per privationem usus rationis, quam privationem non adfert ea, quæ à Jureconsultis dicitur levissima, imò nec levis eam semper adfert. Et de illa duplici intelligenda sunt omnia, quæ hactenus de ebriorum peccatis, ac pœnis disseruimus, non autem de illa, quæ à quibusdam etiã Theologis, ut à Navarr. *In Manual. Prælud.* 9. *n.*10. *Vasq. disp.* 107. *n.*11. vocatur semiebrietas, à Dicastillo verò *num. præced.* imperfecta, seu semiplena ebrietas, illa enim non est vera ebrietas, nec crimen lethale.

Quæres ulteriùs II. *Quando maritus leviter ebrius, verè tamen ebrius solet familiam totam magnopere turbare, ut fustes, secures &c. involare, quando autem vehementer ebrius est, mox se ad quietem componere, quæres, inquam, utrùm uxor, istius moris gnara, licitè illi propinet adhuc aliquid vini, aut cerevisiæ, quo penitus capiatur?* 16

Ratio cur id facere non posse videatur, est, quia id faciendo erit in causa, ut maritus nequeat tam facilè redire ad seipsum, quàm si mansisset, leviter ebrius.

Ratio, autem, cur id ei permittendum sit, 17
est, quia cùm maritus non sit peccaturus ebibendo vinum, quod uxor offeret, videtur ad redimendam ejusmodi vexationem licita talis invitatio ad intensiorem, ut ita dicam, ebrietatem. Et hæc ratio facit, ut censeam, ejusmodi conjugem posse probabiliter excusari.

Quæres III. *Quo vocabulo afficiant Germani illam ebrietatem, quam Iureconsulti vocant levem?* 18

RESP. Nominant: Ein Rausch; Latini autem Crapulam, de qua sic differit Valentia *Tom.*3. *disp.*9. *quæst.*3. *Part.*2. [Si bibendo non perveniatur eò usque, ut privetur quis ratione, non est ebrietas propriè & formaliter, atque adeò nec peccatum mortale ex se, etiamsi quis sit aliquantulo hilarior, & aliquantulum perturbetur ipsius phantasia, ut videatur ei, quòd domus gyretur, sed est tunc quædam crapula, sive intemperantia venialis, juxta illud Augustini *Lib.*10. Confessionum *Cap.* 31. *Ebrietas longè est à me, misereberis, ne appropinquet mihi, crapula autem nonnunquam subrepsit servo tuo.* Si tamen ejusmodi crapula exerceatur ex directa intentione, valde parùm abest à mortali. Sed tamen ne tunc quidem est mortale, quandoquidem nec est completa ebrietas, nec valde lædit rationem.] Ita Valentia post Toletum, & rectè. Unde non assentior Sylvestro *Verb. Ebrietas* dicenti, crapulam non videri, aut vix videri excusari à mortali.

Nec scio, cur Sylvius *in* 2.2. *q.*150. crapulam absolutè dicat, esse aliquando mortalem. 19
Sed nec credo eidem Sylvestro cum nonnullis Canonistis absolutè dicenti, quando quis non advertit, rationem ferè exturbatum iri per potum, peccari venialiter illo potu.

Quæres IV. *Vtrùm sit in dubio præsumendum, aliquem fuisse ebrium?* 20

RESP. Jureconsulti, ut Menochius *de arb. jud. Lib.* 2. *Cas.*316. *n.*11. Mascardus *De Probat. Conclus.* 579. Farinacius *In Praxi crim. q.*93. *n.*23. Barb. *De Offic. & pot. Episc. Part.*2. *alleg.*28. *n.*8. & alii negant, in dubio præsumi ebrietatem, & proinde illi, qui se purgare vult allegando ebrietatem, incumbere ajunt onus probandi, se fuisse ebrium tempore patrati delicti. Suarez *Lib.*4. *De Voto cap.*6. *n.*10. existimat, quando agitur de tuo incommodo, ut e.g. de valore voti, de quo dubitas, utrùm illud emiseris in ebrietate, an extra ebrietatem, posse te præsumere, quòd fueris ebrius, sicut potes præsumere, te fuisse, sopitum, quando dubitas, utrùm in somno, an extra somnum contigerit pollutio, esto daremus, inquit Suarez, in casu dubio præsumendum esse pro usu rationis, in his, quæ spectant ad favorem personæ.

21 At Sanchez *Lib.*4. *Moral. cap.*1. *n.*15. sic ratiocinatur: [Quando dubitas, an votum feceris tempore ebrietatis, præsume te fecisse tempore sanæ mentis, nam ebrii rarò emittunt vota; si autem constet, id emissum esse tempore ebrietatis, dubites autem, utrùm fuerit plena, an semiplena, non omnino privans usu rationis, non obligaris voto, quia cùm ebrietas soleat à mente omnino alienare, stat præsumptio pro ebrietate.

22 Ego sic distinguerem: aut scis, te fuisse ebrium, dubitas autem, an votum, homicidium &c. quod patrásti, feceris in ipsa ebrietate, an post illam? aut scis, te quidem multum bibisse, dubitas autem, an revera fueris plenè ebrius? Si primum, procedit responsum Suarii. Si secundum, habet locum commune dictum Juristarum: nemo præsumitur esse malus, nisi probetur, *L. Omnì modo, Cod. De inoffic. Testam.* Item: Mutatio non præsumitur, sed probanda est, cùm sit aliquid facti. *Cap. Mandata. De Præsumpt. & Leg.*2. *ff. De Iur. & facit. ignorant.*

23 Ex dictis hac Sectione apparet, rectè consuluisse Laderchium, quando dixit, quendam homicidam fuisse habendum pro planè ebrio, eò quòd duo testes deposuerint, illum ante cœnam fuisse *poco menoche imbriaco*, paulò minùs, quàm ebrium, unus autem testis à curia probatus, deposuerit, illum in cœna novies bibisse, & constaret, homicidium contigisse post cœnam ex improviso, & ex ira, nulla præcedente injuria, & patratum ab homine naturæ placidæ.

I. I.

EX PATRII IURIS &c.

CAPVT XXII.

An, & quibus pœnis possit, aut debeat puniri Ebrietas?

SECTIO I.

De pœnis Iure Canonico in ebrios, vel ebriosos statutis.

SUMMARIUM.

Pœnæ statutæ Iure Canonico in Clericum ebrium. 1. *& seqq.*
Quæ in Laicos ab eodem Iure Canonico? 5.
Quæ in Clericum, qui totam noctem traduxit in taberna potando, & altera die nulla præmissa dormitione Missam cantavit? 6.

QUæres I. *An Iure Canonico sit statuta pœnain Clericum ebrium?* 1

RESP. Haud dubiè, & quidem non uno in loco. Nam in primis *Cap. Episcopus dist.* 35. referuntur ex Canonibus Apostolorum hæc verba: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur: Subdiaconus autem, aut Lector, aut Cantor, similia faciens, aut desinat, aut communione privetur.* Ex quo cap. docent Rebuffus, & alii à Barbosa *Tom.*2. *collectan. in Ius Canonicum in Cap. A crapula. De vit. & honest. Cleric.* consuetum inebriari minimè posse Sacris Ordinibus initiari.

Deinde *Cap. final. eit. dist.*35. Concil. Agathense ita sanxit: *Ante omnia Clericis vetatur ebrietas, quæ omnium vitiorum comes, ac nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit, (ut ordo patitur) aut triginta dierum spatio à communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio.* 2

Quo loco relinquitur arbitrio Episcopi, utrùm Clericum de temulentiâ reum excommunicare, an pœna corporali punire velit; ita quidem, ut si sit infimæ sortis Clericus, possit carcere mulctari, esto jam sit in majoribus constitutus; si verò sit nobilis, aut senex, excommunicari debeat, ut explicat Menochius *De arbitrar. Iudic. Casu* 404. Et verò Ignatius Lopez *In Pract. crimin. cap.*77. refert ex Sigismundo Barone, ebrios Sacerdotes solitos fuisse apud Moscovitas verberari.

3 Præterea Innocentius III. in Concil. Lateran. edidit sanctionem, quæ in *Cap. A Crapula De vit. & honest. Cler.* legitur hisce verbis: *A Crapula, & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent, & se vino; nec ad bibendum quispiam incitetur, cùm ebrietas, & mentis adducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Vnde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.* Ita Concil. cujus sanctionem sic explicat Barbosa *loc. cit.* cum aliis, ut dicat, Clericum, qui monitus non desistit ab ebrietate, suspendi ab officio, & beneficio.

4 Vide, quod ex Concilio Trevirensi retuli *cap.* 17. vide etiam Synodos Provincialem Salisburgensem, Diœcesanas Pragenses, & Constantiensem nostram *Part.* 2. *Tit.* 1. *n.* 17. graviter minantes ebriosis Clericis, & cum Fornero *Lib.* 3. *cap.* 26. dole, Sacros Canones etiam in hoc puncto non observari, ac cum P. Contzen *Polit. Lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 7. ingemisce, nunc Clericorum æquè ac laicorum mensas esse plenas vomitûs, fordiúmque, aliquorum, inquam, Clericorum, non tamen aut omnium, aut plerorumque.

5 Quæres II. *An non etiam in laicos ebrios detretæ sint pœnæ Ecclesiasticæ?*

RESP. In citat. cap. *Episcopus* jubetur laicus aleæ, & ebrietati deserviens, si non se emendet, communione privari.

6 Quæres III. *Quæ pœna statuta sit in Clericum, qui totam noctem in taberna egit potando, & altera die nulla præmissa dormitione Missam cantavit?*

RESP. Alexander III. *Cap. Si constiterit. De accusat.* negat ejusmodi homini accessum ad beneficium Ecclesiasticum, & hanc sententiam Alexandri ad privationem beneficii extendunt Abbas, & Host. apud Menoch. *Casu.* 406.

SECTIO II.

De pœnis civilibus statutis in ebrios?

SUMMARIUM.

Pœnæ statutæ jure civili in ebriosos. 8.
Singulariter à Maximiliano I. 9.
Et à Carolo V. ibid. & seqq.
Et ab Electore Bavaro. 11.
Et ab Ottone Episcopo Augustano. 12.
Quid nomine mortis intentatæ intelligat ille Cardinalis? 13.
Potest à Magistratu sæculari prohiberi ebrietas sub pœna capitis. 14.
Et quidem duplici modo. 15.
Graviter delinquit Magistratus uterque non plectens graviter ebriosos. 16.
Et singulariter Principes Germani. 18.
Traduntur ex Contzen modi, quibus Princeps possit tollere frequentiam ebrietatis. 20.
Et ex Caroli V. Constitutionibus. 21.
Et ex Gregorio Tolosano. 22.
Et ex Stapletono. 23.

Quæres I. *An jure civili sint aliquæ pœnæ decretæ in ebriosos, vel ebrios?* 7

RESP. I. Apud Romanos vini usus adeò fuit interdictus mulieribus, ut vinum bibisse perinde fuerit, ac si in adulterio deprehensæ fuissent, ut dicam *cap.* 43.

RESP. II. Etsi Molina *Tract.* 3. *De Iust. disp.* 38. negat, jure civili plecti ebrietatem, attamen Menochius *De arbitrar. judic. Casu* 404. *n.* 4. cum Placa censet, per illa verba, quæ habentur *Lege Omne delictum*, §. *per vinum. ff. De re milit. Per vinum lapsis militiæ mutatio irrogetur*, absolutè decerni, ut miles ebrius, esto nil deliquerit in ebrietate, exauctoretur. 8

RESP. III. Imperatores Maximilianus I. & Carolus V. in variis Comitiis statuerunt, ut gravibus, imò gravissimis pœnis afficiantur ii, qui ebrietati dediti sunt, præsertim milites. Et quidem Maximilianus in comitiis Anni 1512. ita sanxit: *Cùm ex invitatione ad largiorem potum nascatur ebrietas, ex ebrietate frequentes blasphemiæ, homicidia, aliáque mala innumera, omnium Provinciarum Magistratus Ecclesiasticus, & sæcularis, ea potandi libidine omnibus subditis suis sub gravissimis pœnis interdicant &c.* 9

At Carolus V. in comitiis Spirensibus Anni 1548. ita constituit: *Quoniam, pro dolor, eo res venit, ut inter Germanos, præsertim militiæ, detestanda & bellua potandi consuetudo præcipuum sit exercitium, unde toti genti grave dedecus ignominia, infamia, periculum, ac contemptus immineat, in primis quòd rariores inde victoriæ, infeliciores eventus belli sæpe subsequantur, Magistro equitum, Magistratibus militaribus; ut & Dominis, Nobilibus, & Equitibus severè mandetur sit, ut à continua, perpetuáque ebrietate sibi temperent &c.* Plures hanc in rem constitutiones refert Adamus Contzen *Polit. Lib.* 3. *cap.* 14. quibus junge, quam ex Damhouderio retuli *cap.* 20. *n.* 42. 10

RESP. IV. In Jure Bavarico *Lib.* 5. *Politiæ Tit.* 7. *a.* 4. statuitur, at ebrius se in platea immodestè gerens, aut quotidianæ crapulæ indulgens, abducatur à lictoribus in carcerem, donec crapulam edormierit. 11

RESP.

12 RESP. V. Cardinalis Otto Truchsessius Episcopus Augustanus, atque Imperii Princeps multò laudatissimus Anno 1548. in quadem Synodo sic constituit: *Qui ebrietati, & crapulæ, & comessationibus perpetuò dediti sunt, & maximè, qui festos dies, ac noctes in tabernis exigunt, illis post factam Confessionem venerabilis hujus Sacramenti sumptione per triginta dies interdicendum, ut ab his vitiis sese emendent. Quod si facere nolunt, juxta Canonum decreta etiam morte multandi sunt.* Ita refert verba Synodi P. Contzen Polit. *Lib.* 6. *cap.* 20. *n.* 7. meritóque addit, hanc pœnam non esse nimiam, cùm *Deuteronom.* 21. *v.* 18. filium familias comessationibus, luxuriæ, atque conviviis vacantem jusserit lapidibus à toto populo obrui Deus ipse.

13 Quæres II. *De qua morte loquatur hic Cardinalis, & an morte corporali possit ebrietas puniri?*

RESP. I. P. Contzen, ut patet ex ejus verbis, intelligit sententiam Cardinalis de morte corporali, & idcirco id statutum in hanc Sectionem distuli. Verùm quia Canones, qui ibi generatim allegantur, non statuunt mortis supplicium in ebrios, & in Synodis Episcopalibus non conduntur Leges de pœnis capitalibus, Arg. *Cap. Cùm non ab homine. De judiciis, & C. Per Venerabilem. §. Qui autem. Qui filii sint legitimi, & cap. Inter hæc 33. q. 2. ibi: Sancta Dei Ecclesia* &c. *gladium non habet nisi spiritualem.* Ideo videtur Cardinalis intelligere separationem à Communione fidelium, quæ fit per excommunicationem majorem, & est quædam mors spiritualis, atque Ecclesiastica, argum. *C. Quoniam. De Offic. Ind. ord. & cit. C. Cùm non ab homine*, censentíque his à me scriptis visus Plaza *In Epitom. Delictor. Lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 27. citans Abbat. & S. Thomam. *Et utique nullum discrimen sanguinis sub incruenta disciplina timetur.* S. Augustinus *Epist.* 54. *ad Macedon. circa med.* loquens expressè de tribunali Episcopali.

14 RESP. II. Mihi dubium non est, quin laudem mereretur Princeps etiam Ecclesiasticus, qui ebrietatem voluntariam suis quoad temporalia subditis prohiberet sub pœna exilii, aut etiam capitis. Ratio est, quia cùm hoc vitium non corrigatur lenibus mediis, & simul ita sit noxium tum bono publico, tum privato, ut satis declarant Imperatores in citatis constitutionibus, & constat ex dictis *cap.* 9. 10. 19. 20. clarum est, esse penes summum Magistratum, ferre legem capitalem in omnes ebrios, & mereri laudem, si ferat, memor illius ex Hesiodo moniti:

Hac una Reges olim sunt fine creati,
Dicere jus læsis, injustáque tollere facta.

15 Et quidem potest ejusmodi legem ferre duplici modo. I. Ut qui se voluntariè inebriaverit, luat exilio, aut etiam capite, si exilio non emendatus sit, esto nullum in ebrietate committat delictum. II. Ut qui se voluntariè inebriaverit, & aliquod in ebrietate crimen etiam ex improviso admiserit, plectatur eo supplicio, quo plecteretur, si sobrius admisisset, imò etiam majore. Utinam hac lege fuisset hoc, & superiore sæculo animadversum in Germanos milites, nobiles, cives, rusticos, ac mulieres, foret Germania terribilis cuivis hosti, abundaret immensis opibus, viris robustissimis, fortissimis, laboriosissimis, atque artificibus præclarissimis, cum Dædalo comparandis.

Quæres III. *Vtrùm Magistratus Civiles, & Eccl. iustici non graviter delinquant, si non graviter animadvertant in ebriosos?* 16

RESP. P. Contzen *Polit. Lib.* 3. *c.* 14. *n.* 18. pronuntiat, multos principes, & magistratus, tum propter alia subditorum peccata, tum propter ebrietatem damnari, censétque, è mille Doctoribus vix unum id negaturum, eò quòd magistratus sub æternæ damnationis reatu teneatur vias ac rationes inquirere, & adhibere, quibus ebrietas, utpote gravissimum, & summè noxium scelus extirpetur.

Et certè, cùm considero Iliadem malorum, quæ ex frequentata temulentia consequi solent, omnino mihi persuadeo cum hoc Doctore, & Fornero *Lib.* 3. *cap.* 7. Principes, quibus utique suorum subditorum salus curæ esse debet, perquam graviter, atque adeò mortaliter delinquere, si non efficaciter curent, ut ebriosi severè puniantur. Etenim alia ratione, quàm pœnis severis non emendatur hoc malum. 17

Et maximè hoc dictum velim de principibus Germaniæ, utpote quorum subditis ita noxia, & detrimentosa est ebrietas, ut non solùm illos apud exteras gentes admodùm contemptos ea reddat, sicuti in duabus Constitutionibus testatur Carolus V. sed etiam morte, aliisque cladibus, miserandum in modum afficiat, ut copiosè deducit Fornerus *Lib.* 1. *cap.* 10. consentiente P. Contzen, cujus hæc est lamentatio *cit. cap.* 14. *n.* 19. *Misera Germaniæ conditio, vini ferax regio bono suo plures occidit, quàm gladio moriantur, & audeo dicere: plùs vini in mortes hominum, quàm ad sanitatem, jucunditatémque impendit.* Adde bonorum decoctiones, & alia plurima mala, quæ ex vinolentia scaturire ostendi *cap.* 10. & 19. 18

Quæres IV. *Quo pacto possit princeps ebrietatis frequentiam tollere ex sua provincia?* 19

Censet P. Contzen vir in paucis sapiens *loc. cit.* quòd magistratus in Germania possit sine tumultu, sine obloquio, sine timore majoris mali ebrietatem facilè tollere, ideóque nulla excusatione uti posse, qui eam permittunt, præsertim cùm etiam Imperatoria lege ob-

stringantur. Addit, leges paucas rem totam confecturas; octo ipse proponit, quas referre duxi operæ pretium.

20 I. Princeps, senatus sobrius esto, principúmque ministri. Hanc ipsam rationem reformandæ Germaniæ tradidit Maximilianus I. in Comitiis Anni 1512. & Carolus V. in Comitiis Anni 1548.

II. Qui Consiliarium Aulicum, satrapam, quæstorem Principi commendat, id primò consideret, ne ebriosus ille sit.

III. Ebrioso negotia in Aula non permittantur, si perseveret, dimittatur.

IV. Ad Capitula Ecclesiarum Collegiatarum (*multò minùs Cathedralium*) ebriosi non admittantur; qui jam admissi sunt, Canonicis pœnis corrigantur.

V. Civium ebrietas honorum privatione, deinde mulctâ corrigatur, aut etiam potestate testimonii dicendi.

VI. Tabernarum, hoc est officinarum ebrietatis Domini magno ære puniantur, si quem ebrium non indicent Magistratui.

VII. Nuptiarum ebrietatem luat sponsus, & sponsa.

VIII. Sumptuariæ leges seriò propugnentur. Hæc ille.

21 Addo Carolum V. Anno 1548. inter alia emendandi subditorum ebrietatem adjumenta, hoc attulisse: *Volumus etiam, ut Magistratus Parochis suis, & Concionatoribus id negotii dent, ut omnibus Dominicis populo proponant, eumque à compotationibus abstinere jubeant, enumeratis ad eam rem vitiis, quæ progignuntur, ad quod necesse erit, eorum Catalogum ipsis à Magistratu procurari.* Vide quod ex S. Augustino ad propositum retuli *cap.* 11. *sect.* 11.

22 Petrus Gregorius Tolos. *Syntagm. Lib.* 39. *cap.* 7. censet, aptissimam ebriosis plectendis, & corrigendis pœnam fore jejunium abstemium cum carcere publico, quod & ego sentio, & utinam fiat.

23 Aliud cum Stapletono suggerit Fornerus *Lib.* 3. *cap.* 7. his verbis: [Si, ut in Hispania ob hæresin supplicio affecti, ita apud nos, qui ex ebrietate aut repentina, aut violenta, aut fortuita morte, saltem infra Annum unum, aut alterum sublati sunt in Catalogum redigerentur à cujuslibet celebrioris civitatis Magistratu, & publicè depicti conspicerentur, esset contra ebrietatem præclarum remedium.] Vide infrà *cap.* 25. *n.* 54. casum huc facientem.

24 Huc quoque faciunt pœnæ in ebriosos statutæ, indicatæque hoc capite, ut & illæ, quas ex constitutionibus Constantiensibus descripsi *cap.* 11. *n.* 7. quæ sanè si irremissibiliter mandarentur executioni, & suo etiam modo extenderentur ad Laicos, præsertim in iis locis, in quibus Episcopi pedum & gladium gestant, videremus brevi mirificam simul & jucundissimam, reique publicæ, ac privatæ utilissimam emendationem.

Cæterùm in ultimo capite proferam ex 25
pharmacopoliis peritissimorum medicorum varia antidota, atque alexipharmaca, quibus sese juvare poterunt, qui in Nosocomio ebriosorum decumbunt, vel ad illud damnari meritò timent.

K. K.

CAPVT XXIII.

De Gula, ejus speciebus, & filiabus.

SECTIO I.

De Gula in genere.

SVBSECTIO I.

Quid sit, & in quo formaliter consistat vitium Gulæ?

SUMMARIUM.

Quotuplex sit Gulæ significatum? 1.
An Gula, & Comessatio sint idem? 2.
In quonam formaliter consistat turpitudo gulæ? 3.
Qui nimis multum edit alia causa, quàm voluptatis, non est propriè gulosus. 5.
Quodnam sit Gulæ motivum formale? 6.
Quid nomine appetitus intelligatur in definitione Gulæ? 7.
Sicut est duplex Ebrietas, ita & duplex Gula. 8.

QUæres I. *Quotuplex sit Gulæ significatum?* 1

RESP. Duplex, alterum, quo significatur vitium commune excessui tam in potu, quàm in cibo. S. Thom. 2. 2. *q.* 150. *a.* 1. *in C.* Alterum, quo specialiter excessus in cibi sumptione. Idem *q.* 148. non semel, nominatim *art.* 4. *in C.* Hoc secundo significato indicatur peccatum, abstinentiæ strictè dictæ oppositum; attamen DD. in tractatione hujusce materiæ utuntur communiùs primo, & generaliore significato, idque faciunt secuti exemplum S. Thomæ. Ego in hoc capite utar frequentiùs secundo significato, non ratò primo.

Quæres II. *An Gula, & Comessatio sint idem?* 2

RESP. Non planè. Nam comessari non à comedere, sed à Græco Κωμάζειν derivatum est, ut reliquos inter observat Lessius *Lib.* 4. *De Iustit. cap.* 3. *n.* 1. quod quidem verbum Græcum originem trahat à nomine Κῶμος, tum Deum temulentiæ, tum impuras cantilenas & lascivas saltationes significante, quemadmodum notat P. Benedictus Justinianus *in illam Pauli ad Rom.* 13. *vers.* 13. sententiam: *Non in comessationibus, & ebrietatibus &c.* Ubi addit, à Livio, & aliis Latinis per comessationes designari convivia intempestiva, in citato tamen Apostoli loco significari nimium studium comedendi. Quare Gula patet latiùs, quàm Comessatio.

3 Quæres III. *In quonam formaliter consistat turpitudo Gulæ?*

RESP. Id indicat S. Thom. *q.* 148. *a.* 1. *ad* 2. his verbis: *Hoc solùm pertinet ad gulam, ut aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis, scienter excedat mensuram in edendo.* Adstipulatur Cajetanus *in Summa, Verb. Gula*, ita loquens: [Gulæ peccatum consistit non in hoc, quòd cibus delectabilis delectabiliter sumitur, quoniam hoc nullum peccatum est, nisi sit quis adeò insipiens, ut putet, omnem voluntariam delectationem sensibilem esse peccatum, sed consistit in hoc, quòd inordinatè delectatio cibi appetatur, ut habeatur, puta, quia plus, prius &c. quàm debet, delectatione cibi afficitur homo.]

4 Itaque dico, malitiam, & turpitudinem gulæ in hoc formaliter consistere, quòd quis immoderatè appetat cibos voluptatis causa, sicuti *cap.* 1. dixi, vitium sobrietati oppositum per excessum, formaliter consistere in immoderato appetitu potûs, quatenus est delectabilis, *Lege Sylv. Verb. Gula. n.* 1. & Franciscum Sylv. *in* 2. 2. *quæst.* 148. *a.* 1. cum quo gulam ita describo: Gula est inordinatus appetitus cibi vel potûs (secundùm primum gulæ significatum) quatenus delectationem adfert.

5 Quæres IV. *An ergo, qui non voluptatis causa, sed alium ob finem plus edit, quàm valetudinis ratio, corporisque constitutio postulet, non est gulosus, nec intemperans?*

RESP. Non est, teste P. Dicastillo, *Lib.* 1. *De Iustit. disp.* 3. *n.* 74. post S. Thom. *q.* 148. *a.* 1. *ad* 1. ubi docet, non ad gulam sed ad imperitiam quandam spectare, si quis in quantitate cibi excedat, *non ob concupiscentiam, sed æstimans id sibi necessarium esse.* Confirmatur hæc doctrina ex eo, quod in simili dixi de ebrietate, *cap.* 5.

6 Quæres V. *Quodnam sit Gulæ motivum formale?*

RESP. Sicuti avaritiæ motivum formale est apparens sufficientia bonorum externorum, ita gulæ est apparens sufficientia cibi delectabilis, cùm etiam ille cibus, qui initio apparet superfluus, postmodum gula vincente rationem judicetur esse non superfluus, ut pulcherrimè declarat S. Augustinus, *Lib.* 10. *Conf. ss. cap.* 31.

Quæres VI. *Quid nomine appetitûs intelligatur & in descriptione gulæ?*

RESP. Intelligitur non utique solus naturalis, quem viventia habent circa alimentum, & ex cujus carentia excitatur in animalibus, sensus quidam molestiæ in ventriculo, qui constringitur, & corrugatur alimento exacto, ut docent Philosophi *in Tract. de fame, & siti*; sed intelligitur appetitus elicitus, actióque, vitalis, & libera. Unde rectè infert Sylv. *loc. cit.* famem, & sitim non spectare ad gulam.

Rectè quoque inferes, sicuti generatim est 8
duplex ebrietas, scilicet materialis, qua per potum nimium sumptum ex alio motivo, quàm voluptatis, exturbatur ratio: & formalis, qua per sumptum ex motivo voluptatis, ita etiam esse duplicem gulam, materialem videlicet, & formalem, eo modo, quem insinuavimus *n.* 5.

SVBSECTIO II.

An Gula sit vitium capitale?

SUMMARIUM.

Qua ratione gula dicatur esse vitium capitale? 9.
Cur aliquod vitium dicatur capitale? Ibid.
Dupliciter appetitur aliquid propter alterum, tanquam finem. 10.
Quænam peccata communiùs committantur propter gulam? 11.
An gula sit causa efficax aliorum peccatorum? 13.

QUæres I. *An, & quomodo sit gula vitium capitale?* 9

RESP. Juxta proprium, adeóque secundum significatum non censetur esse vitium capitale, alioquin etiam ebrietas foret capitalibus vitiis annumeranda; at juxta primum accensetur vitiis capitalibus, ut diserte exprimitur in Catechismo Germanico R. P. Petri Canisii §. *De Peccatis Capitalibus*, & satis insinuant S. Thom. dum 2. 2. *ext. q.* 148. *a.* 5. *in C.* gulam esse vitium capitale inde probat, quòd eatenus vitium aliquod vocetur Capitale, quatenus est causa finalis aliorum vitiorum, seu ob quam alia vitia patrentur; gulam autem esse causam finalem aliorum vitiorum, & ideo quidem, quòd versetur circa delectationes tactûs, quæ cùm sint præcipuæ inter alias, fieri ut illarum consequendarum causa multa, & gravia committantur.

Cæterùm rectè notat Cajetanus *in citat. a.* 5. 10
dupliciter aliquid appeti propter alterum velut finem, primò tanquam medium ad illud, ceu ad finem obtinendum. Secundò, ut acce-

ptatum ex finis appetitu; ſicuti aliquis acceptat exilium, ſciens, ſe in illud ejiciendum, ſi æmulum occidat, in hoc ſecundo ſenſu præcipuè dici, gulam eſſe cauſam finalem multorum vitiorum.

11 Quæres II. *Quænam peccata communiùs eo fine patrentur, ut improbæ gulæ ſatiſfiat?*

RESP. In primis propriorum bonorum cum non levi filiorum, uxoris, creditorum injuria, alienatio, & dilapidatio, more fatui Eſau, qui ſua primogenita vendidit, ut gulæ lenociniis acquieſceret. Tum deinde iniquiſſima uſurpatio bonorum ad uxores ſpectantium. Præterea variæ fraudes, furta, rapinæ. Quot belli duces, & Capitaneos tulit hoc Martium, ferreúmque ſæculum, qui pagos, atque oppida iniquiſſimè expilârunt, quò convivia regi-
12 fica celebrare poſſent? Accedit pudicitiæ proſtitutio. Nam plurimæ mulierculæ jacturam pudoris fecerunt, ut edendi, potandique libidinem pretio libidinis exſaturarent. Vide alia apud Toletum *Lib.* 8. ſeu de ſeptem peccatis mortalibus, *Cap.* 60.

13 Quæres III. *An non etiam ea de cauſa gula eſt peccatum capitale, quòd ſit cauſa quaſi efficiens multorum aliorum peccatorum?*

RESP. Aſſerit Cajetanus *in q.* 148. *a.* 5. & alii conformiter doctrinæ à S. Thom. traditæ 1. 2. *q.* 84. *a.* 4. *in C.* illorum videlicet, quæ gulæ filias vocant, ut ſunt inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis, de quibus nos cum S. Thoma agemus infrà *Sect.* 3.

SVBSECTIO III.

An, & quomodo Gula ſit generatim peccatum mortale?

SUMMARIUM.

Gula non eſt ideo peccatum mortale, quòd ſit capitale. 14.
An aliam ob cauſam ſit mortale? 15.
Quo ſenſu dicatur gula eſſe quatuor modis crimen lethale? 16. & 17.

14 Quæres I. *An ſit gula hoc ipſo peccatum mortale, quòd ſit capitale?*

RESP. Haud equidem. Neque enim eſt de ratione vitii capitalis, ut ſit ex ſuo genere peccatum mortale, cùm negent multi, & nominatim Reginaldus *Fori Pœnit. Lib.* 15. *n.* 64. Avaritiam, Iram, Acediam, Superbiam eſſe peccata ex ſuo genere mortalia, idémque neget nominatim de Gula.

15 Quæres II. *Si gula non eſt hoc ipſo peccatum mortale, quòd ſit capitale, an ſit ob aliam cauſam mortale?*

RESP. Eſt, & quidem ex mente S. Thom. *cit. q.* 148. *a.* 2. *ad* 2. ob unicam. Sic enim ipſe ibidem loquitur: [In quantum gula avertit à fine ultimo contrariatur dilectioni Dei, qui eſt ſuper omnia, ſicut ultimus finis diligendus, & *ſecundùm hoc ſolùm gula eſt peccatum mortale.* Igitur ſecundùm S Thom. ſolùm gula eſt peccatum mortale (intra ſpeciem ſolius intemperantiæ) quando in ea, tanquam ultimo fine quieſcit homo, ſeu quando in illa ponit ultimum finem. Eodem modo ſentit etiam S. An- 16
tonin. *Part.* 2. *Tit.* 6. *cap.* 2. §. 2. At Sylveſter *Verb. Gula* addit adhuc quatuor alios modos, quibus gula evadit in peccatum mortale. I. Quando quis ſcienter comedit, aut bibit in grave nocumentum corporis. II. Quando ſcienter quis edit ad vomitum. III. Quando quis gulæ indulget in malum finem e. g. ad procurandam pollutionem in ſomnis. IV. Dum quis eſt ſcienter prædictorum cauſa in alio.

Quæres III. *Quid de his quatuor modis cen-* 17
ſendum ſit?

RESP. Primum, tertium, quartum eſſe quidem veros, ſed addere gulæ novam ſpeciem malitiæ, adverſantem alteri virtuti, quàm abſtinentiæ, ſcilicet charitati vel propriæ, ut apparet in primo modo, vel alienæ, ut apparet in quarto, vel caſtitati, ut apparet in tertio. Ad ſecundum modum quod attinet, docebo *num.* 120. ingluviem non poſſe eſſe mortaliter malam, ſi nil aliud, quàm vomitum cauſet.

SVBSECTIO IV.

Utrùm Gula ſit peccatum ex ſuo genere mortale?

SUMMARIUM.

Sitne dicendum, gulam eſſe ex ſuo genere vitium mortale, an veniale? 18.
Quodnam peccatum propriè dicatur eſſe ex ſuo genere mortale? 19.
Nocumentum valetudinis allatum ex gula, non adverſatur virtuti abſtinentiæ, ſed charitatis. 20.
Gula eſt in uno ſolo caſu propriè peccatum mortale. 21.
Non eſt proprius ille loquendi modus, quo dicitur, gulam poſſe pluribus modis fieri mortalem. 22.
Qui per gulam læſit notabiliter valetudinem, non tenetur in Confeſſione plus dicere, quàm: læſi illicitè valetudinem. 24.
Proponitur, & ſolvitur objectio contra dicta ſuperiùs. 25. & 26.

Quæ-

18 Quæres I. *Sitne dicendum, gulam eſſe ex ſuo genere peccatum mortale, an potius eſſe ex ſuo genere peccatum veniale?*

RESP. Prior locutio placet Tannero *Tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 5. *n.* 92. in caſu, quo ex gula ſequitur grave damnum valetudinis; poſterior Sylveſtro *Verb. Gula. n.* 2. Reginaldo *Lib.* 15. *n.* 64. Laymanno *Lib.* 3. *tract.* 4. *n.* 2. Dicaſtillo *cit. diſp.* 3. *n.* 75. & aliis pluribus non ſine ſuffragio S. Thom. 2. 2. *cit. q.* 148. *art.* 2. *in C. & ad* 2. quem Sylv. *loc. cit.* non dubitat eſſe hujus mentis.

19 Ego ita ſentio. Cùm propriè loquendo, illud ſolum peccatum ſit ex ſuo genere mortale, quod, ob ſuam peculiarem rationem, & ſpecificam naturam ex objecto deſumptam, poteſt pertingere uſque ad malitiam mortalem, etſi non adjungatur ei alterius ſpeciei malitia. S. Thomas 1. 2. *q.* 88. *a.* 2. *in C.* Valentia *Tom.* 2. *diſp.* 6. *q.* 18. *punct.* 3. Tannerus *cit. q.* 5. *n.* 50. Gulam eſſe peccatum ex ſuo genere mortale dicendum non eſt. Etenim non peccat unquam quiſquam mortaliter contra Legem naturalem peccato gulæ, niſi ei adjungatur aliqua malitia repugnans alteri virtuti à temperantia diſtinctæ, ut patet vel in eo, qui lædit ſanitatem eſu nimio; talis ſiquidem peccat propriè contra charitatem propriam.

20 Unde P. Leſſius *Lib.* 4. *De Iuſt. & Iur. cap.* 3. *n.* 4. docet nocumentum valetudinis per gulam illatum, non adverſari virtuti abſtinentiæ, ſed charitati, quod etiam docet Sylvius *in* 2. 2. *q.* 148. *a.* 4. *ad* 3. Et S. Thomas ead. *q.* 148. *a.* 3. *ad* 3. ait, incommodum valetudinis ex gula oriri *non per ſe, ſed per accidens*, ideóque illud nocumentum non directè pertinere ad gravitatem gulæ, quod etiam docet ibidem Cajetanus, dicens, illud nocumentum ſpectare ad quandam injuſtitiam hominis contra ſe-ipſum.

21 Imò dico, neque in hoc, neque in ullo alio caſu, gulam eſſe propriè loquendo, peccatum mortale adverſus legem naturalem, niſi ſolùm in eo caſu, quo quis in ea ultimum finem ponit. Nam ita ſentit S. Thomas relatus *num.* 16. cum S. Antonino. Et quamvis in iſto caſu gula ſit peccatum mortale abſque adjunctione ullius alterius ſpecialis malitiæ, non tamen eſt dicenda, eſſe ex ſuo genere peccatum mortale, alioquin omne peccatum veniale cenſendum eſſet, eſſe ex ſuo genere mortale crimen, contra S. Thomam *cit. q.* 88. *a.* 1. cõmuniter receptum; fieri quippe poteſt, ut quis in qualibet peccati venialis materia ponat ultimum finem.

22 Unde non loquuntur omnino propriè authores (phraſin tamen non improbo) quando dicunt, gulam pluribus modis poſſe fieri mortaliter malam. Etenim nullo iſtorum modorum, quos præter illum, quem jam primùm approbavi, admittunt, ipſa gula fit peccatum mortale, ſed adjungitur peccato mortali, ſicuti mendacium graviter nocivum non fit propriè mortale, ſed adjungitur circumſtantiæ, & affectui mortaliter malo. Verùm loquendum ut multi.

Quodſi inferas: Ergo inordinatus vini ap- 23
petitus non eſt ex ſuo genere peccatum mortale, ſi inordinatus appetitus cibi non eſt ex ſuo genere peccatum mortale, admittam conſequentiam. Nec obeſt, quòd ebrietas ſit ex ſuo genere peccatum mortale; illa enim in ſua definitione, & conceptu formali involuit deliberatam exturbationem rationis; at in definitione gulæ nec ponitur, nec poni debet deſtructio valetudinis, aut aliud inconveniens.

Hinc infer, illum, qui intemperato eſu va- 24
letudinem graviter læſit, non teneri in Confeſſione explicare modum, quo læſit, ſcilicet intemperantiam gulæ, ſed ſufficere, dummodo dicat: valetudinem læſi graviter abſque rationabili cauſa. Bald. *Lib.* 3. *diſp.* 28.

Objicies: Nónne officium abſtinentiæ eſt, 25
non plus appetere cibi, quàm ratio valetudinis permittat? Ergo finis intrinſecus abſtinentiæ videtur eſſe valetudinis conſervatio, & conſequenter contra obligationem abſtinentiæ agit directè is, qui nimio eſu lædit ſanitatem; quomodo igitur talis peccat mortaliter contra ſolam charitatem, & non etiam peccat mortaliter contra abſtinentiam, & quomodo non tenetur?

RESP. Negandam eſſe conſequentiam, ſi- 26
nis enim intrinſecus abſtinentiæ eſt ſola moderatio appetitûs cibi ſecundùm bonum rationis, quod bonum rationis debet in diverſis circumſtantiis, & materiis procurari, à diverſis virtutibus, ut quandoque à charitate ſui ipſius, quandoque à liberalitate &c. ita ut quando illud bonum non procuratur, ſed læditur, peccetur immediatè non contra abſtinentiam, ſed contra charitatem ſui ipſius, liberalitatem, & ſimiles virtutes, ut ſingulariter declarat Cajetanus *loc. cit.*

SVB-

SVBSECTIO V.

Quot modis dicatur quis in voluptatibus gulæ tanquam ultimo fine quiescere?

SUMMARIUM.

Tribus modis dicitur quis ponere ultimum finem in gula. 27.
Et nominatim ille, qui paratus est omnes divinas humanásque Leges temerare ob gulam. Ibid.
Credibile est, aliquos existere, qui sint ad id parati. 29.
Elegans hanc in rem sententia Tertulliani. 30.

27 QUæres I. *Vnóne, an pluribus modis dicatur quis in objectis, & voluptatibus gulæ tanquam in fine ultimo quiescere?*

RESP. Non uno, sed tribus, quos referunt Lessius *cit. cap.* 3. *n.*6. Baldellus *cit. disp.* 28. *n.* 7. Sylvius *in cit. p.*148.

Primò expressè seu formaliter, ut cùm quis expressè in actu signato illas voluptates summum esse bonum judicat, ut faciebant Epicurei. Secundò implicitè, cùm id quidem expressè non judicat, tamen erga eas ita afficitur, ut propter eas sit paratus omnia jura divina, & humana violare. Tertiò interpretativè, ut cum quis affectu gulæ paratus est, non quidem quodvis peccatum, sed tamen aliquod mortiferum committere, hic enim; etsi minus perfectè, & propriè ponat ultimum finem in voluptate ciborum, quàm secundus, qui omnia ad illam refert, tamen aliquo modo convincitur id facere. Nam hoc ipso, quòd mortiferè propter gulam peccat, deserit Deum propter voluptatem, & hanc illi suo facto præponit. Unde etiam de talibus dici potest: *quorum Deus venter est.*

28 Ita philosophatur P. Lessius approbante totam doctrinam Baldello; quam etiam quoad secundum modum ab illo explicatum, quo maximè sensu locutus est S. Thomas, dum dixit, gulam tunc esse peccatum mortale, quando in illa finis ultimus ponitur, approbat Reginaldus *Lib.* 22. *n.*53. dicens absolutè, tunc poni ultimum finem in delectatione gulæ, quando quis nil aliud cogitat, quàm edere, & bibere, ei delectationi postponens divinam voluntatem.

29 Quæres II. *Sitne credibile, existere aliquos, qui secundo modo ex enumeratis habeant voluptates gulæ pro fine ultimo?*

RESP. Non dubitant Lessius, & Baldellus, quin hoc tempore multi hæreseos ministri peccent hoc secundo modo *adulterantes verbum Dei* 2. Corinth. 2. seu, ut S. Hieronymus *Epist.* 150. ex Græco interpretatur, *cauponantes*, id est, more cauponum vendentes, & ad gustum referentes verbum Dei, & omnia sacra ac profana. Et verò id esse credibilissimum de multis diversis hominibus, supponit Toletus *Lib.* 8. *cap.*60. ac persuadet authoritas Philosophi, qui *Lib.*3. *Ethic. cap.*11. expressè testatur, intemperantes ita capi voluptatibus suis, ut eas omnibus rebus anteponant.

30 Et quot etiamnum vivunt, qui omnia jura divina, & humana suæ ambitioni servire volunt? hi certè propriissimè hoc secundo modo ponunt in ambitione ultimum finem, & propriè de iis dici potest, quorum Deus honor est, sicut de illis gulosis propriè pronuntiat Apostolus ad *Philipp.*3. Quorum Deus venter est. Nam solus Deus est finis ultimus. Quam quidem sententiam Apostoli ita graphicè explicat Tertullianus: *Deus tibi venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos coquus, & Spiritus Sanctus nidor, & condimenta charismata, & ritus Prophetia vetus est.* Sic ille *Lib. contra Psychios*, quorum plerosque, si voluisset hac sententia notare, næ ipse nigro calculo notandus esset.

SVBSECTIO VI.

Quod peccatum admittat, qui in gula finem ultimum ponit?

SUMMARIUM.

Quatenus peccet, qui ponit in gula finem ultimum? 31.
An omnium omnino peccatorum malitiam contrahat, qui seriò dicit: Volo ob gulam transgredi omnia mandata Dei, & Superiorum? 33.

31 QUæres I. *An omnis, qui uno ex tribus modis subsect. præced. allatis quiescit in gula tanquam ultimo fine peccet mortaliter?*

RESP. Omnis, non tamen omnis intra speciem gulæ, nec omnis intra solam speciem gulæ. Nam qui primo modo quiescit in gula, velut ultimo fine, est non tantùm gulosus, sed hæreticus, aut potius atheus, est quippe de fide, quòd voluptas gulæ non sit beatitudo nostra, nec formalis, nec objectiva, adeóque nec summum bonum. Qui tertio modo peccat, contrahit specialem malitiam illius peccati particularis, & specialis, quod est paratus admittere, ut gulæ parentet. Qui secundo modo peccat, non contrahit malitiam ullam ullius specialis peccati, quia nullum in specie designat in animo. Et talem dico, eo modo peccare peccato solius gulæ, quo dicitur peccato

cato solius e.g. avaritiæ, solius vindictæ, solius luxuriæ quo is peccat, qui ultimum finem ponit in pecuniis, vindicatione, fœditate &c. esto revera peccet peccato generali inobedientiæ Dei contemptûs interpretativi, &c.

32 Nec tamen idcirco dicendus est hic contrahere malitiam omnium omnino peccatorum possibilium, adeóque infinitam. Licèt enim ponatur esse paratus quidlibet mali facere, non tamen hinc sequitur, illum contrahere vel speciales malitias omnium peccatorum, vel infinitam. Non speciales omnium peccatorum, quia non apprehendit, nec animadvertit illas; non infinitam, quia nec apprehendit infinitam malitiam, nec si apprehenderet, resultatura esset in ejus actus malitia intrinsecè infinita, cùm talis malitiæ non sit capax actus humanus, sicuti neque infinitæ bonitatis, aut infiniti meriti.

33 Quæres II. *Quid si improbus ille helluo expressè dicat: Ego propono, potiùs omnia divina, & humana jura temerare, quàm meæ Gulæ frænos injicere?*

RESP. Ne tunc quidem contrahet vel malitias singulorum peccatorum, alicui juri humano, vel divino repugnantium, vel unam aliquam infinitam. Rationem attuli *num. præced.* contrahet tamen probabiliter malitiam specialis inobedientiæ, aut specialis contemptûs. Contrahet quoque malitiam repugnantem tribus, quatuor, aut pluribus præceptis,
34 quæ tunc ipsi veniunt in mentem, Lege, si placet, eruditum P. Arriagam *Tom.*3. *cursûs Theologici, disp.*13. *n.*23. explicantem, quomodo ei, qui se nefariè præcipitat in puteum, ne indirectè quidem sint voluntaria quæcunque mala, quæ in puteo re ipsa sunt, sed tantùm illa, quæ sub dubio ibi apprehendit, sicut jam retuli *cap.*9. *n.*117. *& n.*22. explicat idem Doctor, quomodo peccet is, qui dicit: *Ego amplector malitiam, quæcunque sit in hoc objecto.*

SVBSECTIO VII.

Sitne in Confessione opus facere mentionem Gulæ, quando quis illius gratia graviter peccavit?

SUMMARIUM.

Sitne opus facere in Confessione mentionem Gulæ, quando quis varia peccata mortalia commisit ob Gulam? 35.
Declaratur exemplo furti commissi ob hanc, aut illam causam. 36.
Pauci Catholici peccant mortaliter peccato Gulæ propriè loquendo. 39.
Quo sensu dicatur peccans mortaliter, propter aliquod bonum creatum constituere in hoc ultimum finem? Ibid.

35 DIxi *n.*31. illum, qui tertio modo ibidem expresso peccat peccato gulæ, contrahere specialem malitiam illius peccati, quod in eum finem admittit, ut suæ gulæ velificet. Quæritur, *an tunc & peccet propriè peccato Gulæ mortaliter, & ita peccet, ut oporteat in Confessione exprimere ipsum peccatum Gulæ?* E. G. miles furatur pullum Indicum eo solo fine, ut prurienti gulæ satisfaciat, oportebitne in Confessione dicere: commisi furtum mortale *incitatus à Gula?* An verò sufficiat dicere: *sum furatus rem notabilem?*

36 Respondet P. Baldellus *Lib.*3. *cit. disp.* 28. *n.*9. conformiter Cajetano, quandoque priorem Confessionem esse necessariam, quandoque non esse. Tunc esse necessariam, quando militis furtum, & furandi promptitudo ita provenit ex affectu gulæ, ut ex illa tanquam à posteriore effectu, & signo nobis noto possit colligi, rationem formalem ejus furti non esse quamcunque, sed amabilitatem gulæ, tanquam finis ultimi propter semet appetendi, & propter quem cætera appetantur. Nam in illo casu gula est mortalis in sua propria specie, cùm ille affectus deordinationem, & gravitatem habeat, non solùm ex eo, quòd sit ratio volendi furtum, sed etiam ideo, quòd ipsa gula per se ametur amabilitate, qua amatur ultimus finis, & proinde tunc ponat in gula ultimum finem, juxta secundum modum superiùs allatum; licet enim non cogitet actu facere propter gulam quidquam mali præter furtum, tam cæco tamen, & effreni impetu fertur in esum Galli Indici, ut propter eum sit habitualiter paratus quidlibet mali patrare.

37 Si verò furtum, aut furandi promptitudo non provenit per se ex ratione objectiva affectus gulæ, sed solùm per accidens, quia miles libere eligit furari propter gulam, etsi gulam non amet tanquam ultimum finem, poterit tamen peccatum gulæ esse solùm veniale in propria specie, & præterea esse mortale in specie furti, & in tali casu satis erit, si in Confessione manifestetur malitia furti. Quia sicut
38 generatim loquendo, qui committit peccatum mortale propter aliquem finem ex se non illicitum; ut quando aliqua pudicitiam prostituit ad vitam sustentandam, satis est, si in Confessione aperiat illud peccatum e.g. prostitutionem pudicitiæ, non autem tenetur aperire finem; ita etiam quando quis patrat crimen lethale, propter finem venialiter malum, ut e.g. quando quis harpagat holosericum, quo possit splendidè vestiri, & incedere, satis est, si manifestet illud peccatum, non autem tenetur

tur facere mentionem finis, quoniam illum non amat ut finem ultimum, sed ut rationem. e.g. furandi, & volendi furtum.

39 Ex his apparet I. Supponendum esse, Catholicos, quando propter suum abdomen committunt aliquod peccatum lethiferum, communiter non peccare mortaliter peccato gulæ, nisi fortè cibis vetitis vescantur, aut non observent jejunium Ecclesiasticum. Nam revera communiter non sunt ita affecti, ut censendi sint vel formaliter, vel implicitè, sed tantùm interpretativè (eo sensu, quo passim dicit S. Thomas, quòd quisquis peccat mortaliter constituat ultimum finem in creatura, cujus amore peccat.) collocare ultimum finem in gula, & propterea quando furantur, allecti gulæ cupediis, & illecebris, non tenentur communiter pro tribunali sacro accusare se de gula, sufficit si se accusent de scelere, in quod pertraxit amor aqualiculi.

40 Apparet II. Verum esse, quod dixi *num.* 31. scilicet omnem illum, qui uno trium modorum, id est, vel expressè, vel interpretativè ponit ultimum finem in gula, peccare quidem in gula, non tamen semper mortaliter intra limites gulæ, aut solius gulæ.

SECTIO II.

De speciebus Gulæ?

SVBSECTIO I.

Enumerantur, & generatim explicantur species Gulæ.

SUMMARIUM.

Enumerantur quinque species Gulæ. 41.
Quæ sit ratio eas constituendi? 43.
Vtrùm peccata omnia, quæ committuntur per Gulam, spectent ad unam, ex his, quinque speciebus? 46.
Ad quam spectet peccatum edentis carnem die vetito. 47.
Et quando quid comeditur ante Sacram Communionem? 48.
Aut quando editur in loco sacro? 49.
An circumstantia loci constituat propriam speciem Gulæ? 50.
Ad quam speciem Gulæ referatur esus carnium humanarum? 51.
An vulgo dictæ quinque species Gulæ sint propriè species, an potiùs circumstantiæ Gulæ? 52.

41 QUæres I. *Quot sint species, aut modi, quibus peccatum Gulæ solet committi?*

RESP. S. Gregorius *Lib.* 31. *Moral. c.* 27. ita respondet: *Quinque modis gulæ vitium tentat: aliquando namque indigentiæ tempora prævenit, aliquando lautiores cibos quærit, aliquando quæ sumenda sunt, accuratius præparari appetit, aliquando in ipsa quantitate sumendi, mensuram necessitatis excedit, aliquando in ipso æstu immensi desiderii peccat.* Hanc S. Gregorii responsionem approbat S. Thom. 2. 2. *q.* 148. *a.* 4. ac prædictos quinque modos comprehendit hoc versu:

Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

42 Itaque, utroque horum duorum SS. Doctorum arbitro, peccatur per gulam, aut præveniendo debitum refectionis tempus; aut vescendo cibis, qui pro qualitate personæ, temporum &c. nimis pretiosi sint, aut onerando stomachum nimio cibatu, aut tuburcinando, id est, prægrandes, vel non mansos bolos glutiendo, aut denique cibis nimis exquisitè conditis utendo.

43 Quæres II. *Quæ sit ratio constituendi hos quinque modos, aut species?*

RESP. A Cajet. *in* 2. 2. *q.* 148. *a.* 4. Lessio *Lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 8. Baldello *Lib.* 3. *disp.* 27. adferri hanc, quòd scilicet excessus gulæ spectari possit, vel circa ipsum cibum, qui huic homini non congruit, vel circa sumptionem ipsius cibi. Circa ipsum cibum, vel ratione substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis.

44 Ratione substantiæ est excessus, quando appetuntur cibi pretiosiores, quàm conveniat statui; ut si Religiosus non vellet vesci nisi perdicibus, phasianis, murenis &c. talis viveret nimis lautè. Ratione quantitatis, cùm quis plùs comedit, quàm regula temperantiæ permittat. Ratione qualitatis, ut si quis fastidiat cibos, qui non sunt conditi sæcaro, aromatibus &c. Ille nimis, iste studiosè comedere dicitur.

Circa ipsam sumptionem cibi, alioquin nulla mala circumstantia vitiati, potest esse excessus, vel ratione modi, ut si quis instar ciconiæ cibos non masticatos voret, vel ratione temporis, debitum tempus præveniendo, vel etiam sæpius, quàm docet edendo. Primus ardenter, secundus præpropere edit.

45 Quæres III. *Vtrùm hæc ratio explicandi istos quinque modos sit ab omnibus recepta?*

RESP. A plerisque quidem, non tamen ab omnibus, siquidem Joannes Sanchez *in select. disp.* 23. *n.* 14. aliter illos explicat, ut in singulorum expositione referam.

46 Quæres IV. *Vtrùm omnia peccata, quæ per Gulam committuntur, spectent ad unam ex his quinque speciebus, aut modis?*

RESP. Asserit spectare, & contra Martinum de Magistris latè defendit Cajetanus *cit. a.* 4. consentientibus Lessio, Baldello, & aliis.

47 Quæres V. *Ad quam ergo speciem gulæ refertur peccatum, quod admittitur edendo carnes die vetito?*

RESP. Ad circumstantiam *lautè* juxta Cajetanum,

tanum, ad circumstantiam *præpropere* juxta Lessium & Sylvium 2. 2. *q.* 148. *a.* 4.

48 Quæres VI. *An peccetur peccato gulæ comedendo quidpiam ante Sacram Communionem?*

RESP. Non admitti peccatum gulæ, sed solius sacrilegii, testibus Sylvio, Lessio, Baldello, non enim ex motivo temperantiæ, sed Religionis est tunc vetita sumptio cibi.

49 *Quid si in loco sacro comedam?* Si id facias affectu gulæ, ut quia non potes expectare, donec domum veneris, edis *præpropere* vel *ardenter* secundùm citatos. Vide plura hanc in rem infrà *cap.* 48.

50 Quæres VII. *An non ipsa loci circumstantia constituat speciem propriam gulæ?*

RESP. Negant rectè citati, eò quòd non inducat inordinationem contra abstinentiam, sed contra Religionem, aut modestiam. Certè circumstantia loci sacri, aut profani tamparùm videtur facere ad rationem gulæ, quàm faciat ad rationem verbi injuriosi, & contumelioſi. Et notat Laymannus *Lib.* 4. *Tract.* 10. *cap.* 7. *n.* 10. plerumque esse tantùm venialem noxam, edere in loco sacro.

51 Quæres VIII. *Sub qua harum specierum contineantur peccata, quæ admittuntur edendo carnes humanas, cibos non destinatos humanæ nutritioni, aut noxios?*

RESP. Vesci carnibus humanis, inquit P. Lessius conformiter Aristoteli *Lib.* 7. *Ethic. cap.* 5. non est tam vitium gulæ humanæ, quàm feritas belluina, prava consuetudine contracta, vel affectio morbida, aut belluinæ naturæ constitutio.

Silvius *loc. cit.* ait, hoc peccatum, uti & illud, quod fit, dum eduntur res, humano esui ineptæ, referri ad circumstantiam vel *lautè*, vel *ardenter*, vel *studiosè*. De cibis noxiis dicit uterque hic Author, per illorum sumptionem non peccari contra abstinentiam, quod tamen asserit Joannes Sancius *disp.* 2.

52 Quæres IX. *Vtrùm illæ quinque species gulæ sint propriè species, an verò solùm circumstantiæ accidentales gulæ?*

RESP. S. Gregorius vocat modos, S. Thomas *loc. cit.* & Antoninus *Part.* 2. *Tit.* 6. *cap.* 1. §. 4. species; & esse propriè species contendit Baldellus *disp.* 24. *n.* 7. post Cajet. *in cit. a.* 4. Negant alii teste Azor *Part.* 1. *Lib.* 4. *cap.* 18. quibus ipse omnino assentiri videtur. Et verò videtur non posse negari, quin hæ circumstantiæ magis afficiant vitium gulæ, & consequenter illud intra suammet naturam magis diversificent, quàm quando quis pecunias præpropère, ardenter, & studiosè colligit, vel prodigit.

53

54 Accedit ratio, quam SS. Thomas, & Antoninus *ll. cc.* adferunt, quòd scilicet corruptio diversarum circumstantiarum faciat diversas species gulæ propter diversa motiva; in eo enim, qui quærit lautos cibos, excitatur concupiscentia ex ipsa specie cibi, in eo verò, qui præoccupat tempus, deordinatur concupiscentia propter impatientiam moræ, & idem patet in aliis. Ita S. Thomas. Ego non juberem repeti illam Confessionem, in qua non fuissent illæ species distinctæ, quia non est jubenda reiterari Confessio, nisi manifesta ratio urgeat, qualis quidem hic non urget.

SVBSECTIO II.

Quomodo peccetur edendo præpropere?

SUMMARIUM.

Quomodo scriptores explicent communiter illam speciem gulæ, qua peccatur edendo præpropere? 55.
Quomodo Ioannes Sanchez singulariter, & contra alios explicet? 57.
Quodnam tempus sit comestioni congruum ex mente Medicorum? 58.
Quid censendum de solitis bibere tribus, aut quatuor horis à prandio? 59.
Sitne peccatum comedere summo mane? 60.
An pueri adferant sufficientem materiam absolutionis, quando confitentur, se comedisse in lecto, vel priusquam essent vestiti? 61.
An rustici, quando fatentur, se die Dominicæ edisse ante sacrum? 62.
Quomodo intelligenda illa sententia Salomonis: Væ tibi terra &c. *cujus principes manè comedunt?* 63.
Particula Væ *non significat semper interminationem æternæ damnationis.* 64.
An contra hanc speciem peccet edens sæpius de die? 65.
Describuntur duo antiqui versus, de comedentibus sæpius in die. 66.
Quomodo Prisci appellârint edentes sæpius de die? 67.
Ob quas causas liceat de die edere ter, quaterve? 69. & 73.
Temperantia est ignobilior cæteris virtutibus Cardinalibus. 71.

55 QUæres I. *Quomodo particulam præpropere explicent scriptores?*

RESP. S. Gregorius, ut patet ex verbis suprà relatis, censet, tunc delinqui manducando *præpropere*, quando quis tempora indigentiæ prævenit. S. Thom. ut retuli in *calce præced. subsect.* dicit, illum peccare edendo præpropere, cujus concupiscentia deordinatur proper impatientiam moræ.

56 S. Antoninus *cit. cap.* 1. §. 9. docet, illum circa circumstantiam temporis peccare, qui extra horam statutam, vel consuetam, comedit sine causa urgente. Cajetanus ait, te perinde delinquere, sive prævenias tempus in ordine ad exigentiam naturæ, sive ad prohibitionem

Ecclesiæ, Lessius *Lib.4. cap.3. n.4.* pronuntiat, delinqui hoc primo modo, vel quando debitum tempus prævenitur, vel quando sæpius, quàm deceat, comeditur, seu quando nimis indebitè prævenitur tempus, ut loquitur Baldel. *cit. Lib.3. disp.27. n 3.* seu quando congruum tempus prævenitur, ut ait Sylvius in *q.148. a 4.*

57 At verò Joannes Sancius *disp.2. n.14.* non agnoscit peccari mortaliter contra temperantiam edendo præproperè, nisi quando quis tempore jejunii ante horam consuetam comedit, aut quando edit citiùs, quàm ex voto, aut pœnitentia deberet. Unde secundùm hunc authorem tempus congruum citra violationem temperantiæ edendi, est omne illud, quo non prævenitur hora, comestioni ex voto, aut aliquo præcepto destinata.

58 Medici ajunt, illud tempus esse congruum comestioni, quo cibi jam sunt probè inventriculo digesti, & in membra diditi. Et verò videtur esse quoddam genus intemperantiæ comedere priùs, quàm cibus jam sit digestus, quandoquidem id non parùm obest valetudini, parit enim cruditates, & facit, ut particulæ ciborum nondum subactorum, mixtæ jam digestis, deferantur ad varias partes corporis, & vertantur in putrem sanguinem.

59 Dices: *Quid ergo censendum de illis literarum studiosis, qui cùm hora undecima, vel meridie surrexerunt è prandio, statim hora tertia duos vini, aut cerevisiæ cyathos hauriunt, non sine panis vehiculo?*

RESP. Multos ex iis malè sibi ipsis consulere; sæpe tamen aliquid ejusmodi faciunt, quia alioquin non sunt pares prosequendis suis laboribus. Et licet hoc intempestivo potu nihilominus valetudinem sensim sine sensu lædant, non tamen contra leges temperantiæ peccant, quia necessitas officiorum, de qua cum S. Augustino locutus sum *cap.18. n.42.* iis patrocinatur. Plura in horum, & similium patrocinium dicam in decursu.

60 Quæres II. *Sitne peccatum comedere summo mane?*

RESP. Nullum per se loquendo, quia nulla lex naturalis, divinalis, aut humanalis, ut non semel loquitur S. Antoninus *cit. Tit.6.* id vetat. At: *An priusquam sint lotæ manus?* Resp. *Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem*, inquit supremus legislator Christus, *Matth. 15.*

An priusquam sit integre quis vestitus? Resp. Nec hoc est per se peccatum. *An saltem priusquam surrexerit quis?* Etiam hic non reperio ullam per se loquendo, inordinationem, multò minus reperiet Joannes Sancius.

61 Quæres igitur III. *An non adferant sufficientem materiam absolutionis pueri, dum confitentur, se in lecto, aut priusquam essent vestiti, loti, vel adgeniculati, comedisse?*

RESP. Per se loquendo non adferunt, nisi (quod tamen rarò fit) multùm edant, statim ubi evigilârunt, tunc enim stomachus, calore in membra exteriora diffuso, non est dispositus ad multi cibi concoctionem; quare nutrices errant, dum puerulis, mox ut excitati sunt, mammas, aut pultes porrigunt. Communiter tamen peccantà parte rei ejusmodi comedones, vel propter impatientiam moræ, ut loquar cum S. Thoma suprà relato, vel propter immodestiam, vel quia ex institutione paternâ, aut maternâ apprehendunt in ea actione aliquam malitiam. Ego talem puerum communiter non absolverem, nisi vel mihi explicaret, quid peccati tunc apprehenderit vel aliam insuper materiam certam adderet.

Quæres IV. *Quid sit dicendum de rusticis,* 62
quando confitentur, se die Dominica comedisse, priusquam templum adirent?

RESP. Plerumque solent ejusmodi homines perparum comedere, & quidem ad stomachum confortandum; quare soleo iis dicere: Non est peccatum comedere tali tempore parum quid ad roborandum stomachum. Et quamvis ne quidem si multum comedatur, nondum audito Sacro, sit ullum per se peccatum, nisi quando ita multum editur, ut mentis elevatio ad Deum impediatur, juxta vulgarem paræmiam: *Plenus venter, non orat libenter*; attamen hanc Theologiam non oportet obtrudere cuivis agresti, ne eam practicet cum murmuratione, & scandalo familiæ. Potius observetur, S. Antoninum *cit. cap.1. §.9.* rectè scripsisse, nimis indevotos esse, qui de mane surgentes de lecto subitò volunt comedere, & bibere, & præcipuè in diebus festivis. Plura de licita vel illicita sumptione cibi, aut potûs ante auditionem sacri, dixi ex instituto in Experientiis Theologicis *Tract.5. Cas.19.* Ubi etiam retuli factum S. V Valerici Abbatis.

Quæres V. *Quomodo intelligenda, & cum su-* 63
perioribus doctrinis concordanda sit illa Salomonis sententia: Væ tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes manè comedunt. *Eccles.* 10. *v.16.*

RESP. Sensus est, illam terram, Regnum, aut Provinciam perituram, quæ habet Regem, seu Principem, cujus Ministri, & Consiliarii, vel toto die, incipientes à primo mane comessantur, vel certè matutinum tempus, quod expediendis negotiis aptissimum est, impendunt, & consecrant gulæ lenociniis, ut videre est apud P. Joannem Pinedam in comment. illius loci. Itaque non reprehenduntur hic absolutè illi, qui manè aliquid comedunt, sed matutini epulones, & popinones, qui immemores illius moniti divini: *Iudicate manè iudicium, Ieremiæ 21. v.12.* helluari incipiunt, dum adhuc ferè calent è plumis.

Nec interjectio *Væ* absolutè significat pœ- 64
næ

næ æternæ comminationem, quamvis ut sapienter monet S. Gregorius *Homil.9. in Ezech.* sæpius solet accipi de æterno luctu, quàm de præsenti. Vide Pinedam *Ibid.n.9.*

65 Quæres VI. *Peccétne peccato hujus primæ speciei, qui de die sæpius edit?*

RESP. Si absque rationabili causa sæpius quàm bis de die cibum sumat, illum hac specie peccati delinquere ait S. Antoninus *cit.* §.9. & adfert rationem: *qui enim pluries (quàm bis) comedunt in die, ut animalia bruta sunt, nec sanè vivere possunt, cùm ponant indigestum super indigestum, unde mali humores generantur, & etiam caput fumositatibus est gravatum, & malè aptum ad spiritualia.* Ita ille.

66 Quæres VII. *Quid censendum de illo veteri versu?*

Qui semel est, Deus est: homo, qui bis: bestia, qui ter.
Qui quater, dæmon: qui quinquies, est sua Mater.

RESP. Censendum est esse exactiùs ad Regulas Ethicas, quàm ad Poëticas, relatum à Joanne Keisersperg Concionatore Teutonico; revera enim, qui tantùm semel de die edit, sectatur vitam sublimiorem communi hominum vivendi modo, & more; qui verò non nisi bis de die reficit corpus, facit quod plerique homines ingenui. Qui ter sumit justam refectionem, de illo communiter cum hoc Poëta, & S. Antonino antè relato dico, esse similem bestiæ, quia suo appetitui obsequitur absque ratione, nam in plerisque hominibus non exercentibus opificia laboriosa, non reperitur justa ratio sumendi ternam de die justam
67 refectionem. Unde illos, qui de die esitabant, Comessatores, mensarum voragines, & vomitores appellaverunt antiqui, ut videre est apud P. Lælium Bisciolam *in horis subsecivis* & alios,
68 quos refert P. Pineda *n.21.* Quòd si quis quater etiam de die ventrem cibis farciat, tum est bestiâ deterior, deterrimus autem, si quinquies. Nam S. Clemens Alexandrinus *Lib.2. Pædag. cap.1.* sub finem asserit, gulosis hominibus præesse dæmonem, dæmonum omnium pessimum, & pernicio sissimum, quem ipse vocat *Ventridæmonem.*

69 Quæres VIII. *Quæ sint causæ rationabiles ob quas sæpius, quàm bis licet comedere absque vitio gulæ?*

RESP. S. Antoninus *loc.cit.* adfert duas, scilicet magnum laborem, & ætatem puerilem. Et clarum est, sæpe non posse tolerari labores, nisi sæpius de die vires cibo, potúque restau-
70 rentur. Nec obest, quòd videatur illa tam frequens ingestio cibi nocere valetudini; in primis enim crebrò fit, ut nocumentum, quod cæteroquin eveniret, impediatur per ipsum laborem corporalem. Deinde majus incommodum sequeretur, si fine tam frequenti refocillatione corpus, aut caput debile applicaretur labori.

Denique cùm una virtus debeat alteri servire, S. Thomas *1.2. q.65. a.1.* & minor majori cedere, sitque temperantia ignobilior cæteris Cardinalibus virtutibus S. Thomas *2.2. q.142. a.8. in C.* non peccat contra Regulam temperantiæ, qui aliquantum lædit valetudinem edendo, quando aliter nequit facilè exerceri opus alterius virtutis; siquidem Regula temperantiæ spectatur, non solùm secundùm necessitatem valetudinis, sed etiam, & maximè, officiorum, ut ex SS. Augustino, & Thoma retuli *cap.18. n.42.*

Ad ætatem puerilem quod attinet, clarum 72
est, pueros indigere frequentiore alimento, ut crescant, & nominatim jentaculum eis debetur ex jure, seu more antiquo, cujus locuples testis est Martialis, dum *Lib.14. Epigr. ult.* ita canit.

Surgite, jam vendit pueri jentacula pistor.

Quæres IX. *Vtrùm non adsint insuper aliæ ju-* 73
stæ causæ, ob quas sit fas comedere de die sæpius, quàm bis?

RESP. Etsi S. Antoninus non videatur alias præter duas numeratas agnoscere, attamen quia S. Thomas *cit. q.142. a.6.* rectissimè asserit, Regulam temperantiæ esse necessitatem, etiam sine qua non potest homo vivere juxta convenientiam honestatis, habita ratione loci, temporis, & congruentiæ eorum, quibus convivitur, ideo sunt haud dubiè aliæ adhuc causæ justificantes frequentiorem sumptionem cibi, scilicet hospitalitas, urbanitas, fuga singularitatis &c.

Ex his apparet, contra præceptum naturale 74
abstinentiæ non peccari facilè mortaliter, edendo; quamquam neque etiam in hoc casu directè agi contra abstinentiam, constat ex dictis *sect.1. n.20.* at contra præceptum Ecclesiasticum posse peccari, tum edendo nimis sæpe in die jejunii, tum secundùm multos, præveniendo horam prandii consuetam die jejunii, constat aliunde.

SVBSECTIO III.

Quomodo peccetur comedendo lautè?

SUMMARIUM.

Quomodo Doctores explicent communiter adverbium: lautè: 75.
Quomodo Ioannes Sanchez? Ibid.
Etiam vitulina caro accensetur à S. Antonino ciba delicatis. 76.
Pretiositas ciborum unde desumenda? 77. *& seqq.*

Non taxandi Religiosi vescentes cibis delicatis, qui offeruntur iis. 79.
Nec per se loquendo plebeius, qui adhibitus ad mensam Dynastæ, edit potiùs è delicatis, quàm vulgaribus ferculis. 82.
Pulchra sententia S. Augustini de voracitate vilium ciborum. 83.
Quid scribat S. Antoninus de parentibus, qui liberos alunt cibis delicatis? 84.

75 QUæres I. *Quomodo DD. hoc adverbium Lautè explicent?*

RESP. S. Thomas 2. 2. *q.* 148. *a.* 4. *in C.* per cibos lautos intelligit pretiosos, & addit, illum non circa qualitatem, sed circa substantiam cibi peccare, qui quærit cibos pretiosos. Ita etiam loquuntur Navarrus, Toletus, Lessius; qui, inquam, quærit nimis pretiosos spectata conditione status, ut rectè addit Lessius *cit. cap.* 3. *lib.* 4. S. Antoninus *cit. cap.* 1. § 6. & Sylvester per cibos lautos intelligunt delicatos. Joannes Sancius *cit. disp.* 2. *n.* 14. ita loquitur: [Lautè edendo non peccat quis ex gula, nisi perquisitione ciborum pretiosorum lædatur modestia, quærendo nimium illos cibos tanta solicitudine, & cura, ut in illis esse felicitatem ostendat.] Hæ explicationes sunt probabiles; prima, à qua non differt Antoniniana, est communi sensui, & judicio hominum, etiam DD. conformior.

76 Quæres I. *Quinam ab his DD. annumerentur cibis pretiosis, seu delicatis?*

RESP. S. Antoninus *loc. cit.* ita loquitur: [*Secunda species gulæ est comedere cibos nimis delicatos propter delectationem, ut capones, phasianos, carnes vitulinas, lampredas, sturiones, & hujusmodi; vina solemnia, ut Malvaticum, Vernatium, Græcum, Trabianum, & hujusmodi.*] Ita hic sanctus vir dapibus delicatis, & pretiosis accenset carnes vitulinas, quæ hodie toties in gulam etiam agrestem, ferè quotidie in plebeam descendunt.

77 Quæres III. *Verùm illa pretiositas sit attendenda respectu pecuniarum, quibus constant cibi, qui dicuntur pretiosi, an verò potiùs respectu ipsiusmet substantiæ cibi in se delicatæ, & ex se suaviter mulcentis gulam?*

RESP. Primum indicari tum à Cardinali Toleto, tum à Navarro; primus enim hanc secundam speciem explicat de cibis *supra modum pretiosis*; alter autem de comparatis *nimio sumptu.* Secundam expositionem indicat S. Thomas, & aliis plures.

78 Censeo, primam non esse à secunda excludendam, tum quia cibi ex se delicati solent magno constare; tum quia videtur esse contra abstinentiæ mediocritatem, facere valde magnos, & excessivos sumptus ad lenocinandum gulæ. Confirmo inde, quòd quo loco ficus, perdices, ficedulæ, lucii, truttæ &c. vilissimo pretio, ob ordinarias, vel extraordinarias circumstantias venduntur, nemo vulgarem civem gulosum nominet, præcisè idcirco, quòd talia comparet in suam sustentationem. Nec qui in Græcia, vinum Græcum, de quo loquitur Antoninus, vel in Athesia Vernaticum bibit, est reus ullius intemperantiæ, sicuti nec qui in Hispania bibit Petersimoni, ut vocant, aut in Burgundia Arbosiacum.

Unde non damnarem peccati RR. PP. Re- 79
formatos, Capucinos, & alios, ex quotidiana eleemosyna victitantes, si aliquot diebus nil aliud, quàm perdices, truttas, & alias id genus epulas in stipem donatas comederent. Et non modo illos optimos Summi Regis servos, non damnarem, sed optarem insuper ipsis frequenter aliquid de ejusmodi deliciis. Certè S. Thom. illos solos veluti nimis lautè victitantes culpat, qui quærunt, non autem qui oblatos edunt cibos pretiosos. Et P. Lessius *cit. cap.* 3. *num.* 2. sapienter scripsit in hunc modum. [Ratione substantiæ est excessus, cùm appetuntur cibi pretiosiores, quàm conveniat statui, ut si Religiosus contemptis aliis cibis nolit comedere nisi perdices, phasianos, ficedulas.]

Quando itaque in prædiis Religiosorum re- 80
peritur magna copia delicatorum altilium, aut piscium, Regula temperantiæ non imperat ipsis, ut omnia ejusmodi vendant, & viliora sibi coemant, nisi aliqua peculiaris ratio adsit. Nec votum, & professio paupertatis illos ad hoc obligat per se loquendo, quia votum paupertatis hoc solùm essentiale habet, quòd singulos Religiosos privet potestate res temporales pro lubitu, & independenter à voluntate superioris usurpandi. Doctores communiter ex S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *a.* 3. *in C.*

Quæres IV. *An Religiosus, aut plebeius ho-* 81
mo non agat contra Regulas temperantiæ, si adhibitus ad mensam alicujus Dynastæ carpat identidem ex dapibus delicatioribus, quæ ipsi offeruntur, cùm habeat vulgares, quibus famem exsaturet?

RESP. Neque tunc per se loquendo deprehendo ullam intemperantiam.

Nec obest, quòd fortè assidentes judicent, 82
talem libenter vesci bonis bolis. Nam hoc judicium nec est falsum, nec de objecto malo, quia non est malum, libenter frui pretiosis cibis, quando gratis, & sine ullo extrinseco incommodo habentur, usurpantúrque. Talis tamen Religiosus non canonizabitur, sed ponetur in numero tum minùs prudentium, utpote, qui non attendit ad illud: *Et observabant eum Luc.* 14. tum immortificatorum. Verùm aliud est peccare, aliud non exercere virtutis actus, ubi circumstantiæ suadent.

Cæterùm rectè observat S. Antoninus, si 83
quis utatur cibis delicatis propter infirmitatem, vel debilitatem hoc exigentem, vel generis nobilitatem, aut ob temporis congruitatem, ut in nuptiis, & conviviis discretis, posse id fieri absque peccato. Addo ego: absque propriè dicta imperfectione.

Sapientissimè quoque S. Augustinus *Lib.* 3. *De doctrina Christiana cap.* 12. ut refertur *cap.* 1. *dist.* 41. differit hunc in modum: *In omnibus talibus* (escis, & potibus) *non usus rerum, sed libido in culpa est; fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum olus ardescat; & sanius quisque maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticula, more Esau nepotis Abrahæ, aut hordeo more jumentorum, non enim propterea continentiores nobis sunt bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujusce modi rebus non ex earum natura rerum, quibus utimur, sed ex causa utendi, & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum est, quod facimus.* Hactenus S. Augustinus.

84 Quæres V. *Quid sentiendum de parentibus, qui suos liberos assuefaciunt eduliis delicatis?*

Respondet S. Antoninus *loc. cit.* illos in primis agere contra Legem Lycurgi, qui sanxit, adolescentulos, etiam nobiles ruri nutriendos esse cibis vilibus, & proinde laudabile esse, à pueritia etiam filios nobilium assuefacere cibis grossioribus, idque fecisse matrem Divi Bernardi erga filios suos nobiles, & divites. Deinde addit hæc verba: *Summè reprehensibile est, juvenculos ad tabernas accedere, pignolatas, confectiones, & alia gulosa comedere, Maluatica, & Græca bibere cum aliis juvenibus, cum istis enim Lambacitatibus,* (Germani Schlecketzeyen/ Galli Friandises dicimus) *inducuntur ad omnem turpitudinem Sodomiticam, & hujusmodi nimis inardescit in eis concupiscentia carnalis, sanguine in eis fervente, absque hoc, quòd ligna tanta ad augmentandam flammam apponantur.* Ita hic Sanctus, & planè doctus Doctor, sed ferè surdis loquens.

85 Hinc deduco, etsi per se loquendo, non sit peccatum, vesci epulis delicatis, & rarò satis peccatum mortale intemperantiæ per illarum usum committatur à Catholicis, omnem tamen, cui perfecta castitas est cordi, abstinere debere frequenti illarum usu. Addo & pulcherrimam Musonii apud Stobæum *Lib. De victu, serm.* 18. sententiam: *Etiamsi ex æquo tum pretiosus, tum vulgaris cibus corporis robur augerent, nihilominus vulgarem præferre conveniret, ut qui magis sobrius sit, magisque bonum virum deceat.*

SVBSECTIO IV.

Quo pacto peccetur edendo nimis?

SUMMARIUM.

Quandonam dicatur communiter quis edere nimis? 86.
Quomodo ex mente Ioannis Sanchez? 88.
An is omnis, qui plus edit, quàm absolutè sit necessarium ad obeunda officia? 89.
Qui peccet, qui tantum cibi ingerat, ut cogatur regerere per os? 90.
Quid si nimium cibum ideo revomat, ut alteri locum faciat? 92.
Sitne crimen lethale nimium edere? 93.

QUæres I. *Quandonam censeant DD. pec-* 86
cari edendo nimis?

RESP. S. Augustinus *Lib. De quæst. Evangel. c.* 11. sic loquitur: *Non interest omnino, quid alimentorum, vel quantum quis accipiat, dummodo id faciat pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate, sed quanta facilitate, vel severitate animi hoc valeat, cùm oportet, vel necesse est, carere.*

S. Anton. *cit. Part.* 2. *Tit.* 6. *cap.* 1. § 5. hoc 87
modo differit: De quantitate cibi, & potûs non potest dari una Regula omnibus secundùm eandem mensuram, sed plus, vel minus exigitur, secundùm varietatem complexionum, & fatigationum; unus etiam & idem indiget plus uno tempore, quàm alio. Unde Philosophus *in Lib. Ethic.* narrat de quodam fortissimo viro dicto Milone, qui comedebat solus aliquando unum bovem, nec erat gravatus stomachus, & alius, quia debilis erat, etiam de paucis buccellis panis gravabatur. Tantum ergo potest quis, & debet comedere & bibere, quantum credit se indigere ad sustentationem, & executionem eorum, quæ sibi incumbunt agenda, ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat.] Hucusque S. Antoninus, quem idcirco toties refero, & referam in explicatione harum quinque specierum gulæ, quia nullus omnino eorum Theologorum, quos vidi, accuratiùs illas explicat quàm ipse.

Joannes Sancius *loc. cit.* ait, nunquam ex 88
gula peccari edendo nimis, nisi saluti noceat. Lessius *cit. cap.* 3. *n.* 2. docet, illum censeri nimis comedere, qui plus comedit, quàm natura exigat; & meritò quidem addit, hoc vitium esse frequentissimum, sed nimis restrictè loquitur, tum quia hac in re attendendum est ad exigentiam non solius naturæ, sed etiam efficiorum, ut ex S. Augustino monui, tum quia, qui comedit ex sola delectatione, non peccat edendo nimis, ut fatetur ipse Lessius,

& tamen talis comedit plus, quàm exigat natura.

89 Quæres II. *Vtrùm omnis ille dicatur per se loquendo, edere, aut bibere nimis, qui famem, & sitim ita sedavit, ut possit dicere: etsi nil amplius dam, vel bibam, potero tamen optimè mea munera abire, & nihilominus adhuc aliquos bolos ingerit, vitrumque ebibit?*

RESP. Id asseri non potest, nisi aut omnes aut ferè omnes mortales velimus quotidiè condemnare de ingluvie. Igitur dicendum est, exigentiam naturæ, officiorum, & similium habere latitudinem, nec consistere in indivisibili, quandoquidem neque naturam ipsam, & valetudinem tenemur optimè conservare, neque nostra officia optimè obire sufficit, si mediocritatem quandam in his servemus. Nam etiam in secundis consistere honestum est, teste Tullio. Et utique amica amici invitatio sæpe dat justam causam paulò plus edendi, aut bibendi, quàm natura exigat; idque innuit S. Augustinus suprà.

90 Quæres III. quod quærunt omnes: *An scilicet peccet mortaliter, qui ex mera intemperantia ita multùm vorat, & haurit, ut revomere cogatur?*

RESP. I. Si non prævidit periculum secuturæ hujus fœditatis, vomitus non imputabitur ei in peccatum, esto revera peccarit venialiter, nimis multùm edendo. Ratio est, quia ut ostendi *cap. 9.* de essentia peccati mortalis est, ut fiat cum advertentia malitiæ gravis. Quare non est rusticis hominibus imponenda gravis pœnitentia, etsi magno cum dolore, aut rubore confiteantur, se fuisse coactos revomere, quod liberunt, vel ederunt, quia communiter non prævident, aut suspicantur ullum tale incommodum.

91 RESP. II. Etiamsi quis prævideat, secuturum vomitum ex nimia ingestione cibi, potúsque non tamen idcirco peccat mortaliter, ut contra Sylv. docent Cajetanus, Navarrus, Baldellus, Laymannus *Lib. 3. sect. 4. n. 2.* & alii communiùs. Ratio petitur ex S. Thom. *cit. q. 148. a. 2. in C.* quòd scilicet gula sit semper venialis, quando versatur solùm circa ea, quæ sunt ad finem. *Non autem, quo ad ipsum finem*, certum autem videtur, quòd inordinatio, & fœditas, de qua loquimur, non sit quoad finem, quia nemo illam, ut finem, ultimum amat.

92 Quæres IV. *Quidsi quispiam se cibo, potuque ingurgitet, moxque ideo revomat, ut alteri locum faciat?*

RESP. Hanc bestiam damnat Fernandez *in Exam. Part. 4. cap. 2. §. 6.* mortalis culpæ; P. Escobar *Tract. 2. Exam. 2. n. 23.* criminis gravis. ut & ego. Sicut autem Cajetanus alicubi obsetvat optimè, quando Doctores dicunt, hoc aut illud peccatum esse grave, non esse mox intelligendos de peccato mortali, ita ego P. Escobar intelligo solùm de peccato, quòd inter venialia sit grave. Equidem assentior Navarro *cap. 23. n. 119.* neganti, delinquere mortaliter, qui etiam data operâ per nimium esum procurat vomitum, non præfigens huic vomitioni intentionem ullam rationabilem.

Dices: *Quid si adsit intentio rationabilis?* Po- 93
terit res tota vacare culpa, quando quidem *cap. 18.* ostendi, etiam ebrietatem procuratam eo fine, ut quis ad sanitatem consequendam vomere possit, esse licitam.

Quæres V. *Vtrùm sit crimen lethale, nimis multùm comedere?*

RESP. Non est, nisi quis advertat suam valetudinem inde graviter læsum iri. Quare Phago ille, de quo Lycosthenes in Theatro vitæ humanæ *Vol. 1. Lib. 5.* scribit, non deliquit per se loquendo mortaliter, tametsi adeò vorax fuerit *ut vino die aprum ingentem, panes centum, agnum, vitulum, porcellum* in abdomen abdiderit. Sicut autem istum epulonem non absolutè reum ago de noxa mortali, ita maximè approbo illud, quod secundo loco inter documenta tuendæ valetudinis ponit Magnus Hippocrates: *Corpus cibis non satiare.* Lege, si placet Drexelium in Aloë *Lib. 1. cap. 5. §. 1.*

SVBSECTIO V.

Quomodo peccetur edendo, & bibendo ardenter?

SUMMARIUM.

Quomodo Doctores communiter exprimant ardorem edendi? 94.
Quomodo Ioannes Sanchez? 95.
Et S. Antoninus? 96.
An hoc peccatum committatur solum in cibis pretiosis? 98.
An hoc peccatum sit lethale? 99.

QUæres I. *Quomodo Doctores exponant ar-* 94
dorem edendi?

RESP. S. Gregorius, ut retuli *n. 41.* illum exponit per æstum immensi desiderii. S. Thomas *cit. q. 148. a. 4.* ait, illum ardenter comedere, qui non servat modum debitum. Lessius *cit. cap. 3. n. 2.* ita loquitur: Circa ipsam sumptionem cibi, potest esse excessus ratione modi, ut si quis voraciter comedat, cibos non mansos deglutiendo, ut faciant leones, & canes, hoc significat *ardenter.*]

Joannes Sanctus ita dixerit *cit. disp. 2.* Tunc 95
ardenter aliquis comedit, quando ex modo edendi læditur molestia dirigens gestus, & motus hominis, ut docet S. Thomas *q. 161. a. 2.* Est enim debitum, quòd quis non ita immodestè,

destè, & ardenter edat, quòd in Comestione suam fixisse felicitatem videatur, sive laudando nimis saporem cibi, sive motibus, & gestibus nimis affectuosè edendo. Quamobrem optimè S. Thomas, modestiam partem temperantiam non solùm quantitas cibi moderati, verùm etiam modus edendi pertineat.] Ita Sancius.

96 S. Antoninus *cit. Tit. 6. cap. 1. §. 8.* perbene in hunc modum philosophatur: [Quarta species gulæ est, nimis ardenter, seu nimia aviditate cibum, vel potum sumere, ad quod videtur pertinere, comedere nimis repaciter, & festinanter. Et licèt quidam habeant à naturali conditione, vel assuefactione, tamen & corpori nocent, quia non ita bene potest cibus digeri, quasi integer deglutitus, & minus bene ædificat. Hoc vitio Esau superatus propter unam escam, scilicet lentis edulium, vendidit primogenita sua, ut dicit Apostolus ad *Hebræos 12.* & fecit ex nimia aviditate illius edulii, parvi pendens ea pro tam vili pretio vendere.] Ita S. Antoninus, ex quo paulò pòst plura.

97 Quæres II. *Quis videatur optimè describisse turpitudinem hujus circumstantiæ?*

RESP. S. Clemens Alexandrinus *Lib. 2. pædag. cap. 1.* ut liquebit ex verbis, quæ referam *n. 243.*

98 Quæres III. *Vtrùm hoc peccatum committatur solùm in pretiosis cibis, an verò etiam in vilibus edulibus?*

RESP. Utique etiam in vilibus. Nam S. Antoninus verbis suprà relatis rectissimè subjunxit sequentia: *In hac specie gulæ ita peccatur vilissimis cibis sicut pretiosis; imò frequenter offendunt homines non facientes sibi conscientiam propter vilitatem cibi, & cum majore delectatione gulæ comedentur aliquando herbæ, fructus, cepæ, & hujusmodi, quàm carnes, non attendentes, quòd vitium gulæ in primis parentibus non fuit circa capones, & confectiones, sed in fructibus.* Repeto, quod *n. 105.* ex S. Augustino descripsi: *fieri potest, ut sine aliquo vitio voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma ardescat.*

99 Quæres IV. *Vtrùm comedere, aut bibere ardenter sit crimen lethale?*

RESP. Vix peccari unquam mortaliter edendo ardenter; quia licèt non parum noceat valetudini tuburcinari, seu bolos non mansos more ciconiarum in stomachum dejicere, vix tamen quisquam hoc nocumentum advertit. De potante ardenter alia est ratio, nam plurimi prævident, se ita perpetim affundendo, adire manifestum periculum temulentiæ, ut quando tres vini congios quis uno impetu epotat more illius novelli tricongii de quo Plinius *Lib. 14.*

SVBSECTIO VI.

Quomodo peccetur edendo, & bibendo studiosè?

SUMMARIUM.

Quomodo auctores explicent studiositatem edendi-bibendique? 100.
Et quomodo Ioannes Sanchez? 101.
Sine per se peccatum condire cibos modis exquisitis? 102. *& seqq.*
Quomodo peccetur cibis exquisitè præparatis? 105.
Sensus Sanctorum Patrum de comedentibus semper cibos exquisitos. 109.
An peccetur vescendo cibis malè coctis? 111.
Quid censendum de Sanctis, qui fuerunt usi talibus? 112.

QUæres I. *Quomodo Authores edendi, biben-* 100
dique studiositatem explicent?

RESP. S. Gregorius relatus *n. 41.* sic exponit: Quando præsumenda sunt, præparari accuratiùs appetimus. Sic etiam S. Thomas. S. Antoninus *cit. cap. 1. §. 7.* constituens istam studiositatem pro tertia specie gulæ ita disserit: [Tertia species gulæ est, ponere nimis de tempore, & cura ad præparandum cibos, ut magis delectent, puta, ut sint variati, assati, lixi, cum aromatibus, cum saporibus, & hujusmodi. Et in hoc præcipuè solent delinquere divites, & Prælati Ecclesiæ. Unde Alanus in planctu naturæ ait: *Hodie gulæ vitium se profundiùs prorigit in Domnos, & Prælatos, qui salmones, lucios, cæterosque pisces æquipollenti generositate insignes variis decoctionem creaciant Martyriis, balneantes officie sacri piperis fonte Baptizant, ut multiformem saporis gratiam consequantur. Alius minestrorum contundit, colat alius, & conficit; alius substantiam vertit in accidens, naturam mutat in artem, ut saturitas transeat in esurientem.*] Hactenus verba S. Antonini.

Joannes Sancius *cit. disp. 2. n. 14.* semper si- 101
bi similis ita loquitur: [Studiosè cibos nimis accuratè præparatos quærens, solùm peccat ex gula, quando perquisitione læditur modestia, quærendo tanta sollicitudine, ut in illis felicitatem esse ostendat; dissonum namque rationi est, aliquem ostendere, se magis deliciis corporis deditum esse, quàm animæ curæ.] Cæteri authores loquuntur ut S. Thomas.

Quæres II. *Sine per se peccatum, cibos exqui-* 102
sito modo condire?

RESP. Id insinuant verba trium Sanctorum, quos nominavi. Negat apertè Joannes Sancius, negat in his ipsis terminis Pasqualigus *in Praxi Ieiun. decis. 13.* negant consequenter illi

omnes, qui inficiantur esse per se peccatum, quærere voluptatem, & delectationem in cibis, ut retuli *cap.* 1. Ego, sicuti citato *cap.* 1. *n.*88. dixi olim, opinionem asserentem, esse peccatum, quærere delectationem in cibis, & potibus, præstare quidem authoritate, non tamen (quantum assequor) ratione, ita etiam consequenter asserui hoc loco, si sola ratione agatur, videri credibiliùs, quòd per se loquendo non peccet, qui exquisito modo condiri cibos præcipit, & ita conditos edit, esto non
103 referat ad finem altiorem. Rationem cum Pasqualigo hanc attuli, quia scilicet condimentum est propter naturalem perfectionem gustûs, omnis enim potentia perficitur per suum naturalem actum, & objectum, & quo objectum, & actus perfectiori modo se habent, magis ipsa perficitur; consequenter potentia gustativa magis perficietur per cibum, & gustationem perfectiorem, ut contingit, quando cibi sunt exquisito modo conditi.

104 Cùm verò inclinatio naturalis potentiæ sit secundùm exigentiam naturæ rationalis, & consequenter conformis Regulis rectæ rationis, ideo ulteriùs infert, docétque Pasqualigus, & illam esse honestam, & consequenter actus ipsius, & quidquid ordinatur ad perficiendam potentiam secundùm suam inclinationem, ut sunt cibi exquisiti, ideóque quodcunque curiosum condimentum, & exquisitum, esse de se honestum, neque secundùm se esse objectum peccati. Ita ille, cui tamen etiam idcirco non integre assentior, quòd non omnis inclinatio naturalis potentiæ sit jam conformis rectæ rationi, cùm *homo sit in deterius commutatus.* Concil. Arausic. *Can.* 2. & videam *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, Rom.*7.

105 Quæres III. *Quomodo igitur peccetur utendo cibis exquisitè præparatis?*

RESP. In primis certum esse, quòd non peccetur, si cibis adhibeatur condimentum moderatum, nam tale condimentum ordinatur ad ponendam debitam proportionem inter gustum, gustúsque objectum, quæ proportio est quædam proportio constituens debitum ordinem rerum, & proinde est secundùm Regulas rectæ rationis, ut rectè Pasqualigus, inde hoc confirmans, quòd Deus quædam aromata creaverit ad cibos condiendos.

106 RESP. Deinde, per condimentum plusquam moderatum, seu valde exquisitum peccari, tum quandoque contra modestiam, illo modo, quo explicat Sancius, tum etiam contra charitatem propriam, si lædatur valetudo ejusmodi deliciis, ut verè solet lædi, præsertim utendo magna copia saccari, aliorúmque dulcium condimentorum, partim modò contra hanc, modò contra aliam virtutem. Illa tamen peccata sunt planè per accidens conjuncta cum usu exquisitorum condimentorum.

Objicies: Condimentum plusquam mode- 107
ratum continet excessum supra mediocritatem, adeóque est ex se objectum peccati; atqui paulò antè dixi, condimentum exquisitum, esse plusquam moderatum, ergo hoc ipso dixi, illud esse objectum peccati.

RESP. Hoc argumentum laborare æquivocatione. Nam condimentum exquisitum ideo dicitur esse plusquam moderatum, quia superat condimenta, quæ communiter solent adhiberi, seu quæ solent vocari condimenta non excellentia, non magna &c. utique autem superare condimenta non excellentia, non est per se objectum malum.

Addo tamen, meritò à sanctis Patribus pas- 108
sim reprehendi illos, qui perpetuò pascunt gulam cibis exquisitè conditis, ut enim scribit S. Nilus *in Lib. Ascet. Suavitas condimentorum tanquam machina bellica prosternit munimenta jam à virtute constructa.* S. Bernardus *Serm.*24. *ad sororem* fert hanc sententiam: *Sicut per abstinentiam omnes virtutes spirituales radicantur, atque ædificantur in anima, ita per suavitatem ciborum omnia vitia nutriuntur, & confortantur in corpore.* Et certè si vera est sententia, 109
quam absolutè profert ibidem idem Sanctus Pater, dum ait: *ubi venter est cibis repletus, ibi est ignis luxuriæ accensus,* tum graviter periclitatur illorum castitas, qui frequenter cibis pretiosis, aut dapsiliter paratis vescuntur, cùm enim id faciant, ut palato lenocinentur, haud dubiè frequentissimè suum ventrem ejusmodi cupediis sabburant, ut cum Comico loquar.

Unde concludo, etsi per se loquendo, non 110
sit peccatum vesci cibis arte singulari paratis, attamen illos præcipuè, qui exquisitiores cibos, quàm eorum status conditio permittit, sibi frequenter parari curant, non esse immunes ab uno, aut pluribus peccatis, quæ ab hac specie gulæ, tanquam à causa finali, vel efficiente ortum habent. Et hoc voluere illi Sancti, qui peccati damnârunt victitantes cibis, studiosè, & opiparè præparatis.

Quæres IV. *Verùm sit peccatum vesci cibis* 111
malè conditis?

RESP. Sanctus Antoninus *cit.* §.7. ita respondet: Sumere cibos immundos, & sine congruente præparatione, vitiosum est, pertinens ad vitium gulæ, vel insensibilitatis. Unde Hieronymus: *Nec affectatæ sordes: nec exquisitæ deliciæ laudem pariunt.*

At: *Nònne multi Sancti, ut nominatim Sera-* 112
phicus ille Franciscus, ipsum etiam panem cineribus asperserunt? Nònne plurimi piaculi loco duxerunt, lactucis quidquam condimenti adhibere? Respondet S. Antoninus, talia opera non fuisse in se laudabilia, proinde non esse imitabilia,

lia, nisi iis, qui à Deo inspirantur, sicuti illi sancti fuerunt inspirati, idcirco ut abstinentes ab omni delectatione corporali, redderentur magis apti ad delectationes spirituales, & affectum erga divina.

SVBSECTIO VII.

An, & quando oporteat explicatas quinque species Gulæ exprimere in Confessione?

SUMMARIUM.

Quandonam oporteat in Confessione exprimere quinque species gulæ? 113.
Raro fit, ut spectato jure naturæ contrahatur specialis malitia gulæ, vescendo escis naturalibus. Ibid.
Solvitur argumentum in contrarium. 114.

113 AD propositam quæstionem breviter respondeo, tunc semper, & solùm illas species exprimendas esse, quando quis mortaliter peccavit propter eas, ponendo in iis ultimum finem, ut quando quis specialiter gaudet, se cibos lautos habere, quemadmodum explicat P. Baldellus; si videlicet istud gaudium sit de speciali hac circumstantia tanquam fine ultimo, sicuti de ipsa gula in genere explicavi *n.*31. Unde apparet, rarò fieri, ut quis spectato solo jure naturæ contrahat specialem malitiam alicujus ex his circumstantiis, seu speciebus; attento quippe solo jure naturæ non est per se loquendo ullum aut tempus, quo sub mortali teneamur non comedere, aut cibus (excipio carnes humanas, & cætera, de quibus infrà) vel condimentum, quo sub mortali teneamur abstinere.

114 Nec obstat, quòd ratio naturalis dictet, præcipiátque, ut servetur in sumendo cibo certum tempus, quantitas, qualitas, si id necessarium sit ad conservandam valetudinem. Nam peccat quidem mortaliter, qui contra hoc præceptum agit; at secundùm Lessium, Baldellum, & alios contra solam charitatem, non autem contra temperantiam. Et quamvis peccet contra temperantiam, rarò tamen ita apprehenduntur formalia motiva istarum specierum, ut necessarium est ad diversa specie peccata committenda.

115 Unde qui valetudinem læsit ingluvie, non est communiter opus, ut in Confessione dicat, quo istorum quinque modorum læserit, sufficit si dicat: *valetudinem graviter læsi per gulam.* Quòd si omissa gulæ mentione absolutè diceret: *Valetudinem graviter, & culpabiliter læsi*, foret etiam hæc Confessio sufficiens; quandoquidem læsio valetudinis secuta ex gula, non adversatur abstinentiæ. *suprà n.*10. sed charitati propriæ. Et foret etiam sufficiens Confessio, si prævidens, gulam fore sibi occasionem gravis tentationis carnalis, quam superaturus non esset, confiteatur: *commisi me periculo proximo peccandi contra castitatem*: aut si reipsa castitatem violavit, dicat: *Castitatem violavi hoc, aut isto modo.* Subjicio tamen, non esse recedendum à communi praxi, qua in similibus eventis solet exprimi causa invaletudinis, tentationis &c. saltem ut Confessarius aptiorem pœnitentiam, medicinam, & admonitionem possit adhibere.

SECTIO III.

An, & quos cibos prohibeat lex naturæ?

SVBSECTIO I.

An lex naturalis vetet aliquos cibos tanquam immundos?

SUMMARIUM.

Nulli cibi sunt jure naturæ idcirco vetiti, quasi suapte natura animam inquinent. 116.
Cur nihilominus oremus, ut ab iis discedat virtus animi? 118.
Quantas clades animarum edant hæretici Præcones effingendo Catholicis ea, quæ hi extremè horrent? 120.
Referuntur nonnulla tetra mendacia illorum Præconum. 120. & 121.
Profuêre lesuitis illorum mendacia.

116 DICO I. Nulli cibi sunt jure naturæ vetiti ex eo titulo, quasi suapte natura sint immundi, seu suapte natura animam inquinent. Ita tenent omnes Catholici cum S. Augustino, cujus sententia *Lib.*30. contra Faustum Manichæum *cap.*5. notanda est; sic ipse de Christianis, & Manichæis testatur. [Christiani, inquit, non hæretici, sed Catholici edomandi corporis causa propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solùm à carnibus, verùm etiam à quibusdam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, sicut per quadragesimam ferè omnes &c.] Vos verò (Manichæi) ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quòd carnes diabolus operetur, fœculentiore materia mali, ac proinde eas, tanquam immundiora, & truculentiora Dei vestri vincula exhorrentes abjicitis.] Hactenus sententia, & verba hujus summi Doctoris. Unde

117 Unde meritò asserit P. Gregorius de Valentia *Tom. 3. disp. 9. q. 3. p. 2.* impudentem esse calumniam, qua Martinus Kemnitius Lutheranus nos Catholicos afficit, dum affirmat, nos à carnibus more Manichæorum abstinere, cùm non abstineamus, nisi ea ratione, quam S. Augustinus indicavit,

118 Nec obest, quòd carnes, & alia, ut dicam *n. 246. & 118.* benedicamus, petentes, ut ab iis discedat virtus inimici; non enim per hanc petitionem, & benedictionem significare volumus id, quod nobis impingit impostor Kemnitius, & proinde non petimus, ut carnes, & similia desinant esse in se mala, & immunda, sed ut eorum usus non sit nobis noxius, per aliquam diaboli technam, sed potiùs prosit corpori & animo, sicuti explicat Valentia *loc. cit.* Bellarm. *Lib. 2. De bonis operibus in particulari,* & Jacobus Gretserus *Lib. 1. De Benedict.*

119 Cæterùm occasione mendacissimæ calumniæ, qua nos Orthodoxos à Kemnitio improbissimè proscindi dixi, memoro id, quod usu discere cogimur, videlicet hæresin Lutheranã, Calvinianámq; majora incrementa accepisse à putidissimis mendaciis verbi buccinatorum, quàm à falsa interpretatione divinarum paginarum. Dici vix potest, quantam plebeis, atque nobilibus, fœminis juxta ac viris à nostra Religione aversionem, horrorem, abominationem ingenerent tum Tribunitiæ illæ conciones, quibus rabulæ illi in Catholicum nomen grassantur, dictitantes, à nobis revera divinum cultum adhiberi Sanctorum imaginibus, & Sanctis ipsis, essèque nos verè idololatras, cùm tamen noverint ipsi probissimè, improbi quamvis, esse nos ab hoc scelere longè alienissimos; tum spurcissimæ, scelestissimæque fabulæ, quas de Pontificibus Romanis, Cardinalibus, Clero, Monachis, Jesuitis comminiscuntur ipsi, vel ab aliis in auditorum, cætera non pessimorum aures ingerunt.

120 Quoties recoquitur, meritóque stomachantibus obtruditur illa rancida, olidáque crambe, de sex millibus infantium, quos ex sturpis, atque adulteriis genitos à Clericis piscator Gregorii II. repererit in piscina? Et recoquitur etiam postquam Catholici scriptores ad oculum demonstrárunt, literas illas S. Udalrici Episcopi Augustani ad Nicolaum Papam, quibus solis nititur ea fabulosissima fabula, esse confictas? Quandoquidem nullus Papa nomine Nicolaus fuit coævus S. Udalrico Episcopo. Ut proinde si scripsit Nicolao I. scripserit jam pridem mortuo, si Nicolao II. scripserit nondum nato, vel jam mortuus. Vide Bellarminum *Lib. 1. De Clericis. cap. 22.*

121 Quoties è Luthericolarum, Calvinistarúmque rostris audita est cum theatrali propemodum plausu illa funesta vox: Cardinalem Bellarminum tota urbe Roma inspectante cacodæmon abripuit in aëra, horrendéque vociferantem discerpsit in frusta? Repertâ mox in ejus conclavibus ingenti catervâ concubinarum, spuriorum. Lege Adamum Contzen in Secretis Societatis.

Occasione ejusdem calumniæ Kemnitianæ refero rem testatissimam, ac dignissimam, quæ fiat palam, atque in acta, ut verbis Juvenalis utar, referatur, videlicet multa nostræ Germaniæ Collegia Societatis experta esse à Suecicarum copiarum ductoribus, ea occupantibus abhinc Annos triginta, humanitatem tantam, quantam vix ab amicis expectare poteramus; inde autem profectam, quòd Præcones eorum tam fœdis coloribus depinxissent iis in Suecia Jesuitas, ac si hi non homines, sed hominum monstra forent; ubi autem iidem Tribuni, Centuriones &c. convixerunt Jesuitis diutius sanè, quàm his gratum erat, vel esse debebat, atque usu didicêre prorsus contraria illis, quæ pro rostris, seu exedris audiverant in solo patrio, non modo abiêre in sententiam omnino contrariam, sed insuper receperunt, se domum reduces exprobraturos suis pastoribus mendacitatem pluribus exemplis confutatam.

Verùm ne prolixior justo evadat nostra digressio, cujus occasionem, causámque dedit effrons calumnia Martini Kemnitii, de sexcentis falsitatibus convicti à Bellarmino, Gretsero, Tannero, probata pluribus Prædicantibus, ab iisdem ingesta in aures simplicis plebis, revertor eò, unde sum digressus. Itaque.

Dico II. Tametsi jure naturæ non sunt nobis ulli cibi interdicti, vel immundi, aliis tamen de causis, sequentibus sectionibus indicandis, quidam sunt interdicti. 122

SVBSECTIO II.

Sitne esus carnis humanæ licitus?

SUMMARIUM.

Est per se loquendo nefas vesci carnibus humanis. 123.

At non in extrema necessitate. 124.

Respondetur ad illud argumentum. Quæ sunt intrinsecè mala, nunquam sunt licita. 128.

Cur fuerit tam horribile visum, quòd Mater propriam prolem vorárit in obsidione Ierosolymitana? 127.

Vtrùm tenearis vesci carnibus humanis in extrema necessitate? 128.

Probabiliùs non teneris. 131.

An liceat reum capitis occidere eo solo fine, ut ejus

ejus carnes edantur in extrema necessitate? 132.

Refertur, & defenditur adversus Pasqualigum lex quædam Hispanica. 134.

An ob metum mortis intentatæ liceat edere carnes humanas? 137.

Casus horrificus circa esum carnis humanæ. 138.

123 QUæres I. *Vtrùm per se loquendo, & abstrahendo à necessitate extrema, vel non extrema, sit peccatum mortale vesci carnibus humanis?*

RESP. Non scio ullum, qui neget, quamvis dubiè loquatur Cajetanus 2.2. *q.* 148. *a.* 2. Rationes petentur ex dicendis tum *n. sequenti,* tum *n.* 141.

124 Quæres II. *Vtrùm vesci carnibus humanis sit ita mortale peccatum, ut ne quidem in extrema necessitate liceat iis vesci?*

Affirmant Victoria *Relect. De Temperantia n. 6.* Valentia *Tom. 3. disp. 9 q. 3. p. 1.* Azor *Part. 1. Lib. 7. cap. 22. quæst. 4.* Pasqualigus *in Praxi Ioan. decis. 11.* Probant I. Quia cibus hominis debet esse ignobilior homine, quandoquidem debet corrumpi propter hominis sustentationem. II. Quia si licet in extrema necessitate carnibus humanis vesci, tunc aderit obligatio vescendi illis, ad mortem evadendam; hoc autem est utique absurdum. III. Quæ sunt intrinsecè mala, nunquam sunt licita, ex quacunque necessitate, ut constat in mendacio; atqui vesci carnibus humanis est intrinsecè malum, ergo. Prima duo argumenta sunt Valentiæ, tertium Pasqualigi. Sed iis non obstantibus negant rectiùs hanc tam rigidam à carnibus humanis abstinendi obligationem, Cajetanus *loc. cit.* Navarrus *cap. 23. n. 122.* Lessius *cit. cap. 3. dub. 1.* Laym. *Lib. 3. sect. 4.* copiosè Dicastillo *disp. 3. dub. 9.* referens alios, fusissimè Baldellus *Lib. 3. Theolog. Moral. disp. 29.*

125 Ratio hæc fundamentalis est, quia argumenta contrariæ opinionis non sufficienter probant intentum, ergo non oportet asserere tantam obligationem conjunctam cum extrema perniciè non unius, sed plurium hominum. Antecedens probatur respondendo ad singula. Nam ad primum dicitur, illo utcunque probari, esse per se loquendo, seu absolutè indecens, & inconveniens, ut homo vescatur carnibus humanis, non tamen probari, quòd hæc indecentia habeat etiam locum in extrema necessitate, quandoquidem certum est, longè plurima absolutè, & extra necessitatem extremam esse inconvenientia, ac mortaliter, & quidem ex natura rei mala, quæ tamen in extrema necessitate sunt licita, juxta Regulam quartam *in 5. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum,* ut apparet tum in conjugio fratris & sororis, tum in patre vendente filium, tum in filio occidente patrem cum moderamine inculpatæ tutelæ, tum in voluntaria ebrietate &c. Quamquam ad illud primum argumentum potest etiam cum P. Dicastillo *n.* 83. dici, cadaver hominis occisi esse utique ignobilius homine illud comedente.

Ad secundum argumentum negatur sequela propter rationem adferendam paulò inferiùs. 126

Ad tertium dicitur, illam propositionem: *Quæ sunt intrinsecè mala, nunquam sunt licita ex quacunque necessitate,* vel esse absolutè falsam, quandoquidem illud rectissimè dicitur intrinsecè malum, quod jure naturali, & non solo positivo vetitum est; vel hoc modo distinguendam: Quæ sunt intrinsecè, id est, spectatis omnibus circumstantiis mala, nunquam sunt licita, concedo; quæ sunt intrinsecè, id est, ex propria natura, seu ex jure naturæ prohibita, & mala, illa non sunt unquam licita, nego propter instantias, quas primulùm insinuavi, & quibus longè plures afferri possent.

Dices: *Cur fuit tam horribile visum, quòd Mater aliqua suum filium in Hierosolymitana obsidione devoraverit, si nostra conclusio est vera?* 127

Respondeo cum Lessio *loc. cit. n.* 11. factum illius mulieris visum valde horribile, non quia cadaver hominis per se mortui comederat, sed quia oblita maternæ pietatis, proprium filium, ut comederet, occiderat, & reipsa jam dimidium devoraverat.

Quæres II. *Vtrùm adsit obligatio vescendi carnibus humanis in extrema necessitate?* 128

Putant Valentia, & Pasqualigus relati *suprà,* ita esse asserendum ab iis, qui affirmant, fas esse vesci istis cibis in extrema necessitate. Probat Pasqualigus, quia ratione naturalis præcepti conservandi propriam vitam, tenetur homo adhibere omnia media licita, & necessaria.

Miror, virum hunc uti argumento ejusmodi, quod, si verum esset, falsæ essent plurimæ doctrinæ in vera Theologia receptissimæ; ex. gr. quòd in naufragio liceat suam tabulam alteri, saltem qui Reipublicæ plus profuturus sit, porrigere; quòd miles sæpe licitè non deserat stationem cum evidenti mortis periculo, etsi posset salva conscientia deserere? quòd vel omnibus, vel certè pretiosissimis medicinis possit quis abstinere, etiam cum periculo mortis, & quòd nemo teneatur domicilium mutare ob vitæ conservationem, ut dixi *cap. 1. sect. 3.* Et quis S. Casimirum peccati damnet, quòd uxorem noluerit ducere, cùm tamen salva conscientia potuerit, & medici assererent, esse necessarium ad vitam conservandam? 129 130

Itaque respondeo cum Lessio, Baldello, Dicastil- 131

c stillo, Laymanno *ll. cc.* & aliis, hominem, etiam licitè possit vesci ejusmodi carnibus ad vitam conservandam, idcirco tamen non obligari, quòd, ut dixi *cap. præc. n.* 3. non teneamur vitam tueri, nisi mediis ordinariis. Excipe casum, quem adferam *n.* 136.

132 Quæres III. *Verùm liceat quempiam hominem eo solo fine occidere, ut ejus carnes devorentur?*

RESP. Negant id quidem generatim Doctores, quos inter Toletus *Lib. De septem peccatis mortalibus. cap.* 60. expressè dicit, in nullo casu licere hominem occidere eo fine, ut ejus
133 carnes in escam cedant. Mihi tamen probatur opinio, & discursus P. Joan. de Dicastillo *De Iur. & Iustit. cit. disp.* 3. *n.* 88. ita ratiocinantis: [In obsidionibus licebit carnibus vesci scilicet hominum interfectorum, imò, si ex parte obsessorum sic extremè indigentium sit bellum justum, licebit, si possint, hostes pugnando interficere, eorúmque vesci carnibus. Nam quamvis non liceat præcisè ad eum finem vescendi occidere, quando quis aliàs non habet jus occidendi alterum, quando tamen ex uno capite jus habet occidendi adversarium, & ex alio extrema necessitas vitam ruendi urget, non video, cur non liceat occidere, cùm neque tunc occidere sit malum, nec occiso vesci juxta dicta.] Et ita etiam sentit Lessius *citat. cap.* 3. *Lib.* 4. *De Iustit. & Iur. n.* 11.

134 Quæres IV. *Quid censendum de lege Hispanica, præcipiente, ut si arcis gubernator fame pressus non posset illam arcem tueri, nisi occidendo, & edendo suum proprium filium, illum edat?*

Respondet Pasqualigus *In Praxi Iejun. decis.* 12. hanc legem esse impiam, saperéque bar-
135 bariem antiquæ gentis Hispanæ. Et utique esset impia, si extaret talis lex; sed non credo extare; certè verba Hispanica legis, quam refert Pasqualigus, non loquuntur de filio occidendo, sed solùm de comedendo, nec præcipiunt comedi, sed dicunt *posse* comedi: *puede comer el hijo sin mala estancia.*

136 Dices: *Quid si ex arcis alicujus defensione penderet incolumitas Patriæ, aut Religionis Catholicæ? An non teneretur arcis Præfectus vesci carnibus humanis potiùs, quàm ob solam famem dedere arcem?* Resp. Teneretur. Nam tanti mali metus est causa valde urgens.

137 Quæres V. *Vtrùm ob metum mortis intentatæ liceat vesci carnibus humanis?*

Negat consequenter Pasqualigus *cit. decis.* 12. Asserit rectiùs Sanchez *Lib.* 1. *Moral. cap.* 18. *n.* 13. & Baldellus *Lib.* 3. *cit. disp.* 29. Ratio petetur ex dictis.

138 Quæres VI. *Quid judicandum de hoc*

Casu horrifico.

Cornelius extrema, rabidáque fame urgente effodit sepulchrum hominis jam ante biduum, & quidem ex peste mortui: membrum unum, alterumve resecat, coquit, & vorat, an absque immani piaculo id facit?

Non mirabitur Lector, hunc horrificum planè casum à me proponi, si crediderit mihi ex relatione viri fide dignissimi asserenti, contigisse Annis abhinc plus quadraginta, loco, in quo non semel fui, & quem hostilis obsidio ad famem Saguntina, imò Hierosolymitana deteriorem compulerat. Ferè consimilem Sancerræ in Biturigibus refert ex Thuano Famianus Strada *Histor. Belgic. Decad.* 1. *Lib.* 7. ad Annum 1573.

Et verò censeo una ex parte, Cornelium 139
non videri formaliter peccâsse, eò quòd credibile sit, illum fame rabida urgente, ita cæco impetu irruisse in cadaver illud, coctúmque comedisse, ut nullam, aut valde tenuem apprehensionem gravis peccati habuerit. Ex altera autem parte judico, Cornelium à parte rei deliquisse, dum voravit carnem illam, jam sanie manantem, ex cujus esu, vel certò, vel probabilissimè poterat timere promovendam mortem operatione phantasiæ.

Quamvis enim licitum sit, carne humana 140
vesci, quando certa spes est, illius esu vitam cæteroquin desperatam conservatum iri, non tamen videtur id esse licitum casu, quo ex tali cibo timetur probabiliter ipsa mors, & sumitur in circumstantiis adeò abominabilibus & bestialibus.

SVBSECTIO III.

Vtrùm extra necessitatem extremam liceat vesci carnibus humanis, aut in velut medicamento uti?

SUMMARIUM.

Non licet vesci carnibus humanis extra necessitatem extremam. 141.
Est tamen fas uti ipsis pro medicina. 143.
Refertur lepidus Casus de prægnante mordente brachium mariti. 144.
Discutitur ille casus. 145. & 146.
Non omne crimen bestiale, & contra naturam est peccatum mortale. 147.
Casus carnis excisæ ex brachio vivo pro medicina. 148.

Dico I.

141 DIco I. Nefas est carnibus humanis extra summam, extremámque necessitatem vesci. Ita contra Cardinalem Toletum *Lib. de 7. peccatis mortalib. cap.* 60. (ubi hunc esum absolutè permittit in infirmitate, vel in gravi aliqua necessitate,) docent authores hactenus citati. Probatur ex judicio omnium gentium non barbarissimarum, quæ semper censuerunt, esse rem planè ferinam, ac bestialem, &, ut cum S. Thom. 2. 2. *q.* 142. *a.* 4. *ad* 3. loquar, excedentem modum humanæ naturæ, si quis saltem extra necessitatem extremam, carnes humanas verteret in cibum. Censuerunt quoque, eam pietatem deberi corporibus defunctorum, ut judicarent, saltem extra extremam necessitatem, non esse pro cibo usurpanda.

142 Addunt alii hanc rationem; quia cùm materia carnium cujusque hominis sit à natura, & naturæ Authore determinata ad formam illius, eámque æterno tempore post resurrectionem debet habere, valde graviter per se loquendo, contra institutionem naturæ, & Dei delinquit, qui materiam debitam animæ alterius, facit materiam suæ animæ; hoc verò delictum non videtur justificari, seu excusari posse, nisi per necessitatem extremam. Verùm P. Dicastillo *citat. disp.* 3. *num.* 85. existimat, hanc rationem à viro gravi & docto non esse usurpandam, eò quòd videamus toties fieri, ut unius caro vertatur in substantiam alterius.

143 Dico II. Fas est carnibus humanis uti pro medicamento. Ita Baldellus *Lib.* 3. *disp.* 29. Lessius, Dicastillo, & alii, quos refert, sequiturque Pasqualigus *In Praxi Iejun. decis.* 11. Ratio est, tum quia medicamentum non solet converti in substantiam hominis, sicut convertitur cibus, tum quia ita habet praxis carnificum, positivè permissa à Magistratu; tum quia sic habet usus in Mumia, quæ nil aliud est, quàm caro corporis humani cum pretiosis unguentis sepulti, ut notat Lessius *cit. cap.* 3. *num.* 10. tum quia si licet in necessitate extrema vesci carne humana, cur non liceat illà pro medicina uti extra extremam necessitatem? Hinc patebit, quid verosimiliter dici possit ad

Casum sequentem.

144 *Dalila prægnans mulier contusa nudum brachium sui mariti è balneo egressi, cœpit correpi ingenti orexi mordendi ipsius brachium, idque faciendi potestatem petiit à marito, potuitne id sine scelere peti, & concedi?*

Veram simul, & ridiculam historiam narro, respondeóque, potuisse citra peccatum peti, & permitti morsum, qui nil aliud, quàm dolorem adferret, cùm res hæ non sit tanti momenti.

Quid si autem Dalila non tantum mordere, sed 145
morsu fructum carnis avellere voluit?

RESP. Si tanta fuit orexis, ut meritò timeretur, ne, si negaretur talis morsus, imprimeretur fœtui turpis nota, ut solet fieri, quando prægnantibus negantur ea, quæ efflictim petunt, puto etiam potuisse & peti, & permitti. Nam dubitandum non est, quin quisque homo habeat tantum juris in propria membra, ut ob honestam causam licitè permittat, sibi frustillum carnis excindi; sicuti scimus factum propter unum ex illis Doctoribus, quo toties in hac materia citamus.

At *quid si petiit ideo avellere Dalila, ut de-* 146
glutiret? Hunc ipsum in finem petisse audio, & primi subsellii Theologus, cujus jam semel mentionem fecimus, sensit, docuitque, potuisse acquiesci ejusmodi petitioni, eò quòd bolus ille carnis humanæ revera fuerit medicina præservativa contra periculum turpis notæ, quæ fortasse vultui infantis in utero existentis impressa fuisset. Hæc resolutio est probabilis & suo Authore, & sua ratione.

Quæres, *quid ad hanc consequentiam sit re-* 147
spondendum? Gula in esu carnium humanarum, aut crudarum occupata, est crimen bestiale, ferinum, & contra naturam, ergo est hoc ipso mortale?

RESP. Et cum Cajetano 2. 2. *q.* 148. *a.* 2. neganda consequentia. Nam, ut ipse rectè observat, ambulare supra caput, aut instar quadrupedis, est bestiale, ferinum, & contra naturam, non tamen idcirco est mortale. Itaque censet Pasqualigus crimen bestialitatis tunc solùm esse mortale, quando est contra bonum Dei, proximi, aut proprium, quando, inquam, est graviter contra tale bonum; quam doctrinam declaro hoc

Physico & morali Casu.

Babylas infantulus filius Marchionis N. labi- 148
tur à brachiis gerulæ in terram, támque forte allidit caput solo, ut linguæ inter dentes intercepta particula eo morsu revellatur, expuatur-que. Mox advocantur Medici, & Chirurgi, ex quorum Consilio excinditur è brachio mancipii, perquam promptè illud porrigentis, particula, eáque assuitur linguæ infantis, atque paulatim ita coaluit cum lingua, ut is ad virilem ætatem perductus ornârit sua eruditione exedras Philosophicas, Theologicas, evaseritque Ecclesiastes Imperatricis. An licita fuit illa exsectio?

Respondeo affirmativè, cùm non appareat, cur non fuerit licita illa medicina, hujus vulneris tam molesti, præsertim pro filio tam Illustrium parentum, & porrectio brachii singulariter ex voluntate Domini habentis jus in corpus mancipii veri. Fuit autem ille Babylas P. Joannes de Dicastillo, olim designatus

Æthiopiæ Patriarcha, teste P. Nathanaële Sotuello *in Bibliotheca Societatis*, vir mihi literis, & alloquiis, colloquiisque notissimus.

SVBSECTIO IV.

De Potu sanguinis humani & aliis.

SUMMARIUM.

Potus sanguinis humani est à natura vetitus. 149.
Permissus tamen in casibus tam gravibus, quàm sufficiunt ad edendas carnes humanas. 150.
Adeòque casu, quo esset salutaris curandæ epilepsiæ. 152.
Reipsa autem non videtur ad hunc finem utilis. 153.
Sicuti fortè neque potus sanguinis juvenilis ad senectam prorogandam. 154.
Quid agendum anthropophagis conversis ad fidem Christianam? 156.
Potes licitè porrigere in extrema necessitate famis cadaver tui mancipii alteri esurienti. 157.
An pater teneatur porrigere filio extrema fame laboranti carnes humanas, si quas habeat? 159.
Non sunt per se loquendo excusandi, qui navigantes projiciunt in mare cadavera mortuorum. 160.
At excusandi judices, qui in vindictam commeritam projiciunt cadavera eorum voranda à bestiis? 161.

149 QUæres I. *Vtrùm potus sanguinis humani sit à natura vetitus?*

RESP. Nemo de hoc dubitat, quandoquidem sanguis est quædam caro fluida, aut in proxima potentia carnis.

Quæres II. *An non liceat illo aliquando vesci?*

150 RESP. Quo casu fas est carnibus humanis vesci, eodem licet & sanguine. Imò credibile, conformèque est doctrinæ suprà *num.* 141. ex Toleto relatæ, licere etiam extra necessitatem planè extremam, quæ tamen extremæ proxima sit, haurire sanguinem humanum pro alimento. Cùm enim rationes, quas suprà attuli pro illicito esu carnium humanarum, non æquè clarè militent contra potum sanguinis humani, haud sanè improbabiliter dicitur, hunc non æquè seu non omnino tam rigidè à natura interdici, atque interdicitur esus carnium. Quod etiam sentit Layman. *Lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 3. addens hanc causam, quòd sanguis nunquam fuerit informatus anima humana.

151 Hinc inferes, haud dubiè licitum esse potum sanguinis, ad morbum aliquem lethalem curandum, si fortè posset is sanguine humano curari, nec aliud medium superesset.

Quæres III. *Quid sentiendum de epilepticis, qui ut epilepsiam curent, hauriunt sanguinem è venis hominis capite truncati scaturientem?* 152

RESP. Si hic haustus est salutaris, permittendus est, uti constat, non semel fuisse permissum. Et quamvis Escobar *Tract.* 2. *Exam.* 2. *n.* 21. neget, potum sanguinis humani esse extra extremam necessitatem licitum, attamen illum à Cardinale Toleto, & Laymanno permitti in necessitate gravi jam notavi paulò antè. Dixi: Si hic haustus est salutaris. Nam 153
esse salutarem est quidem opinio vulgi non displicita Laymanno *loc. cit.* at duo medicinæ Doctores ea super re à me consulti asseruerunt, eam esse meram persuasionem, refutatam non solùm scripto publico, sed etiam recentissima experientia, exemplóque hominis, quem unus illorum medicorum noverit, & qui poto illo sanguine fecerit omnia, quæ facienda præscribuntur, attamen absque operæ pretio. Quidam etiam carnifex Ratisbonensis medicinæ in paucis peritus à me interrogatus, respondit, se quidem scire, fuisse haud semel haustum ea intentione ejusmodi sanguinem, sed absque effectu, quantum quidem ipse sciat.

Quæres IV. *Quid verò de illis senibus, qui* 154
bibunt sanguinem ex vena adolescentis detractum, ut vigor concilietur, & senectus prorogetur?

P. Nicolaus Baldellus *Lib.* 3. *Theolog. Moral disp.* 29. *n.* 16. testis est, à Marsilio Ficino, & pluribus aliis medicis hunc potum laudari, tanquam singulare pharmacum ad conciliandum vigorem corpori senili, & senectutem prorogandam. At id negat unus ex illis medicis, de quibus paulò antè memini. Et P. Lessius *cit. cap.* 3. *n.* 10. ait, Ficinum, & alios sequaces fortè in ratione medica decipi. Ego 155
cum eodem Lessio, Baldello, & Dicastillo asero, talem potum eo fine, & intentione esse licitum tibi, casu, quo medicus tuæ complexionis probè gnarus, pronunciaret, ejusmodi haustum profuturum ad talem finem, præsertim si fores Princeps necessarius publico.

Quæres V. *Quid agendum cum Anthropophagis,* 156
ad fidem Christianam adspirantibus?

Navarrus in Manuali *cap.* 23. *n.* 122. ita respondet: [De more providè PP. Illustrissimæ Societatis JESU renuunt Baptizare gentiles Anthropophagos (id est, voratores carnium humanarum) catechumenos, non proponentes abstinere perpetuò à carnibus humanis etiam in bello justo interfectorum, quia non sunt contriti, nec satis attriti, & consequenter non Baptizandi.]

Quæres VI. *An possit quis bona conscientia* 157
concedere alteri cadaver mancipii sui, retenti, ut eo vescatur in extrema necessitate?

RESP. Potest teste Baldello *cit. disp.* 29. *n.* 22. Sicut enim licitum est in casu necessitatis tibi comedere carnes humanas, ità etiam tibi licitum est, eas aliis porrigere.

158 *Quidsi verò frustum ejusmodi cadaveris ei præbeam, nescienti esse carnes humanas?* Censet idem Doctor, te non peccare, quod & ego censeo, casu, quo præsumi posset, non graviter alteri displiciturum tale factum.

159 Quæres VII. *An si pater in obsidione constitutus nequeat alere filium unicum, nisi illi porrigat carnes humanas, obliget illum pietas paterna ad porrigendas?*

RESP. Meritò docet P. Baldellus *loc. cit.* sicuti non tenemur vitam nostram conservare medio ita extraordinario, & horrifico, ita nec alienam. Aliud censerem casu, quo esus carnis humanæ, aut sanguinis foret ægro filio necessarius, ab eóque instanter peteretur; tenetur enim pater filio ægrotanti prospicere quoad commodè potest. Nec dubita, quin parentes debeant suis liberis petentibus quandoque aliqua concedere, quæ sibi ipsis non tenerentur procurare. His addo sequentem quæstiunculam.

160 *Iter mari facientes consueverunt corpora mortuorum projicere in mare, devoranda à bestiis, an sint excusandi?*

RESP. Per se loquendo non sunt excusandi, quia nec aqua, nec venter ceti, e. g. debet esse hominis sepulchrum; & rectè docent Franciscus Victoria *in relect. de temperantia n.* 5. Azor. *Part.* 1. *Lib.* 7. *cap.* 22. *q.* 4. Baldellus *disp.* 29. *n.* 21. per se loquendo nefas esse, carnes humanas, aut sanguinem præbere bestiis devorandum. Nam *Gen.* 9. *v.* 5. dicitur: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Per accidens tamen tale factum excusatur, quia non projiciuntur cadavera in mare eo fine, ut comedantur à piscibus, sed quia non possunt sine gravi incommodo servari in navi.

161 *Quid verò censendum de judicibus, qui quandoque corpora reorum objiciunt canibus, aut feris devoranda?*

RESP. Si id faciant in vindictam publicam, aliorúmque terrorem, & exemplum, excusantur à nonnullis apud Azor, & Baldellum, quorum neuter illos damnat, nec ego, & sine dubio excusandi Judices, qui fures affigunt patibulo, etsi sciant à corvis exoculatum iri.

162 Quòd si quæras, *Sitne fas, hominem occidere ad sacrificandum?* Respondet rectè, & fusè probat Victoria *loc. cit.* esse nefas; cùm constet esse unicum novæ legis sacrificium, quod quotidie in Missa peragitur.

SVBSECTIO V.

An liceat vesci carnibus crudis?

SUMMARIUM.

Est per se illicitum edere carnes crudas animalium. 163.
At tantùm venialiter. 164.
Imò potest esse licitum in iis locis, quibus invaluit mos edendi. 166.
Referuntur hanc in rem nonnulla. n. 165. *& 167.*

163 QUæres I. *Vtrùm sit aliquod peccatum per se loquendo edere carnes crudas brutorum?*

RESP. Affirmativè cum Azor *Part.* 1. *Lib.* 7. *cap.* 12. *q.* 4. Fagundez *De Præcept. Eccles. præcept.* 4. *Lib.* 1. *cap.* 9. Baldello *Lib.* 3. *disp.* 29. *n.* 9. Pasqualigo *in Praxi Jejun. decis.* 15. Ratio est, quia talis esus est ferinus, bestialis, proprius corvorum, canum, luporum &c. Et ii, apud quos viget talis esus, sunt homines barbari, efferi, in quibus dignitas humanæ naturæ sepulta est, ut potiùs ferino more, quàm humano vivere dicendi sint. Hæc tamen ratio nullo modo probat, quin rationabili ex causa, adeóque in necessitate sint tales escæ permissæ.

Quæres II. *An hoc peccatum sit mortale?* 164

Pasqualigus *loc. cit.* ita respondet: [Comedere carnes crudas continet aliquid dissonum humanæ dignitati; unde si ex hoc sequatur jactura gravis talis dignitatis, videtur mihi esse peccatum mortale; quia sicut non licet per talem comestionem lædere corpus, ita ut, si notabiliter lædatur, peccetur mortaliter, sic etiam non licet lædere humanam dignitatem in propria persona, &, si notabiliter lædatur, erit mortale. Unde nemo excusaret à peccato mortali, qui in modo barbaro vivendi quoad Comestionem, & alias hujusmodi actiones licitas imitaretur gentes barbaras; nec ipsa gens barbara excusari posset, nisi perignorantiam.]

Hic Pasqualigi discursus mihi non ita pro- 165
batur, quin assentiar Baldello, & Fagundez asserentibus, illum esum esse ex se crimen duntaxat veniale. Nam in primis S. Thomas, & alii DD. quando commemorant casus, in quibus gula est peccatum mortale, non meminerunt de carnibus crudis. Deinde apud nationes non barbaras communi usu receptum est, ut non modò lac, qui certè substantialiter est sanguis, & ova præsertim recentia, quæ tamen videntur esse caro liquida, juxta Hieronymum *Lib.* 2. contra Jovinianum, edantur cruda, sed etiam plura animalcula, præsertim exanguia edantur viva, ut observat Benedictus Pererius *Tom.* 2. *in Gen. Lib.* 14. *disp.* 2. *num.* 50. &

majorum animalium carnes, ſale tantummodò, & ad ventum exiccatæ, neque aliter coctæ edantur à multis; & Parthi, Tartari, aliíque non pauci, dum ad bellum proficiſcuntur, dorſo equi, cui inſident, imponunt armum vituli, alteriúſve animantis, & ſolo æſtu ſolis non omnino ſemiaſſum exedunt. Nec quidquam eſt communius, quàm haleces non coctas, non aſſas comedere in Belgio.

166 Hinc non immeritò infert Fagundez, iis in locis, in quibus more receptum eſt, ut carnes omnino crudæ ſint cibus, edi poſſe abſque omni peccato; etſi quippe ejuſmodi eſus eſt ferinus, & quaſi proprius multarum beſtiarum, ſicut tamen ipſemet Paſqualigus meritò generatim aſſerit, hunc eſum vacare omni culpa, quando rationabili ex cauſa ejuſmodi epulæ ſumuntur, ut fit, vel quia deeſt commoditas coquendi, vel complexio ita exigit; ſic etiam dici poteſt, conſuetudinem facere jus ad ejuſmodi cibum; quoniam conſuetudo talis, & valde difficulter deponitur, & ſtomachum jam aſſuefecit hiſce, non aliis cibis.

167 Unde Fagundez ex hiſtoria Hollandicæ navigationis refert, nonnullos Æthiopes inteſtinis animalium omnino crudis veſci, idque provenire ex calidiſſima complexione hominum, & ex naturali ſympathia, quam habent cum crudis cibis. Interim certum eſt, peccare graviter, qui cum notabili valetudinis detrimento utitur talibus carnibus, ſi commodè alios poſſit habere cibos: quomodo autem per eorum eſum lædatur notabiliter dignitas humana, non video.

SVBSECTIO VI.

An, & quale peccatum ſit edere res ad uſum humanum non deſtinatas, aut noxias valetudini?

SUMMARIUM.

An, & qui peccent edentes veram, cretam, ſevum, ungues? 168. *& ſeqq.*
An, ſicut eſt nefas talia porrigere alteri invito, ita etiam ſit nefas veſci? 170. 172. *& 175.*
Eſt hic diſtinguendum inter fœda, & non fœda, eſto inepta ad eſum. 172. *& ſeqq.*
Adſitne obligatio veſcendi rebus etiam fœdis, quando aliter nequit vita ſervari? 176.
Unde proveniat, quòd nonnullis vel ſemper, vel quandoque pruriant dentes in res minimè deſtinatas dentibus? 179.
Refertur in hoc exemplum unius puellæ. 181.

An, & quantum pericletur fumendo cibos noxios valetudini? 183.
Quandonam cenſeatur hic gravis, aut levis læſio Valetudinis. 186.
Refertur caſus Religioſi excitantis ſuo exemplo moribundum ad capiendum cibum. 189.
Refertur & tetrum paradigma edentium in obſidione res crudiſſimas, fœdiſſimas. 193.

COnſueverunt nonnulli, comedere carbones, cretam, ceram, ſevum, ungues, terram &c. quæ conſtat, non eſſe ad eſum communem deſtinata. De his 168

Quæres I. *An peccent?*

RESP. Cum Azor *Part. 1. Lib. 7. cap. 22. q. 4.* Baldello *Lib. 3. diſp. 28. n. 11.* Paſqualigo *in Præxi Jejun. decif. 14.* peccare per ſe loquendo. Ratio eſt, tum quia talia communiter lædunt valetudinem, cùm non ſint proportionata potentiis, ſeu facultatibus nutritioni humanæ famulantibus, tum quia illorum eſus feritatem quandam, beſtialitatémque præſefert.

At quàm graviter peccant tales? Reſp. Mortaliter, ſi notabiliter lædant ſanitatem. *Quid ſi vel non lædant, vel tantùm leviter?* Si adſit concupiſcentia harum rerum, quæ ſolet excitari ex aliqua infirmitate, docet rectè Paſqualigus non peccare graviter, eò quòd ſtante tali concupiſcentia, induant ejuſmodi res in cibum adhibitæ, rationem boni ſenſibilis delectabilis, atque adeò quandam proportionem per accidens ad appetitum ſenſibilem, & ideo, quantum eſt ex objecto, intervenit tantùm inordinata quædam obſequentia appetitûs, quæ non dicit gravem deordinationem. 169

Quid ſi denique abſit prædicta concupiſcentia? abſit quoque juſta cauſa? Paſqualigus *loc. cit.* cenſet, tunc delinqui mortaliter edendo in notabili quantitate, eò quòd tunc fiat gravis injuria propriæ perſonæ, contra ordinem à natura præſcriptum, cùm non ſervetur ei debita reverentia, quam tamen tenemur ſervare ex charitate, qua tenemur non offendere nos cibo. Et ſicut eſſet gravis injuria hoc facere cum aliis, ita etiam hoc facere cum ſeipſo; non enim ſumus Domini, ita ut poſſimus pro libitu diſponere de nobis ipſis, & conculcare dignitatem humanam, quia eſt dignitas naturæ, quæ non eſt in noſtra poteſtate, & ideo non poſſumus ipſam graviter offendere, ut contingeret, ſi res non deſtinatæ à natura in cibum abſque rationabili cauſa manducarentur, præſertim ſi eſſent immundæ, & abominabiles.] 170

Ita Paſqualigus ingeniosius, quàm verius, nam illud qualecunque malum, quod ſibi homo citra læſionem valetudinis adfert, per eſum talium rerum, non eſt tam grave, ut fundet mortalem malitiam; idque probo vel inde, quòd utique non ſit gravius, quàm illud, quo ſe, naturámque humanam dedecorat, quiſquis nefando Sodomiæ, aut beſtialitatis crimine ſeſe commaculat; & tamen mortalitatem, ut ita loquar, hujus ſceleris non ponunt Theologi in ejuſmodi malo, præſertim illi, qui à Diana *Part. 9. Tract. 8. Reſolut. 31.* meritò refutati, omnia peccata libidinis, quæ ſunt contra naturam, ajunt, eſſe ejuſdem ſpeciei. Jam verò quod addit Paſqualigus de illo, qui alteri præberet tale quid edendum, præbet mihi occaſionem proponendi alteram quæſtionem. 171

172 Quæres itaque II. *Sitne mortale crimen, dare alteri comedenda ea, quæ non ſunt à natura ordinata ad eſum humanum?*

RESP. Eſſe ſupponit, imò aſſerit Paſqualigus verbis ſuprà relatis. Ego diſtinguendum puto. Aut enim illa, quæ præbentur, ſunt fœda, & abominabilia, aut non ſunt fœda, nec abominabilia? Si ſunt fœda, & abominabilia, tunc illorum ſubminiſtratio fraudulenta continet ex ſuo genere gravem malitiam, quia continet realem contemptum alterius, ut deduces ex eis, quæ de contemptu diſſerit Suarez *Lib. 3. De Leg. cap. 18. n. 17. & ſeqq.* Si verò non ſint fœda, tunc non video (ſecluſo omni ſanitatis lædendæ, aut alterius extrinſeci mali periculo) cur contineant gravem
173 malitiam, E.G. præbere alicui urinâ propriam, aut beſtiæ bibendam, vel (quod alicubi factum inaudii) ſtercus vaccarum, inſtar neſcio cujus herbæ, ſeu oleris edendum, continet ex hominum communi apprehenſione gravem contemptum, ſeu, ut vocant, *Affront*, ita, ut non niſi ferro talis injuria videatur eſſe vindicanda.

174 Vice verſa, ſi quis ſuo æquali aliquid chartæ, aut ceræ edendum præberet, non damnarem illum peccati mortalis, ſicut nec illum, qui ſaltem plebeio homini glandes pro olivis, aut caſtaneis daret, quod ego ſemel vidi fieri. Et verò cùm uniones non ſint à natura ordinati ad eſum, quis dicat, peccaturum mortaliter, qui imitatus exemplum Cleopatræ, unum, aut plures uniones liquatos offerret alicui ſorbendos? Patet itaque, Paſqualigi doctrinam non poſſe univerſim probari hoc argumento: peccaret mortaliter, qui talia daret alteri edenda, ergo ſi & ipſe edat, peccat mortaliter. Nam antecedens non eſt univerſim verum.

175 Sed eſto, ſit verum illud antecedens Paſqualigi, neganda eſt in rigore conſequentia, quia nos ſæpe ſub mortali tenemur abſtinere à levi damno, vel injuria alterius, quando videlicet videmus, illum valde graviter offenſum iri, non tamen idcirco peccamus mortaliter, imò ſæpe nec venialiter, afficiendo nos tali damno, aut injuriâ, ſiqua tamen poteſt eſſe injuria in ſeipſum, cùm volenti, & conſentienti non fiat injuria, *cap. Scienti de Reg. Iur. in 6.* Certè ſi virum nobilem alapa abſque cauſa cædas, admittis crimen mortale, non item ſi teipſum itidem abſque cauſa cædas flagro, aut pugno.

Quæres III. *Quandoquidem ſuperiùs dixi, fas eſſe, in neceſſitate illa edere, de quibus in hac ſubſectione eſt ſermo, utrùm etiam adſit obligatio illa edendi, cùm eorum eſus eſt neceſſarius ad vitam ſuſtentandam?* 176

RESP. Negativè. Nam ut rectè docent Leſſius *n. 12.* & Dicaſtillo *Lib. 1. De Iuſtit. & Iur. diſp. 3. n. 91.* non tenemur in obſidionibus veſci muribus, felibus, canibus, calceorum ſegmentis &c. idcirco nimirum, quia non tenemur vitam conſervare, niſi mediis ordinariis; nec tenemur adhibere illa, quando ſunt admodum difficilia. Laymannus *Lib. 3. ſect. 4. n. 3.*

Dices: *Quid ſi Princeps imperet arcis Præfecto, ut non dedat arcem, niſi devoratis omnibus, equis, canibus, felibus, & coriis rhedarum?* 177
Reſp. Non videtur poſſe communiter impera- 178
ri res adeò difficilis.

At inquies: *Quid ſi imperium acceptâſſet ille Præfectus, ſeque juráſſet pariturum?* Tunc ſervari debebit juramentum, cùm non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum juxta Cap. *Quamvis de pactis in 6.*

Quæres IV. *Unde proveniat, quòd nonnullis vel ſemper, vel quandoque ita dentes pruriant in res minimè deſtinatas dentibus?* 179

RESP. Ariſtoteles *Lib. 7. Ethic. cap. 5.* duas hujus rei cauſas generatim adfert: morbum, & conſuetudinem, ex quarum alterutra, vel utraque ait provenire capillorum evulſiones, itémque eſus unguium, carbonum, & terræ; nomine morbi intelligens partim læſionem phantaſiæ, partim malam intemperiem humorum, ut videmus in mulieribus prægnantibus, quæ humoribus corporis ſtatum certo modo immutantibus, & excedentibus, avidiſſimè appetunt res alieniſſimas à victu humano, ipſis etiam antè conſueto.

Certum proinde eſt, partim phantaſiam, partim humorem & poſſe, & ſolere efficere, ut 180
illa etiam, quæ naturâ non delectant, hominibus tamen voluptatem adferant, ut loquitur ibidem Philoſophus. Nec minùs id certum eſt de pravo habitu, ſeu conſuetudine, quæ eſt altera natura, adeò ut Baldellus *cit. diſp. 29. n. 4.* ex Cælio Rhodigino *Lib. 11. c. 13.* referat exempla illorum, qui veneno hauriendo ita aſſueverant, ut eis nil noceret, ſpuro autem alios perimerent. Unde apparet, quid fuerit reſpondendum ad

Hunc caſum puellarem.

EUphroſina virgo Itala Anno 1629. *avidiſſimè ferebatur in eſum candelæ cereæ, & quamvis bene adverteret, eam nec dulcem ſibi ſapere,* 181

nec saporem alium delectabilem habere, ad solum tamen aspectum ita in illam accendebatur, ut etiam toto vultu ruberet, & vix posset se continere, quin simul cum pane eam ceram comederet. Quæsivit ea ex P. Baldello, utrùm hujusmodi fames esset à dæmone, & an talis esus esset peccatum? Quid debuit P. Baldellus respondere?

182 Narrat quidem ipse hisce verbis totum, quod dixi, at non refert, quid ipse responderit; addit tamen, fuisse ab illa eâdem puella per interpositam personam consultum medicum, utrùm hujusmodi orexis proveniret ex morbo, ipsúmque respondisse, esse omnino ex morbo, eámque indigere purgatione humoris phlegmatici excedentis in stomacho. Quia tamen ille morbus non fuit talis, ut planè tolleret usum liberi arbitrii; ideo censendum est, aliquo modo peccâsse illam puellam, quando multùm ceræ edebat; graviter peccâsse ne ipse quidem Pasqualigus assereret.

183 Quæres V. *Sitne peccatum sumere cibos valetudini noxios?*

RESP. Esse, docent omnes, ideo, quòd sicut nobis non licet vitam pro lubitu prodigere, ita nec sanitatem; quandoquidem neutrius sumus domini, sed custodes, & administratores.

184 *An si tantùm leviter lædatur sanitas?* Non dubitat Pasqualigus *In Praxi Iejun. decis. 16.* nec cæteri authores. *Quid si graviter?* Tum omnes mortale crimen agnoscunt. *Quid si cibus ille ita sit noxius, ut sit vitam mihi brevi abrupturus?* Tum vel maximè re mortalis criminis damnat Sanchez *Lib. 5. Moral. Consil. cap. 1. dub. 33.* post Victoriam, & alios.

185 Quòd si non putâsti, aut non advertisti, forte, ut tibi noceret, excusare te meritò idem Sanchez. Non tamen opus est ad contrahendam hanc noxam omnino credere, orituram inde invaletudinem, ajunt enim communiter Authores, sufficere, modò probabiliter timeatur. Veritatem intelliges ex iis, quæ in simili dixi *cap. 9.* quando quæsivi, quomodo debeat esse prævisa ebrietas, & alia incommoda ex illa orta, ut censeantur voluntaria.

186 Quæres VI. *Quænam censeatur gravis, aut levis invaletudo ad dignoscendum, utrùm ob caussationem illius gula sit mortifera, nec ne?*

RESP. Pro exemplo gravis invaletudinis ponit meritò Baldellus *Lib. 3. disp. 28. n. 11.* febrim; aut phrenesin. Pro exemplo levis ponit, quando quis æger multùm bibit (aut edit) prævidens, febrim auctum iri. Quod exemplum dant etiam Toletus *Lib. De 7. peccatis mortalibus cap. 60.* & Sanchez *loc. cit.* addens aliud, videlicet dolorem aliquem capitis.

187 Quæres VII. *An non aliquæ caussæ omni peccato liberent illum, qui edit res noxias valetudini, sciens illas nocituras?*

RESP. Non una, sed plures. Primò enim meritò excusatur ille, qui cum valetudinis detrimento aliquo idcirco edit, ut hospitem, aut ægrum, qui nil edere vult, cùm tamen indigeat, suo exemplo excitet; dummodo sit vera spes, fore ut illud exemplum sit profuturum. Secundo studium mortificandi gustum, aut nimiam edendi libidinem, potest honestare Comestionem ciborum, qui prævidentur allaturi catarrhos. Tertio idem dic de studio fugiendi singularitatem, & accommodandi se communitati. Ob utramque hanc rationem commendantur longè plurimi Sancti, aut virtute illustres viri, qui studio virtutis comederunt ea, quæ certò sciebant paritura sibi esse aliquas molestias in corpore. Quartò excusat utique necessitas, quando scilicet vel nullo modo, vel non sine difficultate acquiri possunt cibi salutares. 188

Ad elucidationem illius casus, quem *n.* 187. insinuavi de edente aliquid noxium valetudini, edente autem, ut suo exemplo ægrotum excitet ad cibum planè necessarium sumendum, refero 189

Quidpiam non planè indignum calamo.

190 *Quod contigit Friburgi Nuithonum sub Annum Christi 1637. cum perquam ingenuo adolescentulo, quem nauseatio, seu potius aversatio omnis cibi deduxerat ad extrema, restituendum cæteroqui sanitati, si viribus cibatu aliquantum roboratis adhiberetur congrua medicina. Vbi Confessarius illius adolescentis mihi notissimus, fuit à medico doctus caussam proximi vitæ periculi, convenit suum pœnitentem, hortatur ad capiendum cibum proposito præsenti discrimine, ni pareat. Cùm verò verbis nihil promoveret, curavit pararisibi bonum jusculum, quod & allatum, ad ægroti lectum, cœpit ipse Confessarius non gustare duntaxat, sed & glutire, etsi tempore alieno, spectante autem infirmo; cujus etiam tum phantasiam, tum animum ita mutavit id inexpectatum spectaculum, ut & ipse rapuerit cochlear, reliquum juris prope tuburcinando demiserit in stomachum, atque ita paulstim convaluerit, ut cùm, Annis circiter 38. post, vidisset illum Patrem penes ædes suas iter facientem, móxque agnovisset, cæperit divertere, atque conjugi lætus inclamárit.* Mea Domina: para sis bonum prandium pro hoc charo hospite, absque enim illo maritum non haberes, ac mox recensuit ab ovo comœdiam, me quoque collætante aderam enim & ego.

191 *Sciscitabitur fortè quispiam, utrùm si ad exvitandum appetitum illius ad tumulum properantis fuisset necesse edere jusculum è gallina decoctum, idque feria sexta vel Sabbato, permissuræ fuerint leges Ecclesiæ.* Resp. permissuras fuisse, sicuti enim per eas licebat (ut supponimus) illi ægro vesci ejusmodi edulio, ita & illi, qui ponitur non potuisse alia ratione inducere decumbentem, quàm præbendo illi exemplum circa idem omnino objectum.

193 Sed quia in hac, & præcedente Subsectione proposui tam varia de esu rerum minimè destinatarum à natura ad esum, illæque res consueverunt vel maximè comedi, & etiam in deliciis esse tempore diuturnarum obsidionum, placet in gratiam Lectoris, non illaudabiliter curiosi proponere horrificum planè paradigma hujusce epulationis, quod exhibet Michaël ab Isselt in Historia sui temporis ad Annum Christi millesimum quingentesimum septuagesimum tertium. *fol. mihi* 321. ubi recenset, quænam Sanserræ (Urbe Galliæ, Hugonottorum asylo) in esum cesserint, dum à Carolo IX. Rege, arctissima obsidione cingerentur Sanserrani. Describit verò

Hisce verbis.

194 *Tanta in urbe fuit fames, ut dimidiam fere plebis partem absumpserit, & non modò ad inusitata cibaria deventum sit, sed etiam ad paleam, nucum putamina, atque hominum excrementa; carnibus enim bubulis, ovillis, & suillis deficientibus, equi, atque asini mactati sunt; deinde feles, sorices, talpæ, canes, & mures comesti, iis consumptis boum tergora, ovium, atque vaccarum vorari cœpta. Quæ postquam defecêre rabida urgente fame cingula coriacia, capistra, fræna, ephippia, ligularum & crumenarum resegmenta cum vestimentis coriaceis in deliciis habita sunt. Dein ad ungulas boum, equorum, aliarúmque bestiarum confugerunt, & cùm frumenti, atque leguminis omne genus deficeret, panis ex paleis minutim concisis, & in mortariis contusis, atque ex tegulis nativis (lapidis genus est nigri, & friabilis) confectus est. Deficientibus omnibus cibariis homines ad bestiarum, & sua quoque excrementa devenere. In sterquiliniis quoque ossa putida, & cornua animalium diligenter perquisita sunt, & avidissimè comesta fuerunt; quin defunctorum cadaveribus vesci voluerunt, sed in facto deprehensi pœnas luerunt. At nec in hac extrema necessitate constituti quidquam de sua pertinacia remittere voluerunt, donec rebus omnibus desperatis ad pacis Consilia confugerunt &c.* Hactenus Isselt de fame Sanserrana diriore, quàm fuerit Saguntina. Et cui verè simile perpessi fûêre Rupellenses obsessi à Ludovico XIII. ut videre est apud Gabrielem Grammondum ad Annum Christi M. DC. XXVIII.

SVBSECTIO VII.

De Filiabus Gulæ.

SUMMARIUM.

Quæ, & quot sint filiæ Gulæ? 195.
Quid intelligatur per hebetudinem sensus? 196.
Quid per ineptam lætitiam, & quæ hujus peccata? 197.
Quomodo delinquatur per turpes cantilenas? 198.
Quomodo per alia verba obscœna? 199.
Singulariter diuturna, & prolata coram adolescentibus? 200.
De Choreis quid sentiendum? 201.
An prudenter illas prohibeat Magistratus politicus? 202.
Referuntur contrariæ sententiæ. Ibid.
Eligitur affirmativa. 203.
Qui se geret Confessarius cum pœnitente confitente, se tantùm semel, aut bis duxisse choreas, nilque aliud addente? 204.
Insigne circa hoc argumentum Decretum Bavaricum. 206.
An, & quomodo ratione lusus aggravetur malitia Gulæ? 207.
Et ratione stultiloquii, ac scurrilitatis? 208.
An scurrilitas sit peccatum mortale? Ibid.
Quid intelligatur per immunditiam? 209.

195 QUæres I. *Quæ, & quot sint filiæ Gulæ?*

RESP. I. Illæ sunt filiæ gulæ, quæ ex immoderata delectatione cibi, & potûs sequuntur. S. Thomas 2.2. *q.* 148. *a.* 6. *in C.* S. Antoninus *Part. 2. Tit. 6. cap. 4. ante* §. 1. II. Ejusmodi filiæ sunt quinque, scilicet hebetudo sensûs, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia. Ita S. Thom. *Ibid.* ex S. Gregorio, & ex utroque S. Antonin. *loc. cit.* atque Authores in decursu citandi. Rationem hujus quinarii adferunt iidem, quam lubens prætereo, explicaturus breviter illas quinque venustissimas filias, matre ebrietate potissimùm gloriantes.

196 Quæritur igitur II. *Quid per hebetudinem sensûs intelligatur, & quomodo per eam aggravetur malitia Gulæ?*

RESP. I. Per sensûs hebetudinem intelligitur obfuscatio intellectus, orta ex ciborum fumositate, caput perturbans, atque impediens operationes intellectûs, ac rationis, ut non queant penetrare ea, quæ cæteroqui possent. S. Antoninus *loc. cit.* §. 2. rectè explicans S. Thomam. II. Tunc solùm per eam aggravatur malitia gulæ, quando per eam impeditur cognitio illorum, quæ quis scire debet, ut e.g. necessaria ad salutem, necessaria ad rectè fungendum officio proprio &c. S. Antoninus *loc. cit.* Nicolaus Baldellus Theologiæ Moral,

Lib. 3. disp. 32. n. 1. Ex hoc tamen, quòd aliquis sit hebes circa speculativa Theologiæ, vel Philosophica, vel Astrologica, non curans de his, nullum peccatum est, si non habet officium, quod cognitionem horum requirat.] S. Anton. *loc. cit.*

197 Quæres III. *Quid designat inepta lætitia, & quomodo per eam delinquatur?*

RESP. I. Per ineptam lætitiam non intelligitur hîc quævis inordinata lætitia, hoc enim modo est affectus generaliter consequens omnem actum peccati, & præsertim si fiat ex habitu. S. Thom. *cit. a. 6. ad 1.* sed intelligitur lætitia vaga, & incomposita. Idem Sanctus Doctor *Ibidem.* Id est, faciem inaniter hilarem, & excitans ad saltus, cantus, tripudia, ludos, histrioniatûs actus, instrumentorum diversorum sonitus, ut explicat S. Antonin. *loc. cit.* Baldellus *loc. cit. n. 3.* conformiter S. Thomæ *1.2. q. 169. a. 3. ad 2.*

198 II. Cantus, seu cantilenæ, ad quas excitat gula, sunt ferè amatoriæ, obscœnæ, aut infamatoriæ. Per illas, quatenus obscœnæ sunt, tunc peccatur mortaliter, quando quis utitur illis cum periculo se, aut alium inducendi in aliquod grave peccatum. Navarrus *in Man. cap. 23. n. 123.* aut quia delectat illum obscœnitas, per ea verba significata. Cajetanus *2.2. q. 148. a. 6.* Si verò illæ turpes cantilenæ ideo solùm canantur, quia eæ delectant, vel ut delectent, & sic hilariter transeunt, vel transeant, non sunt ut sic peccata mortalia, sed tantùm venialia valde periculosa, inquit Cajetanus *loc. cit.* rectè id probans.

199 Et generatim locutio de rebus turpibus facta solùm ob voluptatem, quæ præcisè oritur ex ipsa narratione, absque ulteriore intentione ipsarum rerum (addo: aut voluptatis Venereæ) non excedit veniale. Filliucius *Tract. 30. n. 209.* Unde non peccant mortaliter, qui turpes cantilenas audiunt præcisè ob delectationem, quam adfert prolatio illorum verborum, aut ex levitate, aut curiositate. Filliucius *loc. cit. n. 212.* Sed utique oportet sibi, & aliis non nimium fidere; corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. *1. Corinth. 15.* Et quotusquisque potest esse securus de proximi constantia, maximè quando videt, turpia libenter audiri? inquit providè P. Dicastillo *Lib. 1. De Justit. disp. 17. n. 257.* rectè tamen subdens, plerumque esse venialia illa verba, & dicteria, in se quidem turpissima, quæ ludicrâ tantùm intentione à mulionibus, agasonibus, & hujus farinæ hominibus in agris, viis, ultro, citróque dicuntur.

200 Atverò non sunt plerumque annumeranda peccatis venialibus illa de rebus obscœnis colloquia, quæ præsertim ab adolescentibus, juvenibúsque, vel à viris coram hisce institutis durant dimidiam horæ quadrantem, aut diutiùs; replent enim talium phantasias nimis fœdis imaginibus, cientibus tam graves motus earnis, ut difficillimum sit resistere iis, aut etiam non habere positivam complacentiam in iis. Quare consultum, si non necessarium est, ut Confessarius ex confitentibus, se locutos esse, vel libenter audivisse loquentes verba turpia, sciscitetur, an fuerint tantùm paucula verba per jocum prolata, an verò integra colloquia de spurcis objectis? Proderit, & ingerere illud D. Bernardi ex serm. 24. *in Cant. Vnus est, qui loquitur, & unum duntaxat verbum profert, & tamen illud unum verbum uno momento dum audientium animos afficit, animas interficit.* Sed de spurciloquis vide suprà *cap. 19. sect. 2.*

201 III. Ad choreas quod attinet, etsi, per se loquendo, non continent ullam malitiam, S. Antoninus *cit. Tit. 6. cap. 6. ante §. 1.* post Alexandrum, cum Summistis communiter *verb. Choreæ*, eámque ob rem non peccant, saltem mortaliter Religiosi, si fortè inter se solos saltent absque ullis sæcularibus, & Monialibus. Idem Doctor *Ibid.* Per accidens tamen tam frequenter contra castitatem tactibus, osculis, cogitationibus &c. peccatur per choreas, ut ipse S. Hieronymus apud Sanctum Antoninum *loc. cit.* dixerit, *se non credere vèro neganti, se illæsum redisse à chorearum spectaculis.* Unde

202 Quæres IV. *Vtrùm rectè faceret Magistratus, qui interdiceret plebeis hominibus choreas diebus festis &c?*

RESP. I. Duæ sunt circa hoc sententiæ; una Francisci Sylv. *in 2.2. q. 148. art. 6.* satis clarè id asserentis, & observantis, choream à quibusdã describi, esse circulum, cujus centrum sit diabolus; & castitatem, si fortè in choreas veniat, saltare, sed in calceis vitreis. Altera est Cajetani *in Summa, Verb. Chorea*, ubi ita loquitur: [Imprudenter arcentur à choreis rustici festis diebus chorizare assueti, qui nisi occuparentur choreis, vacarent otio, & malis machinationibus perturbationis Reipublicæ.] Alias rationes pro hac sententia adfert Azor *Part. 3. Lib. 3. cap. 26. quæst. 2.* illam tamen nec probans, nec improbans. Addo hanc ego, quòd abhinc propè Annos 40. quidam Parochus mihi asseverantissimè dixerit, ex quo tempore edicto sui Principis fuerunt interdictæ choreæ rusticis, notabiliter excrevisse numerum illegitimarum prolium, dum scilicet rusticana pubes destituta illis publicis distractionibus, & occupationibus quærit diverticula, vel in horreis, vel in hortis, & sylvis, ut vacare possit libidini.

203 Respondeo nihilominus II. perquàm sapienter, atque piè agere illos Principes, qui lege civili, aut Ecclesiastica vetant communem, liberum, promiscuum usum chorearum. I. Quia, reipsa fuit olim à sapientissimo Duce Maximiliano vetitus in Bavaria, & scio, etiam fuisse prohibitum in Tiroli, atque aliis quibusdam Provinciis Germaniæ, non sine magna approbatione multorum virorum prudentum, doctorum, piorum.

II. Quia Angelus *Verb. Choreæ.* & Baldellus *loc. cit. num. 17.* rectè observant, communiter non reperiri choreas sine malis circumstantiis gestuum impudicorum, personarum lubricarum &c. & ideo non apparere, quomodo possint fieri, vel diu, & studiosè spectari sine peccato mortali, præsertim si fiant sæpius, & ex consuetudine, cum qua limitatione S. Antoninus *loc.* proximè *cit.* intelligit, & probat dictum S. Hieronymi relatum suprà, quo etiam confirmatur hæc sententia. Adde, quòd legibus civilibus, & Ecclesiasticis multa ob periculum peccati inhibeantur, quæ nullo modo sunt tam periculosa, quàm frequentes choreæ.

204 III. Fateor tamen cum Cajetano ubi suprà, & aliis communiter, non esse mox pronuntiandum reum peccati mortalis, qui se choreas duxisse confitetur; docet enim experientia, sæpissime absque gravi peccato obiri istas levitates, præsertim à puellis, quæ potiùs sæpe vanam gloriam sectantur, quàm turpe quid cogitent. Imò negat Cajetanus, ipsas choreas ex suo genere, seu ratione continere ullum periculum, & propterea si ex qualitate personæ immineat periculum alicui, debere sibi providere. Vice versa agnosco, à Tannero *Tom. 3. disp. 4. q. 5. n. 125.* meritò dici, genus quoddam turpe agrestium chorearum, quod suâ naturâ, ac totâ corporis agitatione quoddam apertæ libidinis irritamentum sit, esse Seminarium sagarum.

205 Ex his omnibus inferes, quando pœnitens confitetur, se tantùm semel, iterúmque saltasse, non esse necessarium, ut Confessarius quærat, an non contra castitatem peccârit, cogitatione, vel tactu; secus si sæpius, & quidem absque ulla necessitate saltavit.

Ad rationem *num. 202.* allatam respondeo, posse illas fornicationes (ubi rarus est usus chorearum) magnam partem impediri vigilantiâ Magistratûs politici, parochorum, parentum; non autem posse impediri longè plura peccata, quæ oriuntur ex promiscua permissione earundem.

206 Et verò imitatione dignissimum est decretum Serenissimi Ferdinandi Bavariæ Electoris, quo permittuntur quidem certis Anni temporibus choreæ. At ea conditione, ut iis semper interfit Lictor, aut alius arbiter à Magistratu designatus, qui observet, an quidquam contra honestatem peragatur; reos deferat certò ad Magistratum, mulctandos carcere, aliáve ratione.

207 Quæres V. *An, & quomodo ratione lusûs aggravetur malitia gulæ?*

RESP. Tunc, quando quis scit, se post epulas, vel potum immoderatum solere efficaciter incitari ad lusûs habentes admixtam injustitiam, blasphemias, rixas &c. Porro qui distinctam tractationem de lusibus, eorúmque circumstantiis legere vult, consulat vel Azorium *Part. 3. Lib. 5. cap. 24. 25. 26. 27.* aut P. Dicastillo *Lib. 2. De Justit. Tract. 18. per tot.* reperiet omnia; præsertim si his addiderit Dianam *Part. 7. Tract. 9.* per totum.

Quæres VI. *Quomodo multiloquium, & scurrilitas augeat malitiam gulæ?* 208

RESP. I. Per multiloquium, seu loquacitatem, ut vocat S. Antoninus *cit. Tit. 6. cap 4. §. 4.* augetur mortaliter gulæ malitia, quando potus, vel cibus ingestus causa est gravis detractionis, secretorum revelationis &c.

II. Per scurrilitatem intelligit Sanctus Thomas *cit. a. 6.* jocularitatem, qua scil. excitatur risus per verba inhonesta, aut etiam per actus exteriores inhonestos. Ita etiam intelligit S. Antoninus *loc. cit. §. 5.* qui addit: *ventositates etiam ex ore, vel ex parte inferiore studiosè emittere sensibiliter ob levitatem, & risum provocandum, ad scurrilitatem pertinet, & ad peccatum; secus si ex inadvertentia, vel infirmitate, cui aliter obviari non potest, servatâ tamen modestiâ, prout potest fieri.* Etsi autem Toletus *Lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 62.* & Baldellus *cit. disp. 32. num. 3* absolutè dicunt, scurrilitatem per verba, & facta inhonesta exercitam ad solum risum excitandum, non esse nisi veniale peccatum; potest tamen gestus scurrilis esse tam fœdus, ut à mortali illum non excuset absentia alterius malæ intentionis. Sicuti etiam potest quis scurra joci solius causâ ita atroci cavillo aliquem lædere, ut peccet mortaliter.

Quæres VII. *Quænam hîc sint observanda de immunditia quintæ filiæ gulæ?* 209

RESP. Hæc tria. I. Per illam intelligi inordinatam emissionem quarumcunque superfluitatum. S. Thomas *loc. cit.* adeóque vel vomitum, vel pollutionem ex gulæ intemperantia ortam. II. Per vomitum ex intemperantia cibi, aut potûs secutum, non aggravatur illa intemperantia, plusquam venialiter, quia non apparet gravis inordinatio. Suprà *n. 190.* III. Licèt utique mortaliter peccaret, qui ea intentione modum in potu, vel cibo excederet, ut in somno emitteret semen molestum, aut sanitati adversans. S. Antonin. *loc. cit. cap. 5.* Constans quippe omnium opinio est, pollutionem voluntariam, esse ita intrinsecè malam, ut in planè nullo casu liceat eam directè procurare. Sanchez *Lib. 9. De Matrim. disp. 17.* attamen non est damnandus peccati mortalis, qui bibit, aut edit immoderatè, prævidens inde secuturam seminis effusionem absque complacentia. S. Antonin. *loc. cit.* Toletus *Lib. 8. cap. 60.* & alii communiter. Casum attuli *cap. 19. n. 20.*

SECTIO

SECTIO IV.

De cibis jure divino, & Ecclesiastico vetitis?

SVBSECTIO I.

Quinàm cibi fuerint in veteri lege, & cur prohibiti?

SUMMARIUM.

An usus carnis fuerit ante diluvium licitus? 210.
Cur fuerit Iudæis interdictus esus tam variarum rerum? 212.
An eæ leges obligârint in extrema necessitate? 213.
Præcepta Dei positiva non solent obligare cum periculo mortis. 214.

210 QUæres I. *An esus carnis fuerit ante diluvium vetitus?*

RESP. Primus omnium teste Victoria *In Relect. De Temper.* negavit Cajetanus *in Gen. cap. 9.* negat & ipse Victoria, eò quòd non suppetat ratio, cur asseratur ejusmodi prohibitio, & constet, quòd Deus omnia subjecerit sub pedibus hominis, in ejusque ministerium condiderit. Quamvis ipse Victoria putet, esse certum, quòd in statu innocentiæ non fuissent usuri carnibus, eò quòd ligna, & plantæ fuissent sufficientissimum alimentum præbiturа. Addit, esse valde verosimile, quòd ante diluvium vel nullus, vel valde rarus esus
211 fuerit carnium. Hæc doctrina mihi non improbatur, improbantur autem illi, qui olim feritatis damnârunt

In viscere viscera condi,
Alteriùsque animantem animantis vivere letho.

212 Quæres II. *Cùm Levit. 11. prohibeatur esus tam variorum animalium, quæ fuerit ratio hujus prohibitionis?*

Respondet Victoria *n. 2.* ex S. Thoma *1. 2. q. 101. a. 1. & 102. a. 6.* partim ut abstinendo à quibusdam illorum animalium præpararent magis corpora, & animas ad Deum colendum, partim, quia illa animalia habent quendam modum corruptionis, & immunditiæ, partim, quia quorundam ex illis prohibitio spectabat ad bonam gubernationem populi, partim denique ob spiritualem significationem: nam porcus luxuriam, milvus raptum, & avaritiam, corvus tarditatem, & procrastinationem, aquila delitiositatem significant interprete S. Antonino *Part. 2. Tit. 6. cap. 1. §. 1.*

Quæres III. *An illæ leges obligârint in extrema necessitate?* 213

Franciscus Victoria *Relect. De Temper. n. 10.* censet in primis, esse probabilissimam opinionem Gersonis, rati, Judæis etiam in extrema necessitate constitutis nefas fuisse edere cibos lege vetitos. Rationem hanc adfert, quòd tantæ authoritatis sit præceptum divinum positivum, quantæ est naturale; atqui si ex jure naturali esset illicitum comedere carnem suillam, non liceret etiam in extrema necessitate vesci. Ergo.

Censet deinde, esse probabilius oppositum, 214
& meritò hoc censet, quia major, & minor propositio allati argumenti falsa est, nec enim præcepta Dei positiva solent cum periculo mortis obligare. Vasquez *1. 2. disp. 161. n. 12.* Suarez *Lib. 3. De Leg. cap. 30. n. 6.* cùm tamen præcepta naturalia sæpissime obligent cum discrimine vitæ, & honoris. Et quamvis lege naturali interdictus esset esus carnis suillæ, is tamen permitteretur in extrema necessitate, ut patet ex dictis suprà, de esu carnis humanæ. Accedunt exempla Davidis manducantis in 215
necessitate panes Propositionis, & Machabæorum pugnantium in Sabbato, quæ exempla satis ostendunt, non fuisse divinorum præceptorum tantum rigorem, ut obligarent cum periculo vitæ; certè *Regula quarta in 5.* dicitur: *Machabæi sine culpa sua in Sabbato pugnabant.*

SVBSECTIO II.

De cibis Ecclesiastica lege vetitis in primitiva Ecclesia?

SUMMARIUM.

Cur gentibus ad fidem conversis interdixerint Apostoli esu aliquarum rerum? 216.
Quamdiu durârit illa lex? 217.
Quid si nunc quoque observaretur alicubi ea lex? 216.
Quàm graviter ea obligârit? 218.
Refertur Casus ex S. Augustino. 219.
Et judicium aliquorum super responso S. Augustini. 220.

QUæres I. *Cur Actor. 15. fuerit iis, qui ex* 216
Gentilibus convertebantur ad fidem, interdictus esus suffocatorum, sanguinis, & idolothytorum?

Respondet Victoria *loc. cit.* post S. Antoninum *cit. cap. 1. §. 2.* tantùm ratione scandali vitandi, quia scilicet Neophyti ex Gentilibus Neophytos ex Judæis, talia aversantes, graviter offendissent, si talia manducassent. Unde ea lex non obligabat illos ex Gentilibus Neophytos,

phytos, qui non erant permixti Judæis, teste Victoria.

217 Quæres II. *Quamdiu duraverit in Ecclesia lex illa?*

RESP. Per Annos circiter 1100. si credimus Victoriæ, iteratò asserenti, legem illam consuetudine abrogatam fuisse Annis CCCC. antequam hæc ipse scriberet, scripsit autem ab hinc Annis circiter CXLIV. Et addit ex nonnullorum testimonio, etiam sua ætate Græcos abstinuisse suffocato, ac sanguine.

At inquies: *Quid si alicubi lex ea non esset usu abrogata, obligarétne in conscientia?* Resp. Putat quidem Victoria, posse id probabiliter asseri, censet tamen rectè, rectiùs negari, eò quòd cessante in universum ratione legis cesset ejus obligatio. Suarez *Lib. 6. De Legibus cap. 6.*

218 Quæres III. *Quàm graviter lex illa obligârit?*

RESP. In primis tam graviter, quàm obligat præceptum charitatis de vitando scandalo. Resp. deinde, fuisse illam legem, saltem quoad idolothyta adeò Religiosè, & rigidè receptam in aliquibus Ecclesiis, ut etiam sepositio scandalo, vel non licuerit idolothytis in extrema necessitate vesci, vel licuerit non vesci. Id probo solutione, quam S. Augustinus super eo consultus, dedit ad

Sequentem Casum.

219 FAbius *homo Christianus ambulans, passus necessitatem, victus fame plurium dierum in ipsa necessitate famis, in qua sibi videtur mortem proximare, invenit cibum in Idolio* (id est, in mensa idolis consecrata) *positum, ubi nullus erat hominum, & non poterat invenire alium cibum, debebat mori, aut exinde cibari?*

His ferè verbis hanc quæstionem S. Augustino proposuit Publicola, ut videre est *Tom. 2. in Epist. 153. quæst. 11.* Ad eam respondit S. Doctor *Epist. sequ.* his verbis: *Restat, ut dicamus aliquid de eo viatore Christiano, quem commemoràsti victum famis necessitate, si nil usquam invenerit, nisi cibum in Idolio positum, ubi nullus alius est hominum, utrùm ei sit satiùs fame emori, quàm illud in alimentum sumere. Si certum est, esse idolothytum, meliùs Christiana virtute respuitur; si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum ne-*
220 *cessitatis assumatur.* Ita S. Augustinus, à quo dissentiens Vasquez *1. 2. disp. 162. n. 32.* negat apertè, fas esse in proposito casu abstinere esu Idolothyti, Lessius *Lib. 2. cap. 9. num. 29.* post Henricum ait, fas esse tam vesci quàm abstinere idolothyto. Ego à S. Augustino non discedo, ratus, ut dixi, potuisse illam Apostolicam legem esse receptam cum tanto rigore, ut in eo quoque eventu, quem posui, fuerit virtutis eam observare.

SVBSECTIO III.

De cibis vetitis die jejunii.

SUMMARIUM.

An, & qui cibi sint interdicti die jejunii? 221.
Sexta Synodus fuit conciliabulum Arianorum, non legitima Synodus. Ibid.
Quid nomine carnis intelligatur in materia de jejunio? 222.
Quid si de aliquo animalia dubitetur, an constet carnibus propriè dictis? 223.
Hispani vescuntur diebus Sabbathinis extremis animalium. 224.
Quid de jusculo ex carnibus? 225.
Quid de oleribus coctis in carne, lardo, sagimine anserum? 226, 227.
Quid circa hæc obtinuerit consuetudo? 227. & 228.
Singulariter in Germania? 229.
Quid scribat Diana de lardo etiam comesto? Ibid.
An quoties quis edit carnes die vetito, toties delinquat mortaliter? 230.
Quid si rursum incipias comedere, postquam jam terstisti cultrum, cum animo nihil amplius edendi? 231.
Sitne gravius peccatum solummodo prandere ex carnibus die jejunii, quàm prandere, & cœnare ex piscibus? 232.
Non quævis particula carnis comesta inducit noxam mortalem. 233.
Pauperes Germani licitè edunt reliquias carnium die cinerum. 234.
An ova, & carnes mutatæ in aliam speciem innoxiè edantur in quadragesima? 235.
Quid pronuntiandum de ovis, & lacticiniis? 236.
Singulariter in Germania? 238.
An in quadragesima tenearis ova edere, si aliter nequeas servare jejunium? 239.
Refertur Decretum Alexandri VII. circa consuetudinem abstinendi à lacticiniis in quadragesima. 240.
Et perantiquum Breve Pœnitentiariæ Romanæ ad Episcopum Constantiensem sanis non permittens nisi butyrum loco olei, pauperibus, ut & debilibus omnia lacticinia præter Caseum. 242.
Illud Breve indicat, consuetudinem abstinendi à lacticiniis obligâsse olim sub mortali. Ibid.

QUæres I. *An & qui cibi sint interdicti jejunanti?*

RESP. Certum est esse re ipsa prohi- 221
bitum Christianis, ad jejunium obligatis, ne saltem in Quadragesima vescantur carnibus, ovis, & lacticiniis. Probatur tum unanimi consensu omnium Doctorum; tum antiquissi-

ma

ma consuetudine, cujus sunt testes Patres, & Concilia apud Bellarm. *Lib. 2. De bonis oper. in partic. cap. 5.* Valentiam *Tom. 3. disp. 9. q. 2. p. 2.* Layman. *Lib. 4. Tract. 8. cap. 1.* Quamvis autem multi viri eruditissimi, ut Covarruvias *Var. Resol. Lib. 4. cap. 20. n. 15.* atque multi alii censeant, hanc assertionem validè probari authoritate sextæ Synodi, decipiuntur tamen; constat enim sextam Synodum Generalem nullos edidisse Canones. Bellarm. *Lib. 2. De Pontifice. cap. 18. & Lib. 1. De Concil. cap. 7.* Baron. *ad Ann. Christi 592. n. 7.* Severinus Binnius *3. Tom. Concilior. ad Synodum sextam.* Sed illa Synodus, cujus sunt 102. Canones, è quibus refertur hanc in rem LVI, fuit Synodus particularis coacta ex Græcis Episcopis, magnam partem eò intentis, ut taxarent Ecclesiam Rom. Bellarm. *De Pontif. Lib. 4. c. 11.* Qui vel quinquennio juxta Bellarm. *cit. cap. 18.* vel decennio juxta Baron. *loc. cit. n. 4.* post sextam Generalem, seu tertiam Constantinopolitanam convenerunt Constantinopoli in Palatio Imperatoris, Trullo dicto. Baron. *ad Ann. Christi 580. n. 41.* illámque Synodum vocaverunt Græci Quinsextam, ob Canones, quos addiderunt quintæ, & sextæ; qui tamen nullius sunt roboris. Bellarm. *cit. cap. 18.* Hoc suppositio

222 Quæres II. *Quid nomine carnis intelligatur?*

RESP. Medicis, & Philosophis caro est substantia mollis, rubicunda, & ex sanguine media inter siccam. Andreas Laurentius *Lib. 5. Anatom. cap. 1.* Theologis moralibus est id, quod communiter apud Christianos pro carne habetur. Azor *Part. 1. Lib. 7. cap. 10.* Vel caro vulgò dicta, prout distinguitur à piscibus. Lessius *Lib. 4. cap. 2. dub. 2.* juxta communem Christianorum usum, aut medicorum judicium, ut addit Bonac. *De Leg. dub. ult. Punct. 2. n. 1.* vel omnes partes constitutivæ anima-

123 lium, quæ vulgò dicuntur habere carnem. Pasqual. *in Praxi Jejun. decisione 75.* Quod si de aliquo animali propriè dubitetur, utrùm constet carnibus vulgò dictis, consulendi sunt medici. Bonacin. *loc. cit.* & Fagund. *De Præcept. Eccles. Præcept. 4. Lib. 1. cap. 2.* qui habebunt non leve indicium veræ carnis, si illud possit diu vivere extra aquam. Azor, & Fagundez *ll. cc.* post Majorem. Etsi hinc excipiendæ sint testudines, ranæ, ac limaces. Reginald. *Lib. 4. cap. 13. n. 143.* Erit & bonum indicium, si assimiletur magis animalibus habentibus, quàm non habentibus carnem; secùs, si magis his, quàm illis. Pasqual. & Reginald. *ll. cc.* In dubio autem stat possessio pro libertate. Pasqual. *loc. cit. decis. 67.*

224 Jam verò sive dicas, sive neges, unam ex allatis descriptionibus convenire intestinis, sanguini, cerebro, fatendum tamen est, horum esum esse interdictum adstrictis jejunio, ut docet usus communissimus, quem in præsenti materia habere vim legis obligantis in conscientia patet ex indiciis, quæ in hanc rem adfert Ferdin. de Castro Palao *Tract. 3. dub. 3. Punct. 2. §. 3. n. 3.* Equidem non legi, qui permittat; potiùs apertè damnat Layman. *Lib. 4. Tract. 8. cap. 1. n. 5.* loquens de farciminibus. Quamquam seu ex privilegio, seu ex antiqua consuetudine Castellani diebus Sabbatinis vescuntur extremis animalium, ut capite, ac pedibus; item intestinis, id est, ut explicat Fagundez *loc. cit. n. 7.* etiam jecore, pulmonibus, cæteris interioribus, quæ est sanè lata explicatio.

Jusculum è carnibus meritò damnant Henriq. *Lib. 3. cap. 13. n. 11.* Layman. *loc. cit.* Pasqual. *decis. 57.* ob judicium commune omnium; & quia optima substantia carnis elixatæ immigrat in jus. Qua etiam de causa omnes censent, sibi abstinendum oleribus, aut rapis coctis unà cum carne.

225 *Quid si autem cocta sint cum lardo? quid si condita fagimine, seu pinguedine anserum?* Diana *Part. 1. Tract. 9. Resol. 21.* de fagimine loquens ita categoricè respondet: Licitum esse diebus jejuniorum usum fagiminis ex consuetudine, & authoritate Doctorum manifestè apparet. Paulò inferiùs autem idem pronunciat de comedente lardum. Et quidem si diriminda sit lis calculis Doctorum, assentior Dianæ; quia sic sentiunt Gloss. Host. Abb. Silv. Angel. Tab. Graffius, alii, quos contra Henriq. *loc. cit.* & plures alios referunt, sequuntúrque Diana *loc. cit.* Azor *cit. Lib. 7. cap. 10.* Fagund. *cit. cap. 2.* Pasqual. *74. decis.* loquuntur autem solùm de iis diebus, quibus permissa sunt ova, ac lacticinia.

227 Consuetudinem quod attinet, non puto, ullam universalem existere, cùm non reperiam, qui alleget talem in alterutram partem, etsi de Regno Siciliæ testatur Diana *loc. cit.* usum licitum. Itaque est tum pro hac peculiari materia, tum pro cæteris ad jejunium facientibus perpetuò recurrendum ad sententiam, quam ex S. Hieronymo loquente speciatim de jejunio refert, loquens etiam de jejunio *2. 2. q. 147. a. 8. ad 3.* S. Thom. *Unaquæque Provincia abundet in suo sensu; & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Licèt autem idem

228 Pasqualigus absolutè pronuntiet, nullam consuetudinem videri hæc prohibere sub mortali, non ausim tamen ego hoc universim asserere, cùm & ipse Papa præsumatur probabiliter ignorare particulares consuetudines locorum. Text. *cap. 1. De Constit. in 6.* & materia sit hîc talis, ut possit utique esse objectum Legis scriptæ, & non scriptæ obligantis ad mortale; & denique possit quisque rei suæ modum ponere. *Leg. in traditionibus. ff. De pact.* Et verò Tan-

229 nerus

nerus *Tom. 3. disp. 3. quæst. 3. num. 107.* non excusat in Germania nisi pauperes, qui moraliter non possunt habere butyrum; at Laymannus *cit. cap. 1. n. 5.* tradens, doctrinam Glossæ, aliorúmque *n. 308.* relatorum; non esse in Germania practicè tutam, utpote repugnantem consuetudini approbatæ à Prælatis, agnoscit tamen posse Confessarium pauperibus faciliùs dare facultatem utendi iis in quadragesima, sicut & ancillis, quæ ex imperio heri, aut heræ adhibent lardum porcinum loco butyri; & denique ipsos patresfamilias utentes lardo pro condiendis cibis, non facilè damnandos mortalis peccati, eò quòd videri possit illa consuetudo Germaniæ non esse sufficiens ad peccatum mortale. Licèt autem Laymannus non loquatur de lardo, nisi tanquam condimento, attamen Diana cum pluribus aliis loquitur expressè etiam de lardo comesto. Vide cursum Sanctgallensem *Tom. 5. Tract. 3. sect. 2. q. 1. dub. 3.* concordantem per omnia cum Laymanno, & rectè addentem, Germanos nos agnoscere tam gravem in hac re culpam, quàm in esu ipsarum carnium.

230 Quæres III. *An toties quis peccet mortaliter edendo carnes die prohibito, quoties edit?*

RESP. Pasqual. *decis. 64.* testatur, neminem de hoc dubitare, laudátque authores 74. Testatur id ipsum cum Tannero *loc. cit. num. 93.* Diana *cit. Tract. 9. Resol. 37. & 45.* Rationi hanc in rem allatæ *cap. 4. n. 19.* addo hanc, quòd esus carnium sit in quadragesima vetitus per se, non autem ratione jejunii, cùm sit interdictus etiam adolescentibus, & in diebus Dominicis. Quòd si tamen die vetito obligurias in uno prandio tria fercula, esto inter singula intercedat non modica intercapedo temporis, attamen propter unitatem prandii committes tantùm unum peccatum mortale. Ita expressè

231 Dicastillo *De Pœnitent. disp. 9. n. 71. Quid si verò absumptis tribus ferculis tergam cultrum, cum animo nil ampliùs edendi; mox tamen illato novo ferculo, quod ad palatum meum faciat, etiam ex illo carpam bonum frustum?* A novo peccato te expressè absolvet Lugo *De Pœnit. disp. 16. n. 551. sub fin.* Absolvet verò consequenter Lessius *cit. c. 2. n. 11.* ac Filliucius *Tr. 27. Part. 2. c. 2. n. 41.* & meritò; eò quòd hæc mutatio voluntatis tam citò revocata non videatur tollere moralem continuationem. Certè *in brevi reversa uxor nec divertisse videtur.* Text. *L. Quidquid calore. ff. De Reg. Iur.*

232 *Estne autem gravior noxa, vesci semel carnibus die cinerum, ex gr. quàm sumere duas integras ex piscibus refectiones?* Negat Fagund. *cit. c. 2. n. 2.* Affirmat apud ipsum Paludanus, & apud Dianam *Part. 5. Tract. 14. Res. 56.* Granadus cum Texeda; quibus assentior ob difficultatem in dispensando, ac pœnas graviores statutas, indices majoris inobedientiæ, in transgredientes. Et verò esse necessariò in Confessione explicandum, utrùm sit jejunium fractum hoc, an illo modo asseverat Suar. *Tom. 4. in 3. Part. disp. 22. sect. 3. n. 12.* adstipulantibus Laym. *Lib. 1. Tract. 2. c. 1. n. 3.* Granado, Texeda, & Marchantio post Henriq. *Lib. 3. cap. 5. n. 10.* quibus Diana, judicium suspendens, *cit. Part. 5. Tract. 7. Res. 2.* jungit Mendozam, nixum hac ratione, quòd hæc duo peccata differant specie. Ego licèt non videam specificam differentiam, eámque neget Texeda apud Dianam, quia tamen non scio, qui ab his Doctoribus in ipsa resolutione dissentiat, non libenter recedo ab iis. Certè Joan. Sanch. *disp. 51. n. 27.* idem docet de comedente carnes, & ova, dicens intervenire hic diversum peccatū.

233 Quæres IV. *An quævis particula carnis comestæ inducat noxam lethalem?*

RESP. Negat meritò Tannerus *loc. cit. n. 93.* cùm in tot aliis præceptis parvitas materiæ excuset à mortali. Et quidem Bonacina *De Leg. disp. ultim. q. 1. Punct. 2. n. 2.* excusat illum, qui edit modicum frustulum. Leo apud Dianam *Part. 1. Tract. 12. Resol. 32.* illum, qui tantum, quantum sufficit libatoribus principum, ad hos assecurandos; Pasqualigus *decis. 32.* qui semiunciam; Escobar *Tract. 1. Exam. 13. n. 104. Edit. Monachiensis*, qui non plus quàm unciam. Quidam doctus Recentior, qui non plus quàm octo uncias. Verùm repugnant huic alii authores, nec ausim sequi in praxi.

234 His addo duo breviter. Primum, meritò excusari à Laymano *Lib. 4. Tract. 8. cap. 9. n. 3.* & à Tannero *cit. quæst. 3. n. 108.* illos pauperes, qui die cinerum absumunt reliquias carnium donatas à ditioribus, cùm in tanta copia egenorum non sit mens Ecclesiæ, ut eæ projiciantur canibus.

235 Alterum, Rodriq. in *Summa Part. 1. cap. 23. n. 1.* putat ova, & carnes esse vetita etiam postquam transierunt in aliam speciem. Sed quid dicet hic Author de truttis studiosè nutritis carne, intestinis &c. Quid de vino verso in aquam? posito, quòd lex, vel præceptum Confessarii interdixerit vino. Itaque hæc doctrina non est admittenda ut jacet, admittenda autem, si intelligatur de mutatione substantiali solùm apparenter facta, ut declarant varii panes, placentæ, cupediæ, cibi confecti admixtis ovis, butyro, jure carnium &c. Quamquam neque etiam est ubique circa hæc consuetudo eadem. Itaque etiam hîc standum sententiâ S. Hieronymi superius relatâ; cavendo tamen ne sine magnis indiciis interpretemur consuetudinem, quasi mortaliter obligantem, nam *periculosè determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur*, inquit S. Thomas *Quodlib. 9. quæst. 7. a. 15. C.* Et quis dicet, sicut uncia ex puris carnibus, aut puris ovis sumpta sufficit juxta

Pasqualigum ad mortale, ita etiam sufficere sumptam ex cibo unius unciæ, cui sit immixta non omnino semiuncia ovi? Idē proportionaliter dic de obligato abstinere à vino, bibente tamen valde dilutum. Plura hîc de esu carnium prohibito dicere non est mei instituti. Alia non pauca addam *cap. 33.*

235 Quæres V. *Quid pronuntiandum de ovis, & lacticiniis?*

Respondetur breviter sequentibus. I. Nulla generali lege, vel consuetudine sunt interdicta extra quadragesimam. Non generali consuetudine, nam neque Germani, neque plures alii populi abstinent iis extra quadragesimam, quamvis Germanos abstinuisse ante ducentos Annos liqueat ex dicendis *num.* 241. Non generali lege. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *a.* 8. Palaus *Tract.* 30. *disp.* 3. *punct.* 2. §. 1. cum plerisque contra Covarruv. *loc. cit.* atque alios. Nam capitulum *Denique dist.* 4. vel continet duntaxat Consilium. Reginald. *Lib.* 4. *n.* 45. vel restringendum est ad quadragesimam, quandoquidem de illa sola erat proposita quæstio. Palaus *loc. cit.*

237 II. Licet Fagundez *De Præcept. Eccles. Præcept.* 4. *Lib.* 1. *Cap.* 2. contendat, peccari solùm venialiter vescendo talibus rebus in quadragesima, eò quòd nec Episcopi possint hic inducere obligationem mortalem, neque consuetudo illam inducat, utpote orta ex falsa opinione gravis obligationis, quæ proinde à Confessariis sit eximenda pœnitentibus, quia tamen omnes teste Palao *loc. cit.* præter Palatium dissentiunt à Fagundez, quamvis ejus opinionem reputet probabilem idem Palaus, quia etiam nullo modo dubitari debet, quin & Episcopi saltem cum Synodo, & ipse usus possint, ac potuerint talia vetare sub culpa mortifera, cùm contineant materiam notabilem, sufficientémque ad valorem voti sub mortali obligantis, & si quod generale præceptum existit, potuerit illud in uno Episcopatu, seu Provincia recipi sub magno, in altera autem Provincia sub levi reatu, ideo non est generatim admittenda sententia seu Fagundezii, seu Palai, sed in quavis Diœcesi consulendus est usus particularis, ex eóque dijudicandum, an in illa Diœcesi vigeat ille rigor, de quo Palaus, an illa lenitas, de qua Fagundez. Equidem Joan. Sanchez Hispanus *disp.* 51. peccati mortalis non semel damnat vescentem ovis die quadragesimali, sicut & Diana Siculus, *Part.* 3. *Tract.* 6. *Res.* 80. loquens de edente in Dominica quadragesimæ.

238 III. Germaniam nostram quod attinet, rectè testantur Layman. *Lib.* 4. *Tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 3. ac Tannerus *Tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 3. *num.* 88. passim quidem in his Germaniæ Provinciis permitti ova, non tamen esse in ipsa Germania ubique eandem consuetudinem, ut addit Tannerus. Butyrum, & caseum sine scrupulo edi probat apertissima consuetudo. Ubi permissa sunt ova, hoc ipso esse permissa illa, quæ adhuc latent intra gallinam, observat singulariter Diana *Part.* 10. *Tr.* 12. *Resol.* 45. ex Leandro.

P. Thom. Sanchez. *Lib.* 5. *Consil. Moral. c.* 1. 239
dub. 32. censet, te obligari ad comedenda ova, si sine iis non possis die jejunii abstinere à duplici refectione. Sed hanc obligationem non puto admissum iri ab omnibus, præsertim iis, qui ovorum esum judicant esse mortalem, sicut & P. Matthæus Stoz in sua perquam fœcunda praxi confitendi *p.* 219. & 230. negat, à te peccari contra votum edendi hodie carnes (aut ova) si postquam es semel transgressus votum, rursum bis, aut ter comedas. Quod etiam *cit. pag.* 229. intelligi vult de obligatione ex sola pœnitentia Sacramentali. Quæ utraque doctrina est vera, si sit conformis intentioni voventis, & injungentis pœnitentiam, secùs si difformis.

Ad elucidationem & robur nonnullorum 240
assertorum de Ovis, & lacticiniis observo, esse ab Alex. VII. die 18. Mart. Anno *1666.* sententiis, doceri, inque praxin redigi prohibitis, insertam hanc: *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.* Quæ quidem censura minimè ferit consuetudinem vescendi libere in Quadragesima ovis, atque lacticiniis, quam vigere in multis Germaniæ Diœcesibus notavi superiùs, etenim Alexand. loquitur solùm de consuetudine non vescendi recepta, non autem de vescendi; à tam diversis autem nulla valet illatio.

Observo quoque, illam antiquam Germani- 241
carum Ecclesiarum consuetudinem ex majori parte sumptam niti saltem quibusdam in locis expresso privilegio Apostolico. In cujus observationis certam fidem repræsento exemplum perantiqui Brevis, quod in forma originali fuit mihi benignè communicatum à primæ authoritatis, notæque virtutis viro. Est autem illius hic tenor,

Venerabili in Christo Patri Dei gratia Epi- 242
scopo Constantiensi, vel ejus Vicario in spiritualibus, Philippus miseratione divina titulo S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis salutem, & sinceram in Christo Domino charitatem. Ex parte omnium, & singulorum utriusque sexus incolarum, & cooppidanorum intra & extra muros Oppidi Uberlingæ, vestræ diœcesis nobis oblata petitio continebat, quòd cùm ipsi regionem inhabitent, ubi oleum olivarum minimè crescit, neque illud absque magna incommoditate haberi possit, & exponentes præfati majori ex parte sint laboratores pauperes,

peres, qui oleum ejusmodi commode habere nequeant; & licèt sint aliqui ex iis tam abundantes, & divites, quòd oleum hujusmodi commodè emere possint, tamen propter non-usum pluribus ex iis in nauseam, & fastidium venit, adeò quòd uti illo abhorrent. Unde volentes ipsis exponentibus, eorúmque necessitatibus subvenire, & vestigia plurimarum communitatum, dictæ vestræ Diœcesis, quibus ex speciali licentia Sedis Apostolicæ, ut temporibus quadragesimalibus, & aliis diebus jejunalibus butyro, & aliis lacticiniis uti possint, indultum est, sequi, Exponentes præfati, & præsertim pauperes, qui absque Sedis Apostolicæ dispensatione à pluribus retroactis temporibus, & Annis effluxis, usque ad hodiernum diem continuando hujusmodi Lacticiniis usi sunt, & fruuntur, supplicari fecerunt humiliter, eis, & eorum successoribus super his per Sedem Apostolicam de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur attendentes, quòd necessitas non est sub lege, & quòd aliàs est illicitum, necessitas licitum facit: Authoritate Dn. PP. cujus Pœnitenciariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hujusmodi viva vocis oraculo nobis facto circumspectioni vestræ committimus, quatenus veris existentibus præmissis, super quibus vestram conscientiam oneramus, ipsos exponentes ab excessibus hujusmodi absolvatis, & eorum cuilibet pro modo culpæ pœnitentia salutari cum ipsis exponentibus, eorúmque posteris, & successoribus, ac ipsum locum pertranseuntibus, quòd diebus quadragesimalibus, & aliis diebus jejunalibus, videlicet sani butyro tantùm loco olei, pauperes verò, debiles, & infirmi Lacticiniis, demto caseo, uti possint, & valeant, dispensetis authoritate, & mandato prædictis misericorditer cum eisdem, prout secundùm Deum animarum ipsarum saluti judicaveritis expedire. Datum Romæ apud S. Marcum sub sigillo officii Pœnitentiariæ III. Non. Febr. Pontificatus Dn. Pauli P. P. II. Anno quarto.

Ita illud Breve, ex cujus postremis verbis patet, fuisse expeditum ante ducentos Annos, scilicet Anno Christi millesimo, quadringentesimo sexagesimo octavo; etenim idem Pontifex cœpit Ecclesiam regere Anno 1464. Porrò illa urbs, Uberlinga, inquam, cum qua fuit cum ejusmodi restrictione dispensatum, jam à plurimis Annis vescitur, tametsi fervens in Religione Catholica, Lacticiniis sine ullâ limitatione horum, aut personarum, sicut & nostra Constantia; at Helvetii Catholici abstinent ovis. Porrò quia Ecclesia non consuevit injunctione pœnitentiæ totam aliquam communitatem saltem Laicam punire ob culpam venialem, idcirco non improbabiliter infertur ex hoc Brevi, consuetudinem, seu legem abstinendi à Lacticiniis obligâsse olim sub mortali.

SECTIO V.

Quid sapientes sentiant de turpitudine Gulæ?

SUMMARIUM.

Patetica Gulosi descriptio ex S. Clemente Alexandrino. 243.
Et ex Plutarcho. 244.
Et ex S. Chrysostomo. Ibid.
Et ex S. Basilio. 245.

Licet videre gulosos suibus, vel canibus pro- 243
pter voracitatem assimilari potiùs, quam hominibus, qui adeò festinant, ut saturentur, ut ambæ maxillæ simul inflentur, elatis vasis, quæ sunt in facie; quin etiam sudorem præterea diffundi, dum propter insatiabilitatem artè comprimuntur, & propter intemperantiam anhelanæ intrusoin ventrem nutrimento, & tanquam ad viaticum, non ad depressionem edulia seponunt. Ita graphicè S. Clemens Alex. *Lib.* 2. *Pædag. cap.* 1. qui paulò pòst addit: *Gulæ dedita cor habet in ventre, admodum sinistis pisti, Græcè ὄνος, seu asinus dicitur, quem solum ait Aristoteles, ex animantibus cor habere in ventre.*

In hunc ipsum sensum ita pronuntiat Plu- 244
tarchus *in Moral. Velut Mathematici centro, ac spatio, ita quidam omnem voluptatem ventre circumscribunt, nec quidquam jucundum, & delectabile putant, nisi quòd cibo, & potu conficitur.*

Nihil gulâ pernicios us, nihil ignominiosius est; hæc obscurum, & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectum, non sinit, ut quidquam perspiciat. Ita S. Chrysostomus *Homil.* 44. *in Joan.*

Ante omnia adversus gustum Virgo tota in- 245
tentione pugnabit, fontéque voluptatis, & impudicitiæ fomitem inde manantem à principio castitatis studio, & ardore siccabit; ventre enim distento epulis, necesse est, ea, quæ sub ipso sunt membra, ex humoris redundantia ad propria, & naturalia officia moveri. Sic philosophatur S. Basilius *de vera virginitate.* Plures hanc in rem Sanctorum sententias prudens omitto, non tamen taceo, quòd judicio totius Ecclesiæ censeatur gula peculiariter repugnare excel-

lentiæ naturæ humanæ; nam Ecclesia in feria V. hebdomadæ Passionis ita orat: *Ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata medicinalis parsimoniæ studio reformetur.* Unde S. Thomas 2.2. q.142. a.2. rectè gulam vocat vitium *puerile.*

PARERGON.

De benedictione ciborum, & vini.

SUMMARIUM.

Cur cibi benedicantur? 246.
Sensus benedictionis ad mensam. 247.
Reprehensus Diaconus dans benedictionem Presbyteris. 249.
Fuit olim ad singula nova, fercula data nova benedictio. 250.
Vtrùm sit fas benedicere integrum agnum, aut vitulum? 251.
Vtrùm liceat ossa agni benedicti, aut aliarum benedictarum carnium projicere canibus? 252.
Benedictio alia est constitutiva, alia solùm invocativa. 253.
Quid agendum de putaminibus ovorum Paschalium? 257.
Factum S. Corbiniani explicatur. 258.
An cera, & aqua benedictis &c. uti liceat ad profana? 259.
Vtrùm, quando vino benedicto infunditur non benedictum, prosit, an obsit ea mixtio? 261. & seqq.
Eadem quæstio movetur de aqua, & oleo benedictis. 263. & seqq.
Veneficis non patuit aditus ad dolia continentia vinum benedictione S. Ioannis præditum. 268.

CUm in hoc capite tam multa de usu, & abusu ciborum dixerim, censui, me rem & Lectori gratam, & ab instituto non planè alienam facturum, si nonnulla ex iis, quæ de ciborum, ac vini benedictione in 1. & 2. *de Benedictionibus Libro* scripsit P. Jacobus Gretserus, adscriberem.

246 Quæres itaque I. *Cur cibi benedicantur?*

RESP. Ne vel à cacodæmone inficiantur, vel si infecti, ut per benedictionem pellantur ejus tendiculæ, iique nobis salutares efficiantur. *Lib. 1. c. 9. & 13.*

247 Quæres II. *Quis sit sensus duplicis benedictionis, qua solet à Clericis mensa benedici?*

RESP. A Durando *Lib. 4. Rational. cap. ultimo* ita explicari. [Primò quia major incipiens dicit: *Benedicite*, & cæteri respondent: *Dominus*, quia sicut debemus Dominum, per gratiarum actionem benedicere, ad quod major dicendo: *Benedicite*, hortatur, sic & indigemus benedici à Domino suæ gratiæ infusione, quam illi optantes postulant, respondendo: *Dominus*, supple: *nos benedicat suæ gratiæ infusione.* Secundo modo majori incipiente: *Benedicite*, cæteri similiter respondent: *Benedicite*, ad ostendendum, quòd ad Dei benedictionem debemus nos mutuò hortari. Potest etiam dici, quòd in priore modo reverentia Dei consideratur: cùm enim respondetur: *Dominus*, supplendum est: *Benedicat*, quia nos non sumus digni benedicere; in secundo autem reverentia Superioris; cùm enim respondetur: *Benedicite*, supplendum est: *Vos Pater*, quia minor majore præsente benedicere non debet. Deinde majore versum inchoante, cæteri coadjuvant ad dicendum, ut significetur, quòd inferiores coadjutores sunt Præpositorum in oneribus supportandis.] Hactenus Durandus apud Gretserum *cit. cap.* 13. Ex cujus doctrina duo colligenda sunt.

248 Primò, hanc ipsam explicationem habere locum in illa benedictione, quæ habetur, & recitatur post Lectionem brevem ad Primam. Secundò, non immeritò à S. Hieronymo *in Epist. ad Evagrium* reprehendi illum Diaconum, quem ipsemet vidit in domesticis conviviis benedictiones Presbyteris dare; quandoquidem tam Durandus, quàm Gretserus *loc. cit.* rectè observant, esse morem Ecclesiæ, ut majore, & digniore præsente, minor, ac inferioris conditionis, & gradûs, mensæ non benedicat, nisi à majore justus, vel permissus.

249 Quæres III. *An sicut hodie unica tantùm benedictio datur pro omnibus cibis unius prandii, vel mensæ, ita etiam olim fuerit unica data?*

RESP. Fuit olim, saltem in quibusdam locis, ad singula nova fercula benedictio reposita, non una ad omnes missus, more nunc recepto, protensa. Id probat Gretserus *loc. cit.* ex historia, quam apud ipsum recitat S. Gregorius Turonens. *Lib. 1. De Gloria Martyrum cap. 80.*

250 Quæres IV. *Vtrùm sit fas benedicere non modo frusta carnium, ut solet fieri in Pasthate, sed etiam integrum agnum?*

RESP. Licèt VValafridus Strabo existimet, id non licere, eò quòd sapiat Judaicam superstitionem, attamen communis sensus aliorum Catholicorum est in contrarium, & meritò. Nam si fas est, agnum in frusta concisum benedicere, licet utique integrum. Nec timenda est hîc Judaica superstitio, quia jam constat, illam benedictionem impertiri ea sola intentione, ut agnus sit salutaris animo, & corpori *Lib. 2. cap. 42.*

251 Quæres V. *Vtrùm liceat ossa agni benedicti, aut aliarum carnium benedictarum objicere canibus devoranda?*

RESP. Negat P. Gretserus *cit. cap. 42.* tum propter illud Salvatoris monitum: *Nolite Sanctum dare canibus*, tum quia benedicta oportet Religiosè tractare. Vult igitur hic Doctor ejusmodi ossa comburi, quorum combustorum cineres, si nonnulli reverenter asservant, & pro benedictione distribuunt, nihil à pietate alienum faciunt. Nam si einis vitulæ aspersus populos sanctificabat, cur non & cinis rerum consecratarum efficaciam aliquam de accepta in integris rebus benedictione retineret? Ita ille.

252 Verùm quidquid sit de his cineribus, censeo, posse absque peccato ossa carnium benedictarum dari canibus. Rationem desumo ex generali doctrina, quam tradit Cajetanus 2.2. q.188. a.11. quòd videlicet duplex sit benedictio, una constitutiva, qua scil. res quæpiam constituitur verè sacra; alia invocativa solùm, qua res non constituitur sacra, sed tantùm invocatur specialis assistentia Dei circa illius præsentiam, vel usum, ut etiam declarat Laym. *Lib. 5. Tract. 9. c. 13. n. 5.*

253 Porrò res illas, quæ benedictione invocativa benedicuntur, asserit generatim Cajetanus, posse post benedictionem adhiberi ad omnem illum usum, ad quem poterant, antequam benedicerentur; consentitque Laymann. dum absolutè ait, res benedictas benedictione invocativa, non secerni ab usibus profanis. Et quia ciborum benedictionem meritò pronuntiat idem Laym. esse invocativam, sequitur, posse omnes cibos benedictos post benedictionem adhiberi ad omnes illos usus, ad quos poterant ante benedictionem. Cùm igitur ossa carnium, antequam hæc benedicantur, possint projici canibus, poterunt etiam

254 postquam fuerint benedicta. Confirmatur inde, quòd fragmenta domûs, navis, vestis, possint etiam postquam hujusmodi res benedictæ fuerunt, converti in omnes illos usus, in quos poterant ante benedictionem.

255 Ad primam rationem P. Gretseri dicitur, carnes benedictas non esse sanctas. Ad alteram, non omnia, quæ sunt benedicta, debere Religiosè tractari, ut apparet vel in thalamo, culina, lardario, de quibus ipse Gretserus *Lib. 2. c. 49.*

256 Quæres VI. *Quid pariter faciendum sit putaminibus ovorum Paschalium?*

Respondet *cit. cap. 42.* P. Gretserus, piè facere, qui ovorum benedictorum putamina, aut comburunt, aut saltem ad quisquilias non amandant. Ego arbitror, posse sine piaculo in fimetum projici, tum propter paulò antè dicta, tum quia fortè benedictio ovorum non extenditur ad putamina, utpote à nemine comedi solita.

257 Quamvis autem S. Corbinianus, ut in ejus vita refertur, gravissimè verbo, & facto, adeòque ipsius mensæ, cum ipsis poculis argenteis eversione, objurgârit Grimoaldum Principem,

quòd cani suo per incuriam projecisset frustrum ex pane, quem ipse vir sanctus unà cum reliquis cibis signo crucis ad mensam benedixerat, meritò tamen monet idem P. Gretser. *L. 1. cap. 13.* hoc factum debere referri inter ea exempla Sanctorum, quæ potiùs admiranda sint, quàm imitanda, quandoquidem cibi ad mensam benedicti tractari possint, & soleant tanquam planè communes.

259 Quæ dixi, confirmantur authoritate P. Thomæ Tambur. *Lib. 1. De Sacrif. cap. 2. §. 3. n. 3.* ex instituto defendentis, ceram in festo Purificationis benedictam, posse absque omni peccato adhiberi, citra contemptum, ad usus communes, asserens idem de ramis, & carbonibus benedictis, idem de agno, & ovis paschalibus, de pane benedicto, ac demum de aqua, incensóque benedictis. Quin *n. 2.* præmiserat, casulas, albásque dissutas, item corporalia, purificatoriáque usu detrita posse *probabiliter* usurpari, ut merè profana. Favet ipsi apertè Palaus *Tract. 8. disp. 1. Punct. 6. n. 25.* meritò tamen suadens contrarium ob decisiones juris, de quibus vide Azorium *Part. 1. Lib. 9. c. 10. q. 7.* & Petrum Peckium *in cap. Semel Deo dicatum, De Reg. Iur. in 6.* ubi perquam Religiosè loquitur. Videri possunt ea, quæ hanc in rem diximus in Experientiis *Tract. 3.* seu in Alphab. Sacrificant. *Cas. 11. n. 370. & seqq.*

260 Quæres VII. *Vnde ortum habeat consuetudo, qua Germani solent festo S. Ioannis Evangelistæ vinum benedicere?*

RESP. Ex traditione, qua creditur, ab illo S. Apostolo innoxiè bibitum fuisse venenum. Gretserus *De Benedict. cap. 38.* ratus etiam, morem illum, quo consuevêre Germani sua convivia; aut symposia claudere propinando poculum, quod S. Joannis *benedictionem* vocant, inde promanâsse, atque per illud poculum peti, ut per merita S. Joannis Evangelistæ omne vinum priùs bibitum cedat in corporis, animíque salutem, sicut observavi *cap. 13. sect. 1.*

261 Quæres VIII. *Vtrùm quando vino benedicto non benedictum miscetur, prosit, an obsit ea mixtio?*

RESP. I. Quando quantitas vini non benedicti, quæ cum benedicto miscetur, est minor ipso benedicto, fit totum benedictum. Ita docent omnes *ex cap. Quod in dubiis. De consec.* Nam sacrum tanquam dignius trahit ad se non sacrum. Gloss. *ibid.* communiter recepta. Confirmatur indè, quòd digiti Sacerdotum maneant consecrati, licèt alia, atque alia cutis, seu epidermis succrescat paulatim.

262 II. Hoc ipsum videtur esse pronuntiandum etiam tunc, cùm quantitas vini non benedicti æquat quantitatem benedicti. Sa *Verb. Benedictio*, & alii contra Sylv. *Verb. Aqua Benedicta, n. 3.* Ratio est, quia & *cit. cap. Quod in dubiis,*

sine ulla distinctione dicitur: *Non negamus, quin oleum non benedictum consecrato possit* (utiliter) *oleo commisceri.* Et commune axioma dicit, quòd sacrum tanquam dignius trahat ad se non sacrum.

263 III. Si tamen quantitas non benedicta sit notabiliter major benedictâ, destruitur tota benedictio. Ita contra Angelum, & Rosellam, quibus favet Emmanuel Sa *loc. cit.* sentit Sylv. *loc. cit.* Gretserus *loc. cit.* Laym. *Lib. 5. Tract. 9. cap. 13.* Ratio est, tum quia alioquin sequeretur, si mensura aquæ benedictæ effunderetur in mare, fore ut totum pelagus sortiretur benedictionem, tum quia, cùm hæc benedictio, & consecratio sit tantùm moralis, per quandam extrinseam denominationem institutam ab Ecclesia, volente eam fieri per contactum, & admixtionem, Tanner. *Tom. 4. disp. 5. q. 6. n. 23.* non debet extendi ultra intentionem Ecclesiæ; quæ utique non vult, ut dignius, seu sacrum trahat ad se minùs dignum, seu non sacrum, quando non sacrum est longè majus sacro, siquidem non consuevit consecrare; nisi illam aquæ, olei, vini quantitatem, quæ usibus humanis est utilis, vel necessaria.

264 IV. Si tamen benedicto liquori non benedictus ita infundatur paulatim, & successivè, ut quod una vice, unóque impetu infunditur, sit minus benedicto, satis probabile est, quod totum evadat benedictum, esto sit successivè longè plus infusum, quàm fuerat prima quantitas benedicta. Gretserus, & Layman. *ll. cc.* Ratio petitur tum ex responsione secunda, tum quia in hoc casu manet idem semper moraliter liquor.

265 V. Quando Germani integris vini doliis infundunt pauxillum ex vino, die S. Joan. Evangel. benedicto, illud totum dolium non acquirit quidem benedictionem, imò eam amittit Portiuncula illa, quæ fuit affusa, haud tamen sunt de superstitione damnandi ejusmodi homines, tum quia sententia Angeli, & Rosellæ ex Sylv. superiùs relata, non est apertè falsa, tum quia bona fides, & simul tacita invocatio Divi Joannis potest apud Deum ali-
266 quid promereri. Quod similiter pronuntio de Bavaris, qui mensuram vini, attactu cranii gloriosissimi Martyris Sebastiani benedictam infundunt aliis multis mensuris, bibúntque magna cum Religione, & sæpenumero cum
267 non minore emolumento corporis. Idem quoque ajo de illis, qui pauxillum aquæ ad invocationem Sancti Patriarchæ nostri Ignatii, ejúsque Imaginis contactu benedictæ admiscent suo, suorúmque pecorum potui, cibis, pabulo; quorum pietatem, fidémque creberrimè luculentis miraculis in Helvetia, Svevia,
268 Tiroli, Bavaria comprobavit Deus. Et verò testatur Gretserus, veneficas fassas esse, non patuisse sibi aditum ad illa vasa vinaria, in quæ aliquid de vino S. Joannis benedicto infusum erat, nec potuisse ex illis quidquam haurire pro suis sympoliis, & conventiculis.

VI. Ex his deduces, illos parochos, quibus die Cœnæ Domini oleum infirmorum mittitur, in tam parva quantitate, ut non sufficiat inungendis omnibus parochianis suis, provide agere, si vel semel, vel, ubi necessitas exegerit, repetitis vicibus infundant benedicto tantum, quantum æquat ferè dimidiam partem benedicti; benedicti inquam, vel immediatè ab Episcopo, vel mediatè per admixtiones moderatas, quæ jam præcesserunt. Multos authores, & Ritualia citat pro hac sententia Quintanadvennas *Singularium Part. 1. Tract. 5. sing. 1.* quamvis contrarium operosè defendat. Qua de re disseruimus ex instituto suo loco, id est in Alphabeto Ordin. & Extraord. Unctionis adeóque in Experientiis *Tract. 8. Cas. 21. n. 786.*

L. L.

BONA PARAPHERNALIA &c.

CAPUT XXIV.

Quid juris competat marito in uxoris, & huic in illius bona?

SECTIO I.

De jure mariti in bona uxoris?

SUMMARIUM.

Bona conjugum sunt triplicis generis. 1.
Quæ sint uxoris? 2.
Quæ dicantur communia? 3.
Peccat mortaliter maritus abliguriens bona paraphernalia. 4.
Esto horum usus fructus spectet ad eum. 6.
Quid juris circa dotem competat marito? 9.
Quid aget dote uxor, quando maritus vult eam dilapidare? 11.
Quanta obligatio alendi uxorem incumbat viro? 12.
Quid juris obtineat maritus in bona communia, spectato jure communi? 14.
Quid spectato jure Hispanico & Gallico? 16. & 22.
Quid Bavarico? 17.
An maritus teneatur uxori restitutionem facere, quando dilapidavit bona communia? 19.
Quid si maritus faciat quidem sumptus superfluos, at non cum magna profusione? 21.

1 SUpponendum est ex Bonacina *De Restit. disp. 2. q. 10. punct. 2. n. 1.* & aliis communiter, bona conjugum esse triplicis generis, scilicet propria mariti, propria uxoris, & utrique communia. Propria mariti sunt, (abstrahendo à peculiaribus pactis conjugum particulariúmque locorum legibus, & consuetudinibus,) illa omnia, quæ is possidet, excepta dote, & donatione facta causa nuptiarum.

2 Propria uxoris sunt, (itidem abstrahendo à pactis, & legibus peculiaribus) tum ipsa dos, quam uxor adfert marito: tum donatio facta causâ nuptiarum: tum omnia planè, quæ præter dotem, vel ad maritum attulit ipsa, vel durante Matrimonio, non concurrente operâ mariti, acquisivit, atque adeò bona Paraphernalia, seu Parapherna, quæ *L. Hac lege. C. De pactis Convent.* describuntur ea esse, *quæ extra dotem mulier habet.* Nam παρὰ τῆς φέρνης significat ultra, seu extra dotem; ut proinde bonis paraphernis accensentur etiam illa, quæ sua industria suarúmque manuum labore, citra mariti cooperationem, comparat uxor post exhibitas eas operas, quas in familiæ administratione præstare tenetur. Molina *Tract. 2. disp.* 430. & 432. Navarrus *in Summa cap. 17. n. 155.* Graffis *Part. 1. Lib. 2. cap. 7.* Bonacina *cit. punct. 2. n. 1.* Dicastillo *Lib. 2. De Iustit. Tract. 2. dub. 9. n. 195.*

3 Denique communia de jure communi sunt illa, quæ conjuges percipiunt ex fructibus dotis, & arrharum, ut describunt Bonacina, & Dicastillo *ll. cc.* At Molina, Navarra, Lessius locis infrà referendis, nomine bonorum communium intelligunt illa, quorum medietas ad maritum, medietas ad uxorem spectat; & solent ab Hispanis scriptoribus vocari *super lucrata*, si durante matrimonio, sint acquisita. Hoc suppositio.

4 Quæres I. *An, & quatenus peccet maritus qui, ut in ipsa Accusatione lit. L. L. expressimus, bona paraphernalia abligurit?*

RESP. Haud dubiè mortaliter contra justitiam delinquit spectato jure communi. Etenim *Leg. Hac Lege. C. De pactis Convent.* ita statuitur: *Hac lege decernimus, ut vir in his rebus, quas extra dotem mulier habet, nullam uxore prohibente habeat communionem, nec aliquam ei necessitatem imponat.* Unde patet, horum bonorum dominium, usum fructum, usum, & administrationem ipsam ex vi hujus legis manere penes uxorem, ac proinde rem alienam usurpari à marito parapherna absumente.

5 II. Etiam spectato jure particulari particularium locorum, gravem injustitiam admittit vir, dum prædicta bona in Bacchum, Venerem &c. expendit. Ratio est, quia licèt multis in locis paraphernorum administratio ad maritum spectet; *bonum enim est, mulierem, quæ seipsam marito committit, res etiam ejusdem patì arbitrio gubernari*, inquiunt Impp. Theod. & Valent. *cit. Leg. Hac Lege.* Clarum est tamen, quòd administrationis jus non extendatur ad prodigas, turpésque alienationes, juxta legem *Quidquid tutoris. Cod. Arbitrium tutelæ.*

6 III. Imò in iis etiam locis, in quibus velomnium, vel aliquorum paraphernorum usus fructus viro competit, gravis injustitiæ reus est, dum eorum notabilem summam dilapidat. Nam jura locorum particularium, & pacta conjugum, usumfructum ejusmodi bonorum, alia ratione non permittunt mariro, quàm ut convertat in familiæ utilitatem. Excipe ab hac doctrina Gallos, de quibus Chassanæus infrà *n. 16.*

7 IV. Porrò, quod Bonacina *disp. 3. De Contr. q. 11. p. 10. n. 4.* absolutè tradit, scilicet casu, quo uxor concedit marito paraphernalium administrationem, posse pro labore administrationis retinere sibi fructus industriales paraphernorum, & non teneri restituere naturales, quando per hos non est ipse factus locupletior, est quidem verum, quoad industriales; etenim etiam malæ fidei possessorem acquirere plenum dominium fructuum merè industrialium, sine restituendi obligatione (cum damni tamen fortè orti, & lucri cessaris compensatione) concors est sententia Theologorum, post S. Thomam 2. 2. q. 78. a. 3. *in Corp.* decernente ita lege penultima *Codic. Si quis alteri. Et Lege. Si ex ea. Cod. De rei vindicatione*, quidquid contradicat Manrique *quæst. moralium Part. 2. q. 87. & 88.*

8 At loquendo de naturalibus, non video, cur Bonacina neget. Cùm enim generatim ad restitutionem teneatur is, qui alterum (saltem mala fide) damnificavit. S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 4. *in Corp.* communiter receptus, ejusmodi autem maritus uxorem mala fide damnificârit in fructibus naturalibus, obligationem restituendi, resarciendique haud dubiè contraxit. Nec rectè pro se Rebellum *De Obligat. Iustit. Part. 2. Lib. 6. q. 3. n. 2.* adducit Bonacina, nam Rebellus loquitur solùm de casu, quo ejusmodi fructus vir consumpsit ex voluntate uxoris; & apud Sylvestrum *Verb. Parapher-nalia*, ac Covarruviam *in Epit. Part. 2. cap. 7.* nil reperio pro Bonacina; quare & hos malè pro se allegat.

9 Quæres II. *Quid juris marito circa dotem tribuant jura?*

RESP. Id juris, ut dotis proprietate penes uxorem manente, habeat ipse plenam ejus ad-

minis̃rationem, atque usum fructum, ad uxorem ; familiámque alendam, & alia matrimonii onera subeunda. Patet utrumque ex *Leg. 7. ff. de Iure dotium*, & Lege *In rebus. eod.* Unde ab Azone apud Laym. *Lib. 3. sect. 5. Tract. 4. cap. 13. n. 1.* communiter recepto, definitur dos esse id, quod ab uxore, vel alio ejus nomine datur, ad onera matrimonii sustinenda ; quæ definitio an sit reciproca, cùm constet crebrò fieri, ut paraphernorum pars tradatur marito fruenda, ad prædicta onera sustinenda, videre
10 rint Jure Consulti. Porrò dotis proprietas ita remanet penes uxorem, ut pro ea sint ipsi tacitè hypothecata omnia bona mariti *cit. Leg. in rebus ; & cap. Ex literis. De pignor.* sicut etiam sunt ei (sed cum minori privilegio prælationis) eadem bona hypothecata pro paraphernis. *L. Hac Leg. Cod. De Pactis Convent. &*
11 *Leg.* ultimâ. *eod.* Quare quando maritus ad inopiam ita vergit, ut periculum sit, ne dotem aggrediatur, fas est uxori eam repetere. Laymannus *Lib. 3. sect. 5. Tract. 4. cap. 13. num. 7.* Qui meritò non improbat doctrinam Lessii *Lib. 2. De Iustit. cap. 12. n. 87.* tradentis, quando maritus absumit dotis (eadem est ratio paraphernalium) partem, posse uxorem uti occulta compensatione.

12 Cæterùm tanta incumbit marito obligatio alendi uxorem, ut & Covarru. Rodriq. & alii contra Sanch. *Lib. 9. De Matrim. dub. 5.* Bonacinam *dub. 6. De Leg. p. 7. n. 9.* aliósque censeant, teneri etiam alere indotatam, etiam in eo casu, quo uxor dives ; & P. Dicastillo *Lib. 2. De Iustit. Tract. 2. disp. 11. n. 81.* singulariter observet, arbitretúrque, non posse uxorem indotatam, pauperem, & expertem artis, qua ipsa se alat, duci, ab ita obærato, ut non sit par solvendis debitis. Rationem hanc adfert, quòd nemo obæratus possit inire novum contractum, per quem fiat impotens ad solvenda priora debita, id enim cederet in fraudem creditorum, repugnantibus ferè legibus, quæ sanciuntur. *ff. Quæ in fraudem creditorum.* Atqui per ejusmodi matrimonialem contractum obæratus ille evadit impotens, aut impotentior ad solvenda priora debita.

13 Verùm, quia etiam pater tenetur alere liberos, & quidem ex communi opinione apud Sanchez *Lib. 9. De Matrim. disp. 4. n. 26.* atque Bonacinam *De Legib. disp. 6. p. 7. n. 10.* contra P. Henriquez *Lib. 11. cap. 8 n. 1.* P. Coninck, & alios, majore, strictioréque jure, quàm uxorem, nemo autem dicit, esse homini obærato vetitum actum conjugalem, per quem à se prolem procreatum iri speret, vel intendat, idcirco videtur, illam P. Dicastillo doctrinam, quam probabilem esse non diffiteor, in dubium posse revocari.

14 Quæres III. *Quænam sint bona communia, & quid juris in ea obtineat maritus?*

RESP. I. Quid nomine bonorum communium intelligant auctores, indicavi superiùs *n. 3.* Planissimè dices, illa esse communia, quæ ad virum simul, & uxorem pertinent. II. Spectato jure naturali, Canonico, & Cæsareo, ea, 15
quæ maritus, tempore matrimonii lucratur sua arte, labore, bonis per mutuum, elocationem, venditionem &c. sunt integerrimè ipsius, & potest de iis, modò aliunde prospiciat familiæ, liberrimè disponere, ac proinde non sunt communia. Ita expressè post Didacum Perez tradit Petrus Navarra. *De Restitut. l. 3. c. 1. n. 95.* Bonac. *De Restit. dub. 2. q. 10. p. 2. n. 1.* P. Dicastillo *loc. cit. disp. 9. n. 195.* contra plerosque jure consultos, quorum alii ex jure naturali inducente (ut ipsi quidem imaginantur) inter conjuges Societatem communicationémque bonorum externorum, æquè ac corporum, & animorum, alii ex Canonico, *Debitum. De bigam. C. 2. De sponsal. & C. 2. De donat. inter vir. & uxor.* alii denique ex Cæsareo, ut Covarruvias *Lib. 3. Variar. cap. 19. n. 2.* suam opinionem probare conantur. Ratio nostræ responsionis planè convincens mihi occurrit hæc, quòd scilicet spectato jure Naturali, Canonico, & Cæsareo, non competat uxori (posito quòd maritus necessaria ad sustentationē congruam præbeat) majus jus in prædicta mariti bona, quàm marito in ea, quæ uxor lucratur sua industria, labore, censu paraphernalium &c. etenim correlativorum eadem est ratio *L. Veteres. ff. De action. empt.* atqui spectato illo jure triplici, quæ uxor lucratur sua industria, labore, censu paraphernalium pertinent plenissimo jure ad illam. *Suprà n. 2.* Ad rationes in oppositum sufficienter respondet P. Navarra *loc. cit.*

III. Nihilominus variarum provinciarum, 16
regnorúmque legibus, & institutis receptum est, ut bona mariti sint communia, item & uxoris. Etenim jure Hispanico communia sunt tum ea, quæ communi industria, tum ea, quæ proprio singuli conjuges labore, emptione, venditione &c. lucrantur ; tum fructus patrimonii, bonorum Castrensium, & quarumcunque donationum ; quæ quidem ita sunt communia, ut dimidium illorum sit mariti, dimidium uxoris. Ita testatur P. Navarra *cit. cap. 1. n. 93. 97. 100. 122.* consentiente Molina. *Tr. 2. disp. 272.* Id ipsum in tota fere Gallia practicari docet Chassanæus *In consuetud. Burgundiæ Rubr. 4. §. 2.* In Jure Bavarico *Part. 4. Tit.* 17
1. a. 4. statuitur, ut dimidia pars lucri ex utriusque honis, aut industria profecti, residúque, sit proprium illius conjugis, qui mortuo est superstes ; & *a. 10.* subditur, posse conjugem unum, si velit, lucra peculiari industria parta, sibi integre reservare, vel in jus partis aliquotæ alterum conjugem, admittere. At verò *a. 11.* pronuntiatur, lucra cerevisiariorum,

rum, lanionum, & similium opificum, quorum lucrum potiùs in emptione, & venditione, quàm in ipso labore consistit, esse utrique conjugum planè communia. In aliis Germaniæ provinciis aliæ servantur consuetudines, de quibus debebit quandoque Confessarius 15
scitari peritos, propter doctrinam mox adferendam.

18 IV. Namque quibus locis medietas prædictorum bonorum spectat ad uxorem, peccat mortaliter contra justitiam maritus, tenetúrque ad restitutionem, si quid notabile dissipet compotando, largas donationes faciendo &c. Petrus Navarra *loc. cit. Lib. 1. De Iust. cap. 12. n. 114.* & P. Lessius *n. 87.* P. Laymann. *Lib. 3. sect. 5. Tract. 4. cap. 12. n. 6.* Ratio est, quia verâ injuriâ, injustóque damno afficit tunc uxorem, utpote quæ in prædictis locis habet cum marito contractum Societatis, ut fert communis opinio jureconsultorum apud Navarram *loc. cit. n. 108.*

19 Fateor tamen, praxi locorum, in quibus fui versatus, confirmari opinionem Navarri in Manuali *cap. 17. n. 155.* rati maritum non teneri uxori quidquam restituere ob bona communia (saltem ad quæ non concurrit uxoris labor, aut industria) flagitiosè dissipata. Ego enim non scio quemquam in foro, vel interno à Confessariis, vel externo à prætore fuisse adactum ad ejusmodi restitutionem. Imò Sutores, Sartores, Aurifabri, ut de Musicis nil dicam, vix, aut ne vix quidem credunt, se adversus justitiam delinquere, si obliguriant, quæ suo opificio, vel arte comparant, modò uxori subministrent necessaria ad honestam sustentationem ; atque utinam subministrarent semper.

20 Et hanc praxin soleo ego sequi in tribunali Confessionis, tum quia video, me frustra contra torrentem niturum, si aliter facerem ; tum quia sapienter monet P. Polancus *In Directorio*, in dubiis quoad restitutionem, & similia onera eligendam esse Confessario partem benigniorem. Et quidquid ille Theologorum insectator Michaël Manrique *quæstion. Moral. p. 2. q. 114.* de quo passim in Vindiciis Theologicis, repugnet, saltem in tali casu tenetur Confessarius sequi pœnitentis opinionem
21 probabilem. Illud satis constat, etiamsi maritus faciat sumptus superfluos, dummodo sine magna profusione, non peccare contra justitiam. Laymannus *cit. cap. 12. n. 6.* Nam est illorum administrator legitimus. Sed nec injuriam facit uxori, exponendo in lusum bona communia, quandoquidem lusus est verus contractus, ex quo in uxorem æquè lucrum, ac damnum derivari potest. Lessius, & Dicastillo *ll. cc.* Excipe, nisi maritus, soleat communiter perdere, & idcirco nolit uxor ab eo ludi.

22 Dicta in confirmationem sententiæ, ex Martino Navarro adductæ, roborantur praxi consuetudinis in Burgundiæ Ducatu receptæ, atque sequentibus verbis è Gallico apud Chassanæum *loc. cit. §. 3.* à nobis hic translatæ in Latinum : [Maritus constante matrimonio potest disponere, & ordinare per donationem, venditionem, permutationem, & per alios contractus factos inter vivos, de mobilibus communibus, & hæreditatibus acquisitis, constante matrimonio, sive illa bona sint parta ab ipso, & uxore simul, sive ab alterutro solùm.] Quod statutum ita exponit Chassanæus, ut *§. 4. n. 7.* dicat uxorem esse participem bonorum, & quæstuum post mortem mariti, & non vita comite, eò quòd illa Societas sumat robur, & vires solùm post mortem mariti, cùm ipse maritus in vita possit pro libitu de omnibus his disponere. 23

SECTIO II.

An, & quatenus liceat uxori usurpare bona sua, aut mariti?

SUMMARIUM.

Uxor non tenetur administrationem bonorum propria industria partorum relinquere marito. 25.

Nisi non attulerit dotem. 26.

Peccat contra justitiam erogans invito marito bona communia. 28.

Quomodo faciet restitutionem? 30.

Uxor non est ancilla mariti, sed ejus socia non expers omnis administrationis. 33.

Maritus tenetur uxori tanquam matrifamilias præstare sustentationem congruam conditioni. 34.

Potest hæc eius alienationes bonorum communium facere, quas judicat necessarias ad avertendum grave malum impendens marito. 35.

Adeòque facere in hunc finem eleemosynas extraordinarias. 36.

Quid in suum, liberorúmque bonum? 37.

Quid quando maritus est amens, vel absens? 38.

Quid si ante discessum præscripsit certam quantitatem? 39.

Quid si timeat, ne maritus obliguriat necessaria ad suam, liberorúmque sustentationem? 41.

Quid posit ipsa usurpare pro lusu? & recreationibus? 42.

Quantum in Eleemosynas? 43.

Et in liberos ex alio matrimonio natos, egentésque 44.

Item in fratres, & sorores egenas? 45.

Quid si clam marito accipiat, quæ ipse facilè concederet rogatus? 46.

Quid si quid supersit ex iis, quæ maritus dedit in vestitum? 47.

Non

Non sunt laxandæ Vxoribus habenæ. 48.
Quæ dicta sunt superiùs, applicanda sunt uxori etiam indotatæ. 49.
Quid si in præcedentibus casibus non adsint bona communia, sed solùm propria mariti? 50.
Quid si in iisdem casibus uxor habeat bona propria sufficientia? 51.
An teneatur hæredibus mariti facere compensationem ob expensas suprà indicatas? 53. & 54.

24 SUppono I. ex dictis, *sect. præcedent.* nullam injustitiam admitti ab uxore in iis locis, in quibus habens paraphernorum administrationem, & usum fructum, dissipat ea inscio, invitóque marito; etenim jure suo utens nemini facit injuriam. *Cap. Eccles. De Elect.*

25 Suppono II. eam jure communi non compelli, ut ea, quæ stante matrimonio lucratur propria industria, det marito administranda, vel fruenda; ejusmodi quippe lucra esse jure communi paraphernalia observavi Sectione
26 præcedente. Quamquam si dotem non attulit, videtur usu communi, & ex tacito pacto, teneri ea in familiæ sustentationem convertere. Coninck *De Act. Supernat. disp.* 27. *n.* 51. post utrumque Navarrum. Quin Bonacina *tit. disp.* 3. *De Contract. q.* 11. post P. Sanch. *Lib.* 1. *De Matrimon. dub.* 60. & alios contra Covarruviam, ac Rodriq. absolutè existimat, quando uxor sibi non reservavit usum fructum paraphernalium, censeri dotalia, nisi aliud ex
27 verbis, & aliis conjecturis appareat. Verùm non puto, hanc doctrinam habere locum, nisi in iis locis, in quibus ejusmodi legem, vel consuetudinem vigere constat positivè; etenim uxoribus apertè patrocinatur jus commune. *Leg. Hac Lege. C. De Pact. Convent.* cujus derogatio, & mutatio non præsumitur in dubio, sed probanda est. Nam facta non præsumuntur, nisi probentur. Navarr. *Lib.* 3. *Consil. De Voto, & Voti redempt. Consil.* 25. deducens hoc Axioma ex lege prima *Cod. De Mandat. Princip.* quæ non nisi per difficilem discursum trahi huc potest, illo interim Axiomate manente in suo vigore.

28 Suppono III. In iis Provinciis, & urbibus, quibus lucra tam uxoris quàm mariti sunt communia, uxorem injustè agere, quando invito rationabiliter marito attrectat ea, quæ ipsa propria industria acquisivit. Ratio est, quia in eusmodi locis tum administratio, tum etiam saltem media ex parte usus fructus ipsi marito competit. Unde patet, uxorem restitutionis lege teneri, si alienet dissipando. Petrus Navarra *Lib.* 3. *De Restit. cap.* 1. *num.* 90. post Cordubam. Si verò absumat in bonum familiæ, in quod maritus ipse erat absumpturus, haud obligatur ad quidquam restituendum, quia nullo damno reali, & æstimabili afficit ut sic maritum, esto affecerit injuriâ. Atqui restitutio propriè non debetur, nisi præcesserit reale, actuale damnum. Molina *Tom.* 3. *disp.* 715. Cardinalis de Lugo *Tom.* 1. *De Justitia, disp.* 6. *n.* 57. Quòd si etiam illa, quæ 29
maritus artificio, opificio &c. comparavit, alienet uxor, marito invito, longè clarius est eam injustè agere, esto in familiæ emolumentum expendat. Nam injustè agit, qui in alienum officium se se ingerit. Argum. *Reg.* 19. *n.* 6. quæ ita habet: *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad ipsum non pertinet, se immiscet.*

Interrogabis: *Quomodo uxor possit restitutionem facere in casu, quò paulò ante dixi, teneri?* 30
Resp. Confessarius ei dicet, ut attendat, num maritus non etiam prodigat communia, vel parapherna, sic enim erit locus compensationi. Item, ut ipsa ex omnino propriis bonis tantùm insumat in suam, aut familiæ necessariam sustentationem, quantùm est id, in quo læsit injustè maritum. Item, ut abstineat usu quorumdam, quæ à marito exigendi jus habet.

Adhæc sicuti parentes crebrò non exigunt 31
ullam à filiis restitutionem bonorum clam ablatorum, & jam consumptorum, sed sunt sæpe contenti, modò se emendent filii, ita etiam quandoque mariti. Denique huc nonnunquam applicari potest doctrina Cardinalis de Lugo *disp.* 21. *De Just. n.* 53. negantis, ad restitutionem teneri illum, qui prudenter credit futurum, ut creditor remitteret restitutionem, si rogaretur. His suppositis.

Quæritur I. *In quibus casibus licitum sit uxori,* 32
usurpare bona communia, sive per ipsam uxorem, sive per solum virum comparata sint.

RESP. In variis, quos Martin. Navarrus *cit. cap.* 17. *n.* 153. Petrus Navarra *Lib.* 3. *De Restit. c.* 1. *n.* 82. *& seqq.* Molina *disp.* 174. Less. *cap.* 22. *n.* 84. *& seqq.* Bonacina *De Restit. disp.* 2. *quæst.* 10. *punct.* 2. Dicastillo *Lib.* 2. *De justit. Tract.* 2. *disp.* 9. *n.* 198. *& seqq.* Lugo *disp.* 16. *De Justit. sect.* 4. fere Laymannus *Lib.* 3. *sect.* 5. *Tract.* 4. *cap.* 12. enumerant, explicántq; Quorum omnium veritatem deduco ego ex alterutro duorum principiorum, seu titulorum.

Primum principium, seu titulus est, quòd 33
uxor non sit mancipium, vel ancilla mariti, sed ejus socia, non planè expers omnis gubernationis, & administrationis familiæ, ac bonorum, sed compar, tametsi ea in re subjecta sit viro, ceu capiti, ne quid inordinatè, superfluè, profusè faciat, Molina, Lessius, Dicastillo, Lugo *ll. cc.* Vide Tiraquellum *De Leg. connubial. l.* 10. *per totam.*

Alterum principium, seu titulus est, quòd 34
vir uxori tanquam matrifamilias teneatur præstare victum, & sustentationem, saltem mediocriter, ut notat Molina, congruentem ipsi, spectata tum ejus, uxoris, inquam, conditione, tum suismet, ut ait Lessius, aut utrius-
que, ut exprimit Molina, opibus. Porrò vi-

ctus appellatione significantur, quibus curandi, tuendique corporis nostri gratia utimur. Text. *L. Et cætera ff. De Verb. signif.*

Ex primo principio deduco veritatẽ sequentium resolutionum in usu quotidiano versantium.

35 I. Potest uxor eas alienationes facere, quas necessarias judicat ad avertendum à marito grave malum corporale, ut morbum, mortem, carcerem &c. si videlicet maritus in tali casu semet ex avaritia, ignorantia negligat, ut tradunt omnes (excepto Tiraquello, qui tacet) citati Doctores. Nam & hoc jus ei competit velut sociæ administrationis, & damnum temporale mariti redundat in uxorẽ ipsam. Unde nominatim observat Coninck *disp.* 27. *De Act. supernat. dub.* 5. *num.* 55. quando maritus corpore periculosè laborat, nec vult in medicinas facere sumptus necessarios, posse ab uxore eos fieri ex bonis communibus.

36 Addunt uterque Navarrus, Reginaldus *Lib.* 4. *n.* 278. Bonac. Lessius, Dicastillo *ll. cc.* post Silvestrum *Verb. Eleemosyna n.* 8. esse quoque uxori fas, eleemosynas extraordinarias largiri eo fine, ut à marito avertat iram Dei, imminentem ipsi propter peccata, vel ut impetret ei conversionem. Verùm, etsi hæc sententia ob auctoritatem probabilis est, ideòque excusari possint uxores, quas scio pro suorum maritorum conversione solere curare Sacra fieri, peregrinationes suscipi &c. inque hanc rem erogare ex bonis mariti sex, octo, decem florenos, rectiùs tamen Molina, & Coninck *ll. cc.* negant id esse licitum; tum quia valde incertum est, utrùm ejusmodi Sacra, & peregrinationes fortituræ sint eventum, qui intenditur, tum quia verum quidem est id, quod contrarii auctores pro se adferunt, scilicet ea in re utilissimè (quandoque) geri negotium mariti, attamen uxoris non est, negotium mariti ea in re gerere.

37 II. Potest in suas, liberorum, totiúsque familiæ necessitates, atque adeò victum, vestitum, medicinas accipere, & convertere tantum, quantum teneretur maritus, posito quòd hic non subministret talia.

38 III. Quando maritus est amens, fatuus, vel absens, non delinquit conjux expendendo partem bonorum in competentes usus suos, & domesticos, idque ratione duplici. Si enim à Magistratu, vel à marito ante suam profectionem nil statutum sit, tum familiæ administratio in illis casibus ipso jure in uxorem perinde, acsi vidua esset, recumbit; ut proinde possit non tantùm eos omnes moderatos sumptus facere, quos solebat ante absentiam, vel amentiam vir suus, sed etiam illos moderatos, quos ipsa judicat expedire, ut contra Navarrum, & Molinam *ll. cc.* tradit Lessius *num.* 86. Reginaldus *Lib.* 4. *fori pœnitentialis, num.* 279. Dicastillo *n.* 202. Nam in ejusmodi casu mater est caput filiorum, atque gubernatrix domûs. P. Navarra *n.* 87.

At inquies: *Quid si maritus ante suum dis-* 39
cessum præscripsit uxori certam eleemosynarum rationem, & quantitatem? tenetúrne illam uxor observare? Respondeo teneri: ut contra P. Navarrum docent Molina, & Coninck *ll. cc.* atque Jureconsulti, quos nominat Tiraquell. *Leg. Connub. Gloss.* 5. *num.* 218. Etenim habet maritus jus præscribendi illum modum, & quantitatem, nam *non debet, cui, quod plus est, licet, quod minus est non licere L.* Non debet 22. *ff. De Reg. Iur.* atqui licet marito peregre proficiscenti administrationem familiæ transferre in alium, & consequenter uxorem privare omni potestate largiendi eleemosynas extraordinarias, præterquam in casibus indicatis suprà, & paulò pòst indicandis.

Sed & placet mihi moderatio, quam circa 40
fatuum adhibet P. Navarra, quòd scilicet ob ejus fatuitatem non devoluatur in uxorem administratio, nisi fatuitas sit tanta, ut vir egeat curatore, secundùm judicium prudentis. Nam etsi stultè, & imprudenter se in rerum administratione gerat, non idcirco est uxoris fas, ad se illico rapere administrationem.

IV. Quando maritus bona communia ita 41
dilapidat, ut periculum sit, ne familia egeat, licitè uxor surripiet clam ea, quæ judicat fore in posterum necessaria sibi, atque familiæ. Ita citati. Potéstque in eo casu libere disponere de sua parte, ut addunt iidem; nisi fortè sit ea necessaria ad suam, suorúmque sustentationem, nequit enim prolem ea spoliare. Coninck *n.* 57.

Ex altero principio, titulòque superiùs 42
posito, petitur ratio sequentium responsionũ.

I. Fas est uxori ea accipere, quæ necessaria sunt ad victum, vestitum.

II. Sed nec peccat expendendo ex bonis mariti in ludos, & recreationes honestas ea, quæ solent ejusdem conditionis fœminæ; nomine quippe honestæ sustentationis comprehenduntur etiam ludi, & recreationes competentes. Molina, Lessius, Bonacina, Dicastillo *ll. cc.* qui etiam id probant post Silvestrum *Verb. Eleemosyna* ex consuetudine, qua istud jus præscripsêre uxores.

III. Neque etiam peccat, faciendo dona- 43
tiones & eleemosynas in communibus pauperum necessitatibus convenientes suo statui. Ita citati; quia scilicet hæ quoque sunt pars honestæ sustentationis. Et censet Diana *Part.* 2. *Tract.* 15. *Resol.* 33. *& Part.* 5. *Tract.* 8. *Resol.* 21. post Granadum, aliósque, posse, nisi fortè maritus ipse largas eleemosynas eroget, expendere in ordinarios pauperes vigesimam partem annuorum proventuum; quod refutat Cardinalis de Lugo *disp.* 16. *De Just. sect.* 4. nec

imme-

immeritò. Certè negant Gloss. *in c. Quod Deo. 33. q. 5.* Archid. & alii apud Tiraquell. *loc. cit.* Rectiùs dixeris, etiam casu, quo maritus non est in egenos illiberalis, posse & hos aliquâ stipe juvari ab uxore, nam id ad decentiam statûs spectat.

44 IV. Quando pater, vel mater uxoris, vel ejus ex priore matrimonio liberi, tanta egestate conflictantur, ut juxta suum statum valde misere vivant, permissum est uxori, eis succurrere ex bonis mariti. P. Navarra, Lessius, Dicastillo, Lugo, *ll. cc.* post Cordubam & Sayrum. Etenim jus ad honestam sustentationem extendit se ad largitiones, ad quas naturæ lex obligat. Modò tamen alias largitiones, & eleemosynas non faciat, quæ hisce junctæ excedant summam, quam sine mariti facultate potest expendere, ut cautè observavit Molina.

45 Allatam doctrinam extendunt P. Navarra, Less. Lugo, Ferdinandus de Castro Palao *Tom. 1. Tract. 6. disp. 2. punct. 13.* & Sanchez *Lib. 1. Consil. Moral. cap. 6. dub. 6.* ad casum, quo frater, vel soror uxoris etiam ita misere vivit, eò quòd, cùm maritus jure communi teneatur succurrere suismet fratribus, & sororibus gravi necessitate pressis, sicut teste Lessio *n. 89.* tradunt communiter Doctores post Gloss. *in Leg. Qui filium. ff. Vbi pupillus educari debeat*, eadem obligatio respectu suorummet incumbat uxori, ut etiam innuitur *Lege Mutus. 27. ff. De Iure dotium.* Si tamen uxor propria bona habeat, videtur debere ea priùs, quàm mariti convertere in prædictorum levamen. Lugo, & Dicastillo *ll. cc.* Lege, si placet, casum, quem de uxore ferente suæ sorori egenæ subsidium pecuniarium proposui, ac resolvi in Experientiis. *Tract. 10. Cas. ultim. num. 801. & 802.*

46 Addunt Lessius, Lugo, Dicastillo, Bonacina *cit. punct. 2. n. 8.* generatim, uxorem non peccare, quando accipit ea, quæ maritus facilè concederet, si rogaretur. Quod quidem confirmari potest per doctrinam Suarii *Tom. 3. De Relig. Lib. 8. cap. 11. n. 10. & cap. 15. n. 2.* Raynaud. *In Morali Discipl. dist. 24. n. 50.* Laymanni *Lib. 5. Tract. 8. cap. 10. n. 16.* Lugonis *De Pœnit. disp. 19. sect. 2. n. 22.* generatim inficiantium, à te admitti furtum, si mihi inscio rem meam surripias, prudenter credens, me, si eam peteres, donaturum esse; quod quidem videtur apertè decidi *Leg. Inter omnes. ff. De Furt.*

47 V. Quando maritus dedit, aut reliquit uxori aliqua, ut iis se vestiret, familiam aleret &c. dicens se nolle ei plus in illum finem dare, judicibus Navarro, Lessio, Bonacina, Dicastillo liberrimè disponet de eo, quod absque familiæ incommodo comparsit. Porrò, ne uxoribus, (quæ quoad fieri potest, inducendæ sunt, ut invitis maritis, non usurpent illud jus, quod eis concessimus in superioribus resolutionibus, facillimè enim per illius juris usum turbatur graviter pax domestica,) nimium laxemus habenas, ansamque demus jurgiorum, dicimus, eas non debere in superioribus casibus facere insciis maritis illa, quæ ipsis permisimus, nisi quando vel putantur mariti omnino non curare, vel existimantur esse iniquè negaturi facultatem, si peteretur, vel denique ex ejusmodi acceptionibus, & largitionibus non timentur eventura ea mala, quæ Christiana charitas, amor, reverentiáque conjugalis præcipit cavenda.

Quæritur autem ulterius II. *Vtrùm, quæ diximus, locum habeant duntaxat respectu dotatæ uxoris, an etiam respectu indotatæ?* 49

RESP. Allegati Doctores nullam exprimunt distinctionem inter hanc, & illam, & allatæ rationes convincunt frustra distingui.

Quæritur III. *An prædictæ doctrinæ veræ sint, quando non adsunt bona communia, sed tantùm propria mariti?* 50

RESP. Affirmativè quia rationes adductæ id probant, & exprimunt satis Martinus Navarrus *n. 154.* Petrus Navarra *n. 82.* Filliucius *Tract. 34. n. 44.* Reginaldus *cit. Lib. 4. n. 202.* Bonacina *cit. p. 2.* loquentes etiam de dotalibus.

Quæres IV. *An, quando uxor bona propria habet, possit ex communibus, aut propriis mariti accipere, ac usurpare ea, quæ hactenus diximus?* 51

RESP. I. Quando agitur de juvandis parentibus, vel filiis uxoris ex alio matrimonio, tum citati Doctores, nominatim Lessius, Lugo, Bonacina *n. 10.* negant esse permissum uxori, eos juvare bonis communibus, aut mariti, si quidem ipsa habeat bona propria. Nam quisque tenetur ex propriis alere parentes, & liberos, inquit Bonacina. Quam doctrinam ideo sequor, quia video communi calculo, & consuetudine probatam, conformémque juri scripto.

II. Ad cæteros usus in hac Sectione enumeratos licitè accipit uxor mariti bona, esto ipsa habeat propria. Ita omnes citati. Patet ex allatis duobus principiis. 52

Quæritur V. *An teneatur uxor propter prædictas acceptiones facere hæredibus mariti restitutionem aliquam, vel computare in partem sibi debitam ex bonis communibus?* 53

RESP. I. Non tenetur, quando impendit in alios usus, quàm in parentes, liberos. Ita omnes citati Theologi. Probatur duobus principiis, seu fundamentis suprà positis, quæ absolutum jus tribuunt uxori in superioribus casibus.

II. Quando verò bona propria mariti, vel communia expendit in suprà indicatam necessitatem parentum, fratrum, liberorum, communissima citatorum Doctorum opinio est, teneri uxorem in partitione bonorum, tantundem ex portione bonorum communium ad se spectante relinquere hæredibus mariti, quantum ipsa ex bonis, aut portione mariti erogavit in parentes. Quod quidem fateor dicendum esse consequenter ad doctrinam *n. 51.* allatam. Verùm Lugo *cit. sect. 4.* id negat, & probabiliter negari posse eo casu, quo matrimonium est celebratum contractu medietatis bonorum, aut contractu dotis, & arrharum 55 tenet Lessius *cit. cap. 12. n. 18.* Lege, si placet Molinam Theologum *cit. disp. 274.* & Coninck *cit. disp. 27. n. 53.* ostendentes, doctrinam *Cap. Quod Deo 33. q. 5.* non obesse resolutionibus superiùs datis in favorem uxorum.

O. O.

SOLVENS, DUM EST EBRIUS INTEGRA SYMPOSIA.

CAPUT XXV.

De Contractibus Ebriorum?

SUMMARIUM.

An Contractus Ebriorum sint validi? 2.
Casus Matrimonii invalidè Contracti in ebrietate. 4.
Casus puellæ extorquentis ex ebrio parente consensum in matrimonium. 5.
Argumentum à verosimili est validum. 8.
Quando credendum sit alleganti suam turpitudinem? 10.
Ebrius nequit esse testis. 13.
Et fortè nec ebriosus. 14.
Casus Sacerdotis ideo non admissi in testem, quod esset deditus ebrietati. Ibid.
Hispani laudandi, quòd repellant à testimonio dicendo omnem illum, qui vel semel fuit ebrius. 15.

1 VTrùm, quando ebrii promittunt, se soluturos, vel re ipsa solvunt, dántque cauponi pecunias, pro se, suisque sociis, quod frequenter fit, obliget ejusmodi promissio, & subsistat actualis solutio? non immeritò quæritur, responsióque petitur ex resolutione generalis quæstionis à Summistis plerisque, & nominatim à Sylvestro, *Verb. Ebrietas*, propositæ, quam subjicio.

2 Quæres I. *An contractus ebriorum sint validi?*

Respondeo cum Summistis negativè. Nam contractus est ultro citróque obligatio *L. Labeo. ff. De Verb. signif.* obligatio, inquam, libera atque adeò fundamentaliter actio humana; humanas autem actiones non exercent ebrii, nam *voluntaria insana est ebrietas*, inquit Seneca ad Licilium; & furiosus nullum negotium contrahere potest. Text. *L. g. In negotiis. 5. ff. De Regulis Iuris.* Hinc si quis alteri 3 in ebrietate matrimonium promittat, ejusmodi promissio est nulla, adeò ut etiam in locis, in quibus subsistunt matrimonia clandestina, promissio matrimonii facta à sobrio, non transeat in matrimonium per copulam in ebrietate habitam. Sanchez *Lib. 1. De Matrim. disp. 8. n. 30.*

Unde Conradus VVeidman. J.C. Germa- 4 nus interrogatus, quid sentiret de sententia Judicis cujusdam, qui civem Augustanum condemnârat ad standum matrimonio, quod ipse cum ancilla sua contraxerat ebrius? respondit, & doctè probavit, malè ab illo judice esse pronuntiatum, & bene appellatum, cùm civis ille sufficientibus testibus, & rationibus ostenderit, se tunc fuisse verè ebrium. Responsum hujus Doctoris habetur *Volum. 2. Consilior. Matrimon. §. 25.*

Hinc quoque sequitur, quid fuerit respon- 5 dendum ad sequentem casum, de quo, dum & magnis animis agitabatur, & forum, tribunálque spectabat, fui ab una partium ante aliquot Annos consultus. Erat autem.

Ille Casus hujusmodi.

Titius testamento legárat Cajæ sorori suæ 1000. aureos, pendendos, patríque vindicandos, si ea nuberet patre invito. Mortuo fratre Caja matrimonium contraxit per verba de futuro, cum juvene inferioris conditionis, non solùm inscio patre, sed etiam mox, ut rescivit contradicente maximè cum ira, & solito filiam, (quoties consensum paternum petebat,) omnibus dirís devovere. Vbi ea vidit se à sobrio nihil impetrare, conversa ad artes multebres, probè potum parentem aggreditur, suisque blanditiis, lachrymis, adgensculationibus extorquet verba, consensum significantia. Verùm postridiè de suis verbis commonitus, protinus reclamavit, negans se quidquam de eis scire, utpote qui fuerit pridie planè ebrius. Circa hunc casum.

Quærebatur I. Vtrùm si filia judicio experiretur, spes esset, fore, ut judex Ecclesiasticus, ad cujus forum hæc lis spectabat, juxta dicenda Cap. 37. pronuntiaturus esset pro filia affirmante, patrem consensisse in sponsalia.

Respondi ego, nullam ejusmodi spem af- 6 fulgere posse ob duas potissimum causas.

Prima causa erat, quia affirmanti incumbit probatio. *L. Qui accusare. C. De edendo & L. Actor. 3. De Probat.* atqui paternum consensum non poterat Caja probare ulla ratione,

nec ullo teſtimonio, niſi ſuo met, cùm tamen nullus idoneus teſtis in ſua re intelligatur. Text. *L. Nullus. ff. De teſtibus.*

7 Secunda cauſa, quia licèt actor, quod aſſeverat, non probando, reum neceſſitate monſtrandi contrarium non adſtringat. Text. *L. Actor. C. De Probat.* attamen probare poterat pater, ſe, ſi conſenſit, conſenſiſſe in plena ebrietate, & conſequenter conſenſum illum nil ſibi præjudicare, quia filia ſua requirendo ejus conſenſum utique intellexit humanum, ſeu liberum. *Argum. Clement. Furioſus. De homic.* atqui in ebrio non eſt conſenſus humanus, & liber. *ſuprà n. 2.*

8 Porrò id, quod dixi, probare poterat pater Cajæ argumento à veroſimili, quod genus argumenti multum valet in foro externo. *L. Non eſt veroſimile. ff. De eo quod metus cauſa*: Rodriquez *Quæſt. Regul. Tom. 1. q. 11. a. 6.* Et probatio à conjecturis veroſimilibus dicitur manifeſta. Bartol. & Jaſon. apud Chaſſanæum *De conſuet. Burgundiæ Rubr. 1. §. 7. n. 25.* Quæ quidem veroſimiles conjecturæ erant ejuſmodi. I. Quia conſtabat, diu multúmque pro ratione ſuæ complexionis bibiſſe; atqui poſita cauſa neceſſaria ponitur effectus, ut tradunt paſſim Theologi, ac Philoſophi. II. Quia ſciebatur is, perquam crebro bibere ad ebrietatem; atqui *in dubio præſumitur id factum, quod frequentiùs fieri conſuevit, Cap. Inſpicimus. De Reg. Iur. in 6.* & ſicuti ex præteritis præſumitur circa futura *C. Scribam. De præſumpt.* Ita ex præteritis præſumitur de præſenti. *Gloſſ. in Leg. Si quis accuſare. C. De edendo. ex Alciato.* III. Quia in dubio cenſetur fuiſſe is ebrius, qui bene potus aliquid fecit, à quo ante & poſt illum potum ſummopere abhorruit, & abhorret. *ſuprà c. 21. q. 2.*

10 Nec obeſt, quòd non tantùm nemini ſua turpitudo prodeſſe debeat. *L. Itaque fullo ff. De furt.* Navarr. *De Orat. & Hor. Canon. c. 11. n. 36.* ſed etiam, qui ſuam turpitudinem allegat, audiendus non ſit. *L. Tranſactione. C. De Tranſact.* Bartol. *in L. Si ſervus plurium. ff. De legat. 1.* Etenim auditur quis, quando ſuam turpitudinem, adeóque ebrietatem allegat excipiendo. Decius *Conſil. 14.* Pariſ. *Conſ. 94.* Trottus *in addition. in cit. locum Bartoli.*

11 Quæres II. *An, ſi quis ab ebrio quidquam accipiat dono, quidpiam ab eo lucretur, ſit reſtitutioni obnoxius.*

RESP. Eſt omnino, ut rectè Baldel. *L. 5. Theol. Moral. diſp. 30.* poſt Reginaldum, quem citat. Nam cùm donatio & contractus luſoris non valeant tempore ebrietatis. *ſuprà n. 2.* non tranſfertur per eos dominium, ergo reſtitui debet, quod per hunc & illam eſt acquiſitum.

12 Unde apertè deducitur reſponſio ad dubitationem initio capitis propoſitam, videlicet promiſſionem illam, atque ſolutionem non ſubſiſtere, ſi quidem utraque facta fuit tempore ebrietatis; at verò ſi promiſſio facta fuit ante ebrietatem, ſolutio autem in ipſa ebrietate, tum & valuit (per ſe loquendo) promiſſio, ut patet ex ſeſe, & vim habet actualis ſolutio peracta in plena temulentia. Etſi enim ebrius non tranſferat eo tempore in cauponem dominium pecuniæ. Nam *id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro* (intellige libero) *in alium tranſferri non poteſt, L. Id, quod noſtrum 11. ff. De Reg. Iur.* dum tamen ſobrius agnoſcens ſe obligatum fuiſſe ad ſolvendum, non vult repetere pecunias, quas expromſit, quia ſcit, non eſſe fas eas repetere, complet rationem ſolutionis, ut rectè Arriaga *Tom. 4. diſp. 19. n. 59.* inde inferens, illum, qui in ebrietate ſolvit decimas debitas, ſatiſfacere obligationi ſuæ. Primæ quæſtioni ſatis affinis eſt ea, quam ſubjicio.

Quæres III. *An ebrius poſſit eſſe teſtis?* 13

Reſpondeo cum Joſepho Maſcardo *De probat. Concluſ. 578.* non poſſe eſſe, eò quòd ebrius ſit amenti ſimilis, amens autem nil teſtari poſſit. *L. Qui teſtium. ff. De teſtibus.*

At inquies: *Potéſtne ſaltem ebrioſus, ac crapulæ deditus adhiberi in teſtem?* Reſp. Joannes Maria Brocallus relatus *Tom. 1. Conſil. Matrim. Conſil. 70. n. 13.* negat ejuſmodi hominem eſſe poſſe teſtem, omni exceptione majorem, eò quòd ebrietas, & ebrioſitas ſit fomentum omnium malorum, & Jus Canonicum *Diſt. 35.* toties, támque graviter in ebrioſos invehatur. Propter quam cauſam hic Doctor in caſu, qui contigit, negavit, preſbyterum quemdam, ebrietati, & crapulæ deditum, potuiſſe admitti pro teſte, in cauſa matrimoniali, eſto fuerit teſtatus de actu, cui interfuit ſobrius. Ejuſdem opinionis videtur eſſe Chaſſanæus. *De conſuetud. Burgund. Rubr. 1. §. 6. n. 57.* Et eſt utique Pelſius *In proceſſu judiciario. Tit. 34. n. 41.* ubi inteſtabilibus annumerat frequentantem tabernas.

Atque utinam hæc doctrina, cujus uſus an uſpiam vigeat, ignoro, roboraretur authoritate tribunalium ſacrorum, & profanorum, haud dubiè lurconum numerus magnà caperet decrementa. Equidem ebrioſorum eſt funeſta vox. *c. Conſtituimus. 3. q. 5.* Quare laudandi Hiſpani, qui à teſtimonii dictione repellunt omnes, qui vel ſemel in vita fuêre ebrii. Matthias Faber. *Tom. 3. Conc. 3. & 4. in Dominic. 6. poſt Pentecoſten.* 15

P. P. SVM.

P. P.

SUMPTVOSA CONVIVIA.

CAPVT XXVI.

De Conviviis.

SECTIO I.

An, & quibus interdicta convivia?

SUMMARIUM.

Sintne Chriſtianis vetita convivia? 1.
Qualia debeant eſſe ex mente S. Gregorii? 2.
Quoties ad convivia prodeo, toties minor homo redeo. 3.
Quatenus convivia ſint illicita in quadrageſima? 4.
Quid ſi durent quinque, aut ſex horas? 6.
Quis mos in Germania? 8. & ſeqq.
Quid ſtatuant Conſtitutiones Synodales Conſtantienſes? 11.

1 QUæres I. *Sintne Chriſtianis interdicta convivia?*

RESP. Eſſe interdicta aſſerunt nonnulli teſte Fornero *De Temulentiæ malo, Lib. 4. cap. 14.* ideo, quòd S. Gregorius *Lib. 1. Moral. in Iob. cap. 5.* ſic ſcribat inter alia: *Celebrari convivia ſine peccato vix poſſunt. Nonnulla quippe ſunt vitia, quæ à conviviis ſeparari vix poſſunt, aut certè nequaquam poſſunt. Nam cum corpus in refectionis delectatione reſolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur & c.*

2 Nihilominus pronuntiandum eſt cum eodem Fornero, etiam Chriſtianis licitum eſſe convivia agitare, etſi, ut referam *n. 22.* olim aliqua fuerint interdicta. Ratio eſt, tum quia Sacrum Evangelium nos docet, ab ipſo Chriſto Domino aditum nuptiale convivium. Tum quia convivium ratione ſui, non continet ullam malitiam; quæ autem mala ſolent conviviis admiſceri, vel adhæreſcere, ea poſſunt facilè vitari, ſi convivia ſint talia, qualia deſcribit S. Gregorius relatus *Cap. Convivia diſt. 44.* ubi Natali Epiſcopo reſcribit in hæc verba: *Convivia communia, quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, rectè veſtra fraternitas in Epiſtolis ſuis laudat. Sed tamen ſciendum eſt, quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cùm in eis nulla abſentium vita mordetur: nullus ex irriſione reprehenditur: nec in eis inanes ſecularium negotiorum fabulæ, ſed verba Sacræ Lectionis audiuntur, cùm non plus quàm neceſſe ſit, ſervitur corpori. Hæc itaque ſi in veſtris conviviis agitis, abſtinentium (fateor) Magiſtri eſtis.* Ita iſte Sanctus, qui ſi hodie viveret, paucos omnino convivatores reperiret, qui abſtinentium Magiſtri dici poſſent, longè pauciſſimos, qui non cogerentur fateri: *Quoties ad convivia prodeo, toties minor homo redeo.* 3

Quæres II. *An non ſaltem in quadrageſima ſint prohibita convivia?* 4

RESP. I. Si inſtituantur frugalia ex cauſa honeſta, & non ultra horam unam alt erámve in eis ſeſſitetur, non ſunt vetita; Eccleſia enim permittit in jejuniis unam integram refectionem honeſtam, qualis eſt convivium hîc deſcriptum. II. Si inſtituantur cum magno apparatu ciborum, ea intentione, ut non ſentiatur illo die inedia, fieri quidem poteſt, ut peccetur tunc contra legem naturalem temperantiæ, at contra legem Eccleſiaſticam jejunii non peccatur. Laymannus *Lib 4. Tract. 8. cap. 1. n. 5.* cum multis contra AIenſem, & alios. Ratio eſt, quia finis legis non cadit ſub legem. S. Th. 1. 2. q. 100. *art. 19. ad 1.* communi Theologorum Moralium calculo receptus. 5

At inquies: *Quid, ſi quis interſit convivio durante quatuor, aut quinque horas, an non delinquit in legem jejunii?* 6

RESP. Etſi excuſſi omnes, quos de jejunio tractantes nanciſci potui, attamen neminem unum reperi, quid hanc quæſtionem, cujus frequentior, ac par eſt, uſus viget, proponat, præter Paſqualigum *In Praxi Jejunii deciſ. 157.* & inſuper unicum, qui obiter, & exempli gratia decidat. Eſt autem is Joannes à Friburgo, qui *in ſua Summa Confeſſ. Lib. 3. Tit. 4. q. 8.* dicens, illum peccare mortaliter, qui facit aliquam fraudem præcepto, ponit pro exemplo illos, qui manè incipientes, protrahunt menſam uſque ad veſperam tempore jejunii.

Ex cujus Doctoris ſententia ſequitur, eſſe ad propoſitam quæſtionem reſpondendum affirmativè, & dicendum, reos eſſe noxæ mortalis, qui illo die, quo lege jejunii Eccleſiaſtici vel votivi (nam votiva jejunia obligant inſtar Eccleſiaſticorum, niſi vovens expreſſè addat, vel demat aliquam circumſtantiam) aſtringitur, ſeſſitant ad menſam quatuor, vel plures horas, edendo, bibendóque. Et poteſt confirmari inde, quia talis videtur potiùs toto die comeſſari, quàm jejunare. Accedit, quòd talis fortè plus in unico illo prandio comedat, quàm alius in duabus refectionibus; atqui damnatur hic de mortali, ergo & ille. Nam *nil refert, quid de æquipollentibus ſiat.* Argum. *L. fin. ff. Mandati.* Et *De ſimilibus idem eſt Iudicium. Argum. cap. Ad ejus. diſt. 5.* 7

Nihilominus tamen videtur negandum cum Paſqualigo, excuſante nominatim Germanos, protrahentes, ut ait ipſe, ſua prandia ab undecima ad noctem uſque, ab ejuſmodi co- 8

meſſatore contrahi reatum culpæ lethalis. I. Quia Summiſtæ, & reliqui Theologi Morales, accuratiſſimè proferentes in medium omnes modos, quibus violatur lex jejunii, ne verbulo quidem tangunt illos, qui ad multas horas protrahunt prandium; Ergo hoc ipſo judicant, ab hiſce non violari eam legem. Argum. *Cap. 2. De Tranſl. Epiſcop.* Ibi: *ſi Pontifex idem fieri voluiſſet, ſuperaret expreſsiſſe.*

9 II. Quia omnes DD. & Eccleſia Mater permittunt die jejunii unam integram refectionem, nec prohibent niſi duplicem, ſeu exceſſum extra unam juſtam refectionem; atqui prandium, ſeu convivium, quatuor, vel plurium horarum, non eſt niſi una refectio, ut patet, tum ex communi modo loquendi, qui maximè ſpectandus eſt. *L. Labeo. ff. De Supell. Legat.* tum quia, qui in principio & fine talis convivii veſceretur carnibus, non niſi unicum peccatum mortale admitteret. Suprà *cap. 23. n. 203.*

10 III. Cùm tota ratio jejunii Eccleſiaſtici pendeat à conſuetudine potiùs quàm à jure ſcripto. Fagundez *In Præcept. Eccleſ. Præc. 4. L. 1. c. 4. n. 18.* idcirco ſaltem in Germania excuſandi ſunt à mortali illi, de quibus diſſerimus. Eſt enim in Germania frequentiſſimum, ut per quadrageſimam inſtituantur convivia Doctoralia, Magiſtralia, itémque illa, quibus electiones Prælatorum, tranſactiones, ſponſalia, & etiam Anniverſarii dies celebrantur, & ad quæ ex more patriæ feſtitatur multis horis, tum ab ipſis quoque Sacerdotibus, tum etiam nonnunquam à Religioſis, nec tamen eſt, qui illos
11 orco addicat. Synodus tamen Conſtantienſis *P. 2. Tit. 1. n. 26.* ſub pœna decem florenorum vetat, ne diebus feſtis, aut jejuniorum Clerici exhibeant ea convivia, ad quæ obligantur ratione Beneficii ſui, aut conſuetudinis.

SECTIO II.

Sintne convivia vetita Clericis, & Regularibus?

SUMMARIUM.

Vtrùm Clericis interdicta ſint convivia? 12.
Cùm ſis in menſa, primùm de paupere penſa. 13. *ad finem.*
Quid de conviviis in exequiis defunctorum? 14.
Omnis lex abſolutè præcipiens, aut prohibens aliquid, obligat ad culpam. 15.
Eſt ſuperſtitioſum bibere amore Sanctorum, vel animæ defunctæ. 16.
Sitne revera promiſſa Indulgentia Germanis bibentibus ſemel tantùm poſt Deo gratias? 18. *& ſeqq.*
An Clericis liceat convivia celebrare ex Symbolis. 22.
An frequentare convivia nuptialia? 23.
Mos quorundam Parochorum ſequendus. 24.
Adeundo convivia fit jactura æſtimationis. 24.
Non obſecundantes invitatoribus honorantur deinde magis ab ipſiſmet invitatoribus. 25.
Refertur lepidus farcaſmus in hoſpitem comedonem. 26.
Cur ſingulariter hac ætate declinanda ſint Clericis convivia? 27.
Cur à toto genere ſit illicita hæc frequentatio? 28. *& ſeqq.*
De conſuetudine ſervandi pro convivio partem redituum debitorum novo Canonico. 32.

Quæres I. *Vtrùm non ſaltem Clericis interdicta ſint convivia?* 12

RESP. Non tantùm non reperio ullum Juris Canonici textum, qui abſolutè interdicat Clericis omnia convivia, ſed in citata *diſt.* 44. extant non paucæ ſententiæ, quæ tacitè vel expreſſè permittunt iis convivia; addunt tamen ſemper limitationes ſobrietatis, gravitatis, precationis, ſacræ lectionis, & ſimiles.

Vide Joannem de Friburgo *In Summa Confeſſ. Lib. 3. Tit. 4. q. 10.* ex Raymundo referentem ſex præcepta in convivio Clericali regulariter obſervanda, quæ indicavit S. Gregorius, ſententiâ paulò antè deſcripta. Illis addo Chriſtiani Caronis monitum: 13

Cùm ſis in menſa primùm de paupere penſa.

Quæres II. *Vtrùm Clericis non ſint vetita ea ſaltem convivia, quæ celebrantur in exequiis defunctorum?* 14

Michael Ferro Manrique *quæſt. Moral. & Vicarialium. Part. 2. q. 34.* hoc ex profeſſo movet, tractátque dubium, teſtans, ſe ſemel idcirco conſcendiſſe ſuggeſtum, ut talem abuſum (ſic ipſe vocat) pro viribus deleret ex quodam loco Toletanæ Diœceſi contiguo, quia *C. Nullus diſt. 44.* expreſſè prohibetur preſbyteris, ne in Anniverſariis defunctorum vel bibant ipſi, vel alios ad bibendum cogant. Nihilominus concludit, à Clericis, & Regularibus non peccari propriè, etſi ejuſmodi convivia accedant, eò quòd citatus Canon *Nullus* non contineat prohibitionem ſub peccato.

Sed refutatur fundamentum hujus Doctoris, tùm quia, ut ipſemet fatetur, iſte Canon expreſſè prohibet Clericis, ne bibant in ejuſmodi conviviis; ergo hoc ipſo prohibet ſub peccato. Nam omnis lex (non pœnalis) aliquid abſolutè præcipiens, aut vetans, obligat ad culpam. S. Thom. 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. tùm quia ille idem Canon vetat, ne Clericorum quiſpiam *precatus amore Sanctorum, vel ipſius animæ bibat*; atqui ita bibere, non vacat culpa. 15

16 pa. Etenim ſuperſtitionis, aut alterius irreligioſitatis crimen eſt, in publico convivio dicere: quia me rogâſti, hoc poculum ebibam in honorem S. Petri. Nam & S. Auguſtinus relatus *C. Comeſſationes. diſt.* 44. meritò lugendum pronuntiat, quòd in honorem etiam beatiſſimorum Martyrum Comeſſationes celebrentur: & Sancti non honorantur actionibus indifferentibus: & huc non incongruè aptari poteſt illa S. Hieronymi ſententia *in Epiſt.* ad Euſtochium: *Valde abſurdum eſt, nimia faturitate* (vini profano potu) *velle honorare Martyrem, quem ſcias placuiſſe Deo jejuniis*, omnis, inquam, vini non neceſſarii abſtinentiâ.

17 Equidem Divi non honorantur conſuetè in conviviis meri potu, quo etiam olim ſibi in Quadrageſima interdixêre Chriſtiani: *Quando jejunamus, nec carnem, nec vinum guſtamus*, inquit Origenes *Lib. 3. in Iob.* Haud tamen nego, ſumptionem cibi, potúſque ex rationis præſcripto adhibitam, poſſe utiliter, religioſéque alicui Sancto offerri.

Præcedens quæſtio commonet me de alia aliqua aliquantum cognata, quæ mihi per literas ex Auſtria fuit Anno 1650. propoſita, & eſt.

Hujuſmodi.

18 *Circumfertur in Auſtria chartæ folium impreſſum, quo aſſeritur, Honorium III. peculiares Indulgentias maximè Germanicæ nationi dediſſe, pro iis, quicunque ſemel poſt Deo Gratias biberent. Dubitatur, & quæritur, ſintne hæ Indulgentiæ ſuppoſititiis annumerandæ?*

19 Ratio ex una parte dubitandi occurrit mihi hæc, quòd ſcilicet eæ Indulgentiæ ferantur conceſſæ ob duplicem finem valde honeſtũ, ut nimirum *& gratiæ non negligantur, & non ſæpius à gratiis, quàm ſemel duntaxat bibatur, atque ita vel à menſa ſurgatur, vel ab ulteriore potatione, & ingurgitatione ceſſetur*; hæc enim ſunt verba illius folii, quod ego legi. Atqui propter opus ex ſe indifferens, ſi ad finem bonum dirigatur, poteſt impertiri Indulgentia, ſicuti ex communi Doctorum docui in Theſauro Eccleſiaſtico Indulgentiarum. *Part. 1. n. 171.*

20 Ex altera autem parte occurrunt hæ rationes. I. Quòd hæc Indulgentia offerat occaſionem potûs exceſſivi, ut videlicet bibat quis pro lucranda Indulgentia, etſi jam ferè ſit ebrius. II. Quòd exponatur hæc Indulgentia ſcurrilibus potatorum jocis, dicteriiſque. III. Quòd nequeat determinari tempus, quo illa obtineatur; non enim comparatur actu, mox ut quis poſt *Deo gratias* ebibit unum craterem, alioqui ſi adhuc tres, aut quatuor alios hauriret, frueretur nihilominus prædicta Indulgentia, interim agens contra finem principalem ejuſdem Indulgentiæ. Quomodo ergo acquiritur?

Hæ rationes efficiunt, ut de illius Indulgen- 21
tiæ conceſſione magnopere dubitem, imò cenſeam, vel nunquam fuiſſe impertitam, vel cum aliqua alia circumſtantia in prædicto folio non expreſſa. Atque etiam ita ſentiunt viri docti, quos conſului.

Quæres III. *An liceat Clericis convivia ex Symbolis celebrare?* 22

RESP. *Cap. Non oportet, 2. diſt.* 44. ex Concilio Laodicenſi refertur hic Canon: *Non oportet miniſtros Altaris, vel quoſlibet Clericos, aut etiam Laicos Chriſtianos ex Symbolis convivia celebrare.* Quæ convivia ex Symbolis, teſtatur Gloſſ. illi Capitulo inſerta, dici *Comeſſatia*, ſúntque ea, ad quæ ſuam quiſque Symbolam confert, ut addit Gloſſa lateralis, teſtans etiam Symbolas vocari *conferta*, de quibus ex Concilio Martini Papæ extat Canon dictâ *diſt.* 44. *Non liceat Sacerdotes, vel Clericos, ſed nec Religioſos Laicos convivia facere de confertis.*

Quæres IV. *Sitne Clericis licitum frequentare convivia nuptiarum?* 23

RESP. Ex Concilio Agathenſi extare Canonem *diſt.* 24. cujus hoc initium: *Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel decteps quibus ducendi uxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia.* Hunc Canonem à pleriſque non obſervari, quando propinquiorum nuptiæ celebrantur, non eſt mirum, cùm & eis faveat exemplum Chriſti Domini *Ioannis 2.* & difficile ſit, non gare ejuſmodi humanitatis, benevolentiæque officium, & diſertè permittant Synodi Pragenſis *Tit. De vita & honeſt. Clericorum*, & Conſtantienſis *Part. 2. Tit. 1. num. 18.*

Novi tamen parochos, qui ſuorum paro- 24
chianorum conviviis nuptialibus omnino abſtinent, & quando parochiani illi ſunt pauperes, remittunt etiam iis id, quod cæteroqui de jure, vel conſuetudine ſolvere, vel dare loco prandii nuptialis deberent. Et quis hoſce non laudet potiùs, quàm fugillet? uſus quippe docet, ejuſmodi conviviis partim magnopere minui authoritatem parochorum, ut etiam teſtatur Synodus Pragenſis *loc. cit.* partim conſcientiam lædi exceſſivo potu, inepta lætitia, aliiſque modis. Et univerſim ſuadent ſapien- 25
tes Sacerdotibus omnibus, ac ſingulariter Regularibus, ut vitent convivia, quoad commodè poſſunt, tum propter alias rationes, tum ſingulariter propter illam, quam ex Hieronymo ad Nepotianum adfero: *Facilè*, inquit, *contemnitur Clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium ire non recuſat. Nunquam petentes, raro accipiemus rogati; neſcio enim, quomodo etiam ipſe, qui deprecatur, ut tribuatur, cum acceperis, viliorem te judicat. Et mirum in modum, ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſteriùs veneretur.*

26 Et quoties de talibus, qui mensas alienas frequentant, vel dicitur, vel cogitatur aliquid simile illi, quod narrat Gerson. *Tom. 4. serm. 1. Dominic. 1. Quadragesf.*

De Religioso quodam Fratre.

Qui die jejunii, cùm intrâsset domum cujusdam, parantis jam cœnare, rogavit hic illum Fratrem *ob amorem Dei*, (verba sunt Gerionis) *& charitatem, ut vellet cœnare. Fecit ille, & comedit optimè, plusquam hospes voluisset, & remansit hospiti per vna pars. In discessu dixit hospiti Frater, qui excusabit se dicens: charitatem comedisse. Redeas alias, inquit hospes, sed noli ducere tecum charitatem, quia est gulosa nimis.* Cape tibi hoc. Bellissima sanè bellaria, digna iis, qui toties alienas quadras lingunt.

27 Enimverò quandoquidem hac ætate intolerandum in modum excrevit luxus ferculorum, provocationes ad haustus æquales in variorum hominum sanitatem, longissimæ ad mensam sessitationes, & consequenter diuturnæ nominis alieni denigrationes, quas à decimo quoque convivio non abesse docet experientia, rerum omnium Magistra *Cap. Quàm sit. De Elect. in 6.* Et quia proinde fit, ut ex decem, qui hac ætate solent convivia frequentare, vix unum reperire sit, qui non cogatur fateri, se cum aliquo corporis, vel animi detrimento, noxio neglectu officiorum profanorum, aut etiam sacrorum domum rediisse, idcirco si fas est promere, quod sentio, solidæ virtutis nihil, vitiorum plurimum habet, quisquis convivia, mensasque alienas frequentat, seu frequenter, atque absque necessitate adit, aut celebrat.

28 Idcirco ajo, conviviorum hac ætate frequentationem, seu frequentem aditionem, ac celebrationem esse à toto genere damnandam, & illicitam, ita ut, licèt Confessarius non debeat absolutionem negare Canonico, Nobili, Patritio &c. nolentibus desistere à frequentationibus conviviorum, si dicant, se neque in seipsis, neque in aliis solere esse causam ebrietatis, neque contrahere æs alienum, cui solvendo non sint, neque opes ecclesiasticas in comessationes profundere, neque quidquam notabile in officiis, quæ obire tenetur, idcirco negligere &c. neque ad libidinem cum frequenti castitatis pernicie accendi &c. (aliud dicendum foret, si unum ex his malis evenire soleret) attamen oporteat omni, qua fieri potest ratione, illos inde abstrahere, & dicere, eos, ut minimùm, in statu multorum peccatorum proximorum mortalibus perpetuò versari. Alia est ratio eorum, qui rarò, & rationabili ex causa convivia instituunt, vel accedunt, tales enim, etsi fortè versentur in periculo admittendi unum, aut plura peccata venialia tempore convivii, illud tamen periculum non est tantum, ut oporteat dicere, eos sub veniali peccato obligari ad omnia convivia vitanda.

Cæterùm sanctissimè agunt illi Religiosi ordines, qui memores moniti Divini: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii. Eccles. 7.* suis graviter prohibent, ne mensas exterorum absque necessitate, vel gravi causa adeant. Catonem Censorinum morti, vicinum, inter alia tria pœnituit: *Quòd persuasus olim ab amico, apud eum cœnaverit.* Nam, ut ajebat, vir fortis aliena mensa difficilè fruetur absque læsione libertatis, gravitatis, auctoritatis. Accedit illud Isidori *Lib. 2. Soliloq. Ciborum saturitas carnis luxuriam suscitat, edacitatis vitio crescit omnis carnis tentatio, saturitati semper libido adjuncta est.* Lege si vis, S. Antoninum *cit. Tit. 6. §. 3.* recensentem infelices exitus conviviorum.

Quæres V. *An toleranda consuetudo, qua alicubi retinetur ab antiquioribus Canonicis pars redituum spectantium ad novum, ut inde conviviuminstruatur.*

RESP. Apertissimè damnari *in cap. Iacobus. De Simonia.* Excusat tamen Suarez *Tom. 1. De Relig. Tract. 3. Lib. 4. cap. 47. n. 5. & 6. junct. cap. 49. n. 8. & seqq.* casu, quo fiat ob amicabilem communicationem, & sine extorsione, suspicionéve Simoniæ. Nam nulla consuetudo valet derogare legi prohibenti aliquid ob suspicionem Simoniæ, nisi postquam res est deducta eò, ut absit omne periculum scandali, adeóque suspicionis. Vide omnino Barbosam *in cit. cap. Iacobus.*

SECTIO III.

An convivia sumptuosa sint licita?

SUMMARIUM.

Quid pronuntiandum de conviviis opiparis? 33.
Quid de Clericorum mensis opiparis pronuntiet Concilium Carthaginense? 36.
Quid Synodus Salisburgensis? 38.
Et Pragensis? 39.
Quid D. Bernardus? 40.
Peccant mortaliter Clerici profundentes in epulas bona Ecclesiastica. Ibid.
Illustre exemplum frugalitatis Pii V. 37.

Quæres I. *Quid pronuntiandum de conviviis, paratis ciborum, vinorúmque varietate?* 33

RESP. Mihi hactenus lectus non est, qui commendet, multi, qui reprehendant. Reprehendendi causam subministrant ipsæ sacræ paginæ. *Eccles. 37. vers. 32. In multis esca erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram.* Sanè multi cibi, multi morbi; copiosa mensa, & misera valetudo.

34 Ratio prima est, quia cum varii cibi, varii potus, non possint ob naturæ, seu temperamentorum diversitatem simul digeri, sed valde diverso egeant tempore, fieri nequit, ut ex eis simul ingestis gignatur sanguis sincerus.

Alteram reprehendendi causam subministrat illud verissimum M. Tullii *Lib. ult. Tusc. quæst.* pronuntiatum; *Parvo cultu natura contenta est, desideriis omnia conduntur.*

Tertia, & quarta ratio est, tum sessitatio longa ad ejusmodi mensas valde noxia corpori, animóque, tum profusio pecuniarum, de jure sæpe applicandarum in alios usus. Lege si monitionem sapientiâ Christianâ plenam, quam exhibent Constit. Synod. Constantienses. *p. 2. Tit. 6. n. 12.*

35 Enumerata incommoda maximè emergunt ex illis conviviis, quæ antiqui *Mutitationes* appellabant, cùm scilicet mutantur vices excipiendi convivas, ita ut in orbem quasi convivia eant. Licèt enim quando ejusmodi mutitationes instituuntur ex amore sincero, atque ex legibus temperantiæ, modestiæque, reprehendi non debeant, (alioquin eas non permisisset filiis, ac filiabus suis religiosissimus Job) quia tamen usus ostendit, solere in hisce mutitationibus multum excedi terminos plurium virtutum, temperantiæ annexarum, & consueviſſe certari de palma, dum quisque contendit alterum superare, vel saltem æquare apparatu ferculorum, etiamsi ea de causa sit, vel æs alienum, quod maligniſſimè dissolvitur, contrahendum, vel familia misere postmodum tractanda, idcirco censeo abstinendum ejusmodi mutitationibus, nisi fiant inter pauciſſimos, amiciſſimos, frugalitatis studiosos. Possent rerum peritiores, quàm ego, nominare familias Nobiles, magnam partem ad egestatem redactas per illa in orbem euntia, redeuntia convivia, accedentibus illis, quibus liberorum, aliorúmque dies lustricos celebrant.

Quæres II. *Quid de Clericorum opiparis mensis pronuntient jura sacra?*

36 RESP. I. In Concilio Carthaginensi 4. quod refertur *Cap. Episcopus dist. 41.* statuitur, ut *Episcopus* (quidni & inferior Clericus?) *mensam, & victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem fide, & vitæ meritis quærat.* Cujus Concilii jam ob Episcoporum auctas opes, ut notat *Ibid.* Gloss. itémque ob dignitatem Principalem multis adjectam, desuetudine abrogati exemplum sequens sacra Synodus Tridentina *Sess. 25. c. 1.* jubet, *ut Episcopi modesta mensa, ac frugali victu contenti sint.*

Memorandum specimen frugalitatis Pontificiæ.

Narrat Navarr. *Tract. De Redditibus Ecclesiasticis, monito. 45. num. 3. testans se astitisse cœnanti* (pro nuper Beatis, nunc Sanctis accenso) *Pio V. Pontifici Maximo, ipso die festo S. Antonii Abbatis, qui illi Pontifici & natalis, & consecrationis anniversarius erat. In ea autem cœna, non nisi duo ova in sartagine frixa, & aliquot offas, herbarum jure infusas, atque unicum potum vini aqua temperatum, & vix sex unciarum sumpsisse.* 37

RESP. II. In Provinciali Synodo Salisburgensi edita Anno Domini 1568. *Constitut. 27. cap. 15.* de Clericis ita sancitur: *Inter convivandum modestiam, atque mediocritatem adhibentes omnem luxum fugiant, ne de patrimonio Crucifixi se inimicos faciant Crucis Christi, sicut faciunt illi, quorum Deus venter est.* 38

Similiter Synodus Archidiœcesana Pragensis Anno 1605. *Cap. De vita, & honest. Clericorum*, de hisce ita statuit: *Mensa Clericorum frugalis sit. In numero, & pretiositate ferculorum non se ostentent; exquisitas delicias, Comessationes, ad æquales haustus provocationes, in omni Christiano, & multo magis in Clerico damnamus, atque detestamur.* 39

Adhuc Religiosiùs loquitur Synodus Constantiensis *P. 2. Tit. 1. n. 12.* ut fatebitur, qui legerit. Sed audiamus D. Bernardum, insectantem hæc Sybaritica convivia Clericorum, alloquentémque Fulconem Clericum hisce verbis: *Bene facis, si Ecclesiæ Præbendam non accipis gratis. Dignum est, ut qui Altari servit, de Altari & vivat. Conceditur ergo tibi, ut si bene deserviis, de Altari vivas, non autem ut de Altari luxurieris. Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altari retines, tuum non est, furtum est, rapina est, sacrilegium est.* Ex quibus verbis patet, mortalis peccati à S. Bernardo damnari Clericos, qui bona Ecclesiastica, honestæ sustentationis portionem excedentia, profundunt in splendidas epulas. Quæ doctrina longè verissima est. Licèt enim hodiéque magnâ animorum contentione disputetur, utrùm Clerici sint veri domini, an solùm administratores bonorum Ecclesiasticorum, suæ honestæ sustentationi superfluorum, & praxis communissima potiùs, quàm efficax ratio patrocinetur iis, qui repugnante S. Bernardo, ac pleriſque Canonistis, nonnulliſque aliis Patribus, existimant, Clericos esse verè dominos omnium omnino redituum suorum Ecclesiasticorum, certissimum tamen est, eos sub peccato mortali teneri omnes proventus Ecclesiasticos superfluos, seu ad eorum sustentationem congruam non necessarios, erogare in pias causas. Nam ita docent omnes Canonistæ, omnéſque Theologi, ne uno qui-

dem excepto, ut testantur Granadus, & Diana *Part. 4. Tract. 4. Resol. 214.* ac Laymannus *Lib. 4. Tract. 2. cap. 3. n. 7.* Docent autem propter apertissima decreta Sanctorum Patrum, & Canonum, quos referendi, aut explicationes, moderationésque hujus verissimæ doctrinæ adferendi locus non est. Vide omnino recentissimum, & pietatem cum eruditione perpetuò conjungentem Cursum Santgallensem. *Tom. 5. Tract. 5. sect. 1. q. 2. dub. 4.*

SECTIO IV.

An, & quatenus Regularibus prohibeantur sumptuosa convivia?

SUMMARIUM.

Constitutio Clementis VIII. De conviviis Regularium. 42.
Et Vrbani VIII. De iisdem. 43.
Quænam damnentur ab his Pontificibus? 44.
Quænam videantur repugnare paupertati Religiosæ, quæ non? 46.47.48.
Quid de conviviis lautioribus, quàm Regula, vel Superior mediatus permittat? 49.
Non omnia, quæ fiunt contra voluntatem superiorum, repugnant decentiæ statûs Regularis. 50.
Superior potest rationabiliter per se loquendo permittere omnia non repugnantia decentiæ Religiosi statûs. 51.
Quid intelligatur per statum Religiosum? 52.
Vnde potissimùm desumenda legis obscuræ interpretatio? 53.
Aliqua conveniunt statui unius Religionis, quæ non statui alterius. 54.
Non agunt contra illas Bullas monasteria singulariter illustria, etsi excipiant hospites lautius, quàm Ordines mendicantes. 55.
Clemens, & Vrbanus non vetuit nisi ea, quæ jam prius erant vetita. 56.
Quo jure fuerint antiquatus prohibita Religiosis lauta convivia, & donationes? 58. & 59.
Moderatæ donationes sunt permissæ superiori Religioso. 60.

42 QUæres I. *An non singulariter Religiosis interdicta sint sumptuosa convivia?*

RESP. Clemens VIII. Anno 1594. mense Junio in Constitutione, *De largitione munerum Regularibus utriusque sexûs interdicta §. 5.* ita sanxit: *Insuper prohibemus, ne unquam iisdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquomodo erogare pro aliquo etiam benefactore, protectore, Ordinario, quavis auctoritate, vel dignitate fulgente, honorificè, lautè, & opiparè excipiendo, seu pro quibusvis convivüs eisdem, aut cuivis alteri quacunque occasione, vel cænis exhibendis, vel pro Comessationibus, aut compotationibus quibusvis personis &c. largiendis &c.*

Quam Constitutionem postmodum Urba- 43
nus VIII. quoad hanc partem declaravit his verbis: *Comessationes, compotationes, & convivia in excipiendis præsertim benefactoribus, protectoribus, vel Ordinariis honorificè, & lautè, censentur tantummodo prohibita, si decentiæ statûs Regularis adversentur.* Ita Urbanus; circa cujus declarationem, uti & ipsam Clementis constitutionem à Filliucio *P. 2. Tr. 34.* Bonacina *Tom. 1. sub finem disputatione peculiari,* Berti *in fin. Tom. 4. qq. Regul. Rodriquezii,* Diana *Part. 1. Tract. 6.* per totum explicatam.

Quæres II. *Quænam convivia censeantur ita* 44
adversari decentiæ statûs Regularis, ut videantur ab Vrbano, & Clemente prohibita?

RESP. Illa, quæ multitudine, raritate, pretiositate, condimentis ferculorum, attendendo tum ad personarum, quæ excipiuntur, qualitatem, tum ad rationem paupertatis, quam singulæ Religiones profitentur, sunt ita præstantia, ut judicio piorum, prudentiúmque Religiosorum excedant decentiam statûs Religiosi. Ratio hujus responsionis ex una parte 45
est, quia res hæc nec in indivisibili consistit, nec ulla certa lege, aut Regula reperitur definita; ergo committenda est judicio piorum, prudentiúmque virorum. Argum. *C. De causis §. 2. De Offic. Iudicis delegat.* Ex altera autem parte, sicut omnium optimè

Navita de ventis, de tauris narrat arator;

ille, quinam venti secundi, vel adversi, hic quales tauri trahendo aratro aptissimi, ita etiam de iis, quæ decentiæ statûs Religiosi conformia, vel difformia sunt, appositissimè nôrunt pii, prudentes, atque adeò usu periti Religiosi. Argum. *Cap. Fraternitatis. De frig. & malef.*

Qui imprimis pronuntiabunt, illa convivia 46
non censeri adversari prædictæ decentiæ, si sint conformia vel statutis majorũ *Cap. Quis nesciat, distinct. 11. cap. Ridiculum, & cap. Consuetudo. dist. 12.* vel consuetudini à superioribus approbatæ; nisi manifestum sit, ejusmodi consuetudinem esse contrariam his Bullis, eæ enim damnant expressè omnem in contrarium consuetudinem.

Deinde dicent, illa communiter habenda 47
pro moderatis, in quibus non plura, aut pretiosiora fercula apponantur invitatis, quàm soleant ii ordinariè habere in mensa, ut singularissimè notat Filliucius. *cit. Tract. 34. n. 68.* Præterea addent, illa hìc damnari, quæ à Mendicantium conventibus exhibita, lautiora sunt iis, quæ in ejusmodi occasionibus solent ab Ordinibus nõ mendicantibus exhiberi;

nam

nam ordines non mendicantes sunt ordinariè opulentiores mendicantibus, & eorum superiores, ac Abbates, & Præpositi illustriorem dignitatem obtinent *Cap. Vt Apostolicæ, de Privileg. in 6.* Longè certiùs dicam dicent iis, quæ à mendicantibus Ordinibus data superant vel æquant lautitias epularum, quibus opulenti Parochi, Decani, Canonici, Nobiles, excipiunt illius qualitatis homines.

48 Demum nigro calculo damnabunt illa convivia, cœnas, prandia, quibus 20. 30. fercula inferuntur mensis; re enim vera hæc eduliorum multitudo, ac diversitas, & repugnat Religiosæ frugalitati, paupertatique, quam Clemens VIII. in tractandis hospitibus etiam potentioribus prorsus elucere, Religionum Fundatores omnibus in rebus emicare mandant; & ad meram ostentationem servit, cùm hospites graves, & modesti (heluonum qui rationem haberet, rationis expers foret) pleraque ex tam multis vix attingant, & consequenter inutili labore, non sine exercitiorum spiritualium jactura, occupat, distrahítque coquos, promos condos &c. & ipsismet hospitibus ansam dat dictitandi, non posse se paria Religiosis facere; clarè apparere, quàm non modò non egeant, sed etiam abundent; dignos non esse, quorum commiseratio quemquam tangat, cùm non sint pauperes &c. Ita sæpe ii, quibus optimè factum voluisti, loquuntur, reddentes mala pro bonis, & ferè digni, ut non recedat malum de domo eorum. *Proverb. 17.*

49 Quæres III. *An omnia illa convivia dicantur ab Vrbano VIII. repugnare decentiæ statûs Religiosi, quæ exsuperant quantitatem, & qualitatem ferculorum à superiore, aut Regula fortassis determinatam?*

Est autem hæc quæstio non levis momenti propter pœnas, de quibus paulò inferiùs.

RESP. Si illa determinata quantitas, & qualitas judicio piorum, prudentiúmque Religiosorum sit ejusmodi, ut spectatis tum opibus, & paupertate, quam illa Religio profitetur, tum hospitum conditione, non potuerit rationabiliter Superior permittere majorem, tum judico à Pontifice damnari hìc omnem illam, quæ taliter determinatam superat; si autem potuit Superior rationabiliter, Religioséque determinare majorem, quàm re ipsa determinavit, tum non censeo, contra Bullam Urbani delinqui ab illo, qui plura, pretiosiórave fercula apponit, quàm Superior statuerit, modò illa pluralitas, & pretiositas non sit tanta, ut Superior non possit rationabiliter permittere illam.

50 Ratio primæ partis est, quia non omnia, quæ à Religiosis fiunt contra Superiorum expressas ordinationes, repugnant decentiæ statûs Regularis; ergo licèt in tractatione hospitum excedatur terminus à Superiore præfixus, non protinus agitur adversus decentiam statûs, esto agatur adversus obedientiam, & paupertatis votum, ut in simili notat Filliucius *loc. cit. n. 65.* Antecedens inde probatur, quòd decentia statûs Religiosi non consistat in indivisibili, sed habeat magnam latitudinem, ita ut ipsi etiam Superiores multa nunc demant, multa nunc addant illæsâ decentiâ statûs ipsius. Ratio se- 51
cundæ partis est, quia Superior potest per se loquendo rationabiliter permittere suis subditis ea omnia, quæ non adversantur decentiæ statûs suæ Religionis, ergo qualitas, & quantitas ciborum, quæ est tanta, ut eam non possit rationabiliter permittere Superior, militat contra decentiam statûs illius Religionis.

Suppono autem in hoc discursu, per statum 52
Religiosum à Pontifice non intelligi, neque statum Religiosum in communi, neque absolutè quemlibet in particulari, quasi verò velit interdicere, aut illa sola convivia, quæ sunt ita sumptuosa, ut superent decentiam cujuscunque, etiam ditissimi, minimèque strictam paupertatem profitentis Ordinis, vel Monasterii, aut è diverso omnia illa, quæ adversantur decentiæ cujuscunque tandem, & reipsa, & ex professione sua pauperrimi Ordinis.

Cùm enim vera cujusque legis interpreta- 53
tio desumenda sit præcipuè ex fine, atque intentione ipsius legislatoris solita indicari in proœmio, nam & præfatio legis dat intellectum toti legi, hæcque ab illa regulatur. Molina *De primogeniis Lib. 1. cap. 5. & intelligentia dictorum ex causis est desumenda dicendi, C. Intelligentia. De verb. significatione*; finis autem utriusque constitutionis, de qua hìc tractatur, fuerit: *Præcavere, ne ex muneribus, quæ à pluribus Religiosæ vitæ professoribus ex Christi patrimonio tribuuntur, gravia incommoda & mala etiam boni specie existant*, ut loquitur Clemens. §. 1. illa autem mala existunt frequentissimè etiam, quando dantur à Religiosis, e. g. mendicantibus munera, & convivia, quæ non decent statum ordinum, quorum Prælati sunt Principes, status Provinciales &c. esto summopere dedeceant proprium statum.

E diverso creberrimè prædicta mala non 54
emergunt ex muneribus, & conviviis illis, quæ præbere consueverunt nonnulli Religiosi Ordines, esto ea haud parùm dedeceant statum aliorum quorundam, strictiorem paupertatem exercentium Religiosorum. Et uno verbo, cùm clarum sit, aliqua convenire statui unius Ordinis, quæ non conveniunt alteri, non prospexisset eo modo, quo intendebat Clemens, singulis Religiosis Ordinibus, si non singulis quibusque ea vetuisset munera & convivia, quæ proprio cujusque instituto, ac statui peculiariter, & singulariter adversantur,

sive

sive interim etiam alicui alteri adversentur, sive non adversentur.

55 Et quis dicat, illa monasteria virorum, ac mulierum, in quæ non nisi Nobili genere orti recipiuntur, peccare adversus hasce constitutiones, si eorum Abbates, præpositi, Abbatissæ, priores &c. hospites excipiant lautioribus epulis, quam deceat fieri à Dominicanis, Franciscanis, Jesuitis? Quis etiam neget, ab hisce tribus Ordinibus violari Clementinam, si ea munera largiantur, eas apparent epulas, quæ æquent summum, quod in hoc genere potest decenter fieri à monasteriis opum abundantia, generis claritudine, dignitate præcipua, aut Principali præstantibus.

56 Confirmo allatam doctrinam inde, quòd neque Clemens, neque Urbanus per hasce suas Bullas quidquam vetuerint, nisi quod jam antea fuerat jure naturali, & Canonico (suppositâ cujusque Religiosi Ordinis ab aliis distinctione) interdictum. Nam constitutio Clementis *non est juris novi* (nisi quoad formam petendæ, dandæque facultatis, & quoad pœnas) *constitutiva, sed reformativa, & juris communis restitutiva, eidémque conformis*, ut loquitur Valerus apud Dianam *cit. Tract. 6. Resol. 2.* referentem pro hac doctrina Sousam, Ortizium, Joan. Crucium cum Berti, & *Resol. 13.* conformiter Lessio *in Resol. Cas. Verb. paupertas. Cas. 5.* nervosè differenti addentem: *Quidquid ante prædictam constitutionem licebat, nunc quoque licere*, etsi contrarium tenet Bonacina *cit. disp. 3. p. 6.* qui utique non vidit Urbani confirmationem declarationem, aper-

57 tè faventem doctrinæ Valeri, & Dianæ. Cùm igitur spectato jure communi aliud circa hospitum tractationem conveniat uni Ordini Religioso, aliud alteri, dicendum est, id ipsum nunc quoque convenire, saltem si loquamur de tractatione lautiore, quàm sit ordinaria domestica hospitum invitatorum, juxta prudens arbitrium Fillincii relatum superiùs *n. 57.*

58 Quòd si quæres: *Vbinam extet scriptum illud jus commune*? Respondeo, extare in *C. Nullam. 18. q. 2.* ubi Pelagius Papa declarat esse officium Abbatis, ut *fideliter, & studiosè, quæ ad divini cultûs reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem monasterii pertinent, Abbatis solicitudo debeat adimplere.* Quibus verbis indicatur, omnia bona monasterii esse in usum honestum expendenda, ut latè explicant Navarrus. *De Regular. Comment. 3.* & Suarez *Tom. 4. De Relig. Tract. 1. cap. 16.*

59 Confirmatur ex Cap. Abbati *dist. 54.* ubi negatur, fas esse Abbati, *servum facere liberum*; additúrque duplex optima ratio: tum quia, *qui nil proprium habet, libertatem rei alterius dare non potest*, tum quia *non potest possessio alienari nisi à proprio Domino.* Cùm ergo Abbas non sit Dominus monasterii bonorum *cit. cap. Abbati.* tenetur omnia erogare in usus indicatos. *cit. cap. Nullam.*

Et tamen capitula non interdicunt prælato, 60 quò minùs faciat moderatas donationes, tum ad remuneranda præstita officia, tum ad conciliandos monasterio animos sæcularium. Patet evidenter ex declaratione Urbani excipiente utrumque hunc casum, & addente: *Modestè tamen, & discretè.* V. Suarez *loc. cit. n. 14.* & Navarrum *De Redit. Eccles. quæst. 1. mon. 36.*

SECTIO V.

Pœnæ statutæ in Religiosos nimis splendidè convivantes.

SUMMARIUM.

Quæ pœnæ statutæ in Religiosos donantes munera, vel struentes sumptuosa convivia? 61.

Vtrùm eæ pœnæ non incurrantur nisi à donantibus, & epulas celebrantibus ex ambitione? 62.

An sint usu receptæ Bullæ Clementis, & Vrbani? 64.

Et singulariter an in Germania? ibid.

Quid singulariter statutum sit de conviviis in receptione Novitiorum? 65.

61 Quæres I. *Quæ pœnæ statutæ sint in eos, qui largitione munerum, & lautitiis epularum præbitarum peccant contra Clementinam?*

RESP. I. Sunt facto ipso privati obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, officiis. II. Sunt inhabiles ad omnia in perpetuum. III. Sunt perpetua infamia, & ignominia notati. IV. Privati voce activa, & passiva. V. Potest contra eos procedi, & inquiri tanquam contra reos furti, & Simoniæ. De his pœnis legi potest Filliuc. *cit. Tract. 34. n. 77.* & Bonacina *cit. disp. 3. p. 5.* & hîc illud unum observari, quòd ex doctrina Palai *De Legib. disp. 2. p. 2.* aliorúmque apud ipsum, probabile sit, eas reipsa non contrahi, nisi post sententiam judicis declaratoriam delicti.

62 Quæres II. *Vtrùm ad has pœnas incurrendas necesse sit, prohibitorum munerum largitionem, conviviorúmque apparatum fieri ex intentione ambitionis?*

RESP. Quidquid dicat Diana *Resol. 33.* si esculenta, & munuscula sint leviora, requiritur, ut adsit suspicio ambitionis ad incurrendas hasce pœnas, non autem requiritur, si Comessationes, compotationes, & convivia sint lauta, sed sufficit, modò adversentur decentiæ statûs Regularis. Patet ex litera declarationis Urbanæ.

Quæ-

63 Quæres III. *Vtrùm prædictas pœnas incurrat omnis Religiosus, qui cum peccato mortali adversus votum paupertatis tractat hospites lautiùs, quàm permittat Superior?*

Respondeo negativè; quia Clemens, & Urbanus non prohibet omnia convivia repugnantia voto paupertatis. *Suprà sect. 2.* ergo non plectunt pœnis omnia eidem paupertati repugnantia. Nam *cùm principalis causa non subsistit, plerumque nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent. L. Cùm principalis. ff. De Reg. Iur.* atqui hoc loco causa principalis est prohibitio, accessorium pœna.

Hinc infero, prædictas pœnas non incurri ab omni illo, qui alia munera largitur cum violatione voti paupertatis, nisi fortè excedant summam à Superiore taxatam, ut placet Bonacinæ *loc. cit. Part. 5. num. 6.* vel (quod est credibilius) tam multum largiatur, ut possit idcirco in foro contentioso accusari, & puniri, sicuti vult Filliucius *n. 65.* cum Valero apud Bonac. *loc. cit.* Equidem Clemens VIII. vivæ vocis oraculo declaravit Nostræ Societatis Præposito Claudio Aquavivæ, etsi peccatum furti admittat Religiosus, qui absque facultate sui Superioris, largitur munusculum duorum aureorum, non tamen incurrere in pœnas hujus suæ Clementinæ. Sic testatur fide dignissimus Diana.

64 Quæres IV. *An hæc Clementina sit usu recepta?*

RESP. Negant absolutè Stephanus Gratianus, & Megala apud Dianam *cit. Tract. 6. Resol. 1.* Negant de Germania Laymannus *Lib. 4. Tract. 5. cap. 7. n. 14.* Tannerus *Tom. 3. disp. 6. q. 3. n. 107.* Inficiatur de plerisque regionibus Italiæ ex aliorum relatione Filliuc. *Tract. 34. Part. 1. num. 81.* Asserit de plerisque Italiæ regionibus Bonacina *cit. disp. 3. p. 5. n. 3.* Italus contra Italum. Ego sanè nunquam audii, fuisse quemquam plexum pœnis hic statutis, sicut nec reductam in praxin illam formulam facultatis, quam præscribit Clemens.

65 Quæres V. *Quid singulariter statutum sit de conviviis in receptione Novitiorum?*

RESP. Pœna excommunicationis Papalis. Patet ex Extravagante. *De Simonia.* Si videlicet, & sint valde splendida, & Regulares extorqueant illa à Novitiis, eorúmve parentibus. Suarez *Tom. 1. De Relig. Tract. 3. Lib. 4. cap. 17.* Vide etiam Navarr. *De red. Eccles. mon. 62. n. 3.*

Hoc certum, quòd Constantiæ, Urbe Episcopali, sit usu receptum, ut à parentibus Novitiorum utriusque sexus instituantur, masculorum quidem in Monasteriis virorum, & puellarum saltem prope Monasteria Monialium convivia lauta, quibus intersunt ipsi quoque DD. Canonici, atque Episcopales Ministri, nec cogitari de excommunicatione Papali, seu quia non extorquentur, seu quia illa Extravagans non fuit unquam usu recepta.

Mantissæ vicem appono sequentem Quæstionem.

SECTIO VI.

Quantopere hujus ætatis convivia luxu superent prisca?

Brevis est, non summatur.

IN proposita quæstione non loquor de illis 66 omnino primis sæculis, nam satis nota est de horum conviviis sententia Severini Boëtii 2. *De consolatione*: *Humanum genus in tota prima ætate fuit sine carne, & deliciis variis ciborum, & ideo mirandum est, quomodo voluptas tantum crevit, quæ à tanta parvitate inchoavit.*

Non loquor etiam de conviviis mediæ ætatis, sed solùm de proximorum sæculorum. Et quidem qualia fuerint Anno 1472. conjicies inde, quòd in illo epulo, quo Carolus Audax Burgundiæ Dux Fridericum Cæsarem, Albertum Sapientem Bavariæ Ducem, aliósque Principes excepit, non nisi triginta sex fercula illata fuerint; & tamen Andreas Brunnerus *in suis Excubiis* testatur, epulum illud fuisse unicum Regii luxus argumentum, quòd Europa tunc habuit, decantavítque. Qui scriptor non ex vano addit hoc grandi sua dictione dignum epiphonema, videlicet, *totidem hodie in plebeos ventres fercula descendere.*

Qualia quoque celebrata sint sub initium sæ- 68 culi proximè Superioris, docet Joannes Kayserspergius nobilissimus ea ætate Ecclesiastes Germanus, qui in una suarum concionum in copiam ferculorum, & mensarum luxum invectus est, interprete P. Jeremia Drexelio *in Tobiam Part. 1. cap. 6.* hisce verbis: *Principio offa ponitur, aut aliquid pulmentarii; sequuntur haleces, aut frixi pisces; comitatur hortense olus; accedit jus atrum, aut flavum, quinque aut sex fercula. Atque etiam hoc in mensis Principum fit, ubi nonnunquam* Novem *fercula pro prandio ponuntur.* Ita ille.

Quin Monasterium Beinveillense Benedi- 69 ctinum, Diœcesis Basileensis satisfaciebat olim suæ obligationi, quando Comiti à Thierstein suo Advocato, solito bis in Anno officii causa adire illud Cœnobium, apponebat pro totis prandio, aut cœna ein Frischling / seu porcellum æstimatum quatuor nummis, & dimidio, sicuti legere est in Trophæo Veritatis, seu Apologia Solodorensium contra Beinveill. fol. 142.

Q. Q. R. R. S. S.

GRAVES IN SUPER MORBOS &c.

CAPUT XXVII.

An, & quando peccet, qui per Ebrietatem, aliámve actionem malam, aut non malam, reddit se impotentem ad observandum unum, vel plura præcepta?

SECTIO I.

Referuntur authorum de hac quæstione sententiæ.

SUMMARIUM.

An, & quando peccet, qui per Ebrietatem, aliámve actionem malam reddit se impotentem ad observandum unum, aut plura præcepta? 1.
Referuntur verba authorum scribentium de hac quæstione. 3.
Quid scripserit P. Sanchez? *Ibid.*
Quid Bonacina? 4.
Et Suarez? 6.
Et Becanus? 7.
Quid Ferdinandus de Castro Palao? 9.
Et P. Dicastillo? 13.
P. Tamburinus approbat sententiam Sanchezii. 20.

1 CApite decimo ostendi, ebrietatem esse causam permultarum infirmitatum corporalium, ut nominatim podagræ; unde etiam quæsivi, utrùm ebrietatis malitia non augeatur ex hac prava circumstantia, & eventu?

Resolvi quoque illam quæstionem, an qui prævident, se per intemperantiam causaturos sibi morbum, qui illos impediturus sit ab executione suorum officiorum, delinquant etiam ratione prævisi ejusmodi impedimenti. Ut proinde illic satisfactum sit dubiis, quæ *ad lit. Q. Q. & S. S.* movenda videbantur.

2 Quò tamen & ibidem dicta magis declarentur, & resolvatur quæstio, quæ *ad lit. R. R.* innuitur, & confirmetur communis persuasio de peccato illius, qui per nimiam abstinentiam reddit se ineptum ad sua officia obeunda, ut vidimus *cap. 1. sect. 3.* proposui generalem illam valde intricatam, ac simul perutilem quæstionem, quam quidem fatetur Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 15. n. 1.* non reperisse se ab ullo tractatam. Reperi autem ego à sex, posterioribus illo. Horum omnium opiniones recensere operæ pretium duxi.

3 Agmen itaque ducat ipse Sanchez, qui relatis opinionibus negantium, & asserentium, peccari ab illo, qui per defatigationem, ebrietatem, excommunicationem, esum ciborum nocivorum reddit se impotentem ad observanda præcepta festorum, & jejuniorum, concludit, non posse universalem Regulam tradi, quæ in particulari, & determinatè præscribat, quando præcepta obligent, ad tollenda impedimenta, sive eodem die occurrant, sive ad præveniendum, ne occurrant, sed tantùm posse universalem Regulam dari, ex qua in singulis præceptis hæc tollendi impedimenti obligatio deducenda sit, Regulam autem hanc esse, ut videlicet spectetur vis, & rigor præcepti, quædam enim benignius explicari, ac minoribus causis excusantibus indigere, alia verò rigidiùs, ac urgentiores causas desiderare. Considerandam quoque necessitatem, & utilitatem impedimenti, & an per se, & intrinsecè ad rei præceptæ materiam pertineat, ut Breviarium ad recitandum officium Canonicum, vel per accidens, ut bona valetudo respectu ejusdem; & his computatis diversimodè in singulis præceptis dijudicandum esse, an culpa sit, admittere impedimentum ab illis excusans.

4 Alter est Bonacina, qui *disp. 2. De Legibus. q. 8. p. 1. num. 9.* doctrinam Sanchezii approbat, ac rationibus confirmat hunc in modum.

Non potest generalis Regula assignari, ad cognoscendum, quandonam peccet, qui voluntariè apponit impedimentum, propter quod non potest præceptum adimplere; quamobrem in hac re censeo. Primò inspiciendam esse gravitatem præcepti obligantis ad non apponenda impedimenta. Ratio est, quia aliqua præcepta strictiùs obligant, quàm alia, & aliqua ob paciores causas excusant, quàm alia. Secundò inspiciendum esse, an impedimentum sit immediata causa, cur præceptum non adimpleatur, seu id impedimentum concurrat, ut causa proxima, vel remota, per se, vel per accidens ad omissionem præcepti. Ratio est, quia licèt præcepta obligent ad removenda proxima impedimenta, (nam qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media,) non tamen omnia præcepta obligant simpliciter ad tollenda omnia impedimenta. Tertiò attendendam esse utilitatem, & necessitatem apponendi tale impedimentum. Ratio est, quia fieri potest aliquando, ut necessitas urgeat, non solùm ad non removendum, sed etiam ad apponendum impedimentum, ex quo

quo sequitur omissio præcepti, ut accidit, quando quis domi se continet, vel à Missa recedit ad curam infirmi, ipsius ope graviter indigentis. Hinc sequitur, eum, qui aliquod impedimentum apponit, quod per se, & proximè impedit adimpletionem præcepti, quódque commodè præcaveri poterat, reum esse peccati. Nam præceptum, quod ad finem obligat, videtur etiam obligare ad media, quæ per se ordinata sunt ad finem, adhibenda, spectata gravitate præcepti.

5 Ita Bonacina declarans has doctrinas exemplis infrà proponendis, & *n. 16. f.* addens illud axioma: *Qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media*, esse per se loquendo intelligendum de mediis commodis, & proximis, nisi gravitas præcepti, vel materiæ præceptæ suadeat etiam adhibere difficilia media, & tollere remota impedimenta.

6 Tertius est Suarez, qui *1. 2. Tract. 5. cap. 3. sect. 4.* cùm *n. 4.* ex communi docuisset, interius peccatum omissionis tunc committi, quando voluntariè datur causa futuræ omissionis, postmodum *n. 9.* objicit sibimet, inde sequi, quod, qui voluntariè incidit in morbum, ex quo fiat, ut omittat multas actiones præceptas, in illo priore actu incurrat malitias omnium illarum omissionum. Respondet autem, haud dubiè nonnullas incurri in illo priori actu, alias non incurri. Et in primis quidem incurri omnes malitias illarum omissionum, quas omissiones quis morbum sibi causando intendit directè; deinde etiam illarum, quæ sunt indirectè voluntariæ. Porrò eas solas omissiones in ordine ad culpam censet Suarez voluntarias indirectè, quæ & sunt previsæ, & tales, ut præceptum obliget ad vitandam e. g. ægritudinem, ne illæ sequantur. *Præcepta autem positiva*, inquit hic Doctor, *ad hoc non obligant, nisi quando omissiones proximè, & eodem tempore moraliter loquendo sequuntur.*

7 Quartus est Martinus Becanus, qui *1. 2. Tract. 2. cap. 3. q. 6.* totum Suarezium nondum editum describit, circa indicatam materiam, additis pauculis. Objicit ergo sibi ipsi, ex sua sententia, qua dixerat, interius peccatum omissionis tunc committi, quando voluntariè datur causa futuræ omissionis, sequi, eum, qui voluntariè potando contrahit morbum, ex quo sequitur omissio multorum præceptorum, in illo priore actu contrahere omnes malitias illarum omissionum.

8 Respondet autem, ut Suarez, illas omissiones esse utique malas, si sunt directè, vel indirectè voluntariæ. [Est tamen, inquit, prudenter considerandum, quando sint indirectè voluntariæ. Oportet enim non solùm esse previsas, sed etiam tales, ut præcepta obligent ad vitandum morbum, ne ejusmodi omissiones sequantur. Præcepta autem *humana* (Suarez generaliùs dicit *positiva*) non obligant ad aliquas actiones vitandas, nisi quando omissiones proximè, & quasi eodem tempore sequuntur ex illis actionibus. Sicuti præceptum de horis Canonicis obligat hominem, ut tunc vitet ebrietatem, quando ex ebrietate proximè, & quasi eodem tempore sequitur omissio officii. Hoc autem non fit, quando ex ebrietate sequitur morbus, & postea ex morbo sequitur omissio officii.] Ita Becanus.

9 Quintus est Ferdinandus de Castro Palao, qui *Tract. 3. disp. 1. p. 21.* admodum clarè de proposita difficultate disserit, & tradit sequentia. I. Teneri quemque ad removenda impedimenta, quæ obstant observationi præceptorum naturalium, eò quòd præcipiens finem consequenter præcipere censendus est, quæ ad illius executionem necessaria sunt. II. Similiter omnia illa media, quæ per se, & intrinsecè, seu ex natura rei necessaria sunt, ad præceptorum positivorum observationem, teneri, quem apponere, & omnia illa impedimenta, quæ per se, & ex natura rei obstant, removere. Probat eadem ratione, qua priorem de præceptis naturalibus doctrinam, alioquin, ait, legislator non intenderet finem efficaciter, sed tantùm diminutè. Declarat etiam exemplo illius, qui aut die festo non vult è lecto surgere, aut non vult habere Breviarium, aut se inebriat die festivo, vel nocte proxima. Nam talis omittit media, per se, & intrinsecè necessaria, & in tertio casu apponit per se obstans præcepti de Sacro audiendo executioni, inquit Palaus.

10 III. Ad illa verò media, quæ non sunt intrinsecè necessaria, & ad illa impedimenta, quæ per se non obstant, quod attinet, utrùm teneamur ejusmodi media procurare, & talia impedimenta vitare &c. finiendam esse controversiam ex consuetudine, quæ aliqua præcepta humana recepit cum obligatione vitandi impedimenta remotiora, & minus per se obstantia, quàm sunt ea, cum quibus alias quasdam leges recepit.

11 IV. Porrò videri consuetudine receptum, & rationem ipsam dictare, ut quando urget præceptum, vel jam est in præsenti, ut urgeat, removeantur ea, quæ ad illius executionem necessarium est removeri. Quando verò præceptum non actu obligat, neque proximè est, ut obliget, faciliùs concedi, quòd non prohibeat causas obstantes illius executioni, & in hoc sensu dici posse, comedentem cibum noxium, vel exercentem actionem, ex qua executio præcepti Missæ, vel jejunii fit impedienda, non peccaturum adversùs hæc præcepta, si videlicet ea faciat, non eo die, quo præceptum occurrit, vel in proximo est, ut occurrat, sed aliquibus diebus antecedentibus.

12 V. Similiter, qui die jejunii obit pinm vel utilem laborem, cum quo nequeat jejunare, haud peccare contra legem jejunii, peccare autem contra legem Missæ audiendæ, si propter talem laborem negligeret Sacrum, eò quòd lex jejunii non obliget ad removenda impedimenta, utilitatem, vel pietatem continentia, sed tantùm vana, aut mala; præceptum verò audiendi Sacri, recitandi Breviarii &c. removeat omnia impedimenta, quæ absque gravi detrimento suo, aut proximi omitti possunt. Hactenus Palaus.

13 Sextus est P. Joannes Dicastillo, quid haud dubiè omnium, quos quidem viderim, accuratissimè hanc quæstionem, uti & alias morales permultas discussit *in 1. Tomo de Sacramentis, Tract. 5. disp. 5. dub. 10.* ubi cum retulisset authorum varias opiniones, circa particulares quæstiones in illa generali inclusas, tradit ad propositum sequentia.

14 Primò, omnino sibi probabile videri, neminem teneri ex vi præcepti (maximè positivi) se constituere in eo statu, quo obligetur à lege, aut præcepto, seu à præcipiente, & legislatore, sed tantùm teneri, ut semel constitutus sub lege, & præcepto illam impleat. Unde ex vi legis, præcisè, & formaliter loquendo, neminem teneri perseverare in eo statu, in quo obligatur à lege, & præcepto, sed ut perseverans in eo statu impleat obligationem. Hinc, quia aliqua præcepta sunt lata pro solis sanis, & valentibus, non teneri quem ex vi talium præceptorum se constituere, vel perseverare in numero valentium, eorúmque, qui sub tali præcepto comprehenduntur, sed solùm teneri, ut comprehensus, aut perseverans sub comprehensione, interim, dum comprehensus est, impleat. *n.* 144.

15 II. Licèt quidam recentiores videantur non improbabiliter docere, eum, qui prævidet de proximo reddi se impotentem ad audiendum Sacrum incurrendo excommunicationem, aut negligit exire ab excommunicatione, in qua est, si facilè possit, peccare contra præceptum Ecclesiæ de audiendo Sacro, rationes tamen, quibus id probant, non esse efficaces. *n.* 151.

16 III. Cùm satis certum sit, neminem teneri vitare impedimenta remota audiendi Sacri, jejunandi, recitandi Horas Canonicas (qualia impedimenta, ex ejus opinione sunt, excommunicatio, morbus ex intemperantia ortus, iter longinquum, hæc quippe esse remota impedimenta, quando incurruntur aliquot ante festum diebus, & perseverant usque ad festum inclusivè) hinc sumi argumentum, quòd si non obligat lex ad tollenda ejusmodi impedimenta tam à longè, non appareat, cur obliget magis propinquè. Si enim tam à longè non obligat ad tollenda impedimenta, ex eo esse, quòd illa obligatio impedimenti non sit materia præcepta, quòd si materia præcepta non est, non solùm pro tempore magis remoto, sed etiam pro tempore quantumvis proximo non obligare. *n.* 151.

17 IV. Tametsi possit alicui videri probabilis generalis hæc Regula, quòd scilicet peccetur tunc contra præceptum, quando, postquam quis præcepto jam est comprehensus, superinducit impedimentum, secùs verò, quando impedimentum prævenit ipsam obligationem præcepti, quia nimirum nemo tenetur se disponere, aut non adhibere impedimenta, ut præcepto comprehendatur ipse, quamvis semel comprehensus teneatur non apponere impedimentum, ratione cujus præcepto postea non obligetur, attamen non posse eam generalem Regulam applicari ad omnes casus, nec satis explicari, *n.* 152. *&* 153.

18 V. Quando præcipitur aliquod opus, præcipi, ut adhibeatur medium ad illud necessarium, sicuti habere Breviarium, est illi, qui Horas Canonicas non tenet memoria, medium necessarium ad eas recitandas. *n.* 147.

19 VI. Denique suum longum, doctúmque discursum claudit hisce verbis: [Solùm ego existimo verum impedimentum tunc (quando scilicet quis ante diem festum constituit se in eo loco aut statu, in quo non possit ipso die festo audire Sacrum) non esse contra præceptum, quia præceptum non obligat ad hoc, ut quis se constituat in eo statu, in quo urgeatur, & comprehendatur illo præcepto, quando præceptum incipit urgere, sed ad hoc, ut comprehensus faciat id, ad quod præcepto obligatur, & non apponat impedimentum ad id præstandum, ut explicatum est.] Hactenus P. Dicastillo, præcipua ex hic dictis confirmans & fusè declarans *Tom. 1. De Sacrament. disp. 9. à n. 688. ad 700.*

20 Septimus est P. Thomas Tamburinus, *in Opusc. De Sacrificio Missæ, Lib. 3. cap. 6. §. 1. n. 2. & 3.* ubi doctrinam Sanchezii *n. 2.* relatam refert quoque, & approbat, nihil novi adferens præter exempla proponenda *n. 39.* & idcirco non est operæ pretium describere hîc ejus verba.

Priusquam verò aperiam, quid circa illam difficillimam quæstionem respondendum putem, in medium proferam exempla diversarum legum, & præceptorum, quæ faciunt hîc difficultatem; deinde proponam, quæ extra controversiam esse, & quæ controversa esse videantur.

SECTIO

SECTIO II.

Varia exempla præceptorum, quorum observationi licitè, aut illicite apponitur, vel non aufertur impedimentum.

SUMMARIUM.

Adferuntur varia exempla, in, & de quibus est lis: An liceat ponere impedimentum observationi legis? 21. & seqq.
Primum est de reddente se per nimiam abstinentiam impotentem ad sua officia. 21.
Alterum, quando per morbos ex intemperantia ortos. 22.
Tertium, quando ædituus, & pistor non præparant pridie Festi necessaria ad diem Festum. 23.
Quartum, quando suscipitur iter impeditivum Communionis Paschalis. 24.
Quintum, quando ponitur impedimentum Communioni, vel Confessioni dilatæ ad ultimum diem. 25.
Sextum, quando urget præceptum de annuali Confessione, & Communione, & tamen nunc non petitur absolutio ab excommunicatione. 26.
Septimum, quando excommunicatus non audit sacrum die festo. 27.
Octavum, quando suscipitur iter impediens auditionem Sacri. 28.
Nonum, quando quis donat alteri perspicilia, sine quibus nequit recitare Breviarium. 29.
Decimum, quando suscipitur inutilis labor incompossibilis cum jejunio. 30.
Undecimum, quando te dat Sabbathi inebrias prævisо periculo negligendi ob infirmitatem Sacrum sequenti die. 31.
Duodecimum, quando nequis servare jejunium, nisi manè aliquid edas. 32.
Præter hæc indicantur rationes pro, & contra ponentes impedimenta. 33. & 34.
Exprimuntur etiam aliqua particularia præcepta, quorum observationi ponere impedimentum fas, & nefas est ex opinione P. Thomæ Tamburini. 35. & seqq.

21 PRimum exemplum est, quando quis per nimiam abstinentiam reddit se ineptum ad obeunda sua officia. Nam diximus *cap. 1. sect. 3.* ejusmodi hominem peccare contra justitiam. Et exemplis illic allatis addi potest illud, quod scilicet mortaliter contra justitiam peccet conjux, qui, vel quæ per vigilias indiscretas, immoderata jejunia &c. reddit se notabiliter impotentem ad reddendum debitum conjugale, ut cum plurimis docet Sanchez *Lib. 9. De Matrimon. disp. 3. num. 3.* adferens hanc rationem, quia eadem justitiæ lex finem præcipiens redditionis debiti, obligat subinde, ne quis mediis illicitis se reddat impotentem.

22 II. Quando per morbos ex intemperantia ortos redditur quis impotens ad obeunda officia Ducis, Consiliarii, Professoris, Ludimagistri, Canonici &c. Quatenus talis peccet explicavi *cap. 10. sect. 6. &* 7. Et universim tradit Sanchez *cit. disp. 3. n. 2.* illum esse reum peccati mortalis, qui scienter reddit se impotentem ad solvenda civilia debita. Probat ratione, quam *num. præced.* ex illo retuli.

23 III. Quando ædituus, & pistor pridie Festi non præparant necessaria ad ipsum festum diem, sed ille Altarium exornationem, hic panis coctionem differunt ad diem sacrum; ædituum quippe delinquere, si laborem verrendi templi, affigendi tapetia, ornandi Altaria differat in diem festum, cùm possit hæc peragere in vigilia, censet Suarez *De Festis cap. 21.* Quod pari ratione de pistore, qui pro cœna diei Dominicæ pinsit manè illius Dominicæ panem, cùm potuerit Sabbato, asserendum videtur.

24 IV. Quando imminente tempore Paschali suscipit quis non necessarium iter per mare, aut loca infidelium, ita ut intra aliquot menses non sit habiturus copiam Sacerdotis, à quo vel peccatorum absolutionem, vel Sacram Eucharistiam percipiat; Etenim talem delinquere dicet consequenter Avila paulò pòst referendus.

25 V. Quando quis Communionem Paschalem distulit ad ultimum diem temporis Paschalis, videl. ad Dominicam in Albis, cum proposito obeundi tunc illam, sed illa ipsa Dominica manè aliquid comedit, vel Clericum percutit, animadvertens se hac ratione reddi ineptum ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto de Paschali Communione. Quis enim talem non damnet peccati mortalis? Et tamen Communioni impedimentum poni in primo casu per actionem non malam, aut etiam bonam, ut si comedat aliquid amari, quo palatum plectat vel aliquid boni jusculi, ut suo exemplo in ægro omnem cibum respuente, orexin atque appetentiam excitet; qua de re vide factum speciale, quod retuli suprà *cap. 23. n.* 192.

26 VI. Quando quis tempore, quo urget præceptum, vel de Confessione annua, vel de Communione Paschali, aut non petit absolutionem ab excommunicatione, quam incurrit ante aliquot menses, aut percutit Sacerdotem prævidens, se non habiturum copiam Confessarii, per quem absolvatur, priusquam expiret tempus præfixum adimpletioni illorum duorum præceptorum. Avila quippe

De Censur. Part. 2. cap. 6. disp. 4. dubit. 7. consentiente Bonacina *loc. cit. num.* 11. censet, talem hominem peccare in illa duo præcepta, eò quòd illa duo præcepta non sint purè humana, sicut est præceptum audiendi Missam, sed partim sint divina. Unde quamvis Ecclesia prohibeat excommunicato accedere ad Sacramenta, non tamen tollit obligationem juris divini de recipiendis Sacramentis. Ita Avila. Aliam hujus doctrinæ, quam sequuntur, rationem adferunt Suarez *Tom. 3. in 3. Part. disp. 88. sect. 5.* & Laym. *Lib. 1. Tract. 5. Part. 2. c. 2.* quòd scilicet hæc duo præcepta obligent ad mundandam animam, & consequenter ad tollenda vincula tum peccatorum, tum censuræ.

27 VII. Quando quis excommunicatus non audit Sacrum die festo. Nam inprimis Avila *loc. cit.* post Barthol. Medinam ait, illum delinquere, si eo fine negligat petere absolutionem à censura, ut non teneatur audire Sacrum. Nam iste, inquit Avila, per se intendit, non adimplere præceptum. Si verò procurationem absolutionis à censura negligat non eo fine, sed ex torpore, aut alia ratione non probabili, tum existimat Avila, Bonacina, & Laymannus *loc. cit.* post Navarrum in Enchir. *c. 21. n. 3.* & Suarium *loc. cit.* non peccare contra præceptum de audiendo Sacro, tum quia videtur id probari posse argum. *Cap. Quia diversitatem. De conces. præbendæ*, ut putat Navarrus, tum quia Ecclesia obligat illos duntaxat, qui non sunt impediti, ut argumentatur Avila, tum quia liberatio à censura est dispositio ad Sacrum audiendum nimis remota, & proinde non imperatur ab Ecclesia, ut ratiocinatur Laymannus post Suarium, alioquin sequeretur, ab illo quoque peccari contra hoc præceptum, qui, cùm ob ægritudinem, vel captivitatem nequeat interesse Sacro, negligens est in procuranda valetudine, & libertate, quod tamen pro absurdo habet Suarez *loc. cit.* Bonacina & Fagundez *in Præcept. Eccles. præc. 1. Lib. 2. c. 8. n. 2.*

28 VIII. Quando quis init iter inutile, vel etiam ratione finis damnabile, quo ita fiet remotus à loco, ubi fit Sacrum die festo, ut non possit illuc redire, etsi maximè velit. Si enim tale iter suscipiat pridie festi, sequitur clarè ex verbis Suarii, Becani, Dicastillo, non fore reum culpæ in diei festi Religionem admissæ, cur id ipsum non dicant de illo, qui circa solstitium æstivum prima aurora diei Dominicæ ex pago, in quo non nisi 6. vel 7. horis pòst fiet Sacrum, illud ipsum iter ingreditur? Et tamen Dicastillo, & alii non admittunt excusationem illius, qui ipso die festo ponit impedimentum. Quam nihilominus debere admitti probatur inde, quòd, qui manè ex sua urbe, in qua est festum, proficiscitur in pagum vicinum, in quo non celebratur illud festum, neutro loco teneatur audire Sacrum, dummodo ad illum pagum pertingat eo tempore quo ultimum Sacrum celebratur in ejus urbe. Sanch. *Lib. 1. Mor. c. 12. n. 32.* Palaus *de legibus*, & alii contra Suarez. Vide singularem omnino casum ventilatum in Experient. *Tract. 5. Cas. 20. n. 449.*

IX. Si mea perspicilia, sine quibus non pos- 29
sum exsolvere pensum Canonicum, donem alicui, an non perinde contra legem de Breviario recitando noxam admitto, ac si Breviarium donarem? Nónne teneor alia procurare, perinde atque aliud Breviarium? Et tamen absque perspiciliis sum instar cæci, aut summè cruciabili ophthalgia laborantis. Atqui ex principiis P. Dicastillo, aliorúmque non sum transgressor legis horas canonicas imperantis, si aliqua actione mala, aut non mala oculos meos efficiam ineptos ad legendum.

Profectò si non possim, nisi per Medicinam me collocare in eo statu, in quo me lex jejunii, Sacri, Breviarii obliget in actu secundo, non dicent allegati auctores, me obligari ad illam Medicinam, esto sit facilè parabilis, ergo nec dicere debent, me obligari ad procuranda mihi perspicilia, quæ sunt instar Medicinæ confortativæ.

X. Vix negari potest esse ab extrinseco, at- 30
que adeò practicè probabilem opinionem Bonacinæ, Ledesmæ, Joannis Sancii, Dicastillo *cit. disp. 19. num. 697. & 698.* atque aliorum negantium, contra legem jejunii agi à te, si ipso die jejunii te ludicro atque inutili labore ita defatiges, ut prævideas te non posse abstinere cœnâ.

XI. Quando quis die Sabbati tanto vino se 31
ingurgitat, ut prævideat, se crastino decubiturum, consentiunt Suarez, Becanus, Bonacina, Dicastillo *ll. cc.* illum non esse reum culpæ, quam contrahunt negligentes die sacro rem sacram; ergo similiter est hoc dicendum de illo, qui summo manè diei Dominici procreat sibi per vinolentiam illam ipsam infirmitatem, aut etiam ebrietatem, quæ depelli nequeat ante tempus audiendo Sacro destinatum.

XII. Quando quis vovit hodie à cibo, aut 32
vino abstinere, si nequeat abstinere nisi manè pauxillum quid cibi, aut vini sumat, tenetur sumere ex sententia Dianæ *Part. 3. Tract. 5. Resol. 61.* post Joan. Sancium; ergo & similiter tenetur adhibere alia media. Vide dicta *cap. 4. sect. 1. quæst. 5.*

XIII. Accedit hæc ratio prima, ex uno ge- 33
nerali principio deducta, quòd scilicet, *quando aliquid prohibetur, interdicatur similiter omne id, per quod pervenitur ad illud.* Sanch. *Lib. 9. De Matrim. disp. 3. n. 3. ex Leg. Oratio. ff. De*

De sponsalib. ubi declaratur, illa lege, qua Senatoribus quibusdam interdicuntur nuptiæ, interdici etiam sponsalia; ergo qua lege interdicuntur omissiones aliquarum actionum, prohibentur illæ actiones, per quas ad illas ipsas omissiones pervenitur, quod tamen esse durissimum patet ex allatis instantiis.

34 XIV. Accedit hæc altera in contrarium ratio, quòd scilicet nemo magis sit in statu, in quo non obliget lex, quàm is, cui ea est hìc, & nunc planè impossibilis. Nam *nemo potest ad impossibile obligari Reg. 6. in 6.* atqui ex una parte videtur P. Dicastillo rectè negare, ab illo peccari contra legem jejunii, e.g. qui constituit se in eo statu, in quo sit ei impossibile jejunare; ex altera autem parte potest quis physicè (de licito usu hujus potentiæ est lis) ponere se in eo statu, in quo sit ei impossibilis observatio legis, & quidem id potest illo ipso tempore, quo lex urget, ut quando se inebriat primo manè diei festi, improbo labore se defatigat in ipsa Paraseeve.

XV. Sed & hanc rationem elidit illa elegans Juris Regula: *Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur.* Text. *L. Qui potest. 135. aliàs 174. ff. De Reg. Iur.* siquidem possit facilè parere. Decius in hanc Legem.

35 XVI. Denique difficultatem faciunt nonnullæ particulares resolutiones, quas Tamburinus noster in opusculo *De Sacrif. Missæ Lib. 3. cap. 6. §. 1.* subnectit brevi explicationi generalis quæstionis propositæ *n. 1.* hujus capitis. Etenim I. si ex contractu emptionis debeas mihi cras solvere centum, non solùm teneris quocunque die crastinum præcedente tollere omnia, si potes impedimenta solutionis, sed etiam obligaris adhibere moralem diligentiam, ut pecuniam pro crastino die habeas. *Ibid. n. 4.* II. Non tamen teneris triduo ante festum abstinere itinere impedituro te ab au-
36 ditione Sacri. *Ibid.* III. Capellanus ex justitia obligatus hodie sacrificare peccat contra justitiam, si hodie se inebriet, dormiat, fabuletur, Missale projiciat in aquam, vestes sacras non accipiat de loco vicino, posito quòd aliquid horum sit impediturum Missam. *Ibid. n. 5.* IV. Idem Capellanus agit contra pactum, si ante tempus urgens celebrandi, vel se inebriet, vel aliò discedat, ubi non poterit celebrare, vel projiciat Missale, aut claves Ecclesiæ. Non item si similiter ante tempus urgens celebrandi aliquid nocivum comedat; aut aliquid aliud faciat, quo infirmetur is, nam in primis tribus casibus videtur velle directè contradicere Inito pacto, non autem in quarto; cùm præsertim non possit ex intentione aut fundatoris, aut ipsius Capellani colligi contraventio
37 in hoc quarto casu. *Ibid. n. 7.* V. Si idem Capellanus sit infirmus, carcere clausus, aut simili impedimento constrictus, ut nequeat satisfacere obligationi sacrificandi, non tenetur ratione hujus obligationis procurare liberationem à morbo, carcere &c. tenetur autem procurare liberationem ab excommunicatione, suspensione, interdicto, si aliqua harum censurarum sit irretitus. Nam hæc tria sunt directa impedimenta sacrificii, ad quæ excludenda compellit ipsum titulus justitiæ; at verò non videtur Fundator voluisse suum Capellanum tam rigidè obligare in prioribus illis impedimentis involuntariis, multùm per accidens se habentibus ad celebrationem sacrificii. *Ibid. n. 8. & 9.* VI. Capellanus, aut alius titulo justitiæ obligatus hodie in hac certa Ecclesia operari sacris, si hæc eadem Ecclesia indigeat reconciliatione, quam possit ipse facere, tenetur ex justitia reconciliare, perinde ac paulò antè dictum, obligari ad petendam absolutionem à censura, si qua notatus est. *Ibid. §. 3. n. 3.*

Hæc sanè tam varia, imò & contraria judi- 38
cia sapientissimorum virorum demonstrare videntur, non posse ullam generalem Regulam, aut responsionem adferri circa quæstionem in titulo primæ Sectionis propositam, sed cum Suarez, Bonacina, & Palao dicendum esse, ob varias circumstantias, & variam à consuetudine inductam vel ablatam circa has, & non circa illas leges obligationem, in particulari pronuntiandum uno modo de una Lege vel Præcepto, alio modo de alia.

SECTIO III.

Proponuntur, quæ circa hanc controversiam certa videntur?

SUMMARIUM.

Faciendum est in præsenti controversia discrimen inter impedimenta remota, & proxima. 39.
Declaratur exemplo tum filii obligati alere parentes egenos, & tamen facientis se impotentem per dilapidationem bonorum. 40.
Tum Judæorum obligatorum edere agnum Paschalem. 41.
Tum suscipientis propridie festi navigationem non necessariam, aut suscipientis ipso die festo manè. 42.
Præcepta naturalia obligant non solùm ad non ponenda impedimenta proxima, sed etiam ad non ponenda quædam ex non proximis. 43.
Et obligatus observare Legem tenetur procurare media ordinaria necessaria ad observationem. 44.
At non omnia remota, & difficilia. 45.

Lex præcipiens apponi media, præcipit etiam non apponi impedimenta. 46.
Facilius tamen excusatur non procurans media, quàm apponens impedimenta. 47.
Aliquæ Leges magis quàm aliæ vetant appositionem impedimenti. 48.
Et singulariter lex Iustitiæ. 49.
Declaratur exemplo obligati ex beneficio ad sacrum, & ponens strictâ intentione impedimentum. 50.
Qui non est in eo statu, in quo lex obligat in actu primo, non tenetur se collocare in eo statu. 51.
Multùm differunt hæ duæ locutiones: Titius non obligatur Lege jejunii, &: Titius excusatur à Lege jejunii. 52.
Non est inter has duas locutiones differentia solùm Grammaticalis. 53. *& seqq.*
Declaratur variis exemplis valor hujus argumentationis: Nulla lex me obligat, ut me collocem in eo statu, in quo ea dirigatur ad me, ergo nec ut me transferam ad statum, in quo me obliget. 55.
Lex expressè restricta ad sanos, non impeditos &c. non violatur à ponente impedimentum sanitati &c. 58.
Ex vi alicujus Legis præcisè, & formaliter loquendo, nemo tenetur perseverare in eo statu, in quo obligetur ab ea Lege. Ibid.

39 PRiusquam edisseram, quid mihi videatur dicendum de punctis inter Doctores controversis, circa generalem quæstionem initio capitis propositam, jam suprà indicavi me præmissurum ea, quæ videntur esse hic certa, & quæ dubia.

Primò certum esse videtur, faciendum esse discrimen inter impedimenta remotissima & proxima; ita videlicet, ut contra legem non peccet unquam, qui remotissimè se facit impotentem ad eam observandam, peccet autem saltem aliquando, qui facit se impotentem proximè. Declaratur simul & probatur. Nam practicè loquendo, non videtur contra præceptum naturale, divinum, aut humanum agere is hodie, qui hodie reddit se impotentem ad observandum aliquod præceptum, quod post sexennium e. g. obligabit, ut ostendunt tria triplicis juris exempla, quæ subjicio.

40 Et in primis licèt filius egenis parentibus alimentum subministrare teneatur. *L. Si quis à liberis. ff. De Filiis agnosc.* §. *Si impubes* 13. ubi dicitur: *iniquissimum quis meritò dixerit: patrem egere, cùm filius sit in facultatibus*; idque ex jure vel naturali, ut vult Silvester *Verb. Filius. q.* 22. *in fine*, favente apertè *cit. Leg. Si quis* §. *Parens.* 16. vel gentium; attamen si hodie tuorum bonorum dilapidatione ita te impotentem ad subveniendum parentibus facias, ut illos non possis post sexennium alere, sub quod tempus prævides illos (& utique fit quandoque, ut talia prævideantur) ad extremam inopiam, consumptis scilicet paulatim suis facultatibus delapsuros, nemo, puto, dicet te hodie agere adversus pietatem. Nam neque teneris jam tua illis largiri, ad occurrendum tam remotæ necessitati, non enim filii parentibus, sed parentes filiis thesaurizare debent. 2. *Corinth.* 12. neque obligaris tua in eum finem ad sexennium asservare. argument. illius divini moniti: *Nolite solliciti esse in crastinum Matth. 6. v.* 34. & tamen si scires, patrem tuum crastino die rebus omnibus suis à creditoribus spoliatum iri, impietatis notam non effugeres, tuam universam substantiam in 100. aureis consistentem exponendo hodie lusui prorsus temerario. Ergo etiam leges naturales admittunt distinctionem inter impedimenta remotissima, & proxima, prohibentes hæc, non vetantes illa, undecunque tandem id proveniat, nec enim opus est nunc explicare.

Deinde Judæis lege divina præceptus erat 41
in Paschate esus agni, & azymorum *Exod.* 12. ut proinde haud dubiè mortaliter peccaturus esset, qui pridie azymorum navem in Ophir, e. g. tendentem, in qua nihil planè ediliorum, præter fermentatum panem habiturus fuisset, saltem absque pergravi causa ascendisset; eundem tamen Judæum nec Nathanaël Magister in Israël, nec Gamaliel legis Doctor damnâssent sceleris, si eandem navem bimestri antè conscendisset, prævidens inevitabilem defectum agni, & azymorum incursurum in tempus Paschale.

Exemplis juris naturalis, & divini addi pos- 42
sunt plurima juris positivi humani. Equidem nemo peccati reum dicit illum, qui navigationem etiam non necessariam init feriâ secundâ, certus se proximâ Dominicâ non habiturum copiam Sacri. At quis me excusaret, si, cùm in meo oppido nullum celebrari Sacrum ante horam octavam soleat, ego hora septima diei Dominicæ cymbam conscendam, ut interim ludicro spectaculo, quod alibi sub horam decimam, duodecimam, secundam pomeridianam exhibebitur?

Secundò certum est, quòd præcepta natu- 43
ralia obligent non tantùm ad non ponenda impedimenta proxima, sed etiam ad non ponenda quædam ex non proximis. Nam absque controversia deest officio paterno pater, qui per intemperantiam sibi creat morbum, ob quem fiet, ut sex vel septem diebus pòst non sit habiturus, unde impleat ventrem famelicæ prolis. Et qui obligatus hodie mihi 1000. aureos, ex contractu debitos, repræsentare, donavit illos ante octiduum Sticho, sciens sibi nil suppeditaturum, unde expungat apud me debitum, insigni me injuria afficit, possúmque re intellecta intra Annum à Sticho repetere acce-

acceptum juxta *L. Quod autem. ff. Quæ in fraud. credit.*

44 Tertiò. Nec minùs certum videtur, illum, qui ad aliquam legem, seu naturalem, seu positivam absolutè obligatur, hoc ipso quoque obligari ad procuranda omnia ordinaria, & ex rei natura proximè necessaria media. Ratio est, quia alioqui frustra obligarent absolutè, seu potiùs frustra tentarent obligare absolutè legislatores per suas leges, si non hoc ipso adigerent ad ponenda ejusmodi media, utpote sine quibus, sicuti supponitur, non possunt leges observari; ad illa, inquam, procuranda, & ponenda saltem tunc, cùm incipit lex urgere. Atqui legislatoribus non est attribuendus actus frustaneus. *Cap. Si Papa. De Privil. in* 6.

45 Quartò: Æquè certum videtur, quòd lex etiam, quæ absolutè aliquid præcipit, communiter non præcipiat procurari omnia omnino media, tam extraordinaria, & summè difficilia, quàm ordinaria, & non valde difficilia. Patet exemplis obligati ad liberos alendos, restitutionem faciendam, suscipiendum Baptismum, audiendum Sacrum &c. Ratio est, quia cùm tanta sit multitudo legum naturalium, & positivarum, nimis difficiles forent observatu, & planè intolerabiles, si communiter obligarent ad ejusmodi media comparanda, cùm tamen de divinis legibus, naturalibus & positivis rectissimè intelligatur illud *1. Ioan. 5. Et Mandata ejus gravia non sunt*, & de humanis pronuntiet Celsus: *Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur. Leg. Benignius. ff. De Leg.*

46 Quintò. Negari non potest, quin illa ipsa lex, quæ tacitè, seu virtualiter præcipit, aliqua media ad sui observationem necessaria procurari, hoc ipso vetet impedimentum illis mediis apponi. Atque adeò certum est, omnem illum, qui aliqua lege absolutè obligatur, in eam legem committere, si impedimentum per se impediens apponat, saltem tunc, cùm ea lex urget. Ratio est eadem, quæ pro doctrina *n.* 4. allata.

47 Sextò. Nemo sapiens inficiabitur, longè faciliùs, & sæpiùs à transgressione legis excusari illum, qui non procurat media ad ejus observationem necessaria, quàm qui reddit se impotentem, seu seipsum privat mediis, & conditionibus necessariis, quæ reipsa habebat. Ratio est, quia sicut faciliùs impeditur acquirendum, quàm impediatur acquisitum, ardum. *L. Patre furioso.* 8. *ff. De his, qui sunt sui vel alien. Iur.* ita faciliùs conservatur, quàm acquiratur facultas observandi leges. Atqui leges non ita crebrò, nec ita rigidè obligant ad difficilia, quàm ad levia. argum. *L. Benignius. ff. De Leg.*

48 Septimò. Pari ratione nemo prudens negabit, quin aliquæ leges vetent impedimenta aliquanto remotiora, quàm aliæ, & imperent procurationem mediorum aliquanto remotiorum, quàm aliæ. Liquet exemplo obligati ad Sacrum audiendum, & ad succurrendum versanti in extrema necessitate spirituali. Nam si ipse sit æger, non obligatur procurare valetudinem, eo fine, ut possit Sacrum audire, obligatur tamen ad eam procurandam, si necessaria sit ad subveniendum extremæ necessitati spirituali unius, aut plurium, cùm etiam pro iis teneatur vitam ponere. S. Thomas 2. 2. *q.* 26. *a.* 5. *ad* 3. & Commentatores.

Octavò. Quandoquidem virtus justitiæ so- 49
let fortiùs obligare, quàm cæteræ virtutes, ejus quippe titulus est fortior reliquis. Tambur. *Lib.* 3. *De Sacrif. Miss. cap.* 1. § 1. *num.* 4. facilè consentiunt Doctores cum Tamburino esse majorem, ampliorémque obligationem non ponendi sed tollendi impedimenta obstantia executioni actionis ex justitia debitæ, quàm debitæ ex obedientia, religione &c.

Nonò. Facilè quoque assentientur cæteri 50
Doctores eidem Tamburino *loc. cit. n.* 10. negranti, esse ab injustitia & onere restitutionis excusandum Capellanum, qui cibum nocivum sumit, vel aliud quidpiam agit ea directa intentione, ut fiat impotens ad sacrificandum tunc, cùm illum obligat titulus justitiæ. Nam dum præter intentionem ponit causas impedimentorum, utitur sæpe jure suo, quod sæpe non repugnat intentioni fundatoris; at quando directè intendit positionem impedimentorum, agit contra intentionem hujus; quando quippe ipsum obligavit ad sacrificium, obligavit utique ad volendum sacrificium; non verò permisit illud nolle; nollet autem, si comederet nociva, ut impeditus morbo cogeretur omittere Sacrum. Ita Tamburinus. Huc faciunt ea, quæ infrà *n.* 71. ex communi trademus adversus Joannem Sanchez.

Decimò. Qui non est in eo statu, in quo lex 51
obligat in actu primo, non tenetur ex vi illius legis ad eum statum se transferre. Declaratur; nam ille omnis & solus dicitur aliqua lege obligari saltem in actu primo, propter quem illa lex est lata, seu qui est in tali casu, aut loco, ut lex loquatur cum eo sic affecto, ut ait P. Dicastillo *cit. disp.* 9. *De Pœnit. n.* 698. seu ad quem ex intentione, aut voluntate legislatoris lex est directa, ut patet ex iis, quæ disserit Azor *Part.* 1. *Lib.* 5. *cap.* 11. *q.* 4. Ut proinde multum 52
differant hæ duæ locutiones: Titius non obligatur lege jejunii: Titius excusatur à lege jejunii. Sanchez *L.* 1. *Moral. cap.* 12. *n.* 1. Suarez. *Tom.* 1. *De Religion. Lib.* 2. *De Festis cap.* 32. *n.* 1. Etenim is non obligatur lege jejunii, e. g. qui vel non est in ea ætate, in qua jejunium obligat, vel est incola loci, in quo lex jejunii recepta non est. A transgressione jejunii excu-

satur is, vel cum quo legitimè dispensatur, vel qui die jejunii edit carnes, ignorans esse jejunium, vel qui frangit jejunium propter opus pietatis, aut charitatis, ut explicant Doctores in materia de jejunio. Ille quippe propriè dicitur excusari à legis transgressione, qui quidem ea obligatur in actu primò, at verò ob causam rationabilem occurrentem, suspenditur, coërcetúrque obligatio. Certè Rex Galliæ non rectè dicetur excusari à transgressione legum Hispanicarum, sed iis non teneri.

53 Nec est cogitandum, esse inter hæc duo discrimen solummodo nominale, cùm sit realissimum. Etenim in locis, in quibus Decretum Tridentini irritantis clandestina connubia nec promulgatum, nec receptum est, non obligat illud Decretum, ut proinde & validum, & in actu primo, secundóque licitum matrimonium ineant, qui illic sine Parocho, & testibus contrahunt. At verò in locis, in quibus receptum est id decretum, qui bona fide, & ex ignorantia vel decreti, vel peccati contrahit, excusatur quidem à culpa, & pœna, initque matrimonium in actu secundo licitum, attamen invalidum, & in actu primo illicitum.

54 Similiter, qui die festo servilem laborem exercet, ob repentinam aliquam necessitatem, excusatur à legis transgressione, non tamen eximitur ab ejus obligatione in actu primo. Et eam ob rem docet Suarez *loc. cit.* quando aliquod opus servile die festo permittitur per excusationem, requiri, ut necessitas præveniri non possit, aut certè dispensatio intercedat. Quia verò lex de festi observatione per vacationem ab opere servili non obligat legentes, scribentes, studentes, idcirco qui talia agunt, & non dicuntur excusari à transgressione hujus præcepti, & non tenentur pridie festi prævenire.

55 Ex qua verissima doctrina deduces sequentia. I. Verum esse, quod dixi *num.* 51. Etenim nulla lex me obligat, ut me in eo statu collocem, in quo illa ad me dirigatur; ergo nulla lex me obligat, ut me transferam ad statum, in quo illa me obliget. Confirmatúrque exemplis variis. Siquidem lex de Communione Paschali, festo observando &c. non obligat Judæum, vel ad Communionem Paschalem &c. *Cap. Gaudemus. De divortiis*, vel ut ipse fiat Christianus, incipiátque obligari utrâque hac lege. Sicuti nec leges positæ Beneficiatis, Conjugibus, Clericis, obligant quempiam, ut beneficium Ecclesiasticum suscipiat, uxorem ducat, in Clericum attondeatur, quo incipiat obstrictus esse vinculis Beneficiatorum, Conjugum, Clericorum.

56 II. Non propriè loqui illos, qui inter causas excusantes è jejunio ponunt ætatem puerilem; constat quippe, nunquam fuisse intentionem Ecclesiæ, ut pueros adstringeret lege jejunii. Rectiùs ergo dixeris, eos non obligari, quàm excusari. Hoc ipsum Corollarium applicabis variis materiis.

III. Quando aliqua lex expressè, vel tacitè 57
restringitur ad sanos, non excommunicatos, non impeditos, hâc aut illâ conditione, & qualitate præditos, affectósque, non delinqui contra eam legem ab illo, qui sanitatem, immunitatem ab excommunicatione, & alio impedimento, requisitam conditionem, vel qualitatem non procurat.

IV. Veram videri singularem doctrinam P. 58
Dicastillo relatam *n.* 14. cùm ait, ex vi alicujus legis præcisè, & formaliter loquendo, neminem teneri perseverare in eo statu, in quo ab ea lege obligetur, sed satisfacere ei legi, si, posito quòd in eo statu ipse perseveret, illam observet. Proinde judico, neminem peccare, qui per media de se licita, conatur transferre se in eum statum, locum, conditionem, ubi aliqua lex eum definet obligare in actu primo, & secundo. Ratio est, quia cum libertas & inæstimabilis res sit, Text. *L. Libertas.* 106. *ff. De Reg. Iur.* & rebus omnibus favorabilior Text. *L. Libertas.* 164. *ff. Eodem.* non videtur ulli culpæ affinis, qui eam confectatur per media licita, sicuti facit is, de quo loquitur Dicastillo.

SECTIO IV.

Proponuntur, quæ circa eandem quæstionem controvertuntur.

SUMMARIUM.

Proponuntur ea, circa quæ maximè, & generatim dubitatur de licita, & illicita appositione, aut non remotione impedimenti. 59. & seqq.
Et in primis an possit dari responsio generalis pro controversis particularibus casibus? Ibid.
Deinde an saltem pro positivis præceptis possit talis generalis Regula dari? 60.
Adhæc de aliis quibusdam sect. 2. indicatis. Ibid. & seq.

CUm ea, quæ *Sectione præcedenti* proposui, 59
videantur esse extra omnem dubitationem, indicanda etiam sunt illa, de quibus potissima est lis.

Est igitur in primis dubium, utrùm quando quæritur, num liceat facere se impotentem ad Legis observationem, possit dari responsio aliqua communis omnibus legibus, an verò alia pro divinis, alia pro humanis? Nam Suarez, Becanus, & Palaus relati *sect. 1. n. 5. 8. 9. 11.* satis indicant, esse faciendum inter hæc tria genera discrimen, cùm tamen non faciendum significare videatur Dicastillo.

60 Deinde dubitatur, utrùm posito, quòd alia responsio danda sit pro præceptis naturalibus, alia pro positivis, possit pro positivis tradi generalis aliqua Regula, ex qua satisfiat præsenti difficultati? Sanchez quippe & Palaus dari posse negant, uti & Bonacina. Dubitatur præterea nominatim, utrùm uno, alteróve die, priusquam instet actualis obligatio legis, fas sit apponere impedimentum.

61 Dubitatur insuper, utrùm illud impedimentum fas sit apponere illo ipso die, quo urget obligatio legis, seu præcepti. Sed & illud controvertitur, utrùm eadem sit obligatio non apponendi impedimenta, solùm per accidens impedientia, quæ non apponendi impedientia suapte natura. Quin & illud in dubium revocatur, an, quo casu licet præter directam intentionem ponere, vel non amovere impedimentum, eodem casu fas sit, ponere, & non amovere ex directa intentione? Denique moveri possunt dubia particularia circa casus indicatos *sect. 2.* nam circa illorum aliquos nominatim est dissensio inter Doctores, ut indicavi *n. 27. & 30.*

Supponitur autem in his omnibus dubiis, solùm controverti de impedimentis, per quæ, & ob quæ quis excusetur à legis transgressione, excusetur, inquam tunc, cùm ob præsentem impotentiam non observat re ipsa legem. Siquidem jam dixi *n. 58.* licere ponere, vel non amovere impedimenta & conditiones, per quæ, & propter quæ constituatur quis eo in statu, in quo lex definat ipsum etiam in actu primo obligare.

SECTIO V.

Opinio Authoris adfertur.

SUMMARIUM.

Faciendum est discrimen inter præcepta naturalia, & positiva, quando quæritur, an liceat ponere, vel non auferre impedimentum. 62.
Naturalia obligant, ne impedimentum ponatur pauculis diebus ante urgentem legis obligationem. 63.
Declaratur exemplis. Ibid.
At positiva humana non vetant, quò minùs ponatur impedimentum aliquot diebus antè. 64. & 65.
Sex vel octo dierum spatium ante instantem obligationem legis attenditur in legibus naturalibus, non in positivis humanis. 66.
Declaratur exemplis. 67. & 68.
Quid censendum de positivis divinis? 69.
Etiam positivis non licet quinque, vel sex diebus anteponere ex directa intentione impedimentum. 71.
Declaratur exemplis. Ibid. & seq.
Aliud dicendum de illo, qui uno, aut pluribus diebus antè facit aliquid, ut desinat esse etiam in actu primo obligatus Lege. 73.

DIco I. Faciendum est hac in re discri- 62
men inter præcepta naturalia, & positiva, dicendúmque, sæpius, & faciliùs fas esse reddere se impotentem, aut non facere se potentem, ad observanda præcepta positiva, quàm naturalia. Ratio à priori est, quia obligatio legum naturalium affirmativarum provenit à naturali, necessariáque actionum per eas præceptarum convenientia cum recta ratione. Sicuti naturalium negativarum obligatio procedit ex actionum, per eas interdictarum naturali, necessariáque disconvenientia, & difformitate cum recta ratione. At verò legum positivarum obligatio pendet originaliter à contingente, liberáque actionum per eas præceptarum, aut vetitarum, convenientia, disconvenientiáque cum voluntate legislatoris. Sicuti ergo longè faciliùs, atque sæpius mutantur, tolluntúrque contingentia, quàm naturalia, itémque libera, quàm necessaria, ut patet tum ex horum descriptionibus, tum ex inductione præceptorum naturalium, positivorúmque, tum ex quotidiana praxi, tum aliis rationibus, quas brevitatis studio omitto, ita longè faciliùs, & consequenter sæpius fas est illud facere, quod dixi, & declaro sequentibus conclusionibus.

Dico enim II. Præcepta naturalia obligant, 63
ne quis impedimentum eorum observationi apponat pauculis diebus, antequam incipiant ea urgere. Declaratur simul, & probatur. Quis enim inficietur, in septimum Decalogi præceptum delinqui à milite, qui feriâ secundâ e.g. totum suum peculium potitando, saltando, lusus temerarios exercendo perdit, prævidens, se feriâ sexta, & deinceps coactum iri rapto vivere? non habiturum, unde commilitoni ea feria sexta solvat id, quod summo jure, (die quoque ipso pro creditore juxta *Leg. Magnam. C. De contrahend. & committ. stipul.* interpellaturo,) esse exacturum prospicit? Et nónne idem gugulio miles insuper impietatis notam incurret, si ea factitet, non ignarus, liberos idcirco fame perituros intra octo, vel decem dies, aut mensem?

Similiter adversus justitiam peccant illi servi, Ministri, Officiales, qui per intemperantiam causant sibi ægritudines, non ignari, se octavo die post illam intemperantiam non futuros pares obeundis muniis, quibus ex justitia graviter obligante perfungi deberent. Vide dicta *cap. 10. sect. 6. & 7.*

Dico autem è diverso III. leges humanas 64
non obligare, ne quis prædicta impedimenta appo-

apponat aliquot diebus priùsquam eæ urgeant, seu illarum obligatio instet. Ita sentiunt Suarez, Becanus, Palaus, & apud eum Salas, itémque Dicastillo *sect.* 1. relati. Probatur, & declaratur exemplo illorum, qui per crapulam procreant sibi ægritudines, haud nescii fore ut sexto die pòst, non sint futuri idonei ad sacrum audiendum, Breviarium recitandum, jejunium (etiam posito quòd ægritudo respectu jejunii sit potiùs impedimentum tollens omnem obligationem, quàm solùm excusans à transgressione juxta doctrinam allatam *n.* 52. *& seqq.*) Ecclesiasticum observandum, obeundam (propter periculum vomitûs) Communionem Paschalem. Tametsi enim hi viniperdæ mortaliter peccant contra charitatem propriam, sicuti declaravi *cap.* 10. *sect.* 4. *§.* 6. non tamen perinde peccant contra leges Ecclesiasticas, obligantes ad Sacrum, jejunium, Communionem Paschalem, Breviarium, ratione duntaxat Ordinis, aut Religionis recitandum. Ratio petitur tum ex authoritate Doctorum pro his exemplis *sect.* 1. relatorum, tum ex praxi, & consuetudine optima legum Ecclesiasticarum interprete. *Cap. Cùm dilectus. De consuetud.*

65 A priori rationem adferre non possum, quandoquidem necdum video sufficientem causam, ob quam pronunciem, non posse à legislatore humano condi leges tam arctè obligantes, ut unà vetent impedimentorum octiduo ante tempus observationis sine rationabili causa, appositionem, & causationem; licèt, ut dixi, consuetudo videatur declarare, quòd re ipsa Leges humanæ non sint ita rigidè explicandæ.

66 Dico IV. Qui prævidet, sibi post sex vel octo dies, quando scilicet instabit tempus observandi præcepti naturalis, non adfuturam facultatem illud observandi, nisi hodie, adeóque sex vel octo diebus antè procuret illam facultatem, vires, medium &c. videtur obligari ad illam facultatem, vires, medium &c. hodie procuranda, at non tenetur, si tunc adfuturum sit tempus observandi præceptum humanum. Secunda pars deducitur clarè ex conclusione præcedenti, junctâ doctrinâ, quam tradidi *num.* 47. ubi dixi, faciliùs, & sæpius à transgressione legis excusari illum, qui non procurat media, ad ejus observationem necessaria, quàm qui reddit se impotentem. Prima
67 pars non videtur aliter probari posse, quàm ex judicio virorum sapientum, doctorúmque. Viri enim docti, & sapientes, quos super hac re consului, & quantum reor, etiam quos consulére non potui arbitrantur, respectu tantilli temporis non esse faciendum discrimen inter obligationem non reddendi se impotentem, & reddendi se potentem. Nec dubio, quin obtineat hæc doctrina locum etiam in foro externo, ubi haud dubiè Prætor *Lege Magnam. C. De contrab. & committ. stipulat.* aget in illum, qui cùm octiduo, antequam instaret dies solutioni ex stipulatione pœnali præfixus, potuerit comparare necessaria, ad satisfaciendum, neglexit comparare.

Quòd si quæras primò, quot præcisè diebus, 68
mensibus, annis, antequam urgeat obligatio Legis naturalis, oporteat se non reddere impotentem, sed potiùs potentem? Respondeo, nullum certum terminum posse pro omnibus legibus naturalibus nominari, respectu aliquarum minorem, respectu aliarum majorem nominandum, quia scilicet, sicuti non omnes leges naturales obligant cum æquali periculo vitæ, famæ, fortunarum, ita non omnes æqualiter obligant ad impedimenta prævenienda, aut non ponenda tot, & tot diebus antè.

Quòd si quæras secundò, quid de præceptis 69
divinis positivis hîc pronuntiandum sit. Respondeo, non posse ipsis ita directè applicari doctrinam traditam in conclusionibus. 3. 4. 5. eo nimirum, quòd præcepta novæ legis, (de Mosaica nil attinet disputare) non obligent ad certum diem Anni, aut Annum vitæ, ut patet enumeranti omnia, quæ pertinent ad fidem, & Sacramenta, de his enim solis leges condidit Salvator, ut fert commune axioma Theologorum teste Suarez *Lib.* 10. *De Legib. cap.* 2. ubi illud optimè explicat, & confirmat. Quamquam si quis sciret, se hodie post octi- 70
duum naturali, aut violentâ morte sublatum iri, & tunc non habiturum copiam Baptismi, aut Confessionis, vel Eucharistiæ, (quæ Sacramenta saltem in articulo mortis jure divino suscipienda esse suppono ex communi sententia,) teneretur utique ipsum mortis articulum octo, aut etiam pluribus diebus prævenire.

Dico V. Etsi, ut conclusione tertia dictum 71
est, Leges humanæ non obligent, ne quis impedimenta illarum observationi obstitura ponat quatuor, aut quinque diebus antè, quàm instet tempus, quo actus per eas præceptus poni deberet, videntur tamen obligare, ne quis ex directa intentione habendi excusationem, ponat tale impedimentum. Ita censent Suarez, Becanus, Bonacina, Palaus, relati *sect.* 1. Itémque Avila *De Censur. Part.* 2. *cap.* 6. *disp.* 4. *dub.* 1. *Tract.* 7. contra Joan. Sanchez, qui *in select. disp.* 54. *n.* 10. peccato absolvit illum, qui die jejunii se labore ludicro defatigat ideo, ut non teneatur jejunare. Quam doctrinam, etsi 72
fatetur Diana *Part.* 1. *Tract.* 9. *Resol.* 52. sibi non displicere, meritò tamen concludit, eam non admittendam. Certè fundamentum Sanchezii non est solidum; ait enim, generatim fas esse, quærere causam excusantem à Legis obligatione, seu transgressione; quod fundamentum falsum esse patet vel exemplo illius, qui legum ignorantiam affectat, quo liberiùs contra eas agat. Probatur autem nostra conclusio tum iis omnibus Capitulis, & legibus, quibus utrumque jus vetat, ne quid in fraudem legis fiat, nominatim *Leg.* Fraudis interpretatio. *ff. De Reg. Iur. & L. Contra legem. ff. De legib.* tum inde, quòd si *non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.* Text. *Leg. Non dubium. C. De legib. & Reg. finali in 6.* certè & is in legem committit, qui dedita opera aliquid facit, ut lex non possit eum, quantumvis legi subjectus maneat, obligare in actu secundo. His junge, quod ex Tamburino protuli *n.* 50.

73 Aliud censeo de illo, qui dedita opera quidpiam facit, ut desinat totaliter esse legi subditus, seu lege etiam in actu primo obligatus, ut jam explicavi *n.* 58. Quare, quia Palaus *cit. Tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 2. *sub finem* asserit, legem jejunii non esse latam propter eos, qui labore necessario, utili, vel honesto sunt defatigati, ego in praxi te non damnarem, si peregrinationem, aut alium honestum laborem, cum jejunio incompatibilem obires eo fine, ut cœnandi jus haberes, nec damnat Bonacina *loc. cit. n.* 16.

SECTIO VI.

Resolvuntur reliqua dubia indicata in Sectione quarta.

SUMMARIUM.

Probabiliter non peccas faciendo te pridie impotentem ad observationem legis humanæ obligaturæ postridie. 75.
Posset tamen legislator id vetare. 77.
An qui tenetur procurare media, hoc ipso teneatur absolutè se non facere impotentem? 78.
Adferuntur exempla, quibus non licet se impotentem reddere pridie præcepti urgentis. 79. *& seqq.*
Videtur à toto genere esse illicitum facere se impotentem ipsamet die legis. 83. *&* 84.
Vtrùm sicuti nefas est ponere impedimentum, ita oporteat amovere prius positum? 85. 86.
Vtrùm obligatio non ponendi, aut amovendi impedimenti sit eadem respectu impedimentorum impedientium per se, & impedientium per accidens? 87. *&* 88.

74 Quæres ulterius circa præsentem difficultatem, I. *Vtrùm contra præceptum, aut legem peccet, qui pridie quàm urgeat legis obligatio, ponit impedimentum, ob quod crastino non poterit satisfacere legi, seu præcepto?*

Est autem sermo de solo præcepto humano, nam quid de divinis, & naturalibus sentiendum sit, deduces ex dictis *sect. præcedenti n.* 63. *& 69.* Est etiam sermo de illo solo casu, quo non ex directa intentione violandi legem, ponitur tale impedimentum, ut clarè sequitur ex doctrina tradita *n.* 82.

RESP. I. Est in praxi tuta opinio, quòd com- 75
muniter contra nullam legem peccet is, qui per actionem ex se non illicitam reddit se pridie impotentem ad legem aliquam humanam observandam. Ratio est, quia ita sentiunt Suarez, Becanus, Bonacina, & Dicastillo relati *sect.* 1. Unde inferes, etsi prædicta impotentia causetur per actionem ex se malam, e.g. per ebrietatem, haud tamen idcirco peccari adversus legem illam, cujus observationi obstaculum ponitur, sed eam actionem ex se malam retinere suam solam specificam malitiam. Bonacina *loc. cit. n.* 15.

RESP. II. Eadem opinio videtur mihi etiam 76
speculativè vera. Ratio est, quia nihil debet dici esse prohibitum sub mortali peccato, nisi vel prægnans ratio, vel praxis communis, communéve judicium prudentium suffragetur. Gabriel *in* 4. *distinct.* 15. *a.* 2. *fin.* Atqui communiter nil horum hîc suffragatur. Imò potiùs existimo, plerorumque Confessariorum, & pœnitentium usui conformem esse hanc responsionem.

Fateor tamen primò, haud dubiè competere legislatori protestatem vetandi communiter, 77
ne quis pridie instantis obligationis faciat se impotentem, sed potiùs expeditum: quia tamen non constat Principes Ecclesiasticos, vel sæculares uti solere hac potestate, idcirco communiter asserendus non est ille usus. Porrò justissima ex causa id communiter non vetant legislatores, sciunt enim esse duodecim horas diei. *Ioannis* 11. *vers.* 9. atque adeò longè facillimè posse oriri ejusmodi rerum mutationes, ut etiam qui pridie instantis obligationis fuerunt expediti ad legem sequenti die observandam, impediantur ipso die; ne igitur nam multi toties pridie frustra conarentur se conservare expeditos ad exequendum crastino præceptum, judicârunt, communiter non esse aliud requirendum quàm ut subditi, & procurarent media per se, atque intrinsecè necessaria juxta dicta *n.* 44. & non facerent deditâ opera se per actionem pravam impotentes ad legem observandam.

Dices: *Si teneor procurare ejusmodi media,* 78
tum teneor facere me potentem ad legis executionem, ergo hoc ipso teneor me non facere impotentem.

Respondeo, teneris te facere potentem inadæquatè, unde consequenter teneris te non facere adæquatè impotentem.

Fateor secundò, nostram doctrinam non 79
esse

esse semper, sed tantùm communiter veram; unam enim, alteramve legem reperire est, in qua usus, persuasióque communis ostendit, locum non habere allatam doctrinam. Patet enim ex praxi tum privatorum, tum Magistratus civilis, & Ecclesiastici, culpæ, atque pœnæ reos esse Ædituos, Pistores, Sartores, Sutores, qui die Sabbati cùm possunt, non faciunt necessaria, circa ornatum, ac mundiciem templi, parietum, Altaris; non pinsunt panem die Dominico necessarium; non parant vestes, & calceos utendos die Dominico post prandium, aut die lunæ.

30 Similiter existimo, esse omnium rectè sentientium opinionem, illum delinquere in præceptum de Communione Paschali, qui cùm suam Communionem statuerit obire Dominica in Albis, quæ ex declaratione Eugenii IV. apud Navarr. *in Manual. cap. 21. num. 45.* est ultimus terminus temporis pro Paschali Communione præscripti, pridiè illius Dominicæ proficiscitur absque urgente causa ad locum, ubi nec proximis diebus pòst erit copia sumendi Eucharistiam. Proportionaliter dicent Doctores de illo, qui toto Anno non Confessus tertio Calend. Januarias illud ipsum iter capessit. Quare rotundè, absolutéque ad quæstionem initio Sectionis propositam dico, &

31 RESP. III. Quoties non constat positivè, esse communem sensum fidelium, quòd hæc, aut illa lex, in particulari obliget ad non ponenda pridie instantis executionis impedimenta, toties censendum est, non adesse ejusmodi obligationem, sed respectu illius legis particularis (non loquor de particularibus obligationibus justitiæ) locum habere illam auream Caji J.C. sententiam *L. Semper. ff. De Reg. Iur. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.*

32 Hujus latè patentis responsionis ratio est, quia *in obscuris inspici solet, quod fieri plerumque solet.* Text. *L. In obscuris ff. De Reg. Iur. & cap. Inspicimus eod. in 6.* & in re non manifesta, supponimus omnia gesta eo modo, quo communiter solent. *Argum. ll. citatarum. & Leg. Semper in stipulationibus. ff. De Reg. Iur.* Cùm igitur communiter humanæ leges non obligent ad non ponenda impedimenta pridie, fit, ut quando alicui positivè non constat, utrùm hæc aut illa lex particularis obliget ad ea non ponenda, possit practicè usurpare illud pronuntiatum: *Cuncta licita sunt, nisi decreto, vel lege prohibeantur.* Nellus *De Test. n. 2.* favente apertè *L. Nec non. ff. Ex quibus causis majores.*

At non video, cur pro hoc ipso pronuntiato adducat Nellus Capitulum *Ad dissolvendum. De desponsat. impub.* Nil enim hanc in rem illic reperio. Sed est nimis quàm familiare Jureconsultis, sua dicta firmare legibus, non nisi violentissimè attractis, ut reliquos inter de plerisque testatur in præfatione suarum observationum Andreas Gail ipse J.C.

Quæres secundò: *Utrùm illo ipso die, quo urget, instátque, & aderit obligatio actualis exercendi actum lege humana præceptum sit fas, absque rationabili causa impedimentum ponere?* 33

Esse negant universim Suarez, Becanus, Palaus allegati *sect. 1. n. 6. 8. & 12.* Et P. Dicastillo relatus *n. 17. & 19.* videtur id non universim negare, & clariùs *cit. disp. 9. De Pœnit. n. 698.*

Dico tamen, sententiam Suarezii esse amplectendam. Cùm enim ex una parte certum sit, posse à legislatore disertè, expressè, & efficaciter vetari, ne quis (absque rationabili causa) eo die, quo lex sua urgebit, faciat se impotentem ad eam observandam, ex altera verò parte *eadem sit vis taciti, & expressi.* argum. *L. Patre furioso. ff. De his, qui sui, vel alieni juris sunt.* & Doctores communiter; esse autem eam tacitam legislatorum voluntatem declaret receptissima praxis fori interni, imò & externi, ubi sese offert occasio, idcirco pronuntiandum est, adversùs leges communionis, & Confessionis Paschalis, Sacri audiendi, jejunii, Breviarii, abstinendi à labore servili &c. delinquere illum, qui eo ipso die, quo hæ Leges essent executioni mandandæ, creat sibi absque rationabili causa impedimentum, ob quod excusetur à transgressione unius, & plurium ex his legibus. Confirmatur ex *L. Qui potest, ff. De Reg. Iur.* de qua suprà *n. 34.* 34

Quæres tertiò: *Utrùm sicuti nefas est, impedimentum ponere, ita etiam sit fas jam antea positum non amovere?* 35

RESP. I. Impedimentum, quod juxta conclusionem præcedentem illicitè apposuisti, teneris, si commodè possis, amovere. Probatur, quia sicuti *Non præstat impedimentum, quod de jure non fortitur effectum.* Text. *Reg. 52. in 6.* ita id non præstat impedimentum, quod facilè tolli potest, & consequenter non censetur is efficaciter impeditus, qui facilè à se potest excutere impedimentum; ergo si non excutiat, incurret eam culpam, quam, qui ponit efficax impedimentum. Confirmatur ex *L. Qui pot. st. ff. De Reg. Iur.*

RESP. II. Si impedimentum, quòd illicitè apposuisti, non possis amovere, nisi cum tam notabili incommodo, quàm sufficiat ad illum, qui absque culpa sua ejusmodi impedimentum posuit, excusandum à transgressione legis, haud teneris amovere. Ratio est, quia Doctores, dum enumerant causas excusantes à transgressione legum, non faciunt discrimen inter illum, qui culpabiliter, & qui inculpabiliter eam causam posuit. Hinc ea lassitudo, quæ necessario, aut utili labore inducta excusat à peccato cœnantem, excusat quoque, si sit ex inutili, aut etiam pernicioso labore orta, 36

Quæ-

37 Quæres quartò: *An data ad præcedentem quæstionem resolutiones veræ sint, tam respectu impedimentorum per accidens impedientium, quàm impedientium suapte natura?*

Respondeo, mihi necdum apparere rationem omnino sufficientem ad faciendum nunc discrimen circa hæc. Accedit positiva probatio ex *Leg. Qui potest, ff. De Reg. Iur.* quæ ex lumine naturali ita pronuntiat: *Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur.* Quando videlicet potest facilè conditioni parere. Dynus *in hanc Regulam.* Si videtur posse, ergo non videtur esse impeditus, ergo contra legem delinquit, si eam non observet in casu nostræ responsionis, cui saltem responsioni aptanda est prædicta lex.

38 At verò si loquamur de impedimentis nondum positis, sed ponendis, tunc assentior Sanchezio, & Bonacinæ relatis *sect. 1.* ac dicentibus, non tam graves causas exigi, ut licitè apponantur impedimenta per accidens impedientia, quàm ut licitè apponantur impedientia per se. Ratio hæc mihi occurrit, quia cùm impedimenta per accidens impedientia sint valde crebra, nimis forent rigidi legislatores, suásque leges redderent nimis difficiles observatu, si vellent tam studiosè caveri hæc, quàm illa, quæ impediunt per se. Confirmatur authoritate S. Thomæ *1. 2. quæst. 20. a. 5. in C.* dicentis, non dari judicium (adeóque nec legem) de re aliqua secundùm id, quod est per accidens, sed solùm secundùm illud, quod est per se.

SECTIO VII.

Quid respondendum ad instantias, & rationes allatas Sectione secunda?

SUMMARIUM.

Respondetur ad instantias, & rationes n. 21. & seqq. allatas. 89. & seqq.
Singulariter ad instantiam non potentis audire Sacrum ob excommunicationem. 93.
Habet hoc exemplum peculiarem difficultatem. 94. & 95.
Quid si quis captivus negligat procurare liberationem à carcere, ut possit audire Sacrum? 95.
Quid de suscipiente iter incompossibile cum Sacro? 96.
Et de donante alteri sua perspicilia, sine quibus nequit recitare Breviarium? 97.
Et de faciente se impotentem ad jejunium per laborem inutilem? 98.
Quomodo intelligatur Axioma: Quando aliquid prohibetur, prohibentur etiam omnia, per quæ ad illud pervenitur? 99.
Nequit una generalis, & illimitata responsio dari ad quæstionem in titulo capitis vigesimi septimi propositam. 102.
Indicatur remissivè notabilis Casus de auditione Sacri? 103.

89 Cùm aperuerim, quid respondendum censeam, tum ad generalem quæstionem *sect. 1.* propositam, tum ad specialia dubia controversa, quæ *sect. 4.* indicavi, operæ pretium erit ex dictis deducere, quid respondendum videatur ad instantias, & rationes in utramque partem adductas *sect. 4.*

90 Ad exempla *n. 21. & 22.* allata respondetur, ex iis confirmari doctrinam de præceptis naturalibus traditam. *n. 72.* & propterea illa exempla contineri eâ doctrina, cùm obligatio justitiæ utique oriatur ex præcepto naturali. Adde, quòd ad servandam æqualitatem, quam inducit lex justitiæ, necesse sit arctius frœnum injicere hominibus. Suprà *n. 55.*

Idipsum rectè probat ratio, quam *cit. n. 21.* adduxi ex Sanchez, quamvis ad doctrinam *n. 66.* positam consequenter negandum sit, esse generatim respectu omnium legum, & respectu diei actualem obligationem præcedentis, verum, quòd eadem lex finem præcipiens obliget, ne quis mediis illicitis reddat se impotentem.

91 Ad exemplum ædituï, & pistoris inductum *n. 23.* jam respondi *n. 79.* ipsa praxi, & consensu Doctorum constare, quòd doctrina *cit. n. 75.* tradita extendi non debeat ad hæc exempla, quam doctrinam sanè non sectarer, si pro aliis sexcentis instantiis haberemus tam claram.

Ad instantiam communionis Paschalis, de qua *n. 24.* patet ex dictis *n. 80.* eam excipiendam à responsione *n. 75.* Sicuti & doctrinæ *n. 84.* conformis est instantia de eadem communione Paschali producta *n. 25.* quemadmodum & producta *n. 6.* firmat allatam *n. 7. §. 5.* de censurato.

92 Ad impedimentum ex censura excommunicationis profectum, & *n. 26.* explicatum, quod attinet, fatendum omnino est, esse communem sensum Doctorum de ea controversia disputantium, quòd ejusmodi homo peccet in duo ibidem indicata præcepta, ut præter ibidem citatos tenet etiam Fagundez *De Præcept. Eccl. præc. 1. l. 2. cap. 8. num. 3.* Bonacinâ *p. 1. n. 13.* Diana *Part. 5. Tract. 9. Resol. 88.* Et confirmatur hæc doctrina ex dictis *n. 84.*

93 Ad exemplum illius, qui, ut vidimus *n. 29.* negligit petere absolutionem à censura tunc, cùm adest obligatio audiendi Sacri, fateor similiter, esse communem persuasionem citatorum Doctorum, quòd is non agat contra præceptum audiendi Sacri, à qua persuasione non ausim recedere, licèt discrimen, quod Avila, Suarez, Bonacina, & Fagundez constituunt

stituunt inter hunc hominem, & illum, qui tunc, cùm adest præceptum Communionis Paschalis, non petit absolutionem à censura, mihi non appareat sufficiens.

94 Ne tamen propter hanc instantiam in dubium revocemus doctrinam traditam *num.* 99. & 85. Dico esse verosimile, quòd Ecclesia præcepto de Sacro audiendo nunquam comprehenderit excommunicatum, atque adeò, quando quis incurrit excommunicationem, ponit se in eo statu, in quo lex de Sacro audiendo desinit etiam in actu primo obligare, juxta declarationem allatam, *num.* 14. *& seqq.* ut proinde mirum non sit, quòd non peccet in prædictam legem, incurrendo excommunicationem, aut insordescendo in illa.

95 Rationem hoc dicendi non habeo nisi communem sensum DD. negantium, ab ejusmodi homine delinqui in legem memoratam, sed ab ea eximi per modum oneris in pœnam delicti, ut addit Bonacina *num.* 13. Quodsi meum privatum judicium sequerer, potiùs quàm cæterorum, damnarem talem hominem peccati in primum præceptum Ecclesiæ patrati, ratus non posse me solidè refutari. Nam ad instantiam, quam Suarez, & Fagundez allegati *num.* 27. cum Bonacina *num.* 13. adferunt de illo, qui negligit procurare valetudinem, aut liberationem è carcere, responderem, quandoquidem, qui patrat scelus dighum excommunicatione, aut in hac pertinaciter persistit, in Ecclesiam delinquit, utpote in eam contumax. Doctores communiter *in definitione censuræ*, mirum non esse, si Ecclesia eum nolit excusatum, quando is negligit in prædicto casu sacrum, ne videlicet ex Ecclesiæ, quam impugnat, Indulgentia fructum consequatur, repugnante Cap. *Bonæ* 23. *De Elect.* & cap. *Ex eo. De Reg. Iur in 6.* At verò, quia is, qui negligit liberationem è carcere, aut morbo, non peccat, ut sic, contra Ecclesiam, non est mirum, quòd Ecclesia eum non adstringat, & urgeat ut alterum.

96 Ad exemplum suscipientis iter, ob quod reddetur impossibilis auditio Sacri, respondeo, rationem discriminis inter illum, qui pridie festi, & illum, qui ipso die festo suscipit ejusmodi iter, petendam esse ex doctrinis traditis *n.* 82. & 84. Et ad replicam allatam *n.* 28. respondetur, illum, qui tempore ibidem indicato est futurus in loco, in quo non est festum, ideo non peccare contra religionem festi, quia constituet se eo loco, & statu, in quo lex festi penitus cessat cum eo loqui. *Suprà n.* 51.

97 Et ad instantiam de perspiciliis dico, illam admittendam videri, nec ocularia esse comparanda cum medicina, ut satis ostendit commune judicium Doctorum, indoctorumque, ea quippe se habent ad oculum debilem, ferè sicut baculus ad pedem claudum.

Ad casum de illo, qui per inutilem laborem 98
ita se defatigat, ut jejunare non possit, non est opus, ut respondeam, cùm opinionem contrariam censeam esse veram; certè longè à mente S. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 3. aliorúmque antiquorum recedit Joannes Sanchez, & reliqui *n.* 30. allegati.

Ad argumentum *num.* 35. propositum patet responsio ex doctrinis *n.* 43. & 98. sicut etiam ad illud, quod attuli *num.* 32. responderi potest ex concessis. *num.* 44. Cùm autem dicitur 99
n. 33. quando prohibetur aliquid, interdici simul id, per quod pervenitur ad illud, intelligе de eo, per quod proximè, aut ex intentione pervenitur ad illud; non autem de eo, per quod remotè, & præter directam intentionem ad id pervenitur, secundùm dicta *n.* 17. & 65.

Ad difficultatem *num.* 34. motam dico, licèt lex in actu secundo non obliget tunc, cùm est observatu impossibilis, fieri tamen sæpe, ut etiam tunc obliget, seu obligare pergat in actu primo; & proinde quandoque peccet contra illam is, qui illius observationem sibi reddit impossibilem, non tamen semper, juxta dicta superiùs.

Ad illam Regulam juris allatam *num.* 34 *Qui* 100
potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur, respondeo, ea confirmari doctrinam traditam *n.* 85. nec repugnare aliis.

Postremò ea, quæ ex Tamburino prolata sunt in medium *n.* 55. & 56. non operosè concordabunt cum aliis doctrinis approbatis à nobis in hoc sanè prolixo capite.

Ex his omnibus infertur, non posse unam 101
generalem, & illimitatam responsionem dari ad quæstionem, initio capitis propositam, sed distinguendum inter præcepta naturalia, & positiva; & respectu positivorum faciendum discrimen inter impotentiam inductam eo die, quo urget præceptum, & inter inductam uno, aut pluribus diebus antè. Et denique ne- 102
gari non posse, quin aliqua præcepta magis vetent appositionem impedimenti, quàm alia, tam impedientis per se, quàm per accidens, & quin sit etiam quandoque spectanda major, aut minor utilitas, ac necessitas, ut exprimit etiam Bonacina *cit. disp.* 1. *De Leg. q.* 8. *p.* 1. *n.* 9.

Cæterùm quia in hoc capite est facta sæpius 103
mentio ponentis impedimentum auditioni Sacri, legi poterunt ea, quæ in hanc ipsam rem tradidi ex instituto in Experientiis *Tract.* 5. *n.* 444. *& seqq.* unà cum Casu Venatorio, quem refero, Ibid. *n.* 449.

T. T. VXO-

T. T.

UXOREM, ET LIBEROS SUSTENTET.

CAPVT XXVIII.

De obligatione viri ad uxorem, liberósque alendos.

SECTIO I.

Quatenus maritus uxorem alere teneatur.

SUMMARIUM.

Maritus tenetur uxori præbere alimenta. 1.
Etiamsi duxerit indotatam. 3.
Quando is, qui marito promisit dotem, non stat promissis, non tenetur vir eam alere. 8.
Secùs si dos præstita pereat. 10.
An teneatur eam alere post dissolutum matrimonium quoad torum? 12.

1 QUæres I. *An, & quo jure maritus teneatur alere uxorem?*

RESP. I. Tenetur vir uxori alimenta præstare. Ita omnes. Patet ex *L. Si cùm dotem.*
2 *§.* 2. *Sin autem. ff. Soluto matrimonio.* Nomine alimentorum intelligitur victus, vestitus, lectus, habitatio, & alia ad vitam necessaria, juxta personæ conditionem, & qualitatem, itémque medicinæ. Bonacina *in* 4. *Præcept. Decalogi. disp.* 6. *p.* 6. *§.* 1. *num.* 1. ex Baldo, Cyno, & Azorio *Part.* 2. *Lib.* 2. *cap.* 2. *q.* 2. *&* 19. indicatúrque tum *cit. §. Sin autem*, tum apertè *Leg.* Et *cætera. ff. De Verb. significe.* ubi dicitur: *Victus appellatione significantur, quibus curandi, tuendique corporis gratiâ utimur.*

3 II. Hæc doctrina vera est respectu uxoris non tantùm dotatæ, sed etiam indotatæ. Prima pars clara est ex *cit. §. Sin autem.* ubi expressè fit mentio uxoris dotatæ; tum inde, quòd uxor dotem adferat idcirco marito, ut ab ipso accipiat alimenta. *Leg. pro oneribus. C. De Iure*
4 *dotium. & Leg. Dotis fructus. ff. eodem.* Secunda pars, etsi non exprimitur jure civili, aut Canonico, sed potiùs videri potest repugnare *cit. §. Sin autem*, ubi maritus uxori etiam furiosæ jubetur, *& alimenta præstare, & medicinâ ei succurrere, & nihil prætermittere, quæ maritum uxori adferre decet, secundùm dotis quantitatem*; attamen testatur Sanchez. *L.* 9. *De Matrim. disp.* 5. *n.* 8. neminem à se lectum, qui
5 in neget. Ratio est, quia duxit vel pauperem, vel divitem? Si pauperem, tum tacitè obligavit se ad eam alendam, cùm ita habeat mos omnium, qui pauperes uxores ducunt, contractus autem censentur fieri secundùm consuetudines receptas; siquidem *semper in contractibus id sequimur, quod in regione, in quâ aliquid actum est, frequentatur*, Text. *Leg. Semper in stipulationibus. ff. De Reg. Iur.* Si verò 6
duxit divitem, tum videtur juri, quod ad petendam dotem habebat, cessisse *Argum. cap. Qui tacet. De Reg. Iur. in* 6. Atque etiam ita de divite sentiunt nonnulli apud Sanchez *loc. cit.* 7
n. 9. Verosimilius tamen videtur, quod non teneatur eam in hoc secundo casu alere, ut rectè Sanchez tum *loc. cit.* tum *Lib.* 1. *disp.* 60. ubi multos refert. Ratio est, nam & ita indicatur *Leg. penult. ff. Ut in possess. Legat.* ibi: *nec suum quidquam habeat; & indignus est alienâ ope, qui sibi opitulari non vult, cùm possit.* Argum. *L. Bona fides. ff. De deposito.* Repete casum, quem ex P. Dicastillo, de paupere non ducenda ab obærato retuli. *cap.* 24. *n.* 12.

III. Quando is, qui dotem pro uxore pro- 8
misit marito, non stat promissis, non tenetur maritus uxorem alere. Ita generatim docent omnes, teste Sanchez *cit. disp.* 5. *n.* 2. Ratio est, quia cùm contractus ex conventione legem accipere dignoscantur. Text. *Cap. Contractus. De Reg. Iur. in* 6. quando autem sponsi contrahunt dote promissa, non aliter contrahant quoad obligationem præstandorum alimentorum, quàm si promissa dos præstetur, utpote quæ peti, darique solet ad onera matrimonii sustinenda, ut patet ex definitione dotis allata *cap.* 24. *n.* 9. fit, ut non purificata conditione promissæ dotis, cesset obligatio præstandorum alimentorum. *Argum. Leg. Pro* 9
oneribus. C. De Iure dot. Et Conditione deficiente, deficit conditionatum. Barbosa Axiom. 48. *n.* 2.

IV. Si casu fortuito pereat dos præstita ma- 10
rito, tenetur nihilominus eam alere vir. Bonacina *cit. disp.* 6. *p.* 5. *n.* 8. *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse*, inquit elegan-
ter Ulpianus *L. Si cùm dotem.* 22. *§. Si maritus. ff. Soluto matrimonio.*

Ex his apparet, quàm gravi scelere se ob- 11
stringant mariti, dum vel otio, vel lusu, vel potu, vel aliis damnatis rationibus rem domesticam ita accidunt, ut non habeant, unde uxori suppeditent necessaria ad victum, cultúmque.

Quæres II. *An dissoluto matrimonio quoad to-* 12
rum, teneatur maritus uxorem alere?

RESP. Ad hanc quæstionem responsum iri *cap.* 39. Sicut ex dictis *cap.* 24. *sect.* 1. & 2. (ubi docui, quid liceat uxori circa bona mariti nolentis subministrare ea, ad quæ ipse obligatur,) aliquid potest peti in hanc rem.

SECTIO II.

Quatenus filios alere teneatur pater.

SUMMARIUM.

Tenetur pater alere liberos. 13.
At non primo triennio ætatis. 14.
Nomine alimentorum aliud intelligitur respectu patris, aliud respectu matris. 15.
Tenetur pater facere sumptus, ut filius discat literas. 16.
Quid intelligatur nomine literarum? Ibid.
Pater obligatur dare filio potestatem eligendi quemlibet statum. 18.
Mater non tenetur primo triennio plus dare filio, quàm lac. 19.
Tenetur tamen ipsamet lactare. 20.
Et si non lactet, constituere suis sumptibus nutricem. Ibid.
An hic faciendum discrimen inter legitimos, & illegitimos? 21.
Obligatio alendi illegitimos an sit par respectu patris & matris? Ibid.
Certum est, quòd uterque debeat. 22.
Iura sanguinis nullo jure dirimi possunt. Ibid.
Avi, & proavi tenentur alere nepotes in defectu parentum. 23.
Non licet liberos clam exponere ad hospitalia, & januas divitum. 27.
An ad portam Episcopalis residentiæ? 28.
An, & quatenus Clericus teneatur alere spurium? 29.
Filii spurii alendi sunt ab hæredibus parentum. 31.
Uxor filii alenda à patre mariti. 32.
Spurius est etiam à fratre legitimo alendus in necessitate. 33.
Pater, qui inique negavit filio alimenta, non tenetur ad restitutionem. 35.
Si fecit expensas in filium dantem operam literis an possit repetere? 36.
Illegitimi an & quatenus possint esse hæredes? 37.
Filii spirituales non sunt necessariò alendi à patronis. 39.

13 SUccincta, distinctáque responsio ad quæstionem in titulo Sectionis propositam, consistit in sequentibus pronuntiatis.

14 I. Absolutè loquendo tenetur pater alere liberos. *L. Si quis liberis*, per totam *ff. De agnosc. & alend. liber.* idque jure naturali. Covarruvias *In Epitome Part. 2. c. 8. §. 6. n. 1.* Etenim ratio ipsa naturalis dictat, id faciendum esse à patre. II. Istud jus naturale suas vires ante primum triennium non exserit adæquatè; siquidem primo triennio tenetur mater alere liberos, ut recte Doctores in decursu citandi deducunt ex *Leg. Nec Filium. C. De Patr. potest. & cap. Ex Literis, De Convers. infidelium.* ubi decernitur filium à patre alendum post triennium. V. Gl. *in c. Cùm haberet. De eo, qui duxit. verb. Secundùm facultates.* III. Nomine alimentorum aliud intelligitur respectu patris, aliud respectu matris. Etenim respectu matris intelligitur solum lac, plus enim quàm lac non tenetur filio exhibere. Azor *Part. 2. Lib. 2. cap. 5. q. 8.* Bonacina *De Leg. disp. 6. q. un. p. 6. §. 1. n. 3.* contra Reginald. *L. 20. n. 31.* 15

Ut proinde ad reliquas omnes expensas obligetur primariò pater, secundariò autem, & in ejus defectu mater. *C. Cùm haberet, De eo, qui duxit. in fin. junct. cit. c. Ex lit.* Hoc ipso autem, quòd pater teneatur alere filium, tenetur tum omnia ad vitam hîc, & nunc sustentandam necessaria suppeditare, tum etiam iis artibus, & facultatibus instruere, ut possit seipsum adultus exhibere, sicut crebrò loquitur Ulpianus *cit. L. Si quis à Liberis.* Adeò ut testetur Azor *loc. cit. cap. 4. q. 17.* esse constantem omnium opinionem, patrem jure compelli ad sumptus, & expensas faciendas, ut filius literis operam det, intelligendo per *literas* ea, quibus cæteri more patrio, patris conditionis filii erudiri, & informari solent; quam explicationem ex Recentioribus habent etiam Reginaldus *Lib. 20. n. 35.* Bonac. *cit. punct. 6. n. 2.* & Filliuc. *Tract. 28. Part. 2. n. 24.* adferens hanc causam, quòd scilic. parens teneatur opem ferre filio, ut perveniat ad perfectionem illius status, quem rationabiliter eligeret ipse filius. 16

Qua ratione rectè probatur, illos parentes quorum liberi non possunt conformiter suo statui aliter se alere, quàm literis, ut sunt filii Nobilium, aut Doctorum tenuis fortunæ, obligari ad eos curandos instrui literis. Silvester *Verb. Alimenta n. 1.* & Armilla *eodem verb. n. 1.* Non autem probatur, quòd Agricola, aut opifex teneatur suum filium mittere ad scholas. 17

Nec obest, quòd parens obligetur dare filio potestatem eligendi quemlibet statum S. Th. *2. 2. q. 189. a. 6. in Corp.* & consequenter ei suppeditare media ad quemlibet statum; hoc enim consequens intelligi debet de statibus universalibus, videlicet Religioso, & Seculari, non autem de quovis particulari, sed satisfacit suo officio pater, si in filium faciat eos sumptus, quibus pertingere queat ad statum aliquem suæ conditioni convenientem, militarem, inquam politicum, mechanicum, Sacrum, profanum &c. Et usus communis docet, jus determinandi filio aliquod certum studium, esse penes patrem, qui utique magnam debet habere rationem inclinationis animadversæ in filio. 18

IV. Cùm, ut superiùs dictum, mater non teneatur primo triennio plùs dare filio, quàm lac, 19

lac, fit, ut si in alia filiolo necessaria quidpiam eroget, sine animo donandi, possit à marito non paupere repetere *L. Alimenta. C. De negotiis gestis.* Et *citat. Leg. Si quis à liberis. §. Si mater alimenta.* Azor *cit. q. 8.* Atque adeò, si nequeat ipsa lac præbere filio, debeat vir suis impensis nutricem conducere. Azor *loc. cit.* & Bonacina *cit. p. 6. n. 5.*

20 Si verò possit ipsamet lactare, & tamen alii absque justa causa, (qualis justa causa est, teste Azor, etiam conformitas cum more patrio,) tradat lactandum; non solùm peccat venialiter, ut declarat Azor *loc. cit. c. 4. q. 3.* & 4. latè disputans de matribus, non nutrientibus proprio lacte filios suos, sed etiam tenetur ipsa sumptus facere in nutricem, alioquin ferret ex suo delicto commodum contra Regulas utriusque juris receptas. Consentit Layman. *Lib. 5. Tract. 10. Part. 3. cap. 5. n. 5.* qui licèt *loc. cit.* doceat, esse hîc faciendum discrimen inter filios legitimos, & illegitimos, ita ut matri primo triennio incumbat onus subministrandi necessaria filio illegitimo, legitimo autem solum lac, attamen communiter cum Tessauro *decis. 211* authores omittunt illud discrimen, utpote nullo jure, seu Lege, quantum quidem scio, fundatum. Sicuti etiam Reginaldus *loc. cit. n. 32.* post Covarruviam *in Epitome. 4. Decret. Part. 2. cap. 8. §. 6. n. 10.* pro dubio, incertóque habet, quod affirmat Abbas *ad cap. Cùm haberet. De eo, qui duxit in Matrim.* scilicet obligationem alendi filios illegitimos parem esse respectu patris, & matris, absque ulla distinctione ætatis. 21

22 V. Supponunt autem in his suis doctrinis hi Doctores, & quidem meritò, filios etiam spurios esse à patre exhibendos, seu sustentandos. Etsi quippe Authent. *Ex complexu nefario. Cod. De incæst. & inutilibus Matrim.* pronuntietur, tales esse indignos, qui alantur à patre, & *Authent. quibus modis natural. effic. sui §. finali* generatim addatur non esse alendos à parentibus, attamen hæ leges civiles, si intelligantur de alimentis, absolutè necessariis ad vitam sustentandam, impiæ sunt, repugnántque juri naturali superiùs indicato, imò & ipsi civili pronuntianti: *Iura sanguinis nullo jure dirimi possunt.* Text. *Leg. Iura. ff. De Reg. Iuris.* Atqui jura sanguinis dirimerentur jure civili, si valerent illæ leges. Si verò illæ eædem leges accipiantur de alimentis necessariis vitæ, secundùm decentiam status transigendæ, correctæ sunt per jus Canonicum. *Cap. Cùm haberet, de eo, qui duxit in Matrim. in fin.* ubi de adulteris conjugibus statuitur, ut *secundùm quod eis suppetunt facultates, necessaria spuriis subministrent*; & hoc jure Canonico standum est in omni foro. Covarruvias *cit. §. 6. n. 8. junct. num. 10. & 12.* & Paleotus apud Tessaurum *decis. 212. num. 2.*

Amplia hanc doctrinam ad filios, etiam decimum octavum Annum egressos, aut qui invitis parentibus uxores honestas duxêre. Covarruvias *loc. cit. n. 5.* Amplia & ad avos, & proavos, cæterósque ascendentes; iis quippe naturalis æquitas imperat, ut in utriusque parentis defectu nepotes, pronepotes &c. exhibeant. Covarruvias *loc. cit. n. 26.* loquens expresse etiam de illegitimis, ac Tessaurus *loc. cit. n. 3.* post Abbatem, Bartolum, & alios, imò ut deficiente patre teneatur pro matre avus paternus. Laymann. *cit. cap. 5. n. 7.* & Tessaurus *loc. cit. n. 9.* post alios, favente *Leg. Si quis à liberis. ff. De Liberis agnoscendis. §. Utrum autem.* Et sic respondi in contingentia facti. 23

Limita I. contra Azorium *loc. cit. c. 4. q. 1.* & Filliucium *loc. cit. n. 26. & 35.* Superiores doctrinas ad filios, qui non possunt aliunde habere unde se alant, *cit. L. Si quis à Liberis. §. Sed si filius.* Covarruvias *loc. cit. n. 13.* cum cæteris Jureconsultis, & Reginaldo, *n. 39.* Nam præstantur hæc alimenta, quatenus necessitas imminet, & non ultrà. Tessaurus *loc. cit. n. 16.* ut si filius sit artifex, tunc enim præsumitur posse seipsum alere. Idem *n. 17.* quandoquidem quilibet præsumitur ex suo opificio posse non solùm ali, sed etiam ditari. Baldus *in L. Si defunct. C. Arbitr. Tut.* Tessaur. *Ibid.* 24

Limita II. ad filium, qui nil patravit dignum exhæreditatione; etenim licitè iis negantur alimenta, quibus licitè hæreditas. Covarruvias *loc. cit. num. fin.* Reginaldus *loc. cit. n. 30.* 25

Infer hinc I. non esse generatim in praxi recipiendum antecedens, & consequens, quod apud Reginaldum *loc. cit. n. 32.* facit Sotus *in 4. dist. 41. q. un. a. 4. Concl. 2.* videlicet illum, qui carnaliter cum aliqua peccavit, non teneri credere illam esse impræguatam à se, ergo non teneri alere prolem, quam ea peperit; siquidem certum est, persæpe occurrere tales circumstantias, ut in foro interno, externóque debeat quis fateri, esse se verum patrem alicujus spurii, aut naturalis, ut ostendam *sect. seq.* 26

Infer II. haud leviter delinquere eos, qui suos liberos exponunt clàm ab hospitalia, aut januas divitum. *Leg. Necare. ff. De Liberis agnosc.* ubi dicitur: *Necare videtur non tantùm is, qui partum præfocat, sed & is, qui abjicit, & alimentum negat, & qui in publicis locis misericordiæ causa ædificatis exponit, quam ipse non habet.* Quamquam excusandi, qui ad hospitalia exponunt, quia aliter nequeunt vel eos alere, vel infamiam, incæsti concubitus evadere. Azor *p. 2. l. 2. cap. 5. q. 7.* Reginaldus *cit. Lib. 20. n. 40.* Bonacina *cit. disp. 6. De Leg. p. 6. §. 1. n. 6.* Nam Hospitalia, Xenodochia, Orphanotrophia fundata sunt pietatis causâ. Si tamen pater, aut quæ ob infamiam filium ita 27

expoſuit, ſit dives, veroſimilius cenſent ii Doctores, eſſe ab eo, vel ea reſtituendos hoſpitali domui ſumptus, in prolem ſuam factos.

28 Et cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, pauperum, aliarúmque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere. *Trident. Concil. ſeſſ.23. De Reformat. cap.1.* non immeritò tradit *loc. cit.* Bonacina, fas eſſe patri juſta ex cauſa, qualem ego judico impotentiam alendæ prolis, eam noctu deponere ad portam Epiſcopalis reſidentiæ, aut divitis Parochi, modò id fiat ſine alterius mali prudenti periculo, nec adſit hoſpitale.

29 Infer III. Clericum poſſe filio ſpurio alimenta ſuppeditare ex bonis Eccleſiaſticis. Navarrus *in Tract. De ſpoliis Clericorum. §. 19. n.11.* Azor *cap.12. q.4.* Filliucius *n.31.* Bonacina *loc. cit. n.4.* Argum. *Cap. Paſce. diſt.86.* ibi: *Si non pavisti, occidisti, & Cap. Cùm haberet, De eo, qui duxit in Matrim.* Nec obeſt conſtitutio B. Pii V. quam de laicis æquè, ac Clericis diſponentem, ad longum deſcribit Navarrus *cit. §.19. n.1.* Etenim idem Doctor ſufficienter probat, per eam nihil derogari juri naturali, aut Canonico, ſed ſolis privilegiis, diſpenſationibus, indultis faciendi teſtamenta, & donationes filiis ſpuriis contra, vel præter jus commune. Et putat Azor, *loc. cit.* hanc doctrinam eſſe veram, etiam caſu, quo pater Clericus eſt ex patrimonio dives; quod mihi non improbatur. Vult tamen Navarrus, ſuam ſententiam reſtringi ad caſum, quo ſpurius non habet, unde aliàs ſe alat.

30 Infer IV. Patrem Clericum, ſeu Laicum, teneri filiæ etiam ſpuriæ dotem conſtituere. Navarrus *loc. cit. n.11.* Covarruvias *in Epitome Decret. Part.2. cap.8. §.6. n.15.* Sanchez latè *Lib.4. De Matrimon. diſp.26.* Quia, qui poteſt, & debet filiam alere, poteſt, & debet eam dotare, cùm dos ſuccedat in locum alimentorum. Bartolus *in L. Vxorem. §. Pater naturalis. ff. De leg.3.* communi calculo approbatus.

31 Infer V. Filios etiam ſpurios alendos eſſe ab hæredibus parentum. *Authent. Licet. C. De natural. Liberis.* Covarruvias *loc. cit. n.21.* Itemque à fiſco, cui ob crimen diſtinctum à crimine hæreſis, vel læſæ Majeſtatis, addicta ſunt bona patris. Bonacina *loco cit. num.10.* contra alios.

32 Infer VI. Uxorem filii eſſe alendam à patre mariti cùm nequit eam alere filius. Sanchez. *cit. diſp.26. n.21.* Ratio eſt, quia in toties citata Lege *Si quis à Liberis. §.12.* ita ſtatuitur: *Non tantùm alimenta, verùm etiam cætera quoque onera liberorum patrem ab judice cogi præbere, reſcriptis continetur.* Atqui mariti onus eſt alere uxorem. *Suprà ſect. præced.*

33 Infer VII. Etſi frater dives jure ſanguinis, & ex propria fratris obligatione compellitur ad ſuppeditanda etiam fratri illegitimo alimenta *L. Mariti ff. De Iure dotium.* Atque ita ſæpius decidit Rota Romana, teſte Bonacina *n.2.* & ego reſolvi in contingentia facti, attamen haud rectè ab eodem Bonacina hanc doctrinam intelligi de illo etiam ſpurio fratre, qui cùm ſit Doctor, poteſt ſibi aliquid comparare propria induſtria, vel exercitio. Etenim ne pater quidem obligatur id officii præſtare filio, habenti aliunde, unde ſine probro ſe alat. *Suprà n.24.* Certè *in cit. Leg. Si quis à Liberis.* 34
§. *Sed ſi filius* ita ſancitur: *Sed ſi filius ſe poſſit exhibere, æſtimare judices debent, ne non debeant ei alimenta decernere.* Et mox ſubditur, patrem non poſſe à judicibus compelli, ut alat *filium opificem, qui in ea valetudine ſit, ut operis ſuffi-cere poſſit.* Et Reginaldus *loc. cit. n.39.* meritò addit, patrem liberari obligatione alendi filii, ſi quis alius eum nutrire velit. Quare non aſſentior Azorio *cap.4. q.1.* aſſerenti, etiam caſu, quo filius per ſe ſuſtentare ſe poteſt, vel aliunde per alios quoſlibet, ei à patre alimenta deberi, ex æquitate naturali, & jure Canonico, Civilique.

Infer VIII. Patrem, qui iniquè filio ali- 35
menta negavit, non teneri ad ullam reſtitutionem filio faciendam, niſi fortè filius idcirco debita contraxiſſet. Bonacina *num.12.* cum aliis. Etenim pater non debet alimenta filio, niſi in ſubſidium, ut vitam conſervet. *cit. Leg. Si quis à Liberis.* Ergo quando vita eſt aliter conſervata, ceſſat obligatio paterna.

Infer IX. Patrem, qui in filium navantem 36
operam literis fecit impenſas, quas non tenebatur, poſſe eas à filio repetere, minuendo e.g. ejus legitimam; ſi quidem eas fecit animo non donandi. Azor *loc. cit. cap.4. q.18.* Si tamen eas non repetiit ante mortem, cenſetur condonâſſe, & ideo non poſſunt à fratribus trahi in partem legitimæ, aut addit idem, cum aliis communiter.

Infer X. Etſi filius ſpurius, nec ex teſtamen- 37
to, nec ab inteſtato, nec ex ullo contractu inter vivos, ullam bonorum, paternorum partem poteſt capere, *Authent. Quibus modis natur. effic. ſui §. ultimo.* Azor *cap.9. q.1.* ex communi jureconſultorum; attamen filios naturales patri non habenti uxorem, aut alios legitimos liberos, ab inteſtato ſuccedere in duabus unciis, ſeu ſexta parte bonorum, *cit. Authent. Quibus modis. §. Si quis autem filios habet.* Azor. *c.7. q.1.* Imò & ſpurii ſuccedunt tum abſolutè matri ignobili, tum etiam illuſtri, ſi hæc non habet alios legitimos filios. Azor *cit. cap.9.* qui eodem cap. aliiſque præcedentibus, & ſequentibus multas curioſas, & utiles quæſtiones de filiis illegitimis proponit, ſicut & de legitimis. Dicuntur autem ſpurii illi, qui nati ſunt ex concubitu legibus damnato, id eſt habito

bito inter perſonas, cum quibus nequibat ſtare Matrimonium, ut ſunt adulteri. At naturales appellantur, qui progeniti ſunt ex parentibus nulli impedimento dirimenti obnoxiis. Quanquam ſubinde confunduntur hæc duo vocabula, at nos hìc diſtinguimus. Vide poſt hæc miſſa in lucem noſtrum Henr. VVangnereck Commentario in Jus Canonicum *Lib.4. Tit.17. cap.6.* diſſerentem de naturalibus, ſpuriis, nothis, manceribus.

38 Infer XI. Eſſe à Confeſſariis graviter increpandos patres, qui ſua bona ita dilapidant, ut poſt eorum mortem, non ſint filii habituri, unde ſe honeſtè, & congruenter ſuo ſtatui alant, & filiæ cogantur matrimonia miſera inire, aut cœlibes manere.

39 Infer XII. Non videri probandam opinionem Joannis Fabri, Franci, atque aliorum Juriſperitorum, qui apud Tiraquellum *Commentar. in L. Si unquam, Cod. De revoc. donat. Gl. in verb. ſuſceperit Liberos. n.31.* adverſus Gulielm. Benedict. apud eundem. *n.40.* exiſtimârunt, filios quoque ſpirituales eſſe è patre ſpirituali nutriendos: etenim neque Leges, neque rationes, hactenus allatæ militant pro his filiis, multò minùs conſuetudo.

SECTIO III.

An alendi, de quibus eſt dubium, utrum ſint filii?

SUMMARIUM.

An integre alendus à te is, de quo dubitas, an ſit tuus filius? 41.
An ſaltem ex parte alendus? 42.
In re dubia non eſt danda certa ſententia. 44.
Dubitans, an ediderit aliquod votum, non tenetur exequi. 45.
Refertur Caſus longè riariſſimus. 47.
Quid ſi quis peccavit cum ſoluta, cum qua etiam alius? 49.
Quid in foro externo ſtatuatur? Ibid.
Filiatio non eſt plenariè probanda, quando agitur de alimentis. Ibid.
Quid ſi maritus ſciat, uxorem admiſiſſe adulterium, ideòque dubitet, an proles ſit ſua? 50.
Quid ſi illam tractâſſet ut ſuam, & nominâſſet ſuam? 50. *& infrà n.71. & 80.*
Solvitur difficile argumentum. 52. *& 53.*
An in dubio præſumatur quis legitimè natus? 53. *& 54.*
Quando duo jecerunt ſagittam in bovem inde necatum, uter præſtabit damnum? 55.
Suaſor homicidii dubitans, an homicidium ſit ſecutum ex ſuo Conſilio non tenetur ad reſtitutionem. 56.
Quid ſi quis probabiliter cenſeat, aliquem eſſe ſuum filium? 59.
Ex opinione ſpeculativa probabili non licet ſemper inferre practicam probabilem. 60.
Quid dicatur certum moraliter? 61.

QUæ de neceſſitate alendi illegitimos dixi *Sectione præcedenti*, intelligenda ſunt de illis, quos conſtat eſſe proprios filios; quia verò non ſemel ſum expertus in Sacro tribunali difficultates haud parvas, propter illos, de quibus pœnitentes dubitabant, eſſéntne revera eorum filii, an verò alterius; idcirco duo hic diſcutiam. Primum, *An quando omnibus conſideratis dubitas, ſitne hic tuus filius nec ne, tenearis illum exhibere.* Secundum, *An tenearis alere, quando eſt ſolummodo probabile eſſe tuum filium?* poſtmodum Sectione ſequenti aliqua Corollaria deducam ex dictis hac Sectione. 40

Dico itaque I. Quando omnibus conſidera- 41
tis poſitivè, & rationabiliter dubitas de aliquo puero, utrùm ſit tuus filius, nec ne, non obligaris facere in illum omnes expenſas, ad quas tenereris, ſi liquidò ſcires eſſe tuum. Ita docent Molina. *Tract. 3. diſp. 103. n.3.* Vaſquez. *1.2. diſp.66. cap.8. n.46.* Palaus *Tract. 1. diſp. 3. punct.5. n.15.* Ferdinandus Rebellius *De Obligat. Juſtit. Part.1. Lib.3. quæſt.10. n.11.* Salas *in 1.2. Tract.8. ſect.24. num.247.* Oviedus *in 1.2. Tract.5. Controv.4. punct.5.* Diana *Part.4. Tract.3. Reſol.31.* contra Azorium *Part.1. Lib.2. cap.19. quæſt.8.* & Bonacinam, *de Matrim. quæſt.4. punct.15. num.10.* ratos, quando duo carnaliter cognoverunt aliquam ſolutam, ex qua ſuſcepta eſt proles, ſed dubitatur, utrius illorum ſit ea proles, ſuſtentandem eſſe integre ab uno, ſi alter aut non poſſit, aut non velit. Ratio poſitæ concluſionis eſt, quia & limitata cauſa non niſi limitatum producit effectum, *L. In agris. ff. De acquir. rerum dominio* cauſa autem debitæ ſuſtentationis eſt paternitas, ſeu generatio, quæ utique valde limitatur, quando eſt dubia, & non certa; & videtur per ſe eſſe valde durum, atque à communi ſenſu abhorrens, dicere, quòd ex dubio fundamento oriatur tanta obligatio, quanta ex certo; eſt autem dubium fundamentum obligationis prædictæ, quando propriè dubitatur, utrùm tu ſis nec ne pater hujus. Confirmatur à fortiori ex dicendis concluſione ſequenti.

Dico enim II. Probabilius eſt, te non obli- 42
gari ad quidquam alimentorum præſtandum illi, de quo omnibus conſideratis poſitivè, & rationabiliter, ſeu ob prudentem peculiarémque cauſam dubitas, utrùm ſit tuus filius nec ne. Ita ſentiunt S. Antoninus *2. Part. Tit.1. cap.7. in fin.* Silveſter *verb. Adulterium. quæſt.5.* Armilla Fumi *eodem verb.* Navarrus *in Manuali cap.26. n.49.* Leſſius *Lib.2. De Iuſtit. cap.10.*

*n.*39. ubi teſtatur, authores ita communiter ſentire, etſi fateor, diſſentire omnes *num. præced.* relatos; illi quippe omnes cenſent, te abſolutè loquendo obligari pro ratione dubii, multum, aut parum, aut dimidium alimentorum ſuppeditare.

43 Sed refutantur I. Quia in dubio eſt melior conditio poſſidentis ſua bona. *L. Si ob turpem. ff. De condict. ob turp. cauſ.* II. Quia cùm ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potiùs, quàm Actori *Reg.* 11. *in* 6. puer autem, qui à te petit alimenta, eſt actor, tu reus.

44 Confirmo poſitam concluſionem I. Inde, quòd ſit indecens, ut in re dubia certa detur ſententia. S. Antoninus *loc. cit. ex capit. habuiſſe. diſt.* 33. ubi S. Gregorius ait: *In rebus ambiguis abſolutum non debet eſſe judicium*, videlicet ad condemnandum, ut liquet ex quæſtione in genere etiam turpitudinis, ad quam

45 reſpondet Summus Pontifex. II. Inde, quòd qui dubitat, utrùm aliquod votum ediderit, nec ne, poſſit perinde ſe gerere, ac ſi ſciret, à ſe non eſſe editum ullum votum, Suarez *Lib.* 4. *De voto. cap.* 5. Palaus *Tract.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 9. cum pleriſque apud Dianam *Part.* 4. *Tract.* 4. *Reſol.* 10. contra Vaſquez 1. 2. *diſp.* 65. *cap.* 3. & alios. Re vera enim tali homini apertè patrocinatur adductum Axioma: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, quemadmodum ex inſtituto declaravi, & probavi *in Tract. De Iubileo n.*94. ergo qui dubitat, utrùm aliquam prolem ediderit, ſeu genuerit, poteſt ſe perinde habere, ac ſi certus eſſet, nullam eſſe à ſe editam, ſeu genitam. Etenim non apparet *conſiderabile* diſcrimen inter eum, qui dubitat, utrùm ediderit votum alendi aliquem pauperem, & inter eum, qui dubitat, an ediderit, ſeu genuerit aliquem pauperem.

46 III. Inde, quod ipſemet Bonacina *loc. cit. n.*8. poſt Leſſium *loc. cit. n.*40. Filliucium *Tract.* 32. *n.*223. & alios infrà *n.*65. doceat, quando ex adultera genitus eſt puer, illum, qui rem habuit cum adultera, non obligari ad quidquam expendendum ratione illius pueri, ſi dubitat, utrùm is à ſe, an potiùs à marito adulteræ ſit genitus, probántque iſti tres authores hanc veriſſimam doctrinam inde, quòd in dubio ſit melior conditio poſſidentis libertatem ſuam, & pecuniam. Eandem doctrinam tradunt Azor *Part.* 3. *Lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 8. Palaus *loc. cit. n.*14. Molina *cit. Tract.* 3. *diſp.* 101. Fumus *Verb. Adulterium n.*7. quamvis Rebellus *loc. cit.* videatur magis conſequenter ad ſuum, horúmque auctorum principium loqui, dum etiam hunc obligat ad expenſas in alimenta faciendas pro rata dubii.

47 IV. Addo reſolutionem, quam dedère duo JC. apud Boërium *deciſione* 299. *n.*10. ad ſequentem.

Caſum rariſſimum.

DVo erant fratres eodem nomine nuncupati; qui duos habebant filios adeo ſimiles, quòd unus non cognoſcebatur ab altero, & quilibet eos, ut filios diligebat, ac filios appellabant; quorum unus in ſtudio mortuus, alter domum rediit, & hæreditatem utriuſque defuncti tanquam filius vindicabant. Quæritur an alterius tantùm, an neutrius hæreditatem habere debuerat? Dicit Pileus, quòd de rigore ſecundùm Ioannem neutrius, cum ſe filium non probet, ſed ex æquitate habebit illam, quæ ſibi magis veriſimiliter debebatur. Albericus verò tenet primam, ſcilicet rigorem, quia utrumque petendo eſt ſibi contrarius, quòd non poſſit utriuſque eſſe filius, ideo repellendus.

Ita ad verbum Boërius minimè diſſentiens. 48
Unde infero, ſi ille adoleſcens non potuit de rigore poſtulare hæreditatem alterius ex illis duobus fratribus, cùm tamen certum eſſet, illum eſſe alterutrius filium, pari ratione eſſe non improbabiliter re repellendum illum nothum, qui alimentationis partem petit ab illo, de quo ſuprà *n.*42. Si nequit petere, ergo nec hic tenetur eam illi præſtare, etenim correlativorum eadem eſt ratio.

Dico III. Etſi præcedens concluſio vera, at- 49
que intelligenda eſt etiam in caſu, quo proles illa ſuſcepta eſt ex ſoluta, cum qua duo, tréſve fuerunt carnaliter commixti, & quorum uterque ſcit, ſe perfectam copulam habuiſſe cum illa, longè tamen certior eſt, quando vel quis cum conjugata peccavit eo tempore, quo maritus cum illa habitabat; vel ob peculiarem rationem dubitat, utrùm aut ſuum ſemen ſit prolificum, aut illud immiſerit in vas fœmineum, aut mulier illud retinuerit, aut ipſe habeat proportionatum cum illa &c. Nam quando eſt peccatum cum conjugata, authores ſuprà relati fatentur, adulterum, in dubio, an ſit ipſe pater prolis ſuſceptæ, non obligari ad quidquam erogandum in illam prolem; at quando oritur, manétque rationabile dubium de immiſſione, retentione, proportione ſeminis, tum adeſt duplex cauſa dubitandi, an hic ſit pater, & idcirco adeſt duplex, ſeu geminatus titulus negandi alimenta.

Verum quidem eſt, ſi hæc cauſa deferretur ad tribunal, fore, ut judex ſingulos ex his ſcortatoribus condemnaret ad præſtandam ſaltem aliquam partem victus juxta. *L. Ita vulneratus §. Æſtimatio. ff. ad L. Aquil.* id tamen faceret, tū quia maleficia non debent eſſe impunita, ut *Ibid.* exprimit JC. tum quia quando agitur in foro de præſtandis alimentis, non oportet probare plenariè filiationem. Maſcard. *Concl.* 786. *n.* 10.

Dico IV. Quando maritus ſcit, ſuam uxo- 50
rem admiſiſſe adulterium, & omnibus perpenſis

ſis rationibus dubitat, utrùm proles, quæ poſt adulterium nata eſt, ſit ſua, an potiùs adulteri, etiam non tenetur ad ullas expenſas. Eſt quidem hæc concluſio contra auctores *n.*41. nominatos, traditur tamen ex parte à Rebello *loc. cit.* quatenus docet, adulterium in dubio, an ſuus ſit filius ille, quem enixa eſt adultera, obligari ad partem alimentorum proportione, ſeu quantitate dubii, unde conſequenter hic auctor maritum liberat parte expenſarum; verùm totaliter liberandum eſſe ante judicis ſententiam, tenent S. Antoninus, Silveſter, Navarrus, Leſſius relati *n.*42. & inde probatur, quia ei apertè favent duo principia *n.*43. expreſſa. Quòd ſi tamen maritus talem prolem tractáſſet, ut ſuam, nominaſſétque ſuam, tunc (& non aliter, inquit Maſc. *Concluſ.* 788. *n.*47. & omnes eodem teſte) eſſet præſumptio juris, illam eſſe ſuam prolem. Maſc. *Ibid. n.*6. & Covarruvias *in Epit. Part.* 2. *cap.* 8. §. 3. *n.*8. poſt alios; adeóque adforet major cauſa damnandi etiam in foro conſcientiæ maritum ad alimentationem, quia in dubio ſtatur quoad forum internum quoque præſumptionibus externi. Sanchez *Lib.* 7. *De Matrim. diſp.* 37. *n.*12. ex communi.

51 Objicies I. contra concluſionem, ex ea ſequi, ejuſmodi puerum cariturum patre, à quo alatur.

Reſpondeo eſſe quidem hoc verum, & miſerandum, non tamen dictu abſurdum, & admitti debet ab omnibus, in cauſa ſequentis concluſionis.

52 Objicies II. Natus ex adultera, quamdiu non conſtat ipſi, ſe eſſe procreatum ab adultero potiùs, quàm à marito, poteſt ſe gerere pro legitimo, ut tradunt Doctores; ergo habet jus exigendi alimenta à marito ſuæ matris tanquam a patre; ergo maritus debet facere impenſas, alioquin illud jus, ſeu illa actio foret inutilis, & daretur bellum utrinque materialiter juſtum, contra communem Doctorum cum Valentia *Tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 16. *p.* 2.

53 RESP. Etſi Vaſquez *loc. cit. n.*44. atque alii plures poſt Palaum *Tract.* 1. *cit. diſp.* 3. *punct.* 5. *n.*1. abſolutè docent, in dubio, utrùm ſit quis legitimus nec ne, præſumendum eſſe legitimum, contrarium tamen tenent Abb. *in cap. Pervenit, Qui filii ſint legit.* Decius, & alii, quos refert, ſequitúrque Maſcard. *De probationibus Concluſ.* 788. & qui allegat, ſe eſſe legitimum, id probare debet. Maſcard. *Ibid.* aliíque apud ipſum, & Covarruviam *in* 4. *Decretal. Part.* 2. *cap.* 5. §. 3. *n.*1. At Palaus *loc. cit. num.* 3. & Ovied. *in* 1. 2. *Tract.* 5. *Contr.* 4. *p.* 5. concilians has duas ſententias optimè ait, primam eſſe veram caſu, quo puer eſt Reus, & poſſeſſor, alteram caſu, quo idem puer eſt (ut in noſtra concluſione, in qua petit victum) Actor, & contendit hæreditatem habere; tunc enim debet legitimitatem probare, cùm ea ſit fundamentum ejus intentionis, quo non probato, non poteſt alios manifeſtè legitimos privare jure ſuo certo. Vide tamen infrà *num.* 83.

Quòd ſi nulla lis vertatur inter aliquos, ſed 54
quidam prætendat Ordines, aut Prælaturam, tunc reputandus eſt filius legitimus, quoties de contrario non fuerit diffamatus. Ita Palaus *n.*4. teſtans id tradi *Cap. Tranſmiſſæ, & cap. Pervenit. Qui fil. ſint legit.* Sed primus horum Canonum haud multum probat; alter nihil; ipſa tamen doctrina eſt probabiliſſima. Sed hiſce junge ea, quæ ex Fagnano referam in calce hujus capitis ſingulariter *num.* 84. Quamquam praxis Germaniæ conformiter ordinationi Trid. Concilii *ſeſſ.* 23. *cap.* 5. *De reformat.* neminem non privilegiatum admittit, ad Sacros Ordines, niſi inſtructum literis teſtimonialibus legitimorum natalium, ut etiam Conſtit. Synod. hujus Diœceſis *Part.* 1. *Tit.* 14. *n.*3. diſertè requirunt. Plura de illegitimitate petes ex Experientiis *Tract.* 8. *Caſ.* 11. in ordine ad Sacros Ordines.

Objicies III. cum Molina *cit. Tract.* 3. *diſp.* 55
103. Si duo conjecerunt ſagittam in bovem alterius, qui mortuus concidat, debet uterque pro quantitate dubii, utrùm ex ſua potiùs, an alterius ſagitta ſit mortuus bos, contribuere ad reparationem damni; ergo, & quando duo dubitant, ſitne hic ſuus filius, nec ne, tenetur uterque, pro quota dubii conferre ad ſuſtentationem.

RESP. Si unius ſagitta inflixit plagam lethalem, alterius nullo modo lethalem, & ignoretur, cujus nam ſit illa ſagitta, quæ lethalem inflixit, neutrum teneri ad ullam reſtitutionem ante judicis ſententiam; cùm meritò ſinguli dubitent, utrùm re ipſa occiderint illum bovem, & in dubio melior ſit conditio poſſidentis ſua bona, atque ſuam libertatem.

Certè S. Thomas 2. 2. *q.* 62. *a.* 7. de coope- 56
rante ad damnum ita loquitur: *Tunc ſolùm tenetur, cùm probabiliter æſtimari poteſt, quòd ab eo actio injuſta ſit ſubſecuta*; & Silveſter, Petrus Navarra, Henriquez, atque alii, quos citant Sanchez *Lib.* 2. *De Matrim. diſp.* 41. *& Lib.* 1. *Moralium. cap.* 10. atque Palaus *Tract.* 1. *diſp.* 3. *p.* 4. inficiantur, illum qui ſuaſit homicidium, teneri ad reſtitutionem, ſi rationabiliter dubitet, utrùm homicidium, quod re ipſa ſecutum eſt, fuerit ex ſua ſuaſione ſecutum. Huic reſponſioni apertè favet ratio Legis *Ita vulneratus. ff. Ad L. Aquil.* juncta Gloſſ. *ad verb. Diſputandi.*

Poteſt tamen in caſu, quem ponit Molina, 57
judex temeritatem utriuſque plectere condemnatione ad reparationem damni illati. *cit. Leg. Ita vulneratus.* Quòd ſi utriuſque ſagitta lethaliter bovem vulneravit, tollitur dubium

bium de authore necis, præsumitur enim uterque ad necem concurrisse, ut causa partialis, & uterque puniretur tamquam homicida verus, si uterque eodem modo vulnerâsset hominem, juxta cit. Leg. *Ita vulneratus. & Leg. Item Mela. §. Sed si plures ff. Ad legem Aquiliam. & cap. Significasti 2. De homicidio*; quæ jura latè explicant, distinguúntque Clarus *Recept. sentent. l. 5. §. Homicidium. à num.* 37. *ad* 42. & Andreas Gaill *Observation. l. 2. tota Observat.* 109. Quia verò non possunt, aut certè non solent duo homines esse singuli, causa partialis, seu concausa unius filii, sicuti possunt esse unius mortis, ideo illa instantia Molinæ, ut sic non convincit, quamvis probabilissimam reddat ejus opinionem. 58

59 Dico IV. Quando tibi probabile est, illum, quem enixa est mulier, cum qua carnaliter peccâsti, non esse tuum filium, sed potiùs alterius, non obligaris ullos sumptus facere in eum. Ita Lessius *Lib. 2. De Iustit. & Iure. cap. 10. dub. 6. n. 40.* dicens, hoc esse certum. Consentit Bonacina de Matrim. *q. 4. p. 15. n. 9.* Ratio est, quia licèt tunc tibi etiam fortè probabile sit, esse tuam prolem, potes tamen illam ex duabus his opinionibus speculativis accommodare praxi, magis arrisuræ tibi, ut notant uterque hic Doctor.

60 Etsi enim verum non est, quòd sicut possumus liberrimè sequi alterutram è duabus opinionibus practicis practicè probabilibus, ita possimus è duabus speculativis probabilibus alterutram liberrimè in praxin nobis gratam deducere, sicuti ex instituto probavimus *Tract. 1.* seu in Clypeo *sect. 1.* & revera errat, qui ita ratiocinatur: probabile est, valere Baptismum, quo tingitur solus digitus, ergo probabile est, esse licitum etiam extra necessitatem: licèt inquam, non possimus generatim ex opinionibus speculativis probabilibus inferre consequentias practicas nobis gratas, & commodas, eò quòd propositiones speculativæ non sint Regulæ nostrarum actionum, sed illud munus sibi vendicent enunciationes practicæ; quia tamen sæpissime id possumus, & nulla positiva ratio occurrit dicendi, nos in hac individua materia non posse, imò hactenus dicta probant à fortiore id nos posse, ideò meritò ita argumentamur: *Probabile quidem est, hunc esse meum filium: at etiam simul probabile est non esse meum, ergo non teneor illum nutrire.*

61 Porrò non probabile duntaxat, sed moraliter certum dici debet illud, quod prudenter ita creditur, ut contrarium videatur nullo modo probabile; talia enim humano more passim dicuntur certa. Quin Baldus *Consil. 71. Lib. 1.* & Menochius *De arbitr. Iudicum. l. 2. Cas. 89. num. 16.* ajunt, defendi posse testimonium illius, qui dicit, se pro certo scire id, quod novit ex solis conjecturis, & præsumptionibus à jure probatis.

SECTIO IV.

Corollaria ex præcedenti Sectione deducta.

SUMMARIUM.

An Maritus debeat præsumere illam prolem esse suam, quæ concepta est sub idem tempus, quo uxor admisit adulterium? 62.
Contra præsumptiones juris & de jure, non admittitur probatio. 63.
Quænam sint hæ? 64.
Quæ præsumptiones solius juris? Ibid.
Adulter non tenetur alere prolem illius conjugatæ, cum qua alius peccavit sub idem tempus, sub quod ipse habuit copulam maritus. 65.
Fœminis non est facilè fides habenda. Ibid.
Quid si proles referat lineamenta adulteri? 66.
An ex lineamentis probetur quem esse filium? 67. & 68.
Duo Corollaria pro Confessariis in indicatis Casibus. 69. & 70.
Quibus Casibus licitè te geris pro legitimo, iisdem adulter licitè tibi negat alimenta. 71.
Filius non tenetur credere matri, dicenti ipsum esse illegitimum. 72.
Refertur hanc in rem notabilis Casus. 73.
Quid si mater peperit septimo mense ab inito matrimonio? 74.
Nonnullæ mulieres pariunt mense undecimo à copula. 75.
Quin & quandoque decimo tertio. 76. & 77.
Refertur compendiosè longum Consilium Fagnani circa litem de legitimitate. n. 78. & seqq.
Legitimitatis quæstio etiam quando agitur de sola hæreditate, spectat ad forum Ecclesiasticum. 79.
Possessio legitimitatis relevat ab onere probandi illam. 80.
Fama probat etiam legitimitatem. 81.
Quando hæc probanda? 82.
Qualitas legitimitatis est diversa à causa filiationis. 84.
Et probatur firmiter per possessionem, vel quasi. 85.
Possessio qualitatis, quæ potuit inesse à nativitate, præsumitur adfuisse in nativitate. Ibid.
Qualitas veræ legitimitatis habet à jure assistentiam. Ibid.
Quid si quis fuit usus aliqua ut concubina, quam tamen postea duxit? An filii censebuntur in dubio esse legitimi? 86.

COrollarium I. Licèt communior opinio Covarruviæ *in 4. Decret. cap. 8. §. 3. n. 10.* Mascardi *De probationibus Conclus. 788. n. 6.* Palai *Tract. 1. disp. 3. p. 5. n. 8.* & aliorum censeat, maritum, qui uxorem suam cognovit, circa illud tempus, circa quod eandem cognoverunt alii, non posse dubitare, sed debere judicare, & præsumere, prolem sub illud tempus conceptam, esse revera suam, eò videlicet, quòd in favorem prolis, & matrimonii sic statui, & pro juris præsumptione habendum decerni videatur. *L. Quia semper. ff. De in jus vocando*, & clariùs *L. Miles. §. Defunct. 8. ff. ad L. Iuliam de adulter.* Quia tamen S. Antoninus *p. 2. Tit. 1. c. 7. in fin.* Silvester *Verb. adulterium. q. 5.* & Navarrus *In Manuali cap. 16. n. 49.* ab onere faciendi sumptus in puerum differè eximunt illum maritum, cujus uxor *est levis, & solita cum aliis adulterari*, ideo potest & negari ejusmodi præsumptio tam indeterminata, & Confessarius in praxi accommodare se horum trium summorum Doctorum sententiæ, si nequeat persuadere pœnitenti praxin contrariæ; cùm præsertim cit. lex: *Miles* quam ita urgent Jure consulti, revera plus non dicat, quàm quòd *possit & mater esse adultera, & simul ejusdem proles ab ipsius marito esse genita*, nullo autem modo tradit lex, esse id præsumendum. 62

63 Est autem talis pœnitens adhuc tutior, si suppetant ipsi insuper aliæ peculiares rationes dubitandi. Etsi enim contra præsumptiones juris, & de jure non admittantur facilè probationes. Everh. in locis, *loc. 11. n. 19.* Tuschus *lit. P. Concl. 614.* referentes aliquas exceptiones, & Covarruvias *loc. cit.* maritum autem esse verum patrem prolis ex sua uxore, quantumvis adulterâ conceptæ eo tempore, quo is cum illa habitabat, sit, ut dixi, ex communi interpretatione Jureconsultorum, quamvis sine firma lege, præsumptio non juris tantùm, sed etiam juris, & de jure, ut singulariter exprimit Masc. *loc. cit. n. 35.* & Hipp. apud Covarr. *loc. cit.* rectè tamen monet Covarruvias contra Hippolytum, posse etiam in hoc casu admitti probationes in contrarium, cùm præsertim, ut dixi, nulla lex clarè patrocinetur illi præsumptioni Juristarum, eámque neget summus Jurista Navarrus post Sylvestrum, & S. Antoninum juris peritissimos.

64 Porrò præsumptio juris *tantùm* est ea, super qua jurislator animum applicat ex verosimili, transferendo onus probandi in adversarium. Et hujus præsumptionis effectus est, ut ex ea is, contra quem præscriptio est, condemnetur, nisi per eum probetur contrarium. Everh. *loc. cit. n. 19.* Præsumptio autem *Iuris, & de Iure* dicitur illa, quæ inducitur à jure, & super ea statuitur, ut ei stetur. Idem *Ibid.* Vide etiam Sanchez *Lib. 7. disp. 37. n. 8.*

65 II. Coroll. Adulter, qui adulterium admisit tempore, quo maritus domi habitabat, non tenetur credere, prolem ex adultera natam, esse suam, quantumvis adultera asseveret esse ejus. Bellovisius, & Alciatus, quos refert, sequitúrque Gottofredus *in cit. Legem Miles. ff. Ad Leg. Aquiliam*; & proinde non est à Confessario compellendus ad ullas expensas faciendas in filium adulteræ. Henriquez *Lib. 11. cap. 21. num. 3.* Bonacina *De Matrim. q. 4 p. 15. n. 8.* Lessius *Lib. 2. cap. 10. num. 39.* Palaus *Tr. 1. disp. 3. Punct. 9.* Molina *Tract. 3. disp. 10.* Ratio est; quia major pars Doctorum, quos, hoc argumentum tractans refert, sequitúrque Menochius *De Arbitr. Iudicum. Lib. 2. Cas. 89.* existimat, talem prolem esse à marito adulteræ habendam pro indubiè sua; ergo est adultero perquam probabile, illam non esse suam. Adde, quòd & mulieribus non sit facilè fides habenda. Nam *varium, & mutabile testimonium semper fœmina producit.* Text. *Cap. Forus. De Verb. signif.* & quando à pluribus intra breve tempus cognitæ sunt, ignorent ex quo conceperint. Henriquez *loc. cit.* Quare meritò negat Lessius *loc. cit.* adulterum esse adigendum ad ullos sumptus, nisi ipse moraliter certus sit, prolem esse suam; utique autem moralem certitudinem non parit dictum mulieris adulteræ.

Extendit autem Bonacina *loc. cit.* hoc Co- 66
rollarium etiam ad casum, quo adultera illam suam assertionem firmat juramento, atque ejus proles refert lineamenta adulteri, citátque pro ea extensione Henriquezium, Molinam, Lessium *loc. cit. n. 42.* Filliucium *Tract. 32. n. 223.* nullus tamen horum exprimit hanc extensionem.

IV. Corollarium. Itaque licèt, quando filius 67
adulteræ refert Imaginem adulteri, eique similis est, probabilis conjectura habeatur, quòd ipse sit ab adultero genitus, eò quòd communiter quis sit filius (aut frater) illius, cujus lineamenta refert. Palaus *loc. cit. p. 5.* & apud ipsum Alciatus; ob quam rem censent non immeritò hi, aliique auctores, cæteris paribus præsumendum esse quempiam filium illius, cui assimilatur, & de quo dici potest.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;

Quia tamen & Bartolus *In Leg. Gallus n. 14.* 68
ff. De Liberis & postum. rectè observat, ac Menochius *De Arbitrar. Iudicum Lib. 2. Cas. 89. à n. 98. ad 102.* bene probat, illam assimilationem persæpe provenire ex sola imaginatione matris; ac denique Azor *Part. 3. Lib. 5. cap. 6. q. 4.* post Sotum, itémque Mascardus *Conclus. 792. n. 9.* meritò notat, hoc signum esse aliquando fallax, atque idcirco Bartolus illud nihili, Sotus, Azor, Menochius, Mascardus, Bonacináque parvi faciunt, saltem quando adhibetur ad probandam illegitimitatem, ideo poterit tam adulter, quàm maritus, nixus authoritate horum Doctorum negare, te esse suum filium, esto sis ipsi persimilis, modò non concurrant alia fortiora indicia, ac testimonia. Nam similitudo oris sola conjecturam non facit, sed qualemqualem suspicionem, inquit,

quit, Menochius *loc. cit. n.* 102. seu aliqualem præsumptionem teste Mascardo *loc. cit.*

69 V. Corollarium. Quando quis confitetur. se cum conjugata peccâsse carnaliter, non est necesse, ut Confessarius quærat, an non eam imprægnârit, sicut nec ipsam adulteram confitentem sua adulteria, opus est, ut interroget, an non conceperit ex adultero, vel adulteris; quoniam etsi non rarò id fit rarò tamen sciunt ipsæ adulteræ, rarissimè adulteri. Quamquam nil oberit, si ad emendandos assuetos adulteriis, proponatur gravissimum periculum ingentium injustitiarum, quæ sequerentur, si fortè ex adulterio nasceretur proles una, vel altera.

70 VI. Corollarium. Patet non errâsse practicè illum Confessarium, de quo

Hic Casus.

QVi Confessarius juvenem confitentem, se aliquoties usum Commercio carnali alicujus puellæ, & postquam vidit imprægnatam, profugisse, ne fortè adigeretur ad alendam illam prolem, quam ipse non agnosceret suam, eò quòd sciret, plures alios cum eadem puella dormivisse, absolvit, non intimando ipsi ullam obligationem sustentandi prolem nascituram; fuit quippe memoratus Confessarius secutus doctrinam allatam *n.* 42. & 49.

71 VII. Corollarium. Quibus in casibus potest quis ex opinione probabili Doctorum aliquorum gerere se pro legitimo, iisdem potest adulter, qui matrem illius cognovit, gerere se pro non patre ipsius, nisi adulter liquidò sciret, se esse ejus patrem. Ratio est, quia sicuti dispositum de uno correlativo, censetur esse dispositum de altero. *Leg. fin. C. De indicta viduit. in princ.* ita quod hîc probabiliter dicitur de filio, probabiliter etiam pronunciabitur de patre. Atque adeò poterit adulter quandoque trahere in suum commodum duplicem doctrinam. Primam Covarruviæ *in* 4. *Decretal. Part.* 2. *cap.* 8. §. 3. Menochii *De Arbitr. Iudic. cit. Cas.* 89. Palai *Tract.* 1. *disp.* 3. *Punct.* 5. asserentium, illum habendum esse pro legitimo, quem aut duo testes dicunt esse talem, aut mater cum marito tractavit ut legitimum, aut nominavit (modò aliquod adminiculum accedat ad hanc nominationem) suum filium.

72 Alteram tam magnorum, multorúmque Theologorum, & Legistarum, qui cum Vasquez 1, 2. *disp.* 66. *cap.* 8. *n.* 44. absolutè dicunt quoties dubium est, utrùm quis sit illegitimus nec ne, esse reputandum pro legitimo, sive de suscipiendis ordinibus sacris agatur, beneficiisque Ecclesiasticis, sive de adeunda possessione Regni, exclusis, quos constat esse legitimos, & addunt cum Molina *Tract.* 3. *disp.* 101. ac Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *Part. disp.* 50. *sect.* 5. rem hanc fuisse explicantibus, non teneri filium credere matri suæ, dicenti ipsum esse furto genitum, etsi id dicat constituta in extremo agone, & quidem jurejurando firmet, sicuti addit Bonacina *De Matrim. quæst.* 4. *p.* 15. *n.* 8.

Declarant hanc alteram doctrinam Co- 73
varru. *In Reg. Peccatum. Part.* 1. §. 1. *num.* 8. *& in fin.* & Menoch. *cit. Cas.* 89. *n.* 29. post Alciatum.

Exemplo Mulieris Avenionensis.

QVæ, ut verbis Covarruviæ factum referam, *cùm plures liberos haberet, quorum unus esset adulterio conceptus, eis accersitis ad mortem veniens dixit: Filii mei, unus ex vobis natus est ex adulterio, & ideo bona mei mariti defuncti detinet indebitè, ego verò priusquam ex hac vita migrem, ne moriar in hoc peccato, eum vobis nuncupare intendo, nisi vos invicem remiseritis omne jus, quod habet alter adversus alterum; tunc filii, cum quilibet de seipso dubitaret, mutuò seipsos ab eo onere absolverunt, jusque invicem remiserunt.*

Porrò censet Covarruvias, ut liquet ex iis, quæ *Ibid.* vers. *Secundo illud* disserit, atque Menochius *loc. cit.* filios non fuisse obligatos credere matri tametsi tunc juranti, ut addit Covarruvias, ac proinde matrem non fuisse obstrictam aperire ipsis suum adulterium, ut rectè Covarru. quia leges non imperant actus inutiles *cap.* 2. *dist.* 4.

VIII. Corollarium. Tametsi tua uxor pe- 74
pererit septimo mense, postquam ipsam cognovisti, aut ineunte undecimo mense, postquam illam ultimo cognovisti, non tamen idcirco illam pro adultera, vel prolem pro spuria habere potes, cùm etiam soleant gigni infantes, qui non nisi sex menses, alii, qui ultra decem menses in utero materno hæserunt.

Hinc Aristoteles *Lib.* 7. *De animal. cap.* 4. 75
docet, esse mulieres, quæ decimo, imò quæ undecimo mense pariant; & Joachimus Mynsingerus *Centuria* 6. *Observ.* 40. apud Laymannum *Lib.* 5. *Tract.* 10. *Part.* 3. *cap.* 5. *num.* 23. sic loquitur. [Si post contractas nuptias ante septimũ mensem nascatur, non legitimus censetur. Argum. *L. Septimo ff. De statu hominum.* Rursus, si post mortem, aut divortium exacto decimo mense, non initio mensis undecimi, sed sub finem illius, aut postea proles nascatur, non legitima censetur. Si autem intra dicta temporum intervalla proles edatur (nisi aliud quidpiam obstet) pro legitima habenda est.] Ita Mynsingerus, qui videtur eam doctrinam mutuatus à Bartolo, *in citatam Leg. Gallus ff. De Liberis, & postm.* n. 14. Quo loco idem Bar- 76
tolus addit ex Cyno, quòd Magister Gentilis asseruerit aliquid mirabile, quòd scilicet, quandoque etsi rarò contingat, ut mulier duodecimo,

decimo, imò decimo tertio mense pariat. Quod tamen dictum negat Bartolus admitti à jure civili.

77 Lege sis Gulbertum Costanum *De dotibus n.* 33. ubi refert ex Gellio *Lib.* 3. *Noct. Attic. cap.* 16. ac Plinio *Lib.* 7. *cap.* 5. honestam mulierem undecimo, aliam decimo tertio mense ab obitu mariti peperisse. Vide etiam Menochium *De arbitr. Iudic. Cas.* 89. *An.* 34. tractantem prolixè hoc argumentum, & constanter cum aliis contra alios negantem, esse pro legitimo habendum, qui natus est quarto, vel quinto die mensis undecimi à Conceptione, seu à mariti valentis, & vegeti morte planè repentina.

78 Cæterùm quia in Experientiis *Tract.* 8. seu de Ordine *Cas.* 11. cùm ageremus de ordinatione illegitimi, remisimus Lectorem ad hoc vigesimum octavum caput hujus Tractatus, ac non semel expertus sum, ipsos quoque Theologos solere consuli super quæstione de legitimis natalibus, dabo hoc loco Summarium eorum, quæ Fagnanus conscripsit in Cap. *Lator Qui fil. sint legit.* quæ, inquam, circa causam legitimitatis, diu multúmque agitatam in Curia Romana, scripsit tam solidè, ut propter rationes ab eo in medium adductas pro quodam Marchione Pallavicino, cujus legitimi natales vocabantur in controversiam, ipsamet Rota Romana revocârit die 27. April. Anno 1622. sententiam, quam tulerat die 26. Martii. Anno 1618. (ut testatur idem Fagnanus *n.* 4.) adversùs dictum Marchionem. Consistit autem Compendium illius Consilii (cujus ego Synopsin propter recentissimum, & incredibilem Casum refero in illa mearum Experientiarum Theologicarum Editione quinta, quæ in eadem Officina Typographica, in qua hic ipse Quinarius, elaboratur eodem, tempore. *Tr.* 10. *n.* 197.) præcipuè in his punctis.

79 I. Legitimitatis quæstio apposita petenti hæreditatem (& à fortiori petenti promoveri ad Sacros Ordines) est ad Ecclesiasticum judicem remittenda, quandoquidem causa legitimitatis est merè spiritualis *num.* 1. *&* 2. quod etiam multi scribunt esse verum, licèt agatur de solo facto. At multùm dubito, an hæc doctrina sit usu recepta in nostra Germania.

80 II. Possessio vel quasi legitimitatis relevat à probatione hujus, ita ut qui vel fuit constanter habitus pro legitimo, vel possidet bona paterna eo modo, quo legitimi; vel natus est de ea, quæ habebatur vera uxor, sit dicendus esse in possessione quasi legitimitatis *n.* 4. ita quidẽ ut singula horum trium titulorum sufficiant ad inducendam illam possessionem. Idem *Ibid.*

81 III. Singulariter autem prædictam possessionem tribuit nominatio, & tractatus, quando videlicet parens nominavit legitimum, vel tractavit illum eo modo, quo solent legitimi; quæ quidem nominatio sola tametsi ita nominato non patrocinatur adversus tertium, quando est simplex nominatio, & incidens assertio parentum, si tamen ea nominatio sit facta propter se, & conjuncta cum institutione, sufficit ita nominato, ut si sit possessor legitimitatis, non teneatur probare suos legitimos natales, sed possit onus rejicere in adversarium, quia videlicet talis nominatio est verus tractatus seu tractatio, quæ tractatio & est plus quàm nominatio, & operatur etiam in præjudicium tertii *n.* 18. 19. 20. 21. modo non interveniat tractatus contrarius *n.* 18. & singulariter quidem tunc operatur tractatus tale præjudicium, quando cum tractatu concurrunt alia adminicula *n.* 22.

IV. Quod si pater plures habens filios, quo- 82
rum alii sunt legitimi, alii solùm legitimati, in suo testamento aliquos appellet *naturales, & filios simpliciter*, alios *autem filios legitimos, & naturales natos ex se, & uxore sua*, debent, quidquid alii judicârint, hi posteriores haberi non pro legitimatis, sed pro verè legitimis, imò etiam pro talibus, tametsi parens ita eos sine ulla distinctione inter naturales, filiósque simpliciter, & inter filios legitimos, naturalésque nominâllet, hæc enim ultima verba simpliciter prolata intelliguntur de filiis legitimè procreatis. *n* 15.

V. Famâ quoque probatur legitimitatis quasi- 83
possessio, saltem quoad hoc, ut *onus* probandi rejiciatur in adversarium *n.* 41. quæ quidem fama probatur per testes deponentes verba: *Publicè & palam dicebatur num.* 38. Nec est necessariò probanda in loco originis, sed sufficit in loco, ubi filius fuit educatus, vel conversatus. *n.* 39.

VI. Porrò legitimitatis qualitas est diver- 84
sa à qualitate filiationis, & ex quasi-possessione unius non infertur quasi-possessio alterius. *n.* 75. adeóque filiationis quasi-possessio non relevat ab onere probandi legitimitatem. 75.

VII. At verò qualitas legitimitatis, quando 85
quis est in hujus possessione, vel quasi, firmiter probatur tam in possessorio, quàm etiam in petitorio hac generali, receptáque doctrina, quòd qualitas nunc inexistens præsumatur inextitisse à nativitate, si potuit tunc inexistere. *n.* 10. Nam possessio alicujus status transfert onus probandi non inesse, in adversarium, quando illa qualitas quæ inest, fuit apta inesse ab origine rei *num.* 11. ex Bartolo & Baldo. Et ex Juribus constat, existentem in possessione libertatis, servitutis, vel alterius similis qualitatis, sive agat, sive conveniatur, non teneri probare se fuisse ab origine Nativitatis in quasi-possessione; quia cùm potuerit aptè nasci liber, aut servus, & nunc absque dolo reperiatur in quasi-possessione hujusmodi qualitatis,

taris, liberatur onere probandi, idque transfert in adversarium, *n.* 12. Unde quia vera legitimitas non solùm non repugnat origini, & primo statui filiationis, imò ipsi apprime convenit, cùm præsumptio sit, filium esse ex legitimo Matrimonio natum. *n.* 13. ex Menochio & aliis, qualitásque veræ legitimitatis habeat juris assistentiam, siquidem copula carnalis præsumitur fuisse licita potiùs, quàm illicita, & ex honesta conjectura inhonesta præsumptio favore prolis innocentis excluditur, idcirco qui nunc est in possessione legitimitatis, censendus est, fuisse natus ex vero
86 matrimonio. *num.* 14. *&* 15. Súntque hæc vera, etiamsi constet, matrem illius, de qua hic est sermo, fuisse prius concubinam, & primùm post concubinatum veram uxorem patris; etsi quippe sit possibile, quòd fuerit natus ipse ex matre concubina adhuc, non tamen hic attenditur ista possibilitas, ut rectè declarat Everhardus in loco à tempore ad tempus. *n.* 20. sed titulus possessionis excludentis considerationem possibilitatis hujus *num.* 16. Hæc & plura eruditè, & sapienter Fagnanus, quibus confirmantur ea, quæ de præsumptione legitimitatis in dubio dixi tum superius, tum in citato Alphabet. Ordinis, seu *Tract.* 8. Experientiarum Theologicarum, & singulariter *in Tract.* 9. Append. ad Casum XVII. ad *n.* 449. lit. X. ubi superiores doctrinas applico casui valde perplexo.

V. V.

FUSTIBUS SAE VISSIME VERBERAVIT &c.

CAPUT XXIX.

Uxor à Viro, filius à parentibus quomodo castigandi?

SECTIO I.

Quomodo uxor castiganda à viro?

SUMMARIUM.

Maritus licitè castigat verbis Uxorem. 1.
Qualia debeant esse illa verba? 2.
Convitium, & contumelia formalis est verbum prolatum cum intentione inhonorandi. 3.
Potest maritus etiam punire verbis uxorem. 4.
Qualia autem debeant esse illa verba? 5.
Quando peccent mortaliter mariti petendo uxores convitiis? 6.
Quid censendum de convitiis, quibus mutuò petunt mulieres plebeiæ? 8.
Maritus licitè verberat uxorem. 9.
Adfertur duplex fundamentum hujus rei. 10.
Potestas coërcendi, & castigandi est primariò penes communitatem perfectam. Ibid.
Qualis debeat esse verberatio uxoris? 11. *& seq.*
Debet esse rara. 14.
Et primariò correctionis solius causa. 15.
At quandoque tamen causa punitionis. Ibid.
Paterfamilias castigare potest verberibus peccata jam emendata. 16.
Quandonam censeatur maritus graviter, adéoque illicitè verberare uxorem? 17.
Quæ Uxores sint singulariter corrigendæ gravibus verberibus? 18. *& seq.*
Quinam dicantur tyranni *conjugum?* 20.

QUæres I. *Sitne màrito fas uxorem verbis castigare, & quatenus?* 1

RESP. I. Uxorem delinquentem potest, & quandoque tenetur maritus corripere verbis. Ratio est, quia maritus est caput uxoris. *ad Ephes. 5. 1. Corinth. 11. & cap. Hæc Imago. 33. q. 5.* Et debet uxor ei subdita esse, sicut domino *Ephes. 5. vers. 23.* Est autem capitis', & domini corripere illos, quorum est caput, & dominus, ut patet à fortiori per ea, quæ de correptione fraterna disserit S. Thom. 2. 2. *q.* 23. per totam. Et denique Deus mulieri comam dedit ad memoriam subjectionis. Cap. *Quæcunque dist. 30.* & dum fœminæ maritantur, ideo velantur, ut noverint, se semper maritis suis subditas esse. Cap. *Fœminæ 30. q. 5.*

II. Verba, quibus maritus uxorem corripit, 2
possunt quandoque continere convitium, & contumeliam materialem. Ratio est: *Quia sicuti licitum est aliquem verberare causa disciplinæ, ita etiam & causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere. Et hoc modo Dominus discipulos vocavit stultos, & Apostolus Galatas insensatos.* Ita loquitur S. Thom. 2. 2. *q.* 72. *art.* 2. *ad* 2.

III. Convitio, & contumeliâ formali non 3
debet maritus uti in uxorem. S. Chrysost. in Epist. 1. *ad Corinth. Homil. 26. sub. fin.* Ratio est, quia convitium, & contumelia formalis est verbum prolatum, cum intentione inhonorandi. S. Thomas *loc. cit. in Corp.* Atqui maritus non habet jus inhonorandi uxorem, seu ejus honorem minuendi, auferendíque, cùm non habeat jus illam injuriandi. Toletus *Lib.* 5. *cap.* 2. Reginaldus *Lib.* 20. *n.* 47. Itaque convitia illa debent esse solum materialia, id est, animo corripiendi, vel puniendi. Dico: *vel* 4
puniendi; sicuti enim potest quandoque maritus uxorem percutere, non solius correctionis, sed etiam punitionis gratia ut mox ostendam, ita etiam verbis materialiter injuriosis ob punitionem. Argum. doctrinæ jam primùm ex. S. Thoma allatæ.

IV. Con-

5 IV. Convitia, quibus maritus uxorem corrigit, aut punit, debent non continere infamiam. Navarrus in Manuali *cap.* 14. *num.* 19. Sayrus *in Clavi Reg. Lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 9. Reginaldus *loc. cit.* Filliucius *Tract.* 28. *Part.* 2. *cap.* 9. *n.* 141. Ratio est, quia cùm quisque sit dominus suæ famæ, S. Thomas 2. 2. *q.* 73. *art.* 4. *ad* 1. & ex instituto Covarruvias *Variar. Resol. Lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 8. ac Lessius *Lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 11. *n.* 59. & latè Molina *De Just. Tract.* 4. *tota disp.* 2. huic autem dominio non cedant uxores mariti, nec hi ex fœdere conjugali ullum jus in id acquirant, efficaciter infertur, maritum graviter delinquere, quando in uxorem jactat verba denigrantia multùm ejus fa-
6 mam. Quin etiam tunc graviter delinquit vir, quando correptionis gratia admodum atrocibus convitiis, contumeliisque conjugem petit. Sayrus, Reginaldus, Filliucius *ll. cc.* Si videlicet ea convitia notabiliter excedant moderamen justæ correptionis, aut punitionis. Ratio est, quia nullæ leges humanæ, aut divinæ permittunt ei, ut excedat moderamen prædictum.

7 V. Hinc inferes, longè certiùs, & graviùs à maritis peccari, quando non justæ correptionis, sed propriæ vindictæ causa, vel ex alio malo affectu suas uxores vocant sagas, meretrices, adulteras. Et quidem communiter sunt damnandi de peccato mortali, qui uxores nobiles, aut valde honestæ familiæ compellant ejusmodi cognominibus; si autem rustici, aut vulgares opifices, hisce phrasibus quandoque salutent tori consortes, tametsi Bertholdus Berteau *in Directore Confessar. in 4. Decalogi præcepto,* absolutè lethalis delicti reum pronuntiat maritum, qui uxorem vocat eanem, meretricem, sagam, non judico tamen, ab iis communiter admitti crimen lethiferum, quia uxores plebeiæ sunt assuetæ ejusmodi complimentis, ac proinde non curant magnopere, quia ab assuetis non fit passio. Excipe, nisi fortè vel identidem ingerantur illa convitia, vel ab uxoribus putentur jactari seriò, & ex quadam suspicione veneficii, adulterii &c. hoc enim casu gravissimè sentiunt, & proinde gravissima fit illis injuria.

8 Ex quo breviter deduces, quando plebeiæ mulieres in jurgio vocant se mutuò sagas, meretrices &c. non esse à Confessario mox judicandas contraxisse culpam lethalem, quoniam ut dixi, hæc convitia sunt inter plebeculæ, seu infimæ sortis homines vulgaria, & communiter parùm curantur, quando in jurgio, atque ita proferuntur. Argum. *Legis: Quidquid calore. ff. De Reg. Iuris.*

9 Quæres II. *An, & quatenus sit viro fas verberare uxorem?*

RESP. I. Marito competit jus uxorem verberandi. Ita docent passim Canonistæ, quos refert, ac sequitur Sanchez *De Matrimon. Lib.* 10. *disp.* 18. *n.* 16. Iremque Theologi, quos nominant, assectantúrque Sayrus *in Clavi Regia Lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 8. Bonacina *De Legibus, seu in* 4. *præcept. Decalogi, disp.* 6. *q.* 2. *unic. p.* 7. *n.* 2. Ferdinandus de Castro Palao *disp.* 3. *De Matrim. punct.* 5. *§.* 3. licèt videatur dissentire Gloss. *In Cap. Duo ista.* 34. *q.* 4. Alex. *Consil.* 115. *n.* 2. Tiraquell. *Legum connubial. Lib.* 8. *n.* 10. *& seqq.* quibus favet S. Chrysost. *cit. Homil.* 26. *in* 1. *ad Corinth.*

Hujus, & sequentium, ac subinde præce- 10
dentium responsionum duplex est hoc fundamentum. Primum, quòd vir sit caput uxoris, ejúsque Superior, & quasi Magister. *Suprà num.* 1. Atqui capitis, & Superioris est membra, & subditos etiam verberibus castigare Argum. *Leg. Sed & si. §. fin. ff. Ad Leg. Aquil.* ubi dicitur: *Levis duntaxat castigatio concessa est docenti.* Secundum, quòd familia sit communitas quædam, etsi imperfecta. S. Thom. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 2. cui imperfectæ communitati cùm præsit vir. S. Thom. *ibid.* habet potestatem pœnis coërcendi eos, quibus ipse præest, ut rectè infert idem S. Thomas. Non tamen majorem, quàm permittat communitas perfecta. Palaus *loc. cit.* eò quòd in hac primariò resideat potestas coërcendi, & castigandi. Idem *Ibid.*

II. Illa igitur verberatio debet esse non fæ- 11
va. Abbas *In Cap. Quemadmodum. De Iurejur. §. Illud autem num. ultimo.* Non acris. Bonacina *loc. cit.* Reginaldus *Lib.* 31. *n.* 317. Non gravis. Silvester *Verb. Vxor q.* 3. Petrus Navarra *Lib.* 2. *De Restitut. cap.* 3. *n.* 467. Toletus *Lib.* 5. *cap.* 2. Filliucius *loc. cit.* Nec immoderata. Alex. *loc. cit. n.* 3. Sanchez, Reginaldus, & Palaus *ll. cc.* sed prudens, & charitativa. Berteau *loc. cit.* adeóque levis Alex. *loc. cit.* S. Thom. *loc. cit.* Sayrus *loc. cit.* Laymannus *Lib.* 5. *Tract.* 10. *Part.* 3. *cap.* 2. *n.* 7. Palaus *loc. cit.* Hostiensis, & Gofredus apud Silvestrum *loc. cit.* nec scio, qui gravem verberationem permittat.

Ratio est, quia uxor peccavit aut leviter, aut 12
graviter. Si leviter, tum utique non est graviter punienda, cùm & *pœna metienda sit ex culpa. Cap. Felicis, De pœnis in* 6. *& cavendum sit, ne pœna major sit quàm culpa.* Cicero *Lib.* 1. *De Offic.* Si autem graviter peccavit conjux, tum usus docet, à perfecta communitate non permitti imperfectæ jus graviter puniendi, sed gravem punitionem irrogandam esse à Magistratu, habente perfectam potestatem coërcendi. S. Thom. *loc. cit.* Confirmatur decisione Legis *Sed etsi*, suprà adductæ. Unde non 13
modò peccat mortaliter maritus, quando graviter cædit uxorem, etiam correctionis causa. Petrus Navarra, & Filliuc. *ll. cc.* sed etiam tenetur ei restituere tertiam partem donationis propter nuptias. Text. *Authent. Si quis autem*

§. *Vt licèat matri, & aviæ. Collatione* 8. Quamquam fateor, hanc pœnam hac ætate non esse usu receptam, cùm tamen atrox verberatio uxorum sit non infrequentissima.

18 III. Illa levis verberatio debet esse rara. Sanchez, & Reginaldus *ll. cc.* Et non nisi gravi, urgentíque ex causa. Iidem *Ibidem.* Petrus Navarra *loc. cit. n.* 467. Abb. *loc. cit.* Hostiensis & Gofredus apud Silvestrum *loc. cit.* Ratio est, tum quia uxor est viri socia. *Genes. 3. vers.* 12. S. Chrysostom. *cit. Homil.* 16. & non mancipium. S. Chrysost. *loc. cit.* tum quia alioqui turbaretur nimis sæpe pax domestica; tum denique, quia Apostolus *ad Ephes. 5.* jubet, ut viri diligant uxores suas. Atqui charitas nec facilè, nec crebrò irritatur, aut cogitat malum. 1. *Cor.* 13. multò minùs irrogat illud. Unde providè monet Navarra *num.* 467. & Sayrus *loc. cit.* uxorem delinquentem debere priùs verbis, quàm verberibus corripi, & Palaus *loc. cit. n.* 4. notat, expedire, ut sit levior castigatio quàm mereatur delictum.

19 IV. Illa eadem verberatio potest suscipi imprimis correctionis gratia, ut docent omnes hactenus citati; deinde etiam, & quandoque gratia solius punitionis commeritæ. Petrus Navarra *loc. cit. n.* 462. Laymannus *loc. cit. n.* 7. Bonacina *loc. cit. punct.* 8. *n.* 10. Palaus *loc. cit. n.* 2 contra Sotum; potestas enim maritalis extendit se ad punienda leviter delicta subditorum, sicuti potestas Publica ad graviter plectenda gravia peccata inferiorum. Et ita fert

20 consuetudo. Unde colligunt hi Doctores, posse à patrefamilias verberibus castigari subditorum peccata, plenè emendata. Censeo tamen, practicè loquendo occurrere rarò causam, omnibus spectatis sufficientem ad ejusmodi vindicativam punitionem.

21 V. Porrò tunc censetur maritus graviter, atque adeò illicitè uxorem percutere, quando eam cædit graviùs, quàm consuetudo, loci permittat; ea enim spectanda etiam est hic. Palaus *loc. cit. n.* 3. Atque adeò, quando eam cæditfuste, aut flagellis, nisi admiserit delictum sufficiens ad repudium. Text. notabilis, & express. *in cit. Authent. Si quis autem.* Unde Palaus *loc. cit.* peccati mortalis damnat, qui absque causa gravissima urgente cædit flagris uxorem, etiamsi illa verberatio sit in suo genere levis, & moderata, eò quòd sit servorum propria, & ingenuis non nisi in minori ætate inferri solita. Et præmiserat idem auctor. [Uxorem cædere alapis, conculcare pedibus, fuste percutere, rarò permitterem, quia hæ pœnæ si frequentes sint, graviter repugnant conjugali affectui, & timori.] Alexander verò *cit. Cons.* 115. *n.* 3. resolvit, quemdam Petrum irrogâsse atrocem injuriam uxori suæ Antoniæ, quando eam *pedibus percussit in capite, seu super oculo, & in murum projecit cum sanguinis effusione*, esto habuerit justam causam corripiendi.

Porrò existimo, à Confessariis, aut Magi- 18
stratu, non reprehendi maritos, qui plebeias (etenim inter has, & Nobiles faciendum esse discrimen monet rectè Palaus *loc. cit.*) uxores merobibulas, seu ebriosas, itémque suspecta consortia vitare nolentes, post leviorem pœnam sine effectu illatam fuste converberant, ut biduo, triduóve duret verberum aliquis sensus. Præmiserat autem Palaus *n.* 2 & Laymannus *loc. cit. n.* 6. pœnam, qua vir uxorem castigat, esse debere leviorem ea, quàm leges patri permittunt in filium, eò quòd hæc sit socia viri. Suprà *n.* 14. Item Silvester *loc. cit.* ne- 19
gat, fas esse marito laico, uxorem vinculare, seu vinculis astringere, licèt id juris in uxorem Clerico conjugato permittatur capitulo *Placuit 33. q.* 2. Subtractione cibi esse plerumque corrigendos defectus ordinarios uxorum putat Baldellus *loc. cit.*

Ex his omnibus inferes, tyrannos, ut etiam 20
nuncupat ipse Papa *Cap. De his, quæ vi.* potiùs quàm maritos dici, & à Confessariis severè, serióque corripi debere conjuges illos, qui imitati sævitiam Sulpitii Merulæ, in Accusat. Canonica *lit. V. V.* indicatam, pugnis aut fustibus in miseras uxores crebrò, & absque legitima causa, ita grassantur, ut hæ per plures dies vultum livore, tergum vibicibus notata circumferant. Et verò non autumo, inter sex, vel septem carnifices tales veriùs, quàm conjuges, reperiri unum, cui uxor semel in Anno suppeditet rationabilem causam ejusmodi crudelitatis. Vide de uxoris verberatione plura infrà *cap.* 34. & duos notabiles Casus in Experientiis *Tract.* 10. *Cas.* 20.

SECTIO II.

An, & quatenus parentes licitè filios castigent?

SUMMARIUM.

Pater licitè castigat filium verbis. 21.
Bona corporis sunt ex se nobiliora bonis honoris. Ibid.
Qualia debeant esse verba, quibus pater filium corripit? 22. & 23.
Quid censendum de maledictionibus parentum in filios? 24.
Quid doceat hac in re experientia? 27.
Exhibentur octo Aphorismi pro Confessariis confitentium, se aliis esse imprecatos malum. 29. & *seqq.*
Generalis ratio, ob quam Confessarius possit stare illis Aphorismis. 37.
Tenetur tamen, quandoque non stare illis omnibus. 39. *Male-*

Maledictiones prolatæ ex odio sunt probabiliter omnes ejusdem speciei. 40.
Etiam verberibus castigatur licitè filius. 41.
At qualibus? 42.
Quinam patres, & Ludi Magistri sint carnifices filiorum, ac discipulorum? 43.
Etiam matri competit jus castigandi verberibus communes Liberos. 45.
Nec potest maritus integre id vetare. 46.
Ius verberandi Liberos est effectus patriæ potestatis. 47.
An etiam ad initiatos Ordinibus Sacris extendatur? 48.
Patria potestas ferè introducta est jure humano. 50.
Pœna patris illicitè verberantis filium. 51. & 52.
Germani liberant aliquatenus patria potestate filios conjugatos. 53.

21 QUæres I. *An sit fas patri, filium verbis contumeliosis castigare?*

RESP. Affirmativè cum S. Thoma 2. 2. *q.* 42. *art.* 2. *ad* 3. Et quidem sæpius, liberiùs, duriúsque, quàm suprà dixerim, licere ei in uxorem, ut exprimit Laymannus *Lib.* 5. *Tract.* 10. *Part.* 3. *cap.* 2. *n.* 6. Ratio est, quia *non debet, cui, quod plus est, licet, quod minus est, non licere.* Text. *Leg. Non debet. ff. De Regulis Iuris.* Atqui ex una parte licet patri, verberibus animadvertere in filium, ut paulò pòst probabo, & quidem gravioribus, quàm in uxorem. *Suprà num.* 18. Ex altera autem parte plus est verberare, quàm convitio excipere; quia verberatio est ex suo genere gravius malum, quàm convitium, illa enim adversatur bonis corporis. S. Thomas 2. 2. *q.* 65. *art.* 2. *in Corp.* hæc autem bonis honoris, S. Thomas *q.* 72. *a.* 1. *in C.* Atqui bona corporis sunt ex suo genere præstantiora bonis honoris. S. Thomas *q.* 73. *a.* 6. *in C.* Esto fama sit tantum bonum, ut qui famam negligit suam, crudelis sit. Text. *Cap. Nolo* 12. *q.* 1. ex S. Augustino. Vide plura *cap.* 18. *num.* 12.

22 Porrò, quia suprà dixi, quemque esse famæ suæ Dominum, fit, ut verba, quibus pater filium castigat, debeant esse ejusmodi, ut non diffament filium, efficiendo, ut apud alios habeatur pro fure, Sodomita &c. Nam nullæ leges permittunt patri, ut involet in hoc Dominium famæ, spectans ad filium, non autem ad patrem. Quamquam observant Molina *in Tract. 4. disp. 9. n.* 41. & Cardinalis de Lugo, *disp. 14. De Iustit. sect.* 4. à patrefamilias non peccari graviter, etsi occulta domesticorum, adeóque filiorum delicta manifestet uxori, in majorem cautelam.

23 Item verba in filium contumeliosa ita permittuntur patri, ut debeat esse memor moniti Apostolici, *ad Ephes.* 6. *Vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Quare etsi non damno opificem, qui quandoque suum filium compellat suspendiarium, nebulonem, trifurciferum, mastigiam, filium diaboli, spurium &c. esto revera nullum horum epithetorum filio conveniat; si tamen identidem, & absque rationabili causa eructet ea in filium haud planè hebetem, non est extra culpam, quia & dat filio causam justam iracundiæ, & facit contumacem, ut postea reprehensiones justas nil moretur.

At inquies: *Quid censendum de execrationi-* 24
bus, seu maledictis parentum in filios?

RESP. Expertus ego sum, verum esse id, quod Molina *Tract. 4. disp. 22. n.* 4. post Cajetanum mox citandum testatur, scilicet maledictiones parentum in filios, herorum in famulos, etsi circa gravia mala versentur, attamen communiter non continere malitiam mortalem; idque duplici ex causa. Primò, quòd frequentissimè proferantur solo objurgandi animo, absque voluntate, ut ratificentur. Atqui in peccatis verborum maximè confiderandum est, quo animo proferantur. S. Thom. 22. *q.* 73. *art.* 2. *in C.* Secundò. quòd etiam quando proferuntur cum prava intentione, id tamen persæpe fiat ex tam subita iræ commotione, ut non relinquat locum deliberationi sufficienti ad mortalem malitiam, coram DEO contrahendam, quia videlicet est motus primò secundus.

Negari tamen nequit, quin etiam quando- 25
que reperire sit tam impios parentes, ut filiis præfertim privignis pestem, mortem, diabolum ex animo deliberato exoptent. Observat autem Cajetanus 2. 2. *quæst.* 76. *art.* 1. & cum illo Molina *loc. cit.* etsi post prolata maledictionis verba statim interrogatus pater, utrùm vellet ea esse vera, respondeat: *absit, ut velim,* illud tamen signum non esse, quòd non peccârit mortaliter; potest enim revera fieri, ut illo ipso tempore, quo verba imprecatoria jaculabatur, deliberatè desiderârit ea verificari. Puto tamen, si ejusmodi pater dubitet utrùm 26
ex animo, seu formaliter protulerit illas exsecrationes, esse, stante illo dubio, præsumendum, quòd vel non protulerit ex animo, vel protulerit ex motu primò secundo, adeóque non deliberatè satis; quia non solemus tam facilè oblivisci perfecti consensus in peccatum. Quamquam nolim hoc dictum de illis, qui consueverunt formalibus execrationibus liberos, servos, alios petere. Etenim assueti præbere tentationibus, & passionibus perfectum consensum, debent in dubio præsumere, se præbuisse perfectum & non tantùm imperfectum; sicuti viceversa solitus fortiter resistere tentationi, potest in dubio præsumere, se illi non præbuisse consensum, saltem perfectum. Palaus *Tract. 2. disp. 2. Punct. 6. num.* 5. post Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 1. num.* 20. & Sayrum *Lib. 8. cap. 6. num.* 6. *in fine.*

27 Sum quoque in praxi expertus idipsum, quod Molina *loc. cit.* scilicet persæpe meliùs à Confessario, quàm ab ipso pœnitente conjici, utrùm maledictio pervenerit ad malitiam formaliter mortalem nec ne, eò quòd rudes homines, & timoratæ conscientiæ nequeant satis discernere, utrùm maledixerint cum animo, ut malum eveniret; & certum est, indicium illius animi sufficiens non haberi ex eo præcisè, quòd cum vehementi ira fulminaverit quis verba imprecatoria.

28 Cæterùm, quia hoc peccatum est tam frequens, quò Confessarii usu periti possint meliùs conjicere, utrùm ab illo, qui confitetur, se maledixisse, *Er habe geflucht / oder übel gewünscht /* sit contractus reatus culpæ lethiferæ, in eorum gratiam tradam nonnullos aphorismos ex propria experientia collectos.

29 I. Aphorismus. Quando quis, aut quæ confitetur, se proli suæ maledixisse, diabolum imprecatum fuisse &c. communiter non tenetur Confessarius interrogare numerum talium maledictionum.

30 II. Aphor. Quando vitricus, aut noverca dicit: *Meo privigno, aut privignæ sum aliquoties, sed non sæpe pestem, aut fulmen imprecata*, potest communiter Confessarius esse contentus hac Confessione, utiùs tamen est, quærere, an ex animo.

31 III. Aphor. Idem sentio de herorum, & herarum imprecationibus erga famulos, & ancillas non crebris; de crebris aliud judico.

32 IV. Quando quis confitetur, se extraneo sæpius maledixisse, quærat Confessarius, an cum illo inimicitias gerat, nec ne. Si gerit inimicitias, adigendus est ad exprimendum aliquem numerum maledictionum. Si non gerit, nec gessit, persæpe opus non est scisciatari numerum.

33 V. Aphor. Quando Confessarius advertit, privignum, aut privignam, quibus maledixêre vitricus, aut noverca, esse iis admodum ingratos, & quasi sudem in oculis, exquirat numerum maledictionum.

34 VI. Aphor. Quando pœnitens confessus, se maledixisse, & interrogatus, utrùm ex animo maledixerit, *ob es von Hertzen gangen seye?* respondet affirmativè, non est communiter sensus, quòd malum optârit ex animo, sed quòd ex ira protulerit verba maledictionis, quare est, vel non est ulterius interrogandus juxta præcedentes aphorismos.

35 VII. Aphor. Quando confessus, se maledixisse, & interrogatus an ex animo? respondet: *Domine, me statim pœnituit*, plurimi hac responsione indicare volunt, maledictionem non processisse ex animo, plurimi, & fortè æquè multi indicant, processisse quidem ex animo, sed statim pœnituisse, quare instituenda erit quæstio de numero.

VIII. Aphor. Quando pœnitens interrogatus utrùm tunc, cum verba maledictionis proferebat, voluerit ea esse vera, seu, ut evenirent (qui omnium expeditissimus interrogandi modus est) negat, non imprudenter supponet Confessarius, eum non peccâsse mortaliter, secùs si asserat. Quare in primo casu nil necessariò quærendum de numero, at in secundo. 36

Horum omnium aphorismorum hoc unicum fundamentum est, quòd Confessarius non teneatur numerum peccatorum interrogare, quando ipsi probabile est, pœnitentem non deliquisse mortaliter, cùm ne ipse quidem pœnitens in hoc casu teneatur illum numerum exprimere. Et viceversa tenetur Confessarius indagare numerum criminum formaliter lethalium, quando non exprimit pœnitens. Filliuc. *Tract. 7. num. 374. juncto. n. 369.* Diana *Part. 1. Tract. 15. Resol. 7.* Palaus *Tr. 23. Punct. 10. num. 3.* Nisi ex hujus dictis æstimari probabiliter queat. Tanner. *Tom. 4. disp. 6. q. 5. num. 81.* Atqui in casibus illis, in quibus negavimus, eum obligari ad investigandum numerum, probabile est Confessario, non fuisse peccatum mortaliter à pœnitente; quia illi, quamdiu peculiaris ratio non occurrit in contrarium, probabile est pœnitentem suum se gessisse, sicuti solent communiter ii, de quibus locuti sumus. Tannerus *loc. cit. num. 91.* Communiter autem solent tales maledicere non ex animo, ut ego multiplici experientia didici; sicuti viceversa in iis casibus, quos in contrarium innui, expertus sum communiter, illarum maledictionum aliquas procedere ex prava intentione; ergo allati aphorismi continent veritatem practicam. 37

Nec obest, quòd non planè rarò fallant illi aphorismi, & proinde sæpe perdant officium suum. *Leg. 1. ff. De Reg. Iur.* tantùm enim hinc sequitur, non esse damnandum Confessarium, qui aliter procedit, imò laudandum, si exactiùs interroget, præsertim quando non adsunt multi pœnitentes. Et verò tenetur exactiùs quærere tunc, cùm ob peculiarem unam, alteramve circumstantiam apparet, hîc & nunc non habere locum prædictos aphorismos; sicuti si dicat pœnitens, se suæ matri in os maledixisse, non tamen ex animo; quia licèt illa maledictio non sit mortalis in genere maledictionis. S. Thom. *2. 2. quæst. 76. art. 2.* est tamen mortalis in ratione convitii, & contumeliæ: *Qui maledixerit patri suo, aut matri suæ, morte moriatur. Lev. 20.* Vide Molinam *cit. disp. 22.* 38 39

Suppono autem, esse practicè tutam (de speculativa veritate non loquor) sententiam illorum, qui cum Cardin. de Lugo *Tom. 2. in 3. Part. disp. 16. sect. 5. num. 260.* P. Dicastillo *Tom. 2. in 3. Part. disp. 9. num. 498.* Escobar. 40

in

in Theolog. Moral. *Lib. 35. Problem. 29.* contra S. Thom. *loc. cit. art. 4. ad 2.* & Cajetanum *Ibid.* existimant, maledictiones, quæ ex odio proferuntur, non accipere à specifica diversitate malorum, quæ optantur, specificam, & diversam malitiam.

41 Quæres II. *An, & quatenus liceat patri filium castigare verberibus?*

RESP. I. *Qui parcit Virgæ, odit filium suum.* Proverb. 14. & : *qui diligit filium suum, assiduat illi flagella.* Eccles. 30. II. Non tamen est fas ita graviter cædere filium, ut ei damnum irreparabile inferatur. S. Thom. *2. 2. q. 65. art. 2.* Etenim illi, qui præest solùm imperfectæ communitati, non competit ea potestas. S. Thom. *Ibid. ad 2.* Et proinde peccat mortaliter, parens inferendo filio damnum irreparabile. Petrus Navarra *Lib. 2. cap. 3. n. 460.* Et generatim, qui filium mutilat, vulnerat, cædit atrociter, atque immaniter, mortalis peccati reus est, juxta *Leg. Unic. Cod. De emendat. proping.* Reginaldus *Lib. 20. n. 42.* Navarra *loc. cit.* Atque adeò universim, quando cædit notabiliter, gravius, quàm mereatur filius, esto non excedat terminos punitionis paternæ. Molina *Tract. 3. disp. 2.* Illa porrò non est semper immoderata verberatio, in qua facta est aliqua excoriatio, si ex ea non immineat notabilis læsio. Molina & Reginaldus *ll. cc.* 42

43 Carnificibus annumerandi sunt illi parentes, & Ludimagistri, qui Liberos, ac discipulos ita crudeliter verberant fustibus, pugnis, alapis, ferulis, ut ex illis verberibus fiant hi surdastri, hebetes, stupidi, aut manibus tremuli. Equidem Bertholdus Bertheau *in Direct. Confessarior. in 4. Præcept. Decalogi punct. 2.* dicit, esse peccatum mortale, si pater filium conculcet, vel percutiat cum sanguinolenta contusione. Ad breve tempus filium carceri includere, aut loris adstringere permittit patri Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 3. cap. 5. n. 8.* post Farinacium *in Praxi criminali Lib. 1. Tit. 4. q. 27. n. 25.*

44 Quæres III. *Quid juris matri competat circa filiorum castigationem?*

RESP. I. Tantum, quantum ipsi de sua legitima potestate permittit maritus; potest enim utique vir uxori suam circa hoc potestatem delegare, seu, si mavis, subdelegare.

45 II. Etsi mater non acceperit à viro potestatem castigandi filium, aut filiam, potest tamen castigare saltem ad emendationem. Hanc responsionem non scio quidem, qui expressè tradat, innuitur tamen à Molina *Tract. 2. disp. 228.* ubi absolutè tribuit matri jus verberandi filium. Probatur tum ex praxi communissima legem faciente, tum quia mater in administratione familiæ est socia mariti; tum quia aliàs matri insultarent petulantes Liberi; tum denique quia *Leg. Unic. Cod. De Emendat. proping.* fit absolutè potestas senioribus propinquis puniendi vitia minorum. Unde non puto, posse à marito universim prohiberi matri, ne Liberos peccantes ipsa cædat, saltem emendationis causa, quamvis communiter consultius agat, si pœnam merè vindicativam, quam etiam competere patri tradit Bonacina *disp. 6. De Leg. q. Unic. Punct. 8. n. 10.* relinquat ipsa patri. Et quia jus verberandi liberos est effectus patriæ potestatis. Gloss. *In cap. Cùm voluntate. De sent. excomm. verb. Inferiorum graduum*, Molina *Tract. 2. disp. 228.* favétque Abbas *in cit. cap. Cùm voluntate. n. 9.* ideo filium emancipatum verberare non licet parenti, etsi objurgare licet. 46 47

Viceversa, quia Ordines Minores non eximunt patria potestate. *Authent. Presbyteros. C. De Episcop. & Cler.* Abbas *in cap. Cùm voluntate. De sent. excommunic.* & alii omnes, fit, ut pater non incurrat excommunicationem, quando filium Minoribus Ordinibus initiatum castigat verberibus pro merito. Text. *in cit. cap. Cùm voluntate & cap. 1. eod.* secùs, si filium Episcopum castigaret; quia Episcopalis dignitas liberat integre patria potestate. *Authent. Sed Episcopalis dignitas. Cod. De Episc. & Cler.* Et quamvis ne Sacerdotium quidem eximat integre patria potestate. *Authent. Presbyteros*, Molina *Tract. 2. disp. 220.* & alii communiter, dissentiente Gloss. *in citat. cap. Cùm voluntate, verb. Inferiorum*, attamen quoad effectum exemptionis à castigatione eximunt majores ordines juxta cit. Gloss. *cit. Verb. Inferiorum, & verb. In minoribus.* Abb. *loc. cit.* Molinam *loc. cit.* & alios, dissentiente Silvestro, Navarro *cap. 27. n. 82.* Bonacinâ *De Censuris in genere disp. 2. q. 4. n. 4.* ubi hic auctor citat pro se multos, & probat inde, quòd *cit. cap. Cùm voluntate* non fiat distinctio de Clerico majoribus, vel minoribus ordinibus initiato. Sed utique memoria fefellit Bonacinam; etenim *in cit. cap. Cùm voluntate* §. 2. expressè dicitur, illos non incurrere excommunicationis sententiam, qui correctionis causa leviter percusserint aliquos de familia sua, vel propinquos *Inferiorum graduum.* Ubi rectè observat Gloss. *cit. verb. In minoribus*, itémque Abb. *Ibid.* cùm Pontifex specialiter permittat parentibus, ut verberibus castigent constitutos *in minoribus* ordinibus, hoc ipso prohibere, ne castigent constitutos in ullo Majore. Quia sicuti, quod de uno negatur, de altero conceditur. Text. *Cap. Qualis, distinct. 25. & cap. Nonne de præsumpt.* Ita, qui de uno concedit, de altero negat. Gloss. *in cit. cap. Qualis, & in cit. cap. Cùm voluntate* communiter recepta. 48

Et verò, quia patria potestas secundùm plerosque suos effectus introducta est solo jure humano, Sanchez *Lib. 1. Consil. Moral. c. 1. n. 13.* 49

potuit utique illi derogari. Et saltem quo ad castigationem filii Sacerdotis, puto esse ei derogatum in Germania; magnopere enim mirarentur Theutones nostri, si viderent, vel audirent, filium Sacerdotem à patre verberari correctionis gratia.

51 Adde historia. Primum; si pater vel ex odio, vel excedens notabiliter limites permissos, filium Clericum percutiat, subjacere excommunicationi latæ in Clericorum percussores. *Cap. Si quis suadente 17. q. 4.* Bonacina *citat. punct. 24. num. 4.* Alterum, quando pater filium Laicum, aut Clericum malè contra pietatem afficit, emancipare cogitur. Text. express. *In Leg. fin. ff. Si à parente quis manumissus fuerit.* Quam legem intelligit Molina *Tract. 2. tit. disp. 29.* de patre inhumaniter, & crudeliter tractante, esto illa crudelitas versetur duntaxat circa notabilem excessum pœnæ,

53 qua filius pro suis excessibus dignus est. Tertiam: Tametsi communis consuetudo Germaniæ filios conjugatos eximit patria potestate quoad jus bonorum qualiumcunque. Ferdinandus VVeizenegger *dissert. 2. cap. 3. n. 6.* & expressè jus Bavaricum. *Tit. 3. art. 2.* non ausim tamen asserere, quòd auferat patribus omne jus, verberibus corrigendi filios matrimonio junctos. Nam videmus, retinere potestatem in eos, qui Annum ætatis vigesimum quartum, aut vigesimum quintum necdum attigere.

X. X.

SCELUS DETESTATA.

CAPVT XXX.

An liceat præbere cuipiam pharmacum tollens appetentiam vini?

SUMMARIUM.

Qui potus tollant appetentiam vini? 1.
An uxor licitè reddat abstemium maritum ebriosum? 2.
Quod quis ob tutelam sui corporis fecit, jure fecisse videtur. Ibid.
Si uxor nequit abstemium efficere maritum, nisi præbendo potum noxium valetudini, peccat. 6.
Si non noceat valetudini, fortè non peccat. 8.

1 OVidius *Lib. 15. Metamorphos.* canit in hunc modum:

Citorio quicunque sitim de fonte levârit,
Vina fugit, gaudétque meris abstemius undis.

Testatur etiam Fridericus Fornerus *de temulentiæ malo, Lib. 3. cap. 3.* esse medicorum opinionem, si quis bibat poculum vini, in quo tres anguillæ sint mortuæ, aut ederit noctuæ ova mediocriter elixata, & cum serpentis liberide porrecta abstemium reddi, atque vini appetentiam amittere. Quibus seu veris, seu falsis suppositis.

Quæritur: *An, si cujus mulieris maritus nostro Sulpitio Merulæ similis sit, liceat uxori ejusmodi pharmacum, vel aquam marito ignoranti præbere eo fine, ut fiat abstemius?* 2

Ratio dubitandi est hæc, quòd tam multiplicia mala, quæ ex viri malitiosa ebrietate derivantur in innocentem uxorem, videantur facere ei jus ad ejusmodi remedium adhibendum, sicuti enim *vim vi repellere omnes leges, omniáq; jura permittunt*, ut loquitur Alexander. III. *Cap. Si verò. 2. De Sentent. Excommunic.* ita etiam *hoc jure evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur*, inquit Florentinus, *L. Vi vim vi. ff. De Iustit. & Iure.* Confirmatur à fortiori opinione illo- 3 rum, qui etsi improbabiliter censent, posse à me occidi eum, qui per falsas criminationes est certò eversurus me aut vita, aut honore; seu à quo mihi imminet periculum injuriæ corporalis. Julius Clarus. *Lib. 5. Recept. sentent. §. Homicidium. n. 28.*

E diverso damnandum esse illud Consilium 4 tanquam nefarium, probatur inde, quòd & grave malum sit reddi abstemium; in vita enim politica sæpe non exiguas incommoditates parit horror perpetuus vini, & permultis, qui diu assuevêre immodico potui meri, est magnopere noxium, si non lethale, subitò abstinere omni potu vini, quia subitus transitus ab extremo ad extremum est valde violentus.

Ad ancipitem hanc quæstionem respondeo 5 cum distinctione. Aut marito ejusmodi, qualem ipsa accusatione Canonica descripsimus, imminet ex perpetua à vino abstinentia aliquod grave incommodum valetudinis, aut non imminet? Si imminet, tum sanè pronuntiandum est, non licere tollere ei clanculo appetentiam vini. Si non imminet, tum videri queat, non esse plane improbabile, quòd liceat.

Primam partem inde probo, quòd grave 6 scelus conscisceret uxor, si ebriosum, & in ebrietate pessima quæque patrare solitum maritum præbito veneno, ea intentione debilem, infirmúmque redderet, ut non haberet is sat virium ad verbera, sibi, aliisque infligenda, ergo etiam delinquit non leviter, si exhibito pharmaco efficiat abstemium, prævidens inde secuturam gravem, continuámque infirmitatem, Argument. *Cap. Pasce, dist. 86. Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti.* Nec obest, quòd hæc continua infirmitas tantùm per accidens, & præter intentionem sequatur ex inappetentia vini. Nam etiam mala, quæ ebrius maritus patrat, per accidens solùm, & præter ejus intentionem (ut suppono, resolutus in contrarium, si ex directa intentione provenirent) sequuntur, ex amore, & abusu vini.

7 Secunda pars inde suadetur, quòd cætera incommoda, quæ ex inappetentia vini proficiscuntur, vix sunt ullius considerationis, si cogitemus, & esse summè accidentaria, & compensari multis aliis bonis, quæ experiuntur abstemii, comparati cum ebriosis, & pergravia, intolerabiliáque esse, quæ à marito addicto, temulentiæ iniquissimè pati solere uxorem ponimus. Ego sicuti nollem ulli uxori esse author suscipiendi ejusmodi Consilii, ita etiam suspendo definitivam sententiam, suam fortè daturis illis, qui hanc legerint discussionem, præteritam ab aliis, tactam à Fornero *L. 3. De temulentiæ malo. cap. 3.* ubi inclinat in patrocinium mulierum.

Y.Y. Z.Z.

TABACO, LUPULO, FUMO, PANE IPSO &c.

CAPVT XXXI.

De variis, & inordinatis modis se inebriandi.

SECTIO I.

De inebriante se tabaco, & lupulo.

SUMMARIUM.

An liceat inebriare se tabaco? 2.
Respondetur cum distinctione. 4.
Sine distinctione autem dicitur non peccare, qui fumum tabaci hauriunt ex præscripto medici. 5.
Refertur Bulla contra fumentes tabacum sub celebratione Missæ. 6.
Quid de dormientibus supra lupulum, & hujus odore inebriatis? 8.

1 HOc capite diviso in tres breves Sectiones comprehendam ea, quæ literis Y. Y. ad literam D. 3. indicantur. Et quamvis constet ex ebrietatis descriptione allata *c. 5. n. 9.* neminem propriè inebriari iis rebus, quæ hic enumerantur, quia tamen eæ solent efficere similem ebrio, ideo non incongruè dicuntur inebriare.

Quæres 1. *An liceat se inebriare tabaco?* 2

Dicuntur Indi, ut refert Lessius *De Iustit. & Iur. Lib. 4. cap. 3. num. 19.* sopiri suffitu tabaci, seu Peti, & in illo *sopore* (ut habet tum P. Dicastillo *Lib. 1. De Iustit. & Iur. disp. 3. n. 122.* tum prima editio P. Lessii, non autem *sapore*, ut habet sexta) magna perfundi voluptate; de his quærunt illi duo Doctores, an delinquant graviter. Et quidem Lessius illos idcirco excusat, quòd eo suffitu non tollatur potestas utendi ratione extra somnum, sicuti fit per ebrietatem propriè dictam, sed solùm in somno (qui naturalis est) sua facultate refrigerante, & constringente inducendo soporem, eò quòd tabacus sit ex genere narcaticorum, sicuti & hyoscyanus. Unde etiamsi suffitus ille hauriatur causa voluptatis, quam Indi dicuntur in illo sopore percipere, non erit mortiferum. Ita Lessius. At verò Dicastillo 3 *cit. num. 122.* tum Indos, tum alios quosvis, per tabaci sine causa rationabili sumpti usum exturbantes rationem, damnat peccati mortalis, eò quòd sufficiens causa adferri non queat, cur ebrietas per vinum, aliósque similes potus inducta noxam lethalem contineat, & non inducta per tabacum.

Ego censeo, sive in solo somno, sive in vi- 4 gilia amittatur per suffitum tabaci proxima potentia ad usum rationis, idque per tempus non brevissimum, peccari mortaliter usu illius suffitûs, modò sumatur ex sola voluptate, & non ut medicina aliquo modo necessaria. Probo inde, quòd etsi potus vini non turbaret rationem, nisi tempore somni, foret tamen potus ille, ex quo in somno sequeretur illa rationis spoliatio, graviter prohibitus, ut patet ex verissimo discursu, Cajetani, & Valentiæ relato *cap. 6. n. 19.* Excipe, nisi somnus, quem parit suffitus tabaci, posset facilè depelli, non video, cur sit crimen lethale, sibi conciliare somnum per usum tabaci, esto, quando per hunc usum conciliatur somnus, ratio ligetur tum naturaliter per quietem sensuum, tum insuper violenter per operationem tabaci.

Unde à fortiori apparet, culpa omni vacare 5 eos, qui Consilio medicorum hauriunt fumum tabaci, ad cerebrum confortandum, caput exonerandum, pellendam pituitam, tametsi fiat, ut per breve tempus quasi vertigine acti, non sciant, ubi stent.

Et quia facta hic mentio tabaci, quo non 6 pauci

pauci utuntur vel indecorè, vel etiam irreligiosè, placet repræsentare hoc loco partem Bullæ centesimæ sexagesimæ primæ apud Cherubinum inter editas ab Urbano VIII. loquente hisce verbis:

Cùm Ecclesiæ divino cultui dicatæ Domus sint orationi, eáque propterea omnis Sanctitudo deceat, merito Nos, quibus omnium per universum Orbem Ecclesiarum cura à DEO commissa est, advigilare convenit, ut ab iisdem Ecclesiis quique actus indecentes, ac profani procul arceantur. Itaque cùm, sicuti Nobis nuper expositum fuit, pravus in Ecclesiæ Metropolitanæ Hispalensis partibus sumendi ore, vel naribus tabacum vulgo nuncupatum usus adeò invaluerit, ut utriusque sexus personæ, ac etiam Sacerdotes, & Clerici, tam Sæculares, quàm Regulares Clericalis honestatis immemores, illud passim in Civitatis, ac Diœcesis Hispal. Ecclesiis, ac, quod referre pudet, etiam Sacrosanctæ Missæ Sacrificium celebrando sumere, linteáque Sacra fœdis, quæ Tabacum hujusmodi prolicit, excrementis conspurcare, Ecclesiásque prædictas tetro odore inficere, magno cum populorum scandalo, rerúmque Sacrarum irreverentia non reformident.

Hinc est, quòd Nos, ut abusus tam scandalosus ab Ecclesiis hujusmodi prorsus eliminetur, pro pastorali nostra solicitudine providere volentes, omnibus, & singulis utriusque sexus personis, tam Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, etiam cujusvis Ordinis, Instituti, ac Militiæ, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Regularibus, quomodolibet qualificatis &c. ne de cætero in quibusvis Civitatis, & Diœcesis prædictarum Ecclesiis, earúmque atriis, & ambitu Tabacum sive sólidum, sive in frusta concisum, aut in pulverem redactum ore, vel naribus, aut fumo per tubum, & aliàs quomodolibet sumere audeant, vel præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ eo ipso, absque ulla declaratione per contrafacientes incurrendæ pœna, authoritate Apostolica, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus &c.

Verùm audio, in ipsa quòque Italia impunè factitari id, quod tam graviter, & summo jure culpatur in Iberis.

7 Porrò tradidi in Experientiis Tract. quarto *Cas.* 17. *n.* 265. jejunium naturale non violari serendo dentibus tabacum.

Quæres II. *An & illi delinquant graviter,* 8 *qui cubant supra lupulum, & ejus odore perdunt usum rationis?*

Respondeo cum Lessio, & Dicastillo *ll. cc.* si revera perdunt (de quo tamen dubitat Lessius) & id quidem per tempus notabile, delinquere graviter; expeditus enim rationis usus est res adeò præstans, ut qui se proxima potentia ad illum privat sive per potum, sive per somnum, sive alia ratione (hæc quippe omnia tantùm materialiter se habent) non sit immunis à gravi noxa, nisi justa causa illi patrocinetur.

A. 3. B. 3.

SECTIO II.

De inebriantibus se fumo, & pane.

SUMMARIUM.

An excusandi Scythæ inebriantes se fumo? 9.
Aut qui odore sola vini? 10.
Aut qui pane? 11. & 12.
Quid si sine necessitate comederetur multum de tali pane? 13.
Cur in definitione sobrietatis fiat mentio solius potûs, & non esûs, 16.

Quæres I. *Quid pronuntiandum sit de* 9 *Scythis inebriantibus se fumo hausto?*

RESP. Eamdem esse rationem horum, quam *n.* 4. dixi esse exturbantium tabaco usum intellectûs, pro quo observa, Scythas, ac Thraces, ut testatur Alexander ab Alex. *Lib.* 3. *Gen. cap.* 11. *ante med.* in ignem conjectis herbis, & fumo hausto haud aliter, quàm vino epoto madidos fieri. Quod etiam apud Theophilum Raynaudum *Lib. 6. Moral. Discipl. n.* 115. Maximus Tyrius testatur hisce verbis: *Est quoddam peculiare Scytharum genus, qui aquam quidem bibunt, quotiescunque tamen voluptatis causa inebriari volunt, pyram struunt maximam, in qua herbas urunt odoriferas. Hanc pyram in orbem circumsident, eóque odore, non secùs quàm alii vini cyathis aliquot se invitant, donec propè ebrii, cantare, saltare, tripudiare incipiant.*

Apparet hinc, haud immeritò à P. Nicol. 10 Baldello *Theolog. Moral. Lib. 5. disp.* 30. *n.* 6. gravis delicti illos etiam reos agi, qui solo vini odore inebriant se temerariè; quoniam parum refert, utrùm rationis spoliatio proveniat ex intemperato usu adoratus, an gustûs, seu tactûs, dummodo revera oriatur idem defectus cerebri, seu judicii.

At

At inquies: *Estne illud peccatum, sicut & Scytharum, species intemperantiæ?*

RESP. Non est, utpote, cùm non versetur circa excessum in voluptate tactûs. Quare malè confiterentur rales, si absque addito dicerent, se fuisse ebrios, nisi velis eos excusare eo modo, quem indicavi *cap. 5. num.* 14. & 15.

11 Quæres II. *An excusandi illi, qui sese inebriant pane?*

Novi non unum, sed plures, qui seriò dicebant, se fuisse ebrios pane, quia scilicet manducaverant tantum panis, vitiati malignis quibusdam granis, ut ex illo esu fuerint usu rationis æquè privati, ac si plurimum meraci hausissent; hoc solùm intererat, quòd neque ita hilares, aut diserti essent, ut facere solent fecundi calices, neque tam diu rationis privationem paterentur. Evenit illa turbatio mentis ex malignis granis, & planè zizaniis enatis cum siligine, aut tritico, ac postea immixtis farinæ. Et verò testatur Fernandes Vasquez *Controvers. Iuridic. Lib. 1. cap.* 19. non rarò accidere, ut quis ex comestione cibi fiat ebrius, uti etiam hisce bellicis temporibus evenit permultis, quos extrema egestas adigebat ad comedendum panem ex glandibus, & nescio quibus herbis confectum.

12 Hoc supposito, ad quæstionem propositam respondendum est, tales practicè loquendo excusandos esse, eò quòd non soleant ejusmodi pane vesci, nisi urgente fame, & deficiente meliore pane, & non privari ratione, nisi ad breve tempus. Quare æquè, aut potiore jure excusandi sunt quàm illi, qui, ut vidimus *cap.* 18. *n.* 34. cùm aqua deficit, in siti vehementi 13 vinum hauriunt ad temulentiam usque. Si tamen horum quispiam absque necessitate ederet tantum de illo pane, quantum sufficit ad perfectam, & satis diuturnam spoliationem rationis, damnarem eum gravis peccati, propter authoritates & rationes allatas de illis, qui tabaco, lupulo, fumo sese inebriant absque necessitate.

14 Interrogabis: *An, posito, quòd tales peccent, peccent propriè contra sobrietatem?*

Respondet Dicastillo *cit. disp.* 3. *De Iustit. num.* 103. [Sicut potus sub ratione inebriativi pertinet ad specialem virtutem, quatenus absorbet bonum usum rationis, ita etiam, si sit cibus, qui inebriat (ut audio esse aliquos) ad eandem virtutem sobrietatis pertinebit illum moderari sub ea ratione; quamvis quantum est nutritivus pertineat ad abstinentiam, sicut potus, in quantum est pars integræ refectionis, ad eandem abstinentiæ virtutem pertinet.] Ita ille non improbabiliter.

15 Nec obest quòd *cap. 1. num.* 2. excommuni omnium sensu definierimus sobrietatem, prout ab abstinentia distinguitur, esse virtutem, quæ moderatur usum potûs &c. ergo non moderatur usum cibi, quantumvis inebriare valentis, ergo immoderatus usus cibi inebriativi non repugnat virtuti sobrietatis. Resp. enim, in 16 descriptione sobrietatis poni solum potum, non autem cibum, aut fumum inebriativum, quòd sicuti *ex his, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur*, Text. *L. g. Ex his. ff. D. L. g.* ita neque omnes omnino definitiones rerum moralium. Quamvis æqui rerum arbitri non sint de definitionibus rerum moralium, quas adferunt Theologi, pronuntiaturi id, quod de definitionibus Jureconsultorum pronuntiat seu Ulpianus ipse; ut habet editio & commentarius Ferrarii Montani, seu Javolenus, ut habet tum commentarius Jacobi Revardi, tum vulgata editio Gothofredi: *Omnis definitio in Iure civili periculosa est, parùm est enim, ut non subverti possit. Leg. Omnis* 202. *De Reg. Iur.*

C. 3. D. 3.

SECTIO III.

De potu sanguinis, & lixivii.

SUMMARIUM.

Nefas est per se loquendo bibere sanguinem pecudum. 17.
Casus Carthusiani haurientis in necessitate sanguinem equi, quo vehebatur. 18.
Carthusiani non obligantur ex voto abstinere à carnibus. 19.
Describitur formula Professionis, quam emittunt PP. Carthusiani. 20.
Obligantur tamen ex consuetudine, & Constitutionibus. 21.
Describuntur verba statutorum differentium de esu carnium. 22.
Quid nomine clausuræ intelligant, dum vetant, ne etiam Sæcularibus præbeantur carnes intra clausuram? 23.
Votum non edendi unquam carnes, non extenditur ad casum necessitatis extremæ. 25.
Statutum Carthusianorum obligat quidem in casu necessitatis ab intrinseco, at non in casu necessitatis ab extrinseco. Ibid.
Quid censendum de bibentibus lixivium, lotium, aut alios potus innaturales? 27.

DE potu sanguinis humani, an, & quate- 17
nus licitus sit, disserui *cap.* 23. *sect.* 2. *subsect.* 4. Nunc

Quæres I. *Sitne fas haurire bestiarum sanguinem, aut pecudum?*

RESP.

RESP. Sicuti *cit. sect. 2. subsect. 5.* ostendi, esse per se loquendo ferinum, & barbarum, & proinde turpe, vesci carnibus crudis bestiarum, non item si fiat ex necessitate, ita etiam
18 de potu sanguinis ferini censendum est. Declaro hanc responsionem.

Specie facti.

Quod venerabilis P. Petrus Sutor in Tract. de vita Carthus. Lib. 1. cap. 9. fol. 162. Edit. Colon. refert. *Cùm enim Carthusianus unus peregre iter faciens equo, devenisset in solitudinem arentem, siticulosámque, nec haberet, unde levaret sævissimam sitim, qua discruciabatur, & tantùm non necabatur, equi sui venam tutudit, atque scaturientem affatim sanguinem hausit, illóque potu vitam servavit. Quæsitum fuit postmodum, an ille Carthusianus deliquerit, nec ne? Iudicârunt autem ipsimet PP. Carthusiani, eum non deliquisse, eò quòd palam esset, eum non potuisse crudum, equinumque sanguinem fumere, nisi extrema eum adegisset necessitas, ut loquitur prædictus scriptor.* Horum Patrum judicium approbo, quia nititur firma ratione.

19 At objicies: Patres Carthusiani voto tenentur abstinere omni esu carnium, adéoque sanguinis potu; atqui istud votum obligat etiam in extrema necessitate.

Ad hanc objectionem respondeo imprimis, negando primam propositionem; quam etsi sciam persuasam esse multis doctis, & indoctis, certum tamen est esse falsam. Etenim modo nominatus P. Petrus Sutor *loc. cit. fol.* 127. ita loquitur: [*Carthusiani nullum prorsus votum de non edendis carnibus habent, quod luculenter probat vivendi formula, quam in professione solenni quivis tenet, & sequitur. Ea autem est hujusmodi.*

20 *Ego F. N. promitto stabilitatem, & obedientiam, & conversionem morum meorum coram Deo, & Sanctis ejus, & reliquis hujus eremi, quæ constituta est ad honorem Dei, Beatæ semper Virginis Mariæ, & Beati Ioannis Baptistæ in præsentia Domini Prioris.* Hactenus P. Sutor, cui utpote ejusdem Sanctissimi Ordinis alumno, & quidem Priori Parisiensi fides omnino habenda est, sicut & Venerabilibus Patribus Carthusiarum Ratisbonensis, & Ittinganæ, qui à me interrogati, asseruêre idem, quod Pater Sutor.

21 Quinimo idem scriptor *fol.* 128. testatur, suum Ordinem longo tempore perseverâsse, antequam statutum de non edendis carnibus conderetur, sed sola consuetudine, abstinentiam à carnibus observâsse primos Carthusianos, postmodum tamen edidêre statutum, quo sibi, suísque æternùm interdixêre esum carnium. Verba statuti refert Vasquez 1. 2. *disp.* 62. ubi fusè de hac Carthusianorum abstinentia disputat, & adhuc fusiùs Theophilus Raynaud. in erudito (ut sunt planè omnes, aut ferè omnes paginæ octodecim ejus voluminis) libello, cui titulus: *Trinitas Patriarcharum.* Ubi uterque docet, illud statutum obligare sub peccato mortali, cùm tamen Sanchez *Consil. Moral. Lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 34. asserat, ne quidem sub veniali obligare. Assentior Raynaudo propter graves pœnas verbis gravissimis statutas in transgressores.

Quas pœnas exprimunt unà cum decreto 22
Statuta novæ Collectionis PP. Carthusianorum 2. *Part. c.* 10. §. 28. hisce verbis: *Quia secundùm Sanctissimam nostri Ordinis consuetudinem à Sanctis Patribus nostris introductam, omnem esum, & sumptionem Carnium, & omnium quæcunque ex carnibus quomodolibet constant, sive per modum cibi, sive per modum potionis, aut forbitionis sumantur, à nostro proposito abjecimus; statuimus, ut quicunque nostri Ordinis professus, hujus tam laudabilis institutionis transgressor extiterit, carnes videlicet comedendo, seu alicui personæ Ordinis ministrando, vel comedentibus, vel ministrantibus consentiendo, vel non prohibendo, cùm potuerit prohibere, vel qui infra domus suæ clausuram quibuscunque personis carnes ministraverit, vel ab aliis permiserit ministrari, nec prohibuerit, prohibere cùm valebat, si Prior, aut Vicarius, aut Procurator hoc fecerit, ipso facto tanquam suæ professionis exterminator, & transgressor obedientiam* (id est officium) *perdat, & vocibus, ac locis debitis, & cæteris obedientiis Ordinis careat in æternum. Si verò simplex Monachus, aut alia quævis persona Ordinis extiterit, voce, loco, ac obedientiis carens perpetuò ad Capituli Generalis voluntatem carceri mancipetur.*

Hisce verbis illud statutum, illásque pœnas 23
ad me perscripsit admodum Reverendus & Amplissimus P. Josephus Faber, tunc Vicarius, nunc Prior Carthusiæ Ittingensis, quæ validè confirmant nostrum judicium de mortalitate culpæ, quam admitteret Carthusianus edendo, vel etiam præbendo aliis intra clausuram carnes. Nomine autem clausuræ intelligunt hîc RR. PP. Carthusiani non modo spatium, quod includitur muris cingentibus immediate, constituentibúsque ipsammet domum, quam incolunt, & in qua suas cellas habent illi Patres, sed etiam atrium, officinásque omnes clausas muro, per cujus januam diu, noctúque observari solitam, patet ingressus in illud atrium, officinas, stabula &c. Unde consuevêrunt Patres Ittingenses suos ordinarios famulos pascere quidem carnibus in Bacchanalibus, attamen non intra illum amplissimum murum, sed extrà.

Jam verò ad alteram, adeóque minorem 24
propositionem objectionis inductæ, *n.* 19. respondeo inprimis, votum non edendi unquam carnes, non extendi ad casum extremæ necessi-

necessitatis, nisi hic expressè includatur, votum enim obligat instar legis humanæ. Sanch. *Lib.* 1. *Moral. cap.* 13. lex autem humana ordinariè non obligat in extrema necessitate. Suarez *Lib.* 3. *De Leg. cap.* 30. Quin censent Pasqualigus *In Praxi Iejunii decis.* 24. aliíque contra Lessium, & alios, nec licitum quidem esse votum, quo quis ob sum duntaxat bonum privatum, & particulare promitteret Deo, se potius mortem, quàm esum carnium electurum.

25 Deinde dico, etsi illud statutum Carthusianorum obligat etiam in casu necessitatis ab intrinseco provenientis, Raynaudus *loc. cit. in Brunone. Punct.* 7. §. 3. & Sutor *loc. cit. fol.* 148. ex sensu communi totius sui Sanctissimisque viris florentissimi Ordinis, ac multorum Summorum Pontificum, qui illum Ordinem, statutúmque confirmârunt cum extensione ad prædictum casum necessitatis ab intrinseco provenientis, attamen non obligat in casu necessitatis ab extrinseco profectæ: qualis est ea, in quam conjectus fuit is, de quo
26 *n.* 18. locuti sumus. Sutor, Raynaudus, & alii. Etenim Sanchez, *cit. dub.* 34. Raynaudus, & Pasqualigus *loc. cit.* illam necessitatem vocant ab intrinseco, quando quis est ejus dispositionis, aut stomachi, ut non possit sumere alios cibos, quàm carnes, aut certè nulli alii præter carnes, ejus valetudini prosint; at verò illam extremam necessitatem vocant ab extrinseco, qua nulli alii cibi, præter carnes suppetunt, quamvis stomachus libenter, & utiliter admitteret alios, si haberi possent. Atqui non potest quis obligari voto, aut præcepto ad abstinendum in tali casu, foret quippe nimis inhumanum. Raynaudus *loc. cit. n.* 5. docens proinde post Gersonem, Dionysium Carthusianum, alios, fore ut graviter peccaret Carthusianus, si tunc abstineret carnibus.

27 Quæres II. *Quid censendum de illo, qui lixivium, & alios ejusmodi potus innaturales sumeret?*

RESP. Si sumit necessitatis, seu valetudinis causa, vacat culpa: si cum periculo lædendi sanitatem, admittit culpam lethalem: si denique absque justa causa, & citra aliud grave incommodum, non delinquit plùs, quàm venialiter, ut in simili contra Pasqualigum docui *cap.* 23. *n.* 171.

28 At inquies: *Quid si quis alteri præbeat ejusmodi potum?*

RESP. Peccabit, & non peccabit mortaliter, juxta ea, quæ *cit. cap.* 23. *num.* 238. *& seqq.* dixi de illo, qui alteri præbet edenda ea, quæ à natura non sunt ordinata ad esum humanum.

E. 3.

VIOLATAE FIDEI CONIUGALIS.

CAPUT XXXII.

De probationibus, & pœnis adulterii.

SECTIO I.

Quomodo probetur adulterium?

SUMMARIUM.

An adulterium possit probari evidenter evidentia physica? 1.
An præsumptionibus? 2.
Indicantur septem præsumptiones hanc in rem. 5. *& seqq.*
An oscula, & amplexus faciant præsumptionem patrati adulterii? 10. & 11.
Unde origo osculorum? 12.
Suavium distinguitur ab osculo. Ibid.
Xenia an signum adulterii? 13.
An literæ amatoriæ? 14.
An abnoctatio inscio marito? 15.
Confessio adulteri, vel adulteræ, facta in judicio, non nocet alteri personæ, quam nominavit fuisse complicem. 17.
Quantum obsit gloriatio de patrato adulterio? 18.

QUæres I. *An evidenter physicè possit probari, adulterium esse ab hoc, aut illo determinatè patratum?* 1

RESP. Etsi fingi possunt casus, ac circumstantiæ tam raræ, & insolitæ, ut iis positis certus quis sit physicè, adulterium esse patratum ab hoc determinato homine, rectè tamen loquitur Sanchez *Lib.* 10. *De Matrim. disp.* 12. *n.* 30. dum absolutè ait, adulterium non posse verè probari, sed solùm concludi ex probationibus ortis è præsumptionibus. Prima pars non 2
indiget probatione; altera pars inde probatur, quòd sicut leges feruntur secundùm ea, quæ in pluribus accidunt, non secundùm ea, quæ rarò. S. Thom. 1. 2. *q.* 86. *art.* 6. *in Corp. & ad* 3. ita etiam locutiones, doctrinæque morales proferuntur, & traduntur secundùm ea, quæ communiter sunt in usu. Ut proinde Menoch. *De Præsumptionibus. L.* 1. *q.* 18. *n.* 1. 2. 3. & 4. adulterium rectè adnumeret iis delictis, quæ non possunt directè, ut testibus, & documentis, sed solis præsumptionibus, & conjecturis, ob difficultatem directarũ probationum probari. Et autem difficultas inde oritur, quòd adulterium soleat committi occultè. *L. Consensu. Cod. De repud.* Menoch. *De præsumpt. Lib.* 1. *q.* 58. Sanchez *De Matrim. Lib.* 10. *disp.* 12. *n.* 40.

3 Porrò illarum præsumptionum nonnullæ pariunt suspicionem solùm probabilem, aliæ violentam. Sanchez *Ibid. n.* 41. qui sequenti *n.*42. illam suspicionem vocat violentam, quæ licèt non faciat certam & indubitatam fidem, facit tamen moralem certitudinem, quæ virum prudentissimum induceret, ad judicandum, adulterium esse patratum, & quæ probata in foro externo sufficeret ad sententiam divortii ferendam.

4 Quæres II. *Quænam actiones faciant violentam suspicionem commissi adulterii?*

RESP. Illas ex Theologis, & Jureconsultis à me lectis optimè enumerat, explicátque Sanchez *cit. disp.* 12. *à n.* 43. & Menochius *De Præsumpt. Lib.* 5. *Præsumpt.* 41. per totam. Item Mascard. *Conclus.* 59. *& seqq.*

5 Prima est, quæ refertur Cap. *Literis, De Præsumpt.* hisce verbis: *Solum cum sola, nudum cum nuda, in eodem lecto jacentem, ea (ut credebant) intentione, ut eam cognosceret carnaliter, viderunt multis secretis locis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis.* Et mox subdit Pontifex Alexander III. illam esse *certam, & violentam suspicionem fornicationis*, ac proinde sufficere ad divortii sententiam promulgandam. Circa quam Pontificiam resolutionem nota, à Gloss. & Abb. omitti circumstantiam de jacentibus in eodem lecto, & proinde ab aliis ita intelligi eam sententiam, acsi reliquæ circumstantiæ sufficerent ad suspicionem violentam.

6 Secunda est, quæ ex ipsa natura oritur, ut quando marito, per unum, alterúmve Annum penitus absente, uxor uterum gerit. Menoch. *loc. cit. n.*8.

Tertia est, quando quis de adulterio accusatus, post factam excusationem, & defensionem, quòd essent sanguine juncti, matrimonium contraxit cum illa. Menoch. *loc. cit. numero* 7. qui illam præsumptionem vocat *de jure*, eò quòd approbetur lege. *Si qui adulteri. C. Ad Legem Iuliam. De Adulter.* quare & illa prima præsumptio debet vocari præsumptio *de jure* ad distinctionem illius, quæ dicitur præsumptio *ab homine*, quam scilicet Doctores, non autem leges pro sufficiente habent, quam proinde negat Menochius, & Sanchez sufficere ad effectum divortii. Porrò quid sit præsumptio juris *tantùm, & de jure*, dixi *cap.*28. *n.*63. *& 64.*

7 Quarta est, quando is, qui à marito ter monitus, ne cum sua uxore versaretur, eámque alloqueretur, attamen deprehenditur cum illa loquens. Ita statuitur Authent. *Si quis ei. C. Ad Leg. Iuliam.* Menoch. *num.*9.

Quinta est, quando domus alicujus mulieris frequentatur diu, noctúque ab adolescentibus, præsertim Scholasticis. Menoch. *n.*21. citans Baldum, Imolam, Alciatum, Mascardum *D. Probat. Conclus.* 64. *num.* 10. Quam præsumptionem ego admitto, si in ea domo non habitet vir honestus, aut alia mulier valde honesta.

8 Sexta est, quando quis solus cum sola in eodem lecto repertus est, præsertim solutis caligis, & muliere recusante aperire ostium. Menoch. *n.*11. *&* 12. post Felinum, Marsilium, Mascardum *De Probat. Conclus.* 59. *n.*6. *&* 7. loquentes utique de illo, qui vel semel ita repertus est. Vide etiam Barbosam *In cap. Literis. De Præsumpt.*

9 Septima est, quando quis solus cum sola in loco Secreto, & abdito deprehensus est; tunc enim haberi (violentam) suspicionem perpetrati adulterii tradit absolutè tum Barbosa *loc. cit.* citans Farinacium *In Praxi criminali. Part.*5. *q.*136. tum Menochius *n.*15. allegans Bartolum, Baldum, Decium, & alios cum Abb. *In cap. Præterea. De testib.* Verùm Abbas non ita absolutè loquitur, sed addit: *Si ejusmodi loco reperiantur se mutuò amplexantes, & osculantes*, ut etiam repetit *cap. Tertio loco. De Præsumpt.* cum quo addito satis probabilis est doctrina Menochii, & admittitur à Navarro *In Rubric. De Iudic. n.*10. Palao *disp.* 3. *De Matrim. seu De sponsal. punct.* 6. *§.*4. *n.*8. atque à Sanchez *loc. cit. n.*45. negante illam Cravettâ *Tom.* 1. *Consil.*265. *n.*45. citantéque pro se Rosellum.

10 Et, ut verum fatear, puto circumstantiam osculorum, amplexuúmque potiùs esse signum tentati, seu destinati, quàm jam perfecti adulterii, nam & oscula, & amplexus sunt præludia adulterii. Gloss. & Bartol. *In L.* 1. *ff. De Extraordin. crimin.* & qui suam libidinem ipsa copula expleverunt, non puto solere in loco suspecto diutius morari, & cum periculo deprehensionis vacare actibus longè minorem voluptatem adferentibus.

11 Unde à fortiori apparet, malè à Felino Covarruvia, Decio, Graffiis, *Lib.* 2. *cap.* 28. *n.*5. & aliis apud Sanchez *n.*46. & apud Menochium *n.*26. præsumptionibus violentis patrati adulterii, annumerari oscula, & amplexus; quare meliùs id negant hi Doctores, Barbosa *loc. cit.* & alii apud ipsos unà cum Guiberto Costano *Tract. De dot. cap.* 9. *n.*37. ubi etiam inde probat hanc doctrinam, quòd priscis temporibus apud Romanos non fuerit usus osculorum ferè ullus.

12 Cùm enim vino interdictum esset mulieribus, soli propinqui, ut scirent, an temetum, seu vinum olerent, peregre advenientes feminas osculabantur; quod quidem institutum, usu vini mulieribus concesso ita in mores hominum irrepsit, ut ab eo tempore amoris, officii, & honestorum affectuum oscula esse argumenta cœperint. Quare non est, ait hic author, tam ominosa præsumptio ex osculis capienda, ut inde adulterium conjiciamus.

Subdit tamen, aliud pronuntiandum de suavio, adeóque ab osculo distinguit suavium cum Donato docente, osculum esse officii, *suavium* verò quæsitæ voluptatis signum; alii tamen hæc duo vocabula non distinguunt. Lege si placet nostrum Paulum Scherlogum pererudité, ut solet, differentem de distinctione osculi, & suavii, *Tom.* 2. *in Cant. Cant.*

13 Xenia, seu munera hinc inde missa non gignunt certam suspicionem adulterii. Sanchez *num.*48. ubi præterea cum Mascardo *De Probat. Conclus.*150. *num.*1. & aliis dissentit à Menochio *n.*39. existimante, si reperiantur literæ amatoriæ à muliere ad virum scriptæ, quibus ea fateatur, se cum illo concubuisse, esse id pro re manifesta habendum, quòd etiam nonnulli, ut Parisius, absolutè pronuntiant de literis amatoriis.

14 Sed non assentior Parisio, nisi alia adminicula accedant, quia cùm amatoriæ literæ non sint magis signum patrati, quàm patrandi adulterii; rectiùs à judice explicantur, ut signum mali propositi, saltem quando non constat, eos convenisse eo loco, in quo potuerint explere libidinem, quandoquidem *in rebus ambiguis humanior sententia sequenda est.* Text. Legis. *Si fuerit. ff. De rebus dubiis.* Si autem in iis amatoriis literis fateatur mulier patratum adulterium, tum non est improbabilis opinio Menochii, & Palai *loc. cit.* censentium, posse maritum ab ea divertere. Nam talis Confessio, etsi extrajudicialis, potest æquivalere assertioni unius testis omni exceptione majoris. Palaus *loc. cit.*

15 Ob quam etiam causam assentior Cravettæ *cit. Consil.* 105. quod de hoc ipso casu conscripsit; itémque Menochio *num.* 24. contra Angelum, & Felinum negantibus, ab uxore, quæ inscio, vel invito marito abnoctavit, præberi sufficientem occasionem formandæ suspicionis violentæ; illa quippe abnoctatio fieri etiam potest facilè ob alias causas. Unde nec Religiosum damnarem crimine fornicationis, etsi de nocte egressus esset è Monasterio, & manè rediisset.

16 Octava, aut secundùm alios in decursu indicatos, decima è violentis violati alieni tori suspicionibus est Confessio alterutrius partis in judicio, ita ut si Cajus in judicio fateatur, usum se carnali commercio Cajæ, ejusmodi Confessio Cajam reddat suspectam adulterii.

17 *Cap. Significásti. De Adulter.* At non sufficit illa Confessio ad Cajam damnandam; cùm nulli de se Confesso adversus alium in eodem crimine sit credendum, nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alterius. Text. *in Cap. Veniens.* 1. *De testib. & attest. & cap.* 1. *De Confessis*, Consentiunt clarè Gloss. Abb. & Barbosa *In cit. cap. Significásti*, post Bajardum. Item post Jasonem & Parisium Mascardus *De probat. Volum.* 3. *Conclus.* 1311. *n.* 8. ubi insuper *n.*9. subdit, ejusmodi nominationem, seu, ut vocat, Confessionem, ne quidem sufficere ad inquisitionem formandam, nisi concurrentibus aliis indiciis, ut limitat *n.*11.

Unde apparet errare illos judices, qui puellæ, uterum gerenti, & asserenti, se à Sejo imprægnatam, credunt, quantumvis perneget Sejus. Alexander & alii relati in Experientiis *Tract.* 10. *n.* 188. Rectiùs facerent, si secuti decisionem *cit. cap.* 1. *De Conf. ff. & cap. Significásti. De Adulter.* juramentum purgatorium deferrent Sejo. Vide dicenda *cap.*42. *n.*46. Sed & negat Sanchez *n.*48. *&* 49. licèt quis, vel quæ extra judicium glorietur, aut dicat, à se commissum adulterium, hanc Confessionem esse ei præjudiciosam, nisi eatenus, ut possit torqueri, eò quòd Confessio extrajudicialis non plenè probet, sed tantùm det indicium sufficiens ad torturam ita confessi. Mascardus *De probat. Conclus.*350. post Gloss. Bartol, alios.

SECTIO II.

De probationibus simplicis fornicationis.

SUMMARIUM.

Non omnes actiones probantes adulterium probant simplicem fornicationem. 19.

Confessarius an negabit absolutionem puellæ plebeæ non habenti firmum propositum non admittendi amplius in suum lectum amasium, quem sæpius admisit sine exercitio ullius turpis actûs? 20.

Conventus frequens in loco etiam obscuro non facit suspicionem violentam patratæ fornicationis. Ibid.

Quid si præcesserit prohibitio talis commercii? 21.

Quid si Clericus habet tale commercium? Ibid.

In Germania nulla paritur suspicio ex cohabitatione matris, aut sororis cum Clerico. 23.

Non admittendæ ex fœminæ, quæ possunt parere suspicionem. 24.

Quæ circumstantiæ minuant suspicionem fornicationis? 25.

Actiones sufficientes ad formandam in foro externo præsumptionem de patratâ fornicatione, sufficiunt etiam privato homini, ad suspicionem non temerariam. 26.

Desciutitur casus de asserta, & negata copula. 28. *& seqq.*

19 QUæres fortè. *An actiones, quas diximus sufficere ad violentam præsumptionem adulterii, sufficiant etiam ad violentam suspicionem simplicis fornicationis, si videlicet versentur circa personas omnino solutas?*

RESP. Absolutè non sufficere omnes, & singulas, eò quòd constet, valde sæpe inter solutas exerceri ejusmodi actiones nonnullas, eâ solùm intentione, ut aliquam dispositionem ad sponsalia faciant; & liquidò scio, crebrò fieri, præsertim inter plebejos, & rusticanos, ut eodem in lecto aliquot horas induti & exuti cubent, & tamen nil omnino impudicum agant, vel non nisi oscula, & turpes attrectationes exerceant.

20 Unde judico, non posse à Confessario negari absolutionem, omnibus illis puellis plebejis (aliud ob varias considerationes sentio de nobilibus) quæ non videntur habere propositum nunquam ampliùs admittendi in lectum procum suum, sed si qua, ut quandoque fit, asserat illum sexies vel octies secum in eodem lecto jacuisse, verùm nihil mali petiisse, aut fecisse, absolvendam videri, esto non proponat, non amplius illum admittere. Ratio est, quia Confessarius non debet absolutionem pœnitenti negare, ea sola de causa, quòd hic nolit deserere occasiones remotas peccàdi, nec enim tenetur eas vitare pœnitens. Laymann. *Lib. 1. Tract. 6. cap. 4. n. 9.* ex communi. Atqui pœnitens, de quo loquimur, est solùm in remota occasione peccandi; illa enim est solùm remota, in qua etsi fueris sæpe constitutus, attamen semper, aut communiter tentationes vicisti. Laym. *loc. cit.* & clarissimè Card. de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. disp. 14. sect. 10. n. 149.* Vide dicta *cap. 11. n. 4. & 5.* Unde à fortiori apparet, non haberi violentam suspicionem patratæ simplicis fornicationis, licèt constet, quòd puella, & adolescens loco obscuro, atque ad actum venereum commodo, sæpius convenerint; quamvis utique quilibet parens debeat esse memor illius moniti. *Eccles. 7. v. 26. Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum.*

21 Sed & cap. *Tertio loco, De Præsumpt.* satis innuitur, & à Panorm. *in id cap.* apertè traditur, quamvis constet, *puellam, & juvenem in simul per plana, & nemora, vias, & in via pluries convagatos fuisse*, id nihilominus non esse sufficiens argumentum admissæ fornicationis. Addit tamen Abbas hanc limitationem: Nisi præcessisset monitio de ejusmodi commercio vitando. Quæ limitatio mihi non displicet, præsertim si trina, eáque valde seria præcessisset, Argum. *Leg. Si quis ei. C. Ad Leg. Iuliam. De Adult.*

Insuper tradit Menochius *loc. cit. num. 19.* post Felinum, & alios, si Clericus, aut Religiosus reperiatur in domo alicujus pulchræ mulieris, in loco tamen abdito, & secreto, & mulierem amplexans, manifestum haberi admissæ fornicationis argumentum. Quod etiam puto esse verum, si sæpius est ita deprehensus; at si tantùm semel, malo hîc quoque habere locum doctrinam allatam, *n. 10. & 11.*

Porrò, quod idem Menoch. *cit. Lib. 5. Præs.* 22
17. n. 9. juncto. n. 1. absolutè tradit, Clericos & Sacerdotes, cum quibus habitet mater, aut soror, vel amita, non carere quali quali suspicione, eò quòd *Cap. 1. De cohabit. Cleric. & mulier*, inhibeatur, ut nullus Sacerdos eas retineat, mihi non absolutè probatur, quandoquidem *Cap. A nobis. eod.* illimitatè permittuntur Clericis eæ personæ, in quibus *naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari*; & Cap. *Cùm omnibus distinct. 81.* nominatim permittitur mater, avia, matertera, amita, sorores, & filiæ fratrum, aut sororum. Unde meritò do cet Glossa *In cit. cap. 1. De cohabit. &c.* Abb. *ibid.* & Anastasius Gemon. apud Barbosam *In cit. cap. 1.* non repugnantem, decisionem illius capituli esse intelligendam de illis solis, quorum cum matre, aut sorore consortium est ob peculiarem aliquam rationem suspectum.

Certè in Germania exploderetur, & quidem 23
meritò, qui accusaret Clericorum cohabitationem cum matribus, sororibus, amitis. Imò, quamvis Menochius *cit. Præsumpt. 16. num. 7.* post Cravettam *cit. Consil. 105.* favente Glossa *in cap. 1. De cohabit. Cleric. & Mulier.* absolutè pronuntiet, cohabitationem Clerici cum consanguinea, & affini, non vacare suspicione fornicationis, id tamen ita generatim dictum negat meritò Abb. *cit. cap. 1. De cohabit. &c.* repugnátque praxi universali Germaniæ, quæ etiam, sicut expressè Constitutiones Synod. Constantienses *p. 2. Tit. 17.* permittit, ut Clerici habeant domi suæ extraneas, de quibus suspicio sinistra facilè concipi non possit; licèt Abb. *loc. cit.* nolit, ut etiam optimæ famæ mulieres extraneæ habitent cum Clerico ob periculum lapsûs. Rectiùs diceret Abbas cum Syricio Papa relato, *Cap. Fœminas. dist. 18. Fœminas non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantùm, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permisit.* Quod etiam traditur *cap. Cùm omnibus, distinct. 81.* desumpto ex Concil. Carthaginensi.

Et hoc sensu intelligendi sunt Canones plu- 24
res, qui *cit. distinct. 81.* vetant, ne cum Clericis mulieres, aut illi cum his habitent. Maximè autem cavendum, ne etiam ex necessariis extraneis admittantur illæ, quæ sunt malæ famæ, tum quia *excludenda est omnis nefanda suspicio.* Text. *cap. In omnibus dist. 81.* tum quia *ubi est mulierum præsertim infamium cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt.* Text. *cap. Oportet. eod.* ex S. Gregorio.

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Fœmina, inquit Virgilius. *3. Georg.*

Colliges ex his. I. Præsumptionum vim mi- 25
nui ratione consanguinitatis, senilis ætatis, famæ integritatis, infrequentiæ actuum suspectorum, causæ, ob quam exercentur, cæliba-

tibatus, loci, temporis &c. Jacobus de Belloviso *in Practic. Criminali cap. 9. num. 48. & 49.* & adhuc distinctiùs eruditus simul atque pius D. Jodocus Damhouderius etiam *in Pract. Crim. cap. 90. num. 4. & 5.* Ubi addit: *In cognatione, affinitate, Ordine Ecclesiastico nullum suspicamur intercedere posse adulterium*, quod singulariter esse in Germania verum testantur tribunalia Sacra, profanáque.

Colliges II. Aliquas ex præsumptionibus, quæ sunt violentæ in iis locis, in quibus fornicationes, adulteria, incœstus valde crebrò committuntur, & leviter puniuntur, ut de Italia, Hispania, Gallia testantur scriptores alii, atque alii, non esse violentas in aliis locis, in quibus minùs dominatur impura libido, magísque puniuntur illius Rei, ut in Germania.

Colliges III. Haud immeritò in nostra Accusatione Canonica objici Sulpitio Merulæ, quòd non obscura, sed planè convincentia argumenta dederit violatæ non semel fidei conjugalis, propter circumstantias illic allatas.

26 Colliges IV. Omnes illas præsumptiones, quæ vel certò, vel probabiliter sunt violentæ omnibus spectatis, sufficere ad id, ut nec temerariè suspicionis, nec temerarii judicii reatum incurratis, qui propter aliquam ejusmodi præsumptionem suspicatur, aut etiam judicat, à tali aut fuisse commissum adulterium, fornicationémve. Probatur, quia ubi est certa, vel probabilis ratio suspicandi, aut judicandi, potest formari suspicio probabilis, judicium probabile, & prudens. Lessius *De Iustit. & Iure. Lib. 2. cap. 29. num. 1. & 37.* ergo potest sine peccato saltem injustitiæ formari judicium, & suspicio. S. Thom. *2. 2. q. 60. art. 3.* Et utique minores præsumptiones, seu rationes sufficiunt ad judicium privatum, quàm ad publicum. S. Thom. *loc. cit.*

27 Dictis de probatione simplicis fornicationis adde in primis ea, quæ in Experientiis, seu Tom. præced. *Tract. 10. Casu quinto* scripsi de probatione defloratis, deinde resolutionem hujus.

Casus facti, non ficti.

28 *Heribertus habuit quidem cum Trusilla aliquod occultum commercium, nullam tamen copulam; sub id tempus concipit Trusilla, sed ex alio, paritque ac nominat Leonicum patrem suæ prolis; prius tamen quàm pareret, veritus non absque causa Heribertus, ne ipse falsò nominaretur à Trusilla genitor, dedit illi pecunias vitandi illud periculum infamiæ, aliorúmque incommodorum causa. Nihilominus tamen Trusilla jam passim garrit, Heribertum esse verè patrem suæ sobolis. Infamiam hanc, noxiam non solùm honori, sed etiam fortunis, ferre non vult Heribertus, quare cogitat implorare officium judicis, ut hic silentium, imò palinodiam indicat Trusillæ. Interrogor à nonnemine sitne spes, fore ut Heribertus obtineat in judicio. Quid respondendum?*

Ratio dubitandi est hæc princeps, quòd 29
Heribertus negare non possit, esse à se datas Trusillæ pecunias, id quippe probari potest ejus Confessione, quæ tametsi extrajudicialis sit, attamen facit semiplenam probationem. D. D. multi apud Mascard. probat. *Concl. 349. num. 9.* Atqui nemo præsumitur donare rem suam. *Leg. Cùm de indebito. vers. Sin verò. ff. De Probat. Menoch. De Arbitr. Iud. Cas. 88.* quia scilicet donare est perdere, seu jactare, & effundere *cit. L. Cùm de indebito. vers. Qui.* Igitur tenetur Heribertus adferre causam datarum pecuniarum; cùm autem non possit ullam adferre causam verosimilem hujus erogationis, nisi ut oblimaret os Trusillæ, ne hæc publicaret, se ab eo vel fuisse cognitam, vel aliàs impudicè tractatam, Judex autem videatur posse, saltem accedente juramento Trusillæ, æquè credere, fuisse verè cognitam, atque duntaxat impudicè tactam, imò possit ex Confessione tactuum impudicorum, quos interfessisse necessariò fateri debebit Heribertus, ut liquet ex paulò antè dictis, inferri copula perfecta, quandoquidem hæc solet communiter ejusmodi fœditates comitari, periculosam aleam subibit ipse, si litem indicat Trusillæ.

Propter has, aliásque rationes respondi, fie- 30
ri quidem posse, ut contra Heribertum feratur sententia, vero tamen similius videri (nisi lateant fortè aliæ circumstantiæ facti) pro ipso pronuntiatum iri. 1. Quia *in claris non* est locus conjecturis. Barbos. *Axiom. 56.* clarum autem est, Heribertum non esse patrem illius prolis, siquidem propria Confessio & facit plenam probationem in præjudicium confitentis. Fernarius *In Pract. Crimin.* in forma libelli de *caus. vendit.* & est omnium probationum illustrissima. Menochius *Consil. 41. n. 14.* Mascard. de probat. *Concl. 1326. num. 4.* atqui Trusilla, etsi non in publico judicio, attamen legitimè interrogata de genitore suæ prolis, nominavit alium ab Heriberto. 2. In dubio non debet præsumi delictum. *L. Meritò. ff. Pro soc.* omnésque DD. consequenter non est in dubio præsumendum delictum majus, sed minus; expressè Tuschus *lit. I. Concl. 331. n. 82.* Etenim in obscuris quod minimum est sequitur. *Cap. In obscuris. De Reg. Iur. in 6.* & quidem semper. Text. in L. *Semper ff. eod.* Cùm ergo sit dubium, utrùm illa elargitio pecuniarum fuerit facta cum obligatione non revelandi tactus impudicos, an potius copulam, præsumendum est illud prius, non posterius, cùm copula sit delictum utique gravius, quàm impudicus tactus.

3. Si lis terminanda sit juramento, deferri 31
debebit Heriberto potiùs quàm Trusillæ, tum quia deferri debet illi, pro quo stat præsumptio

juris, non autem illi contra quem. Fulvius. *L. 2. De Probat. c. 46. n.* 104. post Gloss. tum quia deferendum est reo potiùs quàm actori. Barbosa. *In cap. finale. De Iurejur.* Heribertus autem infamatus dum accusat, agit partes Rei; ut notant DD. in L. *Diffamari. C. De Ingenuis.* atque Andreas Gaill. *Observat. Lib. 1. Observat. 11. n. 3.* tum quia etiam juranti non creditur adversus ea, quæ priùs asseruit. Cap. *Per tuas. De Probat.*

32 Ad rationem productam *n.* 29. quòd scilicet si fateatur (sicuti fateri debebit) intercessisse tactus impudicos, sit præsumptio sumenda de ipsamet copula, negatur subsistere hanc præsumptionem, nec enim verum est, quòd tactus impudicos communiter, id est communiùs sequatur copula, sicuti nôrunt Confessarii longo usu periti; & quia à magis, non autem à minùs communiter evenientibus debet sumi præsumptio argument. Cap. *Inspicimus. De Reg. Iur. in 6.* ibi; *vel olerumque fieri solet*, idcirco est potiùs secundùm hanc Regulam præsumendum, quòd non sit, quàm quòd sit secuta copula; cùm præsertim agatur hic de majore delicto, cujus præsumptionem ita horrent Jura, ut etiam ad rariùs contingentia respiciant, quando hic respectus est necessarius ad absolvendum à peccato. Unde licèt rarò contingat, aliquem nasci septimo mense, vel à matre quinquagenaria, tamen hunc rarum casum considerat: & eum, qui sic natus est, non ante nuptias, sed pòst, ex legitimo matrimonio natum esse præsumit Jus. Peckius *in cit. cap.* Inspicimus, ex L. *Septimo mense. ff. De Statut. homin.* & L. *Si major. Cod. De Legit. Hæred.*

SECTIO III.

Adulterii Pœnæ.

SUMMARIUM.

Pœnæ Ecclesiasticæ Statutæ generatim in Laicos adulteros. 33.
Et in Clericos. 34.
Quæ Statutæ à jure civili? 35.
Eæ non observantur. 36.
Non sit in foro conscientiæ ulli privato jus occidendi adulteros deprehensos in flagranti. 39.
Refertur novum Decretum Alexandri septimi super eâ re. Ibid.
Aliæ pœnæ adulterii. 40.
Omne adulterium potest per se loquendo puniri ab utroque Magistratu. 41.
Et proinde punitus ab uno Magistratu, puniri potest etiam ab altero. 42.
Iudex Ecclesiasticus potest indicere pœnam etiam pecuniariam. 43.
Imò & carceri mancipare. 44.
Absolutus ab uno judice, potest ab altero citari, & si reperitur reus, puniri. 45.
Persona exempta nequit puniri ab utroque Magistratu. 46.

QUæres I. *Quæ sint adulterii pœnæ à Iure Statutæ?* 33

RESP. Sequentes. I. Excommunicantur adulteri. Text. *in cap. Intelleximus. De adulter. & cap. final. 32. quæst. 5.* Sed hæc jam non est in usu, saltem apud Germanos, nisi fortè respectu adulterorum, concubinas domi habentium, de quibus vide Trident. *Sess. 24. cap. 8. De Reform. Matrim.* & Synodum Constantiensem *P. 2. Tit. 17.*

II. Clericus adulter deponitur, & in Monasterium perpetuò detruditur. Text. *Cap. Si quis Clericus. Distinct.* 81. Hæc etiam pœna non est in usu apud nos. Nec tamen verum est, saltem de Germanis Sacerdotibus id, quod Alciatus apud Julium Clarum *Recept. sent. Lib. 5. §. Adulterium, n. 7.* audacter sanè, & iniquè scribit; ac ideo non referendum hoc loco. 34

III. Capite plectitur adulter. Text. *L. Quamvis 2. C. Ad Leg. Iuliam de adulter.* ibi: *Sacrilegos nuptiarum puniri gladio oportet.* Mox tamen subjicitur authentica ita mitigans: *sed hodie adultera verberata in monasterium mittatur, quam intra biennium viro recipere liceat &c.* 35

Verùm in multis Imperii urbibus, & Provinciis, adulteri vel omnino non puniuntur capitali supplicio, vel certè non nisi postquam jam fuêre bis ob adulterium affecti minori pœna, ut nominatim statuitur in Jure Bavarico *Lib. 5. p. 6. Tit. 9.* ubi pro prima vice decernitur carcer menstruus, mulcta pecuniaria, statio ad portam Ecclesiæ; pro secunda privatio insignium, deportatio in perpetuum exilium &c. juxta diversitatem tum conditionis plebeiæ, aut senatoriæ &c. tum adulterii, simplicis, inquam, vel duplicis; demum pro tertia vice ultimum supplicium. Deinde idem Clarus *loc. cit.* testatur, ac meritò dolet, quòd sua ætate passim apud omnia ferè tribunalia adulteri impune evaserint. Vide quid ex Fabro referat idem Clarus, quid etiam Damhouderius *in Pract. Crimin. cap. 19. num. 3.* ne tamen credas. 36

IV. Adulterii pœna est, quòd vir uxorem in flagranti deprehensam impune cum adultero interficiat. *Leg. Marito. ff. Ad Leg. Iuliam de adulteriis. & Leg. Gracchus C. eodem.* Ac similiter pater filiam suam sub sua potestate constitutam, & domi suæ, patris, inquam, adulterio vacantem etiam impune trucidet cum mœcho. *L. Nec in ea. & L. Quid ait lex. ff. Ad Legem Iuliam de adulter.* Quibus legibus respectu mariti nil derogari vult Jus Bavaricum. *Lib. 5. Part. 6. Tit. 9. art. 9.* 37 38

Quam

39 Quamvis autem plures Jureconsulti, ut videre est apud Sanchez *Lib. 10. De Matrim. disp. 8. n. 37.* existiment, per prædictas leges særi potestatem marito, & patri, occidendi uxorem, & filiam, ita ut illi sint pública authoritate constituti carnifices uxoris, & filiæ, id tamen rectiùs negant tum permulti alii Jureconsulti, ut Damhouderius *cit. cap. 90. n. 14.* Covarr. *Epit. in 4. Decretal. cap. 7. §. 7. n. 15. & seqq.* cum plurimis à Sanchez *loc. cit. n. 39.* relatis, tum communi calculo Theolog. post S. Thom. *in 4. dist. 34. q. 2. art. 1.* Et ratio est, quia nec bono communi prodest, & æternæ saluti adulterorum plurimùm obest facere hanc positivam potestatem. Quare prædictæ leges dissimulant, non autem approbant ejusmodi necem, & qui utitur beneficio illius dissimulationis, peccat mortaliter. Rationes pro, & contrà proponit, dissolvítque fusè Sanchez, & Covarruvias *ll. cc.* Videri etiam potest Lessius *De Iustit. & Iur. Lib. 2. cap. 9. dub. 5.* & denique adde, esse ab Alexand. VII. vetitam hanc sententiam: *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

40 V. Adulter non potest esse testis. Additionarius Clari *in cit. §. Adulterium, lit. F.* Nellus *Tract. De Test. num.* 18. Aufrerius *Tract. De Test. n.* 10.

VI. Adultera punitur amissione dotis, ita ut hujus etiam proprietas transeat in jus mariti, sicuti ostendemus & declarabimus *cap.* 40. Paraphernalia quoque amitti ob adulterium putat Clarus, sed refutabitur *eod. cap. 40. n. 8.* sicuti & illi, qui ob osculum amitti dotem ajunt.

VII. Adulterium punitur divortio.

VIII. Adulterium plectitur mutua compensatione.

Hæ duæ postremæ pœnæ, quia frequentiùs occurrunt in foro interno, & externo, distinctiùs explicandæ sunt sect. sequenti. Priùs tamen circa prædictas pœnas generatim.

41 Quæres II. *Quandoquidem ex dictis apparet, adulterium puniri à Magistratu tam seculari, quàm Ecclesiastico, omnéne adulterium possit ab utroque Magistratu puniri?*

RESP. Per se loquendo potest. Barbosa *coll. in Ius Canon. cap. Tuæ. De Procurator.* plurimos referens. Ratio est, quia crimina mixti fori possunt puniri ab utroque Magistratu. Clarus *In Pract. Crimin. q. 57. n. 17.* Est autem adulterium crimen mixti fori. Barbosa *loc. cit.* Clarus *loc. cit.* atque alii, patétque ex descriptione criminis mixti fori, est enim peccatum lege naturali simul & civili, vel pontificia, simul & laica veritum, ut probat, & defendit Navarr. *Relect. in cap. Novit. De Iudiciis Notab. 6.*
42 *num.* 40. Et proinde, licèt adulter ab uno horum Magistratuum punitus sit, poterit ab altero gravius puniri. Clarus *cit. quæst. 57. n. 14.* ex communi. Nisi fortè pœna ab Ecclesiastico judice inflicta, fuerit sufficiens ad criminis punitionem, & culpæ mensurata; tunc enim non est illud crimen à judice sæculari puniendum, Covarruv. *Lib. 2. Variar. Resol. cap. 10. n. 6.* ex communi; sicuti neque judex Ecclesiasticus rectè facit, si puniat illum, qui à laico Magistratu est tantâ pœnâ affectus, quantam potuisset infligere Ecclesiasticus judex. Clarus *cit. q. 57. n. 14.* Sanchez *Lib. 3. De Matrimon. disp. 54. n. 8.*

Notat autem, probátque Covarruvias *loc. cit. cap. 9. n. 9.* post Abb. *in cap. Licèt 7. De Pœnis*, & consentiente Manrique *Part. 2. q. 6.* posse quandoque (nam promiscuè id fieri vetatur *cit. cap. Licèt.*) à judice Ecclesiastico plecti delicta pœnâ pecuniariâ. Imò posse quo- 44
que laicos (de Clericis nemo dubitat) ob delicta ad forum Ecclesiasticum spectantia, carceri mancipari contendit idem Covarruvias *Pract. quæst. cap. 10. n. 2.* dissentiente Claro *cit. q. 37. n. 7.* qui *cit. q. 57.* notat, licèt ordinariè nequeat à Superiore Magistratu puniri is, qui ab inferiore, seu subordinato jam est punitus, esto sit (citra dolum, fraudem, aut collusionem) minore, ac merebatur, supplicio affectus, attamen quando judices habent jurisdictionem planè diversam in diversis provinciis, tunc si delictum commissum in uno loco possit puniri à diversis judicibus in solidum, condemnationem factam ab uno, & exactionem pœnæ non obesse, quò minùs ab alio possit iterum accusari, & puniri.

Unde à fortiori patet, posse utique fieri, ut 45
absolutus ab uno judice, ab alio sistatur examini, & plectatur, ut fusè declarant Covarruvias *Variar. Resol. Lib. 2. cap. 10. num. 2.* ac Julius Clarus *cit. q. 57.* Et explicat Covarr. quo pacto huic doctrinæ non repugnet Text. *Cap. De his. 10. De Accusation.* qui ita habet: *De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari.*

Dixi superiùs, posse omne delictum per se 46
loquendo puniri ab utroque Magistratu, nam per accidens quandoque non potest, quia scilicet adulter. v. g. est exempta persona. Unde adulterum Clericum nequit punire Magistratus civilis: *Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Text. Cap. *Cùm non ab homine. De Iudic.* Cæterùm ex dispositione Trident. *sess. 24. cap. 8. De Reformat. Matrim.* potest judex ex officio, & non solùm ad instantiam partis, procedere ad punitionem adulterii.

SECTIO IV.

De divortio ob adulterium.

SUMMARIUM.

Potest adulter divertere ab adultera. 47.
Inter conjuges est par causa. Ibid.
Divortium ob adulterium est ex se perpetuum. 49.
Maritus occultus adulter nequit uxorem notoriè adulteram dimittere invitam. 50.
Nec dimitti potest adultera, quæ probabiliter censebat, maritum esse mortuum. 51.
Sicut nec illa, cui maritus remisit adulterium. 52.
Quandonam censeatur tacitè dimittere, seu condonare? 53.
Jus divortii provenit à lure naturæ. 54.
Quo casu pars innocens teneatur dimittere à se nocentem? 57.
Est solius Ecclesiastici Magistratus ferre sententiam divortii. 60.
Et quidem potest uxor coram tali Magistratu accusare civiliter maritum adulterum, non tamen criminaliter. Ibid.
Sicut nec uxor potest accusari in Ordine ad divortium, licèt passa amplexus, oscula, aut etiam mammillarum tactus. 62.
Nomine fornicationis, ob quam Christus permisit divortium, quid intellexerit ipse? Ibid.
An ob amplexus, & oscula amittatur dos? 63.
Quomodo probandæ præsumptiones adulterii, quando est in foro externo ferenda sententia divortii? 64.
Quomodo, & quando pars innocens valeat eam dimittere propria authoritate? 65. & 66.
Ad divortium quoad torum non exigitur per se judicium Ecclesiæ. 68.
Quando uxor litigat cum marito ratione adulterii, maritus debet facere expensas. 69.

47 QUæres I. *An, & quale divortium permittatur ob adulterium?*

RESP. I. Maritus innocens potest ab uxore adultera divertere, Est de fide ex Matth. 19. *vers.* 10. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem &c.* II. Potest etiam innocens uxor à marito adultero divertere. Cap. *Intelleximus. De adulter. & stupr. cap. fin.* 32. *q.* 5. & *cap. Placuit quæst.* 7. Nam inter eos est par causa. *cit. cap. fin.* Quare falsa, & temeraria est doctrina Cajetani *in cit. loc. Matthæi*, negantis, posse ab uxore innocente dimitti adulterum maritum. Sanchez *Lib.* 10. *De Matrim. disp.* 13. *n.* 6. Nec obest, quòd adulterium sit in uxore multò detestabilius, quàm in viro. Tiraquellus eruditè *in L.* 1. *connub. Gloss.* 1. *Part.* 1 *num.* 45. post S. Thom. *in* 4. *distinct.* 15. nam nihilominus crimen, quod admittit adulter maritus, continet malitiam huic pœnæ æqualem, & periniquum est ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. Text. in *L. Si uxor. ff. Ad Leg. Iul. de adulter.* §. Judex.

III. Illud divortium non est quoad vincu- 49
lum. Trident. *sess* 24. *can.* 7. sed tantùm quoad torum, & cohabitationem. *Matthæi* 9. *v.* 10. & *Cap.* 1. *De divort.*

IV. Est autem de se perpetuum. *cap. Intelleximus. De adulter. & stupr.* Quia tamen paria delicta mutua compensatione tolluntur. Text. *cit. cap. Intelleximus*, si pars una conjugum post dimissam alteram partem adulteram fornicetur, plurimi Doctores contra plurimos alios apud Sanchez *cit. Lib.* 10. *disp.* 9. *quæst.* 3. *n.* 30. existimant, posse illam partem, quæ post divortium peccavit, compelli ab ea, quæ priùs peccârat, & repudiata fuerat, ut repudiatam admittat denùo ad torum, & cohabitationem. Et verò judicem teneri ejusmodi adulteros etiam non petentes, reconciliare, tenet ipse Sanchez *loc. cit. n.* 11. ut videlicet periculo fornicationis crebrioris occurrat.

V. Quòd si maritus, e. g. occultè violâsset 50
fidem conjugalem, non posset uxorem notoriè adulteram à se repellere. Sanchez *cit. Lib.* 10. *disp.* 6. *n.* 9. Palaus *disp.* 3. *De Matrim. punct.* 6. §. 2. cum plurimis Theologis, & Jureconsultis. Ratio est, quia Innocentius III. *cit. cap. Intelleximus.* Absolutè pronuntiat, paria delicta mutua compensatione tolli. Quæ ratio probat, nil interesse, sive ante, sive post adulterium uxoris notorium, maritus occultè polluat conjugalem thalamum. Glossa *in cap. Veniens, De Conversf. conjugat.* Sanchez *cit. disp.* 6. *num.* 6. cum aliis, & satis indicatur. *Cap. Significásti. De divort.*

VI. Sed neque dimitti potest uxor, si vel 51
planè coacta, vel connivente marito, vel probabiliter rata, maritum esse mortuum, adulterium admisit. Sanchez *cit. Lib.* 10. *disp.* 15. & communi fusè hæc explicans.

VII. Si quoque contingat, ut conjux con- 52
jugi adulterium condonet, facta condonatione nequit uti jure dandi libellum repudii. Text. *Leg. Si maritus.* 25. §. *Si negaverint. ff. Ad Leg. Iul. De Adulter.* sive condonaverit expressè, sive tantùm etiam implicitè. *Leg. Crimen.* 12. *Cod. eod.*

Censetur autem condonâsse tacitè, si con- 53
scius admissi adulterii commisceatur cum parte adultera, seu reddendo, seu exigendo debitum conjugale. Glossa *in Cap. fin. De adulter.* quam ab omnibus admitti testatur Covarruv. *Epitome in* 4. *Decretal. Part.* 2. *cap.* 6. §. 6. *n.* 11. & innumeris relatis explicat Sanchez *cit. L.* 10. *disp.* 14. *Conclus.* 1. Et ibidem *Conclus.* 2. *ad* 3. cum communi tradit, eandem esse rationem,

si maritus, exempli gratia, adulteram uxorem post cognitum adulterium domi suæ sponte retineat, vel se familiarem exhibeat, ut simul ridendo, ludendo, comedendo.

54 Ratio horum omnium est, quia cùm divortii faciendi potestas à jure naturali, divino, & humano concedatur in favorem conjugis innocentis. Argum. multorum Capitulorum, Tituli. *De divortiis & adulterio*, potest conjux innocens illi favori renuntiare, quia nemo tenetur jure suo, seu favore uti. *L. Si quis in conscribendo. C. De pactis. & cap. Quod ob gratiam. De Reg. Iur. in* 6. Potest autem renuntiare, seu apertè verbis, seu tacitè factis. Nam facta magis animum produnt, quàm verba. *L. Si tamen* 48. §. *Ei qui. ff. De ædilit. edicto. Cap. Dilecti.* 52. *De Appellat.*

55 VIII. Debent autem illa seu verba, seu facta non dissentire ab animo; si enim maritus e. g. fictè dicat uxori, se ei remittere adulterium, aut cum ea commercium maritale habeat, interim cogitans, velle se uti repudii jure, ea facta, vel verba non oberunt, quo minus, salva conscientia possit à se dimittere uxorem cùm lubuerit. Sanch. *Lib.* 10. *disp.* 14. *n.* 21. contra Sotum, & Vegam eruditè hoc probans, & defendens cum multis, subdens tamen *n.* 22. si non expressè cogitet maritus, velle se uti jure repudii, tum hoc ipso excidere illo jure.

56 IX. Porrò illa condonatio seu verbis, seu factis expressa non extenditur ad futura, sed solùm ad præterita adulteria. Covarruv. *cit.* §. 6. *n.* 11. Sanchez *cit. Lib.* 10. *disp.* 5. *n.* 29. Palaus *cit. Part.* 6. *n.* 6. dicens hoc esse certissimum, etsi repugnent Salicetus & Angelus apud Sanchez. Ratio est, quia actus agentium non extenduntur ultra intentionem eorũ. *Leg. Non omnis numeratio. ff. Si cert. petetur.* atqui mariti condonantis intentio nequaquam extenditur ad futura adulteria. Argum. *Legis. Non aliàs* §. 1. *De Iudiciis.* Ubi deciditur, Legati crimina, tempore legationis patrata plecti posse, esto ex dispositione. *L. Sanctum. ff. De rer. division.* promissa fuerit ipsi securitas.

57 X. Tametsi *n.* 54. dixi, conjugem innocentem non teneri jure uti, quod habet ad dimittendam partem nocentem, id tamen non habet universim locum respectu partis nocentis, in adulterio contumaciter persistentis; etenim *Cap. Si vir. De adulter. & cap. Quemadmodum.* §. *fin. De Iurejur.* pronuntiatur, illum maritum fore reum, & participem criminis uxoris, qui sciens, eam deliquisse, & permanere in fornicatione, vixerit cum illa.

58 Quia tamen hæc capitula non condunt novum jus, sed solùm explicant naturale. Sanchez *Lib.* 10. *De Matrim. disp.* 13. *n.* 11. nituntur quippe præsumptione viri consensûs in adulterium uxoris. Paludanus *in* 4. *dist.* 35. *q.* 1. *a.* 7. Antoninus, Gabriel, & Ledesma, quos refert, & sequitur Sanchez *ibidem*, seu præsumptione scandali inde formidandi, quòd vir uxorem pergentem vacare illicitæ veneri non dimittens videatur consentire in ejus libidinem. Sanchez *ibidem*, idcirco, ubi potest maritus illud scandalum amovere, retinendo adulteram, potest eam retinere. Victoria, Vega, Sotus, & Sanchez *loc. cit. num.* 15. Palaus *cit. disp.* 3. *p.* 6. §. 3. Atqui potest ferè semper, vel omne scandalum amovere. Sanch. *n.* 15. vel efficere, ut sit merè passivum, & non activum, Sanchez *num.* 24. & Coninck *Tom.* 2. *in* 3. *Part. disp.* 35. *dub* 3. *num.* 19. idcirco rarissimè obligat præceptum dimittendi uxorem pertinacem, eive debitum negandi. Coninck *loc. cit.* Palaus *loc. cit.* Sanchez *n.* 25. qui *n.* 8. cum aliis latè dissentit à S. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *q. Vnic. art.* 2. *in Corp.* & aliis asserentibus, obligationem dimittendi uxorem adulteram provenire quoque ex præcepto correctionis fraternæ. Sed rectè ostendit Sanchez, & Palaus, ea dimissione non corrigi projectas in libidinem, detritæque frontis uxores, & præceptum correctionis fraternæ non obligare cum tanto incommodo, quantum solet præcedere, comitari, atque sequi divortia.

Quæres II. *Sitne divortium ratione adulterii* 59
faciendum publica, an privata authoritate?

RESP. Fieri potest publica, fieri potest privata authoritate partis innocentis. Prima pars patet ex toto titulo *de divortiis*, & à nemine negatur; altera pars est multùm controversa, negatúrque à multis Theologis, & Canonistis, quos partim Barbosa *in cap. Porrò. De divortiis* illos sequens, partim Sanchez refert; sed tamen sustinetur à maximis Doctoribus, quos nominat, sequitúrque Sanchez *Lib.* 10. *De Matrim. disp.* 12. *n.* 5. & 31. Quibus addo Ægidium Coninck *De Sacrament. disp.* 15. *dub.* 1. Filliucium *Tract.* 10. *cap.* 10. *num.* 385. Palaum *loc. cit.* §. 4. Dicastillo *De Matrim. disp.* 10. *dub.* 6. *n.* 71. Probatur autem ex cap. *Dixit Dominus* 32. *q.* 2. ubi S. Hieronymus ait: *Vbicunque fornicatio est, aut fornicationis suspicio* (violenta, aut explicat Gloss. *in cap. Maritis, de adult.* & Palaus *disp.* 3. *Punct.* 6. §. 4.) *libere dimittitur uxor.* Quò verò meliùs intelligatur utraque hæc responsio, notanda sunt sequentia.

I. Non est Laici, sed Ecclesiastici Magistra- 60
tûs pronuntiare sententiam divortii. Probatur infrà *ad lit. L.* 3. II. Etsi uxor adulterum maritum non potest accusare criminaliter, *L.* 1. *Cod. De adult.* Covarruv. *Epit. in* 4. *Decret. Part.* 2. *c.* 7. §. 6. *n.* 9. Palaus *loc. cit.* quantumvis possit adulteræ uxori à marito innocente intentari actio criminalis *cit. L.* 1. *Cod. De adult. ad Leg. Iuliam*, nihilominus potest hæc illum accusare civiliter, ad obtinendam

tori separationem, suæque dotis restitutionem. *Cap. 1. Vt lite non contest.* Sicuti etiam potest vir uxorem adulteram accusare civiliter, esto fortè priùs criminaliter accusâsset. Nam utique fas est, ob unum delictum intentare successivè judicium criminale, & civile. Julius Clarus *Lib. 5. §. fin. q. 2.* Sanchez *Lib. 10. De Matrim. disp. 8. n. 19.* non tamen simul æquè principaliter. *Leg. Vnic. C. Quando civilis actio criminali præjudicet.* Clarus & Sanchez *ll. cc.* Qui tamen Sanchez contendit, judicium de divortio esse criminale. Sed repugnat. Cap. *Tuæ. De procurat.* ubi dicitur: *Hujusmodi accusatio, etsi de crimine fiat, non est tamen criminalis, sed quasi mixta inter civilem, & criminalem.*

61 III. Qui ob divortium accusat de adulterio, debet esse instructus probationibus violentis, nec enim potest quis ratione adulterii compelli ad divortium nisi ob præsumptiones violentas. Gloss. *In Cap. Maritus. De divort.* Menoch.
62 *De Præs. Lib. 5. Præs. 41.* Clarus *loc. cit. §. adult. n. 16.* Illæ autem præsumptiones debent esse de adulterio reipsa patrato. Sanch. *disp. 4. n. 12.* cum plurimis Theologis, & Jureconsultis contra Felinum & alios quosdam, ratos, posse repelli uxorem, quæ passa est voluntariè amplexus, & oscula libidinosa, tactúmque mammillarum, esto secuta non sit copula. Sed refutantur inde, quòd *Matth. 5. & 19.* non permittatur divortium, nisi fornicationis causa, intelligendo illic nomine fornicationis illum omnem, & solum illicitum actum, quo quis carnem suam in alium, vel aliam dividit. *Cap. Dixit Dominus 32. q. 1.* atqui per solum reale adulterium dividit conjux cum alio illicitè suam carnem, & quidem per solum integre completum. Sanchez *cit. disp. 4. n. 13.* qui *n. 3.* bene explicat illam carnis divisionem.

63 Adde, quòd cùm ex una parte repulsio uxoris sit res gravissima, atque ignominiosissima, ex altera autem parte illa oscula, & amplexus, aut tactus satis facilè contingant, nec usque adeò atrocem injuriam contineant, non videatur lex naturalis, à qua jus divortii ortum duxit, ob hasce actiones permittere ejusmodi repulsam, esto fortè leges civiles amissionem dotis permittant ob istas actiones, ut vult Julius Clarus *Lib. 5. §. Adulterium. n. 16.* post Baldum, dissentiente tamen Menochio *loc. cit. n. 36. & De arbitrariis Iudic. Casu 187. num. 8.* Esto etiam potestas occidendi filiam in adulterio deprehensam, extendatur ad deprehensam in hisce actionibus secundùm Bartolum. *L. 1. ff. De Extraordin. Crimin.* & Damhouderium *In Pract. Crimin. cap. 89. n. 25.* Certè illa doctrina Felini non habet locum in Germania.

64 IV. Illæ ipsæ præsumptiones violentæ debent probari per testes omni exceptione majores. Sanchez *disp. 12. num. 51.* Et quidem non singulares. Sanchez *Ibid.* & Clarus *In Pract. Crimin. q. 53. num. 19.* Et quamvis, quando 65 conjux innocens vult dimittere nocentem, seu ab illa recedere ob adulterium, debeant adesse etiam suspiciones violentæ patrati adulterii. Gloss. *In Cap. Maritus. De Adulter. & in cap. Dixit Dominus. 32. quæst. 1.* Palaus *cit. §. 4. n. 7.* alioqui nimis facilè, frequenter, atque injustè fierent divortia, & nemini licet uxorem sine manifesta fornicationis causa dimittere. Text. Cap. *Ex parte. De Sponsal.* Attamen necesse non est, eas posse probari talibus testibus, sed in foro conscientiæ, & coram DEO sufficit, illas habere cognitas, ex testimonio unius personæ fide dignissimæ. Sanchez *loc. cit. num. 51.* contra Barbosam *In Cap. Significásti. De divortiis.* Et consequenter ex propria oculari experientia.

Unde, ut conjux innocens licitè, ob crimen 66 adulterii, aut neget debitum conjugale, aut discedat, nequaquam necesse est, illud esse notorium. *cit. Cap. Dixit Dominus.* Sanchez *loc. cit. n. 31.* contra permultos ab ipso *n. 13.* relatos, & ratos, adulterium ita debere esse notorium, ut nulla possit tergiversatione celari. Quæ doctrina etsi vera, & necessaria est, ad illum effectum, ut scilicet in foro externo non competat conjugi expulso beneficium restitutionis. Sanchez *loc. cit. n. 25.* non tamen vera est, nec necessaria ad effectum divertendi absque peccato ab adultero, nisi fortè probabilis timor scandali magni adesset. Graffiis *Lib. 2. cap. 84. n. 5.* Dicastillo *loc. cit.*

Nec obest, quòd Cap. *Porrò. De divort.* dica- 67 tur: *Si etiam parentela esset publica, & notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea* (uxore sua) *separari non potuit.* Nam in eo capit. est sermo de separatione etiam quoad vinculum, ad quam requiritur haud dubiè semper Ecclesiæ judicium. Sanchez *loc. cit. n. 42. in fin.* Barbosa *in cit. cap. Porrò.* At nos loquimur de sola separatione quoad torum, & cohabitationem, quæ cùm non sit utique tanti momenti, quanti prior illa, ideo non rectè fit argumentatio ab illa ad hanc; non enim cui non licet id, quod plus est, non etiam licet quod est minus. Et verò, quòd judicium Ecclesiæ per se non requiratur ad separationem tori, atque habitationis, inde patet, quia cùm illa separatio sit à jure naturæ concessa, siquidem jus naturæ approbat illam Regulam: *Frustra quis sibi fidem postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat. Cap. Frustra. De Reg. Iur. in 6.* jus autem naturæ non exigat ullam notoreitatem ad id, ut quis frangenti fidem licitè frangat eandem, consequenter etiam non exigit, ut uxorem violatricem fidei conjugalis servet apud se maritus, eive debitum reddat. 68

V. Quando uxor cum marito litigat ratione 69 adul-

adulterii, tenetur maritus expensas litis facere, seu uxor sit actrix, ut tradunt omnes, seu sit Rea, ut putat Sanchez *Lib. 10. disp. 8. n. 28.* contra Rebuffum, & alios, restringens meritò ad forum externum, quando maritus scit, uxorem esse ream, aut se esse innocentem.

F. 3.

ANIMAE SALVTI.

CAPVT XXXIII.

An, & quando divortium sit præceptum, aut licitum ob salutem animæ?

SECTIO I.

An, & quando divortium sit ratione hæresis præceptum, aut licitum?

SUMMARIUM.

Conjuges, qui cum ignorato impedimento contraxerunt matrimonium, eo comperto debent recedere etiam à cohabitatione. 1. & 2.
Excipiuntur aliqui casus. 6. & 7.
Enumerantur quatuor eventus, in quibus tenetur pars innocens recedere à nocente, seu noxia saluti animæ sui. Ibid.
Singulariter autem de casu hæresis hîc tractabitur. Ibid.
Hæresis appellatur fornicatio spiritualis. Ibid.
Quid agendum conjuge Catholico, quando pars hæretica solicitat ad hæresin? 8.
Quid quando resipiscit illa pars, ob cujus hæresin facta fuit separatio? 10.
Referuntur septem casus circa separationem ob hæresin. 11. & seqq.
Faciendum discrimen inter maritum, & uxorem hæreticam. 14.
Non semper tenetur uxor divertere ab hæretico pertinaci. 16.
Tenetur autem, quando imminet ipsi periculum animæ. 17.
Et quamvis non immineat tale periculum, licitè tamen deserit ipsa illum. 18.
Si videlicet incidit in hæresin post initum matrimonium. 20.
Quid si jam antea laborabat hæresi, sed fecit spem conversionis? 22.
Hæresis non debet esse notoria, quando pars Catholica vult divertere? 23.
Secùs si per sententiam Ecclesiæ, sed tunc etiam ad resipiscentem non tenetur redire. 24.
In Germania non tam facilè permittitur divortium ob hæresin, quam alibi. 26.
Debet tamen etiam in Germania aliquando permitti. 27.
Et tunc pars Catholica licitè ingredietur Religionem. 29.
Quid si ex consortio cum marito hæretico immineat periculum seductionis solis liberis? 30.
An, & quatenus sint licita Catholicis connubia cum hæreticis? 32.
Impia sunt pacta de una parte liberorum educanda hæreticè. Ibid.
Moderatio quædam horum pactorum adfertur. 34.
Quid Confessarius agat cum Catholica muliere observante illud impium pactum de educatione? 35.

SUppono, esse certum, quando duo conjuges putatitii Matrimonium seu bona, seu mala fide inierunt, cum aliquo impedimento dirimente, eos comperto illo impedimento obligari, non modò ad abstinendum ab omni commercio carnali, sed etiam tum à toro communi, tum à cohabitatione. 1

Primum inde breviter constat, quia cùm matrimonium supponatur esse nullum, consequenter petitio, redditióque debiti conjugalis est fornicaria, & peccatum mortale. *Cap. Inquisitioni. De Sentent. Excommunic.* ibi: *Quod si unus conjugum putet, Matrimonium esse validum alterius autem animum pulset conscientia ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta debitum quidem reddere potest, sed postulare non potest, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Ita resolvit 2 Pontifex *cit. cap. Inquisitioni*, & præmiserat *explodendam esse conscientiam levem, & temerariam credulitatem.* Unde meritò inferes, etiam petitionem debiti esse illi quoque licitam, qui facta diligenti inquisitione solùm dubitat de valore matrimonii, bona fide initi. Dicastillo *disp. 9. De Matrim. dub. 11.* per bene cum plurimis, contra Tannerum *Tom. 4. disp. 8. q. 6. dub. 3. num. 36.* cum aliis. Secùs 4 si mala fide contraxisset, Bonacina *De Matrimonio. q. 4. punct. 4. num. 10.* Dicastillo, alii. Sed de his vide dicta in Experientiis *Tract. 10. Cas. 16.*

Alterum inde probatur, quòd communis 5 torus, & cohabitatio sit proxima occasio luxuriæ, cùm præbeat violentam suspicionem commixtionis carnalis *cap. Literas. De Præsumpt.* Atqui tenemur proximas occasiones peccatorum vitare. Suprà *cap. 11.* Quamquam possunt occurrere rationes, in quibus ipsis licitum sit con-

convivere, ut frater, & soror (utique sine lecto communi) solent, iuxta permissionem capit. *Consultationi, & cap. Laudabilem. De frigid. & malef.* & conformiter iis, quæ de causis sufficientibus ad id, ut quis licitè in proximo peccandi periculo persistat, vel etiam in illud se conjiciat, tradunt repugnante Canonista Manrique *Part. 2. Resolutar. quæst. Vicarial. q.* 119. Theologi cum Card. de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. disp.* 14. *n.* 153. & nos Sectione tertia explicabimus. His modò suppositis, & pro ratione loci sufficienter confirmatis.

6 Quæres I. *An, & qui sint casus, in quibus præceptum, & non modò licitum sit parti innocenti divertere à conjuge nocente?*

RESP. Possunt generatim omnes revocari ad hosce quatuor: Primus casus est, quando adultera perrectura est in suo flagitio, nisi pars innocens ab ea se separet. *cap. Si vir. De Adulter.* Quod Capitulum quomodo sit cum doctrina per illud confirmata intelligendum,

7 explicavi *cap. Præcedent. numero* 58. Secundus casus est fornicatio spiritualis, sicuti cum Sancto Augustino relato *cap. Idololatria, & cap. Non solum* 28. *q.* 1. loquuntur Doctores, nomine hujus fornicationis intelligentes cum S. August. peccata adversantia fidei Catholicæ. Nam *idolatria, & quælibet noxia superstitio fornicatio est*, inquit *cit. cap. Idololatria* Augustinus. Tertius casus est periculum animæ, imminens è flagitiosa vita alterius conjugis. Quartus casus est periculum corporis, impendens ex cohabitatione cum altero conjuge. De hoc ultimo casu tractabo *cap. seq.* de tertio *sect. seq.* de secundo hac sectione.

8 Quæres II. *Quanam sint circa hunc casum certa?*

Respondeo esse tria sequentia.

I. Certum est, si conjux hæreticus Catholicam ita crebrò, & molestè solicitet ad hæresin, ut, si pergat hæc illi cohabitare, sit in proximo periculo perversionis, teneri per se loquendo ab eo divertere. Ratio petitur ex illo Matth. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum &c.* Quæ verba explicans S. Hieronymus, præmissâ ingeniosâ interpretatione, ponit appositè hanc secundam: *In dextro oculo fratrum, uxorum, & liberorum &c. monstratur affectus, quos si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento esse cernimus, debemus truncare istiusmodi portiones.* Rectè tamen notat Palaus *disp.* 3. *De Matrim. p.* 6. §. 8. *num.* 7. obligationem divertendi ob hæresin, non esse imponendam, nisi quando est gravissimum periculum perversionis.

9 II. Certum est, non licere recedere à conjuge propter unicum peccatum hæreseos, sed requiri pervicacem in illo peccato, seu errore constantiam, tum quia Doctores citandi *n.* 18. ita tenent, tum quia apertè deducitur à fortiori ex doctrina *num. seq.* adferenda. Unde rectè monet Sanchez *Lib.* 10. *De Matrim. disp.* 15. *n.* 12. hoc interesse inter spirituale adulterium, & carnale, quòd unicus hujus actus sufficiat ad perpetuum divortium, eò quòd perpetuò maneat causa divortii, scilicet fuisse violatam fidem conjugalem, non autem sufficiat unicus actus adulterii spiritualis ad divortium, sed requiratur incorrigibilitas, ut mox ostendam.

III. Namque certum est, etsi jam sit ob hæ- 10
resin non notoriam facta privata auctoritate separatio, attamen ubi resipuerit conjux hæreticus, esse redintegrandam cohabitationem. Traditur expressè *cap. De illa. De Divort.*

Quæres III. *Quænam sint circa hunc casum* 11
præcipuè controversa?

Respondeo septem sequentia.

Primum, an quoties conjux est pertinax in hæresi, oporteat præsumere, quòd ejus cohabitatio ita sit periculosa, ut ob illud periculum possit, aut etiam teneatur alter conjux ab eo divertere, sive interim sit vir hæreticus, uxor Catholica, sive hæc sit hæretica, ille Catholicus.

Secundum, an sit eadem ratio, quando u- 12
nus conjugum in hæresin labitur tempore matrimonii, quæ est, quando jam ante matrimonium erat, sciebatúrque esse hæreticus?

Tertium, an quando ob hæresin conjugis discessit alter per Ecclesiæ sententiam, teneatur ad eam redire, si resipiscat?

Quartum, an saltem teneatur redire, si se propria authoritate separavit ob hæresin notoriam?

Quintum, quænam ex doctrinis allatis ha- 13
beant locum, & praxin in Germania?

Sextum, quid si non quidem uxori, sed tamen liberis immineat periculum perversionis?

Septimum, quid faciendum, quando conjux hæreticus catholicam solicitat, non quidem ad hæresin, sed ad alia peccata adversantia Religioni, ut ad esum carnium diebus vetitis, & festi diei violationem per Sacri omissionem, aut laborem servilem?

Dico I. Faciendum est hîc aliquod discri- 14
men inter virum hæreticum, & uxorem hæreticam. Ratio est, quia experientia docet, maritos Catholicos non tam facilè, nec tam frequenter ad hæresin ab hæreticis uxoribus pertrahi, quàm Catholicas uxores ab hæreticis maritis. Imò constat, crebrò fieri, ut uxores, quæ videbantur esse admodum pervicaces, aut denique ponant contumaciam, aut certè ma- 15
ritum à vera Religione non abducant. Sicuti è diverso constat, quando maritus sit ex hæretico Catholicus, plerumque ejus vestigia sequi uxorem. Hoc nemo negabit, qui rerum Germanicarum mediocrem peritiam habet. Quare non assentior P. Sanch, *Lib.* 10. *De Matrim. disp.* 15. *n.* 5. absolutè asserenti, catholicum conjugem teneri recedere ab hæretico conjuge non resipiscente.

16 Dico II. Non quoties maritus est hæreticus, tenetur per loquendo, ab eo, nolente resipiscere, divertere uxor. Ita contra Sanchez *cit. Lib.* 10. *disp.* 17. *num.* 3. & 5. ac Perez *disp.* 56. *De Matrim. num.* 2. tenet haud dubiè Laymann. *Lib.* 5. *Part.* 3. *Tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 16. & apud ipsummet Sanchez *cit. num.* 3. Abulensis *in cap.* 19. *Matthæi. q.* 70.

17 Ratio est, quia & communicatio cum hæretico non denunciato permittitur à Concil. Constantiensi, & multiplex experientia docet, non esse casum Metaphysicum, ut loquitur P. Sanchez, quòd uxores maneant constantes in fide Catholica, etsi ab ea desciscant viri; nobisque haud dubiè assensus fuisset P. Sanchez, si aliquos Annos in locis hæresi infectis habitâsset; & meritò reprehenderetur Confessarius, & concionator, qui in nostris partibus vellet omnibus catholicis uxoribus, nolentibus discedere à maritis Lutheranis, vel Calvinistis injicere scrupulum gravis peccati. Quare non absolutè, sed ex hypothesi cogniti periculi perversionis, dicendum est, uxorem catholicam teneri, se ab hæretico viro separare; certè ipsemet Sanchez videtur sibi contradicere, *dum Lib.* 7. *disp.* 72. *num.* 5. sic loquitur: *In iis locis, in quibus hæretici cum catholicis permixti conviv unt, ut in Germ nia, ex consuetudine tolerata, licent conjugia catholicæ personæ cum hæretica, dummodo catholicæ libere permittatur, & absque perversionis periculo in fide permanere.*

18 Dico III. Quamvis non teneatur Catholicus conjux ab hæretica discedere propter hæresin, nisi positivè constet, adesse periculum proximum perversionis, attamen potest bona conscientia eam, si sit pertinax, deserere, esto positivè non constet de illo periculo. Ita contra Abulensem *loc. cit.* cum multis, quos citat, sequitúrque Sanchez, tenet etiam Laymann. *loc. cit.* Valentia *Tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 4. *p.* 2. *vers.* 5. *causa.* Coninck. *Tom.* 2. *in* 2. *Part. disp.* 35. *dub.* 4. Tannerus *Tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 5. *num.* 83. Joannes Præpositus *in* 3. *Part. q.* 5. *De Indissolubil. Matrimonii. dub.* 13. *num.*

19 104. Ratio est, tum quia *Cap. De illa, & cap. Quanto. De divortiis, Cap. Idololatria. Cap. Quanto.* 24. *q.* 1. absolutè permittitur divortium ob hæresin, seu infidelitatem nolentis resipiscere; tum quia *Cap. fin. De hæreticis*, ita pronuntiat Pontifex: *Absolutos se noverint à debito fidelitatis homini, & totius obsequii, quicunque lapsis manifestè in hæresin, aliquo pacto, quacunque firmitate vallato tenebantur adstricti.* Utraque hæc ratio ostendit, non esse opus hîc distinguere inter virum & uxorem.

Dico IV. Distinguendum tamen est inter 20
conjugem, qui constante jam Matrimonio labitur in hæresin, & inter illum, qui jam erat, sciebatúrque esse ante Matrimonium obstinatus hæreticus. Etsi enim Valentia, Sanch. Præpositus, & Coninck *ll. cc.* non distinguunt, & fortè nec distinguendum putant, maximè Sanchez, attamen meritò, & singulariter monet Tannerus *cit. n.* 83. præcedentem conclusionem esse intelligendam de conjuge, qui tempore Matrimonii desciscit à fide; quod etiam insinuat Laymann. *loc. cit.* dum loquitur de conjugis lapsu in hæresin. Ratio est, 21
quia hoc ipso, quòd Catholicus sponsus sciverit, sponsam e. g. alienam à vera Religione sine spe conversionis (quo etiam casu posse esse, modò adsit alia gravis causa, licitum hæretici conjugium cum Catholico, docet post Serrarium Tannerus *cit. disp.* 8. *q.* 4. *dub.* 5. *n.* 88.) videtur cessisse juri, quod ei confertur *Cap. fin. De hæreticis*, cui utique potest cedere, modò non solicitetur ab hæretico conjuge ad hæresin &c. ut quidem persæpe experimur non solicitari.

Ex qua ratione deducas, si sponsus catho- 22
licus hæreticam sponsam duxit, cum promissione, aut spe, quòd vellet fieri catholica, non teneri cum ea habitare, si ea nolit se convertere, nam in tali casu non cessit juri concesso in *cit. Cap. fin. De hæret.*

Dico V. Ut Catholicus conjux hæreticum 23
licitè deserat propria authoritate, non est necesse, hæresin esse notoriam, sufficit modò de illa, ejúsque pertinacia constet Catholico conjugi. Ita videntur sentire omnes citati Doctores, dum nullam mentionem notorietatis faciunt; & nominatim Laymann. non requirens plus, quàm ut Catholico conjugi cognita sit obstinatio alterius. Excipio Tannerum *cit. q.* 5. *n.* 83. ubi exigit notorietatem; sed tamen refutatur relatis Capitulis Juris Canonici, quæ jus divertendi ob hæresin nec verbulo restringunt ad notoriam. Vide quod in simili de adulterio carnali dixi *Cap. præcedenti. num.* 66. & adde, opinionem Tanneri jam primùm indicatam, videri regulariter in praxi sequendam.

Dico VI. Quando per sententiam Ecclesiæ 24
facta est separatio ob hæresin, esto postmodum resipiscat pars heterodoxa, non tamen tenetur orthodoxa pars ad eam redire. Ita citati Doctores cum permultis apud Sanchez *cit. disp.* 15. *n.* 19. contra alios. Ratio est, quia 25
manifestè ita statuitur cap. *De illa. De divort.* ut proinde videatur Ecclesia, quando ob peccatum infidelitatis fert sententiam divortii, infligere pœnam perpetuam. Porrò censetur

Ecclesia sufficienter ferre sententiam divortii, quando aliquem declarat esse hæreticum. Covarruv. *Epit. in 4. Decretal. Part. 2. c.7. §.5. num.5.* Præpositus *loc. cit.* & alii cum Sanchez *num.20.* siquidem constat ex *Cap. fin. De hæreticis*, eam pœnam esse annexam crimini hæreseos.

26 Dico VII. In Germania non tam facilè, quàm in aliis Provinciis permittitur temporale, aut perpetuum divortium ratione hæresis. Ita planè singulariter, & unicè observat Tannerus *cit. n.83.* ubi rotundè asserit, pœnam divortii, judicium Ecclesiæ sequi solitam vix habere locum in locis hæresi infectis, scilicet ob publicum scandalum, pacémve publicam. Cui etiam assentior, etsi ne ipse quidem Laymannus, ac Becanus faciant ullum discrimen inter Germanos, aliósque hæreticos.

27 Et verò existimo, non facilè repertum iri Episcopum in Germania, qui separationem permitteret uxori, alleganti nil aliud, quàm præcisè mariti defectionem à fide. Si tamen allegaret, uti quælibet potest, periculum lapsûs, discordiarum &c. teneretur Ordinarius, æquè in Germania, atque alibi permittere tali mulieri secessionem à viro, quam secessionem posset ipsa quoque propria authoritate etiam
28 in Germania facere. Profectò, si in Saxonia, Pomerania, Wirtenbergia, Norinbergæ, Argentorati Lutheranus opifex uxorem suam, quæ constante matrimonio lucem Catholicam aspexit, toro, & domo pelleret, clamarent omnes Lutherani, id jure factum, ergo tenentur etiam non ægrè ferre, si Catholicus vir uxorem in hæresin lapsam, & nolentem resurgere, jubeat sibi res suas habere, juxta illud: *Quod quisque juris in alium statuerit, ipse eodem jure utatur.* Text. *L.1. ff. Quod quisque juris.*

29 Unde ulteriùs infero, etiam in Germania posse fieri, ut si uxor nolit deserere hæresin, in quam lapsa est constante matrimonio, Catholicus vir licitè ingrediatur Religiosum statum. Ita generatim loquuntur Valentia, Sanch. *num.21.* aliique plures. Ratio est, quia in Germania non est derogatum Capitulo finali, *De Convers. conjugat.* facienti expressè hanc potestatem; quod quidem Capitulum loquitur solùm de casu, quo alter conjugum est Ecclesiæ judicio damnatus de hæresi, & Sotus, apud Valentiam non repugnantem, censet esse eandem rationem, quando hæresis est notoria.

30 Dico VIII. Si Catholicus conjux videat, ex cohabitatione cum hæretico conjuge imminere suis liberis periculum hæreseos, per se loquendo tenetur ab illo divertere cum suis liberis. Ita singulariter docet Laymannus *cit. n. 16.* favente Ægidio Coninck *loc. cit.* ubi ob periculum perversionis imminens proli docet, fas esse conjugi catholico, facere separationem. At verò authores in progressu nominati non faciunt mentionem prolium. Proba- 31
tur conclusio inde, quòd ex una parte certum sit, liberos in eo casu non teneri habitare cum parente hæretico. *Cap. fin. De hæreticis*, imo teneri non habitare cum illo per dicta suprà *num.4.* Ex altera autem parte tenetur etiam mater saltem in defectum patris, gerere curam spiritualem filiorum. Filliucius *Tract.38. Part.2. cap.22. q.1. num.2.* præsertim circa res fidei, & Religionis Azor *Tom.1. Lib.8. cap.11. q.6.* Sanchez *Lib.7. De Matrim. disp.72. n.6.* Tannerus *cit. Tom. 4. disp.8. q.4. dub.4. n.91.* ergo tenetur illos eripere discrimini æternæ salutis, etiam per talem separationem, si aliter nequeat.

Ex quo etiam fundamento deduces, licèt 32
Sanch. ut suprà retuli, post Azor *loc. cit.* cum Laymann. *Lib.5. Tract.10. Part.4. c.14. n.2.* & Dicastillo *De Matrim. disp.7. n.705.* repugnante acriter Tannero *cit. quæst.4. n.89.* & Ægidio Coninck *De Sacram. disp.31. dub.3. n.45.* censeat, in locis constantibus ex Catholicis, & Hæreticis, licita esse connubia illorum cum his, modò absit periculum perversionis, rectè tamen hos omnes Doctores post Navarrum *Conf. Lib.1. Conf. 1. q.25. n.63.* cum Perez (apud Dicastillo,) & Lessio *In Resol. Cas. Verb. Catholic. cum hæret. Convers. Cas.22.* dicere, esse injusta, impiáque illa pacta, quibus quandoque paciscuntur, ut pars liberorum educetur in damnata Religione alterutrius è parentibus, ex gr. ut filii patrem, filiæ matrem sequantur. Et licèt talia pacta non fiant, si tamen 33
etiam sine his periculum sit, ne proles nascitura educetur hæreticè, negat Coninck *loc. cit.* bis, & satis clarè Laymann. *cit. n.2.* matrimonium esse licitum, & consequenter sponsalia sunt invalida. Sanchez *cit. d sp.77. n.8.* Nam *generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* inquit Ulpianus. *L. Generaliter. ff. De verb. obligat.*

Quia verò periculum istud non videtur un- 34
quam abesse, ideo absolutè negandum est, matrimonia ejusmodi esse licita, nisi fortè speretur longè major fructus spiritualis. Laymann. dicto *n.2.* & Tanner. *n.91.* Ubi planè singulariter, & sapienter, non repugnante, ut puto, Lessio *loc. cit.* observat docéque, in casu, quo matrimonium catholicæ cum hæretico licitum est, multúmque momenti habiturum existimatur ad publicum bonum, promovendum, nec tamen via, aut ratio suppetit, qua à marito impetretur libera facultas universam prolem, ad solius Catholicæ Religionis cultum educandi, non videri illicitum adjicere cautionem, seu exceptionem, ut saltem aliqua pars filiorum, nil impediente marito, ad Religionem Catholicam informetur, nil interim

terim etiàm, quoad cæteros liberos, præjudicando juri Catholicæ matris, quæ pro viribus tenetur, filios omnes in eadem vera Religione instituere.

35 Ulteriùs etiam hinc inferes, uxores illas, quæ Ratisbonæ, Augustæ, Ravenspurgi, Biberaci, in Turgoia, atque alibi hæreticis nupserunt cum tacito, vel expresso pacto, quòd nollent proles masculas ex matrimonio nascituras imbuere Catholicis dogmatibus, non posse absolvi per Confessarium, quamdiu tali impio pacto obsequuntur, nisi fortè ex pia institutione tam exiguus fructus speretur, & tam gravia mala immineant à maritis, ut judicio viri prudentis desinat obligare lex naturalis, & divina, de liberis piè educandis.

36 Quæres IV. *Quid circa divortium liceat, aut præceptum sit, quando hæreticus conjux uxorem, & liberos, non quidem inducit ad hæresin, sed tamen ad alia peccata, ex hæresi ortum ducentia, ut ad esum carnium die vetito, violationem festi &c.*

RESP. Hujus quæstionis resolutionem commodiùs datum iri *sect. seq.* sicut & plura de matrimonio cum heterodoxis peti possunt ex priori Tomo. *Tract. 5. Cas.11.*

SECTIO II.

An, & ob quæ alia peccata vitanda permittatur, aut præcipiatur divortium?

SUMMARIUM.

Scelera, ob quæ præter adulterium, & hæresin, fas est facere divortium, debent esse noxia alteri. 37.

Quid si maritus nequeat aliter corrigere sceleratam uxorem, quàm aliquamdiu divertendo ab ea? 39.

Quid si nec bona mulier sceleratum maritum? 40.

Quid si una pars alteram non directè quidem, attamen indirectè pelliciat ad peccata? 42.

Adeóque si maritus admittat in domum aliquos, qui uxorem, etsi inscio marito, turpiter tangant. 43.

Quid si directè quidem solicitetur uxor à marito ad flagitia, at nullum sit periculum succumbendi solicitationi? 46.

Adsitne obligatio deserendi maritum solicitantem, quando est probabile periculum succumbendi? 48.

Quid si singulariter ad violationem jejuniorum, & festorum? 49. *& seq.*

Quid si solicitetur in iis circumstantiis, in quibus potest ipsa parere sine peccato formali? 51.

Quandonam censeatur maritus aliquid imperare, vel vetare in contemptum Religionis? 54.

In tali casu nefas est parere. 52. *& 62.*

Quid si maritus Catholicus identidem urgeat uxorem, ut carnes coquat diebus prohibitis? 58.

Quandonam liceat subministrare alteri materiam peccandi? 60.

Quid si maritus adigat uxorem ad edendas carnes feriis sextis? 63.

An tunc teneatur ab eo divertere? 65.

Quid si ad servilem laborem? 66. *& 67.*

QUæres I. *Vtrùm ob alia scelera unius con-* 37
jugum præter adulterium, & hæresin, licitum sit alteri conjugi facere divortium?

RESP. I. Non est licitum, nisi ea scelera cedant quoque in grave malum alterius. S. Thom. *in 4. dist. 39. q. Vnic. art. 6. in Corpore.* atque omnes alii Theologi, teste Sanchez *Lib. 10. De Matrim. disp.17. num.3.* Ratio est, quia 38
nullum jus naturale, aut Ecclesiasticum dat hanc potestatem, ergo non est asserenda, cùm præsertim conjuges jure naturali, divinóque teneantur cohabitare, & vir uxori, hæcque viro debitum reddere. 1. *Corinth. 6.* Quare in foro Ecclesiastico, quo standum est in hac materia, non habet locum. *L. Consensu. Cod. De repudiis.* ubi permittitur repudium, etiam quoad vinculum, propter aliqua crimina non cedentia in conjugis ruinam spiritualem.

II. Si tamen maritus uxorem, gravibus sce- 39
leribus deditam nequeat alia ratione ad frugem reducere, quàm ab illa divertendo ad tempus, fas est ei divertere, eique suam præsentiam subtrahere. S. Thom. *loc. cit.* Silvest. *Verb. Matrim. 9. q. ultim.* Ratio est, quia maritus tenetur eam corrigere, cùm sit caput illius, sicut Christus Ecclesiæ *ad Ephes. 5.* Ergo potest uti hoc medio correctionis, cùm alia sunt in vanum; non tamen videtur obligari, est quippe ei nimis difficile, ut in simili de adultera non resipiscente dixi. *Cap. præced. n.58.* Etsi autem Sotus, Lopez, Sanch. *cit. disp. 17.* 40
n.4. & Layman. *Lib. 5. Tract. 10. p.3. cap.7. n.16.* censeant, hanc ipsam præsentiæ suæ subtractionem permissam esse uxori, quando speret, eam profuturam marito ad emendationem, nescio tamen, utrùm permissurus id esset Magistratus Ecclesiasticus, aut Politicus, certè raro proderit.

III. Quòd si alter conjugum non modò se 41
non emendet, sed etiam alterum ad peccatum alliciat, cum vero perversionis periculo, tum haud dubiè potest bona conscientia ab illo se separare. Textus bonus *in C. Quemadmodum, §. Illud. De Iurejur.* Gloss. *C. Vxor, & cap. Idololatria. 28. q.1.* S. Thom. *art.6. ad 3.* cum plurimis Jureconsultis, & Theologis apud Sanchez dicta *disp. 17. n.5.* Ratio est, quòd

ex Christi Domini, ut minimùm Consilio, ac subinde etiam præcepto eruendus sit oculus, qui nos scandalizat. *Matth. 5.*

42 IV. Porrò potest hæc ad peccatum pertractio fieri vel directè, verbis e. g. alliciendo ad peccata, vel indirectè, subministrando e. g. nequiter materiam, occasionémque peccati, aut dando pravum exemplum. Et quamvis auctores communiùs loquantur de illo, qui allicit directè, intelligendi tamen etiam sunt de alliciente indirectè. Nam Silvest. *Verb. Matrim. 9. q. ultim.* hanc doctrinam expressè intelligit de illo, qui præstat *magnam* occasionem ruinæ, & Valentia *Tom. 4. disp. 10. q. 4. p. 2. vers. 7. causa.* divortium permittit, si ex cohabitatione immineat alteri conjugum *grave periculum* peccandi mortaliter; ac Laymann. *Lib. 4. Tract. 10. p. 3. cap. 7. num. 16.* pro altera divortii causa ponit, si conjux conjugi sine *gravi* periculo animæ cohabitare non possit. Et postremò Palaus *disp. 3. De Matrim. seu sponsalib. punct. 6. §. 9. num. 1.* sic generatim loquitur: Quoties conjuges sine gravi periculo corporis, vel animæ nequeunt simul habitare, datur sufficiens causa divortii; allegátque pro hac locutione Basilium Pontium, dicens esse communem.

43 Id ipsum sensit utique Navarrus *in Summ. cap. 22. num. 22.* dum in facti contingentia respondit, potuisse aliquam uxorem recedere à marito, solito in domum inducere viros, qui eo absente illam impudicè tangebant; & censuit hic Doctor, ideo licuisse tunc divortium, quòd eam maritus *saltem indirectè* inducebat ad peccandum. Et quia hoc exemplum Navarri admittunt Sanch. *loc. cit. n. 7.* Henriquez *Lib. 11. cap. 17. num. 7.* Tanner. *Tom. 4. disp. 8. q. 5. dub. 5. num. 84.* utique subscribunt, sicuti & Dicastillo *De Matrim. disp.*
44 *10. n. 60.* cum Perez datæ responsioni. Quæ responsio confirmatur tum citato testimonio Christi Domini, tum *cit. cap. Idololatria. 28. q. 1.* ubi S. Augustinus expressè ait: *Ex quo intelligitur, quòd propter illicitas concupiscentias, non tantùm quæ in stupris committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore malè utentem à lege DEI aberrare faciunt, & pernicioſè, turpitérque corrumpunt, posit sine crimine, & vir uxorem dimittere, & uxor virum.*

45 V. Meritò autem partim supponunt, partim disertè exprimunt authores, priusquam innocens conjux ab altero divertat ob periculum peccandi, quod ipsi creat nequitia alterius conjugis, esse hunc monendum, ut se emendet. Quòd si monitus non se emendet, potest innocens divertere ob imminens peri-
46 culum perversionis. Et quidem si alter ita sit sceleratus, ut innocentem conetur pertrahere ad flagitia, fas est innocenti divertere, esto probabiliter speret, se non consensurum pravis suggestionibus alterius. Coninck *De Sacrament. disp. 15. n. 23.* Ratio est, quia pars nocens non potest innocentem adigere, ut hoc potiùs medio, quàm alio utatur ad resistendum tentationi, nec potest impedire, quò minùs altera pars ineat tutissimam viam, Coninck *Ibid.*

VI. Non modò licitum, sed etiam præce- 47
ptum est divortium, quando ex cohabitatione impendet ob uniùs conjugum malitiam, alteri periculum perversionis. Ita hactenus *cit.* Doctores. Ratio est, tum quia hanc divertendi obligationem indicant verba Christi Domini, cum expositione S. Hieronymi adducta *num. 8.* tum quia quisque tenetur proximas peccandi occasiones vitare. Licèt verò Co- 48
ninck *cit. n. 13.* absolutè asserat, adesse tunc obligationem divertendi quando conjux probabiliter timet, ne consentiat alterius provocationibus ad malum, dummodo possit facere secessionem, plures tamen scriptores, ut Sanchez *Lib. 10. De Matrim. cit. disp. 17. n. 11.* Laymann. *Lib. 5. Tract. 10. Part. 3. cit. cap. 8. num. 16.* hanc obligationem imponunt in eo solo casu, quo credit fore, ut non possit (moraliter) aliter incolumis evadere, seu quo non confidit, se aliis remediis periculo occurrere posse.

His generatim circa pericula peccatorum dictis & suppositis.

Quæres II. *Quid speciatim pronuntiandum sit* 49
de uxoribus, quæ nuptæ maritis planè, aut propemodum hæreticis, solicitantur ab his ad violationem carniprivioruin, jejuniorum, festorum. Estne etiam iis fas, aut opus deserere ejusmodi maritos?

RESP. I. Quando solicitantur in iis circumstantiis, in quibus nequeunt absque vera offensa DEI acquiescere improbæ voluntati virorum, tum de permissione, & etiam obligatione divortii est respectu illarum pronuntiandum id ipsum, quod respectu aliarum, de quibus *quæst. præced.* egimus. Imò, quia Sacri 50
Canones apertiùs permittunt, aut imperant divortium, quando est periculum fidei ipsius, aut virtutum annexarum fidei, Religionique. *Cap. 2. & cap. Quanto. De divortiis. cap. fin. De Convers. conjugat. cap. Idololatria, & cap. Non solùm. 28. quæst. 1.* & præterea ex ejusmodi peccatis est pronior lapsus in hæresin, singularitérque timendum, ne de ejusmodi uxoribus verificetur denique illud pronuntiatum: *Talis quisque præsumitur, quales sunt ii, quorum amicitia utitur.* Tiraquellus *De Leg. Connubial. Leg. 5. num. 29.* post Glos. *Cap. Inter Verb. Familiaritatis. De Purg. Can.* idcirco faciliùs ob solicitationem ad indicata peccata permittitur divortium, quàm ob inductionem in alia.

II. Licèt

51 II. Licèt non solicitentur in iis circumstantiis, in quibus nequeant sine peccato formali obedire, attamen si illa solicitatio, inductióque sit frequens, & non ex justa causa, videtur quoque esse permissum divortium. Utramque responsionem declarant casus sequentes.

52 III. Etenim crebrò fit, ut mariti hæresi Lutherana, vel Calvinistica correpti uxores Catholicas in solum contemptum Ecclesiæ abstrahant à Sacri auditione die festo, jubeant feriis sextis, atque ipso Paraseeves die coquere carnes, & secum edere &c. quo in casu, si eis acquiescant, reatum peccati mortalis incurrent. Navarr. *In Manual. cap. 13. n. 7.* Suarez
53 *Tom. 3. in 3. Part. disp. 88. sect. 6.* Certi quippe juris est, delinqui mortaliter ab eo, qui paret alteri mandanti quidpiam in contemptum Religionis. Azor *Tom. 1. Lib. 7. cap. 7. q. 1.* Argu-
54 ment. *cap. Sacris. De his, quæ vi.* Censentur autem in contemptum Religionis similia peti, vel mandari, quando petuntur, vel mandantur eo fine, ut præceptum Ecclesiæ, tanquam superstitiosum violetur, vel ut risus ex violatione captetur, vel quia, qui mandat, vult videri, esse potiùs obediendum sibi, quàm Ecclesiæ Catholicæ, seu ejus prælatis; vel denique, quia in similibus obediendo fit, ut Catholica Religio parvi æstimari incipiat, utpote cujus cultores tam facilè negligant ipsius scita.

55 IV. Crebrò tamen etiam fit, ut ea, quæ dixi, imperentur, vel prohibeantur ab impiis maritis non in contemptum Religionis, sed quia aliquod commodum temporale, aut delectatio sensitiva inde in eos redundat. Ut cùm die veneris carnes coqui jubent ideo, quòd magis sapiant, quàm pisces, parabiliores sint quàm pisces &c. Non permittunt die festo uxori auditionem Sacri, ne laborem domesti-
56 cum negligat &c. Et tunc certum est, posse aliquando occurrere tales circumstantias, ut uxor non delinquat, parendo quantumvis iniquæ, impiæque petitioni mariti, ut patet ex iis, quæ Doctores tradunt in materia de jejunio, & festorum observatione, itémque in materia de causis excusantibus ab observatione
57 legum positivarum. Certum tamen etiam est, quòd etiam crebrò fiat, ut delinquant parendo maritis talia imperantibus, ut patet tum ex *Cap. Si Dominus 11. quæst. 3.* tum ex receptis doctrinis Theologorum in indicata materia de jejunio &c.

58 V. Quando maritus catholicus uxorem verbis, aut verberibus adigit ad carnes coquendas plerisque prohibitorum dierum, potest licitè, at non tenetur separare se ab eo. Prima pars patebit ex dicendis *cap. seq.* de divortio ob sævitiam mariti. Altera pars inde suadetur, quia potest uxor sine peccato ea in re, atque in iis circumstantiis obedire marito. Etenim Lessius *Lib. 4. De Iustit. cap. 2. dub. 4.* 59
n. 23. absolutè docet, posse à caupenibus Catholicis, in urbibus hæreticorum apponi die vetito carnes hospitibus heterodoxis, eas petentibus, si absque suo notabili incommodo non possint recusare, ut si alioquin essent ab hospitibus deserendi; & Tanner. *Tom. 3. disp. 3. q. 3. dub. 5. n. 111.* à peccato excusat uxorem, quæ necessitate quadam adacta coquit, vel apponit marito cibos prohibitos.

Et ratio generalis est, quia possum ego abs- 60
que peccato subministrare alteri rem indifferentem, seu ex se non malam, usuro ille malè, modò gravis, rationabilisque causa ad id me compellat, absitque à me prava intentio. Silvester *Verb. Infidelitas, quæst. 4.* latissimè, & doctissimè Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 7.* & post eum Ferdinandus de Castro Palao *Tract. 6. disp. 6. punct. 8.* Atqui carnes sunt res indifferens, & subministrantur ex gravi, rationabilique causa, qualis est metus verberum, perpetuorum jurgiorum, per dicenda *cap. seq.*

VI. Eadem utraque doctrina locum habet 61
etiam, quando maritus est in hæresin lapsus. Nam duo citati Doctores, uti & Layman, *Lib. 3. Tract. 3. cap. 13. n. 4. ac 5.* non exigunt tam gravem causam respectu subministrantium hæretico, quàm subministrantium Catholico cibos vetitos. Nec obest, quòd hæretici videantur in contemptum Religionis petere. Etenim communiter non petunt, ut constat experientia, & proinde non debent in dubio præsumi petere ex illo impio motivo.

At inquies: *Quid si petant ex contemptu?* Jam 62
dixi superiùs *n. 52.* esse certi juris, quòd non liceat obsecundare alicui petenti quidquam in probrum Religionis, & nominatim de petente carnes exprimit Tannerus *loc. cit.* & de edente cum damno Religionis Lessius *loc. cit. n.* 35. ut proinde mors potiùs subeunda, quàm in ejusmodi casu parendum sit. Lessius *cit. n.* 35. Suarez *Lib. 3. De Leg. c. 30. n. 7. & 9.* juxta illud Christi Domini: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet. Lucæ 9.* Sed meliùs hoc intelliget ex dicendis *seq. sect.*

VII. Quòd si maritus uxorem adigeret ad 63
edendas secum carnes diebus vetitis, haberet utique justissimam divertendi causam. Aut enim illo etiam in casu relinquit uxori alios sufficientes cibos ad sustentationem, interim tamen volens, ut secum quoque carnes voret, aut non relinquit cibos sufficientes? Si pri- 64
mum, tum adigit illam ad formale peccatum; in ejusmodi quippe circumstantia (abstrahendo ab alio gravi malo) viget obligatio legis Ecclesiasticæ. Si secundum, non delinquit quidem vescendo tunc carnibus, iis siquidem vesci licet, quando nil aliud præter panem

ſuppetit. Tanner. *Tom. 4. diſp. 8. q. 5. dit. n.* 106. Leſſius *Lib. 4. cap. 2. dit. n.* 35. Fagundez *In Præcept. Eccleſiæ. Præcept. 4. Lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 8. Quia tamen nimis dura eſt uxori Catholicæ hæc conditio, præbet ſufficientem cauſam divortii, per ea quæ *Cap. ſeq.* dicentur.

65 Quia verò habet jus divertendi, videtur obligari ad utendum tali jure, ut videlicet poſſit cùm ſola erit, obſervare præceptum Eccleſiæ, argum. doctrinæ de famulis, qui tenentur deſerere heros, qui eos perpetim impediunt ab obſervatione feſtorum, & carnipriviorum, ut dicam *ſect. ſeq.* Quamquam ſi uxori permoleſtum ſit, ut eſſe ſolet, divortium, ad id compelli non debet ex hoc capite, cùm neque famuli teneantur ex hoc capite deſerere ſuos dominos, ſi nequeant ſine gravi incommodo.

66 VIII. Jam verò ad laborem ſervilem quod attinet, ſi feſtis diebus ad illum compelli ſoleat ab hæretico marito uxor, præbet ille ſufficientem cauſam divertendi, eſto huic jam hæretico nupſerit illa, nec enim cùm ei nubebat, habebat intentionem ſubjiciendi ſe ipſi, quoad hanc rem, & verò non poterat. Nam *uxores in illis tantùm debent viris eſſe ſubjectæ, quæ contra DEI* (& Eccleſiæ) *mandata non veniunt.* Text. *Cap. Si Dominus.* 11. *quæſt.* 3.

67 Et quamvis excuſetur à peccato, ſi metu verborum, aliorúmve malorum, citra tamen contemptum Religionis compulſa dies Sacros profanet labore ſervili, aut omiſſione Sacri. Navarr. *In Manual. cap.* 13. *num.* 7. Toletus *Lib.* 5. *cap.* 9. Attamen hic ipſe metus identidem infeſtans, præbet cauſam ſufficientem profugiendi ab ejuſmodi marito, niſi fortè aliud dicendum eſſet reſpectu illorum maritorum hæreticorum, qui ideo ſuas uxores à Catholicorum feſtorum obſervatione retrahunt, quòd iis permittant celebrare tunc, cùm juxta Calendarium vetus celebrantur eadem ab ipſis
68 hæreticis. Sicut ſit Ratiſbonæ, ubi ad viginti feſta Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, Apoſtolorum &c. colunt, & cum iis cives Catholici, qui proinde cives Catholici, etſi de reliquo ſoliti ſequi Calendarium novum, attamen circa feſta, nobis, atque acatholicis communia veteris Calendarii rationem habere coguntur.

SECTIO III.

Aliæ, circa præcedentem materiam quæſtiones proponuntur.

SUMMARIUM.

Quid liceat uxori, quando datur ipſi à peſſimo marito efficax occaſio maledictionum? 69.
Quid ſi illæ maledictiones, & blaſphemiæ ſint frequentes? Ibid.
Quid ſi infrequentes? 70.
An non tantùm liceat, ſed etiam oporteat deſerere maritum, qui uxori exiſtit cauſa maledictionum, & blaſphemiarum frequentium? 73.
Quid ſi cohabitatio uxoris cum marito ſit uxori noxia, non ex culpâ mariti ſed aliunde? 74.
An ſi maritus ædat domi ſuam matrem, quæ uxori ſit cauſa multorum peccatorum? 76.
An ſi impendeat uxori vitæ periculum, ſi ob improbos mores mariti recedat, ſit autem ipſa in certo periculo committendi gravia crimina monendo eum? 77.
Quatenus liceat exponere ſe periculo proximo peccandi mortaliter? 80. & ſeqq.
Quid ſi habeatur revelatio de certo lapſu per illam occaſionem proximam? 81.
Quid de venefica volente reſpiſcere, ſed habente maritum etiam veneficum? 85.
Quamdiu duret divortium, licitum vel etiam permiſſum ob periculum animæ? 87.
Quomodo dicta de his cauſis divortii quoad torum conveniant cum doctrina Salvatoris de non dimittenda uxore, niſi ob fornicationem? 89. & ſeqq.

69 QUæres I. *Vtrùm, quando uxori obtigit maritus conſimilis Sulpitio Merulæ, à quo proinde frequentiſſimè præbeatur occaſio gravium maledictionum, blaſphemiarúmque, poſſit, aut etiam teneatur ab eo divertere?*

Caſus iſte eſt perquam creber, atque audiuntur uxores non rarò dicentes, velle ſe à ſuis maritis profugere, idcirco quòd nequeant cum iis vivere ſine perpetuis exſecrationibus, blaſphemiis &c. Quibus ego

RESP. I. Si maritus eſt intra, atque extra ebrietatem ita petulans, aſper, inconditis moribus, ore maledico &c. ut ſpectata indole uxoris, difficillimum huic ſit abſtinere à quotidianis ferè exſecrationibus, & blaſphemiis, non delinquit recedendo à tali marito. Ratio eſt, quia authores relati *ſect. præced. num.* 42. *&* 43. loquuntur generatim de peccatis gravibus.

70 II. At verò, quando illæ blaſphemiæ ſunt infrequentes, aut facilè eis reſiſti poteſt, non exiſtimo, illarum prætextu permiſſum eſſe divortium. Ratio eſt, quia cùm id genus peccatorum

torum ſit inter homines adeò uſitatum, non videtur aut vinculi matrimonialis Author Deus, aut ejuſdem conſervatores Prælati permittere, ut ob occaſiones tam obvias, & facilè ſuperabiles laxetur illud vinculum, illúdque præceptum Matthæi 19. *Adhærebit vir uxori ſuæ*; alioqui nulla foret ejus firmitas, divortiáque fierent creberrima cum occaſione perpetuorum adulteriorum, capitalium ſimultatum inter familias &c.

71 III. Quapropter cenſeo, authores *cit. n.* 42. expreſſos, & indicatos, intelligi debere de illis ſolis occaſionibus, quæ ſubminiſtrantur ad peccata non planè ita inter homines frequentia, & quæ ſunt difficulter ſuperabiles. Et quidem ſuam mentem de hac ſecunda conditione ſatis indicant, dum requirunt *verum* periculum *grave* periculum, peccandi mortali-
72 ter. Primæ autem conditionis neceſſitatem probat ſatis indicata paulò antè ratio, quæ confirmatur inde, quòd hoc ipſo, quòd ſupponimus, iſta peccata eſſe inter homines frequentiſſima, divortium ſuſceptum ad illa evitanda, frequentiſſimè non eſſet aſſecuturum ſuum finem; fruſtra ergo permitteretur, cùm tamen ſcriptum ſit: *Quod DEVS conjunxit, homo non ſeparet*, Matth. 19. & leges accipiendæ ſint in ſenſu utili, non inutili. *Leg. Quoties. ff. De rebus dubiis.*

73 IV. Vix, aut ne vix quidem reperire eſt conjugatam, quæ ſuum conjugem deſerere teneatur ob periculum maledictionum, & blaſphemiarum, ad quas hic illam inducit. Ratio eſt, quia nulla, aut vix ulla eſt, cui ſit moraliter impoſſibile abſtinere à formalibus, iiſque frequentibus maledictionibus, ac blaſpemiis; materialium, aut non planè deliberatarum, etſi perfrequentium periculum, occaſionémque vitare non tenetur cum illis incommodis, quæ divortiis annexa ſunt, uti neque etiam formalium, planéque deliberatarum non frequentium anſam per tam durum medium declinare tenetur, cùm etiam facto divortio non ſint fortè defuturæ aliæ occaſiones.

74 Quæres II. *Quid hîc liceat uxori, quando cohabitatio cum marito noxia eſt, non ex culpa ipſius mariti, ſed aliunde.* Exempli gratia, alit domi ſuæ maritus matrem, quæ ſua improba lingua, aliiſve perverſis modis nurum inducit in varia peccata. Item mores mariti, etſi non improbi, ex quadam antipathia diſplicent uxori, ut eo viſo concitetur hæc mox ad averſionem, odium, contemptum, imprecationes, *ſuppetitne idcirco juſta occaſio lectum, tectúmque maritale deſerendi?*

75 RESP. Haudquaquam per ſe loquendo. Ratio eſt, quia ſicuti naturæ jure æquum eſt neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem. *Leg. Iure Naturæ. ff. De Reg. Iur.* ita nemo jus habet ſalutem ſuam in tuto locandi, cum damno, atque injuria tertii innocentis. Unde ſi nequeas abſque alterius innocentis detrimento notabili, quale utique eſt carentia uxoris, deſerere occaſionem proximam peccandi, non licet tibi eam deſerere. Tannerus *Tom. 4. diſp. 6. q. 9. dub. 5. num.* 110. Quare cùm ſupponatur, non intercedere culpam mariti, neganda eſt ejuſmodi uxori poteſtas divertendi. Quòd ſi tamen ma- 76
ritus ejuſmodi Xantippen, ſuam, inquam, matrem abſque vera neceſſitate domi retineat, eáque interea diſcordias domeſticas excitet, vel alat, præbet ſuæ conjugi ſufficientem cauſam alios lares quærendi. Sicuti enim, *qui occaſionem damni præſtat, damnum dediſſe cenſetur. L. Qui occidit. ff. Ad Legem Aquil.* ita & occaſionem peccati dat, qui abſque neceſſitate, ſeu honeſta cauſa aſſeruat domi matrem, ſeminatricem, atque incentricem jurgiorum, diſcordiarum &c. Vide quod in ſimili dicam *cap. ſiq. n.* 15.

Quæres III. *An ſi uxor videat, ſe tentatis* 77
omnibus mediis emendationis nil proficere, ſed ſuccumbere tentationibus, quas mariti improbitas ſuggerit, & prudenter ipſa unà cum Confeſſario judicet, ſe porrò identidem ſuccubituram, teneatur in conſcientia ab eo recedere, eſto ob hunc receſſum aditura ſit manifeſtum vitæ diſcrimen?

Ratio ex una parte id aſſerendi petitur ex 78
generali doctrina, quam Tanner. *cit. dub. 5. num.* 112. poſt Cajetanum, Lopez, & Corradum tradit hiſce verbis: [Qui ſui juris ſunt, adeóque poſſunt proximam occaſionem ſine tertii injuria vitare amoliendo peccati occaſionem, illi nulla cauſa, quantumvis gravi obſtante, poſtquam omnia media, quæ ad peccatum vitandum utilia videri poterant in vanum tentata, & præſcripta ſunt, planè tenentur proximam, & ſpecialem peccati occaſionem reſecare, qua videlicet durante prudenter exiſtimandum eſt, eos à peccatis non ceſſaturos, etiamſi extremam paupertatem, & calamitatem ſuſtinere cogerentur, nec prius abſolvendi ſunt, quam parati ſint hoc facere.] Ita ille 79
probans ſuam doctrinam tum illo Chriſti Domini effato. *Si oculus, vel pes tuus ſcandalizat te &c.* quod effatum à SS. Hilario, Athanaſio, Paciano, Chryſoſtomo, Auguſtino in eum ſenſum explicari aſſerit ipſe ex Maldonato *in Matt. cap.* 5. tum ea ratione, quòd vita corporalis poſtponenda ſit vitæ ſpirituali. Et hanc ſuam doctrinam vult Tannerus cum Lopez *in inſtructorio cap.* 8. nominatim intelligi de uxoribus, ad crimina ſolicitari ſolitis, & iis aliter, quàm per fugam reſiſtere non valentibus.

Ex altera autem parte ratio id negandi eſt, 80
quòd illam doctrinam Tanneri apertè, diſertè negent, negandámque rectè probent Joan.

Sanchez *disp.* 10. Palaus *Tract. 2. disp. 2. punct. 9.* §. 3. Lugo *De Pœnitent. disp. 6. dub.* 19. cum
81 communi Navarri, Suarii aliorum. Insuper addit idem Cardinalis, & Dicastillo *num.* 350. ersi quis haberet revelationem, quòd constitutus in tali periculo, quale describit Tannerus, sit revera tentationi succubiturus, non tamen idcirco teneretur illi periculo se subtrahere, si subtractionem secutura est gravis infamia, vel grave damnum spirituale, & corporale.

82 Hanc secundam doctrinam judico probabilem, licèt Tanneriana sit utique tutior. Equidem certum est, graviter delinqui ab illo, qui directè, & positivè vult peccatum potiùs, quàm mortem, aut etiam quàm infernum, non tamen videtur peccare is, qui potiùs permittit peccatum, quàm mortem (addit Lugo infer-
83 num, negat Dicastillo) temporalem. Cùm autem is, qui exponit se certo periculo peccandi, sine tamen proposito resistendi tentationi, quoad in periculo constitutus poterit, non modò non velit positivè peccatum, sed illud duntaxat permittat, & ut addit Dicastillo *num.* 350. possit nihilominus sperare auxilium Dei, apparet adductam Cardin. de Lugo doctrinam esse ita practicè probabilem, ut Confessarius possit, & teneatur, eam in praxi sequi, adeóque absolvere pœnitentem nolentem illi accommodare se in praxi, quidquid Manrique contra communem Theologorum ipse non Theologus neget, Confessarium teneri accommodare se sententiæ probabili pœnitentis.

84 Unde inferes, posse utique contingere, ut vel teneatur, vel certè possit Confessarius absolutionem Sacramentalem impertiri conjugatæ dicenti, se quidem in manifesto periculo salutis versari, si diutius agat cum marito, attamen non posse se ab illo discedere, sine æquè evidenti discrimine vitæ, immortalium inimicitiarum inter suam, suique mariti familiam, pessimæ educationis liberorum, & proinde statuisse se cum eo vivere, donec Deus ipse finem faciat, interim habere se animum sincerum utendi omnibus aliis mediis, quæ Confessarius suggeret.

85 Quòd si tamen mihi obtingeret aliqua venefica, quæ confiteretur, se in illud scelus pertractam esse, in eodémque retineri à marito similiter magicis, maleficísque artibus perditissimè dedito, & non dubitare se, quin ab ejusmodi detestando crimine destitura esset, si à marito non identidem solicitaretur, ego sanè tunc dubitarem, utrùm doctrina Cardin. de Lugo locum esset habitura; cùm enim constet, sagas nunquam, aut vix unquam, resipiscere in agone, etsi copia Confessarii non desit, resipiscere autem in eo articulo faciliùs illos, qui aliis sceleribus impliciti sunt, existimarem, esse à generali illa Lugonis doctrina
86 faciendam exceptionem. Quam etiam facerem, si qua diceret, se à marito Lutherano pertinacissimo, zelosissimo detineri in eadem hæresi; & maximè facerem illam exceptionem, si, consideratis iis, quæ de diuturnitate vitæ præsumenda habet eruditus Menochius *De Præsumpt. Lib. 6. Præsumpt.* 49. aliisque expensis pro re nata, judicarem, maritum supervicturum uxori.

Quæres III. *Quamdiu duret illud divortium,* 87 *quod ob animæ periculum hactenus diximus esse permissum, aut præceptum?*

RESP. Tamdiu, & non diutiùs, quàm duret ipsum perversionis periculum. Ita omnes. Ratio est, quia cessante causa cessat effectus. *Cap. Etsi Christus. De Iurejur.* & remota causa, removetur effectus. S. Thom. *in 4. dist. 20. art. 6.* causa autem ejusmodi divortii est solum perversionis periculum, ut supponimus. Consentiunt Doctores cum Farin. *Part. 4. quæst.* 143. §. *hæresis n.* 120.

Quæres IV. *Quomodo hactenus permissa con-* 88 *veniant cum illa Salvatoris sententia: Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur?*

Ratio dubitandi est, quia & temporale divortium ob animæ periculum permisimus, quamdiu durat illud periculum, & etiam perpetuum permisimus eo casu, quo post sententiam Ecclesiæ divortium factum est ratione hæresis.

RESP. Doctrina de divortio temporali, non 89 repugnat Doctrinæ Christi Domini, utique loquentis de divortio perpetuo, sicuti videre est apud interpretes *in Matth. cap. 5. &* 19. Sed 90 nec repugnat doctrina de divortio perpetuo ob hæresin post latam sententiam, quia Christus Dominus loquitur de illis solis causis divortii, quæ nascuntur ex Matrimonio, ut est Matrimonium, seu contractus præbens jus in mutua corpora; non autem loquitur de aliis causis, quæ nascuntur ex Matrimonio spectato sub aliis conditionibus. Ex. gr. cohabitationis, qualis est etiam inter eos, qui vinculo conjugali non sunt colligati, sicuti post Bellarminum, Maldonatum, Valentiam docet Sanchez *Lib. 10. disp. 15. n. 2.*

Est itaque illius sententiæ Christi ex mente 91 partim S. Augustini *contra Adamantium cap. 3.* partim prædictorum, aliorúmque plurium Theologorum, hic sensus integer: *Quicunque uxorem suam, quoad torum, & cohabitationem dimiserit, ob causam ex ipsa propria ratione Matrimonii provenientem, & à fornicatione diversam, ille mœchatur, participando scilicet de adulterio uxoris dimissæ, dum eam facit mœchari, sicuti explicatur Matth. 5. vers. 32. Qui verò aliam duxerit, quacunque demum de causa, ille etiam mœchatur. Cùm igitur divortium ob alterius pertinaciam hæresin factum non fiat ob causam ex ipsa propria ratione Matrimonii ortam, sed ortam ex cohabitatione periculosa noxiáque animæ, non adversatur prohibitioni Christi Salvatoris.* Aliam probabilem explicationem adfert P. Dicastillo *De Matrim. disp. 10. n. 69. & 70.*

SECTIO IV.

An, & quatenus famuli, & ancillæ hæreticu servientes, teneantur deserere suum famulatum?

SUMMARIUM.

Traduntur duodecim Aphorismi circa illam quæstionem: An, & quatenus famuli, ancillæque hæreticis servientes teneantur deserere suum famulatum? 92. & seqq.

Generatim suadendum ita est, ut mutent conditionem. 93.

Imò est ita à Confessario mandandum omnibus, non tamen cum æquali damno respectu omnium. 94.

Quid si quis serviat sine periculo quidem perversionis, at cum jactura festorum? 98.

Quid si jactura illa sit infrequens? 99.

Quid si nequeat sine notabili damno temporali deseri herus hæreticus? 100.

Quodnam censeatur notabile damnum respectu famulorum? 102.

Quid si hera Catholica non det notabiliter minus salarium, quàm hæretica? 103. & 105.

Quædam circumstantia hic notanda. 104.

Quid si hera Lutherana sit mitis ingenii, at nequeat Catholica reperiri nisi ferox? 106.

Quid si hæreticus herus famulum sæpe quidem occupet diebus festis, at ob causas urgentes? 107.

Quid si famulus comedat sæpe quidem carnes apud herum acatholicum, sed justa ex causa? 110.

Lex abstinendi à carnibus est majoris momenti, quàm audiendi Sacrum. 112.

Quid agat Confessarius videns, suum pœnitentem esse ob diuturnam conversationem in proxima occasione desciscendi à fide? 115.

Qui defecerunt à fide evadunt omnium perversissimi. 116.

Quamdiu relinquat Confessarius in servitio hæretico illos, qui versantur in periculo proximo perversionis? 117.

92 HAnc quæstionem non proponerem, nisi tres causæ concurrerent. Prima, quòd sit affinis iis, quæ *n.* 49. *& seqq.* disserui, agátque de quodam quasi divortio. Secunda, quòd in urbe, ubi hæc parabam primo prælo, inque aliis pluribus Imperialibus urbibus, sit frequentissimus usus resolutionum, quas subjiciam. Tertia, quòd videar ob peritiam nonnullam, quam experientia attulit, posse consulere Confessariis nondum usu peritis. Quid igitur existimem esse practicè ejusmodi famulis, & consequenter eorum Confessariis consulendum, imperandum, faciendum, aperiam per sequentes Aphorismos.

Aphorismus I. Generatim, universímque 93 suadendum est omnibus, & singulis, ut quamprimum sine suo peculiari incommodo possunt, deserant heros acatholicos, suámque operam locent catholicis. Ratio est, quia licèt revera sint Ratisbonæ, Augustæ Vindelicorum, Biberaci &c. nonnulli patresfamilias, & matresfamilias ita discreti, ut Catholicis famulis, seu ancillis nullam molestiam toto Anno facessant ratione fidei Catholicæ, eos ad Lutheranismum nullo modo alliciant, liberè permittant interesse divinis officiis, & concionibus, tum qualibet die Dominica, tum illis diebus, quos ab ipsis quoque Lutheranis Ratisbonensibus raro apud sectæ hujus dominos exemplo, festivè coli dixi superiùs. Attamen aliis diebus festis non datur à quoquam quantum scio, illa protestas, & ab omnibus apponuntur sæpiùs in Anno diebus vetitis carnes, aut edulia cocta in carne, larido, sagimine, quorum usu, & esu aut difficillimè abstinent veritæ, aut si non abstinent, tum vel lædunt animam ex erronea, veráve conscientia, vel si non lædunt, saltem assuescunt materiali transgressioni præcepti, quod semper in Ecclesia judicatum fuit gravissimum, ut constat ex Canon. 68. Apost. ex Concilio Toletano 8. *Can.* 9. ex Synodo Trullana *Can.* 56.

Aphorismus II. Imò omnibus, & singulis 94 mandandum est, ut deserant ejusmodi servitia, aliis quidem, si queant sine notabili, aliis autem etiam, si nequeant sine aliquo modo notabili detrimento, ut sigillatim ostendam, & declarabo. Priùs autem generatim probo 95 hunc Aphorismum inde, quòd qui serviunt dominis, illos injustè impedientibus ab observatione præceptorum Ecclesiæ, teneantur ejusmodi dominis valedicere per se loquendo. Atqui plerique omnes, quantum propria, alienáque experientia didici, injustè per suos heros impediuntur ab observatione præceptorum Ecclesiæ, videlicet vel ab auditione Sacri festis diebus, vel ab abstinentia ciborum vetitorum.

Assumptum traditur à Sanchez *Consil. Moral.* 96 *Lib. 5. cap. 2. dub.* 18. *n.* 19. Navarr. *In Manual. cap.* 13. *n.* 7. Suarez *Tom. 3. in 3. Part. disp.* 88. *sect. 5.* Ægidio Coninck *in 3. Part. quæst.* 83. *art. 6. in fine.* Tannero *Tom. 3. disp. 5. quæst. 6. dub. 2. n.* 12. Layman. *Lib. 4. Tract. 7. cap. 4.*

Bona-

Bonacina *in* 3. *Præceptum Decalogi seu disp.* 5. *De Leg. quæst. Vnic. Punct.* 3. *n.* 16. citante Azorium, Reginaldum, Graffium, Filliucium.

97 Et ratio est, quia præcepta Ecclesiæ ad sui observationem obligant, nisi grave damnum intercedat. Bonacina *loc. cit.* & passim alii Doctores, dum agunt de causis excusantibus violantes diem festum per omissionem Sacri, aut per laborem servilem, & edentes carnes, vel cœnantes diebus vetitis.

98 Aphorismus III. Qui famulantur hæreticis, absque periculo quidem defciscendi à vera fide, attamen cum profanatione non necessaria dierum festorum, tenentur, quamprimum commodè possunt, discedere à suis heris, & potiùs servire aliis, apud quos erit copia colendi Religiosè dies festos. Ita generatim de famulis, quos Domini impediunt ab observatione festorum, docent Sanchez, & Suarez *loc. cit.* Item Laymannus, absolutè dicens, quòd tales oblata opportunitate teneantur ejusmodi ministerium deserere, & alteri Domino adhærere, apud quem præcepta Ecclesiæ servare queant. Item Berteau *In* 4. *Præceptum Decalog. Part.* 3. tradens, famulos obligari, valedicere hero, à quo ex malo affectu solent impediri ab observatione præceptorum Ecclesiæ. Item Tannerus *loc. cit.* pronuntians, quod debeant à tali famulatu post condictum tempus recedere, nisi rationabilis causa illos excuset. Item Navarrus etiam absolutè docens, quòd teneantur finito tempore, ad quod se adstrinxerunt, ab eis discedere. Ratio petitur ex Aphorismo præcedenti.

99 Aphorismus IV. Videtur tamen doctrina præcedentis Aphorismi limitanda ad casum, quo famuli à suis heterodoxis heris sæpe impediuntur à festorum observatione. Nam Suarez, & Laymannus ita expresse limitant, & admodum difficile est, reperire etiam inter Catholicos Dominum, qui non quandoque in Anno objiciat suis famulis, ac præsertim ancillis, quippiam ejusmodi impedimenti. Porrò censentur illi frequenter profanare festa, qui singulis mensibus bis profanant.

100 Aphorismus V. Si illi, de quibus in præcedente Aphorismo, nequeant absque suo notabili damno reperire Dominos, à quibus permittantur dies festos colere ritu Catholico, non tenentur prioribus heris nuntium mittere, modò absit periculum apostasiæ à fide, & contemptus Religionis. Ratio est, quia nemo tenetur, cum suo notabili damno quærere, commoditatem ad observanda præcepta Ecclesiæ, cùm ne quidem teneatur quis ea observare, ubi nequit cum notabili damno, ut tradunt omnes citati Doctores cum Fagundez *In Præcept. Ecclesiast. Lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 4. & Azor. *Part.* 1. *Lib.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 1. Reginaldo *Lib.* 19. *num.* 50. qui omnes in specie etiam loquuntur de præcepto colendi festum diem. Unde infertur, 101 quòd communiter tales famuli non obligentur abire à suis heris ante tempus constitutum, ut satis etiam insinuat Navarr. & Tannerus, quia communiter eis negaretur merces, seu salarium; atqui jactura salarii est respectu ancillæ, aut famuli notabile damnum. Bonacina, Fagundez, Reginaldus *ll. cc.* Porrò in Experientiis *Tract.* 5. Cas. 20. *num.* 432. *& seqq.* attuli multiplices Theologorum modos loquendi de qualitate causarum sufficientium ad excusandum non audientem Sacrum die festo.

Aphorismus VI. Ille famulus censetur non 102 posse reperire alium Dominum sine suo notabili incommodo, qui non potest reperire nisi talem, à quo non plus accipiat, quàm dimidium illius, quod ab hæretico Domino accipiebat. Ratio est, quia tam parva salaria solent pendi famulis, & ancillis, ut si dimidium defalcaretur, cogerentur seminudi; aut nimis sordidè vestiti incedere, ut docet usus; atqui cogi ita incedere, est notabile damnum, cùm sit notabilis defectus rerum necessariarum ad victum, victûs quippe nomine venit etiam vestitus conveniens. Text. *In Leg. Et cætera. ff. De Verb. Significat.*

Aphorismus VII. Quòd si tamen ancilla, 103 cui Lutherana hera pro salario annuo pendit, ut solent, septem florenos Rhenanos, non reperiret heram Catholicam, quæ plus sex florenis vellet dare, haud puto, illud detrimentum salarii esse pro notabili damno reputandum. Licèt enim septima pars alicujus totius 104 censeatur aliquando notabilis, ut patet vel in septem Horis Canonicis, quarum unius omissio culpabilis constituit culpam mortalem. Suarez *De Horis Canon. cap.* 25. *num.* 14. cum omnibus, ut testatur, contra Marchinum apud Dianam *Part.* 6. *Tract.* 6. *Resol.* 6. quia tamen ex una parte nequit generalis ratio tradi, ex qua cognoscatur, quota pars unius totius sit censenda notabilis, aut non notabilis. Suarez *loc. cit.* seu *Tom.* 2. *De Religione. Lib.* 4. *De Hor. Canon. cap.* 25. Sanch. *Lib.* 1. *Moral. cap.* 4. *n.* 17. sed magnum, & parvum non omnino absolutè, verùm etiam cum comparatione ad totum, cujus pars est, prudentis viri judicio, ex variis circumstantiis æstimandum est, ut intelligatur, sitne hîc & nunc, pro notabili habendum. Laymann. *Lib.* 1. *Tract.* 3. *cap.* 5. *n.* 10. Ex altera autem parte circumstantia otii, quo apud catholicos vernæ fruuntur sæpius, quàm apud acatholicos, est etiam pretio æstimabilis, & crebrò septima pars unius totius non censetur esse aliquid notabile, ut si quis exempli gratia omittat unam ex septenis, aut etiam senis decadibus Rosarii voto promissis. Laymannus *cit. n.* 10. ideo videtur illud mihi detrimentum, de quo sum locutus, non

non esse pro notabili habendum in hac materia, tametsi in materia furti sit utique notabile.

105 Si verò non nisi quinque florenos posset apud catholicos acquirere, tum Navarr. & Azor probabiliter pronuntiarent, vernam illum adire jacturam notabilem; siquidem Navarr. *De Oratione. cap.* 10. *n.* 43. & Azor *Part.* 1. *Lib.* 10. *c.* 10. *q.* 3. generatim dicunt, partem tertiam (est verò binarius ferè tertia pars septenarii) alicujus totius, esse inter notabiles computandam. Certè judicio plerorumque tenuium videtur passus esse notabile damnum ille pauper, qui sive furto, sive casu alio amisit duos florenos, seu duodecim Julios.

106 Aphorismus VIII. Sed & illa ancilla excusanda, quæ nacta dominam Lutheranam admodum mitis ingenii pergit in iis obsequiis, idcirco quòd non occurrat jam ulla Catholica nisi una, quæ perpetuò est in acidissimo fermento. Etenim quotidianæ rixæ, & maledictiones, non sine metu, aut etiam aliquo sensu verberum, haberi possunt pro incommodo gravi, cùm etiam adferant periculum, atque occasionem impatientiæ, nec non aliorum peccatorum.

107 Aphorismus IX. Famulantes heris acatholicis, à quibus communiter quidem impediuntur, quo minùs festis diebus rei Sacræ intersint, impediuntur tamen justa ex causa, quia scilicet occupantur communiter in ministerio, juxta communem, & ordinarium vivendi modum necessario, non tenentur ex hoc præcisè capite mutare herum. Ita singulariter tradunt Suarez, & Laymannus *ll. cc.* abstrahentes

108 ab hæresi dominorum. Ratio à posteriori est, quia si ille herus esset Catholicus, nemo diceret, eum esse illa de causa deserendum, cur ergo dicamus deserendum hæreticum? Ratio autem à priori est, quia nemo conditionem ex se licitam obligatur deserere, eo fine, ut possit satisfacere ejusmodi præceptis Ecclesiæ, cùm generatim nemo teneatur mutare vitæ statum ex se licitum, esto sit periculosus valde. Tann. *Tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 9. *n.* 107. Est autem ex se licita talis conditio, seu servitium, cùm labor sit, ut supponitur, communiter necessarius.

109 Hinc custodes pecorum, qui tota æstate nulli Sacro assistere queunt, possunt permanere in servitio hæretici Domini, ejúsque pecora custodire, nec tenentur genus sui officii mutare in aliud non impeditivum Sacri audiendi; sicuti nec miles stationarius adigendus est ad deserendam militiam, & ad aliam conditionem, (in qua possit festis diebus audire Sacrum,) admittendam, etiam oblatam, etiam æquè commodam sibi. Nec nauta, qui solet mari iter trimestre, semestre &c. facere.

110 Aphorismus X. Etiam illi famuli, qui apud hæreticos heros ex justa, rationabilique causa vescuntur carnibus, diebus vetitis, tenentur quærere sibi heros Catholicos. Ita insinuat Tanner. *Tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 3. *dub.* 5. *num.* 108. dum non excusat, nisi illos famulos, qui justa ex causa famulantur hæreticis. Ratio est eadem, quam attuli aphorismo secundo. Accedit, quòd præceptum de abstinentia à carnibus sit semper in Ecclesia habitum pro gravissimo præcepto. Suprà *n.* 93. & quòd esus carnium diebus vetitis sit sæpe tacita professio hæreseos. Lessius *Lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 4. quamvis non sit ex se signum hæreseos. Becanus 2. 2. *cap.* 9. *q.* 5. *n.* 24. 111

Et facilè quis defendere posset, legem de 112 abstinentia à carnibus, esse majoris momenti, quàm legem de audiendo Sacro, esto illa imperet actum minoris virtutis, scilicet temperantiæ, quæ virtutum omnium moralium infima est. S. Thom. 2. 2. *q.* 141. *art.* 8. *in Corp.* hæc autem Religionis, quæ principatum tenet inter virtutes morales. S. Thom. 2. 2. *q.* 81. *art.* 6. *in Corp.* Ac proinde graviorem causam requiri ad carnes edendas licitè die vetito, quàm ad licitè laborandum, aut omittendum Sacrum die festo; consequenter teneri famulos catholicos discedere à talibus famulitiis, etiamsi non possint ab iis recedere sine aliquantulo majori incommodo, quàm præcisè sufficiat, requiratúrque ad excusandum famulum, qui manet in famulatu obnoxio frequenti omissioni Sacri inculpabili.

Aphorismus XI. Qui verò ex occasione, 113 quam dat famulatus, sæpe absque justa causa negligunt Sacrum die festo, edunt carnes feriis sextis, aut Sabbatis, obligantur haud dubiè illum famulatum deserere, licèt majus damnum timeant, quàm sit id, cujus prætextus, aut periculum præcisè sufficit, & requiritur ad excusandum à peccato illum, de quo primum fuit locutus. Ratio est, quia omnibus 114 incumbit longè major obligatio fugiendi, deserendique occasiones peccatorum formalium, quàm materialium; Illa quippe sunt infinities majora mala, quàm hæc, privant enim infinito bono, non item ista. Et vel maximè tunc est vera hæc doctrina, quando in contemptum Religionis factitant aliquid simile. Quid autem sit in contemptum Religionis quidpiam horum facere aperui *n.* 53.

Aphorismus XII. Quando Confessarius ani- 115 madvertit, suum pœnitentem, ob juge consortium cum hæreticis, esse in proximo periculo defciscendi à fide, non debet ei impertiri absolutionem, nisi promittat, se intra unum, duos, aut summùm tres menses esse discessurum à suo famulatu, etiam cum periculo amittendi salarii, & non reperiendi facilè Dominum, cui constanter serviat. Ratio est, quia 116 experientia docet, ex centum Catholicis, qui

ad

ad Lutheranismum, Calvinismum publicè deficiunt, vix unum reperiri, qui respiscat. Imò tales apostatas evadere in omnium petulantissimè impios (quò demonstrent esse se veros hæreticos) docent non paucorum exempla; ergo qui permanet in proxima occasione deficiendi à fide, manet in morali periculo, non tantùm peccandi mortaliter, sed quod utique plus est, permanendi in suo peccato mortali usque ad mortem, atque adeò æternùm pereundi; ad hoc autem periculum declinandum & evadendum obligatur quis etiam cum discrimine inopiæ, & mendicitatis. Vide, quod *sect. præced. n.* 77. dixi.

117 Quamvis autem hæc ratio videatur probare, quòd ne quidem per mensem liceat pœnitenti hærere in illo suo periculoso famulatu, & utique id verissimum sit, quando morale periculum subest, ne intra illud tam breve tempus pervertatur, quia tamen videtur, seriam admonitionem Confessarii posse communiter efficere, ut tantillo spatio servetur constantia; & plerumque non reperietur famulus, qui tam subitò (nisi immineat terminus sui famulatûs) velit emigrare, præsertim cum manifesto damno sui salarii, ideo videtur non esse communiter à Confessariis habenda tam severa ratio temporis brevioris uno mense. Trium mensium evolutionem pro graviter tentatis judico esse nimiam, non item pro leviter tentatis, & roboratis, confirmatisque forti cohortatione Confessarii.

SECTIO V.

Dictis subjiciuntur nonnulla circa esum carnium, ob plenioremdoctrinam practicam.

SUMMARIUM.

Nonnulla specialia circa esum carnium diebus interdictis. 118. *& seqq.*
Quando quis non habet apud hæreticos nisi panem, licitè edit carnes die vetito. Ibid.
Secùs si juxta panem habeat aliquod ferculum quadragesimale. 119.
Potest tamen talibus concedi ex privilegio Societatis JESV potestas vescendi carnibus. 122.
An illud privilegium sit verum privilegium? 123.
Famulaturi hæreticis paciscantur priùs de præbendis cibis more Catholico. 124.
Quid si quis edat ideirco carnes, quòd paterfamilias dixerit, non esse peccatum? 126.
Quid si videat, cibos quadragesimales esse dedita opera conditos jusculo ex carnibus, aut larido? 127.
An Catholicus licitè abstineat esu carnium apud hæreticos, quando imminet ex abstinentia periculum necis? 133.

QUia Lessius *Lib.* 4. *De Iustitia, cap.* 2. *n.* 35. Fagundez *in* 4. *Præcept. Eccles. Lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 8. Azor *Part.* 1. *Lib.* 7. *cap.* 17. *q.* 7. rectè generatim negant, illos delinquere, qui diebus jejuniorum destituti *aliis cibis* edunt carnes, & Tannerus *Tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 3. *cit. n.* 106. nominatim exprimit famulantes hæreticis ex justa causa, nilque præter panem habentes, & denique Laymannus *Lib.* 4. *Tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 3. absolutè ita loquitur: *Laborantibus, & famulantibus Catholicis apud nos in oppidis hæreticorum permitti potest, ut diebus jejuniorum carnibus vescantur, dummodo scandalum tolli possit, si nimirum dicant, se in tali casu necessitatis Ecclesiæ præcepto non obligari*; ideo non est per se loquendo movendus scrupulus famulis, aut operariis, qui carnibus appositis ab hæreticis vescuntur tunc, cùm nullum aliud edulium habent præter panem. 118

II. Si tamen præter panem, adhuc unum ferculum ciborum quadragesimalium suppetat, non habent promiscuè jus ad carnes. Ratio est, tum quia ita videntur sentire citati, tum quia qui famulantur hæreticis, non sunt melioris conditionis, quàm qui Catholicis; atqui nullus, puto, Theologus dicet, illi patrifamilias, cui uxor, aut famulæ, cui domina non nisi panem, & bonam offam, aut loco offæ olus, vel pulmentum, vel quippiam ex pasta coctum, frixúmve appositum ad prandium, cœnámve feriæ sextæ, fas esse vesci carnibus, quæ gratis offerantur à quopiam. Quare nisi tales famuli sincerè dicant, se non esse pares consueto suo labori, nisi plus uno ferculo edant, censeo, graviter peccare edendo. Nec ausim dicere, quòd vel contraria consuetudo, vel tacita dispensatio, conniventiáve Ordinariorum illos excuset; constat siquidem, plerosq; qui in ejusmodi circumstantia edunt absque dispensatione carnes, formare sibi, aut certam, aut saltem dubiam conscientiam de peccato. 119 120

Quia tamen experientia docet, esse talibus perquam difficile resistere tentationi, vel ex gula, vel ex irrisione aliorum provenienti, idcirco judico, posse à Confessariis Societatis communicari iis illud privilegium, de quo loquitur Laymannus *cit. cap.* 3. *n.* 3. Etenim vi illius privilegii possunt Confessarii Societatis JESU, habentes à suis Superioribus aliquas ampliores facultates, dare famulis, & uxoribus patrumfamilias hæreticorum licentiam edendi carnes, quando negantur ipsis cibi quadragesimales. Quamvis autem Laymannus insinuet, hoc privilegium nil nisi majorem securitatem addere ultra jus naturale, ego tamen non video sufficientem ratonem, cur 121 122 123

contra

contra communia principia de gratiis ampliandis, illam tantam restrictionem admittamus.

124 III. Usu didici, posse à Confessariis, non paucas ancillas, quin & famulos induci, ut quando famulantur Dominis, solitis die veneris, & Sabbato apponere non nisi carnes, aut carnibus conditos cibos, alterutro horum dierum defraudent genium, & pane, levíque opsonio, si quod offeratur, victitent; si verò non nisi altero ex his diebus præbeantur carnes, illo quoque ab iis abstineat, & sic totam hebdomadam ritu Catholico transigant. Et quidni suaviter inducamus ad hoc factitandum, si valemus? Hæc enim ratione sumus causa, & multiplicis meriti apud DEUM, & magis roboratæ fidei. Quid ni iis proponamus exempla tot ancillarum catholicis servientium, quæ die Sabbati genium defraudant, ac jejunant in honorem Sanctissimæ Mariæ Virginis? 125

126 IV. Nonnullas reperire est, quæ interrogatæ, cur carnes comederint, respondent se ideo comedisse, quòd paterfamilias ex. gr. dixerit, id non esse peccatum. Sunt enimvero tales seriò corrigendæ, nec dimittendæ, donec dicant, se agnoscere, ac credere, pluris esse faciendas Ecclesiasticas Sanctiones, quàm carnalium hæreticorum proterva dicta; imò est penitius explorandum, an non ejusmodi jam ancillæ, incipiant Lutherizare, seu in fide titubare; si deprehendatur titubare, confirmandæ sunt paterna suavitate, & proposito æternæ salutis periculo, in quo versantur, adducendæ, ut promittant, se, ut primùm potuerint, addicturas suum famulatum Catholico Domino.

127 V. Sed & impia petulantia nonnullorum patrum: aut matrumfamilias tanta est, ut quandoque diebus jejuniorum, aut carnipriviorum, omnes cibos lardo, vel sagimine inquinent, potiùs quàm condiant, ea nimirum sola intentione, ut suos vernas adigant ad suam, sicuti dictitant, superstitionem ponendam, quòd si edant vernæ, tum impii illi cachinnari, & Religionem nostram ludibrio traducere. Quo in casu censeo, non esse fas de illis cibis comedere, nisi expressè priùs protestetur famulus, aut famula, sibi, in tali necessitate non esse vetitos illos cibos, & si forent tunc quoque ab Ecclesia interdicti, moriturum fame potiùs, quàm legem Ecclesiæ transgressurum. 128 Ratio est, quia cùm eo casu ejusmodi edulia mensæ inferantur in contemptum Religionis, ut patet ex dictis suprà *num.* 56. non liceat autem in contemptum Religionis quidquam comedere, ut notant omnes omninoDD. quos nominavi *sect. præced.* censerentur verò in contemptum ejusmodi tunc comedere, si non facerent talem protestationem, quia sine tali protestatione cooperarentur moraliter, & interpretativè hæreticorum impietati. Suarez *Lib.* 3. *De Leg. cap.* 30. *n.* 7. & 9. patet, esse nefas sine aliqua simili protestatione comedere cibos tunc appositos. At cum tali protestatione licere, inde mihi persuadeo, quòd cùm supponam, esse ob necessitatem (abstrahendo à prava intentione Luthericolarum) illi famulo permissum illum esum, non possit prava intentio assistentium privare illum eo jure, quod habet, nisi ita edat, ut moraliter censeatur cooperari eorum improbæ intentioni. 129

Ratio est, quia *ex alterius malignitate alteri damnum emergere non debet*, inquit Justinianus *L. Ex Liberis, Cod. De acquir. & retin. poss.* atqui talis protestatio impedit, quò minùs censeri queat moraliter cooperari consceleratæ intentioni assidentium. Haud dubiè tamen foret is immortali laude dignus, qui imitaretur tunc Paulum Apostolum, quamvis alio sensu, dicentem: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* 1. *Corinth.* 6. aut cum uno ex septem Machabæis, qui compellebantur à Rege edere contra fas carnes procinas. 2. *Machabæorum.* 7. *vers.* 1. diceret: *Paratus sum mori magis, quàm patrias DEI* (Ecclesiæ Matris) *leges prævaricaris* 130 131

VI. His addendum est, quando Catholicis inter Lutheranos versantibus, non imminet vitæ periculum, sed tantùm irrisionis, si inter eos abstineat à carnibus, tali casu abstinendum esse, legémque Ecclesiasticam observandam. Ita post Becanum 2. 2. *cap.* 9. *q.* 5. *dub.* 5. *n.* 24. Laymannus *Lib.* 2. *Tract.* 1. *cap.* 11. *n.* 5. Qui Laymannus tamen *Lib.* 3. *Tract.* 3. *Part.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. ita pronuntiat: *Apud hæreticos carnibus abstinere; cum probabili periculo mortis, ex qua non magnus Ecclesiæ fructus speretur; non prudentiæ, & fortitudinis, alterius ve virtutis, sed potiùs temeritatis opus est; sed & contra charitatis legem, quando hæreticis peccandi occasio præbetur.*] Vide dicta *cap.* 8. *num.* 51. 132 133

SECTIO VI.

Specialia de iisdem famulis, quatenus negligunt Sacra diebus festis.

SUMMARIUM.

Quatenus Catholici apud hæreticos licitè negligant Sacrum ob metum damni? 134.
Quid si timeatur solùm levis rixa? 135.
Quando speciatim censeatur accessus ad rem Divinam inhiberi in contemptum Religionis? 136.

An causæ excusantes debeant esse moraliter certæ, & non sufficiat, si probabiliter ad sint? 137.
Quid si labore necessario detineatur famulus domi ab hæretico Domino? 141.
Rotunda refragatio est sæpe hic utilis. 144.

134 CIrca neglectum Sacri, qui frequens est apud Catholicos famulantes hæreticis, observandum est, præterea, quæ dixi suprà, licèt excusandi sint, quando ideo negligunt, quòd alioquin vel grave damnum adirent, quale esset, si vel verbera, aut injurias à suis Dominis pati deberent, ut loquitur Tolet. *in Summa Lib. 6. cap. 6.* atque ex eo Fagundez *in 1. Præcept. Eccles. Lib. 2. cap. 9. n. 4.* vel Dominum infestum haberent, ut ait Palaus *Tract. 9. p. 10. n. 3.* vel domo pellerentur, & non facilè alium Dominum reperirent, ut docet Reginaldus *Lib. 19. n. 50.* Palaus *loc. cit.* Bonacina *disp. 7. De Leg. q. Vnic. p. 3. num. 16.* post Suarez *Tom. 3. in 3. partem disp. 88. sect. 6.* vel solutio debiti salarii differretur, ut censet Palaus *loc. cit.* vel salarium amitteretur, ut etiam exprimunt Palaus, Reginaldus, Bonacina *ll. cc.* in his namque casibus locum habet Regula 4. *De Reg. Iur. in 5. Quod non*
135 *est licitum in Lege, necessitas licitum facit.* Attamen excusandi non sunt, si ideo solùm negligant, quòd aliquam levem rixam timeant. Suarez *loc. cit.* & Coninck *in 3. Part. disp. 83. art. 6. num. ultim.* aut si ob Religionis contemptum juberent Domini Sacrum negligi, sicuti loquuntur Navarr. *In Manual. cap. 13. n. 7.* Azor *Part. 1. Lib. 7. cap. 7. quæst. 1. vers. rursus certi*; seu si fieret, cederétve in contemptum Religionis. Suarez *loc. cit.* Reginaldus *loc. cit.* Laymann. *Lib. 4. Tract. 7. q. 4. num. 3.*
136 Tunc autem clarè jubent in contemptum Religionis, quando dicunt: *Mane domi, nihil est tua Missa.* Vel quando per Sathanæum farcasmum dicunt Germanicè: **Was wilst in der Kirchen messen / messe dahaimb das Gewandt.**

137 Cæterùm quod docet Palaus *loc. cit. num. 4.* causas illas, quas pro excusandis famulis attulì, esse debere moraliter certas, eò quòd certum præceptum non possit tolli, nisi per causam certam; puto non probari omnibus, cùm multi putent sufficere, si sint probabiles, etiamsi forte probabile quoque sit, illa mala non eventura. Nam probabile periculum gravis mali excusat ordinariè à transgressione legis humanæ, aut Bonacina *De peccatis disp. 2. p. 2. n. 3.* cum aliis post Laymannum *Lib. 1. Tract. 4. cap. 10. num. 5.* favente doctrina, quam adferam *cap. seq. n. 37.* licèt Reginaldus *loc. cit.* & Suarez *Lib. 3. De Legibus. cap. 32. num. 3.* ferè loquantur ut Palaus, ac locutioni Palai faveat *Cap. Inquisitioni. De Sentent. Excommunicat.*

138 Porrò si in casu, de quo *num. 136.* locutus sum, acquiescant jussis Dominorum, mandantium eos domi remanere, certum est, eos gravissimè delinquere, esto non acquiescendo incurrerent extrema mala, viderèntque certam ab eis propositam ab oculos mortem, inquit Navarrus *cit. n. 7.* cùm *pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere.* Text. *Cap. Sacris. De his, quæ vi.* Quo loco sermo est de eo, qui 139
ex incusso metu mortis communicat cum excommunicato, communicat, inquam, in contemptum Ecclesiæ. Covarruvias *in cap. Alma Part. 1. §. 3. n. 14.* itémque Sotus, & Victoria apud Barbosam *in collectan. cit. cap.* dissentientem ab hac expositione.

Nec obstat, quòd suprà *num. 129.* absolve- 140
rim crimine famulos, qui necessitate pressi edunt carnes, appositas in odium, & contemptum Religionis, quia est dispar ratio; supponitur enim illos habere ratione necessitatis (abstrahendo à contemptu Religionis) sufficientem causam eas comedendi; hic autem non supponitur, quòd habeant aliunde justas causas Sacrum negligendi, sed siqua justa sit causa, illam totam provenire ex metu gravium malorum in Religionis contemptum intentatorum; atqui non potest ex ejusmodi metu provenire justa causa vel edendi carnes, vel non audiendi Sacri, quia metus non subministrat justam causam faciendi ea, quæ sunt intrinsecè, seu secundùm se ex genere mala. S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. *in Corp.* cùm potiùs *quælibet mala tolerare, quàm malo consentire oporteat.* Text. *Cap. Ita, ne. 32. q. 5.* ex S. Augustino. Quòd si tamen labore aliquo necessa- 141
rio detineretur domi ab hæretico Domino famulus catholicus, non peccaret hic omittendo Sacrum; esto injunctioni illius necessarii laboris adderet paterfamilias contemptum Ecclesiastici præcepti, vel, ut notat Berteau *in 4. Præcept. Decalogi. p. 3.* aliquam simplicem malitiam, vel malum effectum. Nam in ejusmodi casu non censeretur cooperari, aut consentire impietati jubentis, sed justo imperio laboris necessarii, etenim etiam in foro conscientiæ nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. *Reg. vigef. De Reg. Iur. in 6.* & utile non debet per inutile vitari, *Cap. Vtile. eod.*

Et quamvis etiam tunc sit famulus extra 142
culpam, quando metu amittendi salarii, aut alterius damni notabilis paret hero, injungenti laborem non necessarium, non urgentem. Suarez *Tom. 3. in 3. Part. disp. 88. sect. 3.* Tanner. *Tom. 3. disp. 3. q. 6. dub. 1. n. 19.* Laymannus *Lib. 4. Tract. 7. cap. 4. n. 3.* hîc quippe etiam locum habet illa gnome Juliani Jureconsulti: *Ejus nulla culpa est, cui parere necesse est, Leg. Is damnum dat, ff. De Reg. Iur.* Quia tamen non 143
planè ratò contingit, ut ejusmodi labores non necessarii injungantur ex mero odio Sacri, a

inque ejus contemptum, monendæ sunt piæ animæ, ne ducant jugum cum infidelibus 1. *Cor. 6.* sed animosè dicant: *Obedire oportet magis*
144 *DEO, quàm hominibus. Act. 5. vers. 29.* Et planè non uno exemplo didici, illas, quæ rotundè, ac præcisè dicunt suis Dominis, aut dominabus, se non passuras, impediri se labore non necessario, quo minùs singulis Dominicis, & festis Lutheranis, rei divinæ interfint, evadere victrices.

145 Illud etiam salubrimum Consilium est, ut priusquam addicant cuipiam suam operam, apponant expressè conditionem de libera facultate cum Sacri, tum horis Pomeridianis Concionis audiendæ; impetrabunt haud difficulter promissionem talis facultatis; quia sciunt Ratisbonenses, Augustani, Ravenspurgenses, Biberacenses &c. se non posse carere operis Catholicis.

G. 3.

SUAE SUORUMQUE LIBERORUM VITAE &c.

CAPUT XXXIV.

De divortio ob sævitiam mariti.

SECTIO I.

In quo consistat illa sævitia.

SUMMARIUM.

Jus naturale permittit divortium ob sævitiam mariti. 1. & seqq.
Quanta debeat esse sævitia? 5. & seqq.
Quid intelligatur per cruciatum corporis? 9.
Gravitas, & levitas verberationis definienda est considerata qualitate personæ, quæ verberatur. 11.
Etiam metus unius solius excessivæ verberationis dat causam divortii. 12.
Non autem integre præterita. 13.
An molesta cohabitatio præbeat causam divortii? 14.
Quid si maritus non impediat mala, quæ ejus parentes inferunt uxori? 15.
Quid si maritus ipse timeat, ne sua uxor inferat suis fortunis grave damnum? 16.
Referuntur ex Riccio variæ circa verberationem uxoris. Ibid.
Est faciendum discrimen inter Nobilium, & plebejarum verberationes. 17.
Consuetudo patria potest efficere, ut verberatio, quæ uno in loco reputatur pro gravi, in alio habeatur pro levi. 18.
Neapoli, non autem Constantiæ est frequens lis de divortio ob sævitiam. Ibid.

QUæres I. *An, & quo jure permittatur divortium ob sævitiam mariti?*

RESP. I. Jure Naturali, & Canonico permittitur uxori divortium ratione sævitiæ mariti. Ita omnes. Probatur de jure naturali, quia actus agentium non extenduntur ultra intentionem ipsorum. *L. Non omnis. ff. Si certe petat.* Atqui nec fuit, nec esse debuit intentio uxoris, ut cohabitaret marito sævo, crudelique. Probatur etiam de Jure Canonico per Cap. *Literas*, & Cap. *Ex transmissa. De Restitut. spol.* ubi clarè traditur hæc doctrina.

II. Intelligitur autem nomine *sævitiæ* illa 2
omnis, & sola asperitas unius conjugum, ex qua alteri conjugi imminet probabile periculum gravis mali corporalis. Ita authores mox citandi implicitè, vel explicitè docent, & patebit ex dicendis.

III. Dixi autem in primis, illud periculum 3
esse debere probabile; sicuti enim *vani timoris excusatio non est.* Text. *L. Vani. ff. De Reg. Iur.* ita etiam vani, improbabilisque timoris, ratio non est habenda. *L. Metum. ff. De eo quod metus caus. fit.* præsertim in re tanti momenti, quanti est divortium. Quare hanc conditionem exprimunt Sanchez *Lib. 10. De Matrim. disp. 18. num. 24.* dicens debere adesse causam legitimam, & verosimilem timendi; Palaus *disp. 3. De Matrim. p. 6. §. 9. num. 5.* loquens de gravi damno, quod alia via averti non possit, quàm per fugam. Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. cap. 7. num. 17.* dicens, debere esse probabiliter inevitabile periculum. Coninck de Sacramentis *disp. 35. num. 23.* scribens, metum debere esse justum, ut distinctè explicabo *sect. seq.*

IV. Dixi deinde, illud periculum esse debe- 4
re de corporali damno *gravi*, ut exprimunt tum citati authores, tum Reginaldus, *Fori pœnit. Lib. 31. num. 317.* Riccius infrà, & alii plures. Ratio est illa, quam primùm tetigi, quia scilicet divortium est res maximi momenti, quare permitti non debet ob causas non graves, & consequenter non ob leve damnum corporis, cùm præsertim facillimè inter conjuges oriantur ejusmodi discordiæ, ex quibus meritò timeri queant levia incommoda corporis.

Quæres igitur II. *Quænam sint illa gravia & damna corporis, quæ ratione sævitiæ præbeant justam causam divortii?*

RESP. I. Generatim sunt illa omnia, & sola, quorum metus dicitur cadere in virum constantem. Sanchez *Lib. 10. disp. 18. n. 10.* consentiente Laymanno *Lib. 5. Tract. 10. p. 3. cap. 7.*

n. 16. Illa quidem omnia ; quia hoc ipso quòd efficiant metum cadentem in virum constantem, necesse est esse gravia, spectata qualitate personæ. *L. Metus 3. ff. Ex quibus causis major. Et Cap. Cùm dilectus. De his quæ vi.* Illa verò sola, quia si non sint tanta, ut eorum metus cadat, spectata qualitate personæ, in virum constantem, non censentur gravia. *cit. cap. Cùm dilectus,* & consequenter sunt frequentia, víxque inter conjuges evitabilia, & hoc ipso insufficientia ad divortium pariendum, nulla enim vinculi matrimonialis foret firmitas, si ejus dissolutio permitteretur ob tam frequentia incommoda. Cæterùm, qui enumerationem malorum, justum metum efficientium nósse cupit, legat inter reliquos Gloss. *In cit. cap. Cùm dilectus. Verb. Metum.* item Sanchez *Lib. 4. De Matrimon. disp. 5.* & Ferdinandum de Castro Palao *Part. 1. Tractat. 2. disputat. 1. punct. 7.*

7 Itaque mors numeranda est inter illa non levia damna corporis, nam & expressè numeratur. Cap. *Cùm dilectus. De his quæ vi.* & mors omnium terribilium terribilissimum est. Ari-
8 stoteles *Lib. 4. Ethic.* Item mutilatio unius, aut alterius membri. Est enim quædam mors partialis membri. *Cap. Si quis abscíderit. dist. 55. & L. Nec timorem 7. ff. De eo, quod met. causa fit.* Adhæc cruciatus corporis. Textus expressus. *cit. cap. Cùm dilectus. De his, quæ vi. Et cit. L. Metus. ff. Ex quibus caus. major.*

9 Intelligitur autem hìc per istum cruciatum non quælibet verberatio uxoris; etenim posse à marito eam castigari verberibus, ostensum est suprà *cap. 29. num. 9. & seqq.* Sed intelligitur in primis illa omnis, quæ excedit modum verberandi, jure permissum viro in uxorem etiam delinquentem. Sanchez *Lib. 10. De Matrim. disp. 18. n. 16.* post Bart. Bald. Graff. *L. 2. c. 84. n. 2.* & alios, cum Laymanno *loc. cit.*
10 & Reginaldo, ac Filliuc. mox citandis. Ratio est, quia illa castigatio, quam leges, & consuetudines permittunt marito, est jam satis grave incommodum uxoris; si ergo excedatur modus illius permissionis, cruciatus inde secutus computabitur absolutè inter gravia mala, causantia metum cadentem in virum constantem; & proinde etiam si uxor sua culpa dederit occasionem ad illam, gaudebit tamen jure divertendi. *Cap. De Benedicto. 32. q. 1.* Sanchez *n. 5.* Laymann. *loc. cit.* Reginaldus *L. 31. n. 316.* Filliuc. *Tract. 10. Part. 1. n. 402.* Farinacius mox citandus.

11 Intelligitur deinde illa sola verberatio, quæ excedit limites maritalis potestatis. Sanchez *cit. num. 16.* Nam vel uxor est merita, & res est per se clara; vel nullo modo est merita, & tum in foro externo non habebitur pro gravi malo. Si tamen sæpe absque causa verberaretur uxor, etsi non graviter, profectò illa tam frequens verberatio posset inter gravia mala numerari, præsertim si uxor sit matrona gravis, ingenua, bene administret familiam. Observat enim rectè Laymannus *cit. cap. 7. Part. 3. Verb. Oportet*, gravitatem, & levitatem verberationis definiendam etiam esse, considerata qualitate personæ, quæ verberatur. Repete, quod *citat. capit. 29. numero* 17. dixi de marito cædente uxorem fuste, aut flagellis.

II. Etiamsi tantùm semel se graviter verbe- 12
ratum iri sciat uxor, habet causam sufficientem divertendi. Nam & unica gravis verberatio est grave malum, & authores non requirunt multiplicem verberationem, licèt Layman. *loc. cit. n. 27.* loquatur de sæpius repetenda.

III. Præterita verberatio non facit jus di- 13
vortii, nisi ea præbeat justam causam metuendi aliam in futurum. Sanchez *num. 16.* Laymann. *cit. num. 27.* Palaus, ac Farinacius. *Part. 4. quæst. 143. Tit. 16. num. 203.* nam alioquin cap. *Literas. & cap. Ex transmissa.* non absolutè juberetur uxor, quæ maritum deseruit ob sævitiam, redire ad illum præstita cautione, si integre præterita sævitia sufficeret ad divortium. Tametsi autem Sanchez *loc. cit. num. 11.* 14
post Henriquez *Lib. 11. cap. 17. n. 7.* cum Reginaldo *loc. cit. n. 317.* Laymanno *cap. 11. n. 27.* Filliucio *loc. cit. n. 403.* Palao *n. 8.* censet, & sævitiam divortio sufficientem, revocandam esse molestam cohabitationem, discordias, jurgia frequentia, graviáque inter conjuges, vix tamen hanc causam admittit tribunal Ecclesiasticum, saltem respectu plebejarum, cùm præsertim Navarrus *in Enchiridio cap. 22. num. 22.* & apud Sanchez *n. 15.* Parisius, Cuiacius, Tolosanus, aliique negent, verberationem præstare jus divortii, nisi ex ea immineat mors, quod tamen malè negari patet ex dictis.

IV. Quando parentes mariti ea mala irro- 15
gant nurui, quæ impendentia à marito faciunt, secundùm dicta, jus separationis, potest nurus maritum deserere, si videlicet maritus negligat ea impedire. Abb. *cap. Ex transmissa. De Restitut. spoliat. num. 4.* Grassiis *Lib. 2. cap. 84.* Sanchez *loc. cit. num. 23.* Laymann. *loco citat.* Aut enim pater habitat cum filio, & tunc debet domo pellere patrem, si pergat esse ita molestus uxori, quia quoad cohabitationem debet vir magis diligere uxorem quàm parentes. S. Thomas *2. 2. q. 26. art. 6.* Aut habitat cum patre, & tunc debet sibi, & uxori alios lares constituere juxta illud: *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ. Gen. 2. v. 24.*

V. His adde cum Sanchez *num. 22.* quan- 16
do maritus timet, ne suis facultatibus grave damnum inferat uxor, posse hanc ab eo deseri;

quod

quod etiam pari ratione de viro dilapidante fortunas uxoris dici potest. Plura de tota materia hujus Sectionis suppeditabit judici, & Confessario Farinacius *cit. q. 143. à num. 129. ad 162.* Suppeditabit & Riccius, apud quem *Part. 1. Decision. Curiæ Neapolitanæ* legere est decisionem 180. & 121. in quarum prima disputat de qualitatibus testium, per quos probari debeat esse omni exceptione majores, in altera docet idem quod nos, scilicet ipsam verberationem in ordine ad divortium esse debere atrocem, & valde immoderatam. Unde infert, percussiones, & verbera sæpius illata cum cingulo reputari non posse atrocia, & talia, ut tori separationem inducere valeant, prout in terminis, ipso teste, docet Parisius *Consil. 54. Lib. 4.* ubi hic Doctor apud eundem Riccium *cit. Decis. 121. n. 2.* percussionem factam fune, ferula, seu corrigia negat sufficere ad divortium; & in fortioribus terminis Rolandus à Valle *Consil. 27. n. 17. Lib. 3.* negat etiam de percussione facta baculo cum sanguine; quod dictum mihi, inquit Riccius, non placet, cùm sit atrox, vel saltem gravis percussio, denique apud eundem Riccium verberationibus atrocibus accenset Aldobrandus *Consil. 71. n. 6. 10. 42. 54.* illas, ex *quibus vel sanguis exivit, vel in capite, facie, seu oculo illatæ fuerunt, vel cum hasta, seu baculo fracto in percussionibus, vel in pectore, ex quibus per decem dies percussa sanguinem expuerit, ut non poterat eis uti, aut similibus percussionibus, quæ fecerunt percussum stare* (jacere) *in lecto.* Ita Aldobrandus apud Riccium *cit. decis. 121.* quæ omnia an sint admittenda deduces ex dictis in hac Sectione, & credes utique, sufficisse ad divortium illos sævitiæ actus, quos à nonnemine exercitos referemus *infrà cap. 38. n. 15.*

17 Miror autem, quòd Riccius, Parisius, & Aldobrandus non faciant in enumeratione particularium percussionum præbentium, vel non præbentium causam divertendi à toro, mentionem distinctionis inter plebejos, & nobiles, itémque consuetudinis patriæ; etenim etsi percussio in facie videatur esse communiter pro immoderata habenda, quando nobili, ingenuáque matronæ infligitur, id tamen non videtur pronuntiandum de inflicta plebejæ, rusticanæ mulieri.

18 Sed & consuetudo patria efficere potest, ut eæ percussiones non habeantur in certa quadam regione pro atrocibus, quæ in alia pro atrocissimis. Claro exemplo mulieris Moscoviticæ hanc rem declaravi in Tomo priore *Tract. 10. Cas. 20. n. 714.* Cæterùm etsi Riccius scribit *cit. decis. 121.* lites de divortio propter sævitiam moveri sæpe, imò sæpissime, ut exprimit *decis. 120.* in Archi-Episcopali Curia Neapolitana, testor tamen, ejusmodi lites rarò, imò rarissimè agitari in tribunalibus Germaniæ, & nominatim in hoc Constantiensi, adeò ut unus ex antiquissimis Consistorialibus Procuratoribus, à me hisce diebus interrogatus mihi sit testatus, se totis illis quinquaginta Annis, quibus in Consistorio ad pulpitum stat sanus, & vegetus, vix meminisse (tametsi jam major octogenario polleat fideli memoria) unius, alteriúsve, quæ suos maritos accusarint unicè de atrocitate, ac sævitia; paucarum, quæ sævitiam junxerint aliis causis divortii.

SECTIO II.

Quandonam censeatur esse probabile periculum sævitiæ?

SUMMARIUM.

In quibus particularibus casibus adsit periculum sævitiæ? 20.
An quando maritus semel tentavit occidere uxorem? Ibid.
Aut insidiatur ejus vitæ? 21.
Aut uxor marito struit insidias? Ibid.
Quid si maritus timeat, ne aliquando in furore perimat uxorem, ob hujus contumaciam? 22.
Aut ob suspiciones, quas habet de ejus mala vita? 23.
Quid si sæpius minatus sit gravia verbera, eáque sint secuta minas? 25.
Quid si non constet, eum solere exequi minas? 26.
Duo actus faciunt consuetudinem. 29.
Furor perpetuus mariti an sufficiat ad divortium? 30.
Aut quando clam detinet concubinam? 32.
Aut detinet non domi, sed foris? 33.
Quid si tunc uxor sit rea adulterii? 34.
Quid si uxor sit venefica? 36.
Aut hæc timeat, ne ob mariti scelera rapiatur in carcerem tanquam socia? Ibid.
Metus verberationis sufficiens ad divortium non debet esse omnino certus. 37.

QUò metus censeatur esse gravis & justus, 19
adeóque sufficiens ad divortium dixi *n. 2.* esse debere tum de gravi malo, tum ex voluntaria causa. Primam illam conditionem explicavi *sect. præced.* Explicanda est jam secunda.

Quæritur itaque: *In quibus particularibus ca-* 20
sibus censeatur adesse probabile periculum, seu prudens metus, unius, aut plurium, ex malis enumeratis sect. præcedenti?

RESP. In sequentibus.

I. Quando maritus semel tentavit uxorem

occidere; tunc enim meritò timet hæc impo-
sterum vel necem, vel aliud grave malum cor-
poris. Covarruvias *Epitom. in 4. Decretal. Part. 2. cap. 7. §. 3. n. 3.* citans Abb. Hippolytum, & alios. Ratio est, quia ex præteritis fit præsumptio de futuris. Cap. *Mandata. De Præsumpt.* Quamquam utique possunt intervenire ejusmodi circumstantiæ, tum respectu causæ, ex qua, vel ob quam maritus uxorem necare tentavit, tum ex parte aliorum accidentium, ut ex ejusmodi præterita machinatione non possit in futurum quidquam probabiliter timeri.

21 II. Quando maritus revera insidiatur vitæ uxoris. Sanchez *Lib. 10. De Matrim. cit. disp. 18. n. 6.* probans ex Lege. *Consensu. Codic. De repudiis.* Quam tamen legem idcirco ægriùs allego, quòd ea contra Christi sanctionem *Matth. 5. & 19.* Matrimonii omnimodam dissolutionem permittat propter multas causas, inter quas est etiam una, aut altera levior, quàm ut propter eam Christianus Imperator repudium permittere debuerit. Rectiùs itaque hæc responsio probatur tum ex *Cap. Literas. De Restitut. spoliatorum. §. fin.* tum inde, quòd prudenter possit timere uxor, ne illæ insidiæ sortiantur suum effectum; ergo præbent justam causam divertendi.

III. Unde deduces cum Abb. *De divort. cap. 1. n. 4.* Hieronym. Schurpf. *Consil. Centur. 1. Consil. 42.* Sanchez *loc. cit. num. 8.* Palao *disp. 3. punct. 6. §. 9. num. 6.* post Pontium, & alios, marito quoque fas esse ab uxore divertere, quando hæc illi machinatur mortem; si videlicet ea machinatio sit ejusmodi, ut illam non possit facilè evadere, nisi separando se ab uxore. Etenim in hoc casu rectè dici potest imminere ei probabile periculum vitæ; quod quidem periculum æquè marito, ac uxori dat jus divortii; tum quia dispositum de uno correlativorum censetur esse etiam dispositum de altero: *Leg. fin. C. De Indict. viduit.* tum quia mariti intentio non fuit cohabitare illi, à qua sibi verosimiliter timet mortem. Unde hic etiam habet locum Axioma relatum *n. 1.*

22 IV. Quòd si vir timeat, ne ipse aliquando impatientia victus in uxorem involet, eámque jugulet, vel mactet, negat quidem absolutè Sanchez *loc. cit. num. 9.* licitum esse marito divortium, ego autem puto, licitum esse etiam in uno ex casibus, quos tangit, & negat ipse Sanchez; si videlicet uxoris ingenium sit acerbissimum; quando enim est uxor ita contumax, proterva, maledica, ut omnia imperia mariti protervè spernat, & insuper verbis contumeliosis laceret identidem, idque absque causa: maritus autem ad iram præcipitem pronus, atque idcirco meritò timet, ne in castiganda hac protervia uxoris, ita excedat concessos limites correctionis, ut tandem eam enecet, non video, cur ipsi nefas sit, illam deserere, præsertim si uxor se, post interminationem, non correxit: quandoquidem ex dictis *cap. præced.* constat, divortium permitti, quando uni conjugi ex alterius improbitate imminet periculum animæ, quod quidem imminet in casu, quem ponimus, & qui fortè non semel contigit. Debet autem utique, ut insinuavi, præcessisse licita correctio uxoris, & minæ de ea, ac deinde deserenda, nisi ipsa ponat custodiam ori suo, & ostium circumstantiæ labiis suis *Psal. 140.*

V. Si tamen maritus ideo timeat, ne ali- 2
quando uxorem trucidet, quòd ob quasdam suspiciones adulterii, aut ob fornicationem patratam ante nuptias, illam nunc ita execretur, ut vehementer metuat, ne in aliquo jurgio, præsertim crapulatus à vino, violentas manus in illam injiciat, rectè negat Sanchez *loc. cit.* suppetere ipsi jus, constituendi sibi seorsim ab uxore alios penates. Ratio est, quia 2
occasiones etiam proximas peccandi non licet deserere cum injusto detrimento alterius innocentis. Suprà *cap. 33. num. 73.* hîc autem supponitur esse uxor innocens, seu non dare sua culpa occasionem suæmet interfectionis; quia in primis factum infectum fieri nequit; ergo jam non dat culpabiliter, ratione suæ præteritæ levitatis, marito moralem occasionem tantarum furiarum; deinde supponitur, illas suspiciones adulterii esse temerarias, quia quando sunt prudentes, permittitur divortium juxta dicta *cap. 32. num. 65.* Ergo sibi potiùs, quàm uxori debet eas imputare maritus.

VI. Quando maritus minatur uxori grave 2
malum corporis, & constat, eum solere suas minas executioni mandare, censetur adesse probabile periculum illius gravis mali. Sanchez *Lib. 10. De Matrim. cit. disp. 18. num. 13.* Ratio est, quia, sicuti paulò antè dixi, ex præteritis fit præsumptio de futuris, seu præsumitur circa futura, ut habet Rubrica *In Cap. Mandata. De Præsumpt.* communi calculo recepta. Si tamen non constat, maritum solere 2
minas exequi, definiendum erit prudentis judicis arbitrio, utrùm considerato minantis ingenio, & minandi modo, causáque, videatur subesse prudens periculum. Sanchez *loc. cit.* Cùm enim mariti longè sæpissime jactent minas, (ut vocat Paulus *L. Hæc autem. in princ. ff. Si cui plus, quàm per L. Falcid.*) luforias, id est vanas & ideo vanas, partim, quia revera nō cogitant facere, quod minantur, partim quia, etsi cogitent, postmodum tamen sese ipsos corrigunt, non habet uxor ex solis verbis minacibus, sine alio adminiculo, sufficientem rationem præsumendi, illatum iri sibi à marito grave malum, & proinde illæ minæ non efficient continuò justum, & rationabilem metum, ut

latiùs

latiùs videre est apud Sanchez *Lib. 4. De Ma-*
27 *trim. disp. 1. n. 20. & 21.* itémque apud Mascardum *De Probat. Concl. 1375.* In dubio autem, utrùm sit executurus minas potest uxor aufugere. Sanchez *cit. Lib. 4. disp. 6. num. 22.* nec enim tenetur sese exponere periculo tanti mali.

28 VII. Etiam si maritus semel uxorem verberaverit crudeliùs, quàm par erat, non tamen est mox universim dicendum, illam prudenter, atque rationabiliter timere, ne imposterum eveniat sibi quid simile. Sanchez *Lib. 10. De Matrim. disp. 18. num. 16.* Ratio est, quia revera fieri potest, ut maritus modum excesserit ex ita planè insolito motu iræ, perturbationibúsque, ut non suppetat prudens ratio præsumendi, illum ejusmodi œstro imposterum correptum iri, secùs, si constet, ex malitia viri
29 provenisse illam sævitiam. Et quia duo actus consuetudinem probant. *cap. fin. 25. q. 2.* Hieronym. Schurpf. JC. *Consil. Centur. 1. Consil. 42.* disserens de hac ipsa materia, & Sanchez *cit. n. 16.* ideo quando ex ejusmodi malitia est uxor bis atrociter verberata, potest vasa colligere, & aliò se recipere. Farinacius *in Praxi Crim. Part. 4. q. 142. n. 203.* Certè Palaus *loc. cit. n. 7.* ait: Quòd regulariter ex percussionibus immoderatis, & sanguinolentis concipiatur probabilis timor similium, nisi sufficiens cautio adhibeatur.

30 VIII. Furor perpetuus, in quem incidunt mariti, præbet quandoque rationabilem causam timendi grave malum corporale, quandoque non præbet. Si præbeat, licet ab iis divertere. Si non præbeat, non licet. Sanchez *loc. cit. n. 18.* Ratio primæ partis per se patet. Ratio secundæ partis est, quòd multorum furiosorum impetus possint ab uxoribus coërceri, declinari &c. quia vel uxor est longè robustior, vel possunt viro injici compedes. Tertia
31 pars sequitur ex prima. Quarta pars probatur ex resolutione. *Leg. Si cùm dotem. 23. §. Si maritus. ff. Solut. Matrim.* ubi decernitur, quando alteruter conjugum in furorem, etiam perpetuum incidit, *si is furor sit ferendus his, qui circa eum sunt,* non oportere dirimi Matrimonium, atque additur causa, ad propositum nostrum maximè faciens: *quid enim,* inquit Ulpianus, *tam humanum est, quàm fortuitis casibus maritum, vel uxorem participem fieri?* Unde patet, quòd amens conjux non sit dimittendus, quoad cohabitationem ordinariè loquendo, esto sit dimittendus quoad torum. Tannerus *Tom. 4. disp. 8. q. 5. n. 81.*

32 IX. Quando vir detinet domi concubinam, subministrat uxori sufficientem causam timendi prudenter grave malum corporis. Rationem adfert Jacobus de Graffiis *Lib. 2. cap. 84. n. 4.* quia non bene conveniunt, nec in uno lecto morantur concubina, & uxor, hujus enim vitæ solet illa insidiari.

X. Amplia I. hanc doctrinam ad casum, quo 33
etiam extra domum habet maritus concubinam. Sanchez *loc. cit. n. 2.* Bonacina *q. 4. De Matrim. p. 5. n. 25.* Palaus *n. 8.* dicens, hoc plerumque esse verum. Ratio est, quia facillimè in tali casu movetur maritus ad pessimè tractandam uxorem, éstque talis concubinatus causa perpetuæ discordiæ.

XI. Amplia II. etiam ad casum, quo uxor 34
est rea adulterii. Ita singulariter & sapienter monet Sanchez *loc. cit.* quia sævitia mariti impedit, quo minùs possit is uti jure mutuæ compensationis, de qua locuti sumus *cap. 32. n. 73. & seqq.* Unde si uxor sit innocens & sævus maritus concubina utatur, habet uxor duplex jus deserendi, vel expellendi illum, simplex autem, si etiam sit adultera, & *sævus* maritus concubinarius.

XII. Non displicet, quod monet Covarru- 35
vias *in Epitome in 4. Decretal. §. 5. n. 2.* quando est inter virum, & uxorem lis super majore parte bonorum, posse, perspecta qualitate personarum conjunctarum, præsumi de futura sævitia.

XIII. Sicuti quando maritus in utero ne- 36
cavit tres infantes, præbet uxori justam causam metuendi sibi gravia mala. Sanchez *cit. d. sp. 8. n. 12.* ita & hæc præbet illi justam causam sibi timendi, quando ipsa interfecit unam, alterámve prolem, vel est venefica. Sanchez *n. 12.* qui *n. 21.* præmiserat, etsi, quando ex eo, quòd maritus sit latrociniis, aut furtis deditus, verosimiliter timet uxor, ne eo deprehenso puniatur ipsa quoque, veluti concausa talium scelerum, fas est se ab eo separare, non tamen esse licitam eam separationem, nisi ex illis mariti sceleribus impendeat ipsi uxori aliquod incommodum corporale, aut famæ.

XIV. Ex adductis casibus, & rationibus pa- 37
tet, etsi metus ad divortium sufficiens, debet esse rationabilis. *Suprà. n. 3.* non tamen opus esse, ut sit omnino certus, sed sufficere, modò sit verosimilis, ut indicant authores *cit. num. 3.* Unde absolutè docet Sanchez *Lib. 4. disp. 1. n. 17.* post Bartolum, Parisium, Silvestrum *Verb. Metus q. 1.* quòd etiam suspicio mali gravis sufficiat ad incutiendum metum, cadentem in virum constantem, atque adeò ad sponsalia rescindenda, dummodo illa suspicio sit probabilis. Nec videtur dissentire Palaus, dum *cit. §. 9. n. 10.* ait, probationes sævitiæ, ut divortium sequatur, debere esse concludentes, eò quòd nemo sit sub dubio spoliandus jure certo, nam hæc ipsa, quam adfert, ratio ostendit, non requiri ab eo, nisi probabilem metum.

SECTIO III.

De modo, quo ob sævitiam faciendum est divortium.

SUMMARIUM.

Quando est periculum in mora, licitè fit divortium ob sævitiam propriâ authoritate. 38.
Imò & propria authoritate fas est expellere volentem nocere. 39.
Nisi pars, cujus sævitia timetur, præstet sufficientem cautionem. Ibid.
Quid significet vocula cautio? 40.
Quid cautio idonea? Ibid.
Datur triplex cautio. Ibid.
Sufficit juratoria, quando nequit dari pignoritia, aut fidejussoria. 41.
Si nequit sufficienter prospici uxori timenti sævitiem, nisi per divortium perpetuum, judex indicet perpetuum. Ibid.
Quid agat judex, intellecto, aliquam uxorem profugisse à marito ob sævitiam? 42.
Caveat, ne nimis facilè credat, abesse periculum repetendæ sævitiæ. Ibid.
Divortium seu privata, seu publica authoritate factum, est quoad torum simul, & habitationem. 44.
Regula: Spoliatus est ante omnia restituendus, *non habet locum in causa sævitiæ.* 45.
Refertur ex Borcholten insigne paradigma divortii ob sævitiam. 47.
Moventur circa illud quæstiones quinque. 48.
Uxor inducta in hoc paradigmate licitè profugit propria authoritate à marito. 49.
Nec tenebatur redire nisi præstita cautione. 50.
Imò nec poterat adigi ad redditum etiam præstitâ quavis cautione. 51.
Non etiam tenebatur seu unam, seu utramque prolem reddere marito. 52.
Mortuo marito liberi an debeant remanere apud matrem. Ibid.
Eadem mulier potuit repetere totam dotem. 53.
Potuit & testamento cavere, ne quidquam è suis bonis obveniret post suam mortem superstiti marito. 54.
Nec potuit tam sævus parens exhæredare liberos, nolentes post suam instantiam redire ad se. 55.
Exprimuntur in Iure quatuordecim causæ exhæredandi. 56.

38 QUæres I. *Vtrùm ob sævitiam liceat propria authoritate facere divortium?*

RESP. Si est periculum in mora, tum licet authoritate propria. Filliucius *Tract.* 10. *Part.* 1. *cap.* 10. *quæst.* 3. *n.* 402. Laymannus *Lib.* 5. *Tract.* 10. *cap.* 7. *n.* 14. Reginaldus *Lib.* 31. *n.* 316. Palaus *De sponsalibus, seu Matrim. punct.* 6. §. 9. & Sanchez *Lib.* 10. *De Matrim. disp.* 18. *n.* 3. Farinac. *Pract. Crimin. Part.* 4. *q.* 143. §. *Sævitia. n.* 132. qui Sanchezium in tota materia divortii quoad torum, perpetuò citat, sequiturque. Ratio est, quia non tenetur quis, cum gravis mali periculo expectare sententiam judicis, quando potest sibi prospicere; ne inde injuriæ nascantur, unde jura nascuntur, contra rationem *Cap. Qualiter, & quando,* 2. *De accusationibus.* Si tamen sit facilis recursus ad judicem, adeundus est. Sanchez, Filliucius, Laymannus *ll. cc.* Ratio est, quia & vix aliter possunt vitari alia scandala, & sicuti per potestatem Ecclesiasticam conjuncti fuêre conjuges, ita convenit, ut per eandem separentur. Argum. *cap.* 1. *De Reg. Iur. in* 5. *& L. Nil tam. ff. De Reg. Iur.*

Amplia hanc doctrinam, ut non solùm li- 39
ceat discedere propria authoritate, sed etiam propria authoritate expellere, volentem nocere. Sanchez *cit. num.* 3. Limita autem eandem doctrinam ad casum, quo conjux, à quo malum impendet, non præstat sufficientem cautionem. Ita citati. Ratio est, quia præstita sufficiente cautione, desinit metus esse probabilis, & prudens; ergo non subest causa divertendi. *cap. Literas, & cap. Transmissa. De Restitut. spoliatorum.* Dico: *præstita sufficiente cautione*, quia non potest semper præstari sufficiens, ut quando e. g. intercedit odium capitale. Sanchez *loc. cit. n.* 33. tunc quippe non est fidendum fidelitati cautionis; cautio enim animum malevolum non mutat. §. *fin. Instit. De suspect. tutor.* Censétque Palaus *loc. cit. n.* 11. hoc esse verum, quoties sævitia est plenè probata.

Quæres II. *Quid nomine cautionis intelligatur,* 40
& quæ censenda sit sufficiens in proposito?

RESP. I. Etsi cautionis vocabulum significat quandoque tabulas, in quibus contractum negotium conscriptum est *Leg. Lecta* 40. *ff. Si cert. petat.* quandoque securitatem, quo sensu dixit Pomponius. *L. Plus cautionis. ff. De Reg. Iuris. Plus cautionis est in re, quàm persona*, communissimè tamen accipitur pro promissione. Text. *L. Sancimus.* 3. *C. De Verb. & rer. significat.* eáque nuda, & simplice. Text. express. *cit. L.* 3. nisi addatur aliquid, quo intelligatur designari non nudam, & simplicem, sed vestitam, & qualificatam promissionem, *cit. Leg. Sancimus*, Joachimus Mynsingerus. *Instit. Lib.* 3. *Tit.* 12. *n.* 3. Et verò quando vocabulo *cautio*, vel *cavendi* additur vox *idonea*, *sufficiens*: *idoneè*, *sufficienter*, tum hoc ipso intelligitur cautio vestita fidejussoria, vel pignoratitia. Text. *L. Si Mandata.* 59. §. *fin. ff. Mandati.* Mynsingerus *loc. cit.* Schardius *Verb. Cautio.* Sanchez. *cit. disp.* 18. *n.* 34.

II. Hinc fit, ut cautio, quam maritus, cujus 41
sævi-

sævitia timetur, præstare tenetur, debeat esse communiter fidejussoria, aut pignoratoria, atque adeò debeat ipse vel fidejussore exhibito, vel pignore tradito, uxorem reddere securam ab omni sævitia. Sanchez *n.* 40. Laymannus, Filliucius, Reginaldus *ll. cc. n.* 38. indicatis. Farinac. *cit. q.* 143. §. *cautio. n.* 213. Palaus *cit.* §. 9. *n.* 11. Ratio est. quia *cit. cap. Literas, & cap. Ex transmissa. De Restitut. spoliator.* statuitur, ut uxori, quæ ad maritum redire detrectat propter ejus sævitiam, præstetur cautio *sufficiens*, ergo vel fidejussoria, vel pignoratitia.

III. Si tamen ob paupertatem, atque inopiam nequeat ipse maritus uxori cavere fidejussione, vel pignore, sufficiet juratoria cautio, Sanchez *loc. cit. n.* 41. Palaus *cit. n.* 11. Bonacina *De Sacramento Matrimonii. quæst.* 4. *p.* §. *n.* 25. Sicuti etiam absolutè sufficit, quando uxor scit, maritum esse Religiosum observatorem juratarum promissionum. Gloss. *Cap. De Benedicto.* 32. *q.* 1. Sanchez *loc. cit. n.* 41. Filliucius, Reginald. Palaus, Laymann. *ll. cc.* Quia cautio non exigitur, nisi quæ, & quatenus necessaria est ad uxorem liberandam metu sævitiæ, Argument. *Cap. Literas, & cap. Ex transmissa. De Restitut. spoliat.* Si ergo juramentum sufficit ad eximendum rationabilem metum, frustra postulatur alia cautio.

IV. Nulla tamen cautio prodest uxori adversus justam correctionem. Abb. *Cap. Ex transmissa. n.* 3. *De Restit. spoliat.* Sanch. *n.* 46. Bonac. *loc. cit.* Nam nec eò se extendit intentio mariti caventis, nec decet, ut se eo extendat, ne nimium insolescat uxor.

V. Quòd si judicis arbitrio non possit incolumitati uxoris aliter prospici, quàm per divortium perpetuum, poterit, imò debebit ipse ferre sententiam divortii perpetui. Text. *Cap. Literas.* §. *fin. De Restitut. spoliat.* Abb. *Ibidem num.* 7. Sanchez *loc. cit. num.* 31. juncto. *num.* 49.

42 VI. Dixi in primis: *judicis arbitrio*; licèt quippe, quando est periculum in mora, possit uxor profugere à marito. *suprà n.* 38. ubi tamen judex vel ex marito, vel aliunde intellexit, eam profugisse, tenetur illam ad se citare, causámque fugæ scisciţari. Allegantem mariti sævitiam debet compellere ad eam probandam idoneis testibus, nam proprium juramentum non sufficit. Si nequeat in continenti probare, jubenda est redire ad maritum. *cit. Cap. Literas.* §. *Quòd si.* Si autem in continenti adferat testes (qui quidem possunt esse singulares, dummodo testentur in genere sævitiam. Palaus *cit.* §. 9. *n.* 10. citans Basilium Pontium. *L.* 9. *cap.* 32. & Rotam *decis.* 156.) vel det indicia malæ tractationis, judicis erit expendere, in primis, utrùm maritus revera excesserit modum castigandi, deinde, utrùm rationabiliter impositarum timenda sævitia.

Dum hæc expenduntur, permittitur uxori, per interlocutoriam sententiam judicis, habitare seorsim à viro, donec liti finis imponatur, alendæ interea viri expensis *cap. Ex transmissa. De Restit. spoliat.* Imponitur autem liti finis, vel injungendo uxori, ut ad maritum redeat, eò videlicet quòd non subsit probabile periculum sævitiæ, vel pronuntiando, eandem posse in posterum vivere liberam imperiis mariti. Hæc, & alia Gutirez *Lib.* 1. *qq.* Canonic. *cap.* 24. & ex illo Sanchez *loc. cit. n.* 30. & ex hoc Laymannus *loc. cit. n.* 17. ac Palaus *n.* 6. Caveat autem judex, ne nimis facilè pronuntiet, abesse jam periculum sævitiæ, memor Regulæ 8. *in* 6. *Semel malus, semper præsumitur esse malus*; quam occasione hujus ipsius materiæ conditam, & ex decisione consimili *cap. Literas. De Restit. spoliat.* desumptam esse, testatur Henricus Canisius *in Rubr. Tit. De Regul. in* 6. Lege P. Dicastillo *De Matrim. disp.* 10. *num.* 79. sapienter de his & aliis differentem.

Dixi deinde superiùs, posse ferri sententiam 43
divortii *perpetui*; quæ tunc solùm potest ferri, quando judex planè desperat, posse sufficienter caveri securitati, atque incolumitati alterius partis. Sanchez *num.* 49. Et hoc casu fas esse uxori ingredi Religionem, etiam repugnante sævo marito, tradit idem Sanchez *Ibid.* cum Navarro *Lib.* 4. *Consilior. Tit. De divortiis, Consil.* 5.

Infer ex dictis I. Divortium tam tempora- 44
le, quàm perpetuum, quod ob sævitiem est legitimè factum, vel privata, vel publica authoritate, non esse quoad solam cohabitationem, sed etiam quoad torum. Sanchez *Lib.* 10. *De Matrim. cit. disp.* 18. *n.* 4. contra Ovandum. Si enim maritus e. g. tam barbarè tractat uxorem, ut nequeat salvâ suâ cute, cum eo habitare, afficit hanc grandi injuria, & non servat fidem, tacitè præstitam in ipso contractu matrimoniali; ergo quamdiu non vult præstare fidem, aut sufficienter cavere de illa præstanda, si uxorem commonefaciat de debito conjugali, potest ea cum Bonifacio VIII. *Reg.* 75. *in* 6. respondere: *Fruſtra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat*, quandoquidem in mutuis promissionibus, semper tacitè subintelligitur conditio: *si modo alter fidem à se promissam servaverit.* Canisius *in cit. cap. fruſtra.*

Inferes II. Licèt spoliatus ante omnia sit re- 45
stituendus. *Cap.* 1. *De Restitut. spoliat.* quando tamen uxor profugit ob sævitiam mariti, non servatur ista Regula, ut patet ex dictis in decursu, sed pendente lite, utrùm sit metuenda sævitia mariti, nec ne, permittitur uxori, ut seorsim à marito habitet in loco, ubi vir, vel

paren-

parentes ejus, mulieri nullam possint violentiam inferre. Text. *Cap. Ex transmissa. De Restit. spoliat.* quia videlicet generatim loquendo, tunc non ante omnia restituitur spoliatus, quando ex restitutione imminet periculum illi, qui restituendus est. *Cap. Literas. De Restit. spoliat.*

Porrò, quæ hactenus dixi de jure divortii ob sævitiam, applicant nominatim authores sævitiæ provenienti ex ebrietate, ut Sanchez, Layman. Palaus, & alii plures.

46 Partem dictorum in hac Sectione confirmo Resolutionibus, quas Joannes Borcholten Saxonicus Jureconsultus *Tom. 1. Consiliorum Consil. 16.* dedit ad casum ad se delatum. Dedit autem Germanicè; ego verò epitomen reddo Latinè. Est autem ille

Casus Saxonicus talis.

47 *Titius uxorem duxit filiam viri primarii. Paulò post nuptias convitiis, atque imprecationibus eam petiit; quibus delatis ad consules miserunt una cum uxoris Confessario (Prædicante Lutherano) virum Senatorium, qui seriò monerent, ne in posterum quid ejusmodi faceret. Et habuit quidem conjugem aliquanto modestiùs, sed non diu; quin ad pejora progressus eandem tori consortem haud semel verberibus excepit, nasum, atque os cruentavit; bis tegmen capitis diripuit è capite, lateravit, inque ignem jactavit. Insuper bis cerevisiam effudit in ejusdem vultum, vibravit in eandem, sed casso ictu, hydriam, etiam candelabro percussurus, nisi obstitissent ancillæ.*

Insuper eandem iteratò ejecit è cubiculo, & quidem semel malè multatam pugnis; quin à famulo postulavit fistulam ferream, quam cùm ille negâsset, coactus fuit sese in pedes dare.

Quibus auditis ablegavit genitor conjugis nonneminem ad generum, qui omnino seriò moneret, ut desisteret ab hac indigna homine Christiano ratione agendi; & destitit quidem à verberibus, non item à diris imprecationibus, adeò ut ei dixerit: Si cacodæmon te in has ædes adduxit, educat idem te ex iisdem. Quin 11. *Augusti bis in culina cecidit eandem manu in collum vibratâ, jussitque inde abire familiam; quare vexata uxor pejora, profugit in tubiculum, cujus fores cùm vir ferociter calcibus & pugnis feriret, excessit ea in atrium, nocte intempesta se recepit in lares patrios, ac postridie curavit ad se deferri duas proles.*

48 Est hæc narratio Borcholtenana, circa quam fuisse proposita quinque dubia testatur ipse Borcholten. 1. *Vtrùm socer hujus sævi mariti potuerit jure retinere suam filiam, at nepotes, an verò obligatus fuerit hos, & illam restituere præstita cautione?* 2. *An idem gener habuerit jus repetendi vel à socero, vel ab uxore saltem alteram è prolibus?* 3. *An si uxor constanter renuat redire ad maritum, eique alterutram prolem reddere, possit ea nihilominus repetere dotem, quam marito dederat in literis sigillo munitis?* 4. *An parens uxoris valeat per ultimam voluntatem disponere, ut bona, quæ uxor titulo hæreditatis acquisitura, atque consequenter in filios transmissura esset, non devolvantur in maritum, casu quo hic esset superstes uxori, liberisque: & qua ratione posset ejusmodi dispositio quàm optimè fieri, factaque muniri?* 5. *An huic marito competat jus exhæredandi liberos, casu quo ad suam instantiam ii non reverterentur ad ipsum?*

Quid ad hasce quinque quæstiones respon- 49
derit ille Saxonicus Doctor referam brevissimè. Ad primam respondit, in primis illam uxorem merito profugisse ob illam sævitiam mariti, probátque authoritate Bartoli, in cujus dictis soleat esse substantia veritatis juxta Cravettam *Consil. 143. n. 35.* & cujus unius sententia instar omnium sit, teste Tiraquello *in L. Si unquam n. 154. Cod. De revocat. donat.* Deinde eandem mulierem non teneri redire 50
ad maritum, nisi præstita cautione, ut probat variis authoritatibus, & singulariter Glossæ *In Cap. Gaudemus. Verb. Negaretur. De divort.* quæ quidem Glossa sit juxta Baldum in *L. Cùm hæreditas. C. Depositi.* juris Idolum, antecellens omnes alias authoritates, sitque navis, per quam navigamus per vastum pelagus juris civilis, quæque nos dirigat in portum claræ veritatis judice Salyceto *in L. 22. C. De pact.*

Denique concludit idem Borcholten, ne 51
quidem præstita quacunque cautione posse illam uxorem adigi, ut revertatur ad maritum; tum quia omnis cautio, quam præstaret maritus, futura sit fragilis, atque infirma; & ideo ei non fidendum. Menoch. *Consil. 100. n. 171.* tum quia geminans delictum, licèt promittat emendationem, non tamen debeat audiri, nec ullam delicti veniam consequi juxta Baldum *In L. 3. C. De Episcopali audientia.*

Ad secundam controversiam indicatam *n.* 52
18. respondet Borcholten, matrem non teneri restituere tali patri vel utramque, vel alterutram prolem. Probat 1. quia privatio prolis est pœna, æquè atque separatio tori. *Novell. 117. §. Sed & illud ad cert. redig. form.* ibi autè debet esse pœna, ubi noxa, *L. Sancimus. C. De Pœn.* noxa autem, seu delictum est penes maritum, non uxorem. Probat 2. quia licèt mortuo marito communes liberi non sint alendi penes matrem, quando ea est vilis, aut turpis. Baldus *Consil. 487. Lib. 5.* si tamen sit honesta, debent ei tradi liberi educandi. Signorolus, Parisius, Grammaticus *decis. 55. n. 4.* eò quòd lex de matre multùm confidat *L. 2. C. Vbi pupilli educ. deb.* nisi fortè meliùs apud patruum, quàm apud matrem educandi videantur. Socinus, Baldus, & alii. Probat 3. quia Justinianus *Novella 117. §. Sed & illud.* expressè ita

statuit: *Si pater divortio causam præbuit, liberi apud matrem educari debent, & hæc patriæ pœna est.* Quo loco tametsi Imperator loquatur de divortio perfecto, seu quoad vinculum, attamen ejus constitutio est intelligenda etiam in casu, quo separatio quoad solum torum, & tectum facta est culpa alterutrius è conjugibus; etenim Justinianus habet ea in Lege rationem solius culpæ.

53 Ad tertiam respondet, illam mulierem potuisse jure repetere totam dotem; eò quòd cessante causa cesset effectus; causa verò cur uxor præstet marito dotem est, quia hic tenetur sustinere onera matrimonii. Text. *in L. 7. De Iure dotium.* Cùm autem inter hæc onera sit vel maximè sustentatio ipsiusmet uxoris, & liberorum, quam post divortium non præstabit maritus, sed uxor, clarum est, hunc non posse sibi jure vindicare dotem, nec peccare uxorem, dum eam repetit, nec enim peccat, qui legis authoritate peccat. *L. Gracchus. C. Ad L. Iul. De adult.*

54 Ad quartam quæstionem respondet idem Borcholten, posse utique patrem illius mulieris tam atrociter habitæ à marito, licitè, validéque testamento cavere, ne quidquam bonorum, in quæ filia, & nepotes succedent, obveniat suo tam improbo genero, idcirco quòd nulla ratio hîc cogat, ut recedatur à legibus tam clarè statuentibus, ut ultimæ voluntates defunctorum executioni mandentur, & liceat cuivis de rebus suis statuere pro libitu, quas Leges descriptas exhibet ille Doctor.

55 Ad quintam quæstionem denique respondet negativè, id est nefas fuisse, ejusmodi barbaro patri privare ulla parte debitæ legitimæ suos filios, etsi illorum neuter rediret ad ipsum, quantumvis instantissimè petentem.

56 Rationem hanc adfert, quòd licèt Justinianus *Novella 111.* enumerans 14. causas, ob quas liceat patri filios exhæredare, hisque quatuordecim causis addant Jureconsulti nonnullas alias, tametsi ipse Justinianus vetuerit addi, nihilominus tamen verum sit, inter causas, quas seu Imperator, seu Jureconsulti memorant, nullam reperiri, quæ probet, illum uxoris tyrannum posse unam, alterámve illarum prolium expungere ex ultimis tabulis.

57 Hactenus Synopsis Consilii Borcholtani, quo roborantur tum ea, quæ dixi suprà circa divortium propria authoritate licitum in metu sævitiæ, circáque cautionem, & perpetuitatem divortii, tum ea quæ infrà *cap. 35. n. 2.* rursum tangam circa hanc materiam; & quæ *cap. 38. n. 2. & 9.* proferam de liberis post divortium ob sævitiam factum alendis.

SECTIO IV.

De divortio ob morbum contagiosum, ex Ebrietate, vel aliunde ortum.

SUMMARIUM.

Conjunx, qui contraxit cum altero conscius morbi contagiosi, quo hic tenebatur, debet reddere debitum etiam cum periculo contagionis. 59.

Et censetur se obligâsse reipsa. 60.

Si verò morbus non sit contagiosus, esto non fuerit prius cognitus, adest obligatio reddendi. 61.

Esto adferat notabilem horrorem. Ibid.

Debemus prius proprio individuo, quàm propagationi consulere. 62.

Quid si morbus ille sit lepra? 63.

Et tunc leprosus asserat se versari in periculo incontinentiæ? 65.

Quid si uxor sine necessitate reddat cum periculo contagionis? 67.

Aut reddat ex charitate petenti ob periculum incontinentiæ? 68.

Aut etiam petat cum periculo contagionis? 69.

Horrifica pestis Lugdunensium. 70.

Quæ dicuntur de separatione quoad torum ob periculum contagionis, dicenda sunt etiam de separatione quoad cohabitationem. 71.

Non tamen permittitur toties separatio quoad cohabitationem, quoties quoad torum. 72.

Lepra uxoris est magis contagiosa, quàm viri. 73.

Quando cohabitatio desinit esse prohibita ob morbum contagiosum, habitatio est constituenda loco vicino. 74.

Quid juris circa hactenus dicta de separatione competat uxori, cujus maritus contraxit morbum contagiosum ex ebriositate, aliove crimine? 76.

Vxor non tenetur saltem crebrò reddere debitum marito, qui sua culpa contraxit morbum adferentem uxori magnum horrorem. 78.

Et potest tali casu uxor separare se à toro mariti. 79.

Divortium non est permittendum ob mariti ebrietatem solitariè spectatam. 80.

58 Est hæc brevicula Appendix priorum Sectionum; quam idcirco subjicio, quòd etiam concernat incolumitatem corporis, sicuti doctrinæ earundem præcedentium Sectionum, & ideo à quibusdam Doctoribus, ut nominatim à Tannero *Tom. 4. disp. 8. q. 5. n. 82.* tractantur sub uno communi titulo, *De divortio ob periculum corporis.*

Quæritur itaque I. generatim: *An, & quate-* 59
nus

tenus morbus contagiosus unius conjugum, det alteri justam causam separationis quoad torum?

RESP. I. Si morbus ille contagiosus erat jam ante nuptias cognitus alteri conjugi, debet probabiliter hic alter conjux reddere debitum, etiam cum periculo contágionis. Petrus de Ledesma *in Theolog. Moral. Tract. De Sacram. Matrim. cap. 31. Conclus.* 3. Sanchez *Lib. 9. De Matrim. disp. 24. n. 22.* Bonacina *De Matrim. q. 4. p. 1. n. 8.* & alii.

Ratio est, quia potuit se obligare ad id, & voluit, ergo tenetur. Quòd potuerit probatur tum auctoritate horum authorum, tum quia Cap. *Quoniam. De conjugio leprosorum* expressè decernitur: *Si leprosi aliquam, quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum esse eis ad Matrimonium convolare*; tum quia, cùm liceat se, ob graves causas exponere variis periculis morbi, mortísque, ut in aliis, atque aliis materiis tradunt Theologi, etiam licebit Matrimonium inire cum probabili periculo contagionis, saltem si sanus non possit reperire alium, quàm contagioso modo correptum, aut possit quidem alium, sed tamen huic nubat, ut eum periculo incontinentiæ liberet.

60 Jam verò quòd voluerit se in prædicto casu obligare ad reddendum debitum, patet, quia sicuti *non videntur consentire qui errant.* Text. *L. Nihil consensui. ff. De Reg. Iur.* ita vice versa consentit, qui non errat, sed novit vitia mercis, quam emit. Addo tamen, contrarium, in quod inclinavi in Experient. *Tract.* 10. *cap.* 16. *n.* 617. esse probabile, ob auctoritatem Ferdinandi de Castro Palao *disp. 3. De Matrim. p. 5. §. 10. n. 4.* ubi negat, posse quem obligationi, salutem corporalem conservandi, præferre filiorum propagationem.

61 II. Si morbus ille non sit ita contagiosus, ut adsit periculum probabile infectionis, tenetur alter conjux reddere, esto primùm supervenerit matrimonio. Ratio est, quia *cit. cap. Quoniam. De conjug. leprof.* sic statuitur. *Si virum, sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui præcepto nullus in hoc casu exceptio invenitur.* Nec excusatur, etiamsi notabilem horrorem, atque molestiam persentiscat. Henricus, & alii apud Sanchez *n.* 21. nisi ille horror sit valde magnus. Sanchez *ibid.* quia non videntur conjuges se obligare ad tales casus.

62 III. Quando ex morbo post matrimonium orto imminet periculum contagionis, non tenetur conjux ad reddendum debitum. Ita docent omnes Theologi, ut testatur Petrus de Ledesma *loc. cit. Conclus.* 1. & Sanchez *cit. Lib. 9. disp. 24. n. 2.* cum aliis, quorum multi declarant exemplo morbi Gallici. Ratio est, quia ut jam primùm dixi, intentio contrahentium non videtur se extendere ad tales casus, sicuti etiam leges non extenduntur ad casus tam extraordinarios, & arduos. Argum. *L. Nam ad ea. ff. De Legibus*, ita nec contractus matrimonialis; contractus enim particulares explicandi sunt eo modo, quo Leges. Palaus *Tr. 3. disp. 2. punct. 3. n. 4.* bonus Text. *in cap. Ex literis. §. Quia. De Constit.* Adde, quòd priùs proprio individuo, quàm speciei propagationi providere debeamus. Palaus *loc. cit.*

Amplia I. Hanc doctrinam ad casum, quo 63
illa contagio timetur ex lepra. Nam si judicio medicorum sit talis lepra, ut ex ea meritò timeatur contagio, non tenetur alter conjux reddere debitum. Sanchez *loc. cit. n.* 17. cum plurimis contra non paucos. Ratio est, quia non est, cur à præcedente doctrina, omnium calculo generatim comprobata, excipiatur contagio ex lepra. Nec obest decisio cap. 64
Quoniam. De conjug. leprof. eo enim solùm probatur, non esse generatim, indiscriminatim, & per se ratione lepræ negandum debitum, unde si periculum immineat ex solo frequenti coitu, non debet negari debitum petenti rarò. Sanchez *n.* 17.

Amplia II. Etiamsi conjux leprosus asserat, 65
se versari in gravi periculo incontinentiæ. Sanchez *n.* 12. Bonacina *cit. p. 1. n. 5.* Reginaldus *Lib. 31. n.* 283. Diana *Part. 6. Tract. 7. Resol. 64.* contra Petrum de Ledesma *loc. cit. Conclus.* 3. Ratio est, quia in hoc casu conjux sa- 66
nus nec ex charitate, nec ex justitia tenetur reddere. Non ex charitate, illa quippe privatam personam non obligat ad tantum incommodum corporale pro necessitate spirituali non extrema. Ferdin. de Castro Palao *Tract. 6. disp. 1. De Charitate punct.* 1. cum multis aliis. Non ex justitia, quia licèt Matrimonium sit institutum etiam in remedium concupiscentiæ, ut argumentatur Ledesma, non tamen intendunt conjuges obligare se, ad hoc remedium subministrandum in ejusmodi casu. Profectò si conjugati, & conjugatæ examinarentur, puto, quòd decimus quisque non esset fassurus, fuisse suam implicitam, aut explicitam voluntatem dandi conjugi jus in suum corpus, cum periculo contagionis.

Amplia III. Ut delinquat uxor, si cum peri- 67
culo contagionis reddat debitum petenti absque necessitate. Sanchez *loc. cit. n.* 8. Ratio est, quia cuilibet homini imminet cura sui corporis. S. Thomas *2. 2. q. 26. art. 5. ad 3.* non igitur debet exponere illud periculo, ut gratificetur petenti debitum ex libidine, seu fine necessitate. Si tamen reddat petenti ob peri- 68
culum incontinentiæ, non modò non peccat reddendo, sed etiam opus bonum facit. Sanchez *n. 23.* Ratio est, quia salutem corporis periculo exponere pro salute spirituali proximi, est opus perfectionis. S. Thom. *cit. art. 3.* Esto proximus ille versetur non in extrema, sed solùm

solùm in gravi necessitate. Coninck *De actibus supernaturalibus disp. 25. n. 96.* Imò quan- 69
do morbus est diuturnus, fas est etiam petere, cum proprio infectionis periculo. Bonacina *loc. cit. n 8.* ubi ait, esse fas reddere ad ostendendum conjugalem animum, quando morbus est diuturnus, esto præcesserit is matrimonium, & fuerit ignoratus.

70 IV. Non videtur tamen potuisse doctrina *num. 68.* allata locum habere, tempore illius prorsus miserandæ pestis, de qua Theophilus Raynaudus *De Martyr. per pestem. p. 4. cap. 3. num. 9.* dolens scribit, videlicet sub Annum 1628. Lugduni, aliisque vicinis locis ita tetrum in modum fuisse grassatam, atque in multis utriusque sexus excitâsse adeò intolerabilem pruritum in Venerem, ut mulieres in publicis plateis viros etiam Religiosos solicitarent, ac pene cogerent ad carnale commercium. Etenim & Sanchez suam doctrinam restringit ad morbos diuturnos, & non tendentes ad mortem, & non videtur ille pruritus potuisse per illam copulam conjugalem mitigari, nisi fortè ad tempus brevissimum. Exponere se autem evidentissimo periculo mortis, ob mitigandam in altero tentationem, paulò pòst fortè àcriùs insurrecturam, non permittit bene ordinata charitas.

71 Quæres II. generatim: *qua ratione ob periculum corporis, ex morbo contagioso impendens liceat divertere quoad cohabitationem?*

RESP. I. Quæ de licita, vel illicita, laudabili, aut non laudabili separatione quoad torum, ob periculum corporale rationabiliter, vel irrationabiliter formidatum, dicta sunt, eadem proportionaliter asserenda sunt, de separatione quoad habitationem; ubi enim est eadem ratio, ibi quoque est eadem juris dispositio. *Leg. Illud. ff. De Leg. Aquil. L. ult. C. De Legib.*

72 II. Quia tamen solet cohabitatio non adferre tantum periculi, quantum frequens torus, ideo non quoties permittitur separatio quoad torum, permittitur etiam quoad habitationem; & nominatim *cit. cap. Quoniam. De conjug. leprosorum* dicitur constare, quòd sive vir, sive mulier lepra percussa fuerit, seu alia gravi infirmitate detenta, non sit à viro propterea separanda, aut dimittenda, unde tradit absolutè Navarrus *In Manuali capit. 22. n. 22.* conjugem à conjuge recedere non posse propter morbum, quem alii Gallicum, alii
73 appellant Neapolitanum. Vice versa dicit Tannerus *Tom. 4. disp. 8. q. 5. num. 82.* viro leproso communiter quidem reddendum esse debitum, sed non cohabitandum; quia scilicet, quando vir laborat lepra, non imminet uxori tantum periculum, ex copula cum illo, quantum ex cohabitatione; at verò imminet viro præsentius periculum ex copula cum uxore leprosa, ut ex medicis declarat Sanchez *cit. Lib. 9. disp. 24. n. 9.*

III. Quando morbus est ita contagiosus, ut 74
salva corporis salute nequeat sanus cum infirmo cohabitare eâdem domo, debet in vicinia constituere domicilium, ut possit infirmi necessitatibus, quoad patietur justus metus infectionis, succurrere. Ita sapienter monent post Hostiensem, Henricum, & Astensem, Silvester *Verb. Lepra. q. 3.* ac Sanchez *loc. cit. n. 30.* Ratio est, quia sicuti Leges, & privile- 75
gia derogantia juri communi, non sunt extendenda ad casus, adæquata ratione Legis, & privilegii minimè comprehensos. Suarez *Lib. 6. De Leg. cap. 5. num. 7. & Lib. 8. cap. 30.* ita facultas separandi se à conjuge, ratione contagionis, non est extendenda ultra periculum contagionis; quandoquidem illa facultas est quoddam quasi privilegium, & metus periculi est adæquata ratio separationis, ut supponimus.

Quæres III. speciatim: *Quid circa præceden-* 76
tia licitum, aut præceptum sit uxori, casu, quo maritus per ebrietatem, aliámve culpam suam, contraxit morbum horridum, aut contagiosum?

Solus Petrus de Ledesma, quantum quidem scio *cit. cap. 31. Conclus. 3.* tangit hoc dubium, sic enim quærit: *Supponamus conjugem, qui sine ulla culpa sua post contractum Matrimonium incidit in lepram, aut morbum Gallicum. Fingamus rursum, illum vexari passionibus, & concupiscentiis inordinatis, ita ut sit expositus periculo incontinentiæ. Quæritur, an in tali casu teneatur sanus alteri debitum reddere cum periculo contagionis?*] Et respondet teneri, satis innuens, aliud dicendum videri, quando culpa mariti contractus est ille morbus, alioqui frustra adderet illam limitationem: *qui sine culpa sua.*

Et meritò id innuit, tum quia *malitiis homi-* 77
num non est indulgendum. L. In fundo. 38. ff. De rei vendicat. tum quia, *quod quis culpâ suâ damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.* Text. *L. Quod quis. ff. De Reg. Iur.* tum denique, quia quando solutio certi debiti evadit notabiliter difficilior per culpam creditoris, non tenetur debitor eam præstare, saltem totam.

Unde infero primò. Licèt dixerim *num.* 78
61. teneri uxorem reddere debitum, etiam cum suo horrore notabili, attamen illud non esse intelligendum casu, quo horroris illius causam maritus dat per vultus fœditatem, animæ graveolentiam, aliáque gravia corporis vitia, ex ebrietate profecta; etenim rationes nunc allatæ suadent, esse eam doctrinam restringendam ad morbos absque culpa conjugis contractos, saltem ut non teneatur reddere crebrò.

79 Infero II. ulteriùs, posse in prædicto casu, uxorem bona conscientia separare se, quoad torum à marito, ita, ut non teneatur cum illo ordinarie dormire, esto maritus perægre ferat, fulminet, blasphemet, minetur se ad aliam diversurum. Ratio est, quia nec justitiæ, nec charitatis lex obligat uxorem, ut cum sua notabili molestia, naturáque repugnantia pareat marito, ejúsve peccata impediat, cùm is causam dederit, & dederit tam inuitâ, totiésque (ut solent) ingemiscente, & fortè idcirco penuriam, detrimentúmque rei domesticæ perpessa uxore, ob præteritas ebrietates mariti.

80 Et quia facta hîc est mentio ebrietatis, indico me in Experientiis *Tract.* 10. *n.* 731. dissensisse à stylo Curiæ Neapolitanæ permittentis divortium, & consequenter negationem debiti conjugalis ob viri ebrietatem.

H. 3.

ETSI AUTHORITATE PROPRIA &c.

CAPUT XXXV.

Quænam ex causis in Accusatione Canonica indicatis præbeant jus faciendi propria authoritate divortium?

SUMMARIUM.

Sævitia erga uxorem Elpidiam sufficit. 2. & seqq.
Item exercita erga liberos. 5.
Uxor licitè negabit debitum, si nequeat aliter impedire dilapidationem paraphernalium. 8.
Aut non aliter impedire magnum damnum fortunæ, famæve, vel nanciscì magnam utilitatem temporalem. 9.
Aut propter suspiciones adulterii. 10.
Aut propter verba hæretica. 12.
An etiam propter violentiam semiebrii? 14.
Eadem uxor licitè separat se à domo mariti, si aut vir se inebriet crebrò cum periculo sæviendi in ipsam, filiósve. 17.
Aut mater nequeat aliter, quàm per separationem prospicere saluti liberorum. 18.
An possit divertere uxor, si aliter nequeat recuperare ablata? 20.
Non in omnibus Casibus, quibus licita est separatio quoad torum, licita est etiam quoad habitationem, & vice versa. 23.

1 QUæres I. *Ex quibusnam causis, in ipsa Accusatione Canonica indicatis, lucuerit Elpidiæ propria authoritate facere à marito Sutio Merula divortium quoad torum?*

RESP. Ex sequentibus.

I. Ratione sævitiæ *lit. V. V.* indicatæ. primis enim indicavi, Elpidiam non mo fustibus fuisse crebrò à Sulpitio sæviter ex ptam, sed etiam aliquoties vix mortem e fisse. Deinde addidi, id ipsum mali exper fuisse Elpidiæ liberos.

Ad sævitiam respectu ipsiusmet Elpidiæ ercitam quod attinet, patet ex dictis *Cap. p ced. sect. 1. & 2.* illam ipsi præbere sufficie tissimam causam separationis quoad torum juxta dicta *ibid. sect. 3. num. 52.* & quidem pr pria authoritate propter rationem allata *Ibid. num. 53.* Licèt enim *Ibid. num. 38.* co muni authorum phrasi usus, negârim, divo tium ratione sævitiæ, esse propria authorit te licitum, quando non est periculum in m ra, illud tamen intelligi debet de divortio, integro, vel certè separationem habitatio includente. Nam separatio quoad solum t rum non parit scandalum, etsi facta propr authoritate; cùm tamen metus scandali si unica causa, ob quam non liceat tunc propr authoritate divertere, aut dimittere uxore Unde rectè docet Sanchez *Lib.* 10. *disp.* num. 18. quando vir sæpe inebriatur cum p riculo gravi uxoris, posse ab eo divertere nolit præstare cautionem abstinendi ab ebri tate: & similia posse facere maritum cum ux re ebriosa, quæ in ebrietate nescit comp sci.

Jam verò ad sævitiam erga liberos exerc tam, aut exercendam quod spectat, non sc quidem, qui tradat, eam sufficere ad debitu conjugale meritò negandum marito; videt tamen probari posse hoc syllogismo: Uxor p test debitum negare marito, pergenti eam a ficere magnis injuriis, injustísque molestiis Atqui, quando liberos ita crudeliter tracta pergit uxorem afficere magnis injuriis, inju stísque molestiis. Ergo. Major propositi suadetur tum ratione, quam *Cap. præced. nu* 52. probavi, uxorem non teneri reddere deb tum tum marito, à quo malè, indignéque ha betur; tum quia non teneor debitum 100. au reorum solvere meo creditori, qui famam m hi iniquè ablatam restituere non vult. Lessi *Lib. 2. De Justit. & Jur. cap. 11. dub. 15.* 97. cum plurimis Doctoribus. Minor pro positio, seu subsumptum inde suadetur, tur quia piæ matri non potest non ingentem do lorem parere sævitia in liberos exercita juxt illud 3. *Regum* 3. *commota sunt quippe viscer ejus super filio suo*; tum quia filius est ali quid non tantùm patris, sed etiam matris. S Thom. 2. 2. *quæst. 26. art. 9.* Ibi: *parentes dili gunt filios ut aliquid sui existentes.* Taceo alia quibus utrumque membrum illius subsum

pti

7 pti posset illustrari. Et verò siqua conjugata confiteretur, se statuisse abstinere toro maritali, donec maritus spondeat, se non ampliùs desæviturum in liberos, non essem denegaturus absolutionem Sacramentalem. Cæterùm filium à patre male haberi solitum debere emancipari, si petat, docet Molina *Tract. 2. disp. 229.* atque alii.

8 II. Quando uxor nequit alia ratione, quàm negando debitum conjugale, impedire, quò minùs ipse uxoris bona paraphernalia, aut dotem abliguriat, eo modo quo in contextu accusationis Canonicæ indicavi *lit. LL. MM. NN.* potest propria authoritate illi debitum 9 negare. Ratio est, quia conjux potest debitum negare, ad vitandum detrimentum in bonis fortunæ aut famæ, vel ad magnam in illis utilitatem comparandam, ut loquitur Sanchez *De Matrim. Lib. 9. disp. 25. num. 5.* ita etiam loquitur Petrus de Ledesma *in Theolog. Moral. Tract. De Matrim. cap. 31. dub. 3. vers. Dico secundò*; ergo potest etiam debitum negare ad recuperandum, resarciendúmque damnum dotis, & paraphernalium; quandoquidem jura longè magis favent amissa recuperare volentibus, quàm nunquam habita comparare, ut patet ex *Tit. De R. stit. spoliatorum. Et*: *De in integrum Restitut.* Adde his rationem allatam *n. 5.* ergo etiam potest id facere, ad impediendum illud damnum, cùm longè sit favorabilior, fortiórque titulus retinendæ, quàm recuperandæ possessionis, ut constat ex utroque jure.

10 III. Potuit Elpidia propria authoritate separare se à mariti toro, ratione suspicionum, de patrato adulterio, indicatarum *Lit. E. 3.* illas quippe fuisse violentas patet ex ipsa narratione collata cum iis, quæ de facientibus violentam suspicionem adulterii tradidi *cap. 32. sect. 1.* Et ob violentas suspiciones adulterii permissum esse privata authoritate divortium, ostendi *cit. cap. 32. n. 65. & seqq.*

11 IV. Licèt *cap. 33. sect. 1.* probatum sit, hæresin præbere sufficientem causam divortii, & in ipsa accusatione referatur *Lit. DD.* Sulpitium in ebrietate proferre verba homine Catholico indignissima, adeóque hæretica, non tamen videntur illa sufficere ad præsumendum, Sulpitium esse hæreticum, sicuti *cap. 19.* 12 *n. 41.* sufficienter ostensum est. Si tamen eadem verba hæretica, etiam sobrius repeteret, tum revera faceret præsumptionè internæ hæreseos. Nam & *nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit.* Text. *L. Labeo. §. 2. ff. De supell. Leg.* & tuba cordis est lingua loquentis. Baldus, & *voces sunt naturaliter signa intellectuum.* S. Thom. 2. 2. *q. 110. art. 3. in C.* Consentit Palaus *Tract. 4. disp. 8. p. 10. num. 4.* Quare posset Elpidia in hoc casu uti favore, de quo disserui *c. 33. n. 18.*

V. Quia uxor non tenetur ebrio marito red- 13 dere debitum. *Suprà cap. 19. n. 26.* Diana *Part. 6. Tract. 7. Resol. 64.* constat autem ex tenore accusationis *Lit. N.* vix diem abiisse, quo Sulpitius non impleverit se vino, potuit, seclusо, incontinentiæ periculo, Elpidia ferè quoridie subducere se à geniali toro. Et hoc 14 potuit facere etiam illis diebus, quibus Sulpitius erat solùm semiebriùs, dummodo in illa semiebrietate notabilem molestiam solitus sit afferre uxori tempore copulæ, quia uxor non tenetur reddere debitum cum notabili sua molestia, si hujus causa, & quidem culpabilis sit ipse maritus. *Suprà cap. 34. num.* 77.

VI. Tametsi in ipsa accusatione depingi- 15 tur Sulpitius coloribus hominis valde scelerati, quia tamen flagitia unius conjugis non privant illum jure debiti, nisi quatenus sunt noxia alteri. *Suprà cap. 33. n. 38.* aliqua autem ex enumeratis, & afflictis Sulpitio, non sunt ullo modo noxia uxori, aliqua autem sunt noxia, sed de iis jam sufficienter mentem meam aperui *cit. cap. 33. n. 47. & seqq.* ideo nil superest, quod hic addam.

Quæres II. *Quot titulos separationis, quoad* 16 *habitationem, subministrent Elpidiæ ea, quæ in accusatione Canonica recensentur?*

RESP. Sequentes.

Primus est ob sævitiam *Lit. VV. & cap. 29. n. 20.* indicatam, ratione cujus separationem quoad tectum, & quidem propria authoritate facere licitum esse ostendi *cap. præced. sect. 3.* ac nominatim de sævitia ebrii mariti ita loquitur Sanchez *Lib. 10. disp. 18. n. 18.* Erit justa causa divortii, si vir sæpe inebrietur cum periculo vitæ uxoris. Idem cum alio gravi periculo. Et tunc præstanda erit sufficiens cautio abstinendi ab ebrietate.] Quamvis verò 17 paulò superiùs *n. 5.* vel dubiè, vel subtrepidè dixerim, sævitiam in ipsos liberos exercitam dare jus negandi debiti conjugalis, omnino tamen sentio, esse dicendum, illam ipsam facere jus discedendi à marito una cum liberis, si videlicet ipsis immineat periculum ab ebrio marito. Ratio est, quia quando impendet gnatis periculum animæ ex patris improbitate, potest, imò tenetur mater illos secum aliò abducere. *Suprà cap. 32. n. 30.* ergo etiam quando iis impendet periculum corporis, potest, si non teneatur id ipsum facere; quandoquidem matri quoque incumbit non solùm cura spiritualis liberorum. Filliucius *Tract. 38. Part. 1. n. 22.* sed etiam corporalis, in defectu patris, & ascendentium, Layman. *Lib. 5. Tract. 10. Part. 3. cap. 5. n. 7.*

Sicuti etiam doctrinam *cit. n. 30.* traditam 18 restringo ad casum, quo nequit mater saluti spirituali filiorum consulere aliter, quàm

per suam separationem à marito, ita etiam dico, si mater possit furori mariti commodè subtrahere prolem, sine sui ab eo separatione, non esse ei licitam sui separationem. Ratio est, quia sublata causa tollitur effectus; causa autem separationis nulla alia hîc consideratur, nisi periculum corporale impendens liberis.

19 Quòd si tamen illa liberorum separatio à matre ac patre foret iis, aut matri pergravis, & molesta, posset fortasse uxor dicere marito: *Et tecto, & lecto meâ te separabo, donec ita te gras, ut nostri liberi possint nobiscum tutò vivere.* Ratio est eadem, quam attuli suprà *n.* 5. & 6. Verùm non libenter aliquid hîc sine expressa auctoritate determino.

20 Alter titulus, ob quem potest Elpidia quærere lares alios à maritalibus, est, quando nequit aliter conservare sua bona, quæ abligurit maritus, aut recuperare jam ablata. Prima pars patet ex dictis *cap.* 34. *n.* 16. Altera pars

2 suadetur ex dictis superiùs *num.* 9. Verùm non existimo, posse propria auctoritate fieri ejusmodi divortium ob titulum recuperandi ablata, quia nullum periculum hîc in mora apparet; & tamen manifestum est periculum magnorum scandalorum; nec videtur facilè posse fieri, ut uxor nequeat amissa recuperare aliter, quàm separando se à marito. Atqui *ubi majus periculum intenditur, ibi plenius est consulendum.* Textus. *Capit. Vbi. De elect. in* 6.

22 Tertius, & quartus titulus deducetur ex dictis *num.* 10. 11. 12. quia illic de separatione quoad torum asserta, & negata, asserenda, negandáque sunt de separatione quoad tectum: sicut & id, quod resolvi *n.* 13. & 15. ac quod dixi *n.* 14. patet non habere locum in separatione quoad torum.

23 Quæres III. *An, quibus casibus licitum est divortium quoad torum, licitum quoque sit quoad habitationem, & vice versa?*

Respondeo haudquaquam. Patet ex dictis hoc, & superioribus capitibus; & ratio est, quia cùm separatio sive quoad lectum, sive quoad tectum sit valde odiosa, utpote repugnans institutioni Matrimonii, nisi legitima causa honestetur, clarum est jus, & quasi privilegium separationis esse restringendum, argum. vulgarium Jurium de odiis, & exceptionibus à Regula communi restringendis, atque non esse extendendum ultra rationem separationis adæquatam, quæ hîc, & nunc adfertur, ut

24 argumentabar suprà *cap.* 34. *n.* 75. Et quia non omnis ratio, quæ militat pro separatione quoad torum, evincit pro separatione quoad habitationem, & viceversa; quia etiam à similibus, non autem à diversis valet illatio. Navarrus *in cap. Sacerdos. De Pœnitentia. dist.* 6. *n.* 60. *ex Leg. Papinianus. ff. De Minor.* idcirco apparet, verum esse, quod dixi, licèt utique sæpius detur jus separationis à toro, sine jure separationis à tecto, quàm hujus ab illo.

Ex his omnibus apparet, quo sensu in titulo 25 hujus Tractatus facta sit mentio divortii *ob Ebriositatem* faciendi; licèt enim ipsa formaliter ebriositas, aut ebrietas non subministret causam sufficientem adæquati divortii, quandoquidem illius causam sufficientem non dant unius conjugis crimina, nisi sint alteri noxia. *Suprà cap.* 33. *n.* 37. ebrietas autem, & ebriositas viri formaliter sumpta, non nocet uxori, attamen ebrietas formaliter, seu solitariè considerata dat jus negandi debiti. *Suprà n.* 13. & considerata efficienter, seu prout est origo magnorum malorum hactenus explicatorum, præbet justissimos titulos perfectissimi divortii, salvo vinculo. An etiam marito sobrio liceat ab ebriosa uxore divertere, explicabo *cap.* 44.

l. 3.

AD VESTRUM TRIBUNAL DIVORTIORUM &c.

CAPUT XXXVI.

Quis sit judex competens in lite divortii?

SUMMARIUM.

Lis de divortio spectat ad solum forum Ecclesiasticum. 1. 2.
Refertur casus hanc in rem. 3.
Excommunicatur usurpans jurisdictionem spiritualem, aut temporalem adnexam Episcopatui. 4.
Quis dicatur usurpare hanc? 5.
Etiam quando ratione adulterii oritur quæstio divortii, solus Episcopus est Iudex. 6.
Aut quando ratione aliorum variorum criminum. 7.
Quid si alicubi invaluit contraria consuetudo? 8.
Quando agitur causa sanguinis ob adulterium, solus laicus est competens Iudex. 9.
Quis Iudex, quando agitur de dote amittenda, vel præstandis alimentis? 10. *& seqq.*

QUæres I. *Vtrùm lis de divortio sit fori civilis, an Ecclesiastici, an mixti?*

RESP. I. Certum est, non esse solius fori civilis; tum quia nemo Catholicus hoc dicit, tum quia jura, quæ adferam, clarè ostendunt, Ecclesiasticum judicem esse pro hac lite competentem.

II. Quan-

2 II. Quando agitur de divortio quoad vinculum, & torum, solus Ecclesiasticus judex est competens. Non scio, qui hoc neget, asserunt autem omnes subscribentes responsioni adferendæ *Cap. seq. n.* 1. probatúrque apertè ex *cap. Porrò. De divortiis*, ubi de Comite Pontini, qui uxorem suam absque judicio Ecclesiæ dimiserat, quòd diceret, eam esse cognatam defunctæ uxoris expressè pronuntiat Pontifex Alexander III. *Si etiam parentela esset publica, & notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit.*

Hinc apparet, quid respondendum fuerit ad hunc, de quo consultus fui

Casum.

3 F*Abius judex secularis intellexit, Cajum, & Tatiam iniisse abhinc aliquot jam Annos in facie Ecclesiæ Matrimonium cum impedimento cognationis dirimente. Eos ad se citat, Iuridicè examinat, & comperto, subesse revera impedimentum, mandat separationem à toro, & habitatione. Quæsitum fuit, an Fabius non incideris in excommunicationem XVII. Bullæ Cœnæ Domini, latam contra eos*, qui usurpant jurisdictionem ratione beneficii Ecclesiastici *alicui competentem?*

4 Respondi incurrisse. Etenim illam excommunicationem contrahit, quisquis usurpat jurisdictionem temporalem, vel spiritualem, annexam Episcopatui. Bonacina *De Censuris in Particul. disp.* 1. *q.* 18. *p.* 2. *n.* 12. ex communi Doctorum, ut etiam videre est apud Filliucium *Tract.* 15. *cap.* 8. *n.* 213. Palaum *Part. ult. disp.* 3. *p.* 18. Atqui Fabius usurpavit ejusmodi jurisdictionem; etenim Episcopatui annexa est jurisdictio, & potestas dirimendi matrimonia invalida, argum. Cap. *Accedentibus. De exces. Prælat.* Et *cit. cap. Porrò. De divortiis*, & Trident. *sess.* 24. *Can. fin.* hanc autem Fabius usurpavit tum injungendo separationem, usus enim potestatis maximè cernitur, & exercetur in sententia ferenda, cùm judex dicatur à jure dicendo. *Cap. Iustum.* 23. *q.* 2. tum probabiliter citando ad se partes, & juridicè examinan-

5 do de impedimento. Ratio est, quia ille usurpat jurisdictionem annexam Episcopatui, qui exercet actum jurisdictionis spectantem ad Episcopum ut talem; etenim usurpare est aliquid sine justo titulo sibi appropriare, vel de illo disponere. *Cap. penult.* 14. *quæst.* 5. Filliucius *loc. cit. n.* 210. atqui actus ille citationis, & examinis spectat ad Episcopum ut Episcopum; ejus enim solius est Juridicè citare, & examinare, cujus est sententiam ferre, cùm citatio sit principium, & fundamentum judicii. §. *fin. Instit. De Pœna temere litig.* Gaill *L.* 1. *Observat.* 48. *n.* 1.

6 III. Etiam, quando agitur de divortio, ratione adulterii, solus judex Ecclesiasticus adeundus est. Ita communiter tenent Doctores, testibus Julio Claro *in Pract. Crim. q.* 37. *n.* 3. & Covarruvia *in* 4. *Decret. Part.* 2. *cap.* 7. §. 7. *n.* 14. apud quem Decius *Consil.* 212. censet, etiam laicum posse esse judicem. Citatur pro nostra doctrina Sanchez *Lib.* 10. *De Matrim. disp.* 8. *n.* 15. Capitulum. *Tuæ. De Procurat. & cap.* 1. *Vt lite non contestata*; sed utroque hoc capitulo plus nequit efficaciter probari, quàm quòd hæc lis coram judice Ecclesiastico tractari possit, non autem quòd debeat. Minùs etiam huc facit Capitulum. *Accedens. De Procurat.* quod allegat Covarruvias. Probatur itaque tum ex praxi communi, tum ex Regula prima *in* 6. tum quia, cùm Matrimonium inter Christianos sit Sacramentum, lis de ejus dissolutione proveniente ex natura ipsius matrimonii, spectat ad solam sacram personam. Argum. Cap. *Accessorium. De Reg. Iur. in* 6.

IV. Similiter quando agitur de divortio, 7 vel quoad solum torum, vel quoad solam cohabitationem, vel quoad utrumque ratione hæresis, sævitiæ, seductionis, morbi contagiosi, & universim ratione unius ex titulis, ob quos separationem temporalem, aut perpetuam, licitam, vel imperatam esse diximus. *c.* 32. 33. & 34. dicendum est, coram solo judice Ecclesiastico tractandâ esse illam causam. Probatur tum ex cit. Regula; *Omnis res*, tum ratione paulò antè allata, tum quia Covarruvias, & Sanchez *ll. cc.* contra Rupellanum expressè tenent, quando lis est de conjugum separatione ad tempus ratione lepræ, solius judicis Ecclesiastici esse ferre sententiam.

V. Si tamen alicubi mos obtinuit, ut judex 8 laicus cognoscat de sævitia mariti, ob quam uxor ab eo profugerit, vel profugere velit, non ausim damnare illum morem, cùm non videam jus clarè eum damnans.

VI. Quando agitur causa sanguinis ob ad- 9 ulterium, aut aliud crimen conjugis, solus judex laicus est competens. Sanchez *loc. cit. n.* 16. Ratio est, quia *C. Clericis. & cap. Sententia sanguinis. Ne Clerici vel Monachi*, prohibetur, ne Clerici causas sanguinis agitent, aut proferant. Quoad alias verò pœnas ratione adulterii infligendas, res est mixti fori, & subinde datur locus præventioni. Barbosa *Collect. In Ius Canonic. in cap. Tuæ. De Procurator.* Vide dicta *cap.* 32. *n.* 8. *& seqq.*

Quæres II. *Specialiter de dote amittenda, &* 10 *alimentis non præstandis, quis judex circa hæc & illam sit adeundus?*

RESP. Vel est principaliter lis de dote, & alimentis, vel accessoriè. Si accessoriè solum de iis judicat is, qui de principali, etenim *explorati juris existit, ut quibus principale committitur, & accessorium committatur.* Text. Cap. *Prudentiam. De offic. & pot. jud. del.* Et Clemens III. Cap. *De Prudentia. De donat. inter. vir. &*

mal. disertè rescribit: *Vos, qui principaliter de Matrimonio cognovistis, & de dote (quæ est causa incidens) accessoriè cognoscere valuistis.* Ubi Gloss. *vers. Accessoriè*, generatim dicit: *Qui cognoscit de principali, cognoscere debet de accessorio.* Si verò sit principaliter lis de dote, tum probabilius est, non esse mixti fori, sed solius civilis. Gloss. *cit.* Sanchez *cit. disp.* 8. *num.* 15. Quod etiam de causa alimentorum, si de iis agatur principaliter, rectè docet Sanchez *Ibidem*, post Molinam *De Primogeniis Lib.* 2. *cap.* 15. Ratio est, quia tunc dos, & alimenta, ut sic considerantur solùm, ut debita ex contractu civili. 11

Itaque quando judex Ecclesiasticus dirimit Matrimonium, ob impedimentum consanguinitatis, hoc ipso potest ferre sententiam de restituenda dote uxori, tanquam de accessorio, qui est ipsissimus casus *cit. cap. De Prudentia*; & similiter id facit, quando dirimit quoad torum ratione adulterii, quia uxor adultera amittit dotem Text. *Cap. Plerumque. De donat. inter vir. & uxor.* sicuti & jus petendi alimenta. Infrà *cap.* 40. Viceversa quando uxor vel dotem repetit, vel cautionem pro illa exigit, ideo quòd maritus aut ad incitas redigi videatur, aut eam abliguriturus timeatur, adiri debet solus judex laicus. Gloss. *cit.* 12 13

K. 3.

AEQUE AC MATRIMONIORUM &c.

CAPUT XXXVII.

Quis sit judex competens in causis matrimonialibus.

SECTIO I.

De Iudice in foro externo.

SUMMARIUM.

Solus judex Ecclesiasticus dirimit lites Matrimoniales circa quæstionem Iuris. 1.
Quid intelligatur hoc loco, nomine judicis Ecclesiastici? 3.
Quis judex causarum Matrimonialium versantium in quæstione facti? 5.
Quid si quæstio facti resolvenda sit in quæstionem Iuris? 10.
Quid si agatur de dote, hæreditate, successione? 12.
Clandestinè contrahentes puniuntur etiam à Sæculari Iudice. 13.
Qui censeantur contraxisse clandestinè? 16.

QUæres I. *Quando de Matrimonio oriuntur quæstiones Iuris, seu concernentes jus ipsum, quis eas terminare debeat?* 1

RESP. I. Solus judex Ecclesiasticus. Ita tenent omnes Catholici Doctores, teste Tannero *Tom. 4. disp. 8. quæst. 4. dub. 9. n. 146.* contra hujus temporis sectarios. Ratio, tum quia Tridentin. *sess. 24. Can. fin.* ita expressè definit: *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Tum quia per quæstiones *juris* intelliguntur eæ, 2 quibus controvertitur, utrùm Matrimonium in hoc aut illo casu, circumstantia, qualitate, sit licitum, validum, firmum, dissolvendum. Bellarminus *De Matrimonio Lib. 1. cap. 32.* Atqui hujusmodi quæstiones debent à solo judice Ecclesiastico dirimi, quia per eas quæritur, an aliquid sit legitimum Sacramentum? definire autem, quòd aliquid sit legitimum Sacramentum, vel non sit, pertineat ad Ecclesiæ tribunal, cujus solius est spiritualia tractare, nam *laicis nulla est de spiritualibus disponendi facultas.* Textus. *Cap. Tua 1. De decimis.*

II. Per judicem Ecclesiasticum intelligitur 3 hîc, quilibet Episcopus jurisdictione præditus. Text. *in cap. Accedentibus, de excess. præl.* qui & tales causas potest alteri delegare. Gloss. *in c. 1. De consanguin.* Intelligitur & Abb. Jurisdictione Episcopali præditus. Diez relatus in Experientiis *Tract. 7. n. 55.*

III. Ita verò intelligitur Episcopus, vel ab 4 illo delegatus, ut quæstio conjugalis non possit in arbitrum, aut arbitratorem compromitti, nec ab arbitris laicis etiam incidenter decidi, nec de ea transactio instituti. Covarruvias *in 4. Decretalium. p. 2. c. 8. §. 12. n. 6. 7 8.* Tannerus *loc. cit. n. 167.*

Quæres II. *Quis sit judex causarum Matrimo-* 5 *nialium, versantium in quæstione facti?*

RESP. Sanchez *Lib. 3. De Matrim. disp. 54. n. 4.* & Tannerus *cit. dub. 9. n. 165.* absolutè dicunt, ejusmodi causas posse ab judice sæculari cognosci, eò quòd tunc non oporteat cognoscere de valore matrimonii, aut sensu canonum. Bartolus, Abbas, & alii communiter 6 apud Covarr. *loc. cit. n.* 10. ajunt, id esse verum, quando tantùm incidenter occurrit lis ejusmodi; negant etiam cum hac restrictione Decius, & Raphaël apud eundem Covarruv. *Ibid.* censentem, consultius esse horum, quàm illorum opinionem sequi.

Ego sic censeo. Cùm constet, sæcularem 7 fuisse antiquitus competentem judicem causarum Matrimonialium, quandoquidem contractus matrimonialis est ex natura sua contractus merè civilis, *Leg. 1. ff. De ritu nupt.*

Co-

Coninck *De Sacrament. disp. 30. n. 5.* ex communi, postmodum à Christo Domino elevatus ad Sacramenti dignitatem. S. Thom. *in 4. dist. 26. q. 2. a. 2. & 3.* Trident. *sess. 24. ante Canones*; cùm, inquam, constet, Matrimonium esse ex sua primæva ratione contractum merè civilem, & consequenter ex se subjectum jurisdictioni judicis sæcularis, non debet ea jurisdictio negari judici sæculari, nisi in casibus le- 8 ge, vel firma ratione definitis. Nam & mutatio non præsumitur, sed probanda est. *Cap. Mandata. De Præsumpt.* & juris correctio restringenda est, non ampliandа, quia jura juribus concordare debent, eorúmque correctio, quatenus fieri potest vitanda. *C. Cùm expediat. De elect. in 6. & L. Præceptum. Cod. De* 9 *Appellat.* Atqui nulla lex, aut firma ratio definit, judici sæculari competere in nova Lege minus, quàm in antiqua, potestatis circa causas matrimoniales, merum factum concernentes; ergo judicandum est, eas posse tum incidenter, ut tenent Abbas, Felinus, Bartol. tum principaliter, ut censent Sanchez, & Tan- 10 nerus *ll. cc.* à sæculari judice terminari. Limita cum Tannero *cit n. 166.* ad casum, quo quæstio facti resolvenda est in quæstionem juris, ita ut controversia oriatur de sensu Canonis, seu Legis Ecclesiasticæ; & ex responsionibus, atque rationibus ad utramque præcedentem quæstionem adductis infer sequentia:

11 I. Indubitatum esse, quòd solus judex Ecclesiasticus debeat terminare lites merè spirituales, circa Matrimonium ortas; ut sunt lites de Benedictione Sacerdotali, partibus Matrimonii &c. Bellarminus *loc. cit. De Matrimon.* 12 *c. 32.* Becanus *De Matrim. q. ult.* II. Causas, quæ dotem, hæreditatem, successionem &c. concernunt, spectare ad forum civile. Bellarminus, Becanus *ll. cc.* Tannerus *n. 165.* ubi ait, hanc doctrinam esse extra controversiam, eò quòd ejusmodi causæ sint merè temporales, & proinde in iis non minùs, quàm in aliis causis civilibus judicem esse sæcularem; quam doctrinam, quoad dotem, explicavi. *Cap. præced.*

13 III. Posse à sæculari judice puniri eos, qui clandestinè contraxerunt. Sanchez *Lib. 3. De Matrim. disp.* 54. Tannerus *cit. n.* 165. Palaus *De Matrim. disp. 2. p. 13. §. 1. & ult. n.* 10. & perbene P. Dicastillo *De Matrim. disp. 3. dub. 21.* cùm hoc delictum meritò dicatur esse mixti fori juxta descriptionem allatam *Cap. 32. n. 41.*

14 Si tamen dubium sit, an fuerit Matrimonium clam contractum, erit judicis Ecclesiastici examinare testes; & proindè judici sæculari imperabit, ut tantisper differat pœnam, donec testes sint à se, judice, inquam, Ecclesiastico, examinati. Covarruv. *in cit. 4. Decret. p. 2. c. 6. ante §. 1. n. 21.* Sanchez, & Tannerus 15 *ll. cc.* Rectè tamen docet Palaus *loc. cit.* esse probabile contrarium, eò quòd sit ista merа quæstio facti, cùm non quæratur, quale Matrimonium sit clandestinum dicendum, sed supposita, quam facit Ecclesia, definitione clandestinitatis, inquirit, an sit contractum Matrimonium contra Ecclesiæ statuta. Porrò per 16 clandestinè contrahentes intelligit Palaus cum aliis etiam illos, qui absque denuntiationibus contrahunt. Quapropter possunt & illi à civili Magistratu plecti, qui scienter absque dispensatione contraxerunt in gradibus utroque jure prohibitis, non tamen potest is illos separare. Suprà *Cap. 36. n. 2.* Vide etiam *Cap.* 17 *32. n. 42. & seqq.* quomodo idem delictum possit ab utroque Magistratu puniri.

SECTIO II.

Quomodo Parochus, & Episcopus se gerere debeant, quando intelligunt, aliquos contrahere velle, aut contraxisse cum impedimento?

SUMMARIUM.

Parochus habens ex Confessione Sacramentali cognitum impedimentum, nequit sponsis negare suam assistentiam. 18.
Nam tunc illud cognovit non ut Iudex, sed ut DEVS. 19.
Nec necesse est, ut tunc petat à sponsis potestatem loquendi de rebus auditis in Confessione. 23.
Confessarius non obligatur ex auditis in Confessione aliud agere, quàm ageret, si non audivisset Confessionem. 25.
Imò fortè nec licet in Superiore casu petere licentiam loquendi de impedimento intellecto in Confessione. 26.
Quid si timeatur ne impedimentum postea evulgetur? 27.
Quid si ante Annum fuit detectum impedimentum mihi, & ego hodie exipiam Confessionem volentis inire Matrimonium cum tali impedimento? 28. & 29.
Intellecto extra Confessionem denuntiatóque impedimento Parochus negabit assistentiam. 30.
Non tamen examinabit illud juridicè. 31.
Et sufficit tunc testis unus major omni exceptione. 35.
A quo tamen non exiget juramentum Parochus. 36.
Quid si ipse impedimentum ex sua sola privata notitia compertum habeat? 37.
Quid si sponsi obtinuerint dispensationem pro solo foro conscientiæ? 43.

Aut falsis testibus probent Immunitatem ab impedimento cognito aliunde ipsi Parocho? 45.

Quid faciat Episcopus cognoscens impedimentum? 46. *& sqq.*

18 QUæres I. *An quando Parochus novit ex Confessione Sacramentali, aliquos laborare impedimento, possit eos conjungere?*

RESP. Si novit ex sola Confessione, non potest iis absolutè negare suam assistentiam. Navarr. *in c. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. n.* 144. Sanchez *L.* 3. *De Matrim. disp. 16. n.* 14. Coninck *Tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 27. *dub.* 7. *n.* 70. Bonacina *De Matrim. q.* 3. *punct. ult. n.* 13. Palaus *disp.* 2. *De Sponsalibus, seu Matrim. p.* 13. §. 7. *n.* 5. Gutierez *De Matrim. cap.* 60. *n.* 11. Mart. Perez *D Matrim. disp.* 43. *sect.* 8. loquentes in specie de hoc Sacramento, post illos, qui generatim docent, non posse à ministro negari Sacramentum indigno, si minister illam indignitatem novit ex sola Confessione; eos citat, sequiturque Tannerus *Tom.* 4. *disp.* 5. *q.* 8. *n.* 202. Laymann *Lib.* 5. *Tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 10. Cardinalis de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 23. *n.* 125. *&* 126.

19 Ratio est, quia Confessarius illud impedimentum non scit ut judex, sed ut Deus. Text. *Cap. Si Sacerdos. De Offic. Iudic. Ord.* & nequit uti notitia in Confessione accepta ad exteriores actus, ex quibus Confessio potest reddi onerosa pœnitenti. Palaus *loc. cit.* cum aliis hic nominatis, ac Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *Part. disp.* 33. *sect.* 7. *n.* 10. redderetur autem haud dubiè valde onerosa, valdè difficilis Confessio, si Parochus posset licitè negare absolutè suam assistentiam iis, quorum impedimentum nôsset ex sola homologesi; certè non pauci omitterent Confessionem peccati causantis illud impedimentum, si putarent, licere talem usum Confessionis. 20 Lege sis P. Dicastillo *De Pœnit. dub.* 12. *n.* 150. sapienter censentem expedire, ut Pontifex sub gravibus pœnis vetet, ne etiam sæculares Confessarii ad externam gubernationem, ullo modo utantur scientia Confessionis, & vide plura hanc in rem in Experientiis *Tract.* 7. *Casu* 23. *n.* 870. *& seqq.* ubi ex instituto differo de licito, & illicito usu notitiæ Confessionis.

21 Amplia I. Datam doctrinam, ut sit vera etiam quando in loco, in quo non viget Tridentinum, initur occultè Matrimonium sine testibus coram solo Parocho. Ita citati contra S. Bonavent. Silvestrum, Angelum, Phîliarchum, & alios à citatis relatos, qui putant, in hoc casu posse iis negari assistentiam, si Parochus possit absque fractione sigilli se eximere, prætendendo alias causas. Verùm & ratio allata militat contra hunc prætextum, & non videtur practicè posse iste prætextus adhiberi sine rubore, confusione que pœnitentium, cum qua tamen confusione ne quidem hi Doctores volunt suam sententiam practicari.

Amplia II. Ut etiam sit vera respectu illius, 22 qui non est Parochus, sed solùm habet à Parocho potestatem assistendi. Sanchez *cit. n.* 14. & alii contra Paludanum, Navarrum, Rodriquez, & alios apud Sanchez *loc. cit. n.* 11. Ratio est, quia etiam quando talis non vult assistere, reddit Confessionem odiosam.

Amplia III. Ut non sit necesse priùs à pœ- 23 nitentibus, seu pœnitente petere potestatem loquendi de rebus auditis in Confessione. Gutierez apud Palaum *loc. cit. n.* 4. cum Sanchez *n.* 15. contra Coninck, Bonacinam, & alios plerosque, qui censent, si commodè fieri queat, teneri talem Confessarium petere à pœnitente facultatem loquendi de rebus in Confessione auditis, & ubi illam obtinuit, debere monere pœnitentem, ut absistat à Matrimonio invalido, ob impedimentum in Confessione aliquando revelatum.

Et quamvis non inficier, hanc opinionem 24 esse probabilem, tum quia est communissima teste Palao *loc. cit.* tum quia debemus impedire peccata, quoad possumus; quia tamen rarissimè potest ex ejusmodi monitione sperari optatus fructus, & hanc ipsam ob rem sequendo illam sententiam, nimis crebrò pœnitens afficeretur rubore, absque ullo emolumento, idcirco credibilius est, non adesse talem obligationem petendi licentiam. Cùm præsertim 25 generatim, & rectè pronuntiet Sanchez *loc. cit. n.* 16. repugnante Navarro *In Cap. Sacerdos. De Pœnit. dist.* 6. *n.* 146. Confessarium ex rebus in Confessione auditis non obligari ad quidquam, extra illam agendum, vel omittendum, ad quod non obligaretur, si nullam Confessionem audiisset tota vita. Pro qua doctrina citat aliquos indeterminatè Navarrus *cit. n.* 146. & idem Sanchez in specie S. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Paludanum *in* 4. *dist.* 18. *q.* 8. *art.* 20. Silvestrum *Verb. Confessor.* 3. *q.* 12. Verùm nil ejusmodi reperio in S. Thoma, aut Silvestro. Vide dicta in Experientiis *Tract.* 7. *n.* 875.

Amplia IV. Ut ne quidem liceat etiam se- 26 cretò petere ejusmodi licentiam. Gutierez *De Matrim. c.* 60. *in fin.* apud Palaum *cit. p.* 13. §. 7. *n.* 5. ubi hanc ampliationem fatetur esse probabilem, quam utique admitterent Armilla, Bannes atque alii apud Sanchez *loc. cit.* asserentes (quamvis immeritò) Confessarium teneri post auditam Confessionem, se gerere in omnibus, perinde ac si tota vita non excepisset ullam. Certè periculum afferendi molestiam, ac ruborem pœnitenti, & quidem absque fructu sperato persuadet, esse à Christo Domino interdictam potestatem, & jus petendæ talis licentiæ. Quamquam, quia omnes ferè Doctores apud Sanchez *n.* 15. tenent, licere secretò,

(petita

(petita tamen, ut multi rectissimè limitant, facultate de rebus in Confessione auditis loquendi) dehortari à tali proposito, poterit Confessarius huic sententiæ accommodare se 27 in praxi. Et tunc vel maxime sequetur eam praxin, si probabiliter timeat, id impedimentum aliquando detectum iri, sicque dissolvendum Matrimonium. Unde in casu, qui contigit, author fui, ut Parochus, qui in Confessione impedimentum impotentiæ cognoverat, & qui posmodum requirebatur assistere Matrimonio ejusmodi impotentis, secretò peteret ab eo licentiam loquendi de Confessione, eáque impetrata illum dehortaretur. Quòd si dehortationes tales insuper habeantur, tum debet se gerere Parochus, ac si penitus ignoraret impedimentum. Et verò præsumere debet, nil profuturam admonitionem, si fortè jam in ipsa Confessione priùs omni modo dissuasit Matrimonium, tanquam illegitimum, at nihilominus post dissuasionem petit ab eo pœnitens, ut & denuntiationes faciat, & copulet, sicuti etiam faciendum indicavi in specie facti.

28 Quòd si Sejus esset mihi ante Annum Confessus illud peccatum, ex quo gignitur impedimentum, & iterum hodie suam conscientiam exonerans, nil quidem dicens de illo peccato, attamen addens, se crastino esse ducturum Bertham, cum qua habet impedimentum, tenerer juxta Lugonem per se loquendo revocare illi in mentem id impedimentum, quia teneor pœnitenti in mentem reducere pristina peccata, quando necesse est ad ejus salutem. Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *Part. disp.* 23. *n.* 127. & 29 Dicastillo *De Pœnit. disp.* 12. *n.* 91. Verùm Diana negaret hanc obligationem, utpote qui *Part.* 5. *Tract.* 11. *Resol.* 20. cum Fagundez inficiatur, licere Confessario loqui in posteriore Confessione de auditis in priore, nisi hæc tangat ipse pœnitens. Quare propter horum duorum authoritatem poterit negari illa obligatio; at negari non debet, quin saltem liceret ita procedere cum Sejo; rectè enim tradunt apud eundem Dianam *Ibid.* Joann. Henriq. Malderus, ac Præpositus (quorum verba describit ipse Diana, addens iis Granadum, & Henriquezium nostrum) fas esse, intra Confessionem refricare pœnitenti memoriam aliàs detectorum criminum, quando ipse Confessarius judicat expedire ad ejus salutem; ita enim habet usus Confessariorum Doctorum, & timoratorum teste Præposito, quando obtingunt ipsis pœnitentes, sæpissime relabentes in idem peccatum, etiam post frequentes valde Confessiones. Vide in Experient. *Tract.* 7. *n.* 827.

30 Quæres II. *Quomodo se gerere debeat Parochus, quando extra Confessionem intellexit, illos, qui volunt contrahere, esse inhabiles ob impedimentum?*

RESP. I. Si facta una, aut omnibus denuntiationibus intelligat, subesse impedimentum, debet negare suam assistentiam, licentiámque contrahendi Text. *in cap. fin.* §. *fin. De cland. desponsi.* & patet ex causa finali denuntiationum tam seriò præceptarum à Concilio Tridentino *sess.* 24. *c.* 1.

II. Debet tamen omittere examen illius im- 31 pedimenti, non investigando, an illud subsit, & debet remittere ad ordinarium, quia ejusmodi examen est actus jurisdictionis exterioris, qua caret Parochus. Sanchez *Lib.* 3. *De Matrim. disp.* 15. *n.* 3. Palaus *cit. p.* 13. *n.* 2. Coninck *De Sacramentis. disp.* 27. *n.* 65. post Gutierez *c.* 60. *Pontium Lib.* 5. *c.* 36. *n.* 8. & alios. Et vult Palaus, hanc doctrinam esse veram, quando etiam ex uno contrahentium intelligit Parochus, opponi impedimentum.

Ego tamen, præsertim in Germania, in qua 32 ob amplitudinem Episcopatuum, non est tam facilis accessus ad Ordinarios, censeo, neque contra jus, neque contra consuetudinem facturum Parochum, si intellecto, subesse impedimentum, quærat quale illud sit. Quòd si manifestissimè appareat, esse planè nullum, cùm is, qui impedimentum opposuit, errârit vel in facto, vel in jure manifestissimo, poterit illos conjungere. Ratio est, quia cùm ejus- 33 modi examen fiat sine ullo strepitu forensi, sine testium citatione coactiva, & planè eo modo, quo posset facere ipse parens sponsæ, e. g. cùm deinde supponam, esse clarissimè deprehensam inanitatem allegati impedimenti, non autumo hanc resolutionem adversari, aut aliarum, aut nostræ Constantiensis Diœcesis Constitutionibus Synodalibus. *Part* 1. *Tit.* 16. *n.* 44. *&* 45. hæ quippe loquuntur de casu *Controverso.* Caveant autem Curati, ne sint præcipites, mereantúrque pœnas *Ibid.* statutas; ergo consulant in hac materia suos Reverendos Dominos Decanos, aut ea, quæ fusius in hanc rem scripsi in Experientiis *Tract.* 10. *Casu* 9. *n.* 363.

III. Parochus prædictam assistentiam nega- 34 re debet, etiamsi unicus testis impedimenti sese offerat. *Cap. Præterea. De sponsal.* Coninck *cit. disp.* 27. *n.* 67. Debet autem ille testis esse 35 juratus, & omni exceptione major. Coninck *disp.* 23. *n.* 47. Riccius, & Bonacina *cit. q.* 3. *De Matrim. p. ult. n.* 13. qui dicat, se scire, nam testi ex auditu solo etiam hîc non creditur. Coninck *Ibid. n.* 79. & Bonacina *loc. cit.* nisi quando agitur de probanda consanguinitate, creditur enim juranti, se à duobus suis majoribus fide dignis audivisse. *Cap. Ex quadam. De testibus.* Covarruvias *in* 4. *Decret. Part.* 2. *c.* 6. §. 10. *n.* 21. Coninck *cit. disp.* 23. *n.* 79.

Sed utique juramentum non debet excipe- 36 re ipse Parochus, sed vel informare Ordinarium, vel testem mittere ad ipsum, cùm auditio testis

testis jurati sit actus magnæ jurisdictionis. Vide dicta *Cap. præced. n.4.*

37 IV. Quòd si Parochus non aliunde, quàm ex propria experientia, seu scientia extra Confessionem habita cognoscat impedimentum, debet imprimis occultè, paternéque monere sponsos, ut desistant. Si nolint, negabit ipsis suam assistentiam. Gutierez *c.60. n.10.* Sanchez *cit. disp. 15. n. 6.* Coninck *cit. disp. 27. n.67.* Bonacina *cit. n.13.* Perez *De Matrimon. disp. 43. sect. 9. n.3.* contra Basilium Pontium

38 *L. 5. c.35.* apud Palaum. Ratio est, tum quia *c. fin. De clandest. desponsat.* absolutè triennali suspensione ab officio punitur Parochus, qui non prohibet volentes contrahere in gradibus prohibitis; tum quia tenetur, quoad potest, impedire tanta mala, quanta solent evenire ex matrimonio invalido, tenetur, inquam, tum ratione officii, tum ea ratione, qua reliqui, quos quidem, si sint conscii impedimenti occulti, obligatos esse illud manifestare constat ex *Cap. Tua. De cognatione spirit.* tradúntque Gloss. *in cit. cap. fin. verb. voluerint*, Coninck *disp. 23. dub. 11.* Bonacina *q. 2. De Matrim. p. 6.* Perez *loc. cit. sect. 6.* Et quidem sub mortali. Sanchez *Lib. 3. De Matrim. disp. 13. n. 2.* contra Angelum, Navarrum, & Henriquez apud Sanchez *loc. cit.* ratos, quando impedimentum est ita occultum, ut non possit probari testibus, illum, qui solus id novit, non obligari denuntiare.

39 Verùm refutantur inde, quòd quando agitur de solo damno avertendo, & non de pœna alicui inferenda, admittatur, sufficiátque testimonium unius omni exceptione majoris. Ita omnes teste Sanchez *Lib. 1. De Matrim. disp. 71.* ubi latè de testibus impedimenti; & desumitur ex *C. Præterea. De sponsal.* Vide dicenda

40 *cap. 42. sect. 3.* Limita doctrinam de teste: nisi ex denuntiatione grave incommodum ipsi, aut publicum scandalum immineat, tunc enim non tenetur denuntiare impedimentum. Coninck *n.62.* Bonacina *cit. p.6. n.20.* quod fortè etiam de Parocho dicerent Bonacina & Coninck.

41 Nec obest principali doctrinæ, quòd occulto peccatori, petenti publicè Eucharistiam, ministrare oporteat. S. Thom. *3. Part. q. 8. art. 6. in Corp.* Etenim hoc argumento rectè probatur, Parochum non posse sponsis suam assistentiam ex ejusmodi notitia negare ob quodlibet peccatum mortale, sed solùm ob illa, quæ prævidentur tractura post se multa alia, sicuti fit, quando quis contrahit cum qualicunque impedimento dirimente, aut cum voto castitatis. Coninck *disp. 27. n. 29.* Palaus *cit. p.13. n.4.*

42 Est verò circa testes, & Parochum insuper observandum, quando detectio impedimenti conjuncta est cum infamia contrahentium, non esse detegendum, nisi certò constet de illo, quia ob suspiciones leves, aut incertos authores non est fas certam infamiam parere; at verò, quando non timetur infamia illorum, sufficit probabilis opinio de impedimento, quia tunc prodesse potest, non tamen obesse. Coninck *loc. cit. n.62.* probatúrque ex *Cap. fin. De clandest. desponsat.* ubi dicitur: *Cùm apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse; donec &c.*

Quæres III. *An Parochus possit conjungere illos, quos novit obtinuisse dispensationem pro impedimento in solo foro conscientiæ?* 43

RESP. Vel illud impedimentum denuntiatur ipsi ab aliquo, vel non denuntiatur, sed aliunde novit? Si denuntietur, peccat conjungendo. Sanchez *Lib. 3. De Matrim. disp. 15. n.15.* Coninck *disp. 27. n.64.* Bonacina *q. 3. De Matrim. p. ult. n.15.* Idcircò enim talibus dispensationibus additur, eas non patrocinari in foro externo, seu contentioso, ut is, cui impedimentum, more consueto denuntiatur, se gerat, perinde ac si ignoraret factam dispensationem. Palaus *disp. 2. De Matrim. seu sponsal. p.13. §.7. n.6.* Sanè limitata causa limitatum producit effectum. *L. In agris. De acquir. rer. dominio.* Si verò nemo denuntiat illud im- 44
pedimentum, potest Parochus dissimulare, se nôsse. Sanchez, Coninck, Bonacina *ll. cc.* cum Reginaldo *Lib. 31. n.241.* & Gutierez. Ratio est, qui ex una parte certum est, illum, assistendo tali matrimonio non cooperari ad ullum peccatum, cùm supponatur dispensatio esse valida; ex altera autem parte etiam constat, ea dispensatione non prohiberi quidquam, nisi ut usus illius dispensationis non prosit in foro externo, seu judiciario, ut loquitur Breve dispensationis (referendum & explicandum infrà hoc *cap. 37. sect. 5.*) *lit. dd.* seu Clausulâ 27. quæ explicatur *subsect. 6.* hoc ipso autē, quòd nemo denuntiet impedimentum, fit consequenter, ut ad forum judiciarium non deveniat ea dispensatio.

Quæres IV. *Quid agendum sit Parocho scienti, sponsos esse implicitos impedimento dirimente,* 45
sed quia id probare nequit, & sponsi falsis testibus probant, se non esse impeditos, jubetur ab Episcopo illos conjungere?

RESP. Non peccat parendo Episcopo. Sanchez *cit. disp. 15. n. 12.* Bonacina *loc. cit. n.13.* Palaus *loc. cit. n.7.* Ratio est, quia possumus salva conscientia subministrare alicui ex rationabili causa materiam peccati. Suprà *c.13. n.47.* atqui in tali casu Parochus plus non facit, quàm quòd subministret materiam peccati, tradendo corpus viri uxori, & viceversa; si tamen propriè tradere dicendus est, cùm ipse non sit propriè minister hujus Sacramenti, sed singuli conjuges. Laymann. *Lib. 5. Tract. 10. p.2. c.2.* ex communi contra Canum.

Porrò,

46 Porrò, quando Episcopus novit, aliquos velle contrahere, qui habent impedimentum, si novit ex aliorum denuntiatione, debet eos impedire. *Cap. final. De clandest. desponsat.* & quidem etsi sciat, obtentam esse dispensationem pro foro interno solo. Palaus *loc. cit. num. 6.* nam, uti dixi, ea non valet pro foro contentioso; ut proinde etiam quando novit Episcopus, esse jam reipsa contractum matrimonium per ejusmodi dispensationem, teneatur illud rescindere, seu conjunctos separare. Palaus *loc. cit.* Coninck *n.64.* Sanchez *Lib. 3. De Matrim. disp. 15. n.15.*

47 Si verò illud impedimentum sola propria notitia, & non aliunde compertum habeat, putat Palaus *loc. cit. n.7.* teneri conjungere, eò quòd nemo possit esse judex simul, & testis *Cap. Nullus 4. quæst. 4.* & eò quòd *Cap. Ex tenore. De tempor. ordinat.* statuatur, illum esse ordinandum, quem Episcopus privatim novit esse irregularem, citátque ipse pro sua sententia Sanchezium *cit. disp. 15. n.14.* & Ægidium Coninck *cit. disp. 27. n.67.* Verùm Sanchez expressè restringit ad casum, quo Episcopus scit esse pro foro interno dispensatum, & Coninck omnino contrarium ibidem docet, proindéque addit; teneri Episcopum illud impedimentum deferre ad Nuntium Apostolicum, aut ad alium legitimum Superiorem, ostendit-
que, illud *cap. Ex tenore* non rectè allegari.

48 Certè sicut potest in hisce causis idem esse testis, & accusator, seu denuntiator, ità videtur esse posse idem testis, & judex, cùm hìc non agatur de cujusquam punitione, aut propriè dicta condemnatione.

SECTIO III.

De judice causarum matrimonialium in foro interno, seu Confessario.

SUMMARIUM.

Confessarius negabit absolutionem volenti permanere in Matrimonio, quod contraxit cum impedimento per vincibilem errorem ignorato. 49.
Quomodo autem se geret cum eo, qui laborat ignorantia invincibili? 52. *& seqq.*
Quid si illa ignorantia sit juris naturalis? 56.
Aut cessura in detrimentum innocentis? Ibid.
Confessarius non tantùm non tenetur monere, sed etiam tenetur non monere, 58.
Clausulæ: Non oportet facere; Non debemus facere, *quomodo sint intelligendæ?* 60.
Quid si prævideatur pœnitens permansurus etiam ex malitia in Matrimonio invalido? 62.
Quid si ignorantia cedat in grave damnum publicum? Ibid.
Quid si monitio putetur jam quidem non profutura, at profutura postmodum? 64.
Quid si pœnitens dubius de valore Matrimonii interroget Confessarium? 65. *& seqq.*
Nonnullæ actiones, quæ videntur esse mendaciæ realia, revera non sunt talia. 68.
Confessarius cognoscens, pœnitentem velle contrahere cum impedimento ignorato, tenetur arctius hunc monere, quàm illum, qui jam contraxit. 69. *& seqq.*
Quid si dubitet Confessarius, sitne sua monitio profutura, an obfutura? 73.
Quomodo sint practicandæ doctrinæ de obligatione monendi, aut non monendi pœnitentem ignorantem impedimentum Matrimonii? 76.
Quænam faciant spem, fore ut admittatur fructuosè detectio impedimenti? 80.
Quis modus impetrandi facilè dispensationem? 81.

Quæres I. *Quomodo se debeat gerere Confessarius cum pœnitente, qui Matrimonium* 49
reipsa jam iniit cum impedimento aliquo dirimente?

RESP. I. Vel pœnitens ignorat impedimentum, vel non ignorat. Si ignorat, vel vincibiliter, vel invincibiliter? Si non ignorat, tum vel scit, graviter peccari contrahendo cum illo impedimento, vel non scit? Quando vincibiliter ignorat illud impedimentum, tenetur Confessarius non dissimulare, siquidem ignorantia pœnitentis sit lætaliter culpabilis. Ita tenent omnes, teste Sanch. *Lib. 2. De Matrim. disp. 38. n.2.* atque adeò tenetur non dare absolutionem. Ratio est, quia Confessarius 50
non potest absolutionem impertiri malè dispositò. Navarr. *in Manuali c. 10. n.4.* cum communi omnium. Tenetur quoque illum commonere de suo errore. Sanch. *loc. cit.* cum aliis communiter. Quia fieri potest, ut commonitus resipiscat; & quamvis non resipiscat tunc, fortè tamen alio tempore confitebitur suum sacrilegium.

RESP. II. Id ipsum faciendum est Confes- 51
sario, quando pœnitens novit quidem impedimentum, sed ex ignorantia culpabili nescit esse graviter vetitum inire Matrimonium cum tali impedimento. Ratio est, quia etiam in hoc casu pœnitens est malè dispositus ad absolutionem. Unde Sanchez *loc. cit.* Tannerus *Tom. 4. disp. 6. quæst. 9. dub. 5. num. 101.* & alii exprimunt, negandam esse absolutionem laboranti ignorantia vincibili juris, vel facti.

RESP. III. Quando pœnitens laborat igno- 52
rantia invincibili impedimenti, tenetur per se loquendo Confessarius illius impedimenti conscius, eum monere de illo impedimento. Ita omnes. Ratio est, tum quia *potens alios à*
errore revocare, & tacens, se ipsum errare de-
mon-

monstrat, Text. *cap. 2. De hæret.* tum quia Confessarius debet esse *diseretus, & cautus, ut more periti medici superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciato*, Text. *Cap. Omnis utriusque. De pœnitent. & remiss.* est autem ejusmodi ignorantia vulnus quoddam; ergo tenetur Confessarius per se loquendo docere pœnitentem,
53 ignorantia etiam invincibili laborantem. Unde si sperat, se, detegendo errorem, effecturum, ut pœnitens desistat à proposito ineundi Matrimonii, obligatur per se loquendo erroré detegere. Tannerus *loc. cit. n.* 102. cum aliis mox citandis.

54 RESP. IV. Quando tamen Confessarius prævidet, se sua monitione nihil effecturum, non tenetur monere pœnitentem. Bonacina *De Matrim. q.* 3. *p. ult. n.* 4. Filliuc. *Tract.* 10. *p.* 1. *n.* 97. Sanchez *loc. cit. n.* 6. Tannerus *loc. cit. n.* 101. Cardinalis de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 22. *sect.* 2. Coninck de Sacrament. *disp.* 8. *dub.* 17. *num.* 137. loquentes in specie de ignorantia impedimenti matrimonialis, cum Illuminato Morono *Responso* 98. explicante mirificum, & lepidum casum matrimonialem.

55 Ratio est, tum quia *Cap. Quia circa. De consanguin. & affinit.* rescribit Pontifex, esse dissimulandum cum illo, qui contraxit cum impedimento dirimente, si grave scandalum ex admonitione immineret; tum quia *si scirem, tibi non prodesse, te non monerem, non te terrerem*, inquit sapienter S. Augustinus *Hom.* 41. *inter* 50. relatus *Cap. Si quis.* 2. *De Pœnit. dist.* 7. tum quia *nulli laqueum injicere debemus*, inquit Gelasius Papa, relatus *Cap. De viduis.* 2. 27. *q.* 1. tum quia non teneor monere, aut corrigere ignorantem, vel malè agentem, quando prævideo, me nihil effecturum. S. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 6.

56 Amplia præcedentem responsionem I. Etiamsi illa ignorantia sit juris divini, aut etiam naturalis. Ita citati cum aliis apud Sanchez *n.* 9. contra nonnullos ideo frustra limitantes, quòd argumenta antè allata æquè procedant, ubi est ignorantia juris naturalis, aut divini, quàm ubi juris humani.

Amplia II. Etiamsi peccatum laborantis ignorantia invincibili, cedat in alterius innocentis detrimentum. Ita rursum citati, contra nonnullos. Ratio est, quia cùm supponamus, pœnitentem non destiturum à matrimonio alteri damnoso, quantumvis moneatur, omissio monitionis non potest dici causa illius damni; imò erit illa monitio planè frustra; ergo hoc ipso non adhibenda, imò necessariò omittenda ob periculum præcipitandi pœnitentem in peccatum formale, ut mox dicam.

57 Amplia III. Etiamsi reipsa profutura sit pœnitenti monitio, si tamen conjuncta sit cum gravissimo incommodo ipsiusmet, vel alterius. e. g. prolis, non tenetur Confessarius eum monere. Sanchez *loc. cit. n.* 10. *in fin.* Bonacina *De Matrim. q.* 3. *punct. ult. n.* 4. Lugo *loc. cit. n.* 27. Coninck *n.* 136. *juncto n.* 137. Moronus *loc. cit.* Ratio est, quia Confessarius non tenetur pœnitentem cum bona fide procedentem inducere ad res valde arduas, ac perdifficiles sibi, alterive. Lugo *loc. cit.* 58

Amplia IV. prædictam responsionè quintam, cũ duabus primis ampliationibus, ut non tantùm non teneatur Confessarius in prædictis casibus monere pœnitentem, sed etiam teneatur non monere. Sanch. *loc. cit. n.* 7. Coninck, Lugo, Tannerus *ll. cc.* Reginaldus *loc. cit. n.* 48. Moronus *loc. cit.* post Medinam, & alios. Ratio 59 est, quia nulli laqueum injicere debemus. *Cap. De viduis. 2. 27. q.* 1. cujus sententiæ sensus est hic: debemus non injicere cuiquam laqueum. Etenim hæ voces: *Non oportet facere*; *Non debemus facere*, accipiuntur (idcirco hoc exprimo, quia scio fuisse semel in consessu gravissimorum virorum frustra de hoc dubitatum) 60 plerumque in jure utroque pro: *Oportet non facere, debemus non facere*, ut possem innumeris legibus, & capitulis utriusque juris probare, & patet nominatim *ex Cap. Non debet. De Reg. Iur. in 6. Cap. Delictum. eod. Cap. Ex eo. eod. Cap. Imputari. eod. L. Non debet. ff. De Reg. Iur. L. Non est. eod. L. Nemo debet. eodem.* Atqui revera injicitur laqueus illi, qui cùm esset ob ignorantiam invincibilem liber periculo peccandi formaliter, & merendi infernum, per Confessarii admonitionem incurrit periculum peccandi formaliter, & iram divinam promerendi. Accedit, quòd correctio, & conse- 61 quenter monitio debeat omitti, quando per eam futurus est deterior is, de cujus correctione agitur. S. Thom. 2. 2. *q.* 33. *n.* 6. *in Corp.* communiter receptus.

Amplia V. Etiamsi Confessarius prævideat, 62 pœnitentem in invalido matrimonio perrecturum, non ex sola infirmitate, sed ex malitia. Sanchez *loc. cit. n.* 18. Reginald. *cit. n.* 46. Moronus contra Cordubam. Ratio est, quia doctrina nunc primùm allata ex S. Thom. intelligenda est etiam in hoc casu, & per se ex fine correctionis patet. Repete sententiam S. Augustini relatam suprà *n.* 54. Consentit Dicastillo *De Pœnit. disp.* 10. *n.* 532.

Limita responsionem quartam cùm ampliationibus I. nisi illa ignorantia impedimenti, seu matrimonium cum prædicta ignorantia continuatum cedat in grave damnum publicum. Ita citati in decursu. Ratio est, quia scandala, & mala publica præferenda sunt privatis, quandoquidem bonum publicum est divinius privato. S. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 2. *ad* 2. *& cap. Bonæ* 1. *De Postulat. Prælat.*

Confirmatur ex Capitulo, *Qui scandalizaverit, De Reg. Iur. in* 5. ubi dicitur: *Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* 63

Cujus

Cujus inter reliquos est hic sensus, quòd sit consultiùs dicere, aut facere aliquid profuturum communitati, ex quo per accidens oriturum sit in uno, alteróve particulari scandalum, quàm veritatem dissimulare cum communitatis damno positivo, vel negativo. Vide Coninck *n.* 138. & Joannem Streinium *in cit. Reg.* 3.

64 Limita II. Nisi spes sit illam monitionem, quæ tunc nihil profutura videtur, paulò pòst profuturam, Medina *Cod. De Confessione. q.* 16. Reginald. *n.* 47. Bonac. *num.* 12. tunc enim est pœnitens monendus de impedimento, sed post jam impertitam absolutionem, ne si moneatur antè, ob turbationem impediatur gra-
65 tia, & fructus Sacramenti. Sicut citati. Limita III. Nisi pœnitens dubius de valore sui Matrimonii, interroget Confessarium, tunc enim tenetur aperire veritatem. Sanch. *n.* 24. Lugo *n.* 29. Reginaldus *n.* 44. Filliuc. *n.* 99. cum aliis communiter. Et quidem quidquid demum sequatur. Coninck *n.* 140. quem sequitur Bonacina *n.* 11. & videtur omnino consentire Laymannus *loc. cit. n.* 6. Rationem adferunt, quia si tali casu Confessarius nihil respondeat, ejus taciturnitatem interpretabitur pœnitens in suum favorem, existimabitque, à Confessario approbari suum Matrimonium, & sic erit Confessarius causa peccati saltem materialis.

66 Ego tamen existimo cum Tannero *n.* 103. & à fortiori cum Morono *loc. cit. n.* 69. si gravissima mala immineant ex clara veritatis manifestatione, posse Confessarium dissimulare veritatem, non quidem dicendo, Matrimonium esse validum, etenim nullo casu mentiri licet, sed dissimulando, se audisse, se memorem esse, sicuti cum illo, qui inani scrupulo dubius est, agendum censent Sanchez, & Reginaldus *ll. cc.* non planè repugnante Cardinalde de Lugo *n.* 29. & probabile reputan-
67 te Dicastillo *loc. cit. n.* 541. Ratio est, quia etsi Confessarius prævideat, suum silentium à pœnitente acceptum iri pro approbatione tacita Matrimonii, quia tamen illud silentium nec ex natura rei, nec ex instituto significat ejusmodi approbationem, & adest gravissima causa non aperiendi veritatem, sed dandi potiùs occasionem falsi judicii, non videtur posse il-
68 lud silentium haberi pro mendacio reali. Sicuti nec simulatio metus. *Ios. 8. vers.* 15. nec fictio euntis longiùs *Luc. 24. vers.* 28. nec gestatio vestis Turcicæ, aut vexilli Turcici ad dissimulandam Religionem Catholicam, accensenda sunt mendaciis realibus, ut de Josue, & Christo Domino explicant interpretes, de veste, & vexillo Turcico Laymannus *L. 2. Tract.* 1. *c.* 11. Sanchez *L. 2. Moral. c.* 4. Diana *P.* 5. *Tract.* 7. *Resol.* 33. Tannerus *Tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 7. *n.* 110. & nos infrà *cap.* 51. cùm tamen hæc tria genera actionum exercita in iis circumstantiis, in quibus admittuntur à bonis Theologis, æquè, aut magis apta sint significare rem falsam, seu ingenerare falsam opinionem, quàm taciturnitas Confessarii.

Quæres II. *Quid agere teneatur Confessarius, 69 quando ex pœnitente intelligit, illum cogitare contrahere Matrimonium cum impedimento?*

RESP. I. Clarum est, esse respectu talis pœnitentis usurpandas secundam, tertiam, quartam, superiùs pro illo, qui jam contraxit, allatas Regulas cum declarationibus, & limitationibus indicatis. Etenim rationes illic allatæ habent hic locum à potiori.

RESP. II. Etiam responsio allata quinto lo- 70
co, seu *n.* 54. potest habere locum, respectu illius, qui ex ignorantia invincibili contracturus est Matrimonium cum impedimento dirimente. Ita singulariter exprimunt Sanchez *cit. disp.* 38. *n.* 6. *in fin.* Reginaldus *cit. L.* 2. *n.* 46. Laymannus *cit. L.* 5. *Tract.* 6. *c.* 13. *n.* 6. ac Moronus. Ratio est, quia generatim loquendo, & abstrahendo à limitationibus suprà indicatis, non tenetur Confessarius, aut quispiam alius monere laborantem ignorantia invincibili, quando ea nihil profutura, sed potiùs obfutura videtur; certè nulla lex obligat ad actus inutiles, & otiosos *cap.* 2. *dist.* 4. multò minùs ad perniciosos. Et hanc con- 71
clusionem esse veram etiam cum ampliatione quarta *n.* 58, allata tradit Sanchez apertè *num.* 7. & non obscurè ad reliquas etiam ampliationes extendit idem sequentibus. §. §. Quæ etsi vera sunt, verum tamen etiam est, 72
posse impedimentum longè sæpius utiliter detegi ante Matrimonium, quàm contracto jam illo, eò quòd & generatim faciliùs impediatur acquirendum, quàm impediatur acquisitum. Argum. *L. Patre furioso* 8. *ff. De his, qui sunt sui vel alien. Iur.* & speciatim in hac materia longè graviores difficultates comitentur, sequantúrque Matrimonium, aut consummatum, aut duntaxat ratum, quàm sponsalia.

Quæres III. *Quid agendum Confessario, quan- 73 do dubitat, utrùm sua admonitio, & impedimenti detectio profutura sit, nec ne?*

RESP. I. Etsi generatim loquendo, quando ex admonitione non timetur ullum incommodum, ea sit adhibenda, esto dubitetur, utrùm sit profutura nec ne. Filliucius *Tract.* 28. *n.* 134. & Lugo *loc. cit. n.* 31. rectè dicens, hoc esse certum; cùm etiam Medicus corporalis teneatur ægro, præbere Medicinam dubiam, cùm non habet certò, aut probabiliter profuturam. Sanchez *Lib.* 1. *Moral. c.* 9. *n.* 39. quia tamen in hac præsenti materia non potest dubium de bono successu, separari à dubio de pernicioso eventu, ideo illa doctrina non habet hîc locum, sed potiùs alia quam

74 uterque hic Doctor cum aliis tradit. Quòd scilicet quando Confessarius dubitat, sitne sua admonitio profutura, an potiùs obfutura, debeat utilitatem, & damnum, item gradus spei, & timoris inter se comparare, atque omnibus pensatis eligere id, quod præponderat, non tamen metaphysicè considerando excessum.

75 Dicastillo *loc. cit. n.* 544. Et verò Laymannus *cit. cap.* 13. *n.* 6. ita arbitratur: *Si de Matrimonio non contracto, sed contrahendo agatur, plerumque ejus occultum impedimentum, significandum est, si aliqualis spes sit, persuaderi posse pœnitentem, ut ab eo absistat, vel dispensationem impetret, idque partim ob reverentiam Sacramenti, ne invalidè suscipiatur, partim ob alia multa incommoda, quæ ex invalido conjugio consequi solent.*]

76 Quæres IV. *Quomodo practicandæ sint doctrinæ indicatæ in hac Sectione?*

RESP. Hoc modo. Quando tibi obtingit pœnitens, quem certò nôsti irretitum impedimento dirimente, de quo tamen nullam omnino mentionem facit, debes, postquam finiit is enarrationem suorum peccatorum, eum benignè interrogare: Anne suam conscientiam integre exonerârit: an nullo scrupulo circa ullam materiam angatur; ita tamen circumspectè est hoc faciendum, ut tali interrogatione, aut interrogandi modo non ingeneretur absque fructu pœnitenti conscientia dubia, atque perplexa, sicuti singulariter notat Sanchez *loc. cit. num.* 3. & ex eo Bonacina *loc. cit. n.* 10.

77 Si respondeat pœnitens, sibi nil scrupuli remanere, tunc præsume, eum laborare ignorantia potiùs invincibili, quàm vincibili, tum quia *præsumitur ignorantia* (inculpabilis) *ubi scientia non probatur*. Text. *Cap. Præsumitur. De Reg. Iur. in* 6. tum quia nemo præsumitur esse malus, nisi probetur. *L. Omni. Cod. De inoff. Testam.* Est autem malus, & pessimus, qui ignorantia vincibili tantæ rei laborans negat, se sibi esse conscium ullius peccati. Potest autem illa invincibilitas sæpe præsumi, quando est quæstio de jure humano, non omnibus noto, aut circa quæstiones facti. Tannerus *loc. cit. n.* 101.

78 Si verò ad hanc interrogationem respondeat pœnitens, se non ampliùs multum habere, quod dicat (hac enim phrasi utentes quandoque audivi) tum sanè urgendus est, ut illud *non multum* aperiat, cùm sit satis probabile, designari ab illo dubium de sui Matrimonii valore, adeóque laborare dubia, vel vincibiliter erronea conscientia, cum qua non posse absolvi, constat ex dictis *num.* 50. At verò, quando ex conjectura paulò antè *num.* 77. indicata verosimiliter credis, intervenire ignorantiam inculpabilem, tum apud temetipsum examinare debes, utrùm spes sit, illum acquieturum tibi præcepturo vel omnimodam, vel saltem à toro (prout circumstantiæ ferent) separationem. Ad quam spem concipiendam 80
faciunt crebræ, gravésque inter ipsum, & putatitiam uxorem rixæ, magna ætatis disparitas, impedimenti absque culpa contracti qualitas &c. Sicuti vice versa amor mutuus, ætas parilis, prolium copia, scelus detegendum &c. reddunt perdifficilem separationem, sicuti ego sum expertus.

Quòd si Confessarius possit dispensare, aut 81
facilè impetrare dispensationem, tum plerumque dissimulare non debet, quia etsi nunc invincibilis ignorantia adsit, ea tamen successu temporis removeri potest, ut sapienter monet Laymannus *cit. num.* 6. Modus autem 82
facilè impetrandi dispensationem pro foro interno est, si Romam scribatur ad aliquem Patrem Pœnitentiarium Ordinis Prædicatorum vel, Minorum de observantia, vel nostræ Minimæ Societatis. Etenim ex Pii V. Instituto, Anno 1570. hi Religiosi Ordines fungun-tur officio Pœnitentiariorum in tribus præcipuis Urbis Ecclesiis, ut etiam refert Franciscus Sacchinus 3. *Part. Historiæ Societ. Libr.* 6. & magna cum charitate Eminentissimo Domino Cardinali supremo Pœnitentiario exhibent supplicationes, impetrant gratiam petitam, mittúntque in diversas Europæ Provincias. Quæ autem circumstantiæ in literis pro 83
dispensatione ad Pœnitentiariam mittendis exprimendæ sint, docent Filliucius *Tract.* 10. *Part.* 2. *cap.* 10. *num.* 25. *& seqq.* ubi etiam indicat illas, quæ in literis ad Datariam, seu Cancellariam Apostolicam, atque adeò pro foro externo missis exprimi debent. Nos infrà *n.* 280. referemus spectantes ad Pœnitentiariâ.

NB, Translatio materiæ interrupit num. marg.

SECTIO IV.

Complura Corollaria deducuntur ex dictis Sectione præcedenti.

SUMMARIUM.

Quatenus Confessarius teneatur pœnitentem urgere ad reddendum debitum conjugale, casu, quo Matrimonium est invalidum? 100.
An licitè dicet tali, eam, cum qua contraxit, esse ejus uxorem? 102.
An liceat rem imperare materialiter malam? 104.
Quid aget idem Confessarius audiens, gliscere famam de invaliditate Matrimonii sui pœnitentis? 106.
Quid quando intelliget, pœnitentem velle ducere viduam, cum qua ante viduitatem patravit adulterium, promittens, se eam ducturum post mortem mariti? 107.

Quid circa hoc, & alia doceat experientia? 109.
Instantia Confessarii imprudentis. 111.
Quando dissimulatione utendum? 112.
Quando non utendum? 113.
Quid si ex detectione impedimenti nihil aliud sit secuturum, quàm magna tristitia alterius partis? 115.
Quid si separatio cessura sit in ejus ruinam grandem? 117.
Caveat Confessarius, ne in similibus casibus utatur illicitè notitia Confessionis. 119. *& seqq.*
Quid si in casibus, quibus permittitur dissimulatio impedimenti occulti, prævideatur fore, ut obtingat primogenitura illi, cui minimè debetur à parte rei? 125.
Quid si prævideatur celebratum iri contractum illicitum? Ibid.
Confessarius caveat in hac materia, ne plus respondeat, quàm interrogetur. 126.
Proponitur Casus hanc in rem. 127.
In dubio, an Matrimonium bona fide initum valeat, haberi debet provalido. 130.
Sæpe non debet Confessarius imperare pœnitenti jam agnoscenti impedimentum, & volenti permanere, sed legitimo modo, in jam inito, ut de hoc moneat uxorem pro novo consensu. 132.
Quid si sciat, uxorem non renovaturam consensum, ubi intellexerit nihil valere suum Matrimonium? 135.
Non debet hic laborare de præsentia Parochi. 137.
Non est certum, defectum jurisdictionis in ministro Sacramentorum suppleri ab Ecclesia, etsi præcedatur bona fide. 139.

100 POssunt pro praxi ex dictis *Sect. præcedente* colligi hæc Corollaria.

I. Quando nôsti, aliquem laborare impedimento dirimente, & talem ex aversione, vindicta, odio conjugis putatitii nolle uti communi toro, nec reddere debitum conjugale, teneris illi imperare, si tuus sit pœnitens, ut reddat debitum conjugale, posito quòd ille pœnitens laboret ignorantia invincibili impedimenti, & quòd adsint causæ sufficientes non manifestandi illud. Sic tenet Sanchez *Lib.* 2. *De Matrim. disp.* 48. *num.* 8. Coninck de Sacramentis *disp.* 8. *num.* 139. Reginald. *Lib.* 2. *n.* 47. Filliucius *Tract.* 10. *p.* 1. *num.* 98. Tannerus *Tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 9. *n.* 102. Laymannus *Lib.* 5. *Tract.* 6. *c.* 13. *y.* 6. novissimè, & bene P. Dicastillo *De Pœnit. disp.* 10. *n.* 535. *& seqq.* contra Sotum, & Bonacinam de
101 matrimon. *quæst.* 3. *punct. ult. num.* 6. Ratio est, quia Confessarius nequit absolvere pœnitentem, nisi rite dispositum. Suprà *num.* 3. Nisi autem tali pœnitenti præcipiatur ut reddat debitum, erit malè dispositus; supponò enim esse ita constitutum, ut non sit redditurus debitum, nisi ex Confessario intelligat, se ad id teneri, nec absolutum iri, nisi propo-
nat reddere.

Non obest I. quòd objicit Bonacina: scili- 102
cet mentiturum Confessarium, si tali pœniten-ti dicat, illam, cui ipse non vult reddere debitum, esse ejus uxorem. Nam primo sufficit, si dicat: *Scis, quid vos duo mutuò promiseritis, quando copulati fuistis, & quòd illa promissio obliget sub mortali.* Deinde, esto dicat, illam 103
esse uxorem ejus, imitabitur phrasin scripturæ, S. Josephum vocantis identidem patrem Christi Domini, & ideo vocantis, quòd bona fide vulgò crederetur esse ejus pater.

Non obstat II. quòd non liceat imperare 104
rem malam, etiamsi duntaxat sit materialiter mala. Etenim vel negari potest cum Coninck *loc. cit.* copulam illam esse materialiter malam, seu materiale peccatum, eò quòd illud non possit, vel debeat vocari materialiter peccaminosum, quod homo vitare non potest, non potest autem ille, de quo loquimur, vitare salva conscientia, redditionem debiti. Vel etiam potest negari assumptum Bonacinæ, in casu, quo præcipitur materiale peccatum, eo fine, ut evitetur formale alias inevitabile, cùm ratio dictet, è duobus malis minus esse eligendum. *L. Quoties nihil. ff. De Reg. Iur.* & tam multi Doctores in materia de scandalo tradant, fas esse minus peccatum suadere parato patrare majus; & *Cap.* 13. retulerimus tam multos affirmantes, fas esse ad ebrietatem provocare, quando provocati peccatum nequit alia ratione, quàm per ebrietatē ejus impediri. Quod dixi de nolente reddere debitum ob in- 105
justam indignationē, idem cum Coninck dico de nolente reddere ob Religionem voti castitatis, nam tale votum non eximit ab obligatione reddendi debiti.

II. Confessarius, qui novit gliscere famam 106
publicam de alicujus Matrimonii invaliditate, debet sequi doctrinam *num.* 63. traditam, quia scandali publici major, quàm privati ratio habenda est. Sanchez *num.* 15. Coninck *n.* 138. Reginaldus *n.* 46. Asserenti tamen pœnitenti, famam illam esse falsam, poterit ipse Confessarius, si non nisi ex fama hausit opinionem de illa invaliditate, fidem habere, utpote testi simul & reo, eúmque absolvere, cum onere tamen, ut ipse conetur, quoad poterit, manifesta probatione veritatis mendacem famam supprimere; tenetur enim quisque scandala publica, quoad potest, tollere per veritatis manifestationem, aut aliam commodam rationem. S. Thom. 2. 2. *q.* 43. *art.* 8. *in Corp. & ad* 5.

III. Quando uxoratus tibi confitetur, se 107
carnaliter peccâsse cum Bertha, eique promisisse, se illam ducturum, si supervixerit uxori; communiter debes illi dicere, ut deponat animum ejusmodi Matrimonii, fore enim

108 nullum. Ratio est, quia communiter potest sperari fore ut deponat hunc animum. Et vel maximè id faciendum est, quando ipsa Bertha id confitetur, & significat, se præcipuè ob spem Matrimonii solere consentire in adulterinum congressum. Possunt nihilominus etiam in hoc ipsum impedimentum criminis incurrere tam graves circumstantiæ, ut debeat Confessarius dissimulare veritatem, ut ego ipse dissimulavi seneci.

109 IV. In hoc tamen, & similibus casibus expertus sum, practicandam doctrinam à Sanchez *cit. disp.* 38. *n.* 11. Bonacina *cit. punct. ult. num.* 12. & aliis traditam, ut quando Confessarius videt, se hodie nihil profecturum, profecturum autem alio tempore, differat in aliud tempus monitionem de impedimento invincibiliter ignorato. Fit enim, ut quandoque implicitus ejusmodi impedimento confiteatur aliquid, ex quo Confessarius deveniat in ejus notitiam, & simul indicet pœnitens, se velle imposterum illi ipsi Confessario

110 ordinariè confiteri. In hoc casu, si non possem concipere indubiam spem avertendi illum à peccato materiali, differrem, donec mihi bis, térve esset Confessus, quia & sic meliùs pervenirem in notitiam circumstantiarum, facientium spem vel desperationem prosperi successus, & mea, utpote noti magis, verba plus ponderis essent habitura. Videndum tamen est, an, & quale sit periculum, ne interim contrahatur (si necdum contractum est) Matrimonium, quia semper difficiliùs dirimitur contractum, quàm non contrahatur dirimendum.

111 V. Verum est id, quod cum Melchiore Cano *in relect. De Pœnit. Part.* 6. tradit Reginaldus *n.* 47. & Coninck *n.* 137. scil. pro imprudente Confessario esse habendum, qui sciens, suum pœnitentem in quarto gradu affinitatis contraxisse, & in eo contracto multos Annos optima fide vixisse, copiosam prolem suscepisse, non absque grandibus scandalis, aliisve gravissimis malis posse fieri divortium, manifestat ei vitium substantiale Matrimonii; attamen fieri etiam potest in prima harum circumstantiarum, ut necesse sit manifestare, exempli gratia, si credatur, quòd ille putatitius maritus velit, & possit intra breve tempus impetrare dispensationem, nec aliud obsit, quàm quòd multis Annis unà vixerint. Ratio est, quia hæc circumstantia est exigui momenti, si conferatur cum incommodis annexis matrimonio invalido.

112 At inquies: *Quid si meritò timeat, aut credat Confessarius, fore ut ille pœnitens cognoscat putatitiam uxorem, reddendo, vel etiam petendo debitum, priusquam dispensatio adveniat?*

RESP. In casu, quo non possit facilè, seu intra breve tempus dispensatio impetrari, ajunt Coninck *De Sacrament. disp.* 8. *n.* 137. & Bonacina *De Matrim. quæst.* 3. *punct. ult. n.* 8. esse utendum dissimulatione, propter periculum fornicationis; at quando potest intra breve tempus impetrari, non exprimunt, utrùm sit etiam dissimulandum posito illo etiam periculo. Censeo ego, esse dissimulandum, si 113
Confessarius ipse sit impetraturus dispensationem, eáque usurus pœnitens, quia interim pœnitens non admittet nisi materialem fornicationem. At quando non nisi per ipsum pœnitentem est impetranda, & quidem, ut suppositi, brevi, ex. g. intra unum, alterúmve mensem, aut trimestre, tum satius est ei manifestare impedimentum, cum periculo 10. aut 20. fornicationum committendarum illo trimestri (dummodo adsit propositum non committendi) quàm permittere illum in statu, in quo fortè mille fornicationes materiales admittet, iisque perpetratis fortè aliunde tandem innotescet nullitas Matrimonii.

Rationem hanc adfero, quia etsi una for- 114
nicatio formalis sit centuplo majus malum Theologicè loquendo, quàm mille materiales; illud quippe est majus malum, quod privat majore bono. S. Thom. 1. 2. *q.* 149. *art.* 3. è duobus autem malis eligendum est minus, attamen dare indirectè, & præter intentionem occasionem unius, aut plurium fornicationum formalium, non est majus malum (si tamen malum vocandum) quàm relinquere deliberatè in certissimo periculo committendi longè plurimas materiales fornicationes, & fortè olim formales; cùm præsertim etiam haud quaquam ita certum sit, fore, ut antequam adveniat dispensatio, peccet pœnitens carnaliter cum sua Bertha, quàm certum est, illum, si non moneatur, sæpissime cum illa commixtum iri. Atqui in moralibus ratio certitudinis multùm præponderat rationi incertitudinis, ut patet per ea, quæ ex Arriaga retuli *cap.* 9. *sect.* 7. & quæ præterea habet Navarrus *in cap. Si quis autem. De Pœnit. distinct.* 7. *num.* 87.

VI. Quando Confessarius prævidet, mari- 115
tum putatitium facturum esse divortium, si intelligat nullitatem Matrimonii, & ex illo matrimonio nil aliud mali secuturum, quàm quòd putatitia uxor sit perægre latura, non exprimunt Doctores, quid teneatur, aut possit facere Confessarius. Ego censerem, aperiendum impedimentum. Ratio est, quia puto, 116
esse in prudenti æstimatione minùs malum (si tamen malum) dare occasionem tristitiæ, atque offensionis unius mulierculæ duntaxat, quàm non retrahere à tot materialibus fornicationibus. Idem rectè diceret quispiam, casu, quo proles est suscepta. Exciperem ta- 117
men casum, quo illud divortium cederet in veram infamiam uxoris putatitiæ, e. g. quia illa

illa ante matrimonium fornicata fuit cum fratre, & patruele mariti; nec enim adest hîc sufficiens causa diffamandi illam.

118 VII. In his omnibus casibus supponitur, Confessarium non procedere ex notitia Confessionis alienæ, sed solùm ex notitia, quam extra Confessionem habet, vel ex Confessione illius ipsius, cui, an sit à se indicandum impe-

119 dimentum, dubitat. In primis enim clarum est, gravissimè peccaturum, si directè vel indirectè revelaret peccatum personæ, ex cujus Confessione intellexit impedimentum. Nam omnis usus Confessionis, per quem directè, vel indirectè revelatur aliquod certum peccatum pœnitentis est vetitus, ut fusè declaravimus in Experientiis *Tract.* 7. *Cas.* 23.

120 Deinde etiamsi usus illius notitiæ non haberet adjunctam ullam omnino manifestationem peccati, detecti in Confessione, si tamen cederet in aliquod detrimentum vel damnum illius, ex cujus Confessione hausi eandem no-

121 titiam, abstinerem ego illo usu. Exempli gratia: Camilla mihi confessa est, se cum Camillo putatitio marito vivere, & agere, quoad petitionem, redditionémque debiti, perinde ac si esset verus maritus, cùm tamen sint juncti quarto gradu affinitatis, quàm conjunctionem ignoret Camillus, ipsa autem primùm abhinc mensem cognoverit, nolit verò manifestare, eò quòd si resciret Camillus, esset ipsam repudiaturus, quam tamen repudiationem ipsa summopere horreat.

122 In hoc casu etsi non potuerim imperire absolutionem Camillæ, utpote nolenti recedere à consortio conjugali, seu potiùs fornicario; licèt etiam fieri utique possit, ut sine ulla manifestatione hujus fornicarii consortii Camillo dicam: *Mi bone vir, video te in alio statu versari, quàm putes, tuum matrimonium nullum est, siquidem certo scio, tuam uxorem, esse tuam affinem in quarto gradu, ut facilè tutè dices, si probè subduxeris calculos*; in hoc, inquam, casu agam in primis contra obligationem secreti naturalis, si Camillo tale quid indicâro, quia clarum est, Camillam saltem tacitè esse mecum pactam de secreto naturali, quando illud im-

123 pedimentum pandit, siquidem censetur tunc sub tacito pacto id non manifestandi alicui aliquid revelari, quando ei detegitur, qui minus habet adhibendi remedium, & tanquam tali ei detegitur gratiâ Consilii, solaminis, aut alterius emolumenti. Navarrus in Manuali *cap.* 25. *n.* 42. latè Molina *Tract.* 4. *De Iustitia. disp.* 5. & nos suprà *cap.* 19. *n.* 87. Atqui ex una parte certum est, me, utpote Confessarium, habere munus adhibendi remedium, ex altera autem parte non minùs est certum, Camillam mihi ut tali manifestâsse impedimentum.

124 Agam deinde contra obligationem Confessionis sigilli, tùm quia hoc ipso indicabo Camillo affinitatem Camillæ, cùm tamen sub secretum sigilli Sacramentalis ita cadant circumstantiæ, & objecta peccati, defectúsque etiam naturales pœnitentis, ut sigillum violem, si dicam, te esse voto castitatis obstrictum, aut illegitimo matrimonio natum, posito, quòd id manifestâris mihi, dum te de violatâ castitate, aut suscepto sacro Ordine accusabas. In Experientiis *Tract.* 7. *num.* 792. Lugo *loc. cit. n.* 52. & 55. Tum quia, non licet uti notitia Confessionis in grave incommodum temporale pœnitentis, etiò per eum usum nil aliud intendatur, quàm emendatio illius. Sanchez *Lib.* 3. *De Matrim. disp.* 16. cum plurimis, contra non paucos. Etenim iste usus reddit Confessionem valde odiosam, cùm tamen omnis usus Confessionis, qui illam reddit gravem, & odiosam, sit extra Confessionem semper vetitus, ut probavimus in Experientiis, seu *Tom. priore Tract.* 7. *n.* 881. ac declaravimus multis instantiis *n.* 891. & *seqq.*

VIII. Rectè scribit Bonacina *cit. quæst.* 3. *De* 125
Matrim. punct. ult. n. 7. quæ tradidimus de obligatione non indicandi impedimentum, quando non est spes efficiendi aliquid boni, extendenda esse ad casus, quibus cognoscit Confessarius, à pœnitente ex ignorantia invincibili possideri primogenituram debitam jure alteri, aut ab eodem exerceri contractum usurarium, aut non cogitari de restitutione alioquin necessaria, aut denique agi, vel actum iri quidpiam contra jus naturale, divinum, humanum: dummodo ea vincibilis ignorantia non versetur circa necessaria necessitate medii, & non impediant scandala publica, &, ut dixi, non sit spes, fore ut si obligationem restitutionis v. g. intimem, restituat pœnitens. Ita etiam sentiunt Doctores relati *sect. præced.* Et ratio est, quia ea, quæ conveniunt in identitate rationis, non debent separari in constitutione juris. Dynus *in cap. In argumentum.* 78. *De Reg. Iur. in* 6.

IX. Cautè monet Laymannus *cit. Lib.* 5. 126
Tract. 6. *cap.* 13. *n.* 6. cavendum esse Confessario, ne, si fructum secuturum, non speret, plus respondeat, quàm à pœnitente interrogetur. e. g. utrùm Matrimonium contractum ab eo, qui ante nuptias simplici voto castitatis obstrictus erat, validum existat; & an uxori debitum reddere teneatur? In hoc casu rectè respondebit Confessarius, & Matrimonium esse validum, & reddendum debitum; non tamen prudenter aget, si addat, nefas esse petere debitum; etsi enim revera nefas est petere. *Cap. Quidam. De Conversi. conjug.* & infiniti Doctores, quos enumerat, sequiturque Sanchez *Lib.* 9. *De Matrim. disp.* 33. *n.* 4. quia tamen pœnitens non interrogat de petitione, non est opus muscas illi injicere, præsertim cùm non sit im-

probabile saltem ob authoritatem, quòd etiam liceat petere.

127 X. Ex hoc ulteriùs inferes, quid agendum fuerit in hoc

Non Ficto, sed vero Casu.

Titius Cajo Sacerdoti in Confessione dixit: Versor jam decennium in Matrimonio cum Sibylla, sed nunquam potui semen immittere in ejus vas, utpote nimis arctum. Quæro an peccaverim. & peccaturus sim, illam cognoscendo? In hoc, inquam, casu debet Cajus aperire veritatem, de qua interrogatur, juxta dicta *n.* 64.

128 *&* 65. At verò priusquam pronuntiet, Matrimonium esse invalidum, debet interrogare, an cæteroquin ament mutuò Titius, & Sibylla, an verò sæpe graviter jurgentur: habeátne Sibylla magnam parentelam, & potentem, an exiguam, aut nullam: possítne ipse ejus consortio carnali carere, nec ne? Hisce & similibus consideratis dicet, vel non dicet Cajus, Matrimonium esse invalidum, adeóque rem deferendam, vel non deferendam ad Magistratum Ecclesiasticum.

129 XI. Rectè P. Tannerus *Tom.* 4. *disp.* 9. *q.* 9. *dub.* 9. *n.* 169. ita disserit: Non potest Confessarius propter ullum, licèt evidens Matrimonii impedimentum, matrimonium publicè contractum, & in opinione vulgi validum, etsi re ipsa invalidum, dirimere, & conjuges, quoad habitationem (quoad torum enim ultro se ipsos re cognita dividere tenentur) separare, hoc enim judicis Ecclesiastici publicæ sententiæ, ob vitandum scandalum, permittendum est, idque multò magis, si Matrimonii valor sit dubius, ne fortè jus partium

130 violetur.] Ita Tannerus. Ratione cujus postremorum verborum: Noto in primis, in dubio an Matrimonium bona fide valeat, censendum esse valere, juxta ea, quæ disserit Sanchez *Lib.* 2. *De Matrim. disp.* 41. etenim in dubio melior est conditio possidentis bona fide uxo-

131 rem. Argum. *L. In pari. ff. De Reg. Iur.* Deinde esse Confessario in præcedentibus dubiis amplectendam, quoad fieri potest, mitiorem, & pœnitenti favorabiliorem sententiam juxta doctrinam in nostro Clypeo *Clement. judicum* declaratam, probatam, defensam toto illo opusculo.

132 Unde ulteriùs subinfero, posse à Confessario persæpe in praxi observari doctrinam, quam Cajetanus, Sotus, Petrus de Ledesma, Henriquez *Lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 6. aliique plures, apud ipsum, & Sanchez *Lib.* 2. *disp.* 36. sequuntur, quòd videlicet, quando matrimonium fuit ab initio invalidum, ob impedimentum criminis, cognationis, affinitatis &c. & postmodum unus conjugum e. g. maritus obtinuit occultè dispensationem, non sit necesse, ut Confessarius præcipiat marito, ut ipse impedimentum detegat uxori, & ab ea petat novum consensum. Licèt enim verior sit opinio San- 133
chezii, Palai *ll. cc.* Coninck *disp.* 24. *De Sacrament. n.* 89. Bonacinæ *q.* 2. *De Matrim. p.* 9. *n.* 7. Dicastillo *De Matrim. disp.* 2. *dub.* 10. omnino legendi, & aliorum, existimantium, requiri, ut impedimentum detegatur per se loquendo, tum quia certum est, primum consensum non sufficere, & secundus vix potest haberi, aut præsumi, nisi manifestetur impedimentum, tum quia ita præscribitur in Bullis pœnitentiariæ, ut patebit ex Brevi describendo *n.* 141. *sect. seq.*

Si tamen timeantur gravia mala ex indica- 134
tione impedimenti, potest in praxi habere locum doctrina illa Henriquezii, præsertim si maritus dicat uxori putatitiæ: Nónne vis me semper habere pro tuo marito? vel: Nónne ita me amas, ut si non essem tuus maritus, habere me velles? & ipsa respondeat: *volo: vellem.* Imò si uxor sit nimis morosa, & non ve- 135
lit respondere: *volo*: *vellem*: attamen petat ipsa, aut reddat debitum affectu conjugali, practicè tuta est sententia negans, opus esse dicere uxori aliquid de novo consensu, sed rem totam posse dissimulari, si videl. non possit absque gravi incommodo ullus consensus expressus obtineri, hanc enim sententiam (esto oppositam judicem ego veram) esse ob authoritatem tutam in praxi, censet Sanchez *loc. cit. n.* 9. Bonacina *loc. cit.* Palaus *n.* 4. & alii plures, esto si uxor sciret, matrimonium non fuisse ab initio validum, negatura esset omne suum consortium, & petitura divortium. Dicastillo 136
loc. cit. n. 90. Estque hæc doctrina adhuc tolerabilior, quando maritus metu, vel fictè contraxit, & deponit jam metum, ac fictionem, posito quòd uxor ab initio consenserit sine metu, aut fictione. Nam plures authores censent, non esse necessarium, ut uxor tunc de novo consentiat, sicuti præter citatos tenet Tannerus *Tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 4. *num.* 100. post S. Thomam, Bonacinam, & alios. Vide infrà *n.* 244. *& seqq.* & difficilem casum quem propono in priore Tomo *Tract.* 9. *Cas.* 20. *num.* 561.

Sed & observare debet Confessarius, nul- 137
lum scrupulum esse movendum pœnitenti, ratione præsentiæ Parochi, aut testium, quando fit revalidatio matrimonii antea ob impedimentum occultum invalidi, & in facie Ecclesiæ cum denuntiationibus celebrati, quia S. Pius V. ita declaravit. Navarrus *in Enchir. cap.* 22. *n.* 70. ubi etiam testatur ita practicari à prætorio pœnitentiariæ. Consentit Sanchez *Lib.* 2. *disp.* 22. Palaus *loc. cit. §.* 2. Perez *disp.* 39. *De Matrim. sect.* 4. cum plurimis contra alios. Et quidem in illo Brevi, quod mox subjiciam, expressè dicitur; Matrimonium, quod per dispensationem revalidatur in foro conscientiæ,

non

non esse revalidandum coram Parocho, & testibus.

138 Et quia necessitas assistendi Matrimonio provenit ex sola voluntate Pontificis, illam ex vi jurisdictionis suæ inducentis, licèt ipsa actualis assistentia non sit propriè actus jurisdictionis, sed testis legitimi. Sanchez *Lib.* 3. *De Matrim. disp.* 21. *n.* 5. ideo forsan inferet quispiam, ab Ecclesia suppleri defectum illius assistentiæ, si quo casu ex probabili judicio Doctorum, ea tunc omittatur, cùm cæteroqui ex se foret necessaria, argument. eorum, quæ de suppletione defectûs, in actionibus jurisdictionalibus admissi ex probabili sententia, seu errore publico, tradit ex communi Lugo mox citandus.

139 Quandoquidem tamen nullo modo certum, sed duntaxat probabilius est, illum defectum habitualis jurisdictionis suppleri ab Ecclesia, sicuti ostendo in Experientiis *Tract.* 7. *Cas.* 3. *n.* 114. idcirco nollem extra necessitatem accommodare praxi sententiam communiorem Cardinalis de Lugo *De Pœnitent. disp.* 19. *sect.* 2. dissentientis ab his quatuor Doctoribus, & aliis pluribus.

SECTIO V.

Quomodo intelligenda sint Brevia Sacræ pœnitentiariæ, circa dispensationes matrimonii in foro conscientiæ?

SVBSECTIO I.

Refertur formula Brevium hujus temporis, & differentiæ illarum ab antiquioribus.

SUMMARIUM.

Describitur forma communium Brevium, in quibus Sacra Pœnitentiaria dispensat in impedimentis Matrimonii pro solo foro interno. 141.

Brevia hujus ætatis multùm differunt ab antiquioribus. 142.

Indicantur octo articuli, in quibus differunt. 143. *& seqq.*

Qui authores explicent Brevia talium dispensationum? 152.

140 HAnc quæstionem non cogitabam proponere, aut resolvere, quia tamen, dum hujus ipsius capitis materiam conscribebam, rogatus fui per literas à quodam Confessario, ut sibi resolverem plura dubia, quæ ipsi fuerant orta circa Breve Apostolicum ab ipso in hac materia expediendum, quia etiam aliàs non semel fui sollicitatus quæstionibus concernentibus hoc idem argumentum, sciò. que complures esse, qui hæreant ancipites, secutus rationem, quam tenui *suprà Tract.* 4. seu in Thesauro Indulgentiar. *Part.* 2. *cap.* 26. explanando commune Breve Indulgentiarum pro altaribus privilegiatis, adscribam recens (erat recentissimum cùm ab hinc Annos XXII. hæc commentarer) Breve Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ, ejúsque singulas clausulas explicabo. Constat id verbis sequentibus.

Nicolaus Tituli S. Mariæ Angelorum Sa- 141
cræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Ludovisius discreto viro a *Confes-* a
sori, b *Magistro in Theologia, vel Decreto-* b
rum Doctori, ex c *approbatis ab Ordinario*, c
per latorem præsentium ad infrà scripta specialiter d *eligendo, salutem in Domino. Ex* d
parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias Matrimonium cum muliere, cujus sororem antea e *carnaliter* e
cognoverat, publicè in facie Ecclesiæ contraxit, & successivè consummavit. Cùm autem, sicuti eadem petitio subjungebat, lator præditus ob impedimentum ex præmissis proveniens in dicto Matrimonio remanere nequeat absque Apostolicæ Sedis dispensatione, ad vitanda f *scandala, quæ, si divortium fieret* f
inter eos, verosimiliter oriri possent, ac pro suæ conscientiæ quiete cupit à præmissis, quæ sunt occulta, g *& de quibus plurimum dolet,* g
absolvi, secúmque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de- opportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica specialiter nobis concessa discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, h *dictum latorem, au-* h
dita à prius ejus Sacramentali Confessione, ac i
k *sublata occasione, siqua adhuc extat, am-* k
plius cum dicta sorore peccandi, à quibusvis l l
sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu, & excessibus hujusmodi absolvas m m
hac vice, n *in forma Ecclesiæ consueta, in-* n
junctà inde ei pro tam enormis libidinis excessu, o *gravi pœnitentia salutari, ac Confes-* o
sione Sacramentali peccatorum suorum p *sin-* p

gulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut
q *quoties tibi videbitur, & aliis, quæ* q *de jure*
fuerint injungenda. Demum, dummodo im-
r *pedimentum præfatum sit,* r *occultum, & se-*
paratio inter latorem, & præfatam mulierem
s *fieri non possit absque* s *scandalo, ex cohabita-*
t *tione verò de* t *incontinentia probabiliter ti-*
u *mendum tibi visum fuerit, aliudque* u *Cano-*
nicum non obstet, cum eodem latore, & dicta
x *muliere de nullitate prioris consensus* x *certi-*
orata, sed ita cautè, ut latoris delictum
nusquam detegatur, Matrimonium cum ea-
y *dem, & uterque inter se de novo secretè* y *ad*
vitanda scandala, præmissis non obstantibus
contrahere, & in eo postmodum remanere li-
citè valeant, misericorditer dispenses; pro-
z *lem susceptam, si qua sit, & suscipiendam* z *ex-*
aa *inde legitimam decernendo in* aa *foro con-*
bb *scientiæ, & in ipso actu* bb *Sacramentalis*
cc *Confessionis tantùm, & non aliter, neque* cc
ullo alio modo. Ita quòd hujusmodi absolutio, &
dd *dispensatio latori in foro* dd *judiciario nulla-*
ee *tenus suffragentur: nullis super his* ee *testi-*
bus adhibitis, aut literis datis, seu process-
ff *bus confectis, sed præsentibus* ff *laniatis, quas*
gg *sub pœna excommunicationis* gg *latæ senten-*
hh *tiæ laniare tenearis, ita ut nullum earum* hh
ii *exemplum extet, neque eas latori* ii *restí-*
tuas; quodsi restituerís, nihil ei præsentes
kk *literæ* kk *suffragentur. Datum Romæ apud*
S. Petrum sub sigillo officii Pœnitentiariæ
Calendis Augusti. Pontificatus Domini In-
nocentii P.P. X. Anno septimo.

CIrca hoc Breve, seu Bullam Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ:

142 Quæres generatim I. *In quibus differat ab antiquioribus?*

Ratio proponendi hanc quæstionem est, quia adferam nonnullas resolutiones contrarias iis, quas aluêre antiquiores scriptores, quia scil. secuti fuêre Bullas, seu Brevia aliis nonnullis clausulis conscripta. Ne igitur lectio ejusmodi authorum quempiam inducat nunc in errorem, ponam sub unum aspectum differentias antiquorum Brevium ab hic descripto. Porrò exemplar antiquorum reperiet Lector apud P. Sanchez *Lib. 8. De Matrim. disp. 34. num. 1. 3. & 4.* & Lezanam *Tom. 3. Verb. Literæ Apostolicæ*, cujus utriusq; Doctoris explicationem, si quis hoc tempore velit sequi per omnia, graviter sanè impinget. Hoc observato, adscribam differentias, quas deprehendi.

143 Differentia I. In Bullis recentioribus clarissimè exprimitur, dispensationem fieri debere, præmissa Confessione Sacramentali, & quidem in ipso actu Sacramentalis Confessionis, ut videre est *lit. 1. & bb.* quorum tamen neutrum expressè requiritur in antiquis Brevibus, ut legere est apud Sanchez, & Lezanam *ll. cc.* quare non est mirum, nonnullos negâsse, opus esse Confessione, ut videbimus *num. 176.*

144 Differentia II. In Brevibus recentioribus exprimitur, tollendam esse priùs occasionem peccandi cum illa, cum qua fuerat antè peccatum, datáque occasio affinitatis, ut patet ex *lit. K.* at nil tale reperio apud Sanchez.

145 Differentia III. Dant modernæ Bullæ *lit. 1.* potestatem expressam absolvendi à Censuris, quam non exprimunt antiquiores.

146 Differentia IV. Clarè dicitur in nostro Brevi *lit. p.* esse minimùm semel in mense Confessionem peragendam ab illo, cum quo dispensatur; hæc expressio deest exemplari Sanchezii, & Lezanæ.

147 Differentia V. Illa conditionalis, de occulto impedimento, quæ ponitur *lit. r.* non reperitur in exemplo P. Sanchez. Sed & aliquo modo aliter apud eundem exprimuntur ea, quæ descripsi *lit. s. t.* ut videbimus *n.* 230. & 234.

148 Differentia VI. Illa restrictiva clausula, quæ habetur *lit. cc.* ubi dicitur: *non aliter, neque alio modo*, tacetur à Sanchez, & Lezana.

149 Differentia VII. Pœna excommunicationis, quæ infligitur *lit. gg.* omittitur apud citatos.

150 Differentia VIII. Antiquiora exemplaria non exprimebant, cavendum esse, ne *ullum exemplar* extaret impertitæ à Sacra Pœnitentiaria gratiæ; at id exprimi in nostro Brevi patet ex *lit. hh.*

151 Ex quibus differentiis universim colligo, quando tibi committetur exequenda aliqua dispensatio Pontificia, expendendas esse singulas clausulas, nec ad executionem procedendum ex opinione hujus, aut illius Doctoris, priusquam cognitum fuerit, illum Doctorem loqui de illis ipsis clausulis; quæ quidem ita crebrò variantur, ut ego Anno 1638. acceperim aliquod Breve circa dispensationem in voto castitatis, non parùm diversum ab eo, quod alius eodem Anno de eadem materia.

Quæres II. *Quinam authores edifferant clausulas Brevium, quibus committitur potestas dispensandi circa Matrimonium in foro conscientiæ?*

152 RESP. Qui omnes explicet scio neminem; qui plerasque ex antiquitus usitatis non habeo ad manum nisi quinque. Sunt ii Sanchez *Lib. 8. De Matrimon. disp.* 34. Filliucius *Tract.* 10. *Part.* 2. *c.* 10. Reginaldus *Lib.* 31. *cap.* 28. Bonacina

cina *De Legibus, disp. 1. q. 2. p. 2.* Lezana *Tom. 3. Verb. Literæ Apostolicæ.* Multas, paucióres tamen, quàm illi quinque, exposuit Diana *Part. 8. Tract. 3. à Resol.* 103. Nonnullas Joan. de Salas *in opere. De Leg. disp.* 20. *sect.* 10. §. 3. Martin. Perez *De Matrim. disp.* 48. *sect.* 5. *& 6.* explanat novem. Circa reliquas proponam, quæ & Theologiæ, & Sacris Canonibus consentanea judicavero.

153 Nullum Jureconsultum, præter Bonacinam, ducem sequar, quia nullus mihi se offert, nec quæsitum reperio. An quia nullus in hunc non inutilem sanè laborem incubuit? Id ego non dixerim; quamvis ut id suspicer faciat, quòd diligentissimi scriptores Sanchez, Bonacina, & Diana non referant ullos Jureconsultos interpretes harum clausularum, excepto Gutierez, qui tamen *Tract. De Matrim. cap.* 128. vix tres, quatuórve jam à Sanchez explicatas attingit.

SVBSECTIO II.

Explicantur VIII. priores clausulæ descripti Brevis.

SUMMARIUM.

Quid per Confessorem intelligatur in illis Brevibus? 154.
Quid per Magistrum Theologiæ? 155.
Doctoratus actualis exigitur, nec sufficit licentia. 156.
Non tamen amittet Breve suum valorem, esto aperiat non Doctor. 157.
Sacerdotes Societatis aperiunt illa Brevia, esto non sint insigniti Doctoratu. 158.
An hoc privilegium extendatur ad alios Ordines Religiosos? 159.
Refellitur Lezana errans circa hoc privilegium. Ibid.
Clausula: Per te vel tibi subordinatos superiores designandi, *non indicat gratiam personalem, sed realem adhærentem actuali superioritati.* 161.
Approbatio Confessarii requisita hoc loco est eadem cum requisita pro Confessario Iubilei. 162.
Sententia Henriquez ii de approbatione Confessarii nondum est improbabilis. 164.
Clausula: Ordinarius *non accipitur hic strictiùs, quàm alibi.* 165.
Et approbatus ab Ordinario cum restrictione pro aliquibus Confessionibus, est etiam hic intelligendus cum restrictione. 166.
An qui eligit vi hujus Brevis unum Confessarium, à quo nimis rigidè tractatur, possit rursum eligere alium? 167.

Clausula: Carnaliter cognoverat; *denotat tot-*
pulam perfectam. 168.
Adeóque probabiliter cum seminatione ipsius quo-
que mulieris. 169.
Nomine scandali quid hic intelligatur? 170.
Quandonam fornicatio habita censeatur esse oc-
culta? 173.
Occultum est idem, quod non publicum? 174.
Esto possit quatuor testibus probari in judicio. Ibid.
Potestas delegata nihil operatur, nisi conditiones
delegationis adsint. 175.

154 A Clausula I. *Discreto viro Confessori.* Per Confessorem intellige Confessarium, etiam illum, qui nondum ullas Confessiones excepit, modò habeat qualitates clausul. 3. & 4. indicandas; ille etenim etiam rectè dicitur Confessarius, qui omnia requisita ad Confessiones excipiendas habet, esto nullas dum exceperit.

155 *B.* Clausula II. *Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori.* Magister in Theologia est in Romana Curia, in Academia Sorbonensi, atque in multis aliis, idem quòd Germanis Doctor in Theologia; hæc enim duo nomina sunt Synonyma. Salas *De Legibus disp.* 20. *sect.* 10. §. 3. *n.* 97. Sanchez *Lib. 8. De Matrim. disp.* 34. *n.* 5.

156 Quæ quidem nomina sunt hic ita propriè, & rigidè intelligenda, ut quamvis gradus Licentiatus Theologici, aut Canonici, etiam ex mente Concilii Tridentini *sess. 24. cap.* 12. *De Reform.* sufficiat ad dignitatem Episcopalem, aut aliam in Ecclesia Cathedrali, & Licentiati in his facultatibus soleant frui iisdem titulis, & privilegiis, quibus Doctores ipsi; attamen Confessor, de quo hic est sermo, debeat esse reipsa insignitus laurea doctorali, nec eum juvet, licèt Theologiam, aut Jus Canonicum profiteatur publicè. Ita septem Doctores, quos nominavi *n.* 152. Etenim illa variatio nominum Magistri, & Doctoris, quam adhibet ipsum Breve, satis innuit, exigi propriè dictos Doctores, & non solùm docentes. Quòd si 157
quis tamen non Doctor aperiret literas Pœnitentiariæ, non idcirco eæ carerent suo effectu, ut contra nonnullos simplices notant Lezana, Salas *loc. cit.* nil quippe ejusmodi indicatur in Brevi; ergo nec nos dicere debemus. *Cap.* 2. *De Translat. Episcop.* Hinc Bonacina *De Legib. disp. 1. q. 2. p. 2. n. 3.* absolutè negat, illum; qui eas aperit, debere esse Doctorem; eò quòd id requiratur solùm in eo, per quem debent expediri literæ. Verùm recentissimus Ludovic. Engel in Manuali Parochor. *Part. 3. cap. 2. n. 16.* censet in hac materia favorabili posse nomine Doctoris intelligi Licentiatum.

Sed & nostra Societas à Gregorio XIII. pri- 158
vilegium habet, ut designati speciatim à R. P. Generali, vel aliis Superioribus, licitè aperiant,

riant, exequantúrque eas literas, esto ne Licentiati quidem sint, Rodriq. *Tom. 1. quæst. Regular. q. 63. art. 8.* & Lezana *Tom. 3. citat. Verb. Literæ Apostolicæ. n. 15.* describens dictum privilegium, circáque illud notans, cùm privilegium designandi ejusmodi Confessarios, concessum sit soli P. Claudio Aquavivæ, & non ejus successoribus, non apparere, quo pacto alii Generales Societatis, & multò minùs per communicationem Generales aliarum Religionum eo uti possint, cùm in aliis Ordinibus non militet ea ratio, quæ in nostro, in quo sunt rari Doctores.

159 Verùm quidquid sit de aliis Regularibus, quibus litem non moveo, sicut nec P. Perez *De Matrim. disp. 48. sect. 5. n. 2.* fallitur graviter Lezana, dum existimat, successores R. P. Claudii Aquavivæ non posse designare ejusmodi Confessarios, cùm hodiéque nominentur tum à Generalibus, tum à Provincialibus, Superioribúsque localibus. Nec enim illud privilegium esse habendum pro personali, sed pro reali, & proinde extinctum non esse cum P. Claudio, sanctissimæ memoriæ, probatur inde, quòd in dubio, utrùm aliquod privilegium sit reale, an personale, debeat censeri reale, saltem si sit purum beneficium, sine alterius præjudicio. Bartolus *L. 1. ff. De Constit. Princip.* Bonacina *De Leg. disp. 1. q. 3. p. 1. n. 7.* Nam & beneficium Principis quàm latissimè interpretari debemus. *L. fin. ff. De Constitus. Princip.* præsertim quando est purè favorabile, ut hîc. Bonacina *loc. cit. punct. 7. §. 1. n. 4.* & decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. *Cap. Decet. De Reg. Iur. in 6.* & denique privilegia Regularium debent in dubio in eorum favorem explicari Rodriquez *Tom. 1. quæst. Regular. quæst. 11. art. 6.* ex declaratione Julii II. & Leonis X. Atqui non dicet Lezana, esse manifestum, privilegium, de quo agimus, alligatum fuisse personæ P. Claudii, & non potiùs illius officio.

160 Accedit, quòd etiam privilegii, utpote quod est etiam quædam lex, quamvis privata, interpres sit usus, & practica. Argum. *Leg. Quæsitum. ff. De Privileg. Creditor.* Usus autem omnium nostrorum Superiorum declaravit hactenus, prædictum privilegium non fuisse personale. Hunc usum explorare debebat Lezana, priusquam vulgaret orbi suum illud judicium; si eum habuisset perspectum, non utique damnâsset, memor qualitatum personalium, quæ secundùm Jura, & Doctores excludunt præsumptiones doli, ignorantiáque, & è diverso gignunt præsumptiones tam scientiæ, quàm bonæ fidei, adeóque zeli secundùm veram scientiam.

161 Nec obest, quòd Pontifex dixerit P. Claudio: *Per te, vel tibi subordinatos Superiores designandi*; etenim in discernendo, sitne privilegium datum personæ, an dignitati, potiùs ad naturam, & conditionem, rei datæ, quàm ad verborum expressionem attendendum est. Laymannus *Lib. 1. Tract. 4. cap. 25. n. 2.* atqui conditio hujus privilegii est ejusmodi, ut planè conveniat, illud impertiri dignitati potiùs, quàm personæ, quandoquidem usus illius est frequentissimus, necessarius, fructuosus, & nemini præjudiciosus. Equidem si P. Claudio viventi adhuc fuisset alius Generalis suffectus, non retinuisset Pater Claudius prædictam potestatem; ergo non fuit personalis, nam privilegium personale sequitur personam. *Cap. Privilegium. De Reg. Iur. in 6.*

C. Clausula III. *Ex approbatis ab Ordinario.* 162
Quæ de approbatione pro Confessario Jubilei, déque ejusdem immunitate à Censuris dixi *10 Tract. De Iubileo Quintuplici cap. 31.* eadem sunt dicenda de Confessario eligendo ad executionem præsentis Bullæ, nec enim video rationem faciendi discrimen. Duo solùm addo. 163

Primum, à P. Joan. de Dicastillo in suo de pœnitentia sanè præclaro *To. disp. 10. n. 257.* ex instituto defendi, Bullam Urbani VIII. (quæ incipit: *Cùm sicut*, & qua, multorũ judicio, damnatur opinio Henriquezii, aliorúmque multorum existimantium, approbatum semel ab uno Ordinario loci censeri approbatum pro toto orbe,) nil obstare illi eidem opinioni, & proinde prædictam opinionem Henriquezii esse hodiéque tam probabilem, quàm fuit ante Bullam Urbani. Ego sanè non audeo vocare impro- 164
babilem (abstrahendo à Brevi. Alex. VII.) practicè, utpote quam, non obstante illa Bulla, defendit idem P. Dicastillo, P. Stephanus Bauny, & P. Ludovic. Callocius apud Dianam *Part. 6. Tract. 7. Resol. 59.* dissentientem. Et præter hos recentissimus Illuminatus Moronus *Responf. 94. n. 28.* citat, sequitúrque Henriquezium. Accedit, quòd & sciam, con- 165
trariam interpretationem non esse usu receptam in nostra Superiore Germania respectu Regularium, & ipse Diana *Part. 5. Tract. 12. Resol. 53.* atque alibi Henriquezianam sententiam una cum Angelo Bossio admittat saltem respectu Confessarii excipientis Confessionem illius, qui habet privilegium, vel licentiam confitendi cuivis Sacerdoti approbato *ab Ordinario*, ut solet dari in Jubileis. Sanè non apparet clara ratio, cur nomen Ordinarii strictiùs accipiatur in Bulla Urbani, quàm in Bullis Jubileorum. Verùm authoritas Alexandri VII. de qua in Experient. *Tract. 7. Cas. 2. n. 57.* est pro mille rationibus.

Alterum, à Diana *cit. Part. 8. Tract. 3. Resol.* 166
103. doctrinam, quam in allegato Tractatu de Jubileo *n. 233.* tradidi, applicari nominatim Confessario, electo ad exequendam præsentem dispensationem, atque adeò contra Sanch. *Lib. 8. De Matrim. disp. 34.* (non 48. ut habet exemplar Dianæ) *n. 16.* Gutier. *cit. cap. 128. n. 19.* Lezanam *Tom. 3. Verb. Claus. n. 23.* & Perez *De Matrim. disp. 48. sect. 5. n. 5.* rectè doceri, illum, qui ab Episcopo est ob ætatem juvenilem approbatus cum restrictione ad audiendas Confessiones virorum, haud posse ad hunc actum assumi à muliere, cum qua dispensandum sit; etenim neque Jubileæ, neque matrimoniales Bullæ ampliant approbationem, sed solùm jurisdictionem. Quamquam si is, qui dispensat, sit Doctor, & non tantùm privilegiatus juxta dicta *n. 158.* videtur sententia Lezanæ habere plus probabilitatis.

167 *D.* Clausula IV. *Specialiter eligendo.* Hîc quæritur, utrùm, si is, cum quo dispensandum est, elegit Confessarium, à quo postea experitur, se rigidè satis tractari, possit eo relicto quærere benigniorem. Sanchez *Lib. 8. De Matrim. disp. 27. n. 40.* Diana *cit. Tract. 3. Resol. 104.* Lezana *Tom. 3. Verb. Literæ Apostolicæ, n. 19.* contra Petrum Leonem, atque Navarr. *Lib. 1.* ut citat Sanchez, & Lezana, vel 2. ut refert Diana (ego quippe in meo utpote antiquiore exemplari nil ejusmodi reperio) *Consil. Edit. 2. In Titulo. De Offic. Iud. delegati, Consil. 8.* rectè docent, posse quæri benigniorem; tum quia Breve id non prohibet, tum quia in reliquis Confessionibus, quæ per Annum fiunt, fas est, relicto illo, cum quo inchoâsti Confessionem, accedere alium tibi commodiorem, cur hîc non liceat? quandoquidem specialia statuta reducenda sunt ad Generalium modum, & rationem, quoad fieri potest. Argum. Capit. *Ex Literis. De Constit.* ut vitetur correctio, & multiplicatio jurium conformiter capitulo *Cùm expediat. De Elect. in 6. & Leg. Præcipimus. Cod. De Appellationibus.* Alder. Mascard. *Concl. 2.*

168 *E.* Clausula V. *Carnaliter cognoverat.* Quia revalidatio Matrimonii antea nullius maximas difficultates adjunctas habet, idcirco consultum est, ut quando pœnitens detegit impedimentum affinitatis, exploret Confessarius, utrùm revera præcesserit copula cum ea perfectione, quam ad affinitatem contrahendam, atque adeò ad hominis generationem requiri, tradit ex communi Sanch. *Lib. 7. disp. 64. n. 8. 10. 12. 13.* & nos in Experientiis *Tract. 9. n.* 169 *390. & 391.* Et quidni ob ejusmodi difficultates quandoque detur in praxi locus opinioni Innocentii, Archidiaconi, Lopezii, Graffiis, atque aliorum apud eundem Sanchez *loc. cit. n. 20.* existimantium, affinitatem non contrahi, nisi ipsa quoque fœmina seminet? Equidem hanc opinionem non ausim vocare improbabilem, cùm nec Sanchez, nec Henriquez, nec alii ita vocent; imò P. Dicastillo *De Matrim. disp. 7. n. 355.* expressè dicat esse probabilem. Vide dicta *cit. n. 390.*

170 *F.* Clausula VI. *Ad vitanda scandala.* Per

scandalum non intelligitur id, quòd vulgus imperitum nomine scandali apprehendit, scil. admiratio, aut prudens opinio de improbitate alicujus, qui antè probus habebatur; sed nomine scandali venit hîc propriè dictum scandalum, quod à S. Thom. *2. 2. q. 43. art. 2. in Corp.* vocatur scandalum passivum, id est, peccatum ortum ex dicto, vel facto alterius minùs recto. Indicat itaque illa clausula, dis- 171
pensationem ideirco dari, ut per separationem non præbeatur occasio peccandi per temeraria judicia, detractiones, odia, dissensiones, imitationem mali exempli &c. Et fortè, si tantum uni tertio constaret de Matrimonio, proindéque ille unicus scandalizandus scandalum jam sufficeret ad conditionem *lit. f. & f.* indicatam; quandoquidem *lit. f.* ponitur scandalum in numero singulari; rectiùs tamen Bonacina *num. 7.* & Navarrus *cap. 27. num. 255.* requirunt hîc metum scandali publici.

G. Clausula VII. *Quæ sunt occulta.* Scilicet 172
fornicatio cum sorore uxoris, quæ præcessit Matrimonium, itémque impedimentum inde ortum. At consummationem Matrimonii, de qua etiam priùs meminit Pontifex, non est necesse esse occultam in ratione copulæ, satis est, si sit occulta in ratione delicti. Lezana *n. 28.* Bonacina *n. 7.* post Sanch. *Lib. 8. disp. 34. n. 56.* nam & Pontifex, Pontificísque exemplo Summus Pœnitentiarius ad dispensandum impellitur potiùs ob notoriam consummationem Matrimonii, quàm ob occultam; & qualitas adjuncta verbo, debet intelligi secundùm qualitatem ejus. Navarr *loc. cit.* ex *L. In Delict. §. 1. ff. De noxal. Actio.*

Porrò censebuntur hæc satis occulta, etiamsi 173
à tribus, vel quatuor sciantur. Navarrus, Sanchez, Bonacina, Lezana *loc. cit.* aut licet sciantur à multis. Salas *De Leg. disp. 20. sect. 10. n. 58.* modo non sciantur à majore parte vicinæ &c. Salas *Ibid.* nam occultum significat hîc idem, quod non notorium, non publicum, non famosum. Ita citati cum Reginaldo, Filliucio, Dicastillo *De Pœnit. disp. 8. n. 76.* Cùm 174
enim ex una parte illud etiam rectè dicatur occultum, quod non est manifestum, non publicum. *Cap. Quis aliquando. De Pœnit. dist. 1. juncta. Gloss. Verb. Secreta*, & proinde etiam illud dicatur juridicè occultum, quod in præsentia quinque personarum est peractum. Gloss. *loc. cit.* ex altera autem parte conditiones dispensationum circa leges humanas in adeò magnum, urgénsque bonum animæ promodum necessariò factarum, sunt latè potiùs, atque benignè, quàm strictè, rigidéque interpretandæ, Argum. *Cap. In his. De Privileg.* tametsi cæteroqui dispensatio sit plerumque strictè interpretanda. Text. *In c. 1. De Filiis Presbyterorum*, ideo prudenter asseritur, posse,

posse, non obstante illa clausula : *occulta*, à Confessario dispensari cum Titio, licèt hic dicat, suam cum sorore uxoris fornicationem ita esse notam tribus, vel quatuor personis, ut in judicio sufficienter probari valeat. Navarrus, Salas, alii *ll.cc.* observante Bonacina, Salas, & Sanchez, si jam reipsa sit ad forum contentiosum deductum impedimentum, aut delictum, non esse vocandum occultum.

175 *H.* Clausula VIII. *Quatenus ita est*; Id est, si & Matrimonium est reipsa consummatum, & scandalum ex separatione verosimiliter timeatur, & incestus sit occultus, & adsint, vel absint ea, quæ *lit. i. s. t. u.* adesse, vel abesse mandantur. Et quia potestas delegata nil operatur, nisi conditiones delegationis adsint, atque impleantur, *L. Diligenter. ff. Mandati. & C. Cùm dilecta. De Rescript.* idcirco invalidè dispensabit Confessarius, casu, quo aut Matrimonium non fuit consummatum, aut impedimentum non est occultum.

SVBSECTIO III.

Aliæ quinque Clausulæ explicantur.

SUMMARIUM.

Explicatur Clausula : Audita prius Sacramentali Confessione, 176.
Hac Clausula stante, debet confiteri Sacramentaliter is, cum quo est dispensandum. Ibid.
Casus ablativus importat conditionem. 177.
Quid si autem non habeat conscientiam oneratam peccato mortali? 178.
Aut non nisi mortalia jam semel legitimè Confessa? 179.
Videri potest talis non teneri confiteri Commissario, licèt revera verba Brevium grammaticaliter sumpta videantur aliud exigere. 180. & 183.
Quid ergo respondendum ad Clausulam : Absolvas? 185.
Quid ad Clausulam : pœnitentiâ injunctâ pro tam enormi libidinis excessu? 186.
Quid si pœnitens confiteatur quidem Commissario, sed sacrilegè? 188.
Quomodo intelligenda Clausula : sublata occasione? 189.
An sit omnino necessariò imperanda separatio? 190.
Cùm conceditur alicui jurisdictio, conceduntur omnia ad illam expediendam necessaria. 191.
Clausula : Hac vice, *quid importet?* 195.
Quid si actualis executio dispensationis differatur in Annum : *An potuerit dari absolutio peccatorum interim patratorum?* 197.
An sufficiat Confessio annua? 200.
Instituatum est, Clausulâ : Hac vice, *intelligi Confessionem annuam.* 203.
Quid ergo intelligatur per eam? 205.

I. Clausula IX. *Audita prius Sacramentali* 176
Confessione. Hæc Clausula, præsertim si jungatur illi, quæ habetur *lit. bb.* tollit apertè, finitque illam controversiam, utrùm is, ad quem dirigitur Breve S. Pœnitentiariæ, debeat excipere Confessionem illius, cum quo dispensare vult. Etsi enim Sanchez *Lib.* 8. *De Matrim. cit. disp.* 34. *n.* 29. Filliucius *cit. Tract.* 10. *Part.* 2. *n.* 355. Perez *disp.* 48. *sect.* 5. *n.* 13. Dicastillo *cit. disp.* 8. *n.* 72. & alii contra Reginaldum *Lib.* 31. *num.* 216. Bonacinam *disp.* 1. *De Legibus. q.* 2. *p.* 2. *n.* 8. Lezanam *Tom.* 3. *Verb. Literæ Apostolicæ n.* 25. id tectè negârint, suppositâ formulâ, quæ olim erat in usu, & in qua non ponebatur Clausula : *auditâ Confessione*, sed præcisè imperabatur, ut eligeretur Confessarius approbatus, qui dispensaret in foro conscientiæ tantùm, impositâ salutari pœnitentia, jam tamen, seu stante nostro Brevi, & aliis duobus similibus, quorum unum abhinc sexennium, alterum abhinc Annos viginti Roma accepi, est omnino certum, requiri Confessionem, saltem si pœnitens non sit legitimè confessus suas incestas nuptias. 177
Nam & ablativus absolutus, qualis est : *auditâ*, importat conditionem. *L. A testatore. ff. De Condit. & Demonstrat.* conditio autem formam. *L. Qui hæredi, & L. Mævius. ff. eod.* itémque. *Cap. Cùm dilecta. De Rescript.* Felinus *in idem c. num.* 6. Et denique illa locutio, quæ ponitur *lit. bb.* ubi dicitur : *In ipso actu Sacramentalis Confessionis tantùm, & non aliter, neque ullo alio modo*, est sole meridiano clarior, & proinde si quis juxtà doctrinam allatam *n.* 167. velit variare Confessarium, debebit etiam secundo confiteri, esto sit confessus primo.

Si quis tamen non haberet conscientiam 178
peccati mortalis, diceret fortè quispiam, talem non obligari ad Confessionem, sed satisfacturum dicendo Confessario, se non esse sibi conscium ullius gravis delicti, post ultimam Confessionem admissi. Ratio posset hæc adferri, quòd literæ S. Pœnitentiariæ, quatenus loquuntur de Confessione, intelligendæ sint juxta formam, naturámque Confessionis Sacramentalis. Lezana *cit. Verb. Literæ Apostolicæ. numero* 19. est autem ea natura hujus, ut non teneamur confiteri venialia. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & Ecclesia non præcipiat Confessionem illi, qui non habeat nisi venialia confitenda. Cardinalis de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *Part. disp.* 13. *n.* 130. neque in Paschate. Lugo *loc. cit.* Coninck *De Sacram. disp.* 5. *n.* 52. neque in Jubileis. Lugo *cit. Tom.* 3. *disp.* 57. *n.* 100. & ego ex illo *in Tract.*

De

179 *De Iubil. n.* 158. Et ne quidem posse ab Ecclesia præcipi, censent Paludanus, Sotus, alii, que, asserentibus Suario *De Pœnitent. disp.* 36. *sect.* 5. Dicastillo *De Pœnit. disp.* 7. *dub.* 7. reipsa in Clement. *Ne in agro Dominico. De statu Monachor.* præcipi Monachis nigris, seu Benedictinis, quandoquidem iis ibi injungitur Confessio menstrua; de quo præcepto, & cæteris hîc indicatis, aliisque jam jam judicandis tractavi ex instituto Tom. prior. seu in Experientiis *Tract. VI. Cas.* 11. *& seqq.*

180 Et quia Ecclesia nunquam solet absolutè imperare Confessionem mortalium peccatorum, jam semel in Confessione legitimè detectorum. *Extravag.* 1. *De Privilegiis*, imò nec videtur posse absolutè imperare. Suarez *loc. cit. disp.* 22. *sect.* 7. *num.* 10. cùm non possit aliquis alicujus hominis authoritate compelli, ad confitendum peccatum, quod alteri confessus est, qui absolvere potuit. S. Thomas *Quodlib.* 1. *q.* 6. *art.* 13. *ad* 1. & iteratio Confessionis legitimè factæ, non sit injungenda, nisi evidenter constet de obligatione. Filliucius *Tract.* 7. *n.* 151. & 154. Ideò ob allatam *num.* 178. rationem verosimile videbitur alicui, illum, cum quo dispensare debet Confessarius, non obligari ad repetendam Confessionem fornicationis simplicis sacrilegii in contrahendo Matrimonio invalido admissi, & incestuum commissorum in usu Matrimonii invalidi. Quanquam, quia rectè monet Suarez *cit. num.* 10. & post eum Filliucius *cit. Tract.* 7. *cap.* 4. *num.* 99. posse ejusmodi Confessionem à Pontifice imponi, ex suppositione statûs, quem quis libere assumit, & cui iterata Confessio peccatorum adjuncta sit, non decrit fortè qui dicat, ex hypothesi, quòd quis velit per Pontificiam dispensationem inire validum Matrimonium, obligari ad repetendam Confessionem prædictorum excessuum. Et confirmatur inde, quia jubetur Confessarius illum absolvere ab incestu, & excessibus hujusmodi *lit. l.* itémque illi injungere gravem pœnitentiam, pro tam enormis libidinis excessu : *lit. o.* non autem potest absolvere, nisi confitentem. Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 5. *ante med.* nec pœnitentiam injungere, nisi confitenti. Nam nemo, qui absolvere non potest, condemnare potest. Text. *L. Nemo, qui. ff. De Regul. Iuris.* Et postremò *lit. bb.* dicitur : *In ipso actu Sacramentalis Confessionis tantùm, & non aliter, nec ullo alio modo.* 181 182

183 Vellem sanè, hanc practicam difficultatem aliquis ante me evoluisset, dicerem animosiùs, quod sentio; sentio enim esse non omnino improbabile, illum, qui jam est antea legitimè absolutus à prædictis peccatis, non obligari ampliùs confiteri ei, à quo dispensationem est impetraturus. Rationem paulò supetiùs attuli, quam firmo imprimis inde, quòd conditio de confitendo incestu expressè supponat, Oratorem supplicâsse Papæ pro illius absolutione impetranda, ut liquet ex *lit. g.* Is autem, qui jam est legitimè à quocunque tandem absolutus, non petit absolvi à Papa; siquidem supplicans pro absolutione non postulat eam tanquam onus, & gravamen, quale quidem est iterata Confessio, sed tanquam beneficium, & meram gratiam, ut satis testatur ipsummet rescriptum, seu Breve *cit. lit. g.* Ibi : *Supplicavit humiliter : De opportuno remedio : Supplicationibus inclinati.* Confirmo deinde eandem rationem respondendo ad allatas in contrarium.

Ad rationem *n.* 181. allatam Resp. Non con- 184
stare, quòd Pontifex Confessionem ejusmodi criminum imponat ex indicata illic suppositione; hoc ipso autem quòd id non constet, non est asserenda ejusmodi impositio, seu onus, tum quia, ubi non constat evidenter de obligatione, non sunt homines obligandi ad reiterandas Confessiones. Filliucius relatus *num.* 180. tum quia extraordinaria non debent præsumi, sed probari. Argum. *Cap. Quæ à Iure. De Reg. Iur. in* 6. *& cap. Vnic. Vt Eccles. Benef.* §. *Porrò.*

Ad alteram rationem de absolutione Resp. 185
Sicut in Brevi concedente potestatem dispensandi cum illo, qui voto castitatis simplicis obstrictus est, exprimi solet hæc clausula : *Eundem à mutatione propositi absolvas*, ut videre est apud Sanchez *cit. disp.* 34. *num.* 2. & Lezanam *cit. Verb. Literæ Apostolicæ. num.* 12. & tamen ea clausula non apponitur ut conditio necessaria. Salas *De Leg. disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 98. sed habet hunc sensum, ut Confessarius pœnitentem absolvat à culpa, quam commisit, si trangressus est votum castitatis emissum, casu videlicet, quo pœnitens voluerit Confessionem facere. Sanchez *loc. cit. num.* 19. Lezana *loc. cit. n.* 25. ita etiam, cùm de similibus idem judicium sit habendum. Text. *Cap.* 2. *De Transl. Episc.* hæc clausula : *absolvas ab incestu, & excessibus hujusmodi*, intelligi potest casu, quo illum incestum confitetur pœnitens, sicuti in iis locis, in quibus incestus est casus reservatus, sæpe fit, ut pœnitens non obtineat illius absolutionem, priusquam Româ adveniat Breve dispensationis, quemadmodum de transgressione voti castitatis notat Sanchez *cit. n.* 19. atque Filliuc. *Tract.* 10. *n.* 356.

Ad tertiam rationem de injunctione pœni- 186
tentiæ, *pro tam enormis libidinis excessu*, diceretur cum Lezana *loc. cit.* consequenter, non debere ullam (præter Confessionem menstruam, de qua infrà) pœnitentiam pro eo injungi, nisi casu, quo incestus detegeretur in Confessione; etenim ratio allata *n.* 182. id convincit. Et casu, quo pœnitens, seu ex

necessitate, seu libere confitetur incestum prædictum, non est absolutè necesse, imponere pro eo pœnitentiam diversam à Confessione menstrua, de qua ad *lit. p.* cùm possit hæc tantò sæpius injungi, si nulla alia pœnitentia imperata est. Expedit tamen, aliam non diuturnam imponi, ut pœnitens tantò certiùs eam in statu gratiæ peragere, & fructum operis operati consequi possit.

187 Ad postremam rationem respondebo *num.* 254. ubi plura circa hanc controversiam.

Quòd si quæras: *An valeret dispensatio, casu, quo pœnitens sacrilegè confiteretur Commissario Pœnitentiariæ?*

188 RESP. Si id sacrilegium committeretur præcisè, vel ob defectum doloris, vel ob reticentiam peccati non habentis respectum ad dispensationem, valeret dispensatio. Filliuc. *cit. Tract. 10. n. 355.* Escobar in Summa *Tract. 1. Exam. 16. cap. 4. n. 124. in fin.* Diana *Part. 8. Tract. 3. Resol. 106.* Si verò reticentia illa sacrilega versetur circa rem, cujus dispensatio quæritur, non sufficit ea sacrilega Confessio. Ita citati, sed utique non est periculum, ne reticeat rem, circa quam danda est dispensatio. Absolutionem ab incestu non obtineret, si eum non aperiret. Ita quidem AA.

189 *K.* Clausula X. *Sublata occasione &c.* Ut e.g. si soror illa uxoris habitaret in eadem domo non autem si habitaret in alia, quia tunc non censeretur adesse moralis occasio peccandi. Imò si durante putatitio Matrimonio habitâsset illa cum eo, & interim abstinuisset omni turpitudine, ac lascivia, puto, non fore obligatum Commissarium S. Pœnitentiariæ ad indicendam separationem. Nam in ejusmodi circumstantia talis cohabitatio non censetur esse moraliter occasio peccandi, ut patet ex iis, quæ de occasione proxima diximus in Experientiis *Tract. 7. Cas. 16. n. 525. & seqq.* traditque Lugo *De Pœnit. disp. 14. sect. 10.* & perbene discutit P. Dicastillo *De Sacram.*

190 *disp. 6. dub. 19.* Secùs si moraretur in eadem domo, & cum ea haud semel peccâsset, durante Matrimonio; tunc enim separatio fieri deberet, & quidem actualiter ante dispensationem, alioqui non valebit dispensatio, ut patet à simili de ea clausula, quæ in Jubileis apponi solet, nimirum: *Satisfacta parte*: quam exposui *in Tractat. De Iubil. numero* 271. Porrò prædictam Clausulam omitti in antiquioribus Brevibus monui suprà *numero* 144.

191 *L.* Clausula XI. *A quibuscumvis sententiis &c.* Deesse antiquioribus Brevibus hanc quoque clausulam notavi. *n.* 145. Puto autem fuisse etiam sub iis intellectam, tum quia, cùm tibi committitur jurisdictio, omnia commissa intelliguntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest. Bonus Text. *In Cap. Præterea. De Offic. & pot. Iud. del. in fin.* & express. *In Cap. Suspitionis. eod.* tum quia, sicut, quando aliquid prohibetur, interdicitur simul omne id, per quod pervenitur ad illud. *L. Oratio. ff. De Sponsalibus*; ita etiam, quando aliquid conceditur, simul quoque conceditur id, sine quo nequit perveniri ad illud, sicut ad absolutionem à culpa non potest perveniri, nisi per absolutionem à pœna excommunicationis, cùm hæc faciat incapacem Sacramentorum. *Cap. Si quem. De Sentent. Excommun.* Adde, quòd 192
quando Pontifex concedunt alicui gratiam, soleant præmittere absolutionem à Censuris. Navarr. *In cap. Ita quorundam. De Iudæis. Not. 11. in Gloss. fin. n. 14.* probans id ex quodam Brevi Pauli III. quod etiam faciunt Nuntii Apostolici in suis dispensationibus, ut nôrunt omnes, qui eas expediunt, vel consuluntur circa illas.

Si tamen pœnitens, de quo agimus, incur- 193
risset censuram, alia de causa, quàm propter incestum, & incestuosas nuptias, non posset ab ea absolvi ex vi hujus Brevis; etenim Breve restringit ad censuras, quas *propter præmissa quomodolibet* incurrit, sicuti etiam restringit ad incestum. Et observat rectè Na- 194
varr. *cit. num. 14.* illas absolutiones, quas dixi solere præmitti gratiis Pontificiis, extendi solùm ad eas censuras, quæ impediunt effectum gratiæ, & verò ne quidem ad omnes planè illas exporrigi, probat per cit. Breve Pauli III. ubi hic Pontifex declarat, ab ea generali absolutione censurarum excipi nonnullas.

M. Clausula XII. *Hac vice.* Id est: ea sola 195
vice, & tempore, quo dispensabis cum illo. Itaque si pœnitens ille non vellet secum dispensari, aut non esset capax dispensationis, ob defectum conditionum *lit. r. f. t.* indicatarum, tunc sanè Commissarius nequiret ex vi Brevis præcisè illum absolvere à censuris, & incestu. Sic opinor, tacentibus cæteris. Probo inde, quia cessante causa finali mandati, cessat effectus. *Cap. Si pauper. De præb. in 6. & cap. Etsi Christus. De Iurejur.* Layman: 196
Lib. 1. Tract. 4. c. 22. n. 14. causa autem totalis, & unica, cur Pœnitentiaria det Commissario potestatem absolvendi à prædictis, est, ut pœnitens beneficio dispensationis ineat de novo Matrimonium dignè, adeóque liber à culpa, & pœna Ecclesiastica.

At: *Quid si dispensatio differatur in duos,* 197
tres Annos? An poterit Commissarius absolvere ab incestibus, & censuris interea incursis? Silent & hîc Doctores. Ego ex generali doc- 198
trina, quam circa illam clausulam: *Hac vice*: inseri solitam Pontificiis Rescriptis, dantibus potestatem absolvendi à reservatis tradidi Tom. priore *Tract. 7. num. 510.* edisserúntque fusè partim Cardinalis de Lugo *De Pœnit. disp. 20.*

disp. 20. n. 126. partim Dicastillo *De Pœnit. disp. 11. n. 346. & seqq.* existimo inprimis, posse absolvi à censuris, & peccatis *n. 193.* indicatis, quæ incurrit usque ad tempus, quo non potuit commodè accedere Commissarium *Arg. L. Quod favore. C. De Leg. & C. Quod ob gratiam. De Reg. Iur. in 6.* junct. rubr. *cit. L. Quod*

199 *favore.* Existimo deinde, si post acceptum Breve non incurrit ullos novos casus reservatos, posse etiam post biennium, vel triennium donari absolutione eorum, quos priùs incurrerat. Ita Lugo, Ratio est, quia cùm deceat favores ampliari. *C. Odia. De Reg. Iur. in 6.* non debemus eos restringere, quando non cogit ratio, aut verba. Atqui ad restrictionem tem-

200 poris non cogit hîc ratio, aut verba. Existimo præterea, satis sapienter arbitrari P. Dicastillo, dum *loc. cit. n. 348.* censet, illa particula: *hac vice*, intelligi Confessionem annuam, ex præcepto Ecclesiæ præscriptam, ita, ut si quis etiam absque rationabili causa differat petitionem actualis dispensationis usque ad tempus annuæ Confessionis, possint ipsi remitti omnia, quæ ad illam usque admisit. Ratio est, quia cùm Ecclesia non nisi semel in Anno imperet Confessionem peccatorum. *Cap. Omnis utriusque. De Pœnit. & remiss.* meritò, censemus, eam non imperare, ut is, cum quo dispensandum est, confiteatur ante illud tempus. Addit quidem idem Doctor, si urgente tempore annuæ Confessionis negligat confiteri, (subintellige Commissario) tum non posse amplius frui Beneficio pro *hac vice* concesso.

201 At, *quid si confiteatur tunc alteri habenti potestatem in reservata? Et octiduo post accedat Commissarium, petátque ob eo tum absolutionem casus, in quem illo octiduo ex humana fragilitate incidit, tum dispensationem; an debebis hic negare, dicendo elapsum esse tempus* hac vice *designatum?* Sanè non puto, id arbitraturum P. Dicastillo.

202 Quare salvo meliùs sentientium judicio putarem, si pœnitens petitionem actualis dispensationis post jam acceptum Breve idcirco differat ad aliquot menses, aut Annos, quòd deliberet, utrùm vel Matrimonium revalidare, an ab eo, saltem cum bona uxoris venia recedere, putarem, inquam, posse ab illo pœnitente etiam post Annum eligi Confessarium, à quo accipiat impertitionem gratiarum Pontificiarum, maximè si differat ideo, ut experiatur, an possit cum putativa uxore vivere con-

203 tinenter. Moveor, quia etsi potestas dispensandi data respectu unius solùm personæ fit fortè strictè interpretanda, sicuti ipsa dispensatio. Suarez *Lib. 6. De Leg. cap. 17. num. 10.* quia tamen nulla lex, aut rescriptum debent, nisi urgens necessitas cogat, restringi ad significationem inusitatam Argum. *I. Labeo. ff. De Supell. legat.* inusitatum autem est, per voculam: *hac vice*, intelligere tempus annuæ Confessionis, sed potiùs ex consequentibus, & ex fine hujus potestatis colligitur, illam exercendam esse tunc, cùm dispensabitur cum pœnitente, fit, ut meritò dicamus, quamdiu ex rationabili, & præsertim præscriptæ conditioni consentanea causa differetur petitio, aut impertitio dispensationis, tamdiu durare eam potestatem, adeóque ad menses, & Annos. Si quoque differatur ex causa non rationabili, modò non in fraudem, tum quantacunque dilatio fiat, videtur etiam ea non obesse valori dispensationis. Nam nec explicitè, nec implicitè præfigitur per Breve ullum tempus dispensationi. Sed neque videtur obesse pote- 204
state absolvendi à casibus incursis ante tempus opportunum accipiendæ dispensationi. Lugo suprà relatus; quia illa non est alligata ulli tempori, nisi illi, quo impertitur dispensatio. Ex quo mihi probabile fit, esse id ipsum dicendum de incestibus commissis etiam post opportunum illud tempus, modò non sint in fraudem, & ex confidentia patrati; de quibus tamen fortè etiam mitiùs sentiet aliquis.

Verùm libenter me submittam judicio me- 205
liùs quid ostensurorum, & facile visurorum, licèt, quando datur principaliter, & per se facultas à reservatis absolvendi *hac vice*, clausulâ: *hac vice*, communiùs designetur tempus aliquo modo præsens impertitioni illius facultatis, non tamen tale designari, quando ea facultas conceditur per accidens, & in ordine ad dispensationem, nullo certo tempore determinatam. Etenim ea, quæ sunt ad finem, accipiunt à fine & rationem. S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 1. in Corp. & modum. Idem 2. 2. q. 27. art. 6. in Corp.

Adde, quando Confessarius alicujus Reli- 206
giosi Conventus petit, ac impetrat à Superiore facultatem absolvendi à casu reservato aliquem è domesticis, hanc non extendi ad casus, quos ille commisit postquàm Confessario vulnus aperuit. Nam modus petendi, & concedendi satis tunc indicat, non fuisse cogitationem, nisi de illo uno casu. Lugo *cit. disp. 20. De Pœnit. n. 124.* & Dicastillo *cit. disp. 11. n. 349.* secùs si absolutè petiit, & impetravit facultatem absolvendi aliquem hac vice, à reservatis; sicuti ex eodem Lugo observavi in Experientiis *Tract. 7. Cas. 20. n. 720.*

N. Clausula XIII. *In forma Ecclesiæ consue-* 207
ta. Consueta, inquam, circa absolutionem seu à censura, seu à peccatis, in foro Sacramentali impertiri solitam. Itaque nulla peculiaris forma hîc præscribitur. Bonacina *disp. 1. De Leg. q. 2. p. 2. n. 19.*

SVBSECTIO IV.

Aliæ duæ Clausulæ explanantur.

SUMMARIUM.

Clausula: Gravi pœnitentia salutari *quomodo practicanda?* 208.
Nomine pœnitentiæ veniunt etiam eleemosynæ, & corporis afflictiones. 211.
Orationes fundendæ pro defunctis imponuntur licitè in pœnitentiam. 212.
Clausula: Quoties tibi videbitur, *est intelligenda de prudenti arbitrio.* 217.
Omittens designato mense pœnitentiam injunctam, non tenetur alio compensare. 219.
Et satisfacit injunctæ à Confessario, si perficiat jam aliunde imperatam Confessionem. 220.
Peccat mortaliter negligens unam ex injunctis. 222.
Nec potest hæc pœna remitti per Confessionem Iubilei. 226.
Nec imperata Confessione censetur hoc ipso imperari Communio. 227.

208 O. Clausula XIV. *Gravi pœnitentia salutari.* Si videlicet pœnitens non fuit aliàs legitimè Confessus illam enormem libidinem. Si autem jam fuit Confessus, sicuti fortè non tenetur eam denuo confiteri, Suprà *n.* 178. ita etiam non tenetur pro ea admittere gravem pœnitentiam; quia Confessarius imponendo gravem, discederet ab instituto divino, de quo Gelasius Papa *Cap. fin. De Pœnit. dist.* 4. sic pronuntiat: *Divina Clementia dimissa in ultionem redire non pati-*
209 *tur.* Imò, licèt non fuerit unquam aliàs legitimè Confessus illa crimina, poterit Commissarius dispensationis minuere pœnitentiam, tum si pœnitens valde rarò petiit ab uxore putatitia debitum conjugale, tum si eximia cum contritione confiteatur, tum si soleat ipse obire sponte gravia opera pœnitentiæ; tum denique si tempus alicujus Jubilei, aut plenariæ Indulgentiæ, quam lucratus sit, vel lucrari velit, suam conscientiam exoneret.
210 Ratio est, quia vitanda est correctio jurium, quoad fieri potest. *Cap. Cùm expediat. De elect. in* 6. jura autem partim Divina, partim Ecclesiastica habent, ut ob quemlibet ex indicatis titulis minuatur pœnitentia Sacramentalis, sicut videre est apud obvios Theologos Morales *in Tract. De satisfactione Sacramentali*, & nominatim de postremo titulo probavi, declaravique in Tract. de Jubileo Quintuplici. *n.* 171. *&* 172. de aliis in Experientiis *Tract.* 7. *Cas.* 21.
211 Cæterùm, quòd Lezana *Tom.* 3. *Verb. Clausula n.* 50. & apud eum Portel. *In Summa Verb. Pœnitentiæ salutari*, ait, nomine *pœnitentiæ salutaris* intelligi orationes, susceptiones Sacramentorum, & alia spiritualia opera, non autem eleemosynam, vel corporis afflictionem, nisi ex adjunctis oppositum colligatur, non judico esse verum, cùm afflictio corporis, per jejunium, & similia sit usu communissimo, qui maximè spectandus est. *L. Labeo. ff. De Supell. Leg.* pœnitentia, & Danielis 4. v. 24. scriptum sit: *Peccata tua eleemosynis redime*, & Confessarii communissimè dicant: *Pro pœnitentia salutari jejunabis uno Sabbatho: dabis unum Iulium pauperi.* Orationes defunctis 212
applicandas posse imponi pro pœnitentia docet, atque insigniter more suo contra Joann. Sancium *in Select. disp.* 16. probat P. Joann. de Dicastillo *Tom.* 2. *De Sacram. disp.* 14. *dub.* 6. *à n.* 95.

P. Clausula XV. *Singulis scil. mensibus.* Hæc 213
Clausula continet plures difficultates, quas quàm brevissimè potero, expediam sequentibus §§.

I. Confessio menstrua, de qua est hîc sermo, debet fieri per totam vitam. Ita haud dubiè tenent citati Doctores. Nam & negant, illam Confessionem posse à Confessario sæpius, quàm semel in mense imponi, eò quòd cuivis gravissimum sit onus obligari ad frequentius fatendum, quàm semel in mense, inquit Sanchez *cit. disp.* 34. *num.* 35. Salas *cit. disp.* 26. *De Leg. sect.* 10. *num.* 97. ac ferè Bonacina *cit. p.* 2. *n.* 9. non est autem cuivis durissimum confiteri per dimidium Annum singulis mensibus bis; & Filliucius *cit. Tract.* 10. *p.* 2. *n.* 356. ait menstruam Confessionem posse temperari, *ut si menstrua Confessio per totam vitam esset nimis difficilis*, & denique propositio indefinita æquivalet universali. Bartolus *in L. Omnes populi. ff. De lust. & Iur.* & latè Gloss. *Cap. Ut circa. Verbo: Aliorum. De elect. in* 6.

II. Licèt Annis abhinc 30. 40. 60. &c. fue- 214
rit probabile, esse in potestate Commissarii imperare Confessionem rariorem menstruâ, eò quòd in Brevibus, quæ refert Sanchez, & Lezana, ponebantur hæc præcisè verba: *Confessione Sacramentali suorum peccatorum singulis scilicet mensibus, vel quoties animarum suarum saluti expedire judicaveris*, eámque ob rem probabilissimè asseruerit Sanchez *cit. n.* 35. Bonacina *cit. num.* 9. Reginald. *L.* 31. *n.* 217. Lezana *cit. Verb. Literæ Apostolicæ. num.* 26. Filliuc. *cit. num.* 356. Diana *Part.* 8. *Tract.* 3. *Resol.* 109. post Portel. *De dubiis Regular. Verb. Confessor aperiens literas Papæ n.* 10. & Perez *De Matrim. disp.* 48. *sect.* 6. relinqui in arbitrio Confessarii, ut consideratis occupationibus, distractionibus, & aliis circumstantiis pœnitentis imponat bimestrem, vel trimestrem &c. jam tamen non videtur posse id generatim asseri, cùm nostrum Breve expressè

dicat. *Singulis mensibus ut minimùm semel.*
215 Quæ Clausula: *Ut minimùm semel*, si fuisset expressa in exemplari, quo utebantur nominati authores, aliud utique sensissent. Quia tamen Ecclesia non obligat ad impossibilia. Argum. *Reg.* 6. *in* 6. *& Cap. Consilium. De Observat. Iejun.* præsumendum est de benigna, paternâque mente Pontificis, quòd nolit ad menstruam adigi illos, quibus ea est moraliter impossibilis, nam illis planè injiceret laqueum contra doctrinam Cap. *De viduis.* 2. 27. *q.* 1. sufficeret ergo respectu horum bimestris. Et hoc ut minimùm concedit Perez *cit. sect.* 6. *num.* 3.
216 III. Tametsi idem Sanchez, Salas, Perez *n.* 4. & Bonacina *loc. indicatis* secuti suum Breve negârint, posse à Confessore injungi frequentiorem exomologesin, quàm menstruam, & proinde illam Clausulam: *vel quoties animarum &c.* ita explicârint, ut dicetent, peccam fieri Commissario jus infrequentiorem, non autem frequentiorem menstruâ Confessione imperandi, stando tamen tenore nostri Brevis potest, si ita judicârit expedire, Confessarius imperare crebriorem menstruâ, id quippe videtur clarissimè indicari ipso contextu, cum additur: *ut minimùm semel*; hæc enim Clausula est implicativa, non limitativa.
217 Barbosa Diction. 355. in vocula: *Saltem.* Non tamen potest fieri pro mero arbitrio Confessarii; etenim illa modalis clausula, quæ subjungitur: *Quoties tibi videbitur*, significat esse id faciendum secundùm Regulam prudentiæ. Gloss. *in cap.* 2. *De Corpore vitiatis Verb. visum fuerit.* Lezana *Tom.* 3. *Verb. Clausula. n.* 31. Puto tamen esse longè rarissimos conjugatos, quibus possit prudenter sub mortali injungi onus confitendi per totam vitam sæpius, quàm semel in mense. Consentit à fortiori Sanchez *cit. disp.* 34. *n.* 35.
218 IV. Is, cui ex vi Brevis Pœnitentiariæ injungitur Confessio menstrua, satisfacit suæ obligationi, quocunque die mensis confiteatur; ita, ut si Confessus est prima die Januarii, non teneatur confiteri ante ultimam diem Februarii. Diana *cit. Part.* 8. *Tract.* 3. *Resol.* 109. Lezana *Tom.* 3. *cit. Verb. Literæ Apostolicæ.*
219 Bonacina *cit. punct.* 2. *n.* 9. Perez *n.* 5. Quòd si uno mense omittat, non tenetur alio compensare. Ita citati. Ratio est, quia videtur talis Confessio esse perinde annexa menſi, sicut jejunii, aut Breviarii, aut Sacri audiendi obligatio adhæret diei.
220 V. Si ex alterius Confessarii præcepto, vel ex voto talis pœnitens haberet jam aliàs onus confitendi singulis mensibus, vel bimestribus, videretur satisfacturus & huic, & Pœnitentiariæ obligationi per unam exomologesin uno mense, per duas duobus. Salas *cit. sect.* 7. *n.* 98. & Portel apud Lezanam *loc. cit. n.* 26. non dissentientem contra Dianam tr. *Resol.* 109. Bonacinam *loc. cit. n.* 13. Perez *n.* 6. & Sanchez *loc. cit. n.* 39. Ratio est, quia cùm sit communissimum, ut Confessarii pro pœnitentiis injungant menstruam, & plerisque omnibus conjugatis moraliter impossibile sit per 4. 6. 10. Annorum decursum, sæpius quàm semel in mense sistere se Confessariis, dura nimis foret gratia S. Pœnitentiariæ, si vellet, Confessiones in mense geminari respectu talium. Et quid ni hîc quoque locum habeat. *Reg.* 49. *in* 6. *In pœnis benignior interpretatio est facienda?* 221
VI. An mortaliter delinquat, qui unam ex 222
præceptis istis Confessionibus omittit, dissimulant quasi dedita opera Diana, Lezana, & Portel. Ego non ausim negare, eò quòd particularia præcepta Ecclesiæ videantur obligare instar universalium. Argum. eorum, quæ dixi *n.* 167. & communis Axiomatis ex Aristotele: *Primum in unoquoque genere est exemplar cæterorum.* Cùm igitur præceptum generale 223
de Confessione annua, auditione Sacri die festo, jejunio &c. ad mortale obliget singulis temporibus præscriptis, obligat & hoc particulare sub mortali singulis mensibus. Confir- 224
matur ex doctrina illorum, qui cum Vasquez, & Azor, quos sequitur Dicastillo *De Pœnit. disp.* 7. *num.* 118. contra Cajetan. Navarrum, Dianam *Part.* 3. *Tract.* 4. *Resol.* 125. censent, Monachos, qui ex dispositione Clementinæ: *Ne in agro. De statu Monachor.* tenentur, quòt mensibus confiteri, peccare mortaliter, quoties negligunt menstruam Confessionem.
VII. Est autem hæc menstrua, bimestris &c. 225
Confessio injungenda etiam illi, qui vel omnino non confitetur Commissario, vel confitetur quidem, sed incestum, utpote jam semel legitimè absolutum omittit juxta dicta *n.* 180. Ratio est, quia hoc ipso quòd S. Pœnitentiaria jubeat, hanc Confessionem imperari ultra pœnitentiam salutarem, seu Sacramentalem, de qua *lit. a.* satis innuit, esse suam mentem, ut absolutè injungatur, ideò imponenda est extra forum Sacramentale, si ob causas *n.* 178. indicatas, à me tamen in praxi non approbandas, non confiteatur is, cum quo dispensandum est.
VIII. Quamquam Indulgentiæ plenariæ in- 226
tra, & extra Jubileum sint ita de pœnitentiis injunctis, ut qui lucratus est Indulgentiam plenariam, non teneatur pœnitentias vindicativas, quæ ex præteritis Confessionibus suæ persunt, perficere, ut docui in Tract. de Jubileo quintuplici *n.* 217. non tamen est ea doctrina extendenda ad menstruam hanc Confessionem, tum quia illa doctrina intelligitur de pœnitentia, quæ ut Pars integralis Sacramenti imponitur, tum quia hæc menstrua Confessio est pœnitentia valde extraordinaria, & proinde non intelligenda sub Generali re-

missione pœnitentiarum. Argum. *Cap. In Generali concessione, vel prohibitione, non veniunt ea, quæ speciali nota digna sunt.*

227 IX. Non explicant Doctores, utrùm cum hac Confessione injungenda sit Sacra Communio. Puto ego, tantum onus sine claro textu non esse à Confessario injungendum. Argum. *Cap. 2. §. Sed neque. De Transl. Episcop.* Posset tamen loco illius gravis pœnitentiæ, de qua suprà, eam aliquoties per Annum imperare Commissarius.

SVBSECTIO V.

Aliæ Clausulæ exponuntur.

SUMMARIUM.

Hæc Clausula: Et aliis, quæ de jure fuerint injungenda *quid indicet?* 228.
Et illa: Dummodo separatio fieri non possit absque scandalo? 229.
Experientia, an separatio possit fieri sine scandalo, non est necessaria, quando jam aliunde constat, non posse fieri. 231.
Quandonam censebitur res dubia? 233.
Clausula: Ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit. 234.
Quid si probabile sit, non adesse periculum incontinentiæ? 235.
Vocula: Incontinentia *designat frequentiam actuum turpium, & quendam quasi habitum.* 237.
Clausula: Aliúdque impedimentum Canonicum non obstet, *indicat, per Breve dispensari in solo impedimento proposito.* 238.
An si peccatum fuit cum duabus, oporteat in supplici libello explicare numerum? 239. & 240.
Rursum tangitur difficultas, utrùm sit necesse petere novum consensum à parte ignorante impedimentum, eique illud manifestare? 242. & seqq.
Qui emisit Professionem invalidam quo modo teneatur renovare? 245.
Legitimatio facta per Literas Sacræ Pœnitentiariæ quousque extendatur? 247.
Natus ex Matrimonio invalido ob ignorantiam invincibilem est legitimus. 247.
Quid de Liberis natis post dispensationem? 248.
Quandonam censeatur Pontifex dispensare in radice Matrimonii invalidi? 249.
Quantum operetur talis dispensatio? Ibid.
Legitimatio facit ex illegitimo legitimum non per juris fictionem, sed per rei veritatem. 251.
Clausulæ: In foro conscientiæ *est duplex verus sensus.* 252.
Censetur etiam ille satisfacere Clausulæ dicenti: in actuali Confessione, *qui dispensat immediatè post datam absolutionem.* 255.

Clausula: Non aliter, neque ullo alio modo, *inducit authorem, ut putet, non dispensandum cum illo, qui non dicit saltem in Confessionali, se non esse sibi conscium ullius peccati mortalis.* 258. & seqq.
Præcepta particularia videntur obligare instar generalium. 259.

228 Q. Clausula XVI. *Et aliis, quæ de jure fuerint injungenda.* Id est, si præter pœnitentiam salutarem, & menstruam Confessionem occurreret Confessario aliquid, de quo monendus foret pœnitens, e. g. aliqua fortâsse restitutio honoris, bonorum &c. deberet Confessarius monere. Non tamen irrita esset dispensatio, si omitteret Confessarius injunctionem talium, non habentium ullum respectum ad ipsam, quia irritatio actûs, cùm res sit valde odiosa, non censetur irrogari per legem, aut dispositionem, nisi satis clarè exprimatur, nam in obscuris minimum est sequendum *Reg. 30. in 6.* & valor actûs est omni possibili ratione defendendus. DD. apud Barbosam *Axiom. 12.*

229 *R.* Clausula XVII. *Dummodo impedimentum sit occultum.* Hanc Clausulam sufficienter explicavi *n.* 173.

230 *S.* Clausula XVIII. *Dummodo separatio fieri non possit absque scandalo.* In antiquioribus Brevibus exprimitur hæc Clausula hoc modo: *Quódque diligenter experiantur, an sine scandalo possint separari; quod si fieri potest, fiat omnino.* Puto autem, utriusque sententiæ eundem sensum esse, si supponamus explicationem Sanchezii *Lib. 8. De Matrim. cit. disp. 34. n. 60.* Reginaldi *cit. L. 31. n. 220.* Filliucii *est. Tract. 10. Part. 2. n. 361.* Bonacinæ *disp. 1. De Leg. cit. q. 2. p. 2. n. 14.* Lezanæ *Tom. 3. cit. Verb. Literæ Apostolicæ. n. 30.* quòd scilicet non sit opus illa experientia, si ex dictis, aut factis præsentibus vel præteritis sufficienter, & prudenter conjiciat Confessarius, illam separationem non posse fieri sine scandalo, aut non posse ut fratrem, & sororem cohabitare. Et 231 sanè cùm frustra exspectetur eventus, cujus nullus est effectus, sicuti ex *Cap. Cùm contingat. De Offic. & potest. Iudic. delegati.* desumunt, & loquuntur Sanch. Reginaldus, Lezana *loc. cit.* nulla autem lex obliget ad actus frustraneos, & inutiles. *L. Quoties. 2. ff. De reb. dubiis.* non videtur S. Pœnitentiaria injungere illam experientiam, casu, quo jam constat id, quod per illam quæritur, & indagatur.

232 Et hæc doctrina maximè locum habet, stando nostro Brevi, in quo videtur illa conditio experiendi omissa idcirco, quòd non sit adhibenda, seu expectanda, quando jam aliàs est notum, non posse separationem absque scandalo fieri, vel mutuam cohabitationem absque incontinentiæ periculo existere; si tamen res dubia foret, tum utique adhibenda esset expe-

233 experientia ante dispensationem. Porrò non censetur res dubia, quando is, cum quo dispensandum est, constanter affirmat, se non posse cum sua Bertha habitare absque ejus consortio carnali; ipsi namque tanquàm testi creditur contra se, & pro se, S. Thom. *Quodlib. 1. quæst. 6. art. 12. in Corp.* Metus scandali ex separatione vix unquam abest, unde illa experientia vix unquam locum habet. Sanchez *loc. cit.*

234 *T.* Clausula XIX. *Ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit.* Hæc clausula in exemplari Sanchezii, & Lezanæ ita exprimitur: *Experiatur saltem, an cohabitantes vivere valeant.* Sed hæc experientia non est necessaria, quando Confessarius putat, probabiliter esse timendum periculum incontinentiæ, si non dispensetur cum illis. Patet ex verbis nostri Brevis.

235 Censeo autem in primis, posse etiam dispensari in casu, quo probabile est, non adesse periculum incontinentiæ, dummodo simul probabile sit, adesse; quia nihilominus verificantur verba Brevis, quæ non video, cur potiùs restringamus, quàm ampliemus propter

236 rationem allatam *n.* 174. Itaque non requiritur hîc tanta certitudo de incontinentia, quanta requiritur, ut dispensetur cum illo, qui Matrimonium inire cupit astrictus voto Religionis, aut castitatis. Nam in formula Brevis, quo datur potestas dispensandi cum tali, exprimitur his verbis: *continenter vivere posse non sperat: maximè dubitat continere non posse*, ut videre est apud Sanchez *cit. disp. 34. n. 1.*

237 Censeo deinde, non posse, vi hujus Brevis dispensari cum illo, qui probabiliter credit, se semel, atque iterum duntaxat peccaturum; etenim vocula: *Incontinentia*, indicat frequentiam actuum turpium, & quendam quasi habitum. Sanch. *loc. cit. n. 19.* Filliuc. *n. 353.* Lezana *num. 22.* & apud ipsum Portellus *in Summa Verb. Confessor aperiens Literas Apostolicas n. 6.*

238 *V.* Clausula XX. *Aliúdque impedimentum Canonicum non obstet.* Quia videlicet non dispensat in eo impedimento, pro quo petita est dispensatio, se quippe accommodat precibus supplicantis. *C. Inter dilectos. §. Cæterùm. De fide instrumentor.* Felin. *Ibid. col. 2.* Quare si præter affinitatis impedimentum adesset aliud ratione cognationis, voti, criminis &c. nihil

239 patrocinaretur nostrum Breve. At, si ante Matrimonium peccâsset cum duabus sororibus suæ putatitiæ uxoris, fortè sufficeret aperire fornicationem cum una habitam; sicuti, qui petit dispensationem super irregularitate, quam incurrit per plures actus ejusdem rationis, non tenetur exprimere, nisi unum actum, juxta communem Doctorum cum Bonacina *cit. q. 2. punct. 5. n. 4.* Atque ita sentit Henriq. *Lib. 12. c. 10. n. 3.* itémque Ledesma, Rodriquez & Vega apud Sanch. *Lib. 8. disp. 24.* loquentes in specie de duplici affinitate.

240 Quia tamen, qui commisit duo homicidia, tenetur, dum irregularitatis dispensationem petit, utrumque exprimere, Bonacina *loc. cit.* Suarez, & Coninck apud ipsum cum Layman. *Lib. 1. Tract. 4. cap. 22. n. 19. §. 2.* Quia etiam idem Layman. *Ibid.* Dicast. *Tom. 3. disp. 8. n. 142.* post eundem Coninck *disp. 33. De Sacram. dub. 6. n. 81.* Sanch. *Lib. 8. disp. 24. num. 5.* & alios, tenet esse omnino exprimendum, si quis duas sorores priùs cognovit, ideo non sequerer opinionem Henriquezii in petenda dispensatione, sequerer autem in usu petitæ, & impetratæ jam, sine ulla expressione.

241 *X.* Clausula XXI. *De nullitate prioris consensus certiorata.* Non enim valuit putatitiæ uxoris consensus in Matrimonium, cùm non videantur consentire, qui errant *L. Nihil consensui. ff. De Reg. Iur.* & impossibilium nulla sit voluntas. Argum. *L. Ea, quæ dari. ff. eod.*

242 Porrò uxorem illam non esse certiorandam de nullitate Matrimonii seu consensûs, si non possit edoceri sine detectione præcedentis fornicationis, satis indicatur verbis proximè sequentibus, ubi dicitur: *Sed ita cavè, ut latoris delictum nusquam detegatur.* Imò censent Sanch. *cit. disp. 34. n. 61.* & Bonacina *cit. disp. 1. q. 2. n. 15.* etiamsi possit absque periculo ejusmodi detectionis edoceri uxor, non tamen esse ex vi Brevis edocendam, eò quòd illa certioratio non videatur tanquam conditio poni in Brevi, sed solùm tanquam instructio Confessarii.

243 Ego tamen assentior Lezanæ *cit. Verb. Literæ Apostolicæ*, item Portello *loc. cit. n. 17.* apud ipsum existimantibus, non esse meram instructionem, sed conditionem necessariam in casu, quem ponimus, quia ablativus absolutus æquè hîc, atque alibi importat conditionem. *Suprà n. 177.* Quodsi nequeat detegi nullitas 244 consensûs, nisi detegatur delictum commissum, sicuti plerumque fieri nequit, erit uxor à viro roganda, ut si fortè Matrimonium antea fuit nullum, ipsa denuo consentiat. Et hoc, ut minimum, esse necessarium censet Lezana, & Portel: alioquin consensum uxoris non fore sufficientem. Quod & ego existi- 245 mo, quandoquidem communis opinio Doctorum Lezanæ *Tom. 1. c. 2. n. 9.* Navar. *In Cap. Statuimus. De Regular. Comment. 4. n. 71.* Mirandæ *In Manual. Prælat. Tom. 1. q. 30. a. 3.* fert, quando quis professionē ob occultum impedimentum invalidam fecit, eo impedimento remoto illam non revalidari, nisi ratificetur, vel comperta nullitate, vel saltem dicendo: *Si jam non essem Religiosus hujus Ordinis, vellem hodie fieri*: potest tamen, sicuti rectè observat

Dicastillo *De Matrim. disp.2. dub.10. num.98.* omnino legendus, aliquandò in praxi contrarium observari, propter auctoritatem Doctorum, ut pluribus declaravi hoc ipso *Cap.n.132. & seqq.*

246 Y. Clausula XXII. *Secretè*; Id est absque Parocho, & testibus, ut declaratur infrà *n.265.*

247 Z. Clausula XXIII. *Prolem legitimam decernendo.* Legitimam, inquam, tum ab Ordines, Sacros, & Beneficia Ecclesiastica. Bonac. *cit. p. 2. n.18.* tum etiam ad omnia bona temporalia. Sanchez *cit. disp. 34. n.50.* omnis enim proles, quæ nascitur ex putatitio Matrimonio est legitima, modò pater, aut mater invincibiliter ignoret Matrimonium esse illegitimum *Cap. Referente. Qui filii sint legit. & cap. Ex tenore.* eodem. Sanch. *n.46.50. & 52.* ac declaro cum notabili ampliatione in Experientiis, *Tract. 8. n.438. & 437.* Atqui supponitur in hoc Brevi, matrem invincibiliter ignorare nullitatem Matrimonii.

248 Si quoque obtenta dispensatione manifestet maritus impedimentum, eóque manifestato integretur Matrimonium, & postmodum suscipiatur proles, erit illa etiam legitima quoad Ordines Sacros, Beneficia Ecclesiastica omnia, & quoad omnia temporalia jura. Sanch. *cit. disp. 34. n. 52.* & eod. *Lib. 8. disp. 7. n. 16.* etenim hæc jura fundantur in Matrimonii legitimitate. Cùm igitur Pontifex efficiat illud Matrimonium verè legitimum, sequitur, proli inde nascituræ competere omnia illa jura.

249 Ex quo fundamento deducit Sanch. *cit. disp. 7. n.12.* quando Pontifex dispensat in ipsa radice Matrimonii invalidi jure humano, sicuti censetur juxta Sanchez dispensare, quando dicit: *dispensamus, ut ex tunc, seu ut ab initio legitimus contractus censeatur*, deducit, inquam, Sanchez, prolem ex eo Matrimonio ante dispensationem natam, esse quoad temporalia quoque legitimam, tunc enim Pontifex irritat legem statuentem illud impedimentum dirimens, ut fusè declarat idem Sanchez *cit. disp. 7. n.4.* Qui tamen *n.7.* subdit, non posse à Pontifice legitimam, quo ad temporalia, reddi illam prolem, quæ nata est ex concubitu omnino fornicario, seu ex omnino solutis, aut conjugatis quidem, sed cum impedimento in-

250 dispensabili. Quæ ultima doctrina est utique certa, loquendo de potestate ordinaria juxta *C. Per venerabilem. Qui filii sint legit.* prior autem illa de legitimitatis extensione ad liberos jam susceptos ante dispensationem facta, dotè, ut solet, refutatur, negatúrque etiam à P. Dicastillo *De Matrim. disp. 8. n.7. & seqq.* post Molinam *Tom. 3. Tract. 2. disp.624.* Quia scil. illa dispensatio non facit, quò minus illi liberi sint nati ex non conjugibus, & proinde reipsa inciderint in effectum Legis civilis, privantis hæreditate omnes natos ex non conjugibus.

Nihilominus tamen firmari potest illa doc- 251
trina Sanchezii authoritate Hieron. Schurff. JC. *Consilior. Cent. 1. Cons. 2.* Qui

In hac facti contingentia.

REspondit quemdam Christophorum nobilibus parentibus, sed extra Matrimonium natum, & à Friderico III. Imperatore legitimatum, sortitum fuisse omnia prorsus bona, & jura, perinde ac si fuisset natus ex Matrimonio legitimo, 1. quia §. *Illud Authent. Quibus modis nat. effic. sui.* dicitur, legitimatos à Principe nihil differre à legitimis. 2. quia naturaliter nascimur omnes legitimi, sicut & liberi *cit.* §. *Illud*, ita ut sola lex humana nos faciat illegitimos. Unde fit, ut legitimatio non faciat propriè nos legitimos, sed solùm tollat obstaculum legitimationis, positum à lege positiva, quo sublato lex ipsa naturalis efficit nos non per fictionem juris, sed verè, ac propriè tam legitimos, quàm si essemus nati ex legitimo Matrimonio. Hinc Bartolus. *In L. Is, qui. ff. De usucap.* dicit, quòd lex illegitimum faciat legitimum non per fictionem, sed secundùm puram veritatem. Et Bald. *In L. Eam, quam C. De fideicommissis* ait: *Legitimatio naturaliter loquendo est veritas formaliter.* Hæc & plura Schurffius, quem si quispiam seu reus, seu actor, seu judex fuerit secutus, nulli culpæ affinis erit; esto hanc doctrinam applicet illis ex damnato toro natis, quos legitimos denuntiâsset quispiam DD. Abbat. Lucellensium intra terminos, quos indicat D. Abbas Bernardinus in sua Epitome Fastorum Lucellensium *fol. 105. n.8.*

AA. Clausula XXIV. *In foro conscientiæ.* 252
Duplex est verus sensus hujus clausulæ; alter, quòd Commissarius debeat in ipso foro pœnitentiæ fungi suo officio, qui sensus mox magis adhuc declaratur. Alter, quòd illa legiti- 253
matio valeat in solo foro conscientiæ, & nil juvet pro foro externo; qui sensus paulò pòst etiam magis exprimitur; ita tamen intelligendus, ut illa proles, quæ nata est ex matre ignorante impedimentum Matrimonii, legitima sit etiam in foro externo, tam quoad temporalia, quàm quoad spiritualia. Sanchez *citat. disp. 34. n.50.* propter rationem allatam *num. 247.* Illa verò proles, quæ nascitur ex utroque parente conscio factæ dispensationis, legitima sit etiam quoad omnia quidem, ut patet ex indicata ratione, non tamen nisi in foro externo, ut ex Brevi liquet.

BB. Clausula XXV. *In ipso actu Sacramentalis Confessionis.* Idest, dum durat Confessio 254
Sacramentalis; censetur autem durare in primis tamdiu, quamdiu non datur vel absolutio, vel pœnitentia, hæc quippe est pars Sacramenti integrans, illa essentialis. Trident.

255 *sess. 14. cap. 3.* & Doctores. Deinde, quia Doctores cum Henriquez *Lib. 6. cap. 21. num. 2.* Tannero *Tom. 4. disp. 6. quæst. 9. dub. 6. n.132.* Joan. Præposito *De Sacram. Pœnit. q. 11. dub. 5. n. 41.* Lugone *De Pœnit. disp. 23, n. 129.* ac novissimè, pérque bene Dicastillo *De Pœnit. disp. 12. n.195.* contra Fagundez *De 2. Præcept. Eccles. L. 6. cap. 4.* ac ferè Dianam *Part. 5. Tract. 11. Resol. 19.* docent, fas esse Confessario, etiam post datam absolutionem loqui cum pœnitente de peccatis paulò antè detectis, si necessarium videatur; eò videlicet, quòd id pertineat ad actûs complementum, ut loquitur Præpositus, & nondum fuerit planè perfectum ministerium Confessionis, ut ait Tannerus, sed adhuc duret judicium Sacramentale, ut exprimit Dicastillo, declarans exemplo Sacerdotis, sumentis post ablutionem, reliquias de novo repertas; idcirco videtur menti Pontificis satisfacturus Confessarius, si statim post datam absolutionem faciat illa, quæ exprimam *n.283.*

256 *CC.* Clausula XXVI. *Non aliter, neque ullo alio modo.* Propter hæc tam emphatica verba, non audeo absque suffragio Doctorum asserere, posse cum illo dispensari, qui ideo non confitetur, quòd non habeat conscientiam peccati mortalis, atque ita etiam judicavit P. Joan. de Dicastillo, quem hisce omnibus scriptis per literas consului super hoc dubio: qui licet visis meis rationibus responderit, posse probabilissimè negari, Confessionem esse necessariam illi, de quo disputavimus *n. 178. & seqq.* attamen subdidit, non carere id difficultate, eò quòd videatur summus Pœnitentiarius velle dispensationem fieri quàm occultissimè, & ita, ut de illa facta non possit ampliùs, ne quidem cum ipso pœnitente lo-

257 qui Commissarius. Confirmatur hæc responsio inde, quòd illa clausula: *Non aliter, nec alio modo*, ita sit præcisiva, ut nec intellectum, nec modificationem recipiat. Alex. *Consil. 3.* apud Illuminatum Moronum *Respons. 46. n.30.* indicétque præcisam necessitatem. Rota apud eundem: atque importet conditionem, qua deficiente sit perinde, acsi nihil esset gestum. Idem Moronus ex Menochio *De Arbitr. Iudic. Cas. 237. n.40.* vel potius 34. qui tamen Menochius præcisè dicit, eà clausulà importari conditionem, & consequenter formam.

258 Quamquam video, posse nonnemini videri probabile, quòd clausula hæc intelligenda sit casu, quo secundùm Leges communes Ecclesiæ, & Christi, adest materia necessaria Confessionis. Sed quidquid sit, ego ut minimum mandarem tali conjugato, ut me in ipso Confessionali conveniret, nec vellem cum illo dispensare, nisi in ipso Confessionali, & quidem non, nisi in ipso Confessionali mihi

dixisset, se revera non esse sibi conscium ullius gravis peccati, nondum in Confessione expositi, quamvis sciat, se utique graviter in Deum deliquisse, præsertim ineundo Matrimonium invalidum. Ratio est, quia sicuti di- 259
xi *n.222.* præcepta particularia explicanda, implendáq; sunt juxta modum universalium; cùm igitur universale præceptum de Confessione annua praxis Ecclesiæ testibus Scoto, Adriano, aliis apud, & cum Laymanno *Lib. 5. Tract. 6. cap. 5. num. 12.* ita explicet, ut qui non habet conscientiam p. m. teneatur saltem in Confessionali id ipsum dicere Confessario, meritò, hoc quod dixi, ut minimùm facerem cum pœnitente per me dispensando; imò in praxi mandarem, ut mihi Sacramentaliter confiteretur aliquod saltem speciale peccatum. Vide circa hoc Ecclesiæ præceptum dicta in hanc rem. Tom. priore. *Tract. 6. n. 282. & 283.*

SVBSECTIO VI.

Reliquæ Clausulæ edisseruntur.

SUMMARIUM.

Forum est triplex. 260.
Dispensatio, vel absolutio in foro conscientiæ *quid significet?* 262.
Quomodo dicatur dispensatio pœnitentiariæ nihil profutura in foro judiciario? 264.
An foret irrita dispensatio, si testes adhiberentur? 265.
Clausulæ: sed præsentibus laniatis, *quomodo satisfiat?* 266.
An posset Commissarius eas apud se retinere ad aliquem usum materialem? 268.
Estne laniatio conditio sine qua non? 269.
Clausula: quas sub excommunicatione latæ sententiæ lacerare tenearis, *quomodo intelligenda?* 270.
An incurrat excommunicationem, qui illas literas restituit Oratori? 274.

DD. Clausula XXVII. *Ita quòd hu-* 260
jusmodi absolutio, & dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragentur. Sanch. *L. 8. De Matrim. disp. 34. n.29.* Lezana *Tom. 3. Verb. Literæ Apostolicæ. n.20.* & alii triplex forum distinguunt; forum Pœnitentiæ, forum Conscientiæ, forum Externum, seu Judiciale. Forum 261.
Pœnitentiæ est idem, quod Sacramentale, forum Conscientiæ est id, quod & quatenus opponitur foro Externo. Ut proinde forum internum sit genus ad forum *Pœnitentiæ*, & *Conscientiæ*, atque adeò quando aliquid dicitur valere, aut faciendum esse in foro interno, non sit sensus, valere, vel faciendum esse in

foro

foro pœnitentiæ, sed ex subjecta materia di-
262 judicandum veniat. Sicuti quando dicitur aliquam absolutionem, dispensationem &c. dandam esse in foro conscientiæ, non est iste directus sensus, quòd debeat dari in Confessione, sed ex circumstantiis dijudicandum est, an non sufficiat, si detur præcisè in foro non judiciali, non externo; potest autem utique dari in foro non externo, seu non judiciali, etiamsi non detur in foro pœnitentiæ.

263 Et quia odia sunt restringenda, favores ampliandi, in pœnis benignior interpretatio sequenda, in dubiis benigniora præferenda; idcirco quando Bullæ Pontificiæ loquuntur de foro conscientiæ, aut de foro interno, non sunt eæ Bullæ restringendæ ad forum Sacramentale, nisi materia exigat &c. sicuti etiam in Tract. de Jubil. *cap.* 35. dum explicarem facultates Jubileas absolvendi à censuris *in foro conscientiæ tantùm*, observavi *n.* 277. si omittatur illa particula *tantùm*, absolutionem valituram in foro quoque externo.

264 Cæterùm, cùm in nostro Brevi statuitur, ut dispensatio nullatenus suffragetur in foro judiciario, seu contentioso, atque adeò externo, sensus est, si fortè innotescat impedimentum, velitque judex Ecclesiasticus, vel sæcularis contra hosce conjuges, tanquam contra incestuosos, & contra prolem tanquam spuriam procedere, ejusmodi processui frustra omnino objectum iri dispensationem, quandoquidem ea tam parùm possit retardare illum processum, quàm si nunquam fuisset obtenta. Siquidem vocula *nullatenus*, qua utitur Pœnitentiaria, importat universalitatem, & excludit omnem casum. Lezana *Tom.* 3. *Verb. Dilio. n.* 25. ex Tusco, & Peirinis.

265 *EE.* Clausula XXVIII. *Nullis super his testibus adhibitis &c.* Non solùm est hic sensus, quòd non oporteat adhibere ullos testes &c. sed quòd oporteat non adhibere; ita, ut graviter delinqueret Commissarius, si vel testes adhiberet, vel literas daret, vel processum conficeret. An verò foret tunc irrita dispensatio, non exprimunt auctores. Puto non fore irritam, quia etiam non erit irrita, si non lanientur literæ, ut mox patebit, cùm tamen laniatio æquè imperetur, ac prohibetur adhibitio testium.

266 *FF.* Clausula XXIX. *Sed præsentibus laniatis &c.* Dubitatur hic primò, *quid intelligatur per laniationem.* Secundò, *an laniatio sit conditio, sine qua non valeat dispensatio.*

267 Ad primum respondeo, per laniationem intelligi omnem illam corruptionem literarum, per quam fiat, ut eæ non possint esse amplius usui pro foro externo. Hanc explicationem etsi nemo adfert, sed omnes dicunt simpliciter, eas literas esse laniandas, seu lacerandas; inde tamen illam confirmo, quòd sicut scire Leges, non est earum verba tenere, sed vim ac potestatem *L. Scire. ff. De Legib.* ita explicare prudenter Leges, non sit earum Grammaticalibus inhærere, sed intentioni legislatoris insistere; cùm intelligentia dictorum ex causis sit assumenda dicendi. *Cap. Intelligentia. De Verb. signif.* Adde, quòd Filliucius *Tract.* 10. *Part.* 2. *cap.* 10. *n.* 357. expressè doceat, posse à Confessario apud se retineri eas literas ad aliquem usum materialem. Itaque sufficienter ad intentionem Pœnitentiariæ laniabit eas literas, qui lacerabit per medium, aut lituras inducet, aut comburet, aut solum sigillum auferet, singuli enim horum modorum sufficiunt ad impediendum, ne prosint in foro externo. 268

Ad alterum dubium dico, laniationem præ- 269
dictam non esse conditionem sine qua non valeat dispensatio. Sanchez *Lib.* 8. *disp.* 38. *n.* 4. Filliucius *loc. cit.* Bonacina *De Leg. disp.* 1. *q.* 2. *num.* 16. & Lezana *Tom.* 3. *Verb. Literæ Apostolicæ. n.* 33. qui citat etiam Portellum *in Summa Verb. Confessor aperiens Literas Apostolic. n.* 12. Ratio est, quia satis apparet ex ipso textu, non esse aliam mentem Pœnitentiariæ, quàm ut eæ literæ non suffragentur in foro externo.

GG. Clausula XXX. *Quas sub pœna excommu-* 270
nicationis latæ sententiæ laniare tenearis. Hæc pœna non exprimitur in exemplari Sanchezii, aut Lezanæ; testantur tamen tum hi, tum Filliucius, atque Bonacina, etiam suo tempore fuisse quandoque solitam apponi eam pœnam. Ex quo colliges, peccaturum mortaliter Confessarium, si non laniaret literas uno ex indicatis modis *n.* 268. Ratio est, quia ma- 271
jor excommunicatio, præsertim latæ sententiæ, non infertur, nisi propter contumaciam mortaliter malam. Navarrus *cap.* 27. *num.* 9. Cajetanus *In Summa Verb. Præcepti transgress.* & alii communiter cum Laymanno *L.* 1. *Tract.* 5. *Part.* 2. *cap.* 5. *n.* 1.

Sicuti etiam tunc indicatur aliquid sub 272
mortali præcipi, vel vetari, quando dicitur: *Qui secùs fecerit, sciat se indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli incursurum.* Lezana *Tom.* 3. *Verb. Clausula. n.* 34. & 35. ex Naldo. Quapropter dum Filliucius *n.* 268. relatus ait, eas posse asservari à Confessario in usum materialem, intelligendus est de iis corruptis per avulsionem sigilli, cancellationem &c.

HH. Clausula XXXI. *Ita ut nullum earum* 273
exemplum extet. Authenticum scilicet, seu ejusmodi, quo in foro externo posset probari data dispensatio. Itaque nil adversus hanc dispositionem ago, dum hoc in libro describo exemplar dispensationis Româ Missum. Rationem hujus expositionis desumes ex paulò antè dictis.

II. Clau-

274 *II.* Clausula XXXII. *Neque eas Iutori restituas.* Integras videlicet; alioquin graviter peccaturum puto. An verò etiam excommunicationem incursurus esset restituendo, non satis video, quia ex una parte in pœnis benignior interpretatio est sequenda, proindéque pœna excommunicationis non extendenda
275 ad actiones ullas, nisi cogat ratio. Ex altera autem parte clausula posita in quacunque parte dispositionis afficit reliquas partes. *Cap. Requiris* 2. *De Appellation.* & Doctores *Ibid.* saltem si omnium partium eadem sit ratio. Sanchez *L.* 8. *De Matrim. disp.* 34. *n.* 30. sicuti est hic. Et idcirco duplicem excommunicationem meo judicio incurret, qui & illas literas integras servârit, & oblata, per accidens, occasione, easdem dederit illi, cum quo dispensavit.

276 *KK.* Clausula XXXIII. *Quodsi restitueris, nihil ei præsentes literæ suffragentur.* Puta in foro externo, seu judiciali; suffragabuntur enim nihilominus in interno. Sanchez *cit. disp.* 34. *n.* 42. quem sequuntur Bonacina *cit. q.* 2. *p.* 2. *n.* 16. Reginaldus *cit. Lib.* 31. *num.* 218. Lezana *Verb. Literæ Apostolicæ. n.* 33.

SVBSECTIO VII.

Nonnullæ quæstiones circa præcedentia elucidantur.

SUMMARIUM.

An is, cum quo dispensatum est à pœnitentiaria, posset Matrimonium alterum inire post mortem uxoris, pro cujus conjugio petiit dispensationem? 277.

Quid designet Clausula: Gratis ubique? 279.

Quenam circumstantiæ, seu conditiones exprimendæ sint, quando supplicatur pro dispensatione Matrimoniali in foro conscientiæ? 280. *& seqq. ex Filliucio.*

Quomodo doctrinæ traditæ superioribus sectionibus sint practicandæ? 286. *& seqq.*

Refertur casus subreptitiæ dispensationis Matrimonialis pro foro externo. 290.

Illa dispensatio ideo fuit subreptitia, quòd sponsi fuerint juncti secundo quidem gradu consanguinitatis æquali, affinitatis autem secundo cum primo, & tamen in literis Romanis exprimebantur, eos esse junctos secundo gradu cognationis, & affinitatis æquali. 291.

Demonstratur, aliquos posse esse junctos gradu affinitatis primo cum secundo. Ibid.

Bonacina malè resolvit quemdam casum supparem nostro, idcirco quòd non legerit motum proprium Pii V. 294.

Pius V. declaravit, quòd nunquam dispensare intendat cum illis, qui quoquo modo attingunt primum gradum. 294.

Fuit postmodum in nostro casu petita nova dispensatio, impositáque nova multa. 295.

Quæres I. *An is, cum quo dispensavit Con-* 277
fessarius, si sit superstes suæ uxori, possit aliam ducere?

RESP. Asserit quidem Filliucius *Tract.* 10. *cap.* 10. *n.* 362. talem moneri debere à Confessario, ut si supervixerit, maneat sine spe conjugii. At in nullis Brevibus, in nullo alio authore id expressum reperio. Quare judico, licere ipsi transire ad secundas nuptias; etenim tanta pœna non est asserenda sine expresso jure. Aliud dicerem de eo, cum quo dispensa- 278
tum est circa votum perpetuæ castitatis, vel Religionis, quia solet in Brevi exprimi, eam dispensationem nihil prodesse pro secundis nuptiis.

Quæres II. *Quid designet illa Clausula, quæ in* 279
tergo Literarum S. Pœnitentiariæ ponitur, videl. Gratis ubique.

RESP. Designat, ne quidem pro ipso labore posse Officiales Pœnitentiariæ, Commissarium, seu Executorem Bullæ quidquam, licèt sponte oblatum admittere. Lezana *loc. cit. n.* 34. Putat tamen Perez *De Matrim. disp.* 48. *sect.* 2. *n.* 6. quem describit Diana *Part.* 8. *Tract.* 3. *Resol.* 111. non vetari generatim ejusmodi clausulâ, quò minùs admittantur esculenta, & poculenta; verùm testatur idem Diana, hanc sententiam refelli à Garzia. Vide, quòd in Thesauro Indulg. *Part.* 2. *cap.* 16. *q.* 46. seu superiore *Tract.* 4. in hanc rem dixi, dum explicavi, in quo sensu illæ Indulgentiæ dicantur nullæ, pro quibus aliquid accipitur.

Quæres III. *Quænam circumstantiæ, seu acci-* 280
dentia sint necessariò exprimenda ab eo, qui petit à S. Pœnitentiaria pro se, vel alio dispensationem ineundi Matrimonii, seu manendi in illo?

RESP. Verbis P. Vincentii Filliuc. *Tom.* 1. *Moral. Quæstion. Tract.* 10. *Part.* 2. *cap.* 10. *n.* 351. & ideo ejus verbis, & ex mente, quòd ipse fuerit multis Annis functus officio Pœnitentiarii ad S. Petrum, ideóque peritior quàm plurimi alii, styli, seu praxis, & usûs. Sic ergo ipse in rem præsentem scribit loco citato.

Primò in dispensatione affinitatis de con- 281
trahendo quatuor exprimenda sunt. Primum, „
an sit secretum impedimentum, & quomodo. „
Secundum, an sequantur scandala, nisi con- „
trahant, & unde; v. g. quia habitus sit tracta- „
tus de Matrimonio, secuta sit sponsio à con- „
sanguineis, parentibus, amicis. Tertium, an „
subsit periculum vitæ, infamiæ, & unde. Quar- „
tum, an impedimentum sit utrique parti no- „
tum, an solùm uni. „

Secundò in dispensatione affinitatis de con- 282
tractu exprimenda sunt sex. Primum, an sit „
con-

» contractum ſervata forma Concil. Tridentin.
» Secundum, à quot Annis contractum. Tertium,
» an extent filii, quorum etiam peti debet legi-
» timatio. Quartum, an impedimentum ſecre-
» tum ſit, vel ſaltem jus ignotum, quod ſcilicet
» tale impedimentum dirimeret. Quintum, an
» ſecutura ſint ſcandala ex ſeparatione, & ne-
» queant abſtinere à copula. Sextum, an alter,
» vel uterque ſit in bona fide.

283 Tertiò in diſpenſatione cognationis ſpiri-
» tualis de contrahendo exprimi ſolent potiſſi-
» mùm quatuor. Primum, à quot Annis ſit con-
» tracta cognatio. Secundum, unde oriatur? ex
» Baptiſmo, an ex confirmatione? & an ſit in
» primo, vel ſecundo gradu, hoc eſt, Baptizan-
» tis, vel ſuſcipientis cum Baptizato, vel ſuſce-
» pto, an Baptizantis, vel ſuſcipientis cum pa-
» tre, aut matre Baptizati, vel ſuſcepti. Tertium,
» quomodo ſit ſecreta, cùm deſcribi ſoleant in
» codice nomina eorum, qui Baptizant, vel ſu-
» ſcipiunt &c. & in natura ſua publicum ſit im-
» pedimentum. Quartum, quæ & quomodo
» ſcandala immineant, infamia, & pericula mor-
» tis, niſi Matrimonium contrahatur.

284 Quarto in diſpenſatione conſanguinitatis,
» ſed occultæ aliquando diſpenſat etiam Sacra
» pœnitentiaria, ut plurimùm enim quia publi-
» ca eſt, pertinet ad Datariam. Primò ergo ex-
» primendus eſt gradus: nam ſi ſit primus, vel
» ſecundus, non eſt facultas in pœnitentiariâ.
» Secundò à quanto tempore ſit contractum:
» nam diſpenſatio de contrahendo non datur
» in pœnitentiaria. Tertiò, quomodo occul-
» tum, cui venerit in notitiam, & qua ratio-
» ne. Quartò, an adſint pericula ſcandalo-
» rum, ſi petatur diſpenſatio in Dataria, & quo-
» modo.

285 Quintò, in diſpenſatione impedimenti cri-
» minis, adulterii cum machinatione, hæc ex-
» primenda. Primò, an contractum ſit in facie
» Eccleſiæ, & ſervata forma Tridentini. Secun-
» dò, à quo tempore. Tertiò, quomodo ſit oc-
» cultum. Quartò, an ſecutura ſint ſcandala ex
» ſeparatione, & quæ, quáve ratione. Quin-
» tò, an fuerit altero tantùm, an verò utroque
» machinante, & ſeries facti exponenda cùm
» ſuis circumſtantiis, ut verè patratum eſt.
» Sextò, an ſint filii, & petatur eorum legitima-
» tio.

286 Hæc eadem reſpectivè proponuntur in con-
» trahendo, excepto enim primo, & ſecundo
» puncto, reliqua uſque ad ſextum excluſivè
» etiam in eo exprimi debent.

Denique in impedimento adulterii cum fide data, eadem exponenda. Hactenus Filliucius.

Quæres IV. *Quomodo doctrinæ traditæ ſuperioribus ſectionibus ſint uſurpandæ?*

RESP. Hoc modo: Ubi ex tuo pœnitente intellexiſti, eum cupere omni, qua fas eſt, ratione, ſuum irritum Matrimonium revalidare, quære, an poſſit ſine ſcandalo facere ſeparationem, aut vivere continenter cum uxore putatitia; ſi alterutrum poteſt, dic, fruſtra petitum iri diſpenſationem. Sin expenſis rationibus, quas adfert, judicas neutrum poſſe fieri, offer tuam operam ad impetrandam ex Urbe diſpenſationem, quam facilè impetrabis per aliquem ex Religioſis Ordinibus Mendicantium, qui tuas literas debitis Clauſulis conſtantes mittet ad unum è Patribus Pœnitentiariis Romanis, de quibus ſuprà *n.* 91. & jubebis interim, dum veniat reſponſum, ut pœnitens abſtineat copula conjugali &c.

Accepto Brevi diſpenſationis, ſignificabis 287
illi, habere te, de quo ipſi loquare; ipſo præſente literas aperies, ſi habeas qualitates requiſitas, iſque ad id munus te eligat; expones illi deinde omnes clauſulas, eum concernentes, quæres, & an vera ſint, quæ illic aſſeruntur, & an præſtare velit, quæ injunguntur. Si his interrogatis deprehendas defectum neceſſariæ conditionis, cave ne diſpenſes, ſi verò comperias denique adeſſe omnia requiſita (credas autem aſſerenti ſine teſte, ſine juramento, dummodo contrarium tibi non conſtet aliunde. Perez *diſp.* 48. *ſect.* 5. *n.* 9. Salas *De Legib. diſp.* 20. *ſect.* 10. *n.* 97.) jube eum aut mox, aut paulò pòſt confiteri tibi.

Audita Confeſſione commonefac, ſi opus 288
eſt, de fugienda occaſione peccandi cum ſorore uxoris: impone tum pœnitentiam, quam merentur ejùs peccata, tum Confeſſionem per totam vitam ſingulis menſibus, vel bimeſtribus &c. peragendam; impoſita illa Confeſſione declara, ejus prolem eſſe legitimam, da abſolutionem à cenſuris, tum à peccatis more quotidiano, & poſtremo literas diſpenſationis lania. Si tamen obliviſcereris dicere, prolem eſſe legitimam, nil obeſſet, quia colliges ex dictis *num.* 253. eſſe jam ex alio capite legitimam.

Claudo prolixum hoc caput reſolutione 289
Caſus multùm agitati, dum operas Typographicas occupabat noſtra Theologia Experimentalis, ad cujus Tractatus noni Caſum, ſeu caput XXII. retuliſſem illum eventum, ſi fuiſſet mihi priùs compertus, non eſt tamen alienum ab hoc loco eum diſcutere, quandoquidem etiam hìc indicavimus, quænam ſint exprimenda in libello, quo petitur diſpenſatio in impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis.

Eſt autem ille Caſus hujuſmodi.

Horatius viduus volens jungere ſibi Matrimonio Æmiliam, ſuæ defunctæ uxoris Calphurniæ neptem ex ſorore Lucretia, junctam autem ſibi ſecundo conſanguinitatis gradu, ſupplicat Sedi 290

Sedi Apoſtolicæ pro diſpenſatione, narrans, Æmiliam eſſe ſibi junctam ſecundo gradu conſanguinitatis, & affinitatis æquali; quam proinde diſpenſationem impetravit cum clauſula: Quæ, ut aſſeris, ſecundo gradu conſanguinitatis, & affinitatis æquali tibi juncta eſt. *Hoc Breve diſpenſationis exhibetur exequendum Rever. Dn. Officiali Conſtantienſi. Reſpondet hic, diſpenſationem eſſe ſubreptitiam, cùm Horatius, & Æmilia ſint in ſecundo cum primo: mirantur aliqui etiam Theologiæ perquam periti hanc & reſponſionem, & reſponſionis rationem.*

Quare rogor tam literis, quàm coràm, ut ſi qua probabili ratione poſſim tueri valorem illius gratiæ, tuear; cùm ex una parte Dominus Commiſſarius ſit gravem ob cauſam (erant enim jam aliquot millia florenorum expenſa in ipſam diſpenſationem, inque præparationem epuli Nuptialis) paratus ſtare meo judicio, ex altera parte, ego ipſe in prima parte Alphabeti Matrimonialis (quod nunc effecit nonum Tractatum mearum Experientiarum) Caſ. 16. n. 401. *non obſcurè doceam, ſimiles Horatio, & Æmiliæ exiſtere in ſecundo gradu affinitatis. Proferebatur etiam authoritas Bonacinæ, qui* diſp. 1. De Leg. q. 2. p. 5. n. 18. *refert Caſum ex parte ſimilem huic noſtro, & de eo interrogatus reſpondet, fuiſſe ſatisfactum, ſi in petitione facta fuit mentio ſolius ſecundi gradus.*

291 Mihi tamen viſum fuit, nulla probabili ratione poſſe defendi valorem prædictæ diſpenſationis. Ratió fundamentalis eſt, quia interceſſit verè, propriéque dicta ſubreptio, expreſſióque falſi in circumſtantia pertinente ad valorem diſpenſationis. Etenim fuit in precibus expreſſum, ut retuli, illos duos ſponſos eſſe in ſecundo, eóque æquali gradu affinitatis, cùm tamen ſint in inæquali, id eſt in ſecundo cum primo, quod ſic demonſtro. In quo gradu eſt aliquis conſanguineus uxoris, in eo eſt affinis mariti, ut refero *cit. n.* 401. ex indubitato ſenſu omnium; atqui Æmilia fuit etiam in primo gradu conſanguinea defunctæ Calphurniæ. Quia in eo gradu conſanguinitatis ſunt junctæ duæ perſonæ, in quo diſtant à communi ſtipite. DD. omnes ex quorum ſenſu ſtatui hanc Regulam in *cit. Tract. Caſ.* 7. *n.* 159. atqui Calphurnia diſtabat uno ſolum gradu à ſuo patre, qui eſt ſtipes communis ipſi cum Æmilia.

292 Non obſtat I. quòd illam Regulam ſtatuerimus ibi pro collocatis in linea æquali, Calphurnia vero, & Æmilia ſint, ſeu fuerint in inæquali. Etenim ſicuti duo collocati in linea æquali ſunt conſanguinei in eo gradu, in quo uterque diſtat à communi ſtipite, ita poſiti in inæquali, revera ſunt in iis gradibus, in quibus diſtant à communi ſtipite, quandoquidem gradus conſanguinitatis eſt à parte rei diſtantia à communi principio; conſequentur tantus, talíſque eſt gradus, quanta, qualíſque diſtantia à communi ſtipite.

Non obeſt II. quòd ego ipſe ex communi 293
ſcribam ibidem abſolutè *n.* 161. in linea tranſversa inæquali tot gradibus à ſe diſtare duos homines, quot gradibus diſtat à communi ſtipite ea perſona, quæ eſt remotior; etenim iis verbis non nego abſolutè, & univerſaliter, quin etiam diſtent tot gradibus, quot propinquior diſtat ab eodem ſtipite, unde & expreſſè ſubjicio, *juxta Stylum Curiæ Romanæ dici, aliquos eſſe junctos in primo gradu cum ſecundo*; igitur tantùm volo indicare, in ordine ad valorem Matrimonii attendi regulariter (quando ſcilicet non eſt petenda diſpenſatio pro primo gradu) remotiorem gradum, at caſu, quo petitur diſpenſatio, remitto me *n.* 161. *ad n.* 620. ubi propono Caſum junctorum ſecundo, & tertio gradu, & in literis facientium mentionem ſolius tertii.

Authoritas Bonacinæ idcirco me non mo- 294
vit, quòd certum ſit, non fuiſſe ab eo vel lectum, vel fideli memoriæ mandatum illum totum proprium motum B. Pii V. cujus mentionem facio in eodem *Tract.* 9. *n.* 622. & qui extat in Bullario Cherubini poſitus pro decima tertia Bulla ejuſdem Pontificis; Etenim in illo Motu locutus Papa expreſſè de conſanguineis, & affinibus ſupplicantibus pro diſpenſatione ſubdit in terminis: *Dummodo primum quoque modo non attingat; cùm in eo Sanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat.* Ergo non rectè reſpondit Bonacina, B. Pium V. in eo Motu proprio, edito Anno 1566. incipiente: *Attendens*, declarâſſe, non requiri expreſſionem primi gradûs. Adde, quòd Bonacina teſtetur, nihil falſum fuiſſe expreſſum in caſu, qui propoſitus fuit ipſi; atqui in noſtro caſu fuit falſò narratum, ſponſos illos eſſe junctos in gradu æquali. Ergo etiam ex hoc capite fruſtra allegatur authoritas Bonacinæ. Etenim & facto mutato mutatur jus. *L. Si is. De excuſat. tutor.* Albericus *in L. Si ex plagis. §. In clivo. ff. Ad Leg. Aquil.* etiamſi mutatio facti modica fuerit. Albericus *Ibid.* & ſecundùm diverſitatem factorum diverſum redditur Conſilium. Baldus *Conſil.* 12. *Vol.* 2. Bellonus *Conſ.* 5. Borcholten *Conſil.* 7. *fol.* 78. His intellectis 295
petita, impetratáque fuit, non ſine nova, ſed moderata mulcta, nova diſpenſatio.

L. 3.

COMMUNIUM LIBERORUM PARTE.

CAPVT XXXVIII.

Cujus expensis, & ubi alendi sint liberi post divortium.

SUMMARIUM.

Facto divortio proles est per se loquendo alenda apud patrem. 1.
Aliquando tamen etiam apud matrem. Ibid.
Quando mater dedit causam divortio, liberi sunt alendi ejus expensis. 3.
At non ante sententiam judicis. 4.
Quando duo ineunt contractum sub conditione pœnali, is, qui non stat conditioni, non tenetur ante sententiam judicis pendere pœnam conventam. 5.
Contractus particulares censentur fieri secundùm modum communium. 6.
Quid si divortium fiat utriusque culpa, consensuve? 7.
Parte nocente non habente unde alat prolem, quis nutriet? 8.
Qui vocentur Parentes, *qui verò* Majores? *Ibid.*
Alendi sunt liberi apud partem innocentem per se loquendo. 9.
Quid si pars nocens sit fidelis, innocens infidelis? 11.
Quid si pars innocens non sit idonea? Ibid.
Quid si pauper? 12.

1 QUæres I. *Cujus expensis alendi sint liberi, postquam factum est divortium?*

RESP. Id patere ex Authent. *Si Pater Cod. Divortio facto,* & Authent. *Vt liceat matri & aviæ. §. Illud collat.* 8. ubi sic statuitur: *Si pater divortii causam præstiterit, apud matrem, ad secundas nuptias non venientem liberi nutriantur patris expensis; si verò contrà, tunc apud patrem, matris locupletis expensis, nisi pater minus idoneus sit, tunc enim apud matrem locupletem nutriantur.* Hactenus *cit. Authent. Si Pater*, quæ ferè iisdem verbis habentur *cit. §. Illud.* Circa hanc Sectionem noto breviter sequentia.

2 I. Prædictam legem, quatenus decernit, cujus expensis alenda sit proles, observandam esse sicuti sonat, cùm sit, ut sic, valde con-
3 formis rationi. II. Proinde quando mater dedit causam divortio, alendos esse ejus expensis filios, etiam postquam fuerint egressi primum triennium, Sanchez *L.* 10. *De Matrim. disp.* 2. *n.* 7. Palaus *De Matrim. seu sponsalibus. disp.* 3. *p.* 6. §. 8. *n.* 5. Laymannus *L.* 5. *Tract.* 10. *Part.* 3. *cap.* 7. *n.* 15. contra nonnullos. Ratio est, quia lex, quam descripsi, est pœnalis, ergo imperat matri nocenti plus, & etiam patri nocenti plus, quàm de jure communi teneantur; atqui de jure communi tenetur mater usque ad primum triennium alere prolem. *Suprà cap.* 28. *n.* 14. & pater postea; ergo in pœnam sui delicti oportet, ut mater, quæ divortio causam dedit, alat liberos etiam majores triennio, & similiter nocens pater alat minores triennio. Utrumque fiet primùm post sen- 4
tentiam judicis, quia, ut dixi, hæc lex est pœnalis, lex autem pœnalis imperans aliquem actum non obligat ante sententiam judicis, saltem declaratoriam. Lessius *Lib.* 2. *De Iustit. & Iur. c.* 29. *dub.* 8. ex communi, & nominatim de hoc nostro casu tradunt Palaus, & Sanchez.

Unde breviter inferes, quando duo inie- 5
runt contractum sub conditione pœnali, illum, qui non stat contractu, non obligari ad multam pendendam ante judicis sententiam. Sanchez *Lib.* 1. *De Matrim. disp.* 37. *n.* 4. Palaus *De Legibus. disp.* 2. *p.* 3. *n.* 4. cum aliis contra Lessium *loc. cit. c.* 20. *dub.* 15. Laymannum *Lib.* 1. *Tract.* 4. *c.* 15. *n.* 7. & alios. Etenim con- 6
tractus particulares censentur fieri secundùm communem rationem legum, nisi aliud exprimatur. Palaus, & Sanchez *ll. cc.* favente *cap.* 3. *Ex Literis. De Constitution.* Nam actus præsumitur factus secundùm ejus naturam. Menochius *De Præsumptionibus. Lib.* 6. *Præsumpt.* 10. *per totam.*

III. Si divortium fiat utriusque culpa, vel 7
mutuo consensu, servandum est jus commune circa educationem prolis, quod habetur. *L. Nec filium. Cod. De patria potestate.* & quod explicui *cap.* 28. *sect.* 2. Sanchez *cit. disp.* 20. *n.* 10. Palaus *cit.* §. 8.

IV. Si pars nocens non habeat, unde alat 8
prolem, onus alendi transit in ascendentes partis nocentis. Nam *in cit. Authent. Si Pater & cit. §. Illud* expressè dicitur, id quod statutum fuit de alendis liberis, valere debere in omnibus ascendentibus. Porrò inter ascendentes pater, & reliqui usque ad tritavum vocantur Parentes, Superiores his nominantur Majores. Federicus Schenck *Tract. De testib. n.* 24.

Quæres II. *Vbi sint alendi liberi post divor-* 9
tium?

RESP. Alendi sunt apud partem innocentem per se loquendo. Patet ex verbis Authent. *Si Pater* descriptis *n.* 1. tametsi jure antiquiore, quod exprimitur. *L. Vnica. Cod. Divortio facto,* in judicis arbitrio situm fuerit decernere, utrùm apud patrem, an apud matrem essent nutriendi.

Excipe à responsione. I. Nisi pars nocens 10
sit fidelis, & innocens infidelis, videlicet hæresi,

resi, aut alio errore infecta. Text. *Cap. fin. De Conversion. infid.* Silvester *Verb. Filii.* videlicet ne proles ad infidelitatis errorem adducantur. Text. *cit. cap. fin.*

11 Excipe II. Nisi pars innocens non sit idonea ad prolem educandam. Innuitur cit. Authent. *Si Pater.* tradúntque allegati Doctores, & ratio est, quia hac in re maximè spectandum est id, quod soboli convenit, & conducit.

12 Excipe III. Nisi pars innocens sit pauper, nocens autem locuples; tunc enim etiam apud partem nocentem ali debere prolem tradunt auctores hoc capite nominati, nam ita indicatur *cit. Authent. Si Pater, & cit. §. Illud.* Rationem hujus sanctionis non adferunt ii Doctores. Ego censeo hanc esse, quia licèt maritus adulter, v. g. suppeditaret, sicuti ex suprà dictis tenetur, omnia necessaria alendis, vestiendísque filiis apud matrem innocentem commorantibus, si tamen mater sit pauper, timendum esset, ne data in sustentationem fi-
13 liorum ipsa in suos usus converteret. Ex his apparet, potuisse fieri, ut Elpidia in Accusatione Canonica *lit. L.* 3. jure petierit dimidiam partem liberorum communium relinqui sibi; si enim fuit instructa honestis facultatibus, poterat juxta dicta ex sex communibus li-
14 beris petere duos, tres, vel quatuor. Imò quia introducitur Sulpitius præditus tam perversis, asperis, crudelibus moribus, poterat ea omnes liberos petere, esto esset ipsa pauper, quia satius est, liberos apud pauperem matrem, quàm apud improbum, sævúmque maritum educari. Atque ita resolvit Joan. Borcholten *Consil.* 16. in specie facti, atque in exemplo mariti sævi, ebriosi, similíque nostro Sulpitio Merulæ, ut retuli, descripsíque suprà *cap.* 34. *n.* 46. *& seqq.*

Quid si maritus præstet cautionem de non amplius sæviendo? 4.
Quid si uxor dedit sola causam divortii? 5.
Et in hoc casu maritus habeat adhuc docem uxoris? 8.
Quid si illa non separavit se propria authoritate, sed vir illam justè repulit à se? 9. & 10.
Maritus nequit negare alimenta uxori, quæ sua culpa lepram contraxit. 11.
Quid de alimentis dicendum, quando divortium contigit culpa utriusque conjugis? 13.
Quid denique si contigit absque culpa tam viri, quàm mulieris? 14.

QUæres I. *Cujus sumptibus alenda sit uxor, quæ ob mariti culpam separavit se ab illo?*

RESP. Ipsius mariti, esto nullum commo- 1
dum, aut obsequium accipiat tunc ab uxore. Sanchez *Lib.* 9. *disp.* 4. *n.* 22. Reginaldus *Lib.* 20. *n.* 46. Bonacina *in* 4. *Præcept. Decalogi d.* 6. *q. Vnic. p.* 7. *n.* 3. Ratio est, quia marito incumbit per se obligatio alendæ uxoris, ut declaratum est *cap.* 28. *sect.* 1. hac autem obligatione non exsolvitur per id, quòd ab uxore nō accipiat ullum obsequium; quandoquidem debet ipse sibi imputare, cùm ipse sit in causa. *Cap. Damnum. De Reg. Iuris in* 6.

Et quamvis tres citati Doctores hanc doc- 2
trinam non exemplificent, nisi per exemplum sævitiæ, ob quam uxor recessit à viro, quia tamen expressè dicunt, generatim maritum obligari alere uxorem, quæ ab eo recessit culpa ipsius, & Laymannus *Lib.* 5. *Tract.* 10. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 2. ac Palaus *disp.* 3. *De sponsalibus, seu Matrimonio. p.* 5. §. 2. *n.* 3. differè exprimunt, maritum ad id obligari, quando uxor ab eo propter ipsius sævitiam, vel *aliam ejus culpam* recessit, censeo esse intelligendos de omnibus culpis mariti, ob quas *cap.* §2. 33. 34. dixi, permissum esse divortium, tum quia, si loquamur de periculo animæ, palàm est, rationem quam attuli, æquè valere, atque quando fit separatio ob periculum sævitiæ; si verò loquamur de separatione ob adulterium, licèt fatear, 3
eam rationem non ita urgere, quandoquidem mariti adulterium non cogit uxorem ad divertendum. Quia tamen, sicuti dixi, autho- 3
res generatim loquuntur de separatione ob culpam mariti, & propriè dici potest esse causa hujus divortii, quandoquidem dat causam sufficientem, esto non det necessariam, idcirco est illa doctrina extendenda etiam ad istum casum.

Observat autem Bonacina post Sanchez 4
loc. cit. num. 24. si uxor, quæ ob sævitiam mariti separavit se, renuat redire etiam post datam sufficientem cautionem, tunc desinere obligationem alendi ipsam. Ratio est, quia tunc uxor est in culpa secundùm dicta *cap.* 34. *sect.* 3.

M. 3.

QVO SE, SVOSQVE SVSTENTET.

CAPVT XXXIX.

A quo alenda uxor facto divortio?

SUMMARIUM.

Vxor alenda est à marito, quando hic dedit causam divortii. 1.
Etiamsi dederit causam alia ratione, quàm per sævitiam. 2.

5 Quæres II. *Quid hic pronuntiandum, cùm separatio contigit ob culpam uxoris?*

RESP. Aut contigit ob solius uxoris culpam, aut ob utriusque? Si ob solius uxoris culpam, tum maritus liber est obligatione eam alendi, quia, qui non facit quod debet, æquum est, ut non recipiat, quod oportet. Argum. *L. Si ea. Cod. De condit. insert.* si videlicet sua culpa non faciat id, quod debet facere. Atqui uxor in isto casu, sua culpa non facit, quod debet; non enim reddit debitum conjugale, cùm supponatur, factum esse di-
6 vortium quoad torum etiam. Et quamvis esset factum divortium quoad solam cohabitationem, quia tamen ut sic non præstat viro obsequia, quæ tamen præstare tenetur juxta *Cap. Hæc Imago 33. q. 5.* ideo etiam ut sic non de-
7 bentur illi alimenta. Porrò si ejusmodi uxor statim redeat ad maritum, non censebitur fecisse ullum divortium; nam in Brevi reversa uxor nec divertisse videtur, inquit appositè Paulus JC. *L. Quidquid calore. ff. De Reg. Iur.*

8 Amplia I. principalem responsionem ad casum, quo maritus habet dotem ab illa uxore. Námque licèt maritus dotem ab uxore accipiat eo fine, ut hanc ipse alat. *Suprà cap. 28. n.4.* quia tamen ipsam uxorem ideo accepit, & duxit, ut ea sibi præstaret officia, obsequiáque conjugalia. *cit. Cap. Hæc Imago.* ideo maritus habet sufficientem rationem negandi ipsi alimenta. Sanchez *loc. cit. n. 21.* Bonacina *loc. cit.* post Surdum.

9 Amplia II. probabiliter ad casum, non solùm quo uxor separat se propria temeritate, seu sponte à marito, prorsus innocente, sed etiam quo maritus illam à se expulit ob adulterium, hæresin &c. Sanchez *Lib. 10. disp. 8. n.25.* Palaus *loc. cit.* post Abbatem, Sotum, & alios; eò quòd non possit adferri jus ullum positivum, aut naturale, quòd in hoc casu obliget maritum ad uxorem sustentandam. Quin potiùs, sicuti maritus potest adulteram privare omni jure maritali, potest etiam alimentis, inquit Bonacina *De Contractibus disp. 3. q. 11. p. 11. n. 14.*

10 Videtur tamen opposita sententia, quam Clarus *Recept. sentent. Lib. 5. §. Adulterium n.17.* sequitur, & esse communem Canonistarum testatur, valde probabilis, saltem in eo casu, in quo dos uxoris adjudicatur ipsi propter uxoris adulterium. Ratio est, tum quia onus alendæ uxoris annexum doti non definit hîc urgere, quandoquidem non uxor ipsa adultera, sed vir est propriè causa, cur adultera
11 non præstet ipsi officia. Tum quia ipsemet Sanchez *cit. Lib. 9. disp. 4. n.23.* & Bonacina *in 4. Præceptum Decalogi. disp. 6. quæst. Vnic. punct. 7. n.3.* rectè negant, posse à marito negari alimenta uxori, quæ sua culpa vel lepram contraxit, ob quam prævidebat, se à marito rejectum iri, vel in perpetuum carcerem conjecta est, eò quòd culpa illa uxoris non tendat directè ad separationem habitationis, sicuti quando uxor propria temeritate recedit à marito, inquit ipse Sanchez *loc. cit.* Tum deni- 12
que, quia Laymannus, & Palaus *ll. cc.* post Molinam *Tract. 3. disp. 90. n. 7.* fatentur, si ejusmodi uxor non habeat, unde se alat, posse à judice compelli maritum, ut vitæ necessaria suppeditet; quæ compulsio cùm non sit pœnalis, videtur in hoc casu supponere priorem obligationem.

Jam verò si divortium sit factum ob culpam 13
utriusque conjugum, meritò censet Bonacina *loc. cit. num.4.* post Sanchez *cit. disp. 4. n. 14.* inspiciendum esse, utrius ultima sit culpa. Si quippe uxor tam mariti, quàm suâmet culpa recessit, & postmodum facti pœnitens redire velit ad maritum, nec hic illam recipere velit, tenetur submministrare victum, tum quia æquum est, posteriorem moram nocere. Text. *L. Illud. 17. ff. De pericul. & commod. rei vendit.* tum quia alioquin ex suo solius delicto commodum caperet, atqui nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. *L. Melior. ff. De Reg. Iur.*

Quæres III. *Quid postremo agendum, quando* 14
divortium factum est absque culpa hujus, aut illius, ut ex. gr. quia uxor recessit à marito, propter intolerabilem furorem, amentiámque, aut lepram mariti, vel vice versâ?

RESP. Tunc tenetur maritus uxorem alere. Bonacina *loc. cit.* Sanchez *cit disp. 4. n. 25.* & alii. Ratio est, quia *quod culpa caret, in damnum vocari non debet.* Text. *Cap. 2. De Constitut.* Similiter uxor debet alere maritum indigentem, quando is absque sua culpa est separatus, ut e. g. in morbum contagiosum lapsus, in exilium ob delicta missus. Sanchez *loc. cit. n. 15. & Lib. 1. disp. 4. n. 13.* Quid enim *tam humanum est, quàm fortuitis casibus maritum vel uxorem viri participem fieri?* Text. *Leg. Si cùm dotem. 22. ff. Solut. Matrim.* Unde ulteriùs do- 15
cet Laymannus *loc. cit. n. 4.* quando maritus ob delicta, uxorem obligatam esse illum sequi; & vice versa, quando hæc in ejusmodi miseriam delapsa est suâmet culpâ, marito incumbere obligationem sequendi illam, si absque magno incommodo suo possit, eò quòd vir, & uxor sint pares, quoad obligationem cohabitandi, & adhærendi. Sed valde dubito, utrùm hæc doctrina sit usu comprobata.

N. 2. DO-

N. 3.

DOTEM, PARAPHERNALIA &c.

CAPVT XL.

Quæ bona competant uxori facto divortio?

SUMMARIUM.

Vxor retinet facto divortio, absque ejus culpa, dominium, usumque fructum omnium bonorum, quorum dominium, & usum fructum possidebat constante Matrimonio. 2.
Quid si divortium fiat non solùm sine culpa uxoris, sed cum culpa viri? 4.
Et singulariter quando divertit ob adulterium mariti? 5.
Quid si ipsa patravit adulterium? 7.
An amittet proprietatem dotis, si solum patiatur oscula, vel palpationem mammillarum? 8.
Pœnæ istæ non incurruntur ante sententiam judicis. 9.
Vnde nequit clàm auferre dotem, vel donationem propter nuptias, quando maritus fuit adulter. 10.

1 TAmetsi hujus, atque præcedentis Capitis materia forum externum, atque judicis sententiam spectat, & expectat, quia tamen quandoque fit, ut ob judicum vel inscitiam, vel malitiam, aut ob certæ alioquin veritatis probationum defectum, negentur uxori ea, quæ omni jure post divortium debentur, & de quibus proinde potest, tuta conscientia facere occultam compensationem, marito, inquam, auferendo clam tantum, quantum certum est, ei deberi ab ipso, juxta notissimam, verissimámque doctrinam Molinæ *Tract. 3. disp. 691.* Lessii *De Iustit. & Iur. Lib. 2. c. 12. dub. 10.* Cardinal. de Lugo *disp. 16. De Iust. sect. 5.* Tanneri *Tom. 3. disp. 4. q. 6. dub. 14. quæst. 4.* ubi Tannerus, & præcipuè Lugo conditiones hujus occultæ compensationis perbene explicant, idcireo non erit à nostro proposito, ac foro alienum indicare, quid juris competat post divortium uxori in bona sua, vel mariti.

2 Dico igitur I. Quando divortium fit absque culpa uxoris, retinet proprietatem, atque usum fructum omnium bonorum, quorum proprietatem, & usum fructum habebat constante Matrimonio. Ratio est, quia talium bonorum proprietas, aut usus fructus non fundabatur in mutua cohabitatione, ut patet ex prædictorum bonorum enumeratione mox indicanda. Ergo etiamsi non cohabitent, nec utantur ullatenus conjugio, tamen servabit uxor prædictam proprietatem, & usum fructum, saltem si citra suam culpam sit factum divortium. Quia igitur proprietas dotis, pro- 3
prietas, atque usus fructus simul paraphernalium, & quibusdam in locis proprietas dimidiæ partis bonorum communium pertinent ad uxorem, ut explicavi *cap. 24.* potest divortio sine culpa uxoris facto, ipsa & reservare proprietatem dotis, ac dimidiæ partis bonorum communium, & accipere secum paraphernalia bona.

Dico II. Quòd si divortium contingat non 4
modo sine culpa uxoris, sed ob culpam mariti, præter ea, quæ antè dixi, debentur ei imprimis necessaria ad suam sustentationem; tenetur quippe maritus etiam post divortium alere uxorem, quæ divertit culpa mariti. *Suprà cap. 29. num. 1.* Deinde debentur ei necessaria ad alendos communes liberos, quos ipsa apud se habet, juxta doctrinam traditam *cap. 38.*

Præterea, quando divertit ob adulterium 5
mariti, debetur ipsi uxori tum proprietas dotis, tum donatio propter nuptias. *L. Consensu. §. Si verò causam. C. De repudiis*, & adhuc clariùs Authent. *Vt liceat matri, & aviæ. §. Quia verò. Collat. 8.* tenéntque omnes Doctores, teste Parisio apud Julium Clarum *In Pract. Crimin. Verb. adulterium. n. 13.* licèt Sanchez *Lib. 10. De Matrim. disp. 8. n. 11.* Laymannus *Lib. 3. Tract. 4. cap. 13. n. 7.* aliique plures non exprimant, nisi donationem propter nuptias. Quia 6
autem *cit. Leg. Consensu*, amissio dotis, & donationis propter nuptias videtur clarè statui non ob solum adulterium mariti, sed etiam propter alia crimina divortio sufficientia, ideo Joan. Borcholten *Consil. 16.* descripto suprà *cap. 24.* respondit, dotem fuisse restituendam uxori, quæ propria authoritate discesserat cum liberis à marito sævo, atque ebrioso.

Dico III. Quando divortium fit ob adul- 7
terium uxoris, perdit ipsa proprietatem dotis, itémque donationem propter nuptias. Text. express. *cit. L. Consensu. cit. §. Quia verò, & cap. plerumque de donationibus inter vir. & uxor.* Arrhas quoque, & paraphernalia amitti per adulterium uxoris, tradunt plures Jureconsulti cum Claro *loc. cit. n. 15.* sed id rectiùs negant è Theologis Sanch. *cit. disp. 8. n. 10.* & Bonacina *De contractibus disp. 3. q. 11. p. 11. n. 5.* è Jureconsultis verò Abbas *in Cap. Plerumque. De donation. inter vir. & mulier.* Decius, Barbosa, & alii apud Sanchez. Ratio est, quia tanta pœna non est asserenda sine jure, & Lege eam satis clarè decernente, Argum. vulgarium jurium de odiis, & pœnis restringendis potiùs quàm ampliandis; atqui nulla lex adfertur,

8 quæ eam pœnam decernat. Sed & licèt Clarus *loc. cit. n.16.* existimet cum multis, uxorem proprietate dotis excidere, si patiatur tactum mammillarum, aut osculum, id tamen rectiùs post Jasonem, Decium, & Alciatum negat Guibertus Gostanus *in Tract. De dotibus. cap.6. n.36.* obrationem paulò antè allatam, & quia *cap.32. n.12. ac 13.* satis ostensum est, oscula non esse signa sufficientia adulterii, quod tamen supponit Clarus, & malè saltem in Germania.

9 Notandum tamen est circa prædicta, quandoquidem ex una parte certum est, amissionem dotis, donationis ante nuptias, paraphernaliúmque non deberi nisi ex constitutione legis pœnalis; ex altera autem parte receptissimum est, quòd lex pœnalis ante judicis sententiam non privet communiter quemquam dominio rerum jam acquisito. Covarruvias *In 4. Decretal. p.2. cap.6. §.8. n.12.* & alii plerique apud Laymannum *Lib.1. Tract.4. cap.15. n.3. & 4.* non tenetur uxor ante judicis sententiam marito restituere donationem propter nuptias, etsi crebriùs fidem conjugalem fregerit, sicuti nec maritus dotem, etsi idem crimen commiserit. Sanchez *Lib.10. De Matrim. disp.8. n.13.* cum permultis, Bonacina
10 *De Contract. disp.3. q.11. n.20.* Quare non potest uxor propria authoritate auferre clàm, aut palàm marito adultero dotem, sicuti neque sibi absolutè vendicare donationem propter nuptias, licèt possit eam retinere, quia, *qui habet actionem ad repetendum, habet actionem ad retinendum*, ait in simili Sanchez, & Bonacina *ll. cc.*

Quid si autem adulter suscepit Ordines Sacros, vel emisit Professionem Religiosam? 4.
Singulariter si priùs sæpe, sed frustra petiit reconciliationem? 5.
Quando pars innocens dedit adultero potestatem mutandi statum, non tenetur ea mutare. 6.
At potest etiam invito adultero, et sibi remanet in sæculo. 7.
Quid si nequeat juridicè probare adulterium? 9.
An quæ hic dicuntur de viro adultero, dicenda etiam sint de uxore polluta adulterio? 10.
Viduæ ingressæ Religionem non velantur velo Consecrationis. 11.
Sed Velo Professionis. 12.

O. 3.

AUT ETIAM INTER VELATAS VIRGINES &c.

CAPUT XLI.

An facto divortio liceat conjugibus transire ad Religionem?

SUMMARIUM.

Conjux adulter tenetur reconciliari innocenti, quando hic petit. 2.
Excipe, nisi pars innocens mutârit statum post delictum nocentis. Ibid.
At quamdiu illa non mutat statum, tamdiu nequit hæc mutare. 3.

BReviter expediam quæstionem hujus ca- 1
pitis, utpote in usu rarissimo versantem. Sunt itaque circa libertatem eligendi statûs post divortium permissam observanda sequentia, quæ Sanchez *Lib.10. De Matrimon. disp.10. & 11.* aliíque apud ipsum, & post eos Dicastillo *De Matrim. disp.10. dub.8.* fusiùs explicant.

I. Conjux adulter tenetur reconciliari par- 2
ti innocenti, quoties placet parti innocenti, dummodo non sit status mutatus. Sanchez *cit. disp.10. n.3.* Ratio est, quia vel est ob adulterium lata sententia aliqua à judice, vel nulla? Si nulla, fatentur omnes, veram esse hanc resolutionem, alioquin referret pars adultera commodum ex suo delicto repugnante. *L. Itaque. ff. De furtis.* Si verò lata est sententia divortii, tum eadem resolutio defenditur à plerisque Jureconsultis apud Sanchez *cit. num.3.* contra Hostiensem, Navarrum, & alios. Ratio est, tum quia nulli aut suum delictum, *cit. L. Itaque.* aut sententia contra ipsum lata. *L. Evidenter. ff. De exceptionib.* aut pœna *L. Relegatorum. ff. De Interdict.* patrocinari, vel immunitatem tribuere debet.

II. Si tamen pars innocens mutavit statum, 3
non habet jus conciliandi sibi adulterum, & proinde potest hic libere etiam mutare statum per ingressum Religionis &c. Sanchez *loc. cit. n.3.* Ratio est, quia pars innocens mutando statum privavit se vel jure, vel certè licito usu Matrimonii.

III. Quamdiu pars innocens non mutat 4
statum, tamdiu nequit pars nocens eum mutare invita, vel inscia innocente. Dicastillo *loc. cit. n.86.* & sequitur ex rationibus paulò antè allatis, quamvis quando fuit lata sententia vel detrusionis in carcerem, vel maximè divortii, complures Doctores apud Sanchez *cit. disp.10. n.6. & 7.* censeant, aliud pronuntiandum. Nihilominus tamen allata respon-
sio, quam tenet Sanchez cum plurimis, confirmatur inde, quòd sententia divortii feratur in gratiam nocentis. *Supra cap.32. n.77.* atqui *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Reg.61. in 6.*

cùm

cùm intentio concedentis gratiam sit, ut convertatur in beneficium, non in damnum, & gravamen. Vivianus *in cit. Regul.* Esset autem magnum gravamen partis innocentis, si post latam sententiam divortii, ea inuita, vel inscia statum mutaret pars nocens. Quare dicendum est, si pars nocens inscià alterâ profiteatur in Religione, vel Ordines Sacros suscipiat, posse ab innocente repeti, & ad officia conjugalia adigi. Sanchez *cit. disput.10. n.12.*

5 Limita hanc doctrinam ad casum, quo pars nocens, & jam emendata non petiit sæpius reconciliationem; si enim instanter petiit, nec potuit impetrare, fas ei erit absque consensu innocentis transire ad statum Religiosum, Clericalem &c. Hostiens. Joan. Andreas, & alii cum Sanchez *cit. disp.10. n.16.* & Dicastillo *n.87.* id quippe videtur statui cap. *Gudemus. De Converf. conjugat.* & non videtur pars innocens habere jus, ita constringendi nocentem, ut neque eam ad se admittat, neque permittat eligere aliud vitæ genus.

6 IV. Quando pars innocens dat adultero potestatem profitendi in Religione, vel etiam Ordines Sacros suscipiendi in sæculo, non est necesse, ut ipsa vel fiat Religiosa, vel emittat in sæculo votum castitatis. Sanch. *loc. cit. num.15.* Dicastillo *num.90.* post Sotum *in 4. distinct.36. quæst. Vnic. artic.5. ad 3.* Ratio est, quia nullo jure cogitur ad alterutrum horum.

7 V. Facto divortio ob adulterium unius potest altera pars ingredi Religionem invito quamvis adultero. *Cap. Constitutus. Et Cap. Veniens. De Converf. conjugat.* Irémque *Cap. Agathosa 27. q.2.* Et quidem licèt non sit lata sententia divortii, dummodo adulterium sit notorium, vel per duos testes possit probari. Sanchez *Lib.10. disp.11. n.10.* junctis iis, quæ
8 habet *seq. disp.12. n.27.* Ratio est, quia pars innocens potest ab adultero divertere, & ab illo æternùm se separare propria authoritate, quoties ita ipsi constat de adulterio, ut sit moraliter certa, esse patratum. *Supra cap.32. n.82. & seqq.* Ergo si per duos testes possit judici probare, poterit etiam ad Religiosum statum transire. Nam & non tenetur se illi unquam reconciliare in foro interno, & in foro externo non compelletur, si statim suos testes producere valeat.

9 Si autem nequeat juridicè probare adulterium, tum malè facit mutando statum inuita parte adultera, quia exponit se manifesto periculo maximarum perturbationum, & incommodorum spiritualium, scandalorúmque; si quippe illam jam cucullatam, & votis adstrictam repetat adulter, implorato officio judicis, cogetur monasterium deserere, & officia conjugalia præstare, cùm supponamus, non posse sufficienter probari adulterium alterius partis.

VI. In iis circumstantiis, in quibus potest 10
uxor innocens ingredi Religionem inuito viro adultero, in iisdem potest vir innocens invità uxore adulterâ suscipere Ordines Sacros. Abbas, Innocentius, & alii cum Sanchez *cit. Lib.10. disp.11. n.16.* contra alios. Ratio est, quia pars innocens per adulterium alterius sit sui juris, & liberatur obligatione tam tori, quàm tecti, ergo potest etiam in sæculo Sacerdotium suscipere.

Porrò nostra Elpidia inducitur petiisse, per- 11
mitti publicâ sententiâ, ut sibi liceret non velatæ vitam Religiosam agere inter Virgines velatas, quia *viduas velare Pontificum nullus attentet*, inquit Gelasius Papa relatus. *Cap. De votis 20. quæst. 1.* Quod Capitulum intellige de velo *Consecrationis*, quod scilicet imponitur solis Virginibus Sanctimonialibus, solenniter ab Episcopo consecratis. Nam velum, 12
quod vocant *Professionis*, & quod nigrum esse consuevit, datur omnibus mulieribus, vota Religiosa emittentibus, ut videre est apud Suarez *Tom.4. De Relig. Tract.9. Lib.1. cap.11. n.6.* apud Lezanam *in Summa Verb. Velum. n.3.* qui authores, uti & alii, sex genera velorum nominant, scilicet velum Probationis, Professionis, Consecrationis, Ordinationis, (quo olim utebantur Diaconissæ) Prælationis, & Continentiæ, quod dari solet monialibus viduis, quamvis & dari possit Virginibus.

P. 3. Q. 3.

TESTES OMNI EXCEPTIONE MAIORES.

CAPUT XLII.

De testibus.

SECTIO I.

Explicantur potiora de testibus generatim.

SUMMARIUM.

Quisnam possit esse testis? 2.
Quis dicatur testis omni exceptione major? 3.
Idem soleo vocari idoneus, & legitimus. 4.
Recensentur ii, quos jus non agnoscit pro idoneis. 5.

Conditio servilis facit testem inidoneum. 6.
Mulier an possit esse testis in causa criminali? 8.
Potest esse in civili. 9.
Cujus ætatis debeat esse testis? 10.
Amens. & furiosus repellitur à testimonio dicendo. 12.
An & is, qui laborat mala fama? 13. & 14.
Qui dicantur infames jure, vel facto? 15.
Est duplex infamia juris. 16.
Infamibus accensentur omnes irretiti peccato mortali. 17.
Testimonium locupletis admittitur facilius, quàm egeni. 18.
Judicis est decernere, quanta fides habenda sit pauperi. 20.
Acatholici non sunt idonei testes per se loquendo. 21.
Admittuntur tamen in Germania. 22.
Excipe casum, in quo agitur contra Sacerdotem, aut Religiosum. 23.
Non satis constat, fractionem sigilli Sacramentalis esse crimen exceptum. 24.

1 TAm Summistæ, quàm reliqui Theologi Morales disserunt de testibus, eorúmque qualitatibus, seu conditionibus, officio, seu aliis adjunctis, quorum, quia non absre facta est mentio in Accusatione Canonica, idcirco de iis agere non est alienum vel ab instituto, vel ab hoc loco, aut foro nostro, sicut usu ipso didici. Itaque hac, & sequenti Sectione proponam præcipua, quæ generatim de testibus quæri solent; in Sectionibus consequentibus explicabo species accidentales, seu conditiones testium indicatas in ipsa Accusatione.

2 Quæres itaque I. *Quisnam possit esse testis?*

RESP. Hi, quibus non interdicitur testimonium, nec ulla lege à dicendo testimonio excusantur, Text. *L.* 1. *ff. De testib.* Hinc possunt esse testes omnes, qui non prohibentur. Nellus à S. Geminiano *in Tract. De testib. n.* 1. Sylvester *Verb. testis. q.* 1. & alii passim, quod est probè notandum, pro multis sequentibus responsionibus, cùm præsertim Menochius *De arbitr. Iud. L.* 1. *q.* 26. *n.* 5. ex Felino, & Decio referat, pro Regula haberi, quòd testium Regula sit permissiva, ut censeantur idonei omnes, qui expressè prohibiti non inveniuntur, si videlicet nil desit eorum, quæ ipsum jus naturale exigit, ad id, ut prudenter possit iis fides haberi.

3 Quæres II. *Quis dicatur testis omni exceptione major?*

RESP. In *Cap.* 1. *De consanguinit. & affinit.* atque alibi dicitur is testis omni exceptione major, qui nulla legitima exceptione repelli potest. Gloss. *in citat. cap.* 1. *De Consanguin. Verb. Majores.* Sylvester *loc. cit. ante q.* 1. seu contra quem nihil potest jure opponi, quo minùs sit illi fides adhibenda, & cur non sit admittendus ad testificandum. P. Lessius *Lib.* 2. *De Iustit. & Iur. c.* 30. *dubit.* 5. *n.* 35.

Testis omni exceptione major solet etiam 4
vocari idoneus, & legitimus. Lessius *loc. cit.* sicut è diverso is dicitur minùs idoneus, seu non major omni exceptione, cui aliquid opponi potest, vel ex natura rei, vel ex juris dispositione. Lessius *Ibid.* subdens, omnes præditos perfecto usu rationis esse idoneos, nisi aliquid in illis sit, ob quod jus velit vel absolutè, vel hîc & nunc, censeri minus idoneos, sicut mulier. e.g. est per se loquendo minùs idonea in causa criminali. Infrà *n.* 7. attamen in causa Matrimoniali habetur pro idonea *n.* 8. vide etiam Lessium referendum *n.* 159. & 165.

Quæres III. *Quinam itaque sint, quos jus censeri vult minùs idoneos ad testificandum?* 5

RESP. Sunt ii, quos designant septem vocabula sequentium duorum hexametrorum à Sylvestro *loc. cit. q.* 1. relatorum.

Condetio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides: hæc septem in teste requires.

Quæres IV. *Quæniam conditio requiratur in teste?* 6

RESP. *Servi responso tunc credendum est, cum alia probatio ad eruendam veritatem non est.* Text. *L. Servi. ff. De testibus.* Intelliguntur autem hîc rigidè dicta mancipia, non autem talia, quæ in Suevia, Bohêmia &c.

Quæres V. *Quis sexus repellatur à testimonio dicendo?* 7

RESP. *Mulier testis esse non potest.* Text. *C. Mulierem. 33. q.* 5. Nam *varium & mutabile testimonium semper fœmina producit.* Text. *C. Forus. §. finali. De Verb. signif.*

Unde tradunt Gloss. *in cit. cap. Forus. Verb.* 8
Non fœmina, Joan. Crotus *Tract. De testibus. n.* 55. Sylvester *loc. cit. q.* 1. mulierem secundùm Jus Canonicum non posse esse testem in causa criminali, licèt possit esse secundùm jus civile. *L. Ex eo. ff. De testib.* Speculator *De teste. §.* 1. *vers. Item quod est mulier.* Crotus *loc. cit.* pluribus illud defendens cum communi Jureconsultorum, contra aliquos apud, & cum Portel. fusè in Respons. *Tom.* 1. *Cas.* 25. sicut & generatim quando actus est ex sua natura talis: ut non possit nisi per mulieres cognosci. Farinacius *De testibus, quæst.* 59. *n.* 8. & 9. Imò Covarruvias *in* 4. *Decret. Part.* 2. §. 12. *n.* 20. testatur, feminam haberi in causa propriè Matrimoniali majorem omni exceptione, sicut & Sanchez ut retùli *Tom.* 1. *Tract.* 10. *n.* 92. tametsi talem causam uterque æquiparet criminali.

Longè magis in civili causa admittitur per 9
cit. Leg. Ex eo, & per *Cap. Tam Literis. De testibus.* adeòq; secundùm utrumq; forum. Gloss. *in cap.* 3. *De testibus*, Sylvester *loc. cit.* & alii. Et pro teste testamentario in subsidium admittitur mulier. An verò uxor admittatur pro marito, dicam *n.* 168.

Quæ-

10 Quæres VI. *Cujus ætatis debeat esse testis?*

RESP. *In testimonium accusator non debet citare eum, qui minor* 20. *Annis erit.* Text. *L. In Testimonium. ff. De Test.* Itaque minor 20. Annis communiter non est idoneus testis in causa criminali. At in civili est idoneus communiter, si jam sit pubes, *L.* 3. §. *Lege Iulia. ff. eod.* Sylvester *loc. cit.* Laymannus *L.* 3. *Sect.* 5. *Tract.* 6.

11 *cap.* 4. *n.* 4. Nec dubium, quin jam pubes factus testari possit de iis, quæ vidit in ætate pupillari. Speculator *De teste.* §. 1. *vers. Sed nunquid factus pubes.* Jacob. Ægidius *Tract. De testib. n.* 6. Sylvester *loc. cit.*

12 Quæres VII. *Quid intelligatur vocabulo discretionis?*

RESP. Innuitur, furiosum, & amentem, non posse esse testem. Speculator *loc. cit. vers. Item quod est furiosus.* Nam talis reputatur pro ignorante, & absente. *L.* 1. §. *furiosus. ff. De acquirenda poss. ff.* nisi habeat lucida intervalla. Albericus *Tract. De testibus. n.* 32. Sylvester *loc. cit.* Vide Farinacium *q.* 58. *n.* 18. & 20. disserentem de muliere constituta intra Annum ætatis XX. & XXV. an possit esse testis in causa criminali.

13 Quæres VIII. *An mala fama obsit idoneitati testis?*

RESP. Obesse *C. Licet ex quadam. De testibus. L.* 1. *ff. De his, qui notantur infamia*, tum quia actus legitimi sunt infamibus interdicti; quæ est ratio, & textus *cit. cap. Licet ex quadam*, tum quia infamibus portæ non pateant dignitatum. Text. *Reg. penult. De Reg. Iur. in* 6. est autem testimonii dicendi jus generosa dignitas. Text. *In Cap. Præceptum.* 32. *q.* 5.

14 Itaque à testimonii dictione repelluntur, qui sunt vel facto, vel jure infames. Speculator *De teste.* §. 1. *vers. Item excipitur, quod sit infamis.* Laymannus *L.* 3. *sect.* 5. §. 6. *c.* 4. *n.* 4. tametsi Nepos de Monte Albano *Tract. De testibus. n.* 30. notat, eos, qui sunt solo facto infames, admitti jure civili, quod etiam tradit Nellus *Tract. De testibus. n.* 19. ficuti etiam putat Menochius *De Arbitr. Iudic. L.* 1. *q.* 27. etiam jure infames in causa civili admitti à Jure Canonico. Dicuntur autem jure infames, 15
qui infamiam seu existimationis diminutionem patiuntur authoritate Legis. Henricus Canisius, & Dynus *in cit. Reg. penult. De Reg. Iur.* Illi verò facto infames, quibus gravium, bonorúmque virorum judicium infamiam inussit. Canisius *Ibid.* seu, qui laborant infamia, gravante opinionem, apud bonos, & graves. Dynus *loc. cit.*

16 Observat autem Laymannus *L.* 1. *Tract.* 5. *p.* 5. *cap.* 4. infamiam juris esse duplicem; vel enim oritur ex delicto proprio, cui ex juris constitutione infamia annexa est, idque duobus modis: nam aliqua atrocia crimina sunt, quæ si notoriè committantur, ante judicis sententiam infamiam reo inferunt, alia verò sunt, de quibus reus per judicis sententiam infamiam incurrit. Altera juris infamia non ex proprio delicto contrahitur, sed vel ex delicto parentum, vel ex vili conditione personæ &c. At infamia facti est secundùm Laymannum publica notitia, vel opinio commissi criminis, per quod fama, & existimatio hominis, spectata personæ qualitate, & statu, apud viros prudentes graviter lædi tur. Hæc & plura Laymannus in ordine ad infamiam inducentem irregularitatem.

Porrò infames recensentur, & pronuntian- 17
tur *Cap. Infames* 6. *q.* 1. *ad* 20. species seu genera hominum, ut ex parte refert Laymannus *loc. cit* quibus annumerantur universim omnes criminibus capitalibus irretiti; ut proinde Gloss. tum *in cit. Cap. Infames. Verb. fures.* tum *Cap. Omnes, eodem* dicat, infamiam Canonicam oriri ex quolibet peccato mortali, Et Speculator *De teste*, §. 1. *vers. Item opponitur quòd sit criminosus*, & mox, *vers. Item excipitur, quod est fur*, censet id esse verum, casu, quo quis se non emendet; si verò sit emendatus per pœnitentiam, nec eum sequatur infamia juris, hoc probato admittitur in civili, & etiam cùm de crimine civiliter agitur. *Cap. Agite distinct.* 1. *De Pœnit.*] Ita Speculator. Quæ tota doctrina traditur Cap. *Testimonium. De teste*, & latè defenditur ab Andrea Barbatio *Tract. De testibus. punct.* 1. qui est commentarius in prædictum Cap. nec malè discutitur à Joan. Croto *Tract. De testib. p.* 3. *n.* 50. *& seqq.*

Quæres IX. *Quid in teste designet vocabulum* 18
fortuna?

RESP. Nomine fortunæ innuitur opulentia, eò quòd faciliùs admittatur testimonium locupletis, quàm egeni. *Cap. Si testes.* 4. *quæst.* 2. *ex L.* 3. *ff. De testib.* quo utroque loco monetur judex, ut exploret, utrùm, qui in testem adhibetur, sit locuples, vel egenus, ut lucri causa quid facilè admittat. Porrò *Leg. Nonnulli. ff. De Accusat.* vocatur ille pauper, qui minus, quàm 40. aureos habet. At verò aliæ Leges, ac Doctores aliter loquuntur tum de muliere, tum de viro paupere, ut retuli in Experient. *Tract.* 9. *n.* 656. *& seqq.*

Etsi autem Damhouderius *De Testim. num.* 19
17. sine exceptione repellit pauperem à dicendo testimonio, rectiùs tamen Abbas *In Cap. Si qui testium. De testibus. n.* 8. negat esse absolutè repellendum, uti satis innuit ratio, quam primùm attuli ex *Cap. Si testes.* Negat & Menochius *De Arbitr. Iudic. L.* 2. *Centur.* 1. *Casu* 96. fusè hanc materiam tractans. Itaque judex 20
secundùm qualitatem personæ pauperis, & quantitatem causæ arbitrabitur, quanta fides sit ipsi adhibenda. Abbas *Ibid.* Admittétque pauperem, si sit honestus, ac bonæ famæ. Nellus *n.* 30. Lessius *L.* 2. *De Iustit. cap.* 30. *n.* 29.

Layman-

Laymannus *L. 3. sect. 4. Tract. 6. cap. 4. n. 4.* Nam in talem non cadit illud cujusdam de pauperibus pulchrum scilicet elogium: *Quidquid dicit pauper mendacium est.* Adamus Contzen *Polit. Lib. 6. cap. 42. n. 7.* Nec dubium, quin committeret in omnes Leges is, qui Religioſi teſtimonium rejiceret ea ſola de cauſa, quòd cum S. Petro reliquerit omnia.

21 Denique fides deſignat orthodoxum. Nam *Cap. Si hæreticus. 2. q. 7.* ita ſtatuitur: *Si hæreticus contra hæreticum litiget, liceat cuivis eorum, hæreticum teſtem adducere: Sin autem orthodoxus contra hæreticum litiget, pro orthodoxo quidem etiam hæretici teſtimonium valeat: contra orthodoxum autem ſolius orthodoxi teſtimonium valeat. Orthodoxis autem litigantibus ad*
22 *teſtimonium nulli hæretico pateat aditus.* Et quia hoc cap. deſumptum eſt ex Novella 45. *in fin.* eam ob rem obligat in foro etiam civili, & non ſolùm Canonico. Quia tamen hæretici in Germania tolerati non ſolùm non ſunt infames. Tannerus *Tom. 3. diſp. 1. q. 8. n. 126.* ſed etiam admittuntur ad officia profana præſertim per *Inſtrumentum Pacis*, non videntur poſſe, ſalva pace, à teſtimonio etiam contra Catholicum pro hæretico dicendo repelli in foro civili, & re ipſa admittuntur Auguſtæ, Ratiſbonæ, atque alibi.

23 Excipe acatholici teſtimonium adverſus Sacerdotem, aut Religioſum, præſertim ſi hi accuſentur criminaliter, e. g. de fractione ſigilli Sacramentalis; nec enim reor, ei locum dandum à cognitore eccleſiaſtico, tum quia nequidem contra Catholicum laicum criminaliter accuſatum admitti debet in foro eccleſiaſtico hæreticus (excipio cum Palao *Tract. 4. diſp. 8. punct. 15. §. 1.* caſum hæreſeos) quantumvis toleratus; non enim videntur hactenus uſu contrario in foro eccleſiaſtico abrogati Canones, tale teſtimonium inhibentes; tum quia laici teſtimonium adverſus Clericum
24 non valet. *Infrà n. 113.* Et licèt valeat in criminibus exceptis. *Infrà n. 45.* attamen quia non ſatis conſtat, fractionem ſigilli Sacramentalis eſſe crimen exceptum, quamvis ſit ſacrilegium, & quædam ſacrilegia crimini læſæ majeſtatis æquiparentur in Cap. *Si quis. §. Qui autem 17. quæſt. 4.* eſto deinde conſtaret, illam revelationem eſſe crimen exceptum, capitalis tamen hoſtis teſtimonium non eſt admittendum etiam in criminibus exceptis. Cap. *Inquiſitionis. De accuſat.* Menochius *De Arbitr. Iudic. L. 1. quæſt. 8.* jure quippe gentium repelluntur tales. Menochius *Ibid.* & ne ſemiplenè quidem probant. Menochius *Ibid.* poſt
25 Gravettam. Sunt autem hæretici jurati, atque capitales hoſtes tum Sacerdotum, tum Confeſſionis auricularis, quam conantur omni modo reddere odioſam, ſicut redditur, quando ſigillum Confeſſionis non cuſtoditur religioſiſſimè, ideò poſſet non inſiſtè adverſus hæreticum excipere Confeſſarius, poſtulatus crimine violati ſigilli. Et ita reſolvi Anno 1651. Ratiſbonæ in facti contingentia.

Tametſi verò allata ſuperiùs carmina non 26
exprimunt niſi ſeptem conditiones, & qualitates in teſte requiſitas, longè plures tamen exiguntur, quas partim in ſequentibus Sectionibus explicabo, partim videre licet in Speculatore *De teſte. §. 1.* ubi plurimas exprimit, & explicat. Et Gabrielis in ſuis *Quæſtionibus Communibus.*

SECTIO II.

Aliæ conditiones teſtium explicantur.

SUMMARIUM.

Nequit idem eſſe accuſator, & teſtis. 27.
Etiam actor debet eſſe diſtinctus à teſte. 28.
Excipe cauſas leves. 31.
Denuntiator an eſſe poſſit teſtis? Ibid.
Singulariter quando agitur de peccato impediendo? 32.
Nequit eſſe idem teſtis, & judex. 34.
Nec idem reus, & teſtis. 35.
Nec quiſquam in propria cauſa. 37.
Quænam dicatur cauſa propria? Ibid.
An cauſa Eccleſiæ, cui es adſcriptus, dicatur eſſe tua cauſa? 38.
Et Prælatus poſſit eſſe teſtis in cauſa Eccleſiæ propriæ? 39.
Et Clericus hujus contra Clericum alterius Eccleſiæ? Ibid.
Et Religioſus in cauſa ſui Monaſterii? Ibid.
Et membrum communitatis in cauſa concernente totam communitatem? 40.
An Socius criminis ſit idoneus teſtis contra ſocium? 42.
Delinquens nequit communiter interrogari de ſocio. 43.
Excipe crimina excepta. 44.
Et quæ ſuſcipiuntur in gratiam alterius. Ibid.
Quid ſit crimen exceptum? 45.
Quot ſunt crimina excepta? Ibid.
Quid virium habeat criminoſi depoſitio contra alterum? 46.
Quæ probatio requiratur ad torturam licitè inferendam? 48.
An ſufficiat teſtimonium duorum criminoſorum? 49.
Quid ſiii ſint ſingulares? 50.
Quid ſi non jurent? 51. & 52.
Duo criminoſi deponentes de ſocio criminis non ſufficiunt ad condemnationem. 53.
Probationes in criminalibus debent eſſe ſole meridiano clariores. 56.

Nullus

Nullus vir, aut mulier integræ famæ poteſt damnari capitis, etſi multæ veneficæ illum, vel illam denuntiárint. 57.
Probatur ex ſumma nequitia veneficarum. 58.
Ob quam ne quidem torqueri poſſunt ii, quibus nihil obſtat, niſi denuntiatio plurium ſagarum. 59.
Quantum obfuerit, nimis multum detuliſſe denuntiationibus ſtrigum? 61.
Ne quidem indicium ad torturam faciunt veneficarum denuntiationes ſingulares, etſi multiplicentur. Ibid.
Novum genus impiiſſimarum veneficarum. 62.
Quomodo id fuerit manifeſtatum? 63.

27 QUæres I. *Vtrùm quis poſſit eſſe accuſator, & teſtis?*

RESP. *Nullus unquam præſumat accuſator ſimul eſſe, ac judex, vel teſtis.* Ita ſanxit Fabianus Papa, relatus *C. Nullus 4. q. 4.* Nam *in omni negotio hæ perſonæ quæruntur, judex, accuſator, reus, & teſtis,* Text. *Cap. forus. §. In*
28 *omni. De Verb. ſignif.* Unde deducunt Doctores, ut Speculator *De teſte. §. 1. verſ. Item quod ipſe eſt teſtis, & accuſator.* Nellus *Tract. De teſtib. n. 20.* Aufrerius *Tract. De teſtib. num. 2.* Damhouderius *n. 12.* S. Thomas *2. 2 q. 67. art. 3.* Accuſatorem debere diſtinctum eſſe à Teſte, ſicuti etiam Actorem eſſe debere diſtinctum à Teſte, traditur *C. Inſuper. De teſtibus.*

29 Fallit hæc doctrina I. Si ſtetur ſolo jure naturali, aut divino. Etenim Leſſius *L. 2. De Iuſtit. & Iur. c. 30. dub. 4. n. 29. & 30.* ſatis probabiliter oſtendit, ſpectato hoc utroque jure non eſſe neceſſe, ut accuſator diſtinctus ſit à teſte.

30 Fallit II. Caſu, quo agitur de levi caſtigatione citra infamiam irroganda, ut ſolet fieri in ſcholis inter ſtudioſos. Leſſius *loc. cit. n. 31.*

31 Et generatim in cauſis levibus, & non infamantibus credi denuntiatoribus Officialibus, tradit Laymannus *L. 3. ſect. 5. c. 4. n. 3.* poſt Maſcardum *Vol. 1. Concl. 26. n. 9.* & Farinacium *q. 60. n. 74.* quamquam Leſſius *loc. cit.* ait, qui furantur fructus ex hortis, vel ligna ex ſilvis, non eſſe puniendos ex ſolius cuſtodis teſtimonio, ſi reus factum neget.

32 Fallit III. In cauſis, in quibus agitur de peccato impediendo, tunc enim poteſt eſſe idem teſtis, & denuntiator. *C. In omni. De teſtib. junct. rubr.* & Gloſſ. Abb. *C. Iuravit. De probat. n. 2.* Laymann *loc. cit.* Hinc quando quis denuntiat impedimentum Matrimonii, aut Ordinum, ei creditur abſque alio teſte. *Infrà n. 85.*

33 Fallit IV. Caſu, quo non agitur de pœna irroganda, ſed de inquiſitione formanda.

Quæres II. *Poſſitne idem judex, & teſtis eſſe?*

34 RESP. Non poteſt. Patet ex *cit. Cap. Nullus.* Unde valde veroſimilis eſt opinio Cajetani, Soti, Navarri, & aliorum cum Leſſio *loc. cit. cap. 29. dub. 11. n. 94.* negantium poſſe Principem, quantumvis ſupremum, condemnare eum, quem ex ſola privata notitia ſcit eſſe reum gravis criminis.

Quæres III. *Vtrùm poſſit eſſe idem reus, &* 35
teſtis?

RESP. Non poteſt. Patet ex *Cap. Forus. De Verb. ſignif. & ex Cap. Inſuper. De teſtibus, & ex cit. Cap. Nullus.* Excipe confitentem Sacramentaliter. Nam in foro judiciali creditur homini contra ſe, non pro ſe: in foro autem pœnitentiali creditur homini contra ſe, & pro ſe, inquit S. Thomas *Quodlib. 1. q. 6. art. 12.* Ab hac ipſa exceptione excipe Caſum, quo 36
Confeſſarius evidenter ſciret, à pœnitente malitioſè negari aliquod grave peccatum, tunc enim poſſet, deberétque ei negare abſolutionem. Cardinalis de Lugo *Tom. 3. in 3. Part. diſp. 22. ſect. 2. n. 22.* quia in hoc foro non eſt abſurdum, quòd judex quandoque procedat ex ſola privata ſcientia. Suarez *Tom. 4. in 3. Part. diſp. 32. ſect. 3. n. 9.*

Quæres IV. *An quis in propria cauſa poſſit* 37
eſſe teſtis?

RESP. *Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur.* Text. *L. Nullus. ff. De teſtibus.* Palàm autem eſt, *eam eſſe propriam cauſam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet.* Text. *L. 1. §. In propria cauſa. ff. Quando appellandum ſit.*

Quia verò emolumentum, vel damnum pro 38
priæ Eccleſiæ non pertinet ſuo nomine ad ſingulos de illa Eccleſia, ſeu communitate. Nam cauſa Eccleſiæ non eſt cauſa ſingulorum. Gloſſ. *In cap. Super prudentia 14. q. 2.* (ubi, ut per parentheſin dicam, dictum hoc ſuum probat authoritate. Cap. *Qui mandatur 12. q. 2.* quod tamen nec in antiquiſſimo, nec in recentiſſimo exemplari Gratiani reperies, niſi quæras capitulo *Epiſcopus 55.*) Hinc fit, ut 39
Prælatus poſſit eſſe teſtis in cauſa ſuæ Eccleſiæ. *Cap. Inſuper. De teſtibus.* junct. rubr. Speculator. *De teſte. §. 1. verſ. Sed nunquid rector.* cum multis, quos refert Aufrerius *Tract. De teſt. n. 1.* Maximè Regularis. Felinus apud Aufrerium, & Albericum *Tract. De teſt. cap. 4. n. 72.* Poſſint quoque Clerici illius Eccleſiæ eſſe contra Clericos quoque alterius Eccleſiæ teſtes in cauſa illius Eccleſiæ. Text. *Cap. Super prudentia 14. q. 2. Cap. Cùm nuntius. De teſt.* cum Gloſſ. *Ibid.* communiter recepta. Præterea poſſint Religioſi eſſe teſtes in cauſa ſui monaſterii. Text. *Cap. Inſuper. De teſtibus*, ut declarabo *ſect. ſeq.* Et denique in cauſa Univerſitatis, vel 40
Collegii poſſit quilibet de Collegio, vel univerſitate teſtificari. Bartolus *In L. In tantum. ff. De rerum diviſion.* ejuſque additionarii, cum infinitis apud Sanchez *L. 6. Moral. cap. 13. n. 102.* & maximè apud Barboſam *in cit. cap. Inſuper.*

Insuper, De test. quos inter Speculator *De teste. §. 1. vers. Sed nunquid in causa universitatis &c.* exprimit cum aliis, hanc doctrinam esse veram, sive sit causa civilis, sive criminalis. Vide Albericum *loc. cit.* latè de hoc differentem, sed latiùs, & doctiùs Menochium *De Arbitr. Iud. L. 2. toto Casu. 106.* ubi meritò cum communi excipit, quando causa universitatis redundat in particulare bonum singulorum etiam indirectè, ut quando agitur de obligatis ad collectas communitatis. Idem *n. 15.* post Baldum. Cæterùm quid sit Universitas, & Collegium, & ex quot capitibus conflentur? dixi in Tract. de Jubil. *cap. 50. num. 475.*

42 Quæres V. *An socius criminis accensendus sit idoneis testibus?*

RESP. *Nulli de se Confesso adversus alium in eodem crimine est credendum.* Text. *C. Veniens 1. De testibus.* Consonat Lex ultima. *C. De Accusation. & L. Quoniam. C. De testibus.* Quæ jura sic intelliges.

43 I. Delinquens regulariter non potest interrogari de sociis. Clarus *in Pract. Crimin. q. 21. n. 3.* fusè Mascard. *Concl. 1311. Vol. 3.* Nam nemo de proprio crimine confitentem super conscientia scrutetur aliena. Text. *cit. Leg. ultimæ. C. De Accusation.* Itaque licèt quibusdam in locis omnes criminosi interrogentur de sociis, ubi tamen ea consuetudo non viget, standum est jure communi. Clarus *loc. cit.* Præsertim cùm Regulæ juris sint tenaces, à quibus in dubio recedendum non est. Joann. Crotus *Tract. De testib. Part. 7. num. 324.* ex Baldo.

44 II. Attamen circa crimina, quæ patrari non solent sine socio, licitè petitur nominatio socii, ut trado, & declaro in Experient. *Tract. 2. n. 163. in App. lit. b.* sicut, & circa crimina excepta, itémque circa illa, quæ suscipiuntur in gratiam alterius, non in commodum ipsius delinquentis, potest criminosus interrogari de socio. Clarus *loc. cit.* ex communi Bartoli atque aliorum.

Ita tamen, ut judex non suggerat Reo nomen socii, sed tantùm in genere quærat, an, & quos socios, seu incitatores habuerit, alioquin totus processus fundatus in nominatione ejusmodi, sine aliis indiciis expressa, erit nul-
45 lus. Clarus *loc. cit. n. 4. in fine.* Porrò crimina excepta sunt Hæresis. *C. Sacerdotes. 2. q. 7.* Simonia *C. Tanta. De Simon.* Sacrilegia quædam. *C. Si quis. §. Qui autem 17. quæst. 4.* Crimen læsæ majestatis. *C. Sanè 15. quæst. 3.* Quibus maleficium addit Speculator *De accusatore. §. 1. n. 37.* & D. VVeizenegger *in disp. De maleficiis. c. 1. n. 6.* His addi potest solicitatio mulierum facta à Confessario. Nam Alexander VII. voluit procedi in hoc crimine, sicut in crimine hæreseos. Vide eundem Speculatorem cum Deciano *Tract. Crimin. Lib. 3. c. 10.* & Farinacio *in Pract. Crimin. q. 56. n. 70.* ac fusiùs *quæst. 18. n. 60.* plura indicantem. Dicitur autem illud crimen exceptum, quod sub generali Legis dispositione non continetur, sed singularia quædam in eo servantur, cùm de sociis criminis, indiciis, testibus; quæstione, atque his similibus tractatur. Idem VVaizenegger. Aliam descriptionem criminis excepti adfert Silvester *Verb. Crim. q. 2.* sed valde mancam.

III. Quando criminosus deponit de socio 46
criminis, ea depositio sufficit quidem ad inquisitionem contra illum formandam, sive sit crimen exceptum, ut fatentur omnes, sive non exceptum. Clarus *cit. num. 4.* cum multis contra Rolandum, Mascardum, & alios multos, quia talis depositio est instar denuntiationis, viam aperientis judici; non tamen sufficit ad torturam, sive agatur de crimine non excepto. Clarus *loc. cit. n. 7.* cum communiore, sive de excepto. Idem Clarus *num. 8.* post Boër. Roland, Villalobos, & alios, qui etiam in specie loquuntur de crimine læsæ majestatis. Licèt quippe ejusmodi nominatio faciat 47
aliqualem præsumptionem, sufficientem ad id, ut accedente adhuc alia suspicione non levi possit, qui nominatus est, capi, & torturæ subjici, ita quippe habet praxis quotidiana teste Bossio, & Claro *loc. cit.* Quia tamen tortu- 48
ra nulli est adhibenda, nisi præcedant præsumptiones violentæ patrati sceleris. Jacob. de Bellovisu *in Pract. Crimin. L. 3. c. 1.* & tales, ut sola quasi Confessio torquendi desit. Idem *Ibidem cap. 5. n. 2.* assentientibus Delrio, ac Laymanno *L. 3. Tract. 6. cap. 5. n. 26.* itémque apud Dianam *Part. 4. Tract. 5. Resol. 2.* Sanctarello, Simanca, & Sousa, loquentibus in specie de Hæresi, conformiter *L. 1. ff. De Quæstion.* atque adeò indicia luce meridiana clariora. Riccius *Decisio. 363.* post alios; depositio autem criminosi sine alio non levi adminiculo nequaquam facit præsumptionem violentam, aut sole meridiano clarius indicium, ideo non sufficiet ad torturam. Vide Palaum *Tract. 4. disp. 8. p. 9. n. 6. & 7.*

Equidem Peckius in Tit. *De Reg. Iur. in 6. n. 5.* scribit generatim: *Etiamsi reus condemnatus dicat supplicio jam imminente, alium, qui cum eo captus est, verè socium criminis fuisse, ex hac Confessione alter, quæstionibus subjici non potest, nisi vel famâ publicâ, vel aliis vitæ malè actæ indiciis accusetur, aut infametur. Ita hic sapientissimus Doctor, quem utinam audiant omnes Iudices.*

IV. Videtur communi consuetudine contra 49
Bartolum, Marsilium, & alios referendos *n. 54.* receptum, ut quando duo criminosi nominant tertium socium, ea nominatio sine alio indicio sufficiat ad torturam. Ita quippe de Gallia,

Gallia, & Italia testantur diversi apud Clarum *loc. cit. num. 9.* Et etiam in Germania factica-
50 tum scio. Et quamvis idem Clarus *Ibid.* testetur, illos duos testes esse ad hunc effectum idoneos, esto sint singulares, hócque certum esse tradat D. VVaizenegger *loc. cit. num. 191.* dummodo sint idonei, & omni exceptione majores, quod tamen non nisi authoritate coactus credo, eò quòd singularitas testium non sufficiat ad tam firmam patrati sceleris opinionem judicii ingenerandam, quàm requi-
51 rit Lex. 1. *ff. De quæst.* Attamen sive sint singulares, sive non sint singulares, sed conveniant in omnibus, sintque plures duobus, non est eorum testimonio standum, nisi & juramento id roborent. Clarus *loc. cit. num. 10.* testans se vidisse semper ita practicari. Nam testi non creditur nisi jurato. Infrà *num. 101.* Et in tormentis Id ipsum confirment. Clarus *loc. cit.* contra alios, siquidem testimonium hominis infamis admitti non debet, nisi in tormentis
52 confirmetur. Albericus *Tract. De testibus. cap. 3. n. 4. & 15.* ex Authent. *De testibus. §. Si verò ignoti collat. 7.* Quamquam testatur Diana *Part. 4. Tract. 6. Resolut. 11.* in inquisitione Hispanica admitti testes inhabiles sine tortura. Et VVaizenegger *loc. cit. num. 78.* testatur, hodie non multùm observari, ut socius criminis suam depositionem juramento firmet, nec esse consuetum, ut maleficis, qui Deum abjurârunt, deferatur juramentum cum periculo perjurii, quod etiam mihi probatur.

53 V. Duo, aut etiam plures criminosi deponentes de socio criminis, non faciunt indicium sufficiens ad condemnationem. Clarus *citat. §. fin.* seu *Pract. Crimin. num. 9.* Et quidem licèt agatur de crimine excepto. Text. *in cap. 1. Veniens. De testibus*, ubi est sermo de Simonia, crimine exceptissimo. Clarus *loc. cit.* loquens indiscriminatim de socio criminis. Albericus *loc. cit. num. 67.* loquens in specie de criminibus exceptis. Ciazzius apud Dianam *Part. 4. Tract. 8. Resol. 123.* loquens in specie de hæresi. D. VVaizenegger *disp. De Malefic. num. 192.* loquens in specie de malefi-
54 cio. Item Bartolus, Marsilius, Anchoranus, Alexander, Cornelius, Felinus, Rolandus, Bursatus, Bertazzolus, qui teste Delrio *desauvit. Magicarum. L. 5. Appendic. 2. q. 1.* & Tannero *Tom. 3. disp. 4. q. 5. dub. 2. num. 31.* loquuntur universim de criminibus exceptis, & expressè negant, complicum etiam plurium testimonia, etiam in criminibus exceptis sufficere ad torturam, ne dum ad condemnationem.

55 Dissentiunt quidem ab hac quoad condemnationem doctrina tum Jurisconsulti Gomez, Pegna, & alii apud Tannerum *loc. cit. n. 22.* tum Theologi, Lessius *Lib. 2. cap. 30. n. 39.* Layman, *Lib. 3. Tract. 6. c. 5. n. 27.* sed probatur inde, quòd *L. ultim. C. De probation.* expressè ita statuatur: *Sciant cuncti accusatores, eam rem deferre in publicam notitiam debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.* Unde 56
meritò infert Clarus *in Pract. Crim. q. 66. n. 3.* probationes in criminalibus debere esse luce meridiana clariores, idque ab omnibus sciri, dicique; & Damhouderius *in Praxi rerum criminal. cap. 54. n. 9.* reum non esse ad mortem damnandum, ob ulla indicia, nisi sint ita indubitata, ut ex iis judex certum judicium colligat, & veritatem rerum certissimè tanquam ob oculos cognoscat; & VVaizenegger *in disp. De Malefic. cap. 6. n 187.* probationes debere esse luce meridiana clariores, perfectas, & omnibus numeris absolutas, etiam in criminibus exceptis. Atqui quando nullæ aliæ probationes adsunt, quàm depositiones criminis sociorum, tunc non adsunt testes idonei, quia infames non sunt testes idonei. *Supra n. 13.* nec adsunt documenta apertissima, aut indicia indubitata, probationesve omnibus numeris absolutæ.

VI. Sed quidquid sit de cæteris criminibus, 57
loquendo in specie de crimine maleficii, seu sagarum, lamiarum, aut strigum, ut vocant, nulla mulier, aut vir, bonæ cæteroqui famæ damnari potest ad mortem, etiamsi permultæ striges eos denuntiaverint. Ita plurimis tam Juris, quàm Theologiæ Doctoribus relatis tenent Martin, Delrius *disquis. magic. L. 5. sect. 5. num. 4. & in Appendice 2. q. 1.* Laymannus *Lib. 3. Tract. 6. cap. 5. n. 27.* Ferdinandus de Castro Palao *Tom. 1. Tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 5.* & optimè Tannerus *Tom. 3. disp. 4. q. 5. dub. 2. n. 24.* quem Diana *p. 4. Tract. 6. Fol. 30.* meritò tradit, esse in hac materia consulendum (idem dico ego de disputatione Doctoris VVaizeneggeri jam aliquoties allegata.) à Judicibus sagarum. Ratio responsionis est 58
peculiaris, quia communiter sagæ sunt tot horrificis sceleribus coopertæ, tot illusionibus Dæmonum obnoxiæ, tam Vatiniano in homines odio, tam leves, ac plerumque viles, tam parùm concordantes in speciebus factorum, quæ de aliqua deponunt, tam negligentes salutis suæ, tam impœnitentes, tam denique assuetæ malè velle, maléque facere mortalibus, ut qui principia juris Naturalis, Canonici, & Civilis, testimonii valorem, causásque ad condemnandum necessarias concernentes contulerit cum hisce omnibus circumstantiis, atque aliis, quas deducit Tannerus, & post illum, atque ex illo D. VVaizenegger *loc. cit. cap. 4. & 6.* pronuntiaturus sit, juri naturali, divino, canonico, & civili repugnaturum judicem, qui

virum, aut fœminam, probæ, integræque famæ, ad mortem damnaret ob solas denuntiationes decem, aut etiam viginti venefico-
rum.

59 Quæ ratio mihi persuadet, ut assentiar eidem Tannero *n.* 51. cum Bartolo, & aliis *n.* 54. nominatis, contra Laymannum, Lessium, Delrium, Gomezium, atque alios neganti, posse ob plurium sagarum velut complicum denuntiationes, sine aliis indiciis, vel adminiculis contra personam alioqui probæ, ac integræ famæ saltem aliquibus indiciis confirmatæ, ut addit D. VVaizenegger *loc. cit.*
60 *num.* 99. procedi ad torturam. Et præsertim ad ejusmodi torturam, quæ strigibus à latrunculatoribus adhiberi solet tam sæva, & immanis, ut non solùm mors optabilior sit, quàm ejusmodi carnificina, sed etiam videantur non ex vano nonnullæ, dum ad supplicium ducebantur, dixisse, futurum fuisse, ut etiam affirmâssent, à se proprias proles devoratas fuisse, si in ejusmodi quæstionibus fuissent interrogatæ, ac proinde suæ innocentiæ nil obesse propriam, tanta tormentorum acerbitate extortam Confessionem. Unam talem ego novi, & meo judicio innocentissimam, rogo tamen addictam.

61 Scimus, iis in locis, in quibus tam multùm deferebatur denuntiationibus lamiarum, non fuisse repertum finem (quem tamen imposuere bella) capiendi, torquendi, comburendi fœminas, viros, Sacerdotes, adolescentes, de quibus ante eas denuntiationes vix levissima suspicio habebatur. Et compertum habeo, ab Imperatore Ferdinando II. missum fuisse Commissarium ad Principem quemdam Imperii Franconicum, qui ei nomine Cæsaris inhiberet, ne imposterum tam facilè crederet ejusmodi nominationibus, uti mihi Commissarius ipse narravit, sub Annum Christi 1649. testatúrque D. VVaizenegger *loc. cit.* 101. experientia constare, denuntiationes etiam sex reorum, sine aliis adminiculis parùm firmitatis habere; & quando sunt singulares, quantumvis multiplicentur, nullum facere indicium ad torturam, addit idem *n.* 191.

62 Porrò dum hæc commentarer Anno M.DCLI. accepi è Silesia literas à viro gravi, & sapiente, quibus indicabatur, detectum fuisse illo ipso Anno in Silesia novum genus sagarum, illarum videlicet, quæ à Dæmone non magnopere incitarentur ad malefaciendum hominibus, ne fortè hac ratione deprehenderentur; sed solùm ad execrandas prorsùs blasphemias, & nefandissimas libidines. Modum, quo
63 cum iis procedebatur, non habeo omnino perspectum. In eos inquirendi occasionem dedit innocens puer, quem Canidia in suo carpento de nocte detulerat ad Synagogam Sathanicam, epulis, choreisque vacantem. Ubi enim id ex puero rescivit Judex, auriga tricem ipsius (fortè jam antè nigro theta notatam) in carcerem rapi jussit, ex cujus Confessione datum initium inquirendi in plures. Quia verò fuit denuntiationibus plurimum delatum, idcirco intra paucos menses affectæ fuêre supplicio 200. mulieres. Quæ cùm alias, atque alias proderent, cessatum est tantisper à captura, atque consultatio, ad quam vocati sunt etiam præter Jureconsultos Theologi, instituta de modo imposterum tenendo, ut ad me scriptum Anno 1652. ex eadem Silesia.

SECTIO III.

Quatuor aliæ conditiones testium explanantur.

SUMMARIUM.

An valeat testimonium consanguinei, & affinis? 64.
Singulariter in civilibus causis? 65.
Sublata affinitate tollitur omne impedimentum affinitatis. 66.
Parentes, & liberi nequeunt esse testes invicem unus contra alterum. 67.
Recensentur Casus, in quibus pater pro filio rectè testificatur. 68. *& seqq.*
Quid sentiendum de patre spirituali? 71.
Quid de testimonio fratris in causa sui fratris? 72.
Quid si in parentibus, & fratribus sit par causa studii, & propensæ voluntatis? 73.
Quid de socero in causa generi? 74.
Parentis locum socer obtinet. 75.
Qui accusare nequit, testis esse nequit. 76. *&* 77.
Accusator in sua, suorumve causa quilibet esse potest. 77.
Testimonio unius regulariter non est standum. 79.
In causa criminali debent esse duo testes legitimi. 81.
Et etiam plerumque in Civilibus. 82.
Non tamen in causis nulli præjudicantibus. 83.
Quid si testis sit nobilis? 84.
Quid quando solùm agitur de peccato impediendo? 85.
Quid quando Executor testatur, se esse executum mandatum? 87.
Aut quando est solùm instituenda specialis inquisitio de aliquo? 88.
Aut quando sola tortura adhibenda? 89.
Aut quando una mulier etiam honesta dicit, se fuisse à Confessario solicitatam ad turpia? 90.
Commendantur Lucernenses, stantes testimonio Confessarii, quando agitur de ultimis voluntatibus. 91.

Quid si quis testetur de rebus à se ratione officii gestis? 93.
Aut existit in excelsa dignitate? 94.
Aut lethali vulnere percussus dicit in extremis, se ab hoc vel illo vulneratum? Ibid.
Aut quando contestes sunt singulares? 96.
Est triplex singularitas in testibus. 97.
Quænam ex his minuat vim testimonii? 98.
Mille testes singulares non probant plus, quàm unus. n. 99.
Quo sensu credatur magis duobus affirmantibus, quàm mille negantibus? 100.
Testis non jurati verbis non est standum in præjudicium alterius. 101.
Quid si ille testis sit Papa? 101.
Quid si Germanus Nobilis? Ibid.
Quid si privilegium, aut consuetudo liberet à juramento? 103.
Iuramentum in teste non est de substantia testimonii. 104.
Nec de jure divino. Ibid.
Sed solo humano, dispensabili per Papam. 106.
Testes debent dicere, quæ sciunt pro utraque parte. 107.
Et quidem tactis Evangeliis. Ibid.
Aut elevatis digitis, ut factitant Germani. Ibid.
Quid debeat testis deponere, quando interrogatur de re perceptibili per sensum visûs? 108.
Testis de visu quis dicatur? Ibid.
Testis de auditu quis? 109.
An licitè juret, se scire id, quod didicit ex solo auditu, aut fama? 110.

54 QUæres I. *An testimonio consanguinei pro consanguineo, affinis pro affine, soceri pro genero standum sit?*

RESP. I. *Consanguinei accusatoris adversus extraneos testimonium non dicant; quia propinquitatis affectio veritatem impedire solet.* Text. *Cap. Accusatores.* 3. *q.* 5. Et *cap. Similiter, eod.* præmittitur, affines non esse admittendos accusatores. Ob quos, aliósque textus communis opinio Jureconsultorum cum Alberico *in Tract. De test. Part.* 1. *per totam*, & Theologorum cum Laymanno *Lib.* 3. *Tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 4. fert, consanguinei, vel affinis testi-
65 monium in causa criminali non valere. At in causis civilibus absolutè admitti testificationem consanguineorum tradit Albericus, ita tamen, ut eis fides diminuatur secundùm propinquitatem magis aut minùs remotam. Laymannus cum Mascardo rectè restringit ad causas civiles non arduas, nec multùm
66 præjudicantes. Porrò quando affinitas est dissoluta, sublatum etiam est omne affinitatis impedimentum; quia paria sunt, non esse affinem, & affinitatem esse dissolutam. Albericus *loc. cit. num.* 57. & Gabrielius *Lib.* 1. de testibus *Conclus.* 15. *num.* 4. & communi; qui etiam *Conclus.* 13. *n.* 8. refert Doctores diversi-
67 mode loquentes de gradu consanguinitatis impediente, vel non impediente vim testimonii.

II. Quia *L. Parentes. C. De testibus*, sancitum est, ne parentes, & liberi invicem adversus se etiam volentes ad testimonium admittantur, patet, quid de iis sentiendum sit. Equidem illa sanctio ita consona est Legi naturali, ut Albericus *loc. cit. n.* 5. post Joannem Andream, & Speculatorem *de teste*, non malè existimet, non posse à judice compelli filium, ut contra partem ferat testimonium. Ratio quoque allata paulò antè ex Cap. *Accusatores*, confirmat communem sententiam ejusdem Speculatoris *loc. cit.* §. *Sub initium.* Alberici, & aliorum, quòd nec in civili, nec in criminali causa possit pater pro filio, hic pro illo ferre testimonium. Certè *L. Testis. ff. De testib.* absolutè dicitur: *testis idoneus pater filio, aut filius patri non est.*

Excipe tres casus, quos breviter indicat Spe- 68
culator *loc. cit.* uberiùs explicat Albericus *loc. cit. num.* 8. quorum primus est, quando dubitatur, utrùm filius ingressus sit religionem animo profitendi; admittitur enim dictum patris id asserentis, aut negantis. Casus memorabilis in hanc rem refertur, & deciditur
Cap. *præsens*, 20. *q.* 3. Alter casus est, cùm quæ- 69
ritur de ætate, vel cognatione filii. Nam etiam matris professio filiorum recipitur. Text. *L. Etiam matris. ff. De probat.* Recipitur, inquam, ad gignendam aliquam præsumptionem. Gloss. *in cit. Leg.* & alii, non ad plenam probationem. Tertius casus est, qui exprimi- 70
tur, & probatur Cap. *Videtur. Qui Matrimon. accusare possunt.* ubi rescribit Clemens III. *quòd & parentes, & cognati utriusque sexûs in testificatione suorum ad Matrimonium jungendum, vel dirimendum admittantur tam antiqua consuetudine, quàm legibus approbatur*, quando videlicet quæritur, utrùm adsit impedimentum cognationis, vel affinitatis, ut patet ex ratione, quam subjicit Pontifex, exprimúntque Speculator, Albericus, & Crotus *ll. cc.* aut quando quæritur, an sit contractum Matrimonium, nec ne, admittitur testimonium parentum, VVagneregg in *hoc cap.* si videlicet non sit magna disparitas inter sponsos. Barbosa in hoc idem Cap. qui Capit. *Super eo. De test.* explicat quatenus parentes valeant, & contra filium, & vice versa testimonium ferre in crimine hæresis, & læsæ majestatis.

Cæterùm patrem spiritualem posse esse te- 71
stem idoneum pro eo, quem è Sacro fonte levavit, tenent multi apud Menochium *De arbitr. Iudic. Lib.* 2. *Cas.* 100. Ipse putat committendum judicis arbitrio. Ego ob Regulam al-

latam *n.* 2. censeo, non repellendum, nisi positivè constet, quòd valde amet suum filium spiritualem. Nam & qui habet Regulam pro se, dicitur fovere jus certum. Bartol. *Lib.* 2. *ff. Si quis in jus vocatus.* Decianus *Tract. Crimin. Lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. & judex in dubio debet pronuntiare pro eo, qui habet Regulam pro se. Decianus *Ibid.* post Baldum, Decium, atque alios.

72 III. Etsi frater non possit esse testis in criminali causa fratris, *Cap. Accusatores.* 3. *quæst.* 5. præterquam in crimine hæresis *Cap. Literas. De præsumpt.* nec in civili. Albericus *De testibus. cap.* 1. *num.* 44. contra Speculatorem; est tamen idoneus testis testamenti fraterni, modò fuerit à fratre, aut à judice rogatus. Speculator, & Albericus *num.* 32. ubi plura de fratre, sicut & plurima Gabrielius de testibus *Conclus.* per totam. Vide in Experientiis *Tract.* 10. *Cas.* 4. *n.* 140. disceptationem, utrùm soror potuerit adigi ad testimonium in causa matrimoniali fratris, singulariter quia ejus testimonium non erat necessarium. Sanè Gabrielius *loc. cit. n.* 24. absolutè negat, fratrem posse compelli ad testificandum.

73 IV. Generatim in causis civilibus, ubi est par causa studii, & propensæ voluntatis, parentes, fratres, affines sunt idonei testes. Bossius *De testibus. n.* 61. post Aretinum; quia scilicet par affectionis causa tollit suspicionem. *L. Non solùm. ff. De ritu nupt.* Glossi. *in Cap. Cùm olim. D. Offic. del. gat.* Menochius *loc. cit. Cas.* 105. *n.* 19.

74 V. Socerum non esse idoneum testem generi tradunt Nepos de monte Albano *Tract. De test. n.* 106. Anfrerius *De test. n.* 89. post Speculatorem *De teste.* §. 1. Ratio est, quia pater nequit esse testis pro filio. *Suprà num.* 67. Atqui parentis locum socer obtinet, inquit Pomponius *L. Quia. ff. Soluto Matrim.* sed utique hæc doctrina locum non habet in iis casibus, in quibus pater naturalis, aut frater testificari

76 possunt. Neque ex ea Speculatoris doctrina inferas, malè à nobis, & contra juris Regulas in contextu Accusationis Canonicæ induci socerum accusatorem generi; cui proinde videatur æquè parùm licere accusare generum, ac licet testificari contra illum, cùm testis esse non possit, qui accusare nequit. *Cap. Testes. 4. q.* 2. & Argum. multorum capitulorum *Caus.* 2. *q.* 1. *& Caus.* 3. *q.* 5. ubi inhabiles ad accusandum perpetuò junguntur inhabilibus ad testificandum. Nam respondeo,

77 quidquid sit de vero intellectu illius axiomatis, quòd scilicet, qui accusare nequit, testis esse nequeat, de quo videri potest Glossi. *in citatum. Cap. Testes*, nobis illud nihil officere, quia constat, quòd quisque possit esse accusator, in sua, suorúmque causa, seu quando suam, suorúmve injuriam exequitur. *L. Hi tamen. ff. De accusation. & L. De crimine. C. De his, qui accusf. non possunt.* Atqui filiam etiam nuptui datam numerat pater inter sua; *verè enim uxor tua in sui, & veri patris est potestate*, inquit Glossi. *in cit. L. Quia*; & jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt. *L. Iura. ff. De Reg. Iuris.*

Adde quòd ejusmodi socero etiam in hoc 78
casu conveniat descriptio illius, qui censetur prosequi horum causam, & quam explicat Molina Theologus *Tract.* 3. *disp.* 44. *numero* 11.

Quæres II. *Quantum fidei testimonio unius* 79
hominis tribuendum sit?

RESP. I. *Nulla est causa, quæ unius testimonio, qui unumvis legitimo terminetur.* Text. *Cap. Licet. De testibus*, consonat lex *Maritus. ff. De quæstionibus.* quæ dicit: *unus testimonio non est credendum.* Unde vulgatum illud: Vox u- 80
nius: Vox nullius. Nellus *Tract. De testibus. num.* 85. Unus testis, nullus testis. Navarrus *Consil.* 5. *num.* 2. alias *Consil.* 3. Quare, quando 81
per testes veritas inquiritur in causis criminalibus, requiruntur duo testes legitimi, fide digni, omni exceptione majores. Lessius *Lib.* 2. *De Iustitia, & Iur. cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 24. testans esse communem Doctorum utriusque juris, & Theologorum. Plerumque etiam 82
causæ civiles terminandæ non sunt testimonio unius. Patet ex *cit. cap. Licet. & cit. Leg. Maritus.* in quibus proponuntur, & decidun-tur quæstiones civiles; itémque ex *Leg. Iurisjuri C. De testibus* ibi: *Sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat.*

II. In causis tamen quibusdam non judicia- 83
libus, & tertiæ personæ non præjudicantibus, ut cùm quæritur, utrùm infans baptizatus sit, Ecclesia consecrata sit, sufficit testimonium unius, de quo nulla suspicio sit pernicioſi mendacii. Glossi. *in cap. Nuper. De testibus.* Nellus *loc. cit.* Laymannus *Lib.* 5. *Tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 3. Quod etiam in causis tertio præju- 84
dicantibus locum habere, quando testis est nobilis, & tanta apud omnes opinione integritatis, ut judicem ad indubitatam fidem adducere queat, censet Andr. Gail. *Lib.* 2. *Observat. 88. num.* 10. post Baldum, & Tiraquellum *De nobilitate. cap.* 20. *num.* 33. de quo viderint jureconsulti. Sanè hæc doctrina exposita est multis incommodis; & repugnare videtur verbis Legis *Iurisjurandi* relatis *numero* 82. Certè non est admittenda in criminalibus.

III. Creditur quoque uni testi, in causis, in 85
quibus agitur de impediendo peccato, modò jus parti acquisitum non sit. Laymannus *Lib.* 3. *Tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 6. ut e. g. denuntianti impedimentum Matrimonii. *Cap. Præte-*

rea. 2. *De Sponsal.* Nellus *n.* 85. Item denuntianti impedimentum, atque inhabilitatem ad Ordines Sacros, vel ad beneficia Ecclesia-

86 stica. Laymannus *ll. cc.* Si tamen jam re ipsa sit Matrimonium contractum, vel collatum beneficium, aut Ordines, nec separabuntur conjuges, nec Clericus spoliabitur, etsi unus testis impedimentum testetur; sed duo testes erunt necessarii. Laymannus *loc. cit.* post Navarrum; etenim *crimen hoc modo* (id est unius testimonio) *probatum impedit promovendum, non dejicit jam promotum*, inquit Innoc. III. relatus *Cap. Super his. De accusat.*

87 IV. Quomodo quandoque credatur uni testi, qui simul est accusator, seu denuntiator, dixi suprà *num.* 31. & infrà 232. Credi etiam executori dicenti, se citâsse, vel denuntiâsse notat Nellus *loc. cit.* sicut & credi Confessario asserenti, hunc aut illum esse sibi confessum, notat Glossi. *Cap. Nuper. De testibus.*

88 V. Unus etiam inhabilis, & minùs idoneus testis de maleficio alicujus sufficit ad inquirendum specialiter de illo. Clarus *in Practica Crim. p.* 21. *n.* 2. Zerola *in Prax. Episcop. Verb. testis.* At verò ad torturam requiritur saltem unus testis integer, atque omni exceptione major, aliàs unus testis nunquam facit indicium ad torturam. Clarus *loc. cit. q.* 22. *n.* 3. testans

89 ita concludi ab omnibus. Et verò ejusmodi integrum testem sufficere ad torturam tenet idem Clarus *cit. q.* 21. *n.* 2. asserens, esse hanc communem opinionem, quam etiam sequitur Laymannus *cit. cap.* 4. *n.* 7. si quidem ille sit testis de visu, & non de solo auditu. At Glossa *in Leg. Maritus. ff. De Pœn. & in Lege Milites. C. De quæstion.* constanter negat assertionem Clari. Negant quoque aliqui apud Dianam *Part.* 4. *Tract.* 8. *Resol.* 11. Sacerdotem in causa hæresis esse incarcerandum, ex unius

90 testis delatione. Sicuti neque Confessarius capi debet ob unius mulieris quantumvis honestæ delationem, quando ea dicit, se fuisse ab eo solicitatam. Diana *Part.* 4. *Tract.* 5. *Resol.* 55. cum Freyras, ac Palao *Part.* 1. *Tract.* 8. *disp.* 9. *p.* 11. quæ disputatio tota est de hac materia solicitantium.

91 VI. Commendanda est singularis reverentia Senatorum inclitæ, ac Victricis Reipublicæ Lucernensis, qui tantum honorem habent dicto Confessarii, ut quando is testatur, suum pœnitentem fecisse in extremis hanc, aut illam dispositionem, legâsse huic, aut illi mille aureos &c. stent ejus dicto, quamdiu contrarium non probatur, idque sive sit sæcularis, sive Religiosus (etiam in causa proprii Conventus) Sacerdos; juratus, aut non juratus; cùm tamen secundùm jus commune non fo-

92 ret necesse stare hoc testimonio, ut bene declarat. Laymannus *Lib.* 3. *Tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 5. & constat ex dictis.

VII. Alios casus, quibus creditur uni testi, 93
indicat Nellus de testibus *cit. num.* 85. atque Gabrielius de testib. *Conclus. prima*; sicuti etiam utiliter notabis ex Laymanno *Lib.* 3. *Tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. dictum unius testis idonei præstare justam causam credendi in conscientiæ foro, suámque conscientiam regulandi ex ejus testimonio; & quamvis dictum viri fide digni non adferat necessitatem credendi, sed etiam ad privatam credulitatem necessariò extorquendam requirantur duo testes, attamen posse sufficere unum fide dignum. Quæ doctrina etiam à Glossa, & Navarro tradita plurimùm prodest ad dirigendas conscientias laborantes ignorantia consuetudinis, Legis latæ, alteriúsve facti, eam enim tollere potest unius assertio.

VIII. Sed & Menochius *De arbitrar. Iudi-* 94
cum. Lib. 3. *Cas.* 99. & Gabriel *loc. cit. n.* 18. aliquos casus adducit, in quibus judex tenetur credere testimonio unius, qui de gestis à se ipso deposuit. Ut I. quando quis officio aliquo fungens, testatur de actu à se gesto ratione officii, modò inde non ferat commodum, vel incommodum, laudem vel vituperium. Sic creditur Notario testanti esse aliquid à se scriptum: tum nuntio publico, referenti ea, quæ ad ejus officium spectant: tum judici, attestanti de gestis à se in officio. II. Quando quis est 95
in excelsa dignitate, ut exempli gratia, Regia. Huc refert etiam Menochius casum, quem ipse non malè, Jul. Clarus verò *in Pract. Crim. q.* 21. *n.* 14. optimè discutit: Utrùm videlicet, quando quis vitæ integræ, & probatæ gravi vulnere affectus asserit, se à Mævio fuisse vulneratum, fides ipsi adhibenda sit? Et rectè resolvit Clarus, ob ejusmodi assertionem præcisè Mævium ne capi quidem, ne dum torqueri posse, licèt possit in eum inquiri. Quòd si in hac sua assertione vulneratus persistat usque ad mortem, tum nonnulli quidem apud utrumque hunc Doctorem sentiunt, esse ei plenam fidem habendam, negat tamen uterque, & meritò; quia *Regulæ inhærendum est, donec de fallentia constet.* Menochius *n.* 119. & Regulæ standum est, donec contrarium probetur. Prateus *De Regul. General. Iur. L.* 8. *c.* 1. & ratio ducta à Regula est firmissima. Navarr. *Lib.* 3. *Consil.* 7. *De sepul.* Regula autem est, quòd unius testimonium non faciat plenam probationem. *Suprà n.* 79.

Imò censeo cum plerisque, & cum Claro, ne 96
quidem posse, ob hoc solum testimonium subjici quæstioni, & propter rationem allatam *n.* 48. Posse citari, imò & incarcerari tenet Clarus, cui non repugno.

IX. Huc referendum est, quòd testimonio, 96
quantumvis plurium idoneorum lis terminanda non sit, quando ii non sunt contestes, sed testes singulares, *Cap. Bonæ. De electione*, &

Cap. Licèt causam. De probationib. nisi facti natura sit ejusmodi, ut vix admittat contestes.

97 *Infrà n.* 184. Sunt autem testes singulares, vel singularitate obstativa, quando dictum unius repugnat dicto alterius; vel adminiculativa, quando dictum unius favet dicto alterius, ut si unus testetur de visu, alter de auditu; vel denique diversificativa, quando scilicet ex diversis testium dictis, diversus actus in substantia colligitur, ut quando unus deponit pro tali loco, & tempore, alius pro alio loco, aut tempore. Mascardus de probationibus *Lib.* 2. *Conclus.* 856. *n.* 12. Diana *Part.* 4. *Tract.* 8. *Resol.* 57. Gabrielius de testibus *Conclus.* 2. ampliſſimè explicans materiam singularitatis.

98 Quando sunt singulares singularitate obstativa, clarum est, probari ab iis potiùs falsum, quàm verum, quando autem sint singulares secundo, vel tertio modo singularitatis, putant iidem Doctores, facere plusquam semiplenam probationem, adeóque sufficere ad torturam, & ad pœnam extraordinariam; imò in casu hæresis ad pœnam ordinariam sufficere singularitatem diversificativam, censent Royas, Gomezius, Ugolinus, & alii apud Layman. *Lib.* 3. *Tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. & Dianam *loc. cit.*

99 Verùm quidquid sit de pœna extraordinaria, rectiùs generatim negatur de pœna ordinaria; tum quia mille testes singulares non plus probant, quàm unus. Hippolytus *in Practica. §. Diligenter n.* 15. post Bald. Speculatorem, & alios, nisi sint valde nobiles. Hippolytus *n.* 16. Tum quia non adfertur sufficiens ratio, ob quam in hoc, aut alio crimine recedatur à communi Regula; & quia, cùm nequeat species hæresis, e. g. reperiri sine individuo, hocipso, quòd per ejusmodi testes non probetur plenè ulla individua hæresis, sequitur, quòd nec in specie, seu in genere probetur. Atque ita sentit Laymannus, D. VVaizenegger *in disp. De malef. n.* 187. & 189. & insigniter Palaus *Tract.* 4. *disp.* 8. *punct.* 15. §. 4. cum Farinacio, Pegna, Croto *Tract. De testibus. Part.* 7. *n.* 324. qui à *n.* 317. *ad* 340. bene explicat materiam de singularitate testium, sicut & Andreas Gail *Lib.* 2. *Observat.* 66. ostendens *n.* 12. repugnante valde probabiliter D. VVaizennegger *loc. cit. n.* 189. & 190. quomodo testes singulares probent in materia decimarum, & quando aliquid est in genere probandum, ut e. g. Titium esse infamem, aut furiosum. Et idem Crotus *n.* 340. edisserit, quomodo ad concordiam reducendus sit unus, & idem testis, qui variat, sicut & Gabriel de testib. *Concl.* 2. *n.* 18. tradit, singularitatem (diversificativam) nihil obesse, quando probandus est actus successivus, secùs, quando momentaneus.

100 Postremò addo, magis credi duobus affirmantibus, quàm mille negantibus. Gloss. *in L. Diem proferre. ff. De arbitr.* si videlicet negativa non sit coarctata loco, & tempore, sed cadat sub sensum, tunc enim æquè creditur negranti, ac affirmanti. Franc. Curtius *Tract. De testibus. n.* 9.

Quæres III. *An valeat dictum testis non jurati?* 101

RESP. *Nullius testimonio quantumcunque Religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi.* Text. express. *Cap. Nuper* 51. *De testibus.* concordat *L. Iurisjurandi. C. De testibus.* ubi nulla fit mentio, præjudicii. Amplia: Quacunque dignitate fulgeat ille testis. Ferrarius *in Pract. Crimin. in forma juramenti testium. Verb. Constituti.*

Excipe I. Nisi sit Papa, nam ejus dicto simpli- 102
ci creditur. Crotus de testibus *Part.* 4. *n.* 217. Et addit Gail *Lib.* 1. *Observat.* 101. *n.* 14. multis locis Imperii, longa consuetudine, & privilegio receptum esse, ut nobiles personæ per scripturam sub fide sua, absque corporali juramento deponant, ita ut eorum sigillum, & propriæ manûs subscriptio sit loco juramenti.

Excipe II. Nisi fortè juramentum à parte re- 103
mittatur adversa. Textus *Cap. Tuis. De testibus.*

Excipe III. Nisi per privilegium, aut dispensationem quis habeat, ut jurare non teneatur. Nec enim verum est id, quod docet Crotus *Tract. De testibus. cap.* 7. *n.* 229. post Ancharanum, & Felinum *in cap. Constitutus. De Rescriptis in* 6. quòd scilicet nec Papa, nec alius supremus Princeps possit dispensare, ut in ferendo testimonium in judicio non interveniat juramentum. In primis enim Andreas Gail, ut 104
primùm vidimus, testatur, reipsa observari in Germania, ut illustres personæ non jurent. Deinde juramentum non est de substantia testimonii. Crotus ipse *loc. cit. n.* 244. Albericus *De testibus. cap.* 3. *n.* 12. contra alios. Et denique juramentum in teste, non est de jure divino, quidquid dicat Crotus *loc. cit. n.* 228; post Ancharanum, & Felinum, quia nusquam reperitur in Sacra Scriptura id constitutum. Et 105
quamvis Jacob à suo socero Laban *Genes.* 31. exegerit juramentum, non tamen sequitur, esse de jure divino; plurima enim factitaverunt Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, quæ Deus non præcepit.

Est ergo juramentum in teste solùm de jure 106
positivo humano, adeóque dispensabile per supremum Principem, cùm quisque possit in suis legibus dispensare, ejusdem quippe est solvere & ligare. *Cap. Inferior. dist.* 21. itémque in sui antecessoris, quia par in parem non habet imperium. Textus, & ratio Cap. *Innotuit. De elect.* Porrò debent jurare testes, se, seu 107
interrogentur, seu non interrogentur, dicturos, quæ pro utraque parte sciunt, nulla falsitate admixta, & ex nullo odio, vel amore, aut pretio, ut ex jure probat Gloss *Cap. Fraternitatis. Verb. Iuramentis.* & sequuntur Schenck *n.* 7. itémque Albericus *Tract. De testibus. cap.* 7. *n.* 49. & Nellius *De testibus. n.* 59. idque tactis sanctis Evangeliis, quamvis in Germania loco tactûs Evangeliorum viri duos digitos tollant in altum, mulieres admoveant manum pectori dicentes: *Sic me DEVS adjuvet, & omnes SS. ejus.* Debent & actor, atque reus jurare, sine dolo defensuros causam suam; quod juramentum appellatur juramentum *Calumniæ.*

108 Illud insuper observa, quòd quando testis interrogatur de re perceptibili per sensum visûs, censeatur interrogari, utrùm ipse viderit; & quando interrogatur de re perceptibili per sensum auditûs, ut de strepitu, prolatis verbis &c. censeatur interrogari, an rem illam visibilem viderit suismet oculis, audibilem audierit immediatè propriis auribus. Quare si juret, id factum, quod ipse non vidit fieri, aut non percepit suismet auribus, committit perjurium, testis quippe debet deponere de his, quæ novit, vidit, & quibus interfuit. *Cap. Testes.* 3. *quæst.* 9.

109 Et testimonium de auditu, cùm scilicet testaris, te ex Cajo audisse, quòd Titius Mævium certissimo necaverit, communiter non valet. Petrus de Moncada in Crotum *Part.* 9. *n.* 366. Curtius *De testibus. num.* 58. Menoch. *De arbitr. Iud. Cas.* 475. egregiè; etsi faciat aliquod indicium, & præsumptionem, atque in adversarium transferat onus probandi. Iidem *ll. cc.*

110 Quamvis autem idem Moncada ex *Cap. Præterea. De testibus*, doceat, illum, qui per solum auditum, & famam aliquid scit, posse jurare, se scire, eo scilicet modo, quo per auditum, vel famam sciri potest, id tamen non admitto, nisi in casu, quo constat, ejusmodi testem non esse testem de visu, ut communiter requiritur, sed de solo auditu, seu qui referat solùm ex aliis audita, relatáque ab aliis, quisque enim præsumitur aliquid facere eo modo, quo debet. Doctores communiter: debet autem quis per se loquendo jurare de visu, non autem de auditu. *Suprà num.* 108. Quo autem pacto testis de auditu admittatur tunc, cùm agitur de aliquo antiquo, & vetusto negotio edisserit Gabrielius *De testibus. Conclus.* 3.

R. 3.

CLERICOS ET LAICOS.

SECTIO IV.

De teste Clerico, & Laico.

SUMMARIUM.

Clericus potest esse testis contra Clericum. 111.
Item contra Laicum. 112.
Non tamen in causa criminali. 113.
Nec in foro civili sine facultate Episcopi. 114.
Laici testimonium adversus Clericum in causa criminali nil probat. 118.
Excipe crimina excepta. 122.
Aut si non potest aliter probari delictum. Ibid.
Aut si causa est quidem criminalis, sed civiliter mota. 123.
Laicus nequit Clericum accusare criminaliter. 124.

Quæres I. *An Clericus possit esse testis, & quatenus?* 111

RESP. I. Clericus contra Clericum potest esse testis. *Cap. Super prudentia.* 14. *q.* 2. Et quidem tum in causa propriæ Ecclesiæ. *cit. cap. Super prudentia*, & nos infrà *n.* 125. tum in causa unius Clerici contra alium. Gloss. *in cit. cap.* 7. *Super prudentia*, communiter recepta. Atque adeò in causa unius Canonici suæ Ecclesiæ contra Canonicum vel suæ, vel alterius etiam Ecclesiæ. Gloss. *Ibid.* Ratio est, quia nullum jus prohibet id Clericis.

Potest & Clericus esse testis etiam contra 112
Laicum. *Cap. Quamquam* 14. *quæst.* 2. Et quidem ejus testimonium pluris faciendum est, quàm Laici *cit. cap. Quamquam.* Gabriel. *de test. Concl.* 4. *n.* 6. id limitans.

At Clerici testimonium contra Laicum non 113
est admittendum in causa criminali. Abb. *in cap. De cætero. De testibus. n.* 1. Speculator *De teste. §.* 1. *Verb. Item quod est Clericus.* Contra Crotum *n.* 69. & alios. Nam testimonium Clerici adversùs Laicum nemo recipiat. Text. *c. Testimonium* 11. *q.* 1. Limita: nisi deficiant alii testes. Abbas *loc. cit.* aut in crimine hæresis, aliisque exceptis, non tamen quando agitur causa sanguinis. Crotus *loc. cit.*

II. Nec debet in foro sæculari reddere testi- 114
monium sine facultate Episcopi. *citat. cap. Quamquam* 14. *q.* 2. Aufrerius *Tract. De testibus. n.* 18. Etenim Clericus non potest jurare 115
absque facultate Episcopi. *cap.* 1. *De Iuramento calumniæ.* Albericus *Tract. De testibus, cap.* 5. *n.* 31. Atque ita habet praxis, teste Alberico; 116
tametsi in Gallia vigeat contraria. Aufrerius *loc. cit.* Unde patet, non posse à Laico com-

pelli Clericos, ut testimonium ferant, & quando ferunt, debet esse in providentia Episcopi,
117 ut aut coram se, aut aliter honorificè veritatem attollant. Text. *cit. cap. Quamquam.* Quod si absque licentia Episcopi testificentur, valebit nihilominus testimonium. Abbas *Cap. Cùm nuntius. De testibus. in fin.* Aretinus *Ibid.* Crotus *Tract. De testibus. n.* 179. Etenim Leges id vetantes non reddunt talem actum irritum. Crotus *Ibid.* post Aretinum, sed tantùm illicitum. Porrò Clericos non posse testificari in causa sanguinis, nisi ad absolvendum, deduces ex dicendis *n.* 152.

118 Quæres II. *An Laici testimonium adversus Clericum sit recipiendum?*

RESP. *Laicos in accusationem, vel testimonium contra Clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendos, censura Sacrorum Canonum manifestiùs edocet.* Ita rescripsit Alexander III. relatus *cap. De cætero. De testib.*

119 Excipe I. Nisi fortè suam, aut suorum injuriam prosequantur Laici. Text. *Ejusdem cap.* Limita hanc exceptionem: Ut tunc ad accusandum, non autem ad testimonium admittantur. Text. *ejusd. cap.* Ratio decisionis Pontificiæ est duplex. Prima, quia *oppidò eis quidam infesti existunt.* Text. *cap. Laicos, & cap. Laici. 2. q. 7.* Ob quam rationem allatam quoque à Jul. Claro *Lib. 5. q.* 14. Eusebius, & Anacletus Pontifices sanxerunt, Laicos in accusa-
120 tione
121 Episcoporum audiendos non esse. Altera, quia, cùm Laicus non sit gradu, & conversatione par, videtur ob reverentiam Clericali statui debitam refellendum testimonium Laici adversùs illum. Crotus *loc. cit. num.* 59. post Aretinum. Argum. *cap. Laicos, & Laici 2. q. 7.*

122 Excipe II. Crimina excepta. Clarus Text. *in cap. Tanta. De Simonia.*

Excipe III. Nisi aliter non possit probari delictum, quàm per testimonium Laici, tum enim, ne & illud maneat impunitum contra Cap. *Vt famæ. De sentent. excom.* & Clericis detur nimia occasio delinquendi, contra Leg. *Convenire. ff. De pact.* existimant, defendúntque Abbas *in cap. De vetero. De testibus. n.* 3. Crotus *De testibus. n.* 61. contra Aretinum posse, & debere in subsidium admitti testimonium Laici adversùs Clericum criminaliter accusatum, si videlicet crimen sit tale, ut ex naturâ suâ nequeat probari sufficienter per solos Clericos. Adhuc plus etiam de testimonio mulierum contra Religiosum quoque dicit in facti contingentia. Portell. in Respons. *Part. 1. Cas. 25. n.* 3. post Gomez, Salzedum, Clarum Rodriq. Delrium, quos refert.

123 Excipe IV. Causas criminales quidem, sed civiliter motas. Abbas *loc. cit. n.* 6. addens, etiamsi Clericus accusetur ad privationem Beneficii, attamen dici accusari de crimine civiliter. Consentit Crotus *loc. cit. n.* 56. quibus litem non moveo. Quamvis autem *cap. Nullus.* 124 *2. q. 7.* dicatur: *Nullus Laicus audeat Clerico crimen inferre,* & mox *cap. seq.* addatur: *Laico non licet quemlibet Clericum accusare;* quamvis præterea generatim loquendo testificari non possit, qui accusare non potest. *cap. Ipsi Apostoli 2. q. 7. & cap. fin. 2. q.* 8. Glossa *in cit. cap. Ipsi Apost. vers. Nec esse* communiter recepta, quia tamen illi priores Canones non loquuntur de accusatione civili, sed criminali criminaliter intentata, idcirco non obsunt datis resolutionibus.

§. 3.

REGULARES ET SÆCULARES.

SECTIO V.

An, & quatenus Religiosi possint testari, & contra hos sæculares.

SUMMARIUM.

Religiosus est idoneus testis in causa suæ Ecclesiæ. 125.
Quid hic intelligatur nomine Ecclesiæ? 126.
Abbas potest esse testis in causa rerum spectantium etiam ad ejus mensam. 128.
Et Religiosus in testamento, quo legatur aliquid ejus monasterio. 131.
Etsi illud vergat mediatè in utilitatem singulorum. 132.
Et Abbas in causa tangente dignitatem Abbatialem. 135.
Et Religiosus in causa alterius Religiosi, etiam habitantis secum. 137.
Refertur hanc in rem privilegium Cisterciense. 138.
Atque in causa sæcularis hominis. 139.
Sed peccat, si testetur sine facultate sui superioris. 141.
Etiamsi sit causa testamentaria. 144.
Nisi non inveniantur aliæ idoneæ personæ. 146.
Aut legetur aliquid ejus monasterio. 148.
Et tunc plenè res probabitur, modò aliqua mulier etiam testificetur. Ibid.
Superiores ne facilè permittant, ut sui Religiosi testificentur. 149.
Singulariter Societatis Iesu. Ibid.

Magi-

Magistratus togens Regulares testificari in causa sanguinis excommunicatur. 153.
Plus creditur testimonio Religiosi, quàm Laici. 154.
Laicus sæcularis nequit testari contra Religiosum in causa criminali. 156.
Quando delictum Religiosi ita est occultum, ut probari nequeat nisi per sæcularem, auditur sæcularis. 158.
Quatenus testes inhabiles admittendi deficientibus habilibus. 159.

125 QUæres I. *An Religiosus possit esse testis?* RESP. Statuimus, *ut liceat vobis in causa Ecclesiæ vestræ ferre testimonium.* Ita Priori, & Fratribus S. Trinitatis rescripsit Eugenius III. *Cap. Insuper. De testibus.* quod Rescriptum intelliges sequentibus modis.

126 I. Nomine Ecclesiæ intelliguntur hîc etiam illa, quæ spectant ad monasterium Argum. *Extravag. Ambitiosæ. De reb. Eccles. non alien.* Aufrerius *Tract. De testibus, num.* 1. adeóque potest Monachus esse testis, etiam quando agitur de quibuscunque bonis, & juribus sui Monasterii, *Cap. Etsi Christus. §. fin. De Iurejur.*

127 II. Quod Pontifex *in cit. cap. Insuper,* statuit de Priore, & Fratribus S. Trinitatis, intelligitur statuisse de omnibus Regularibus, cujuscunque alterius Ordinis Religiosi. Nam Doctores passim ex hoc Cap. probant generatim, Regulares posse testari in causa suæ Ecclesiæ. Confirmatur ex *Cap. Cùm nuntius. De testib.* ubi idem statuitur de quovis Clerico.

128 III. Adeóque Abbas, aut Præpositus Regularis est probabiliter testis idoneus etiam in
129 causis rerum ad suam mensam spectantium. Hostiensis apud Albericum *Tract. De testibus. c. 4. n. 69.* & inclinat ipse Albericus contra plerosque. Ratio est, quia dictum generaliter intelligi debet generaliter. *L. 1. §. 1. ff. De Legatis præstandis.* Gloss. *Ibid.* communiter recepta. Atqui dictum Eugenii suprà relatum est
130 generale. Nec obest, quòd nullus idoneus testis in re sua intelligatur. *L. Nullus. ff. De testibus,* nam respondeo, generi per speciem derogari. Text. *L. generi, ff. De R. g. Iur.* Itaque illi genericæ Regulæ *nullus* derogatur per *cit. cap. Insuper,* & idcirco, quòd omnia bona Religiosorum sint potiùs bona DEI, quàm Abbatis. Clemens VIII. *in Constit. De largit. munerum Religiosis interdicta.*

131 IV. Potest Religiosus esse, testis etiam in illo testamento, quo aliquid legatur ipsius monasterio. Bartolus *in L. In tantum. Verb. Universitatis. ff. De rerum divisione,* ubi sic distinguit: Aut causa super qua debet fieri testimoniam, spectat ad Collegium principaliter, quantùm ad honorem, & commodum Collegii, & tunc unus de Collegio potest esse in causa Collegii testis, quia dicitur causa omnium, non autem propria: aut non spectat principaliter ad honorem, & commodum Collegii, sed ad commodum singularum personarum Collegii, & tunc unus ex Collegio non videtur idoneus testis in causa Collegii, *L. Nullus. ff. De testibus.* Unde cùm tractatur de dona- 132
tione facta Fratribus Minoribus pro fabrica Ecclesiæ, quilibet de Conventu potest esse testis, si donatio revocaretur in dubium; secùs si donatio esset facta, ut quilibet de Conventu perciperet tunicam; tunc enim illi de Conventu non essent idonei testes.] Hactenus Bartolus, cujus totam doctrinam approbant, & testamento, cui interest Religiosus, applicant Silvester *Verb. Testamentum. 1. quæst. 5.* Sanchez *Lib. 6. Moral. c. 13. n.* 102. post Farinacium, & alios.

Quæ distinctio mihi etiam probatur, atque 133
adeò dico cum Sanchez *loc. cit.* post Farinacium, quòd Religiosi testimonium in testamento, quo aliquid legatur in immediatam utilitatem sui monasterii, valeat, esto mediatè etiam vergat in utilitatem singulorum, quidquid generatim neget Menochius *De arbitrariis Iudicum. L. 2. Cauf.* 106. *num.* 13. *&* 15. quemquam de communitate posse esse testem illius dispositionis, quæ etiam mediatè, & in-
directè vergit in commodum singulorum. Li- 134
cèt enim hæc Menochii doctrina sit vera, si loquamur de universitatibus, & communitatibus sæcularium, quia tamen Jura Canonica videntur in hac ipsa materia longè magis favere Religiosis ideo illam doctrinam non admitto circa Religiosos. Circa quos puto etiam probabiliter dici posse, quòd sint idonei testes in illa quoque causa, in qua agitur immediatè de perpetuo commodo non solùm ipsius communitatis, sed dignitatis, & officii, quo quis tunc fungitur. Ut e. g. Abbas potest esse testis in li- 135
te ipsam Abbatialem dignitatem, & mensam, Prior in lite Priorale officium, sustentationem, peculium &c. concernente. Ratio est, tum quia *cit. cap. Insuper.* generatim dicitur, Religiosos posse esse testes in causis suæ Ecclesiæ, id est Ecclesiasticorum, Religiosorúmque jurium, tum quia, cùm illud commodum Abbatiæ, Prioratus &c. de quo litigatur, supponamus adhærere ipsi Abbatiæ, Prioratui &c. adeóque esse perpetuum, testis autem sit *brevi virvens tempore,* fugiátque *velut umbra. Iob. 4.* & sit Religiosus, præsumendum est, ejusmodi Religiosum in testimonio dicendo habere rationem potiùs solius suæ dignitatis perpetuæ, quàm sui commodi transitorii. Tum denique, 136
quia secundùm Sanchez antè citatum, Religiosi testimonium admittendum est in causa sui monasterii, etiam quando in illum mediatè redundat commodum temporale; sicuti etiam Hostiensis *n.* 128. relatus vult admitti testimonium Abbatis, in causis ejus mensam concernentibus.

Quæ-

137 Quæres II. *An unus Religiosus possit testificari in causa alterius Religiosi?*

RESP. Potest. Patet. ex *cap. Nuper. De testibus.* & ex Authentic. *De Monachis. §. Cogitandum. Collat.* 1. Et quidem etiam in causa illius Religiosi, cum quo habitat. Ratio est, quia *cit. cap. Nuper. & cit. §. Cogitandum.* tractatur expressè de ejusmodi casu.

138 Nec obest quòd domestici testimonii fides non probetur. Text. *L. 3. C. De testibus*; dico enim vel huic, & similibus juribus, quæ referam *Sect. seq.* respectu Regularium derogari per *cit. cap. Nuper. & cit. §. Cogitandum*, vel nomine domestici intelligi illum suum, qui est sub potestate illius, à quo producitur. *Infrà n.* 165. Casum notabilem circa hanc materiam referam *n.* 175.

Et verò Urbanus III. inter cætera privilegia, quibus locupletavit Ordinem Cisterciensem tam præclarè meritum, pergentémque mereri de universa Ecclesia, concessit absque ulla limitatione id, quod Reverend. D. Bernardus Abbas Lucellensis in sua curiosa Epitome Fastorum Lucellensium refert *fol.* 53. hisce verbis: *Ut in causis propriis, sive civilem, sive criminalem quæstionem contineant, Fratrum nostrorum testimoniis uti nobis licitum sit.* Cujus illimitatæ gratiæ efficacia extenditur per participationem ad Ordines etiam Mendicantes.

139 Quæres III. *An Religiosus idoneus sit testis in causa alicujus sæcularis?*

RESP. Religiosi possunt esse testes tam judiciales, quàm cujuscunq; instrumenti; & quamvis testamentum condere non possint, possunt tamen esse testes testamentarii. Sanchez *Lib. 6. Moral. cap.* 13. *n.* 100. cum plurimis Theologis, & Jureconsultis, quos citat, quibus adde tum alios, quos allegat, sequiturque Ferrariis *in Pract. crimin. in forma juramenti testium. n.* 32.

140 tum Lezanam *Tom.* 1. *cap.* 9. *n.* 16. Ratio est, tum quia nusquam id ipsis absolutè interdicitur, ergo hoc ipso est eis licitum Argument. Regulæ allatæ *num.* 2. tum quia ita habet usus, ut etiam in gravissima causa testamentaria factum fuisse testatur idem Ferrariis. Est autem hæc responsio intelligenda cum sequentibus declarationibus restrictivis, & ampliativis.

141 I. Religiosus peccat, si absque facultate sui superioris det testimonium. Silvester *Verb. Testis. q.* 1. Etenim non licet ipsi subjicere se imperio alterius judicis, juramentum exigentis, Sanchez, & Lezana *ll. cc.*

142 II. Valet tamen ejusmodi testimonium absque licentia superioris datum Sanchez *loc. cit. num.* 108. post Abb. & alios contra Angelum,

143 & alios. Quia lex irritans actum est valdè odiosa; quandoquidem semper curandum est, ut actus potiùs valeat, quàm ut pereat. Doctores ex *L. Quoties. 1. ff. De reb. dub.* ergo non est intelligenda, nisi in casibus expressis; non exprimitur autem in nostro casu ulla irritatio, seu infirmatio ejusmodi testimonii. Et verò ita determinatum esse à Sacra Congregatione, testatur ex Novario Lezana *Tom. 3. Verb. Testis. n.* 1.

III. Ut licitè Religiosus sit testis instrumen- 144
tarius, cùm scilicet conficitur aliquod instrumentum testamentarium, venditionis &c. requiri licentiam superioris, negat Sanchez *loc. cit. n.* 106. post Parisium, Lopezium, & alios; asserit verosimiliùs apud ipsum Farinacius *De testibus. q.* 61. *n.* 130. Mascardus *De probation. Tom.* 1. *Conclus.* 260. & alii, quia *C. Quamquam 7. q.* 2. prohibetur, ne Clerici pro conficiendis instrumentis rogentur, *quia eos in talibus rebus esse non convenit.* Et quamvis id ipsum de ho- 145
minibus etiam Societatis negat Sanchez, vero tamen similius est id ipsis vetari per Regulam ultimam Sacerdotum, quæ ita habet: *Etsi, cùm opus est, ad condenda testamenta hortari conveniat, iis tamen conficiendis non assistant.* Atque ita habet constans praxis hujus nostræ Provinciæ Superioris Germaniæ. Et meritò, quia revera possunt inde nasci incommoda non levia.

Excipe I. Ubi nullæ idoneæ sæcularium in 146
veniantur personæ, ne veritas occultetur. Text. *cit. cap. Quamquam.* Unde etiam me consulente interfuêre aliquando duo è nostris, tanquam testes, matrimonio, quod cum dispensatione Episcopi contrahebatur occultissimè.

Excipe II. Loca, quibus viget mos Lucer- 147
nensium, de quo suprà *n.* 91.

Excipe III. Nisi in eo testamento aliquid le- 148
getur Ecclesiæ, aut Monasterio, aut Collegio Confessarii juxta dicta *n.* 131. & notat Laym. *Lib. 3. Tract. 5. cap. 2. num.* 5. ubi rectè addit, sufficere, si unus masculus, vel una fœmina unà cum Confessario adsit ejusmodi legato pio. Nam in legatis piis cessant omnes solennitates juris civilis, & statur solis conditionibus à jure naturali, vel gentium requisitis, *cap. Relatum. 1. De Testam.* Tannerus *L. 2. De immunit. Ecclesiast. cap.* 8. testans omnes Theologos, & Juristas ita sentire.

IV. Prælati Regulares non debent facilè 149
permittere suis subditis, ut fungantur officio testium, Lezana *cit. Verb. Testis. n.* 1. cum Peirinis, & desumitur ex *cit. cap. Quamquam.* Ac singulariter in nostris Constitutionibus *Part. 6. cap.* 3. prohibetur, ne nostri Superiores nobis dent licentiam testificandi, *nisi in causis, quæ ad Religionem Catholicam pertinent, vel alioquin in piis, quæ sic cedunt in hujus favorem, ut in alterius detrimentum non cedant.* Et in il- 150
lius capitis declaratione *lit. F.* ponuntur hæc verba: *Si Superior alicui facultatem daret, ut in causa*

causa civili examinaretur in gratiam alicujus, cui id denegari non posse videretur, limitatio tunc necessaria erit, ut prohibeat, si quis articulus criminalis, vel infamatorius occurreret, in eo examinari, ad hoc enim nullus Superior facultatem dare debet. Ita sanxit noster sanctissimus Fundator, norátque etiam Sanchez *cit. cap.* 13. *n.* 104.

151 V. Si tamen veritas non possit aliter haberi, quàm per testes Regulares, tum possunt in causa civili compelli ad testimonium dandum. *Cap. Dilectorum. De testibus cogendis.* Gloss. *Ibidem*, valde prolixè, Lezana *Tom.* 1. *cap.* 11. *n.* 24. Sunt autem compellendi à suo Superiore Regulari, ut vel coram Laico, vel coram Ecclesiastico judice deponant. Lezana *loc. cit.* post Rodriquez, *Tom.* 2. *qq. Regul. quæst.* 10. *art.* 2. & Peirinis *Tom.* 2. *Privil. Minimorum in Constit.* 2. Julii. II. *n.* 147.

152 VI. At verò nec sponte, nec jussi testificari possunt in causa sanguinis ad condemnandum, esto possint ad absolvendum. Lezana *loc. cit.* post Rodriq. & Peirinis *ll. cc.* Et si in ejusmodi causis ferant sponte testimonium, sequatúrque mors, fiunt irregulares. Lezana *Tom.* 3. *Verb. Irregularitas. num.* 30. ex communi; secùs si coacti post præmissam protestationem. Idem *Ibid.* post Coninck *De Sacramentis. disp.*

153 18. *n.* 56. & alios. Et Magistratus, qui in hoc casu cogit, incurrit excommunicationem, Lezana *Tom.* 3. *Verb. Testis. n.* 1. Potéstque ita compulsus Regularis jurare utendo amphibologia. Lezana *cit. Tom.* 3. *Verb. Iuramentum. n.* 11. quia judici interroganti non juridicè non teneor respondere. Silvester *Verb. Mendacium. q. ult.* Lezana *loc. cit.* & consequenter possum uti amphibologia, seu æquivocatione; cùm nulla æquivocatio sit per se mendacium. Navarrus *in Manuali cap.* 12. *n.* 4. Suarez *Lib.* 3. *De Iuramento. cap.* 10. *&* 12.

154 VII. Testimonio Religiosi creditur plus, quàm Laici. *Cap. Quamquam.* 14. *q.* 2. Adeò, ut fratris Religiosi testimonium pro fratre sæculari admittatur. Hippol. *in Pract. §. Principium. n.* 11. post Imolam.

155 VIII. Ex his deduces, an socer Sulpitii Merulæ fuerit in Accusatione Canonica ritè inductus, & fictus producere Clericos, ac Regulares, dum generum accusavit civiliter, non criminaliter, Argum. eorum, quæ dixi in præfatione ad lectorem.

156 Quæres IV. *An sæcularis possit testificari contra Regularem?*

RESP. I. Laicus sæcularis non potest in causa criminali testificari contra Religiosum. Patet ex Cap. *De cætero. De testibus.* quod descripsi *numero* 118. Rationem ex Alderete adfert Lezana *Tom.* 3. *Verb. testis. numero* 6. hanc, quòd sæculares soleant esse Religiosis infesti.

II. Etsi Lezana *loc. cit.* generatim negat, sæ- 157
culares posse testificari contra Religiosos in causa criminali, in eúmque finem adducit cap. cit. *De cætero*, eo tamen Capitulo nullo modo probatur, non valere testimonium sæcularis Sacerdotis contra Religiosum etiam in causa criminali, quia illud Capitulum expressè loquitur de Laicis. Ne legi ullum Canonem quo interdicatur, ne sæcularis Sacerdotis testimonium admittatur contra Religiosum; quare non auderem eum repellere, ob Regulam allatam *num.* 1. Quidquid tamen 158
sit, quando delictum Religiosi est occultum, nec aliter, quàm per sæcularem probari potest, admittendus est sæcularis etiam Laicus. P. Laymann. *L. 3. Tract. 6. cap. 4. n. 3. & seqq.* Lezana *loc. cit.*

Quæ resolutio Laymanni videtur niti illo 159
principio, quod tradunt multi DD. apud Gabrielium de testib. *Conclus. 7. n.* 1. absolutè scribentium, quando veritas nequit aliter haberi, quàm per testes minùs idoneos, seu defectuosos, admitti debere hos. Verùm idem Gabrielius *num.* 7. hanc doctrinam limitat unà cum viginti JCtis, quos nominat, ad casum; quo ex natura negotii, de cujus probatione agitur, veritas nequit comperiri per solos testes omni exceptione majores, seu quando communiter non possunt haberi testes omni vitio carentes. Quæ limitatio tametsi locum non habet in criminibus exceptis, & singulariter in tribunali Sacræ Inquisitionis, ut videre est apud Dianam *Part. 4. Tract. 8. Resol.* 123. admittenda tamen videtur in aliis criminibus, alioquin frustra essent tot Leges, & Canones, quibus tot genera personarum repelluntur à testimonii dictione. Itaque ubi non invaluit consuetudo contraria, videtur standum in criminibus non exceptis doctrinæ, & limitatione, quam Lessius de Justitia *Lib. 2. cap.* 30. *dub.* 5. *n.* 41. *&* 42. expressit his verbis: *Testes minus idonei admittuntur tanquam idonei, quando delictum est commissum eo loco, vel tempore, ubi copia testium haberi nequit, ut in campo, silva, cubiculo, monte, vel nocturno tempore. Item si alter testium sit valde dignus, potest supplere defectum, qui est in altero minus idoneo, ita ut simul efficiant plenam probationem, ut tenet Baldus in L.* Si quis ex Argentariis. 6. §. 1. ff. De edend. *& alii Doctores.* Ibid.

T. 3.

DOMESTICOS, ET EXTRANEOS.

SECTIO VI.

An domestici sint testes idonei?

SUMMARIUM.

Domestici testimonium contra extraneum communiter non admittitur. 160.
Admittitur autem in quatuor casibus. 161. *& seqq.*
Quis generatim nominetur domesticus? 168.
Quis in quæstione de testibus? 167.
Quis dicatur familiaris? 169.
Et singulariter in privilegiis Regularium? 170. *& seqq.*
Domestici testimonium pro domestico contra domesticum valet. 173.
Casus, quo Religiosus dedit testimonium in causa civili pro alio Religioso domestico. 175.
Definitur valor illius testimonii. Ibid.

160 QUæres I. *Vtrùm standum sit testimonio domestici contra extraneum?*
RESP. *Etiam Iure civili domestici testimonii fides improbatur.* Text. *Legis. Etiam C. De testibus.* Confirmatur. *C. Consanguinei. 3. q. 5.*

161 Fallit I. Quando negotium est ejusmodi, ut non soleat committi, nisi inter domesticos, tunc enim admittitur domesticus, saltem deficientibus aliis. Albericus *Tract. De testibus. cap. 2. n. 66.* Federicus Schenck *Tract. De te-*
162 *stibus, num. 28.* Et universim in defectu probationum, cùm scilicet ex negotii, seu criminis natura non potest haberi probatio legitima, admittitur minùs legitima, & aliàs insufficiens. Abbas *Cap.* finali. *De test. cog.* & nos *n. 159.*

163 Fallit II. Quando veritas potest meliùs per domesticos, quàm per extraneos comperiri; tunc enim domestici sunt præferendi extraneis. Aufrerius *De testibus. n. 36.* Bossius *De testibus. §. Publicato, n. 93.* Crotus *De testibus. Part. 4. n. 116* post alios.

164 Fallit III. Quando ille domesticus est persona valde honesta. Crotus *loc. cit. n. 125.* Aufrerius *loc. cit.* post alios. Nam plerumque in Jure cùm ex conjecturis dubitatur de mendacio, integritas, vel sanctimonia vitæ tollit omnem suspicionem. Felinus, & alii apud Aufreriũ *loc. cit.* nam habilitas excellens unius testis supplet inhabilitatem alterius: Gabriel de testibus *Concl. 5. n. 1.* ex communi, etsi utique non universaliter vera.

165 Fallit IV. Quoties aliter non potest comperiri veritas, quàm per domesticos, tunc enim admittuntur domestici in subsidium. Layman. *L. 3. Tract. 6. cap. 4. n. 4.* Et ita generatim videtur etiam sentire Crotus *Part. 1. n. 11. & 12.* dum in casu testamentario resolvit, quoties non possunt haberi idonei actu, vel habitu, admitti minùs idoneos, & citat pro se Abbatem *in cap. fin. De testib. cog.* sed malè, quia Abbas ibi solùm docet id, quod *n. 162.* retuli ex ipso. Et tam generalem doctrinam apertè negat Albericus *cit. num. 66.* Negant tacitè Schenckius, Aufrerius, Bossius, dum enumerantes casus, quibus admittuntur domestici, omittunt hunc, uti & diligentissimus Speculator *De teste. §. 1. vers. Item excipitur, quod est domesticus.* Quare & ego omittendum censeo, nisi accedat una ex circumstantiis in 1, 2. aut 3. fallentia indicatis, aut nisi ejusmodi causa sit, in qua etiam alii inhabiles testes admittuntur, ut est causa hæresis, proditionis &c. juxta dicta *n. 159.*

166 Quæres II. *Quisnam propriè dicatur domesticus?*

RESP. I. Domestici appellantur propriè, quibus imperari potest, ratione patriæ: vel Dominicæ potestatis. Ita loquitur Glossa *C. In Literis. Verb. De familia. De testibus.* Seu qui in accusatoris sunt potestate. Revardus. 2. *Variar.* apud Dionysium Gothofredum *In L. Testes. ff. De testibus.* Seu qui non solùm subsunt patriæ potestati, vel Dominicæ, sed etiam qui cohabitant, & aliquo modo sunt inferiores, vel subjecti capiti familiæ. Sic post Felinum *in cit. cap. in Literis.* loquitur Stephanus Aufrerius *De testibus. n. 35.* II. Loquendo grosso modo dicuntur domestici omnes, qui vivunt ad unum panem, & ad unum vinum. Ita pronuntiat Baldus apud Aufrerium *loc. cit.* III. Licèt verosimilior opinio Gloss. & Revar. 167
ll. cc. itémque Azonis *in L. 3. C. De testibus*, & plurium, quos refert Barbosa *De Officio, & potestate Episcopi. Part. 2. allegat. 5. à num. 2.* ferat, in hac materia testium, nomine domesticorum intelligi illos solos, qui subsunt potestati illius, à quo producuntur, revera enim edictum de testibus cùm sit inhibitorium. *Leg. 1. ff. De testibus.* DD. communiter cum Silv. *Verb. Testis. n. 1.* ac proinde odiosum, restringi debet potiùs, quàm extendi *suprà n. 2.* At- 168
tamen ob contrariam plurimorum DD. opinionem fatendum est, etiam in hac materia nomine *domestici* probabiliter intelligi quemvis familiarem, ita ut familiaris, & domesticus sint in hac materia synonyma, ut post Antonium de Butrio tenent Aufrerius *loc. cit.* Crotus *Part. 4. num. 124.* Albericus *cap. 2. num. 1.* Schenck *n. 25.* Nepos de monte Albano *n. 1.* præter alios, quos refert Barbosa *loc. cit.* ut proinde etiam hoc titulo uxor repellatur à testi-

à testimonio in causa mariti. Crotus *Part. 4. n. 122.*

169 Quæres verò III. *Quis dicatur familiaris?*
RESP. I. In materia de testibus nomine *familiaris* intelligunt Aufrerius, Crotus, Albericus, Schenck, Nepos *ll. cc.* atque alii plures; quemvis, qui est de familia; quod vocabulum, quia significat gentem, vel cognationem, vel servos, & filios, vel plures, qui degunt sub uno convictu, vel tecto, quilibet, cui aliqua istarum qualitatum competere potest, dicetur familiaris, quicunque domesticus dicitur familiaris. Ita loquitur Aufrerius *loc. cit.* consentientibus, quos nominavi, & quos non nego probabiliter loqui, licèt opiner, hoc vocabulum nimis latè hic accipi, propter rationem paulò antè allatam. Sanè Gabrielius *Conclus. 10. De testibus. num. 2.* sic loquitur: *In isto proposito* (de testibus) *dicitur domesticus omnis ille, qui subest alicui ratione potestatis, quam habet in illum, si cum eo cohabitat*; confunditque hic author familiarem cum domestico.

170 II. Quamquam P. Suarez *Tom. 4. De Religione. Tract. 10. Lib. 9. cap. 4. n. 15.* item P. Pellizarius, & P. Thom. Tamburinus à nobis relati Tom. priore *Tract. 3.* seu in Alphabeto Sacrificant. *n. 262.* non immeritò tradunt, in materia privilegiorum datorum alicui respectu suorum *familiarium, seu servitorum*, vel *familiaribus, seu servitoribus* Regularium, Episcoporum, Cardinalium &c. nomine *familiarium, & servitorum*, in rigore loquendo intelligi posse omnes illos, qui vel præcisè in alicujus domo habitant, etsi non serviant ipsi, vel (ut etiam habet compendium Minorum, & nostrum, *Verb. familiares n. 1.*) serviunt ipsi, licèt non habitent in eadem domo. Tutior tamen, & Concilo Tridentino *sess. 24. cap. 11. De Reform.* conformior, ut fatetur ipse Suarez, atque communior opinio est, ad rationem familiaris in prædicta materia privilegiorum requiri semper, nisi aliud exprimatur, duo, ut nimirum, & quis illi serviat, cujus dicitur esse familiaris, & in eadem, cum ipso, domo ha-
171 bitet: Sic enim communiter colligunt Doctores ex Cap. *fin. De Verb. significat. in 6.* & ex *cit. loc.* Concilii Tridentin. docéntque inter alios Bonacina *De Sacramentis. disp. 8. q. Vnica. punct. 4. num. 18.* Barbosa *De Offic. & potest. Episcopi allegat. 5. num. 2.* & in Repertorio Verb. *Familiaris* scitè dicens: *ut contrahatur familiaritas requiritur mens, & dens.* Lezana *Tom. 2. c. 16. num. 1.* citans Rotam Romanam *Diverf. Part. 2. decif. 303. n. 2.* Debet autem in eadem domo habitare continuò, vel quasi continuò, ut notant citati, nisi fortè per accidens ob ægritudinem, aut aliqua sua, dominive negotia aliquamdiu alibi commoretur. Nec est necesse, ut serviat pro stipendio, sufficit, si serviat gratis. Felinus *in Cap. In lis-*
teris. De testibus, Suarez, & alii, contra Gabriel *n. 5.*

Unde colliges, illos, quos monasteria, vel 172
collegia habent judices suorum sæcularium subditorum, & qui ordinariè horis ante- et pomeridianis scribendo occupantur in iisdem monasteriis, posse commodè vocari familiares, etsi ob peculiarem prohibitionem, quæ habetur in nostro compendio *Verb. familiares. in Annotat.* nequeant iis à nobis extra septa nostrorum Collegiorum conferri Sacramenta Eucharistiæ, & extremæ unctionis. Si tamen contingeret, aliquem illorum subitò morbo lethali corripi in Collegio, posset absque scrupulo extremè ungi ab aliquo per Superiorem loci designato, non requisita Parochi licentiâ, juxta dicta Tom. priore, *Tract. 8. Cas. 22. n. 884.*

Quæres IV. *An testimonium domestici pro do-* 173
mestico contra domesticum valeat?
RESP. Valere docent omnes, teste Alberico *De testibus. cap. 7. n. 70.* si videlicet sit par domesticitas. Albericus *loc. cit.* quia scilicet par affectionis causa suspicionem tollit. *Leg. Non solùm. §. 1. ff. De ritu nupt.* Speculator *De teste. §. 1. vers. Sed nunquid frater.*

Quæres V. *An possit domesticus cogi, ut contra* 174
domesticum dicat testimonium pro extraneo?
RESP. Potest. Albericus *cap. 8. num. 16.* post Speculatorem, Aretinum, & alios.

Quæres VI. *Quid respondendum sit ad hunc, qui* 175
in Austria contigit Anno 1651.

Casus pecuniarium.

FRanciscus homo Religiosus dederat aliquando Lælio homini sæculari mutuas pecunias, quas tamen à se fuisse datas mutuas probare nequibat, nisi per testes suæmet Religionis viros magnæ authoritatis. Fuitne in foro sæculari standum horum testimonio?

RESP. Fuit absque dubio standum, atque adeò censendi erant illi testes idonei. I. Quia domestici pro domestico contra extraneum testimonium admitti debet, vel absolutè, quando alii testes haberi nequeunt. *Suprà n. 165.* vel certè quando negotium est tale, ut non soleat coram externis peragi. *Suprà num. 161.* ex communi jurisperitorum; atqui non solent Religiosi advocare extraneos, quando extraneis dant mutuas pecunias. 2. Quia do- 176
mestici pro domestico contra extraneum testimonio statur, si sit persona valde honesta. *Suprà num. 164.* Atqui hoc ipso, quòd illi testes Religiosi scribantur esse magnæ authoritatis, debent haberi pro valde honestis, quia inter Religiosos magnam authoritatem non adipiscuntur, nisi excellentes virtute, prudentia, eruditione, quibus quidem nihil honestiùs esse potest. 3. Quia in causa suæ Ec- 177
clesiæ potest Religiosus esse testis etiam con-

ra extraneum. *Suprà. num.* 125. Atqui illi viri magnæ authoritatis sunt etiam in hoc casu testes in causa suæ Ecclesiæ. Nam quod habet, vel acquirit Religiosus, non sibi, sed suo monasterio acquirit, Innocent. *in Cap. Cùm olim 2. De Privileg.* communiter receptus.

178 Nec obest, quòd quando quis de universitate accusat extraneum, non possit testem inducere socium de sua universitate. Speculator *De teste. §. 1. vers. Sed si aliquis de universitate.* Resp. enim inprimis, nos non loqui de accusatore strictè, sed de actore. Deinde doctrinam Speculatoris, si illam intelligi vult etiam de actore, limitandam juxta dicta *num.*

179 125. *& seqq.* 4. Quòd si illi Religiosi testes tunc, cùm deponunt testimonium, non sint membra Monasterii, aut Collegii, pro quo, aut cujus membro testificantur, clarum est, valere eorum testimonii dictionem, ut sic enim jam desierunt esse domestici, & proinde domesticitatis qualitas nequit iis ampliùs opponi. Speculator *loc. cit. vers. Item excipitur, quòd est domesticus*, atque alii communiter: sicut affinitate dissoluta per mortem consanguinei non potest opponi affinitas. *Suprà num.* 66. Et sic resolvi interrogatus literis.

SECTIO VII.

Proponuntur, & discutiuntur duæ quæstiones de violati Sacramentalis sigilli teste ab aliis omissæ.

SUMMARIUM.

An quando fama spargit aliquem Confessarium revelâsse sacrilegè peccatum Caji detectum in Confessione, sit fas instituere inquisitionem absque facultate Caji? 181. *&* 184.
Non licet aliquem incitare, ad id, quod sine peccato facere nequit. 182.
Sacerdotis frangentis sigillum pœna. 183.
Singulares testes admittuntur ad probandam violationem sigilli. Ibid.
Si Cajus nolit examinari testes famæ, de qua suprà, examinantur illicitè. 185.
Quinam obligentur sigillo Confessionis generatim loquendo? 186.
Quid sit sigillum Sacramentale? 187.
Quis censeatur indirectè, adeòque illicitè revelare sigillum Sacramentale? 189.
Illicitè inter se de peccato illicitè revelato loquuntur, etiam qui audiêrunt revelari publicè. 191.
Quando pœnitens censeatur dare potestatem loquendi de suo peccato confesso? 193.
Nullus eorum, qui audierunt etiam mediatè peccatum revelatum cum fractione sigilli, licitè testantur de illa revelatione. 194.
Multò minùs ipse Confessarius. 195.
Nec potest puniri convictus de aliquo scelere, si notitia publica habuit originem ex revelatione sacrilegâ. Ibid.
Refertur luculentum hanc in rem judicium Curiæ Tolosanæ. 196. *& seq.*
Et supplicium sumptum de sacrilego Confessario. 198.
Propria Confessio homicidæ nihil ipsi obfuit. 199.
Potest Clericus pro aliquo atrocissimo scelere etiam semel duntaxat patrato tradi brachio sæculari. 200.
Senatus Tolosanus habuit utique ab Episcopo facultatem ita animadvertendi in illum Confessarium. Ibid.
Quomodo procedere debeat judex Ecclesiasticus, si ipsi non licet invito Cajo examinare testes? 203. *& seqq.*
Quomodo licitè denuntiabitur, famam glisscere, quòd Titius revelârit sigillum? 211. *& seqq.*
Author submittit judicio lectoris sua sensa de præsenti controversia. 219.
An iniquus author famæ vulgantis, Lælium esse à Cajo occisum, possit esse testis homicidii? 220.
Posse contra talem testem excipi probatur quinque rationibus. 222. *& seqq.*
Non potest inquisitio specialis institui ob famam à maledicis ortam. 225.
Verosimilium testimoniorum magna est vis. 231.
Qui denuntiavit licitè, potest esse testis. 232.
Quando reus non excipit, potest sæpe judex admittere testes minus idoneos. 233.
Refertur cujusdam docti Neoterici judicium de resolutionibus quæstionis num. 181. *propositæ.* 235. *& seqq.*
Respondetur ad primam ejus difficultatem, Confessarium non posse in circumstantiis à nobis positis fateri, se fregisse sigillum. 238.
Etiam adhibita cautela, quam suggerit ille Recentior, nequeunt testes deponere, quòd Confessarius violârit sigillum. 239.
Refertur alterius docti Neoterici amica censura de eodem argumento. 240.
Ostenditur, non posse in circumstantiis ab eo positis testes interrogari de fama. 241.
Iudex nihil temerè debet agere. Ibid.
Ex quibus indiciis judex sæcularis conjicit, esse ab aliquo revelatum secretum sub pœna capitis celandum, ex iisdem Ecclesiasticus conjicit Confessarium fregisse sigillum. 243.
Non temerè suspicor, violari sigillum ab eo, qui publicè

publicè dicit: Cajus est mihi Sacramentaliter confessus homicidium. 244.
Suspicio temeraria procedit ex fundamento levi. Ibid.
Author manet constans in suis resolutionibus prioribus. 246.
Virorum Doctorum alii sunt ipsi assensi, alii non item. 246. in Append. lit. a.
Describitur longum & doctum unius responsum contra resolutionem Auctoris. Ibid. lit. *b.* & aliorum. *lit.* p. *&* zz.
Adferuntur tria nova argumenta contra eandem resolutionem authoris. lit. r.
Describuntur verba, quibus quindecim Theologi negant in ullo casu licitum esse revelare sigillum absque facultate pœnitentis. lit. u.
Nominantur & quinque Iure Consulti. lit. y. *&* z.
Respondetur ad fundamenta recentiorum Doctorum. lit. bb. *& seqq.*
Refertur supplicium sumptum de sceleratissimo Confessario. lit. f.
Describitur Mediolanensis Vicarii responsum circa dubium de modo procedendi judicialiter, quando fama spargit sigillum esse ab hoc, aut illo violatum. lit. qq.
Item pœnæ à Iure Statutæ in violatorem sigilli. lit. yy.
Refertur censura primi è duobus neotericis circa quæstionem. n. 220. *propositam.* 247.
Non est idoneus testis etiam ille, qui spargit iniquè famam sine animo accusandi. 250.
De homine malo semper malum præsumitur. Ibid.
Fama ortum habens à maledicis nihil probat. 251.
Fama non est quidem propriè testis, æquiparatur tamen testi. 252.
Referuntur alterius Theologi rationes contra responsa ad secundam quæstionem. 254. *& seqq.*
Potest in denuntiatione Evangelica esse denuntiator & testis simul, non in Civili. 257.
Denuntiator succumbens in probatione punitur ut calumniator. 258.
Denuntiator non tenetur se inscribere. Ibid.
De quibus authoribus famæ loquatur author? 259.
Non est in testem admittendus is, qui fertur iniquè vulgâsse crimen alienum. 262.

180 Multos sanè Jureconsultos materiam testium distinctè, enucleatè, accuratè pertractantes legi, nullum tamen reperi, qui discuteret duas sequentes quæstiones, quarum tamen resolutio non semel deduci potest in usum.

181 Prima illarum quæstionum est hæc: *An scilicet, quando fama spargit, aliquem Confessarium, de suo quodam certo pœnitente, Cajo nomine, evulgâsse quædam gravia crimina, quæ non nisi ex Confessione ipsius potuit rescire, liceat Superiori illius Confessarii instituere inquisitionem specialem super ea re, examinaréque testes tum ipsius famæ, tum ipsius immediatè revelationis sacrilegæ, seu quibus ipse Confessarius revelâsse dicitur Confessionis secretum?*

Ratio ex una parte dubitandi est, quia ne- 182
mini fas est incitare alterum ad id, quod is sine peccato facere nequit. Doctores *in materia de scandalo*, & nominatim Valentia *Tom. 3. disp. 3. q. 21. p. 4.* Est enim hoc propriè dare scandalum. S. Thom. *2. 2. q. 43.* per totam. Atqui illi, qui interrogabuntur, non poterunt absque peccato, & quidem mortali testari, se audivisse illum Confessarium tale, aut tale crimen de Cajo revelantem; etenim lex sigilli Sacramentalis prohibet id ipsis. Ex altera au- 183
tem parte obstat ratio hæc, quia Confessarius violans sacrilegè secretum, debet deponi à judice Ecclesiastico, detrudique in arctum monasterium. *Cap. Omnis utriusque. De Pœnit. & remiss.* Imò quandoque degradatur, & judici sæculari traditur ad judicium capitale. Majolus *Lib. 5. De Irregularitate, c. 19. n. 6.* Felicianus *De degradat. cap. 14.* ubi refert exemplum Confessarii idcirco morte affecti Venetiis. Ergo debent priùs citari, audiri, & examinari testes tum de fama violati sigilli, juxta dispositionem *Cap. Inquisitioni. De accusat.* tum de iis, quæ audivêre ex ore sacrilego Confessarii; quia in omni negotio requiruntur testes. Text. *Cap. Fortis. §. In omni. De Verb. signif.* Et quidem singulares admitti, ob probationum in hoc crimine difficultatem, docet ex communi, ut ipse ait, opinione, P. Tannerus, *Tom. 4. disp. 6. q. 9. dub. 8. n. 122.*

RESP. I. Si Cajus, cujus Confessionem re- 184
velavit Confessarius, dat judici potestatem examinandi testes, licitè examinabit judex, licitè illi referent, quæ audiverunt; quisque enim jure suo cedere potest. Argum. *Cap. Quod ob gratiam. De Regul. in 6.* ac nominatim hoc speciali iure sigilli. S. Thom. *in 4. dist. 21. q. 3. art. 2. in Corp.* communiter receptus contra Scotum, & alios apud Suarez *Tom. 4. in 3. Part. disp. 33. sect. 3. n. 5.* Obligatio quippe sigilli inducta est vel unicè in favorem pœnitentis. Tannerus *loc. cit. num. 125.* vel in favorem quidem publicum. Navarr. *in Cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. n. 156.* ex communi, & veriore, ita tamen, ut etiam in favorem publicum redundet, si quis hoc, jure cedere valeat. Navarrus *Ibid.* Et verò potest Cajus prædictam licentiam dare absque ullo suo incommodo, quia nemini obesse debet revelatio sigilli Sacramentalis. Doctores omnes teste Lessio *Lib. 2. De Iustit. cap. 29. dub. 14. n. 160.* & patet etiam ex facto, de quo Felicianus *n. 183.* relatus, & ex illo tragico, quod describemus infrà *n. 197.*

II. Si Cajus, cujus scelera pandit iniquè 185
Confessarius, nolit testes examinari super eorum revelatione, nefas est judici eos examinare. Rationem fundamentalem insinuavi *n. 182.*

186 quam sic explico, & applico. Quisquis licitè vel illicitè, mediatè, vel immediatè audivit alicujus Sacramentalem Confessionem, tenetur sigillo Confessionis ad illam celandam; atqui ii, de quibus loquimur, supponuntur audiviſſe mediatè Confeſſionem Caji. Majorem propoſitionem in his terminis ponit Navarr. *in cit. cap. Sacerdos. De Pœnit. diſt. 6. n.* 42. teſtans, illam tradidiſſe S. Thomam, Paludanum, & ad unum omnes, qui *in 4. ſentent. diſt.* 21. ſcripſerunt. Eandem propoſitionem, & doctrinam poſt Navarrum tradiderunt expreſſè Cardin. Toletus *Lib. 3. cap.* 16. P. Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *Part. diſp.* 33. *ſect.* 4. *n.* 5. Cardinalis de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *Part. diſp.* 23. *n.* 106. P. Fagundez *in Præcept. Eccleſiæ Præcept.* 2. *Lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 1. P. Joannes Præpoſitus *in* 3. *Part. Tract. De Pœnit. q.* 11. *dub.* 4. *num.* 31. Diana *Part.* 5. *Tract.* 11. *Reſol.* 7. Sanctgallenſ. in curſu Theol. *Tom.* 10. *fol.* 284. Ignatius Lopez *in Pract. fol.* mihi 420. atque adeò multi, ut Palaus *Tract. De Pœnit. p.* 19. §. 4. aſſerat, illam propoſitionem habendam eſſe pro Regula certiſſima, quam etiam noviſſimè ſupponit P. Joannes de Dicaſtillo *Tom.* 2. *De Sacram.* ſeu *De Pœnit. diſp.* 12. *dub.* 3.

187 Et ratio illius eſt, quia cùm ſigillum Confeſſionis nil aliud ſit, quàm debitum, ſeu obligatio celandi Confeſſionem. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *ad* 3. & in ſupplem. *q.* 11. *art.* 3. *ad* 3. P. Coninck *Tom.* 2. *De Sacram. diſp.* 9. *dub.* 1. *n.* 1. Fagundez *loc. cit. cap.* 1. *num.* 2. ex communi, debuit illa obligatio, quæ primariò reſidet in Confeſſario, tranſire ad omnes, qui Confeſſionem audierunt. Tum quia generatim loquendo res quælibet tranſit cum onere ſuo, ad quemcunque tranſeat. *Cap. Ex Literis. De pignoribus.* Navarr. *loc. cit. n.* 44. tum quia aliter non potuiſſent homines adduci ad ſua peccata integrè confitenda.

188 Scio quidem, à P. Valentia *Tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 13. *p.* 2. P. Tannero *Tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 9. *n.* 133. poſt alios negari, quemquam, præter Confeſſarium obligari propriè ſigillo Confeſſionis, iidem tamen Authores fatentur, ſacrilegium admitti ab illo, qui manifeſtat Confeſſionem, etſi tantùm mediatè audierit illam.

189 Amplia illam doctrinam I. ut ne quidem indirectè liceat cuiquam eorum manifeſtare Confeſſionem. Ita tenent omnes, teſte Suarez *cit. diſp.* 33. *ſect.* 6. *n.* 1. Porrò cenſetur manifeſtare indirectè is, qui peccatum Caji habens cognitum ex ſola Confeſſione mediatè, vel immediatè, aliquid dicit, aut facit, ex quo quiſpiam aſſantium poſſit prudenter (nam imprudentia judicia, & ſuſpiciones quis caveat?) judicare, aut ſuſpicari, Cajum confeſſum eſſe hoc, aut illud peccatum. Cardinalis de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *Part. diſp.* 23. *num.* 105. Navarr. *in cit. cap. Sacerdos. à n.* 53. perſæpe, atque alii paſſim, dum explicant ſpeciales modos, quibus frangitur ſigillum.

Amplia II. Ut in nullo planè caſu, abſque 190
licentia pœnitentis, permiſſa ſit illa revelatio. S. Thom. *in ſupplem. cit. q.* 11. *art.* 1. etiamſi totus mundus periret. Fagundez *De Præcept. Eccl. præc.* 2. *Lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 5. & 7. allegans alios, & loquens de omnibus, qui tantùm mediatè habent ex Confeſſione, quia ſcilicet illa notitia tranſit cum onere ſilentii. Menoch. *De arbitrar. Iudic. Caſ.* 414. *num.* 16. poſt Ignatium Lopez *in Practic. Crimin. capit.* 108. *lit. B.*

Amplia III. Ut ne quidem iis, qui mediatè 191
ex Confeſſione aliquod crimen Caji cognoverunt, fas ſit de eo crimine loqui inter ſe. Joannes Præpoſitus *in* 3. *Part. Tract. De Sacram. Pœnit. dub.* 5. *q.* 11. *num.* 35. loquens de caſu, quo Confeſſarius divulgâſſet publicè, crimen auditum in Confeſſione, Fagundez *loc. cit. cap.* 5. *n.* 2. Diana *Part.* 5. *Tract.* 11. *Reſol.* 23. loquentes de eventu, quo plures audiêre Confeſſionem factam alia voce in naufragio.

Amplia IV. Ut non ſufficiat præſumpta, aut 192
tacita facultas pœnitentis, ſed requiratur expreſſa, Suarez, Coninck, Tannerus *ll. cc.* Menoch. *loc. cit.* ex communi: & non extorta minis, precibus importunis, metu (qui facilè hic intervenit) reverentiali. Fagundez *loc. cit. n.* 21. Diana *Reſol.* 10.

Cæterùm cenſetur data expreſſè, quando 193
vel pœnitens interrogat, vel loquitur cum Confeſſario de aliquo in Confeſſione detecto. Lugo *n.* 131. Vel ex ſignis, & circumſtantiis conſtat expreſſè moraliter loquendo dari facultatem. Dicaſtillo *De Pœnit. diſp.* 12. *num.* 76. ut ſi dicat Confeſſario coram aliis: *Tu ſcis, quid dixerim tibi tali aut tali die; ſi fortè ſum oblitus alicujus circumſtantiæ, poteris me monere.* Idem. *Ibid.* Nec ſcio, qui loquatur laxiùs. Ut proinde ne quidam jam mortui Confeſſionem liceat revelare ob ullum malum vitandum. Suarez *cit. diſp.* 33. *ſect.* 1. *num.* 17. cum aliis contra nonnullos Canoniſtas improbabiliter diſſentientes, nam ſigillum Confeſſionis durat poſt mortem. Navarr. *in Manual. cap.* 8. *num.* 7. ex communi. Occaſione hujus moneo, à Caramuele *in Theol. Fundament.* in prolixa Epiſt. ad Henricum Caniſium pridem antè vita functum *n.* 1401. meritò ſtatui hanc concluſionem: *Summis erroribus expoſitus eſt Canoniſta, qui Theologia Scholaſtica careat.* Exemplis pluribus probavimus hoc pronuntiatum in Vindiciis Theolog. *à n.* 482. ſicut & omnia, quæ hic ſcripſi de obligatione, ac temeratione ſigilli pluribus poſtmodum loco proprio, ideſt in Alphabeto Confeſſariorum *Caſ.* 22. expoſui, nec cenſui eſſe expungenda in hac tertia editione: expedit enim rem tanti momenti haud ſemel revocari in memoriam.

Ex

Ex adductis probationibus, & ampliationibus.

194 Infero I. Nullum illorum, qui mediatè, vel immediatè cognoverunt ex Confeſſione aliquod peccatum Caji, detectum à Confeſſario, poſſe teſtari in judicio, quòd Confeſſarius hoc aut illud peccatum revelârit de Cajo.

195 Infero II. Multò minùs poſſe ipſum Confeſſarium fateri in judicio, ſe hoc, aut illud peccatum Caji revelâſſe ex Confeſſione, niſi adſit facultas pœnitentis; & ſive per Confeſſarii, ſive per aliorum teſtimonia ex ſola Confeſſione ortum habentia quis convincatur de aliquo ſcelere, non poſſe contra illum procedi. Menochius, Baldus, Gomez, Delrio, & alii, quos refert, ſequiturque Dicaſtillo *loc. cit. n.* 60.

196 Illuſtre prorſus exemplum ſigilli Sacramentalis à Confeſſario violati, ſed à Magiſtratu ſæculari Religioſè culti, refert noſter P. Theophilus Raynaudus *in Prato ſpirituali*, ſeu Centuria Hiſtoriarum (habetur hic Tractatus in Tomo decimo ſeptimo operum Raynaudianorum *fol.* 604. *n.* 13.) deſcriptum

Hiſce verbis.

197 *Horret animus ad Iudæ novi ſacrilegam avaritiam Anno* 1579. *Diabolo incentore patratam. Caupo truculentus apud Toloſates excepeum hoſpitio advenam jugulavit in hypogæo, clam omnibus, ac ne domeſticorum quidem ullo vel ſceleris adminiſtro, vel conſcio. Poſt aliquod tempus tangente DEO cor homicidæ exponit conſcientiam apud Confeſſarium, eique cædem advenæ & cædis modum, ac ſepulturæ locum aperit. Nuſquam comparente poſt non breve tempus eo, qui cæſus fuerat, cognati omnes latebras fruſtra ſcrutati, præmium publicè proponunt per præconem iis, qui renuntiarent, quid illo homine factum eſſet. Cauponis Confeſſarius quæſtum æſtimans pietatem, audita mercede non contemnenda indicibus conſtituta, furtim admonuit, quærendum eſſe in hypogæo Cauponis; ibi enim inſoſſum jacere, qui deſiderabatur. Refoſſum eſt cadaver: priuſquam tormentis admoveretur caupo, reum ſe cædis faſſus eſt, quam tamen conſtanter negavit ab ullo mortalium, quàm à ſuo Confeſſario prodi potuiſſe.*

198 *Senatus apprime Catholicus comperto, eo corrupto fonte notitiæ, qua caupo gravabatur, habuit eum pro innoxio, nec paſſus eſt perfidi, & omni nota, ac multa digni Confeſſarii delationem nocere reo, ſed donec is, aliunde patratæ cædis inſimularetur, pronuntiavit inſontem. Omnino Chriſtiane & Religioſè, & ad conſulendum incolumitati tam neceſſarii Sacramenti peropportunè. Et ita faciendum eſſe in eo eventu tradunt multi apud Homobonum* 1. Part. Examin. Tract. 5. q. 110. *& apud Torreblancam* Lib. 4. Dæmonologiæ cap. 7. n. 17. & 18. *Confeſſarius ipſe, ſenatu judicante, actus eſt in furcam, & cadaver crematum.*

Hactenus P. Raynaudus, quæ narratione 199
confirmatur in primis doctrina, quam hoc 42. *capite n.* 195. ex Menochio, atque aliis tradidimus, quòd ſcilicet, ſive per Confeſſarii, ſive per aliorum teſtimonia ex ſola Confeſſione ortum habentia quis convincatur de aliquo ſcelere, non poſſit contra illum procedi; licèt enim ipſemet reus faſſus fuerit, ſe authorem cædis, quia tamen eſt faſſus ob teſtimonium, ſeu garrulitatem Confeſſarii, rectè dicitur, illum homicidam fuiſſe de homicidio convictum per teſtimonium ex ſola Confeſſione Sacramentali ortum habens, & proinde non habere in tali caſu locum elogia propriæ Confeſſionis, quæ Joannes Borcholten accumulat *Conſil.* 12. *Secunda quæſtione*, quòd nimirum ſit excellentior omni probatione: ſuperet omnes probationes: inter probationes obtineat primum locum tanquam Regina &c. hæc enim elogia intelligenda ſunt de Confeſſione facta ſervato ordine juris juxta doctrinam S. Thom. 2. 2. *q.* 69. *a.* 4. non ſervatur autem ordo juris, quando proceditur ex propria Confeſſione edita ſolùm ob ſacrilegam revelationem. Equidem licèt reus in tortura fateatur crimen, ſi tamen fuit torturæ admotus ob indicia non legitima, nihil ei præjudicat ea Confeſſio, eſto fortè poſtea ſuperveniant legitima, Diana cum communi *Part.* 4. *Tract.* 6. *Reſol.* 2.

Eodem facto ſapientiſſimæ Curiæ Toloſa- 200
næ roboratur alia doctrina, alibi à nobis poſt Avilam *De Cenſuris. Part.* 4. *dub.* 3. *Concluſ.* 5. Alciatum, & alios contra alios tradita, quòd ſcilicet Clericus etiam in majoribus conſtitutus poſſit degradari, atque brachio ſæculari tradi poſt unicum, atrociſſimum tamen, & valde periculoſum bono publico crimen, eſto non cenſeatur ille Clericus eſſe incorrigibilis. Fuit verò crimen illius Confeſſarii atrociſſimum, & ſimul bono publico ſummè noxium; quis enim gravium, ſummè infamium ſcelerum reus ea deponeret apud Confeſſarium, ſi non plecteretur infami morte ſacrilega eorum evulgatio? Et quidem facta ob turpiſſimam mercedem, atque cum diſcrimine vitæ alienæ; quale quidem adiviſſet cum eventu luctuoſo ille caupo, ſi incidiſſet in manus judicis vel hæretici, vel Catholici quidem, ſed aut imperiti ſacrorum jurium, aut inhiantis in fortunas reorum? Etenim multis locis fiſco addicuntur bona omnia homicidarum. Etſi autem eſt in Cap. *Sacerdos. De Pœnit. diſt.* 6. decreta mitior quàm degradationis pœna in Confeſſarios violatores ſecreti Sacramentalis, attamen retuli in Tomo priore, ſeu in Experientiis Theologicis *Tract.* 7. *n.* 842. quandoque tales affici extremo ſupplicio, quando

videlicet ea violatio est multùm qualificata, sicuti fuit ea, quam hic descripsimus, minimè dubitantes, quin, priusquam Senatus Tolosanus ferret illam sententiam capitis, fuerit ille Confessarius more consueto degradatus, sæculariquè brachio cum solita deprecatione traditus; nec enim Sacri Canones permittunt Magistratui sæculari jus gladii in Clericos, etsi capitalium criminum reos. *Cap.* 2. *De Foro. compet.* & alibi.

201 Infero III. Ex iisdem superiùs *num.* 186. *& seqq.* allatis communibus, receptisque doctrinis, neque Confessarium, neque illos, qui ex Confessario mediatè, vel immediatè cognoverunt peccatum Caji, in Confessione detectum, posse à Vicario Generali, Officiali aut Prælato ejusdem Confessarii, absque licentia Caji, interrogari: An non illi tale quid audierint, iste tale quid dixerit?

202 At inquies; *Ergo etiamsi esset publicè notum, adeóque notorium, revelâsse Confessionem Caji, non liceret cuiquam id dicere?*

RESP. Tam consequens, quàm consequentiam admittit expressè, ac meritò, P. Suarez *loc. cit. sect.* 4. *num.* 8. admittit quoque P. Joannes Præpositus relatus *num.* 196. nec dubito, quin subscribant Navarrus, Toletus, Lugo, Fagundez, Palaus, Diana adducti *num.* 189.

203 Urgebis: *Quomodo igitur procedet judex Ecclesiasticus, ubi intellexerit, famâ spargi, Lampridium revelâsse Confessionem Caji.*

RESP. Vel ea fama præcisè fert, Lampridium evulgâsse aliquod indeterminatum peccatum in Confessione auditum, seu, ut clariùs loquar, fregisse sigillum: Er hab auß der Beicht geschwätzt? Vel fert, evulgâsse *grave* quoddam, indeterminatum tamen crimen Caji? Vel spargit, aperuisse hoc, aut illud in specie crimen Caji, e.g. mendacium jocosum, vel
204 leve furtum? In primo casu perspicuum est, posse, deberéque operam dari, ut ea fama probetur testibus idoneis, juxta doctrinam Innocentii *in cap. Cùm oporteat. De accusat.* & Nelli *Tract. De testibus. n.* 172. & constito de fama, posse, deberéque instituì inquisitionem specialem de Lampridio, cùm generatim loquendo fama publica (si quidem ortum habuit à viris honestis. *Cap. Qualiter, & quando* 2. *De accusat.* Ferrarius *in Pract. Crimin. in forma inquisit.* Tiber. Decian. *in Pract. Crimin. Lib.* 5. *cap.* 48. *n.* 7.) ad specialem inquisitionem sufficiat. *cit. cap. Qualiter & quando.* quia scilicet est loco accusationis. *cit. cap. Qualiter, & quan-*
205 *do.* Adde, quòd in ejusmodi casu non appareat periculum, ne detegatur peccatum certæ cujusquam personæ, & hìc procedat judex ex officio, non autem ad solam instantiam partis, cùm illa revelatio sit crimen tum publicum, Argum. *L.* 1. *ff. De Publicis Iudiciis.* tum fortasse exceptum. Argum. illius, quod *num.* 24. ex Gratiano retuli. Denique publicæ 206
utilitatis interest, ne crimina maneant impunita. Text. Cap. *Vt famæ. De sentent. excommun.*

At verò in secundo, & tertio casu indicato 207
n. 203. censeo, non posse à judice inquiri in famam, idque duplici ex capite. Primò, quia nemo licitè testabitur illi, famam esseditatam, quòd Lampridius ex Confessione dixerit Cajum admisisse aliquod grave crimen innominatum, aut aliquod parvum mendacium dixisse. Ratio est, quia qui tenentur si- 208
gillo Confessionis, ne indirectè quidem possunt revelare aliquod in specie peccatum pœnitentis, esto sit minimum. Navarr. *in Enchiridio. cap.* 1. *n.* 52. testans ita sentire omnes; Suarez *loc. cit. sect.* 3. *n.* 1. ex communi; nec etiam generatim, aut indeterminatè dicere, Cajum commisisse aliquod grave crimen. Navarr. *in Enchiridio cap.* 8. *n.* 9. Tannerus *loc. cit. n.* 128. Fagundez *loc. cit. cap.* 5. *n.* 6. post alios. Atqui illi, quos utiliter ad suum intentum interrogabit judex, obligantur sigillo Confessionis per dicta *n.* 189. & si testentur, esse revera famam, quòd Lampridius ex Confessione revelârit aliquod grave crimen Caji, hoc ipso saltem indirectè revelabunt Confessionem Caji per dicta *n.* 194.

Alterum caput, ob quod nefas est Officiali 209
ita inquirere, est, quia ipsemet violat sigillum inquirendo; revelat enim saltem indirectè Confessionem Caji per dicta *n.* 195. Unde de- 210
duces, graviter peccaturos, qui quantumvis bono zelo ducti, & ne per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores. Text. Cap. *Vt famæ. De sentent. excommunic.* referrent ad judicem Ecclesiasticum gliscere famam, quòd Lampridius ex Confessione Sacramentali Caji dixerit, esse ab eo admissum grave aliquod crimen.

Instabis: *Quomodo ergo denuntiare debe-* 211
rent?

RESP. Hoc modo: Constans fama fert, Lampridium Parochum revelâsse Confessionem Caji; hujus famæ testes sunt Stichus, & Mævius.

Ergo, inquies, quando Officialis intellexe- 212
rit, esse à Lampridio propalatum homicidium Caji, e.g. non licebit eidem Officiali à Cajo petere licentiam inquirendi in famam, aut examinandi Lampridium, quandoquidem qui lege sigilli astricti sunt, peccant, si cum pœnitente, cujus peccatum sacrilegè detectum est, loquantur de eo peccato.

RESP. Non licebit ipsi eam licentiam pete- 213
re exprimendo homicidium, quia magno rubore afficeret Cajum; licebit tamen petere dicendo in confuso, quòd audierit, Lampridium revelâsse ejus Confessionem, & velle se,

si

si ipse ita velit, Lampridio nominare peccatum, de quo illum infamavit, ut tantò faciliùs convinci possit Lampridius. Obtentâ eâ licentiâ examinabuntur testes famæ, & maximè ii, quibus Lampridius Confessionem re-
214 velâsse fertur. Qui si sint duo contestes (quantumvis Laici per dicta *n.* 122. modò non sint hæretici, per dicta *n.* 25. nec alia necessaria qualitate destituti) poterit ad eorum testimonium ordinaria pœna plecti Lampridius juxta decisionem Cap. *Placuit* 2. *q.* 5. Cui etsi fortè contrarium est Cap. *Præsul. eod.* requirens septem testes ad condemnationem etiam Ostiarii, attamen contraria consuetudine abrogatum est. Laymannus *Theolog. Moral. Lib.* 3. *Tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 3. Imò testes singulares ob probationum difficultatem hìc admitti censet Tannerus relatus suprà *num.* 184. non tamen sufficere duos pœnitentes respectu Sacerdotis bonæ famæ, si illi pœnitentes sint parùm probati in vita, censet P. Dicastillo *loc. cit. n.* 63. loquens etiam de pœna extraordinaria, & meritò.

215 Excipe ex paulò antè dictis, nisi Lampridius probet, se aliunde, quàm ex Confessione compertum habere homicidium Caji. Quod quidem si aliunde non novit, peccabit gravissimè fatendo judici absque licentia Caji, se vel ex Confessione id evulgâsse, hoc enim pacto directè temeraret sigillum; vel absolutè aliis dixisse, hac quippe ratione violaret indirectè sigillum per dicta suprà *n.* 189. quia tunc præsumeretur, & prudenter crederetur, esse illi in Confessione manifestatum id scelus. Abbas *in cap. Omnis utriusque. De Pœnit. & remiss. n.* 26. citans Hostiensem, adstipulante Silvestro *Verb. Confessio.* 3. *quæst.* 9. ac Tannero *cit. q.* 2. *n.* 122.

216 Et quia, si in prædicto casu omnino sileat, dabit judici, atque aliis circumstantibus, habentibus in memoria Regulam 43. *in* 6. *qui tacet, consentire videtur*, sufficientem causam judicandi, illum silere, solo metu frangendi sigilli, atque adeò suo silentio, & tacitus revelabit sigillum, censeo conformiter iis, quæ in Experientiis *Tract.* 7. *n.* 840. *&* 841. dixi post Suarez *De Pœnit. disp.* 33. *sect.* 6. *n* 7. & Dicastillo *loc. cit. n.* 126. atque alios, contra Paludanum, & Sotum, debere rotundè inficiari, se quidquam cuiquam mortalium unquam uspiam de illo homicidio locutum esse,
217 vel audiviſse. Cùm enim posito, quòd Lampridius ex sola Confessione Sacramentali illud homicidium cognoverit, judex citra licentiam Caji pœnitentis non habeat jus eum interrogandi, an, & ex qua notitia id dixerit, nec enim habet jus incitandi ad rem illicitam, per dicta suprà *n.* 182. poterit, ac proinde debebit Lampridius pernegare, se quidquam unquam audiviſse, vel dixisse, utendo æquivocationibus, & restrictionibus, quas ex communi explicant Suarez, & Dicastillo *ll. cc.* & nos Tom. priore *Tract.* 7. *n.* 841. Profectò, si permittatur Ecclesiastico cognitori potestas examinandi Lampridium sine licentia Caji, magnæ absurditates poterunt oriri, & praviſsima opinio de Cajo, odiúmque in illum. Quòd si Lampridius asserat, se à Cajo habuisse facultatem revelandi, at Cajus neget, se dedisse, tunc in dubio orto præcisè ex illius affirmatione, hujus negatione, præsumendum est pro data licentia. P. Dicastillo *loc. cit.* post Dianam *Part.* 5. *Tract.* 11. *Resol.* 41. Si quidem sit integræ famæ Sacerdos, Lopez *in Pract. Crimin. cap.* 105. *n.* 4. post Laym. *Menoch. De arbitrar. Iudic. Cas.* 414. Farinacius *in Praxi quæst.* 51. sub finem Barbosa *in cap. Omnis utriusque n.* 24. cùm & de viro bono non sit præsumendum tantum sacrilegium, & non expediat, talem licentiam dare in scriptis. Idem Dicast. post Suarez *De Pœnit. disp.* 33. *sect.* 5. Non aderit autem dubium, si non occurrat ratio, ob quam potuerit Cajus prudenter concedere facultatem, cùm hæc non soleat dari, nisi ob causam utcunque gravem.

Fortè autem erit bonus modus, aut etiam 218
melior procedendi, si primo congressu quæratur ex Lampridio, utrùm habuerit à Cajo potestatem revelandi peccatum ejus, si asserat, credetur ei in dubio, si neget, tum non satis video, quo jure possit ex illo quæri: *Cur igitur fregisti sigillum?*

Porrò, quia ut suprà memini, non reperi, 219
qui hoc argumentum tractet, planéque ignoro, an omnes meæ resolutiones sint conformes, aut aliquæ difformes stylo unius, aut plurium Curiarum, subjicio omnes judicio peritorum usu, neminem damnans, qui secùs fecerit, senserit.

Et verò cùm hæc omnia, quæ de hoc tot difficultatibus implicito argumento edidi primo typo, legissent meo rogatu duo præstantes ingenio, doctrina, usúque Doctores Theologi, mihíque petenti misissent amicas suas censuras, deprehendi, non omnia planè eis probari, quæ superiùs scripsi, ut liquebit ex literis ipsorum à me referendis *n.* 247. *& seqq.*

Altera quæstio de teste, quam miror præte- 220
riri à meis Jureconsultis, qui vel Practicas Criminales, vel tractatus de testibus conscripsere, est hæc: *An scilicet Stichus. e.g. qui est auctor famæ vulgantis, Lælium necatum esse à Cajo, sit idoneus testis adversus Cajum?* Adeóq; generatim: *An author famæ, ob quam instituitur specialis inquisitio de aliquo, possit esse testis contra illum, saltem in causa criminali?*

Ratio id asserendi est hæc, quia videtur ità 221
receptum usu tribunalium, & quia non videtur posse adferri ratio, cur talis testis repellatur; ergo hoc ipso est pro idoneo habendus. Suprà

222 Ratio autem negandi est. I. Quia nullus idoneus testis in re sua intelligitur. Suprà *n.* 37. ejusmodi verò famæ author esset testis in re sua; Etenim illa est res sua, seu propria causa, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Text. *L. 1. ff. Quomodo appellandum*; seu commodum, & incommodum, laus aut vituperium. Aufrerius *De testibus. n.* 84. aliique plures. Atqui famæ prædictæ commodum, aut incommodum, veritas, inquam, & falsitas pertinet haud dubiè ad authorem famæ, habebitur enim pro calumniatore, si fama falsa sit, quapropter magnopere ejus interest, eam esse veram; sicuti etiam pro iniquo detractore habebitur, si in judicio neget id, quod extra judicium dixit.

223 II. Quia nemo potest esse in eadem causa testis, & reus. *Suprà n.* 35. Author autem famæ potest à Cajo constitui reus; siquidem quamprimùm intelligit Cajus, Stichum de se sparsisse, quòd necaverit Lælium, poterit injuriarum, ut loquitur Ulpianus *L. Si quis. & L. Si Liber. ff. De Injur.* experiri, & agere, idque vel civiliter, vel criminaliter. Text. §. *In Summa. Instit. De Injur.*

224 III. Quia criminosi testimonium non admittitur. *Suprà n.* 3. atqui ejusmodi testis est criminosus, tum quia grande crimen admittit, qui propalat grande delictum occultum alterius. S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 2. adstipulantibus omnibus; tum quia & is reus est gravis peccati, qui non conatur restituere famam, quam abstulit evulgando occultum alterius delictum. S. Thom. *loc. cit.* omnium calculo approbatus.

225 IV. Quia ne quidem inquisitio specialis potest institui ob famam à maledicis, sed tantùm à providis, & honestis ortam. Text. *in cap. Qualiter & quando.* 2. *De accusat.* & suprà *n.* 204. ergo multò minùs potest ad capturam, aut torturam procedi ex testimonio unius, aut plurium, qui iniquè revelârunt peccatum alienum.

226 Accedit V. hæc ratio, quòd si author malæ famæ admittatur in testem, detur cuivis maligno homini ansa, quemlibet conjiciendi in extremum discrimen honoris, quia quilibet potest affingere optimo cuique viro aliquod tetrum flagitium, idque evulgare, & deinde esse testis, ac proinde suo testimonio facere semiplenam probationem, sufficientem ad infamem capturam, ac secundùm multos ad tor-

227 turam. Atqui occasiones malorum tollendæ sunt per Leges, non ponendæ; siquidem & occasio, quæ delictis viam aperit, amputanda est. *L. Illud. ff. De pact. dotal.* Borcholten *Consil.* 16. Et licèt omnibus hominum malitiis viam præcludere non possimus, Gloss. *in cap. Ut circa. De elect.* in sexto. Argumento *cap. Si omnia* 6. *q.* 1. iis tamen obviandum est, quoad possibile est. *cit. cap. Ut circa, & cap. fides. De rescript.*

Ob has, atque alias rationes, salvo aliter 228
procedentium judicio, arbitror, posse à Reo excipi adversus testimonium illius, qui author iniquus est famæ de ipso sparsæ, excipi, inquam, saltem in causis criminalibus. Nec pu- 229
to, in tribunalibus, quibus præsunt viri Juris bene periti, prudentes, & probi simul, vigere praxin contrariam.

Hoc verum est, quòd licèt ejusmodi testis 230
non faciat semiplenam probationem, si tamen adfert causam sui testimonii, sicut facere debet, cùm certum sit, causam sola testatione prolatam, nec aliis adminiculis approbatam, nullius esse momenti. Text. *in L. Sola. Cod. De testibus*, & videri potest Federicus Schenck *Tract. De testibus. n.* 43. præbeat judici justam occasionem inquirendi in ejusmodi causam, & circumstantias ei adjectas. Et quia verosi- 231
milium testimoniorum maxima vis est Franciscus Curtius *De testibus, n.* 12. Argum. *Cap. Inspicimus. De Reg. Iur. in 6. & L. In obscuris. ff. eod.* fit sæpe, ut talis testis tam verosimilia deponat indicia, ut licèt ejus verba fidem non mereantur, indicia tamen, quæ adfert, & quæ judici aliunde nota esse possunt, ad semiplenæ probationis vim ascendant.

Quòd si author famæ non deliquit manife- 232
stando crimen alienum, sicut constat ex materia de detractione dari casus, quibus fas sit occultum crimen alterius prodere uni, vel alteri, e. g. correctionis paternæ causa, cum potest irrefragabiliter admitti testimonium illius, qui fraternè denuntiavit. *cap.* 4. *De testibus.* & Glossa *ibid.* adeóque qui licitè primus aperuit factum alienum. Sic intellige DD. 233
qui cum Ferrario *In Pract. Crim. in forma inquisition. Vers. Non uno, sed pluribus.* communiter docent, indicia patrati facinoris, de quo in aliquem infamatum specialiter inquiritur, debere regulariter probari testimonio duorum. Sic etiam, & non aliter approbo praxin judicum, de qua suprà *n.* 221. saltem in casu, quo reus excipit adversus ejusmodi testem. Nam quando non excipit, tum fortè à judice non habetur ratio eorum, quæ suprà contra talem testem produxi, quia regulariter non debet impartiri suum officium, nisi petenti. Text. *L.* 4. *ff. De damno infecto.*

Et verò pro comperto habent periti Juris, 234
persæpe fieri, & rectè fieri, ut judex stet testimonio testis minùs idonei, quando reus non excipit contra illum; modò ille testis non sit jure naturæ inhabilis ad testandum. e. g. fatuus. Ajirer *Part.* 1. *cap.* 10. *n.* 23. Etenim reus non excipiens, quando scit, se excipere posse, adeóque tacens videtur consentire juxta Cap. *Qui tacet. De Reg. Iur. in* 6.

Cæterùm quia & hæc secunda quæstio, 235
quam

quam hucusque discussi, obnoxia est variis difficultatibus practicis, volui super ea quoque cognoscere judicium duorum illorum Doctorum, quorum mentionem feci suprà *n.* 219. & sensum hîc exprimam, inchoando à judicio circa quæstionem motam *n.* 181.

Prior itaque, & longo usu perquam peritus Doctor rescripsit de meis resolutionibus circa illam primam, lubricámque quæstionem in hæc verba.

236 Casum istum censeo verissimè, & juridicè
» decisum quoad substantiam, in parvis tamen
» quibusdam accidentibus putarem clariùs quæ-
» dam posse dici; & in primis Confessarium ac-
» cusatum, & convictum, quòd adulterium re-
» velâsset, posse quidem fateri, se fregisse sigil-
» lum, cùm per hoc nihil revelet certi, teneri ta-
» men pernegare, se hoc dixisse.

237 Deinde judicem non posse quidem inqui-
» rere, an Lampridius dixerit illud crimen, posse
» tamen etiam in hoc casu cum debita cautela
» inquirere, an Lampridius fregerit sigillum,
» omittendo cujus personæ, vel quale crimen
» revelârit. Cautela autem erit monitio testium,
» ut abstineant à persona confitente, & crimine
» confesso, sed tantùm dicant: an Lampridius
» violârit sigillum.

238 Hæc duo duntaxat circa meas responsiones, directè tangentes quæstionem primam attulit ille Pater. Tertium quia non tangit fundamenta sensus mei, prætermitto, atque explico adversus illa duo puncta amantissimè communicata: quandoquidem illa doctrina, quam de modo revelandi indirectè Confessionem alterius protuli *n.* 189. (seu juxta primam editionem *n.* 194.) est receptissima, dissensurum me à communi sensu, si admitterem, illum Parochum posse fateri, se fregisse sigillum; si enim fateatur se fregisse, tum judex, & quivis conscius, illum esse convictum, quod adulterium revelârit, prudentissimè aut suspicabitur, aut etiam judicabit, Cajum confessum fuisse illi convicto Confessario adulterium, quandoquidem adsunt, positis iis, quæ ponuntur in Casu, prægnantes causæ id suspicandi; atqui is indirectè revelat sigillum, qui aliquid dicit, aut facit, ex quo prudenter conjicitur, hoc certum crimen fuisse à tali homine detectum in Confessione Sacramentali, ut vidimus suprà *cit. n.* 189.

239 Et quia eadem prudens suspicio exorietur, si testes etiam adhibita cautela, quam sagaciter suggerit ille Doctor, deponant, Lampridium fregisse sigillum, idcirco neque eidem cautelæ possum acquiescere. Sanè nemo, ut reor, judicaret, à me committi peccatum necessariò subjiciendum clavibus, si facerem, quam exprimo, consequentiam: *Duo testes omni exceptione majores deposuerunt, Lampridium fregisse sigillum, & quidem deposuerunt, postquam publica fama vulgavit, eos scire, quòd Lampridius sacrilegè revelârit adulterium Caji, ergo reipsa illud revelavit Lampridius; ergo reipsa illud commisit Cajus*, quia revelatio sacrilegæ adulterii essentialiter supponit, detectum esse in Confessione adulterium, siquidem qualitas sine subjecto esse nequit. *L. Si servum. ff. De act. empt.* Hic Rhodus, hic salta. Est hic solus nodus Gordius, qui mihi apparet in hac materia inextricabilis.

Alter ex iisdem Patribus Theologis, atque 240
Sacror. Canon. Professor, rescripsit in primis,
probari quidem sibi illud quoque principium,
quod omnes scilicet, quibus mediatè vel im-
mediatè ex Sacramentali Confessione pecca-
tũ Caji innotuit, Sacramentali sigillo teneantur, attamen à se non satis inde colligi posse,
cur testes interrogari non possint de fama violati à Lampridio sigilli, crimen etiam illud in
particulari nominando, ratione cujus sigillum Lampridius fregisse insimulatur, cum testes non interrogentur de homicidio à Cajo facto, ad quod non revelandum fortasse sigillum non obligaret, sed utrùm fama non spargat, Lampridium violâsse sigillum; & utrùm
fama non spargat, quòd de Cajo dixerit, eum
homicidium commisisse, quibus per testes probatis, judici incumbit aliis modis inquirere,
an ex Sacramentali Confessione hoc vulgave- 241
rit Lampridius. Certè etiamsi testes ex Lampridio audivissent, quòd in Confessione Sacramentali de homicidio se accusâsset Cajus,
adhuc dubium mihi esset, an interrogari non
possent, utrùm e. g. non audivissent, quòd
dixerit, Cajum in Confessionali de homicidio
se accusâsse. Cùm enim qui talia dicentem
Lampridium audiunt, non teneantur credere, imò nec possint sine temeritate aliqua præsumere, quòd sacrilegè secretum violet, non
obligabuntur sigillo Sacramentali: neque
etiam dubito, quin Confessariorum imprudentia sæpè aliquid effutiat, quòd meliùs tacerent, nollem tamen omnes audientes sigillo
Sacramentali obligare; cum nec prudenter
præsumere possint ex Confessionis notitia hæc
talia manifestari, cur ergo à judice, ad quem
violati sigilli fama pervenit, interrogari non
possint de his auditis?

Hactenus literæ illius secundi Doctoris, 242
qui, quoniam profitetur, se non dubitare de iis, quæ ex communi doctrina suppono, non perspicio, cur non deducat ex communi doctrina Navarri, & Cardinalis de Lugo adducta à me *n.* 189. nefas esse interrogare testes in circumstantiis ab eo admissis. Si enim testes dicant, famâ publicâ ferri, Lampridium fregisse sigillum Confessionis, ac de Cajo dixisse, quòd hic patrârit homicidium, judex prudenter suspicabitur, Lampridium fuisse locutum de eo homicidio non aliter, quàm per Confessionem

cogni-

cognito; tum quia ista consequentia est verosimilis, si non certa: *Lampridius fregit sigillum, ut fert constans fama publica; idémque dixit, Cajum esse homicidam, ut eadem fama spargit; ergo non temere suspicor, homicidium fuisse illud ipsum peccatum, ratione cujus dicitur Lampridius temerâsse arcanum Sacrum*; tum quia cùm judex nihil temere agere debeat. *L. Iudices. Cod. De Iudic.* non posset sæcularis judex auditis, quæ hîc narrantur, & applicatis materiæ sigilli naturalis sub mortalissimo peccato obligantis, inquirere, an Consiliarius Principis insimulatus de violato arcanissimo secreto Principis, insimulatus autem non in aliis circumstantiis, quàm exprimit ille Doctor, non revelâsset hoc,
243 aut illud speciale secretum. Etenim judex non potest procedere ad inquisitionem specialem nisi nixus prudenti ratione *Cap. Qualiter, & quando. De accusat.* Ergo si judex sæcularis positis illis, quo posita hîc sunt, licitè examinet tum testes, tum ipsummet Lampridio similem Consiliarium de revelatione hujus specialis secreti naturalis, censebitur prudenter suspicari, illum Consiliarium fuisse in hoc particulari casu perfidum suo principi: ergo & Judex Ecclesiasticus prudenter suspicabitur, Lampridium fuisse sacrilegum in homicidio evulgando. Licèt enim lex Christi de sigillo Sacramentali non permittat ea omnia examina, atque testificationes, quæ Leges Civiles, non vetat tamen, quò minùs judex Ecclesiasticus formet ex iisdem indiciis suspicionem de violato secreto Sacramentali, ex quibus sæcularis format de temeratione secreti naturalis obligantis sub pœna capitis.

244 Ad illud, quod idem P. Canonista *n.* 241. subdit de peccato temeritatis, admittendo ab iis, qui præsumerent, esse *sacrilegè*, (si non supponerent esse virum illibatæ famæ. *suprà n.* 217. ex Lopez, Menochio, Farinacio, Barbosa) violatum secretum à Confessario illo, quem ipsimet audissent dicentem: *Cajus est mihi Confessus homicidium*; e.g. dicentem, inquam, sine addito, quòd habuerit à pœnitente facultatem palàm faciendi, replico in primis applicando huc ea ipsa, quæ protuli duobus numeris præcedentibus, & addo, esto fortè temeraria esset ejusmodi præsumptio, haud tamen temerariam fore suspicionem, sed prudentem, cùm suspicio temeraria procedat solum ex fundamento levi. S. Thom. 2, 2. *q.* 60. *n.* 3. hîc autem adsit fundamentum non leve, utpote petitum ex communiter accidentibus: communiter enim qui nolunt videri temerâsse sigillum, dum loquuntur de peccatis certi pœnitentis, tanquam auditis in Confessione, addunt, se habuisse ab eo expressam facultatem vulgandi.

245 Quapropter non auderem ego negare absolutionem testi, qui mihi præter alia fateretur, se ex illis dictis Lampridii (non habiti positivè pro viro bono) suspicatum esse, quòd revera hîc deliquerit in inhibitionem Canonis *Omnis utriusque. De Pœnit. & remiss.* non tamen habere propositum firmum desistendi ab hac suspicione.

Et quia videor saltem probabiliter, si non 246
evidenter satisfeciſſe dubiis, quæ illis duobus doctissimis viris occurrerunt circa primam illam quæstionem, ejúsque probationes, & Corollaria, confirmor ego in iisdem resolutionibus, discessurus tamen ab iis, si quis verosimiliora attulerit in medium.

Appendix Cordati Canonistæ.

OBservaveris, ut reor, sedule Lector, nul. a las, aut vix ullas in hoc, vel priore volumine meo, quæstiones gravioris momenti à me tam studiosè, operosèque pertractari, quàm eas, quæ fuerunt mihi vitæ præteritæ, vel ab omnibus meis domesticis Scriptoribus, vel à plerisque. Has inter est illa, quam proposui suprà *n.* 181. cuique edisserendæ septem priores paginas impendi. Quia tamen nec ego mihi ipsi, nec illi duo scientiâ Theologicâ, Canonicâque excellentes, (utpote quam utramque in celeberrimis Academiis Dilinganâ, Ingolstadiensique sunt publicè interpretati) quorum, à me interrogatorum, Responsa retuli *n.* 235. & 239. integrè satisfecerunt tenuitati mei ingenii, censui esse mihi aliorum quoque exquirendam sententiam, è quibus duo publicè profitentur Sacros Canones, alii duo verè excellunt Theologiæ Moralis, quam & sunt publicè professi, comprehensione. Duo illi Patres Canonistæ rotundè rescripserunt, non obstantibus meis rationibus, posse judicem etiam invito pœnitente, cujus peccatum fama fert esse nequiter revelatum à Confessario, inquirere in famam, examinare testes, & adigere (ut exprimit unus è duobus) Confessarium, ut edicat: An revera sit, nec ne, elocutus id, quod fama, testésque vulgârunt? At verò Theologorum à me interrogatorum alter assentitur quidem mihi in casu, quo pœnitens & adhuc superstes est, & expressè negat se permittere, ut inquisitio, seu processus ullus instituatur. Si verò jam aut sit mortuus, aut vivat quidem adhuc, sed nequeat ob distantiam, locíve, in quo moratur, ignorationem interrogari, permissum esse juridicum processum.

Quartus denique non permittit (absque formali consensu pœnitentis) ut judex inquirat, dixerítne Confessarius, aut an ferat fama eum dixisse hoc, aut istud in specie crimen à Cajo patratum, sed solùm in genere: utrùm Confessarius fregerit, seu fregisse dicatur sigillum.

Trium

Trium priorum fundamenta tam nervosè, & verè masculè proponit alter è Canonistis, qui & Theologiam Moralem multis Annis magna cum soliditatis laude docuit in diversis locis, ut piaculo ducam non transferre huc ipsius verba. Sic ergo in literis ad me 13. Julii Anni 1677. datis proponit ex meis literis, ac deinde edisserit in utramque partem statum hujus

Quæstionis præteritæ ab aliis, at non prætereundæ.

b „ SI publica fama spargat Cajum Confessarium revelâsse aliquod Titii peccatum ve-
„ niale in specie, vel aliquod grave in genere,
„ sed ex sola Confessione Sacramentali cogni-
„ tum, an, & quomodo judex Ecclesiasticus pos-
„ sit de hoc inquirere? alii de fama revelatio-
„ nis, vel de ipsa revelatione testari? aut ipse
„ Confessarius fateri? Ratio dubitandi est, quia
„ hi omnes inquirendo, testando, aut fatendo
„ videntur alios ad frangendum sigillum impel-
„ lere, vel ipsi id frangere. Quod ita probatur:
„ ille frangit sigillum Confessionis, qui ex no-
„ titia dependenter à Confessione Sacramenta-
„ li mediatè, vel immediatè accepta dicit, quòd
„ Titius confessus fuerit v. g. hoc veniale in spe-
„ cie, vel aliquod grave peccatum in genere,
„ imò qui hoc vel indirectè tantùm facit, atque
„ ita loquitur, vel agit cum Titio, vel cum aliis,
„ ut ille, vel isti possint inde prudenter judicare,
„ colligere, vel suspicari, quòd Titius tale pec-
„ catum confessus fuerit, nisi ipse Titius sponte
„ dederit expressam facultatem, tale quid dicen-
„ di, vel agendi: atqui fama publica si spargit
„ à Cajo esse ex Confessione Sacramentali reve-
„ latum Titii hoc peccatum veniale in specie,
„ vel aliquod grave in genere, eáque sit vera,
„ tunc & ipsa, & notitia per illam accepta, de-
„ pendet saltem mediatè à Confessione Sacra-
„ mentali, & si judex de fama violati à Cajo si-
„ gilli, (in abstracto loquendo,) inquirat, an
„ ea extet, an vera sit, & testes de illa testentur,
„ aut Confessarius sacrilegus fateatur, hoc ipso
„ jam unus cùm altero ita loquitur, & agit, ut
„ quisque illorum possit inde prudenter collige-
„ re, quòd Titius illa ipsa revelata peccata con-
„ fessus fuerit, sic enim quisque discurret: Te-
„ stis testatur publicam famam violati à Cajo si-
„ gilli esse veram; atqui fama publica est viola-
„ tum à Cajo sigillum per revelatum Titii hoc
„ veniale in specie, vel aliquod grave in genere,
„ item hoc fatetur Cajus Confessarius, idem sup-
„ ponit judex ipso facto, si Cajo propterea pœ-
„ nam infligat, ergo Titius illa peccata con-
„ fessus est, quia alioquin non potuissent ex Con-
„ fessione fuisse revelata, nec fama de facta eo-
„ rum revelatione esse vera, ergo testis de fama
„ violati à Cajo sigilli etiam abstractè testando,
„ Confessarius fatendo, & judex propterea Reum
„ puniendo frangit sigillum, & inquirendo ex
„ conscriis, impellit illos ad frangendum; ergo
„ nullus judex potest contra Confessarium sacri-
„ legè violantem sigillum judicialiter procede-
„ re, sed debet impunitum relinquere, nisi ipse
„ cujus peccatum sacrilegè est revelatum, for-
„ maliter & expressè consentiat.

Confirmatur ex iis, quæ DD. de obligatione c
sigilli Sacramentalis passim tradunt. In primis enim S. Thomas ait: *In nullo casu absque licentia pœnitentis permissa est revelatio*, etiam si esset necessaria ad proprium Confessarii gravissimum damnum bonorum corporis, & vitæ vitandum, imò & ad vitandum periculum salutis æternæ, si in peccato mortali constitutus, & dubius de elicienda contritione sciret ex Confessione sibi imminere mortem, & non posset sine fractione sigilli declinare, etiamsi in bonum ipsius pœnitentis necesse esset v. g. loqui cum illo ad supplendum defectum alicujus Confessionis factæ, etiamsi pœnitens ipse sub peccato gravi esset obligatus, & irrationabiliter nollet consentire in revelationem faciendam ad bonum publicum aliter non amoliendum; etiamsi periclitarerur: *bonum temporale & spirituale totius mundi.* Gabr. *etiamsi totus mundus periret.* Fagund. *etiamsi tota fides Christiana periret.* Diana *Part. 5. Tract. 11. Resol. 1.* ut refert Summa V. Sigillum, ergo nec ad puniendum Confessarium sacrilegè violantem sigillum.

Hæc tamen sententia, ut verum fatear, mihi omnino non probatur, & videtur posse d
satis efficaciter impugnari sequentibus argumentis.

I. Quia inde sequitur, quòd à Magistratu Ecclesiastico sua jurisdictio, & potestas publica vindicandi & puniendi delicta publica, eáque gravissima, & bono publico summè noxia non possit exerceri, nisi tantùm dependenter à libera voluntate, & consensu unius tantùm privati hominis, atqui hoc planè est absurdum, & falsum, imò videtur etiam implicare, cùm hæc potestas Ecclesiæ sit, & dicatur simpliciter *publica*, & tantùm in dato casu non sit publica, sed dependens unicè ab unius tantùm hominis arbitrio & beneplacito. Confirmatur. Communissimè DD. negant legem Ecclesiasticam quoad vim obligandi dependere ab acceptatione, quia absurdum est, potestatem legislativam Ecclesiæ, quam Ecclesia non accepit à populo, subjicere arbitrio, & voluntati populi, vel alicujus communitatis; ergo multò magis absurdum, imò apud omnes omnino falsum est, quòd lex Ecclesiæ & potestas legislativa, quoad vim obligandi subjecta sit, & pendeat à voluntate, consensu & arbitrio, *etiam prorsus irrationabili*, unius tantùm privati hominis, ergo etiam absurdum & falsum est, quòd Ecclesiæ potestas vindicativa,

quoad

„ quoad punienda delicta, pendeat ab arbitrio, „ etiam irrationabili, unius tantùm personæ „ privatæ.

e II. Si Titius, antequam ei innotuisset, factam esse suæ Confessionis revelationem, fuisset mortuus, tunc Cajus ob fractum sigillum, „ etsi id publicè constaret, tamen à judice Ecclesiastico non posset ullâ pœnâ affici, quia Judex „ cum Reo de revelatione peccati loquendo, „ vel agendo frangit sigillum, nisi Titius consensum suum ad id dederit, atqui Titius in „ vivis, quia factum nescivit, non dedit, jam „ verò mortuus dare non potest formalem & „ expressum consensum, præsumptus autem „ non sufficit, ergo. Multò magis impunitus „ erit omnis ille Confessarius, qui primùm post „ mortem suorum pœnitentium revelat eorum „ peccata, qualiacunque etiam in specie, vel „ integras Confessiones, quia mortui non possunt judici dare formalem, & expressum consensum, atque licentiam loquendi aut agendi „ cum Reo de revelatione suorum peccatorum, „ & præsumptus non est sufficiens, ut dictum. „ Unde.

f III. Hæc sententia præbet malis Confessariis maximam occasionem & amplissimum „ campum temere peccata quævis suorum pœ„ nitentium manifestandi, quia inducit & præ„ stat ipsis omnem impunitatem in foro exter„ no, nisi ipsi pœnitentes formaliter & expressè „ dent licentiam, quam tamen sæpissime dare „ non poterunt, quia jam mortui sunt, quia longè absentes sunt, vel quia nescitur, ubi sint &c. „ atqui hoc est sanctitate Sacramentorum indignum, Sacramento pœnitentiæ odiosum, Confessariis scandalosum, fidelibus gravissimè „ damnosum, bono publico totius Ecclesiæ summè noxium, divinæ quoque providentiæ injuriosum & contrarium, ergo & id unde sequitur.

Quid ergo hîc scribendum, aut statuendum de proposita Quæstione?

g CEnseo planè, & quidem prorsus intrepidè, „ quemvis, cui notum est, à Confessario esse „ alicujus pœnitentis peccatum veniale, grave „ mortale in specie, vel genere ex Confessione „ Sacramentali revelatum, posse id itidem in „ specie cum omnibus adjunctis factæ revelatio„ nis denuntiare judici, & in judicio testari, „ Confessarium posse id ipso in judicio fateri, „ judicem posse libere inquirere, procedere, „ sententiam ferre, & exequi, neque ullum hîc „ subesse Periculum violandi sigilli, neque de eo „ ullum habendum scrupulum. Rationes sunt „ sequentes.

h I. Quia prædicta omnia fieri possunt salvo „ sigillo, si pœnitens ipse formaliter, & expressè „ det licentiam, vel ex signis, & circumstantiis constet expressè moraliter loquendo, pœni- „ tentem dare licentiam, ut docet Dicastillo relatus in Quinario Reverentiæ Vestræ *Tract. 5.* „ *num.* 193. atqui nullus ex omnibus pœnitentibus est, si prudens sit, ut supponitur esse, ut„ pote capax hujus Sacramenti, qui si resciat „ publicam famam esse, quòd aliquod suum pec„ catum à Confessario ex Confessione revelatum „ sit, non libentissimè, formalissimè, & expres„ sissimè consentiat, ut judex Ecclesiasticus in„ quirat, & puniat, & testes testentur &c. quia „ in primis ad hoc ob bonum publicum, ad re„ verentiam Sacramenti, & tollendum scan„ dalum obligatissimus est, & quidem meo judi„ cio sub peccato gravi, cùm sigillum non in so„ lius pœnitentis, sed etiam in omnium fide„ lium favorem sit introductum. In Quinario „ *loc. cit. num.* 184. Deinde quia pœnitens dare „ hanc licentiam potest sine omni prorsus suo „ incommodo, cùm fractio sigilli, seu sacrile„ ga revelatio sigilli Sacramentalis (uti & ea „ omnia, quæ inde sequuntur,) nemini debeat „ obesse. *Ibid.* Et denique quia id faciet cum magno suo bono. „

i Nam si fama publica de revelato ipsius ex Confessione peccato judicialiter cognoscatur „ esse vera, tunc om...es, & singuli, ad quos antè „ pervenit, debent deinceps servare sigillum, & „ neque ullus cum altero, aut cum ipso pœniten„ te, eo invito, potest ullo tempore, ullo loco, „ aut in ullo negotio de eo, ne quidem indire„ ctè tantùm loqui, vel agere, & sic tota fama „ sopitur, & extinguitur. Sin autem judicialiter „ declaretur peccatum pœnitentis, quod spar„ sum fuit, non esse ex Confessione revelatum, „ tunc judicialiter constat famam publicam de „ illo peccato revelato esse falsam, sicque pœni„ tens liberatur, infamia facti. „

Ulterius, si ex ullis circumstantiis posset ali„ quando constare expressè, moraliter loquendo, „ quòd pœnitens det licentiam loquendi, vel a„ gendi de suo peccato confesso, tunc sanè etiam „ ex prædictis circumstantiis id constat; atqui hæ „ circumstantiæ semper adsunt, & dantur, si „ pœnitens adhuc vivus resciat ejusmodi famam „ publicam esse, ergo Judex, testes denuntian„ tes sine ulla requisitione licentiæ à pœnitente „ dandæ possunt tutò procedere. Pro illo au„ tem casu, quo pœnitens nescit publicam fa„ mam, vel jam est mortuus, vel expressissimè di„ cit, se nolle dare ulli licentiam de revelatio„ ne peccati, aut de revelato suo peccato „ loquendi, agendi &c. valet & est ratio se„ quens. „

k II. Obligatio sigilli Sacramentalis ita debet „ necessariò intelligi, & explicari, ut non impe„ diat, aut tollat media ad illam in foro inter„ no vel externo observandam necessaria, cùm „ in utroque foro sit sanctissimè observanda, & „ implenda; quia alioquin esset sibi ipsi contraria,

„ ria, repugnans, suique destructiva, qualis nul„ la in utroque jure reperitur; atqui si obliga„ tio sigilli ita intelligeretur, & explicaretur, „ ut contra transgressores non posset in foro ex„ terno procedi sine expressa & formali licen„ tia pœnitentis, cujus interest, ut vult contra„ ria opinio, tunc si non universaliter, certè „ quoad plerosque casus impedit, & tollit me„ dia in foro externo ad eam obligationem ob„ servandam, & implendam necessaria, nempe „ denuntiationes, testificationes, inquisitio„ nes &c. quod perinde est, ac si diceretur, ob„ ligationem sigilli impedire, & tollere media „ in foro interno ad eam observandam neces„ saria, adeóque violationem sigilli non esse „ peccatum, non esse in Confessione à Reo ex„ plicandum, adeóque non esse materiam ne„ cessariam absolutionis &c. quod plus, quàm „ dici potest, absurdum, & falsum est, ergo obli„ gatio sigilli non debet ita intelligi, & explica„ ri, ut impediat & tollat processum judiciarium „ fori externi contra violatores, vel universa„ liter, vel in plerisque casibus, ergo vel univer„ saliter, vel saltem in illis casibus, quorum ple„ rique sunt, in quibus pœnitens non potest da„ re formalem & expressam licentiam, potest „ salvo sigillo fieri à quovis denuntiatio & te„ stificatio de revelatione cujusvis peccati in „ specie, uti & à judice inquisitio, condemna„ tio, & executio, à Confessario Reo propria „ confessio.

l Tertia itaque ratio, eáque fundamentalis est hæc: Christus eam dedit Ecclesiæ non „ tantùm in foro interno, sed etiam in externo „ potestatem, quæ est in utroque foro ad Eccle„ siam gubernandam necessaria, juxta illud „ Matth. *16. Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, at„ qui ad gubernandam Ecclesiam est summè ne„ cessaria potestas, ut publica delicta bono pu„ blico totius Ecclesiæ, & bono privato singulo„ rum fidelium gravissimè damnosa, Religioni, „ & reverentiæ, sanctitatique Sacramentorum „ contraria, uti est revelatio, seu fractio sigilli, „ possint in foro etiam externo cognosci, puni„ ri, eradicari, impediri &c. in quantum id pro „ Religione & Sacramentorum reverentia re„ quiritur, & quidem absolutè, & non tantùm „ dependenter ab arbitrio etiam irrationabili „ unius alicujus tantùm privati hominis, quia „ alioqui Ecclesiæ, ejúsque gubernationi exter„ næ non esset satis à Deo provisum, ergo Chri„ stus hanc potestatem dedit Ecclesiæ, atque ita „ obligationem sigilli Sacramentalis instituit, „ ut sine ullo alio consensu ipsius pœnitentis „ possit salvo sigillo libere procedi denuntian„ do, inquirendo, testificando, fatendo, da„ mnando, & exequendo contrà Reum in ordi„ dine ad ipsum sigillum meliùs observandum, „ ejúsque obligationem salvam, sartam, tectámque retinendam.

Confirmatur hæc sententia primò ex eo, m „ quòd videatur hucusque semper fuisse ab Ec„ clesia, & Ecclesiastico Magistratu in praxi ob„ servata. Cùm enim casus fracti sigilli non sit „ metaphysicus, & sæpius prò dolor! jam con„ tigerit, Ecclesiasticus quoque Magistratus con„ tra Reos processerit inquirendo, testes audien„ do &c. neque per ullam difficultatem à con„ traria sententia motam retardatus fuerit, aut „ de formali, & expressa pœnitentis licentia „ multùm solicitum fuisse ex ullo indicio pateat, „ cùm de ejusmodi difficultatibus nullus autho„ rum, qui utique consulti fuissent à judicibus, „ unquam meminerit, sufficienter sanè, & rectè „ colligitur Magistratum Ecclesiasticum judi„ cásse sibi à Christo concessam esse potestatem „ etiam independenter ab ullo consensu pœni„ tentis procedendi contra violatores sigilli in „ ordine ad ipsam sigilli obligationem meliùs „ servandam, & implendam. „

Confirmatur 2. Quòd DD. de hoc ipso ca- n „ su scripserint expressè, neque tamen in pro„ cessu ullam difficultatem adverterint. Specu„ lator *Lib. 2. Part. 1.* Rubr. *De Probation. num.* „ 24. ita loquitur: *Sed cum Presbyter revelans* „ *peccatum sibi in Confessione dictum, puniendus* „ *sit graviter, Cap. Omnis utriusque. De Pœnit.* „ *& remiss. Quæritur qualiter probetur contra Sa„ cerdotem? Resp, probabitur, quod hoc ipse coram* „ *pluribus dixit, quamvis extra judicium.* Cap. Si „ constiterit. *De Accusat.* Cap. Quàm sit. *De* „ *Excess. Prælat.* Qui utique anguem, si hîc in „ herba latuisset, advertisset, & in publicum pro„ duxisset. „

Confirmari potest fortè 3. suppositis prædictis fundamentis, quòd Magistratus etiam in o „ hoc casu subditi consensum, & voluntatem, „ quam dare tenetur, sed irrationabiliter recu„ sat dare, possit pro sua potestate supplere, si„ cut potest in relaxandis juramentis etiam Ma„ gistratus Laicus, & videtur fieri ab Ecclesia in „ contrahendis Matrimoniis sub conditione „ turpi, Matrimonio tamen, quoad substan„ tiam non contrariâ, Cap. *fin. De Condition.* „ *Appos.* sed fusiùs hoc non explico. „

Ex his omnibus habent contraria facilem „ solutionem. Ille enim frangit sigillum, qui „ ex notitia ex Confessione mediatè vel imme„ diatè accepta etiam indirectè tantùm dicit ali„ quid, unde innotescere aliquo modo potest „ peccatum, si dicit, vel agit aliquid in ordine „ ad ipsum sigillum meliùs servandum, nego: „ si ad aliquid aliud, concedo. Plus non evin„ cit argumentum. Ad confirmationem con„ cedo antecedens, nego consequentiam. Di„ sparitas constat ex dictis, quia obligatio sigil„ li non est sibi ipsi contraria. Quod autem „ Noctinot ex Diana scribit, sigillum non „ posse aperiri, *etiamsi tota fides Christiana pe-* „

„ *viret*, est insulsum, & implicatorium. Nam „ si tota fides periret, periret & Sacramentum „ Pœnitentiæ, ergo & sigillum Sacramentale, „ ergo juxta Noctinot vi sigilli Sacramentalis „ non liceret revelare peccatum Sacramentaliter confessum, etiamsi sigillum non esset, nec „ ulla ejus obligatio. Quid autem implicantius?

p Ita suam sententiam stabilit, ita ad meæ opinionis fundamentum *n.* 186. propositum, & sequentibus explicatum respondet ille Theologo-Canonista. Eodem quoque modo distinguit illud meum fundamentum alter è duobus Theologis, neuter autem ullum scriptorem nominat (& certè erit me felicior, qui repererit) sibi expressè suffragantem, nec solùm eodem modo distinguit hic, sed admodum fortiter illam contra me rationem urget, quòd videlicet non sit credibile, fuisse à Christo inductam talem obligationem, ex qua sequatur potiùs illius sigilli violatio, quàm Religiosa observatio, si enim nequit inquiri sine consensu pœnitentis expressè, & tam circumspectè, & scrupulosè, quàm ipse indico, prærequisito, fiet, ut nefarii, (præsertim qui capitali odio prosequuntur hunc, aut illum suum olim pœnitentem, nunc autem sepultum,) Confessarii diffament liberè illos, utpote gnari non posse in se institui efficacem inquisitionem, consequenter nec pœnam decerni. Et quia leges statuuntur cum respectu ad circumstantias communes, non autem ad rarissimas, & quasi metaphysicas; est autem ex una parte certum, quòd Sacri Canones permittant glisc ente fama revelati sigilli inquisitionem, & examen, ex altera parte, quando fama vulgat à Cajo esse violatum sigillum, communissimè additur respectu cujus & personæ, & peccati temeratum sit illud secretum; videntur sanè Sacri Canones, & ipse Christus Dominus facere judici potestatem, ut, si nequeat pœnitentis infamati consensus obtineri ad auspicandam inquisitionem eo modo, qui necessarius sit ad convincendum Confessarium, valeat judex illum *modum propria authoritate usurpare.*

q Ita illi DD. nervosiùs sanè, quàm ullus ante ipsos. Et quamvis tam nervosè, nihilominus tum in eorundem gratiam, tum ut iis, qui post me hoc argumentum copiosiùs discutient, dem occasionem occurrendi aliis difficultatibus impugnantibus doctrinam hactenus in nostris scholis communissimam, receptissimam, feram aliquas suppetias impugnatoribus illis, producam duo generalia, unum speciale Juris principia facientia non minorem difficultatem.

r Primum principium est hoc: Quòd ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, *Reg. 16. in 6.* Etenim adjuvari nos, non decipi beneficio oportet. *L. In commodato. §. Sicut. ff. Commodati.* Quæ Pauli J. C. sententia optimè convenit Regulæ à me huc adductæ; si enim hæc, quæ pro nobis, & in gratiam nostram introducta, inventáque sunt, quibusdam casibus in læsionem nostram retorqueantur, utique hoc beneficio universim decipiemur, quemadmodum loquitur, & illa duo Juris Canonici, Civilisque effata corroborat doctissimus Petrus Peckius Commentario in cit. *Cap. Quod ob gratiam*; atqui ex una parte certum est, Legem Christi de secreto Sacramentali esse in favorem confitentis sancitam, ut videlicet essent Christiani certiores de summo silentio; ex altera autè parte hæc certitudo plurimùm minuetur, si non liceat Judici instituere in casu publicæ diffamationis inquisitionem liberiorem, liberalioréque modo, quàm videantur permittere Doctores à me ipso nominati, inferiúsque nominandi pro Religiosa, scrupulosáque inquisitione. Probatur assumptum. Etenim: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*, & quidem hac solâ. Quot autem perversissimos Confessarios tulerunt hactenus sæcula Christiana? Atque inter hos illum.

Conscelerati ſſimum Sacerdotem Massilien ſem.

Qui semel, atque iterum Patri Petro Cotono, ut est in ejus Vitæ Lib. 1. cap. 25. *objectus, nec opinanti, tam tetro, & monstroso vultu, ut inferno spectro similior, quàm homini videretur. Paucis post Annis reus apud judices factus, Confessúsque est, se Virginum, Matronarúmque animis impurum sui inter Sacramentum Pœnitentiæ amorem magicis afflatibus inspirâsse, eáque arte multis vitium attulisse. Sententiâ Iudicum vindicibus flammis vivus est addictus.*

Profectò si de malo homine est semper malum præsumendum juxta Farinac. *Praxi Criminali. p. 3. q. 81. n. 27.* debebit de summè malis summum malum, opportunum ad satisfaciendum summæ curiositati talium mulierum præsumi. At verò tam nefarios, simúl & nefandos homines nihil admodum absterrebit à secreto Sacramentali pandendo & prodendo suis fœdissimis amasiis, sicut & scelerum detestabilium sociis, seu Collegis, nisi metus gravissimæ pœnæ, cadet autem metus, cadente licentiâ liberioris inquisitionis. Inducta ad augmentum non debent parere diminutionem Doctores ex *L. Legata inutiliter. ff. De Legat.*

Alterum principium generale est hoc: Cui c conceditur unum, conceduntur omnia ad illud unum necessaria. Barbos. *Axiom. 56. n.*

n. 2. & singulariter in materia favorabili, ut est Lex lata pro secreto Sacramentali. Idem *Ibid.* in uniùs enim talis concessione veniunt ea omnia, quæ faciliorem, & commodiorem executionem actûs præbent. Baldus, Alciatus, Menoch. *Consil. 14. n. 8.* testans omnes Doctores ita sentire. Subsumptum relinquo lectori. At his duobus generalissimis principiis addo hoc speciale, & directè judicem spectans; quòd videlicet, qui dat jurisdictionem, det omnia necessaria ad eam expediendam. Omnes DD. ex *L. g. 2. ff. De Iurisdiction. omn. jud.* atqui videtur rationibus suprà productis satis, supérque probari, non posse communiter à judice expediri jurisdictionem, si ejus potestas constringatur tam arctis terminis, quàm ego secutus verba tot, támque graviùm Doctorum statui sub initium hujus controversiæ.

u Nihilominus tamen arbitror, esse mihi persistendum in mea thesi, adeóque in illa propositione, quam ex non sapiente minùs quàm erudito Martino Navarro statui *n. 186.* & quam P. Suarez ibidem relatus *sect. 1. n. 2.* appellat *traditionem Ecclesiæ*, atque ego firmavi, declaraviq; fultus authoritate tot Doctorum Theologiæ, ac Juris prudentiæ, intérque hos duorum, qui designati à me suprà *n. 219.* abhinc septennium legerunt expenderúntq; meo rogatu omnia illa, contra quæ producuntur rationes & momenta in hac altera Appendice, ubi placet repræsentare nomina permultorum Doctorum expressè scribentium in *nullo* casu fas esse (citra expressam permissionem pœnitentis) peccatum in Confessione detectum revelare, aut de illo loqui. Sunt autem hi S. Thomas in supplemento *q. 11. a. 1.* ubi expressè quærit: Utrùm in *quolibet* casu teneatur Sacerdos celare peccata, quæ sub sigillo Confessionis novit? Ita autem respondet ad hanc quæstionem, ut clarum sit, nullum ab eo casum admitti, in quo non teneatur celare, excepto casu, quo permittit pœnitens, ut addit *art. 4.* adferens *in Corp.* rationem evidenter excludentem omnem alium casum. Scotus *in 4. dist. 21.* negans propter detrimentum *quodcunque* detegi debere hoc secretum. P. Suarez secutus S. Thomam *De Pœnit. disp. 33. sect. 1. n. 2.* sic scribit: *Certum*, NB, *est obligationem hujus præcepti* (de secreto servando) *tantam esse, ut in nullo casu, & propter nullum finem, & pro tuenda tota Republica ab ingenti malo temporali aut spirituali violare illud liceat. Ita omnes contra unum Altisiodorensem &c.* Eodem sensu scripsit Pater Gregorius de Valent. *De Pœnitent. disp. 7. punct. 4.* Communis est *omnium* sententia, *unicum* tantùm esse casum, in quo revelare Confessionem liceat, & ille est, cùm pœnitens sponte, vel justa ex causa rogatus facit potestatem Confessario. Ita etiam de *unico* casu loquuntur P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 6. cap. 14. n. 2.* P. Coninck *disp. 9. dub. 1.* P. Gaspar Hurtad. *disp. De Pœnit. diffic. 12.* addent post Suarez esse hanc perpetuam traditionem Ecclesiæ. P. Rhodes *disp. 8. De Pœnit. sect. 5. n. 1.* P. Tannerus *disp. 5. quæst. 9. dub. 6.* negans ullum casum. P. Filliuc. *Tract. 7. cap. 1. num. 316.* etiam negans. Recentissimus Bossus *De Pœnit. disp. 8. sect. 5.* dicens *in nullo omnino casu.* Beia *Casu 11. num. 7. p. 3.* scribens esse *certissimum*, & *nulli*, NB, *dubium* etiamsi totius orbis, salus penderet à revelatione, Liamas *Part. 2. cap. 4. §. 2.* scribens: *nullus datur, neque dabilis est casus, in quo &c.* Stephanus à S. Paulo loquens de *quocunque*: VVigers *quæst. 10. n. 1.* loquens etiam de *omni* casu, ut nihil dicam de Diana, cujus verba retuli suprà *lit. c.*

Sed nemo nervosiùs, ac distinctiùs aperuit x mentem circa hanc doctrinam, quàm R. P. Martinus de Esparza (dum hæc scribo Rector Sacræ Pœnitentiariæ ad S. Petrum) *Tom. 2.* sui doctissimi cursûs Theologici *Lib. 10. q. 94. art. 4.* sic loquens: *Certum est, pro nullo prorsus eventu, nullíusque boni acquirendi, aut mali vitandi causâ utcunque utrumvis magnum esse, ac latè patere contingat, licere unquam Confessario, ut revelet cuiquam ullo modo, vel etiam insinuativè tantùm ullum peccatum notum per solam Confessionem Sacramentalem, seu quatenus notum per eandem, nisi pœnitens sponte consentiat. Ita docet unanimis, & indubitatus Theologorum omnium consensus ex perpetua Ecclesiæ traditione, & colligitur ex Canon. Sacerdos &c.* Omitto plures alios Theologos expressè excludentes *omnem* Casum:

Omnem quoque casum extra pœnitentis li- y centiam expressam excludunt plures Juristæ, ut singulariter Ignatius Lopez, qui *in Pract. Crimin.* non solùm scribit vers. *Sunt etiam: Nullius favor; quantumvis publicus considerari potest, ut tanti Sacramenti sigillum frangatur*, sed etiam vers. *Unicus*, ait, *nullum* casum excogitari posse, quo absque permissione pœnitentis liceat revelare secretum. Quo etiam sensu loquitur Covarr. *Epit. in 4. Decretal. 2. Part. cap. 8. §. 12. num. 10.* & Barbosa *in cap. Omnis utriusque. De Pœnit. & remiss.* loquens de *omni* incommodo vitando. Consentit quoque Mascard. *De Probat. Vol. 1. Conclus. 377. n. 5.* probans etiam authoritate *cit. cap. Omnis utriusque* utentis dictione: *Omnino*, per hanc enim dictionem prohiberi *omnem omnino* revelationem, ergo prohibetur & illa, quæ fit ob allegatum bonum Sacramenti.

Farinacius quoque in *Pract. Crimin. Lib. 1. z Tit. 5. q. 51. n. 100.* post Richard. & Scotum excludit *omnem* casum, subdens cum aliis Juristis; ne quidem à Papa posse compelli Confessarium ad manifestationem. Est autem prorsus incredibile, quòd non saltem unus, aut alter ex tot Theologis, & Jureconsultis

fuissent excepturi illum casum: de quo nos hic disserimus, si judicâssent esse exceptum, quandoquidem ex una parte est is casus tam frequens, ex altera singulariter Jureconsulti sunt accuratissimi in limitationibus, exceptionibúsq; communium doctrinarum etiam minimè dubiis, quantò magis, quando exceptio est, vel esse potest prudenter controversa?

aa Addo autem quasi per parenthesin, nequaquam esse probabile id, quod multi Jureconsulti, quos refert Gabrielius communium *Conclus. Lib. 7. Conclus. ult. n. 20.* & inter quos est Innocent. & Abbas, illósque sequens Farinacius *loc. cit. n.* 105. scribunt, videlicet permissam esse Sacerdoti revelationem, quando pœnitens est fassus propositum patrandi crimen valde noxium aliis, & tamen non vult, etsi monitus à Confessario, desistere, rectè enim fatetur ipsemet Farinacius, hanc doctrinam adversari Sancto Thomæ, & à S. Antonino appellari *falsam*. Et verò, quia recta decisio ejusmodi Casuum pendet fundamentaliter, & essentialiter potiùs à vero intellectu Evangelii, Confessionem, & sigillum imperantis, quàm Sacrorum Canonum, idcirco standum & resolutionibus Theologorum potiùs, quàm Juristarum, ut agnoscit etiam Farinacius, ita loquens: *In hoc puncto* (de obligatione sigilli Sacramentalis) *sicuti in omnibus aliis similibus dubitationibus humillimè me submitto Theologorum determinationibus loc. cit. n.* 100. & merito quidem, est quippe hæc propria Theologorum seges. Battandier in praxi *Cæsar. Crimin. Regul.* 160. *n.* 4.

bb Hisce in confirmationem communis doctrinæ productis respondeo ad rationes in contrarium propositas.

Ad primam descriptam suprà *lit. d.* certum est, Christum Dominum potuisse id ipsum statuere, quod ibidem negatur fuisse statutum; atqui ex una parte non minùs certum est, si Christus id statuisset, nullum Christianum dicturum fuisse, id esse absurdum: ex altera parte habemus tam traditionem Ecclesiæ, (ut testantur JC, PP. Suarez, Hurtadus, Esparza,) quàm consensum Doctorum, quòd ita statuerit ipse Christus, non autem sola Ecclesia. Et nónne fieri potest, ut salus integri Regni pendeat à puellæ consensu in matrimonium cum Summo Principe, quem irrationabilissimè detestatur illa puella? Quis autem dicet, si illi invitæ copuletur Princeps, Matrimonium fore validum?

cc Dicere autem, quòd aut quilibet, cujus peccatum revelatum est, sit re ipsa, aut esse debeat contentissimus, ut instituatur talis processus, quemadmodum asseritur suprà *lit. k.* nolim ego. Non primum, siquidem ex una parte fieri potest, ut peccatum, quod est revelatum, revera nullum probrum, aut nullum aliud incommodum gignat pœnitenti: ex altera sit pœnitens onerandus odio magno, non absque metu secuturæ ultionis, si ipse sit causa supplicii de Confessario, fortè suo, aut propinquo, aut benefactore sumpti. Non igitur potest præsumi, quod talis sit reipsa contentus, ut citetur puniatúrque sacrilegus violator. Quæ etiam ratio probat, nequaquam teneri quemvis consentire in talem processum, ea etiam de causa, quòd multi malint, & meritò malint pauculis (ut quando revelatio est facta in parvi pagi domo inter paucu los, aut pocula) & extrajudicialiter innotescere hoc, aut illud suum peccatum, quàm plurimis, & in judicio, cum certo periculo, quòd sui peccati recordatio sit futura longè diuturnior, quàm si res tota fuisset dissimulata. Et verò teneri pœnitentem aut deferre hanc revelationem ad judicem, aut consentire, ut hic instituat processum non attento illo suo incommodo, repugnat communi doctrinæ de obligatione correctionis fraternæ, aut judicialis, quam tradunt Scribentes *in 2. 2. S. Thom. quæst.* 33. Certè si Confessarius est propinquitate junctus pœnitenti, supplicium probrosum de ille sumendum redundabit etiam in probrum propinquorum, an nihilominus obligabitur pœnitens ad delationem judicialem, aut ad præbendum consensum? nullus sanè Theologus dicet.

Ad alterum argumentum relatum *lit. e. & f.* dd respondeo, sicut ad primum, quòd videlicet ea ipsa incommoda secutura fuissent, si Christus etiam in his circumstantiis vetuisset (& vetare potuisse, nullus Christicola negabit) ejusmodi processum.

Ad rationem fundamentalem productam ee *lit. i.* Respondeo similiter, neminem è fidelium, cœtu fuisse ita locuturum, si supremus Menotheta Christus tam clarè sanxisset ejusmodi præceptum, ac sanxit illud: *Quæcunque alligaveritis in terris, erunt & alligata in cœlis.* Equidem certum est summa mala in totam Ecclesiam posse derivari ex eo, quòd ne quidem generale Concilium possit vel punire, vel exauctorare Summum Pontificem, quantumvis summè scandalosum, imò hæreticum, & tamen talium Pontificum judicium fuit Deo hactenus relictum. Cardinal. Bellarminus *Lib. 2. & De Concil. cap.* 18. Sanè longè majus malum ex ejusmodi impunitate dimanare potest in Ecclesiam, quàm ex impunitate Sacerdotum, de quibus sermo, singulariter etiam ea de causa, quòd P. Suarez *Tom. 4. in 3. Part. disp. 33. sect. 4. in fine.* Sapienter hanc in rem ita scribat, & tacitè occurrat proposito argumento: *Dices: Ergo quando res deveniet ad publicam notitiam omnium, adhuc*

adhuc omnes tenebuntur sub sigillo, quod est moraliter impossibile. Respondetur *per se loquendo sta esse, si revera tota notitia in sola Confessione fundetur, tamen ex accidenti excusari possunt homines, vel quia in tanta multitudine non potest omnibus hoc constare, vel certè quia illa occasione res fatefacta est aliis modis, & comparata aliâ notitiâ, cessat sigillum.* Providebit igitur Deus, ut ex usu nostræ sententiæ non exoriantur tanta mala.

gg Doctrina, quam defendo, notissima & fuit, & est omnibus Confessariis, etiam improbis, & tamen forte nec unicus repertus, qui idcirco liberiùs effuderit credita sibi in foro pœnitentiali. Argumentatio à præteritis ad futura habet optimum fundamentum in Cap. *Scribam. De præsumpt.* ut agnoscunt Juris Coryphæi relati à Barbosa.

hh Ad primam confirmationem respondeo, si praxis illius opinionis fuisset hactenus passim usurpata, meminissent utique Menochius, Lopez, Farinacius, Caballus, Mascardus, Covarr. Navarrus, alii, quos unà cum hîc nominatis consului locis suprà citatis. At nihil ii meminère, nec fuissent Lopez, Covarruvias, Farinacius, Barbosa, Mascardus ita locuti, ut induximus loquentes.

ii Ad alteram confirmationem dico, me quidem in meo Speculatoris exemplari Edit. Basil. Anno 1574. nihil sub Titulo. *De Probat.* ejusmodi reperire de doctissimo Speculatore, attamen habere integram fidem alleganti illum. Nihilominus persisto in sententia, quandoquidem sicut nequit ex ejusdem Speculatoris generali, & non modificata resolutione inferri, quòd non requisiverit ipse duos testes, sed fuerit uno contentus, ita nequit inferri, quòd non exegerit consensum pœnitentis.

kk Ad solutionem productam *lit. o.* replico, illam distinctionem esse omnino novam, & proinde non posse à me in argumento tanti momenti illi subscribi.

Ad corroborationem descriptam *lit. p.* Respondeo, illam violationem sigilli, & sui ipsius destructionem, quæ scribitur sequi ex nostra doctrina, sequi solùm per accidens, nihil autem novi est dicere, seu in Physicis, seu in Moralibus, illa ipsa, quæ per se ordinata sunt ad conservationem, revera cedere per accidens, & simul necessariò in destructionem, ut liquet vel ex concoctione ciborum instituta ad individui conservationem, attamen ipsorummet ciborum reactione in stomachum abbreviatur vita, sicut & ignis se ipsum perdit, dum totam materiam ad sui propagationem absumit. Adde, quòd illa sigilli quasi debilitatio compensetur omnimoda certitudine, quòd nullo, planè nullo casu, & ob nullum imaginabile bonum permittatur illa violatio. Ex moralibus non adfero exemplum quia nolo actum agere.

Et quamvis probabilitas speculativa tribui posset argumentis in medium productis, quatenus probare contendunt, fas esse examinare juridicè testes famæ, vel etiam ipsiusmet immediatè auditionis sacrilegæ revelationis, ut tamè adigatur Confessarius ad fatendū se omnino fregisse sigillū, nemo puto Doctorum meorum permittet. Equidem non permittent aut Navarrus, cujus verba descripsi suprà *n.* 186. aut quos suprà *lit. n.* retuli excludentes omnem casum, quo sit permissa illa revelatio; & quia hactenus nullam, planè nullam tradidi doctrinam, quam opinarer adversari communi omnium eruditorum sensui, ideo non possum acquiescere opinioni contrariæ.

Ad Axiomata, quæ ipse ego superiùs *lit. q.* mihi protuli in favorem illius cordati Canonistæ, respondeo, & quemvis posse rei suæ modum ponere, & voluntatem ubique dominari. *L. In conditionibus. ff. De Condit. & Demonstr.* Consensus totius Christianitatis demonstrat supremum Monothetam Christum illis pronuntiatis, etsi ipso ferè lumine naturæ notis, apposuisse restrictionem illam, quam indicant hactenus à me producta in medium.

Quòd si pœnitens permittat inquisitionem, ne utique citabitur reus, producentur duo testes (Diana *cit. Part. 5. Tract. 11. Resol. 52.* censet post Suarez, quem non citat, quandoque sufficere propter naturam delicti non soliti patrari coram duobus, etsi tempore & loco differentes sint illi testes, sed de hoc casu non loquimur) omni exceptione majores, qui interfuerint concioni, aut colloquio, in quo facta est revelatio, contra quos si nihil possit excipere Confessarius, admovebitur torturæ, ut fieri solet in Germania etiam respectu Reorum convictorum testimonio idoneorum testium, at Mediolani, in Gallia, & aliis quibusdam locis, ubi habetur major ratio juris, quàm consuetudinis inductæ ab ineruditis, seu *Fœnis* (ut alii atque alii loquuntur apud Jul. Clarum Recept. Sententiar. *Lib. 5.* seu *Pract. Crimin. quæst.* 64.) judicibus, profertur in eum sententia definitiva, etiam adversus negantem.

Est enim adversus nonnullos haud satis peritos notandum, esse duplex genus probationis sufficiens etiam ad capitalem (si delictum talem mereatur) sententiam, videlicet, vel Confessionem spontaneam, vel testes necessariò, vel præsumptivè, præsumptione juris concludentes. Caballus *Resol. Criminal. Cas.* 288. *n.* 2. duo autem omni exceptione majores testes concludunt necessariò, ut liquet ex ipsa scriptura novi æquè, ac antiqui testamenti, ita ut quando quis est convictus idoneis testibus, nulla circa ejus condemnationem cadat dubitatio. Caballus *loc. cit.* ex communi, videlicet sive confiteatur, sive neget.

pp Sed ecce, cùm jam conscripsissem ea, quæ de illicita (sine consensu pœnitentis) inquisitione, criminalique processu contra sacrilegum Confessarium produxi, accipio Mediolano Rescriptum, confirmantis illam ipsam meam opinionem. Accepi autem illud rescriptum hac occasione. Reverendissimus & Illustrissimus D. Odoardus de Principibus Cibo, Nuntius Apostolicus ad Helvetios, qui dignatur aliquando suis oculis meos libros, lectam in hoc libro illam ipsam quæstionem, quam proposui *n.* 181. scripsit (edoctus me percupidum esse cognoscendæ veritatis) Mediolanum ad Reverendissimum D. Archiepiscopalis Curiæ Vicarium in criminalibus, qui & respondit his formalibus ad casum mihi transmissum in his terminis, videlicet:

qq An quando fama spargit aliquem Confessarium de suo quodam certo pœnitente Cajo v.g. evulgâsse quædam gravia crimina, quæ non nisi à Confessione ipsius potuit rescire, liceat judici competenti prædicti illius Confessarii instituere inquisitionem specialem super ea re, & examinare testes tum ipsius famæ, tum ipsius immediatè revelationis sacrilegæ, seu quibus ipse Confessarius revelâsse dicitur Confessionis secretum, & quomodo in præsenti casu debeat judicium institui?

rr R *Espondeo si Cajus pœnitens non conqueritur, nec querelam porrigit, Judex Ecclesiasticus non potest, nec debet ex officio contra Confessarium procedere, quia agitur de delicto privato, & esset in præjudicium Cajî pœnitentis constituendo ipsum Reum de tali delicto, quod posset constanter negare. Si verò conqueritur, & super hoc querelam porrigit, Iudex Ecclesiasticus, non solùm potest, imò tenetur procedere.*

ss *Et primò debet ex depositione testium constare facere, Cajum confessum fuisse Sacramentaliter peccata sua Confessario revelatori. Secundò ex depositione testium acquirere probationem, famam de sumpto delicto habuisse originem post prædictam Confessionem, & à Confessario, de quo &c.*

Quibus habitis, vel habetur Confessarius in fortis, & tunc debet constitui super præsenso delicto, & præcipuè interrogari: An de tali delicto locutus fuerit, *& si fatetur, debet interrogari, quomodo scivit, & si de illius scientia dat authorem, & probat, tunc de violatione sigilli Confessionis non potest puniri, quia hoc modo apparet usum fuisse scientiâ non Sacramentali, licèt etiam idem sciverit in Confessione.*

Si verò non dat authorem, tunc oritur indicium indubitatum, ipsum violâsse sigillum Confessionis, & tanquam sacrilegum esse puniendum. Si negat tale delictum publicâsse, tunc ei danda est defensio cum termino, quo elapso, & contra testes exceptiones relevantes non deduxerit, esse torquendum pro habenda ulteriori veritate. Et tunc si sustinet, purgavit indicia contra ipsum existentia ex depositione testium, & esset dimittendus. Si verò in tortura fatetur, & post torturam ratificat ea, quæ in tortura deposuit, esset puniendus tanquam sacrilegus, ut suprà.

tt *Si non esset in fortis, completo sumpto processu informativo eidem Confessario transmittendum est monitorium cum termino ad comparendum, & se exculpandum à crimine, de quo: sub pœna illius Confessionis, & triremium, vel elapso termino præfixo, & ipso non comparente habetur pro confesso, & potest condemnari in pœnam delicti.*

uu Ita ille D. Vicarius, apertè negans esse quidquam, nisi cum pœnitentis consensu faciendum. Utitur quidem aliâ (eam non examino) ratione, quàm ego, at convenit in substantia, insuper dans occasionem inferendi, ejus responso & motivo probari, ne quidem esse tunc licitum processum, quando pœnitens jam fatis concessit; siquidem adeò certum est, mortuos, etsi fortè in hæresi extinctos, retinere jus famæ respectu criminum occultorum, ut Cardinalis de Lugo alibi lectus à me damnet peccati adversus justitiam illum, qui diabolum per contemptum appellat *stupidum*. Ad- xx do etiam in gratiam Germanorum, ignorantium (ut occasione hujus ipsius rescripti didici) quid Archiepiscopalis Vicarius intelligat vocabulo *fortis*? Eo apud Gallos atque Italos (habent hę duæ gentes innumera seu semilatina, seu alia omnino communia nomina, verba, adverbia, præpositiones &c.) designari carcerem, seu turrim, gravium scelerum Reis pro custodia designatam.

Addo pro complemento doctrinæ, referri yy ex ipsomet S. Gregorio Magno hunc Canonem: *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur, peccata alicui recitet. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Cap. *Sacerdos. De Pœnit. dist.* 1. Postmodum autem Innocentius III. relatus in Cap. *Omnis utriusque. De Pœnit.* ita sanxit: *Qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum Monasterium detrudendum.* In quod cap. scribens Barbosa dicit: pœnam perpetuæ peregrinationis statutam à S. Gregor. commutatam esse in hanc clausuram perpetuam. At quis Abbas, aliúsve Superior Religiosus suscipiet talem hospitem? Exempti negabunt posse sibi ab Episcopo injungi hoc onus, id ipsum, sed alia ex causa dicent multi ex non exemptis. Et quis hanc garrulam pi-

cam alet? Nullo jure Monasterium, ergo Episcopus ipse, quando erunt exhaustæ facultates captivi. Sine dubio autem graviter delinqueret Episcopus, si ad fugiendos illos sumptus multâ pecuniariâ suo fisco addicendâ plecteret notoriè Reum tanti delicti, præsertim si revelatio facta fuisset cum rubore & infamia pœnitentis. Vide, quæ hanc in rem ex P. Raynaudo scripsi de severissimo judicio Curiæ Tolosanæ suprà *n.* 197. imitando tamen omnibus judicibus in pari causa.

Appendicis longæ, Appendix brevis.

zz COnstitueram equidem tandem colophonem imponere tam prolixæ disceptationi de licito, aut illicito examine in casu revelatæ Confessionis, at nequeo facere, quin proferam in publicum responsum, quod dedit alius ab illis sex, quorum mentionem feci in *præced.* §§. seu *lit. a.* fortè erit, qui cognito, vivere quatuor Professores Theologiæ, atque Sacrorum Canonum publicos, tam intrepidè sentientes, & scribentes Religionem sigilli Sacramentalis non obligare adeò rigidè, atque sonant verba primipilorum in utraque illa facultate, arripiat & ipse calamum, & meam resolutionem magis aut declaret, aut corroboret, aut mitiget. Sic ergo ad propositam à me illam summi momenti quæstionem respondit hoc etiam M.DC.LXXVII. Anno ille SS. Canonum Professor.

Per difficilis mihi videtur sententia (quam hactenus propugnavit Reverentia Vestra) eo casu, quo facultas examinandi testes non concederetur à pœnitente, vel certè peti non posset, ut si is fuisset mortuus; certè hoc casu maneret delictum, inter omnia fortè maximum, & perniciosissimum necessariò impunitum, utique majore malo boni publici & privati ipsius pœnitentis, at Sacramenti pœnitentiæ odio, quod ex impunitate delicti talis publici oriretur, quàm favore & bono. Quis enim neget, talem tam necessariam impunitatem sacrilegi revelatoris compluribus aliis syncerè confitentibus os clausuram, si viderint, non tantùm factam revelationem, sed etiam impunitam, & quidem ex ipsa Sacramentali necessitate, & lege talem impunitatem inducente? Quæ autem inter omnes virtutes, aut legis prohibitio est, quæ intrinsecè, & ex natura sua suos violatores insuper impunes servat? Revera tantum sigilli & silentii arcanum in favorem Sacramenti pœnitentiæ potissimùm sancitum in odium illius tantum verti non debet. Dein jura absolutè volunt puniri sacrilegè revelantem; ergo volunt, & absolutè concedunt consequentia. & necessariò connexa, cùm horum sit eadem dispositio; hujusmodi autem sunt testium examen, & depositio &c. Et revera non apparet, positâ semel sacrilegâ revelatione peccati certi, ejúsque fama publica, quid incommodi in confitentem, aut odii majoris in ipsum Sacramentum, ex inquisitione, quatenus præcisè ad habendam delicti tanti notitiam necessaria est judici, redundet, quod non totum jam ipsa Confessarii revelatio induxerit. Impunitas autem non auctura sit magis. Imò tantùm abest, ut hæc inquisitio legitima judicis odium justum Sacramento sit paritura, ut etiam ex revelatione impia partum sit plurimùm imminuendum, aut penitus tollendum: Usus autem Confessionis nullum in odium sive publicum, sive etiam privatum, sed in merum commodum cedens, nec Confessario est prohibitus, nec indiget alia confitentis facultate.

Hactenus verba, atque sensus illius pereruditi viri, in cujus tamen sententiam nondum pedibus eo, propter authoritatem tantorum támque multorum scriptorum, quos hoc loco & nomino ipse, & alii referunt.

Accedit hæc ratio, quòd si vel in unico casu liceat vel semel ignorante, aut conscio quidem attamen repugnante pœnitente procedere in foro externo ex tali notitia Sacramentali, & ideo procedere, ne crimen iniquè revelantis maneat impunitum, facilè sit fingendus alius casus, quo fas erit, saltem post mortem pœnitentis, revelare ejus peccatum, ut quia, e.g. nequibit aliter evitari extrema Reipublicæ calamitas. Ad rationes ab ipso propositas respondetur ex suprà dictis.

Atque hæc sufficiunto ad quæstionis primæ & 247 propositæ *n.* 181. elucidationem, &, quà est à nobis resoluta, corroborationem; faciendus igitur est gradus, sed minùs operosus ad illam secundam, cujus mentio, ventilatióque facta est *n.* 220. *& seqq.* Et verò unus è Theologis, quorum judicium fuisse expetitum à me, dixi *n.* 245. fatetur, auctorem famæ non esse legitimum testem, quando ipse famam sparsit, animo deinde accusandi, secùs si tantùm ex garrulitate, detractione etiam mortaliter mala; eò quòd communiter soleat infamia oriri ex ejusmodi illicita revelatione. Nec famam es- 248 se propriè accusatorem, & proinde in eam non cadere Regulam de accusatore, & teste simul non admittendo. Denique notat, posse 249 limitationem addi ad id, quod *n.* 234. dixi de judice non repellente testem minùs habilem, quem non rejicit reus.

Ad primum respondeo, illum absque omni 250 controversia repellendum à testimonii dictione, qui crimen occultum publicaret ea intentione, quam exprimit ille P. Theologus, quia rationes, quas pro mea opinatione superiùs attuli, militant apertè contra talem; sed in primis inde infero: Ergo etiam quando non ex ea intentione, sed ex sola detractione mortaliter mala infamavit Cajum, nequit esse testis contra Cajum; tum quia de occultis non judicat Prætor; ignorat verò Prætor, & Judex, utrùm

utrùm ex illa intentione denigrârit Cajum, an ex pruritu linguæ aliunde mortaliter repugnante justitiæ; imò quia de malo homine semper malum præsumimus judice Farinacio, Prætor, saltem qui Cajo favet, præsumet illam pravam intentionem testis. Tum quia rationes infringentes testimonium talis testis, infringunt & illius, contra quem pugnamus.

251 Licèt verò fama oriatur ſæpe (non ausim dicere communiter) ex detractione mortali, non tamen est commune, quod injustus author famæ advocetur, admittatúrve in testem facti; sic enim fama ipsa nullam vim habet, quando oritur à maledicis, ut loquitur Pontifex in *Cap. Qualiter & quando. De accusat.* etenim omnes Doctores loquentes de famæ energia ad probandum intelligunt illam, de qua est sermo in citato Cap. *Qualiter* ut testatur Mascardus *De Probat. Concl.* 748. *num.* 9. consequenter nec est pro legitimo teste habendus Maledicus; qualis utique appellandus est omnis iniquus famæ alienæ denigrator.

252 Ad rationem allatam *n.* 248. concedo quidem, famam non esse propriè aut testem, aut accusatorem, attamen æquiparari testi, cùm faciat semiplenam probationem, quando probatur provenisse à viris honestis. Mascardus *Conclus.* 754. *num.* 6. Atqui de similibus simile est judicium, eadémque ratio æquipollentium.

253 Denique ad id, quod opportunè insinuatur *n.* 249. dico, me in illo numero seu paragrapho, quem allegat ille P. Theologus, idcirco apposuisse clausulam: *Persæpe*, ut indicarem, non esse semper à judice admittendos tales testes in casu, quo non excipit reus adversus illos, sed saltem tunc debere ultro repelli, quando & causa est magni momenti, & reus ignorat vitium testis. Albertinus apud, & cum Diana *Part.* 4. *Tract.* 8. *Resol.* 124. ac Laymannus *Lib.* 3. *Tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 4. *in fin.*

254 Alter ex duobus illis Patribus judicabat, in primis duas primas rationes, quibus probo, authorem iniquum famæ non esse legitimum testem facti, famâ vulgati, æquè militare adversus denuntiatorem, atque adversus accusatorem. Deinde in tertia, & quarta ratione mea supponi, juris aut facti publicitate criminosum, quod tamen in foro externo non tam præsumi, quàm probari debeat.

256 Et certè (pergit ille Doctor) utraque hæc „ ratio, uti etiam quinta facit quidem, ut con„ tra talem testem excipere possit reus, de quo „ fit specialis inquisitio, pro nullitate tamen „ testimonii, & pro resolutione ad Casum uni„ versaliter propositum, utrùm author famæ „ possit testis esse, non multum urgere videtur. „ Ita ille.

257 Sed ad primam difficultatem motam *num.* 254. Respondeo, concedendo, ea, quæ ibidem protuli ad infirmandam depositionem accusatoris, militare contra denuntiatorem quoque; etsi enim idem possit esse testis, & denuntiator in denuntiatione Evangelica, nequit tamen in foro sæculari, aut Ecclesiastico ob delicta. Rolandus à Valle *Consil.* 98. *num.* 36. *Vol.* 2. testans, esse hanc communem opinionem Doctorum in Cap. *In omni.* 4. *De testib.* ubi Glossa apertè hoc tradit, sicut & Mascardus *De Prob. Concl.* 506. *num.* 15. post Bartolum, atque alios, negat expressè hanc testis & denuntiatoris conjunctionem in negotiis magni momenti, tametsi videtur repugnare Barbosa in *cit. cap. In omni. num.* 77. citans multos, sicut & VVangnereck in idem *cap.* sed quia adhæreo Mascardo, idcirco non extendo doctrinam Barbosæ, nisi ad denuntiationem Evangelicam, ut jam expressi *n.* 233. saltem in rebus magni momenti. Equidem 258
etiam denuntiatorem (in denuntiatione judiciali) succumbentem in probatione puniendum esse ut calumniatorem latè probat, & declarat inter alios (repugnante cum aliis Petro de Angelis in Judice Regulari *Part.* 1. *cap.* 9. *n.* 3.) Alphonsus Villagut *in Pract. Crimin. Canon. Lib.* 2. *cap. Vnic. Concl.* 1. *& seqq.* etsi enim sese non inscribat, ut debet accusator. Maranta *Part.* 6. *fol.* 346. *n.* 2. attamen si probetur, denuntiâsse falsò, pœnam talionis luet. *Cap. Quisquis, & cap. Calumniator.* 2. *quæst.* 8. Villagut *loc. cit.* Et etiam est in nostro Ordine statutum, ut Superiores noxium, falsúmque delatorem (temere, & ex inanibus suspicionibus procedentem) pro rei magnitudine puniant.

Ad alteram difficultatem *num.* 255. produ- 259
ctam respondeo, quandoquidem infamia juris est ea, quæ à Lege decernitur. Suprà *n.* 15. jus autem infamiâ notat omnes maledicos detractores. Cap. *Infames* 6. *q.* 1. ego autem loquor de illis solis, qui sciuntur iniquè vulgâsse crimen occultum fratris, ut liquet ex ratione, quam adfero *n.* 224. idcirco locutus sum de illo, qui sciatur esse maledicus detractor.

Ad tertiam difficultatem respondeo in pri- 260
mis, licèt *n.* 220. proponam in generalibus illis terminis quæstionem secundam, attamen liquere ex ratione allata *cit. n.* 224. de solo criminoso esse mihi sermonem.

Unde concludo, non esse in testem admit- 261
tendum illum, qui crimen confirmandum ejus testimonio, scitur vulgâsse iniquè, adeóque fuisse iniquus famæ author. Quare ulterius infero, competere inculpato jus adigendi officio judicis authorem famæ, ad edicendum, cur posito (nec enim id concedere debet reus) quòd viderit ipsum inferentem alteri necem, id vulgârit; imò poterit contra eum agere Lege *Diffamari. C. De ingen.*

V. 3. LON-

V. 3.

LONGE PROBROSIUS IN MULIERE.

CAPUT XLIII.

De mulierum temulentia.

SECTIO I.

An, & cur ebrietas peculiariter dedeceat mulieres.

SUMMARIUM.

Mulier inebriando se peccat gravius quàm vir. 1.

Mulier ebriosa ira magna, & contumelia, & turpitudo ejus non tegetur. 4.

Vtrùm ebrietas in tantum dedeceat mulieres magis, quàm viros, ut reddat circumstantiam explicandam in Confessione? 5.

Patrum sententiæ de sobrietate mulierum. 8.

An conjugata inebrians se, non peccet longè gravius quàm soluta? 9.

Lex præcipiens finem vetat, ne quis se reddat illicitis mediis impotentem ad illum. 10.

Ebriositas mulieris impedit generationem prolis. 11.

Germanorum nobilium liberi permulti cur parùm mente constent? 13.

Sugentes lac nutricum vinolentarum quales evadant? 14.

Gravissimè peccant matres potantes vinum cum periculo abortus. 18.

Quid si cum periculo pariendi proles stupidas? 20.

Peccant mortaliter conjuges, si ex mera voluptate congrediantur cum periculo gignendi prolem leprosam. 22.

Et generatim quando per actiones pravas corrumpunt sanguinem, aut lac, quo infans intra, vel extra uterum nutritur. 23.

An peccent mulieres merobibulæ, quæ vorant pastillos, ne fœtor prodat bibisse vinum.

Velle occultare peccatum suum non est peccatum secundùm genus suum. 28.

1 QUæres I. *An mulier peccet gravius, inebriando se, quàm vir?*

RESP. Affirmativè. Probo 1. Authoritate tum SS. Chrysost. Ambrosii, Thomæ mox referendorum, tum aliorum sapientum, 2 de quibus in decursu hujus capitis. Probo 2. ratione, quam adfert S. Chrysostomus *Homilia* 55. *in Matth.* sic scribens: *Nihil turpius ebriosa fœmina, quæ quanto vasculum est infirmius, tanto majus naufragium fit.* Quasi dicat: Mulier ex naturæ imbecillitate longè difficiliùs resistit irritationibus ad malum, quàm vir; ergo accedente per temulentiam, aut crapulam, mentis turbatione, labetur in graviora, aut plura peccata quàm vir; ergo tenetur ebrietatem magis fugere, quàm vir; ergo magis peccat inebriando se, quàm vir.

Hanc ipsam rationem indicat S. Thom. 2. 2. 3 q. 149. *art.* 4. *in Corp.* dum mulieribus singulariter convenire sobrietatem probat hac ratione; *quòd non habeat sufficiens mentis robur ad resistendum concupiscentiis.* Id est, mulieres præditæ sunt judicio ita debili, ut facilè id turbetur vino; eo autem turbato cohibere se non possint, quin obsequantur pravis affectionibus, proindéque multa indecora admittant. Accedit, quòd & experientia doceat, plurimas veneficas fuisse per nimium potum adductas in servitutem cacodæmonis, & vino madens mulier facilè det viris occasionem turpitudinis exercendæ. Quare non immeritò & veluti quid admodum absurdum refert Ovidius in Fastis:

Atque senem potum pota trahebat anus.

Et Eccli. 26. dicitur: *Mulier ebriosa ira magna, & contumelia, & turpitudo ejus non tegetur.* Item 1. *Reg. cap.* 1. mulier temulenta vocatur *filia Belial*, id est; absque Lege, scilicet pudoris, honestatisque. Lege omnino Tiraquellum *Leg.* 9. *conn. n.* 101. *ad* 112.

Quæres II. *Vtrùm ebrietas in tantum dede-* 5
ceat mulieres magis, quàm viros, ut efficiat circumstantiam aggravantem in Confessione exprimendam?

RESP. I. Juxta opinionem verosimiliùs negantem, necessariò confitendas esse circumstantias aggravantes intra eandem speciem, non est ea circumstantia necessariò exprimenda, quia ebrietas muliebris à virili, ut ita loquar, non differt specie. II. Puto etiam illos, & qui ajunt, circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes aperiendas esse in Confessione, non exigere, ut circumstantia, de qua est hîc quæstio, exprimatur. Tum quia non tam graviter aggravat, quàm illæ aliæ, quas ipsi putant indicandas. Tum quia 7
nemo dicet, mulierem Confessario, à quo ipsa non videtur, & ob vocem masculam pro viro habetur, aperientem suas tres, quatuórve ebrietates, malè confiteri, si non exprimat: *Me ter inebriavi, cùm tamen sim mulier.*

Nihilominus meritò S. Ambrosius *Lib. De* 8
Elia, & jejunio. ita lamentatur; *Quid de viris loquamur, cùm enim fœminæ, quas oportet solicitiorem sobrietatis, castitatisque adhibere custodiam, usque ad ebrietatem bibant? Quomodo hoc patienter loquar? piè præteream? conveniente defleam?* Et S. Hieronymus ad Eustochium:

Si quid in me potest esse Consilii, si experto creditur, hoc primùm moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno.

9 Quæres III. *An non longè gravius delinquat conjugata vacans immoderatè potui, quàm soluta; atque adeò, utrùm non admittat circumstantiam in Confessione necessariò indicandam?*

10 Ratio dubitandi occurrit non levis. Etenim ille, vel illa conjux peccat graviter, qui, vel quæ reddit se per media illicita impotentem, ad finem primarium Matrimonii; siquidem eadem lex, quæ præcipit finem, vetat, ne quis illicitis mediis reddat se impotentem ad illum. Sanchez *Lib. 9. De Matrim. disp. 3. n. 2.* & nos su-

11 prà *cap. 27. n. 13.* Atqui ebriosa mulier reddit se per suam ebrietatem impotentem ad finem primarium Matrimonii quippe finis primarius est generatio prolis. S. Augustinus *De bono conjugii cap. 6. 7. & 10.* ab omnibus receptus; ebriosa autem mulier ponit impedimentum generationis prolis, quia experientia constat, mulieres multo vino deditas, vel non concipere, vel immaturos fœtus edere.

12 Accedit, quòd plurimi Theologi, ut Alexander Halensis, S. Bonaventura, Scotus, & alii, quos refert Sanchez *Lib. 9. De Matrim. disp. 21. n. 2.* peccati mortalis damnent maritum, qui exigit debitum ab uxore patiente menstrua, reddántque alii implicitè, alii explicitè hanc causam, quòd videlicet peccetur tunc graviter contra bonum prolis, cùm soleat eo tempore concipi soboles leprosa. Quæ quidem causa valet etiam in præsenti.

13 Quandoquidem noster Adamus Contzen *Polit. Lib. 3. cap. 14. n. 16.* testatur, esse sibi observatum, quòd in *Germaniæ urbibus cultis, deliciosis, & vino abundantibus multi opulentorum, & magnatum liberi parùm mente consentanei, nonnulli penitùs stulti sint, sparsò latè eo malo per*

14 *multas familias insignes.* Ait autem, causam naturalem esse matrum, dum uterum gerunt, dum lactant, bibacitatem. Et *n. 9.* præmisetat, pueros, qui sugunt lac nutricum vinolentarū, effici *epilepticos, ecstaticos, attonitos, stupidos, morbosos.*

15 Ob has rationes censeo I. Uxorem illius mariti, qui avidus est habendæ prolis, peccare mortaliter, si frequenti, multóque mero utatur, pronuntiantibus medicis, conceptionem, aut editionem prolis impediri ea ratione. Confirmo inde, quòd qui per illicita media reddit se impotentem ad solvendum, peccet graviter. *Suprà cap. 27. n. 48.*

16 Censeo II. Si maritus jam sit sufficiente prole beatus, non peccari ab ebriosa uxore ex eo præcisè, quòd reddat se impotentem ad prolem concipiendam, quia ut sic nec marito facit

17 injuriam, nam scienti, & consentienti non fit injuria, *Cap. Scienti. D. Reg. Iur. in 6.* nec etiam facit injuriam proli, cujus conceptionem impedit, id enim quod non est, capax injuriæ non est; & non cætis nulla sunt accidentia, nec qualitas esse potest sine subjecto, *L. Si servum. ff. De actio. empt.*

Censeo III. Graviſſimè delinqui à matre, 18
indulgente multo vino cum periculo abortûs. Ratio est, quia procuratio abortûs non solùm directa, sed etiam indirecta est peccatum graviſſimum, saltem si per actiones ex se malas, uti est nimis largus potus vini, fiat illa procuratio, repugnat quippe gravissimè bono prolis, quod est finis Matrimonii, ut videre est apud Doctores, dum quærunt: Utrùm sit fas prægnanti sumere medicinam cum probabili periculo abortûs? Item an actus conjugalis cū periculo abortûs exercitus, contineat gravem noxam? Et potest circa primam harum quæstionum inter alios consuli Sanchez *Lib. 9. De Matrim. disp. 20.* circa secundam idem Sanchez *Ibid. disp. 22.*

Censeo IV. Etiam peculiare peccatum ad- 19
mitti ab illis bibacibus matribus, quæ ob suam bibacitatem non nisi stupidas, aut morbis obnoxias proles patiunt. Causam insinuavi *n. 12.* Et quamquam scio, à pleriſque omnibus 20
Recentioribus negari, culpam mortalem contrahi, si conjuges vacent actui conjugali, dum uxor patitur fluxum menstruum, id tamen tantùm ideo negant, quòd vel putent, & meritò quidem, rariſſimè fieri, ut proles tempore menstrui concepta evadat postmodum leprosa, esto Scotus suprà relatus expressè dicat *ut in pluribus* nasci tunc puerum leprosum; 21
vel tradant, melius esse proli, si nascatur leprosa, quàm si omnino non nascatur: non nasceretur autem eadem numero proles, si tempore menstrui omitteretur copula conjugalis, ut vult Sanchez *Lib. 9. De Matrimon. disp. 21. n. 5.* Coninck *De Sacramentis. disp. 34. num. 66.*

Unde certum est, fore ut communi sensu 22
Doctorum delinquerent conjuges, ex sola voluptate actui conjugali vacantes tempore menstruorum, si & probabile periculum lepræ impenderet proli tunc concipiendæ, & eadem numero proles foret, desito fluxu menstruorum concipienda innoxiè, quæ tempore menstruorum concipitur cum periculo lepræ.

Ex quo generatim concludo, gravis, pecu- 23
liarisque noxæ in Confessione exprimendæ ream esse matrem, quæ per actiones pravas corrumpit sanguinem, aut lac, quo infans intra, vel extra uterum nutritur, si ita corrumpat, ut proles inde reddatur epileptica, attonita, stupida &c. quia sicut se habet semen ad conceptionem, ita se habet lac ad nutritionē sobolis.

Quæres IV. *An delinquant mulieres meribu-* 24
læ, quæ hodie pastillos vorant, ne fœtor prodat, nimis largè bibisse heri?

RESP. I. Hæ imitantur Fescenniam, de qua Martialis *Lib. 1. Epigram. 71.* *Ne*

Ne gravùs hesternos flagres Fescennia vinos;
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.

25 RESP. II. Per se loquendo non peccant; etsi enim improbum hypocritam agit, qui cùm sit nequam intus, & in cute, quidpiam facit, ut sibi conciliet existimationem viri boni, hoc quippe agens simulat propriè, propriè autem dicta simulatio est peccatum. Vasquez.

26 *1. 2. disp. 182. cap. 4.* post S. Thom. *2. 2. quæst. 111. art. 1. in Corp.* Non tamen per se loquendo delinquit, qui cùm sit improbus, facit quidpiam ea intentione, ut non habeatur pro improbo, quia ut sic vult tantùm occultare veritatem, velle autem occultare veritatem, non est peccatum *secundùm genus suum, nisi per aliquas circumstantias corruptionem.* S. Tho. *2. 2. q. 113. art. 1. in Corp.*

SECTIO II.

Aliæ quæstiones de Ebrietate mulierum proponuntur.

SUMMARIUM.

Apud Romanos mulier, quæ vinum biberat, erat acsi adulterium patrâsset. 27.
Unde provenerit mos osculandi filias, aut sorores peregrè redeuntes? 28.
Nunc præ vino nullum liberum est osculum. 29.
Necata uxor ob potatum vinum. 30.
Quibus mulieribus nequeat interdici vino? 32.
Quibus possit? 35.
An Germanis? 37.
Turpissimus mos permittens, ut puellæ tum juvenibus potitent in tabernis. 39. *& seqq.*
An mortale crimen admittat, qui mulierem vocat merobibam? 42.
Mariæ Lusitanæ dictum de muliebri pudicitia. 46.
Quid Consilii dabit Confessarius maritis conquerentibus, uxores esse ebriosas? 48. *& seqq.*
Periniquum videtur esse, ut pudicitiam ab uxore vir exigat, quam ipse non exhibeat. 49.
Exemplum trium Franconicarum potatricum. 55.
Mulieres vinosæ cur longè superent viros bibendo? 56.
Aliud paradigma trium aliarum potatricum, & quatuor potatorum. 58.
An peccet suspicans, aliquam mulierem esse meretricem, idcirco quòd sit ebriosa? 61.
Videtur talis peccare in Germania. 62.
An non in Gallia, & Italia. 65.
Neque olim in Græcia. Ibid.

QUæres I. *Utrùm Lege possit omnibus mu-* 27
lieribus interdici omnis potus vini?

Ratio dubitandi est, quia usus vini adeò mulieribus Romanis interdictus fuit, ut vinum bibisse perinde esset, ac si in adulterio, aut gravi crimine deprehensa capitali supplicio plectenda foret; sicuti loquitur, & testatur Alexander ab Alexandro *Lib. 3. Genial. dierum. Cap. 11.* Unde Romulus legem olim tulit hisce verbis: *Si vinum biberit domi, ut adulteram pununto.* Quæ verba refert Contzen *Polit. Lib. 3. cap. 14. n. 9.* Atque hanc legem 28
quòd Religiosiùs etiam foris observarent mulieres, inolevit consuetudo ex lege M. Catonis, ut cognati, affinésque mulieribus osculum ferrent, scilicet, an vinum bibissent, ut ore explorarent, sicuti loquitur Alexander ab Alexandro *loc. cit.* adstipulante Radero in Martialem *Lib. 1. Epigram. 71.* & Justiniano in illud Pauli 1. *ad Timoth. cap. 3. Mulieres sobrias* observante ex Athenæo, atque Polybio, illam explorationem quotidie factam fuisse. Vide dicta *cap. 32. num. 13.* At nunc præ vino 29
nullum liberum est osculum, inquit Tertullianus *Apolog. cap. 6.* Quin idem Alexander *Ibid.* itémque Ælianus *Lib. 2. De Var. Histor.* testes sunt, ab Egnatio Metello uxorem, quòd vinum bibentem invenisset, juxta dolium fuste necatam; à Cneo Domitio mulierem aliam, 30
quòd vinum biberat, dote mulctatam, aliam demum, quòd claves cellæ vinariæ apud eam repertæ essent, inedia mori coactam fuisse.

At: *Nónne hæc exempla suadent, non fore in-* 31
justam legem illam, qua mulieribus prohiberetur omnis vini potus?

RESP. I. Si alicubi usus, & experientia do- 32
cuit, mulieres ejus loci, & provinciæ ita moderatè semper usas vino, nullum ut ex earum potu incommodum circa mores, liberorum educationem, rei domesticæ administrationem acciderit, tum nequit ipsis eo loco, aut Provincia prohiberi omnis potus vini. Ratio 33
est, quia Magistratus non potest sine gravissimis causis innoxium aliquod genus hominum privare usu rei, à natura, atque institutis hominum concessæ, sicuti natura, & pleræque gentes hodie permittunt mulieribus vinum. Certè S. Ambrosius *in Epist. ad Col. cap. 3.* te- 34
statur, sua jam ætate fuisse mulieribus Romanis tam incognitum aquæ usum, quàm olim fuerat usus vini incognitus.

II. Si tamen experientia docuisset, permul- 35
tas certæ alicujus urbis, aut Provinciæ mulieres, solere immoderatè uti mero, tunc non damnarem legem, interdicentem sanis mulieribus omni potu vini; talis quippe lex videretur habere omnes conditiones, quas ad rationem justæ legis requirunt Authores. Dico: 36
permultas, quia ex his, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur.

L. Ex.

37 *L. Ex his. ff. De Legibus.* Et verò nominatim de Germanis fœminis ita loquitur P. Contzen *Polit. Lib. 6. cap. 14. n. 9.* Non puto, in Germania fœminis vino interdicendum, frigida enim est Regio, & vinum, ut plurimùm Græ-
38 co, Italo, Hispano dilutius. Adde, quòd cùm vinum sit in tanto usu Teutonibus, futura esset quædam species crudelitatis arcere mulieres ab illo.

39 Quæres II. *An rectè permittatur quibusdam locis, ut mulieres perinde ac viri instituant symposia, vel in ædibus privatis, vel etiam in publicis tabernis?*

RESP. Cùm hæc sympoſiorum celebratio sit res longè probrosissima modestis fœminis, & causa plurimorum malorum, non leviter delinquit Magistratus, qui in tabernis mari-
40 tus, qui domi suæ ea permittit. Et quis credat, alicubi dissimulari, ut puellæ cum adolescentibus, aut juvenibus, adeant vinarias, vel cervisiarias tabernas? Est sanè probrosum Magi-
41 stratibus id tolerare. Quantò rectiùs sequerentur tum Consilium S. Hieronymi, relatum *n. 8.* tum illud P. Contzen *loc. cit. num. 16.* ad marginem: *Probrum sit puellæ bibisse vinum. Ita est in Gallia.*

42 Quæres III. *An mortale crimen admittat, qui mulierem vocat meribibulam?*

Ratio dubitandi est duplex. I. Quia ex hactenus dictis constat, vini intemperantiam sum-
43 mopere dedecere mulieres. II. Quia S. Augustinus *Lib. 9. Confessionum. cap. 8.* testatur, suam matrem Monicam *veluti stimulo* percussam fuisse, quando ancilla domestica illam appellavit *meribibulam.*

44 RESP. Haud dubiè plerisque omnibus mulieribus Italis, Hispanis, Gallis magnum inferri convitium, siqua illarum hoc titulo afficiatur coràm; gravem quoque esse infamiam, si de quapiam illarum spargatur, esse meribibulam, seu immodicè addictam potui vini.

45 Nec enim ferè *integras meri calículos inbianter* bibere solent, ut faciebat Monica, priusquam *ancillæ convitio veluti stimulo percussa agnosceret fœditatem suam,* ut cum ejus filio loquar. Et
46 plurimæ illarum pronuntiant de sobrietate id, quod de castitate dictitabat Maria Lusitana, Alexandri Farnesii conjux lectissima, referente Famiano Strada *Belgicæ Historiæ, Dec. 1. Lib. 4.* scil. *reliquas virtutes utcunque dissimulari fœminis posse, castimonia* (& sobrietate) *gloriandum.*

47 Id ipsum affero de plurimis matronis Germaniæ, quæ sobrietatis laude excellunt, & volunt excellere videri. At verò inter plebejas tot merobibas, & zythobibas reperire est, ut non facilè sim in Sacro tribunali quemquam damnaturus peccati mortalis, qui aliquam plebejam vocaret meribibulam, & erunt inter eas nonnullæ, quæ dolebunt, non esse verum, quod iis objicitur.

Quæres IV. *Quid Consilii dandum maritis,* 48
quando apud virum Religiosum conqueruntur, suas uxores esse ad plenam, aut semiplenam ebrietatem profectissimas?

Fui aliquoties hac super re interrogatus. Dicam hîc, partim quid responderim, partim quid respondere potuerim.

I. Quærendum, an non ipse maritus ni- 49
mium sit addictus Baccho; si enim ipsemet sit Bebrius ebrius, (ut loquitur Adamus Contzen *Polit. Lib. 6. cap. 14. num. 16.*) Bebriam ebriam uxorem non coërcebit, sed ea identidem obganniet: *ubi tu Cajus, ibi ego Caja.* Sicut enim *periniquum videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat,* Text. elegans *in L. Si uxor. §. Iudex. ff. Ad L. Iul. De adulteriis,* ita vir ebriosus frustra exiget sobrietatem ab uxore.

II. Si verò ipse maritus moderatè uti mero 50
consuevit, concedat uxori ad mensam, seu ad ordinarias refectiones tantùm vini, vel cervisiæ, quantum ejusdem conditionis uxoribus concedi solet, aut etiam aliquanto plus.

III. Si dicat, vel hac ratione nil à se profici, 51
vel sibi non suppetere, unde uxori ejusmodi potum suppeditet, cùm ipse debeat communiter fontana sitim restinguere, tum omnino suadendum est, ut ferió minetur verbera uxori, si ampliùs fuerit deliquisse comperta; & compertam insigniter aut palmis, aut fuste Metelli, haud tamen paulò clementiùs, quàm Metellus, demulceat tergum ejus; id enim fas esse, dixi *cap. 29. n. 17.* si videlicet speret, hac, & non alia ratione emendationem.

IV. Fortè proderit minari bibulæ uxori car- 52
cerem publicum, saltem si dilapidet rem domesticam, & scio hoc alicubi practicatum.

V. Hæc ipsa bibacitas conjuncta cum rei 53
domesticæ abliguritione præbet causam sufficientem ad temporale divortium, ut explicabo *cap. sequenti.* Imò, licèt ebriosa mulier rem mariti non absumat, si tamen sperat, suam brevem separationem ab ea profuturam, potest ad tempus ab ea discedere. Constat ex dictis *cap. 33. n. 102.*

VI. Quandoque prodest auferre bibaculæ 54
conjugi mundum muliebrem, relictis ferè solis lacernis; cùm etiam ebriosæ mulieres non planè degenerent ab ingenio sobriarum, solitarum superbire cultu elegantiori; saltem aliquamdiu eas in officio continet spes recuperandi honestiorem amictum. Denique nonnulla ex iis remediis, quæ adferam *cap. ult.* huc quadrabunt.

Quæres V. *Quid pronuntiandum videatur* 55

De

De sequenti facto.

Fide dignissimorum virorum relatu accepimus, in quodam Franconiæ oppido tres mulierculas viris peregre profectis, ad cœnam consedisse, eáque sessione quadraginta circiter vini metretas Franconicas, atque adeò vini plusquam dimidiatum eadem epotâsse; quod factum, ni testimoniis comprobatum foret irrefragabilibus, imò & in publicas ejus loci tabulas à senatu redactum, ego vix creditu facile judicâssem.

56 Sic loquitur, ac testatur gravissimus Præsul D. Fridericus Fornerus *De temulentiæ male Lib. 3. cap. 3.* ipse Franco, subnectens ex antiquitate exempla mulierum, quæ fuêre enormes vini potatrices. Quibus consimilia utinam non suggereret præsens ætas, quæ docet, verum esse id, quod Levinus Lemnius *Lib. 2. De occultis naturæ miraculis. cap. 21.* tradit hisce verbis: *Mulieres, ubi vino assuetæ sunt, ad prodigium usque bibaces fiunt, diúque subsistunt, antequam temulentia succumbant. Experientiâ inter Germanas doctum est. Nam aliquæ viros longè superant bibendo, cùm vini copiâ, tum vini diuturnitate.* Ita Lemnius post Aristotelem *Lib. De Ebrietate*, Plutarchum 3. *sympos.* & alios apud Tiraquell. *De Lege Connubiali* 9. adferentes hanc rationem, quòd mulieres sint frigidiores, & humidiores viris, ideóque faciliùs vinum doment.

57 RESP. Illam tam prodigiosam libidinem grædandi esse adeò propudiosam universis aliis ejusdem loci mulieribus, essèque argumento tam detritæ frontis, atque animi ad non mediocria flagitia proni, aut etiam parati, ut damnaturus non fuerim nimiæ severitatis maritos illos tres, si domum reduces adeò enormem helluationem quà fustuario, quà vini per unum, alterúmve Annum subtractione mulctâssent, nullo nobilitatis, aut ignobili-
58 tatis respectu. Ut valde diuturnam à vino abstinentiam indicat Confessarius non sim auctor, quia frustra erit; sicut & frustra fuisset, si induxisset Confessarius iis quaternis potatoribus, ternísve potatricibus, in quos exarsit justa, & ex temulentiæ odio plusquam Vatiniano orta

Ira Lessiana.

59 *Vit enim aliquando, ut insignem quatuor rusticanorum hominum insolentiam narratione cognosceret Lessius, qui inexplebili intemperantia centum cerevisiæ pocula eo tempore exhauserant, quo ab oriente inoccidentem sol commigrâsset. Idem etiam facinus à tribus mulierculis pari temporis spatio agitatum. Quæ res eam turpitudinem, flagitiúmque Lessio, sobrietatis severo judici continere visa est, ut liquidò iterum, tertióque pronuntiârit, septem illos helluones, malè truce dignissimos videri.*

Sic loquitur, sic testatur Thomas Courtius 60
in Vita Lessiana *cap. 17. n. 108.* cujus, utpote Juris utriusque Licentiati judicium de hac Lessiana capitali sententia non gravarer huc transferre, si expressisset ipse; at non expressit, non foret mihi operosum, rationibus non planè contemnendis propugnare, oppugnaréque hanc singularem severitatem, sed prudens ad alia transeo.

Quæres VI. *An peccet, qui aliquam mulie-* 61
rem esse meretricem suspicatur, vel etiam judicat eâ solâ de causâ, quòd sciat esse vinolentam?

Ratio negandi talem peccare est, quia author Operis imperfecti in Matthæum *Homil. 1.* quæ longissima est, sub finem expressè ita loquitur: *Omnis mulier, quæ vinolenta est, & Comessatrix, etiam meretrix est.* Accedunt ea, quæ de ebriosorum salacitate ex SS. PP. aliisque tetuli *cap. 10. sect. 9. & cap. 19. sect. 2.* quæ in muliere ebria longè magis locum habent, cùm & mulieres esse ad libidinem proniores viris, censeant multi, & vino captæ possint minùs, quàm viri resistere tentationibus. S. Thom. relatus hoc ipso Cap. *n. 3.*

RESP. I. De Germana muliere conjugata 62
tale quid suspicari, vel judicare, est temerarium. Ratio est, quia satis constat, plerasque illarum, quæ & vino, & comessationibus immodicè, improbéque indulgent, attamen servare fidem conjugalem, partim quia adulterium vehementer horrent Germanæ mulieres, partim quia non ita solicitantur ab alienis. Certè vix tertius, aut quartus quisque Nobilis, & opifex Germanus tale quid de sua vinolenta uxore judicat, & absque dubio tanquam calumniator puniretur à judice is, qui ex sola ebriositate alicujus maritatæ præsumeret, palámque diceret, esse adulteram; repelleretur quoque vir, qui uxorem ebriosam vellet dimittere, contendens esse hoc ipso adulteram. Atqui præsumptione fori externi standum est in foro interno, quando non constat de contraria veritate. Sanchez *Lib. 5. De Matrim. disp. 23. n. 15.*

II. Quia de puella, vel vidua Germana scy- 63
thissante, ut cum Herodoto apud Tiraquellum *in Alex. ab Alex. Lib. 5. Gen. c. 21.* loquar, id suspicaretur, quod proponit quæstio, non censendus esset suspicari temere. Ratio est, quia qui probabili ratione ductus suspicatur malum de altero, non peccat peccato suspicionis temerariæ. S. Thom. *2. 2. q. 60. art. 3.* ejúsque interpretes, atqui talis duceretur ratione probabili, scilicet auctoritate tam multorum gravissimorum virorum, quos nominavi *cit. cap. 10. & 19.*

III. Satis tamen probabile est, peccaturum 64
graviter, qui de istis propriè judicaret, seu firmam, definitivámque sententiam, (ut cum Glossi allegata à S. Thom. *loc. cit.* loquar,) fer-

ret, eas esse meretriculas. Rationem peto ex *n.61.*

65 IV. Qui verò de Galla, Itala, Hispana aliqua puella, vidua, conjugata poculis virili more indulgere solita pronuntiaret, eam esse prostitutæ pudicitiæ, non peccaret; quia prudenter judicaret, non enim solent Gallæ, Hispanæ, Italæ nisi sint frontis detritissimæ, & planè filiæ Belial, ut vocat Anna 1. *Reg.* 1. ad temulentiam plenam, vel semiplenam usque bacchari. Et quia fortè Græcanicæ mulieres, inter quas scripsit (nisi tamen latinè scripsit, ut suspicatur Erasmus) Auctor *Operis imperf.* erant ejus genii, cujus Hispanæ, Italæ, Gallæ, idcirco potuit, seu sine omni hyperbole, seu cum modica scribere de iis, quod scripsit, & earum ingenio metiri Palæstinas, de quibus ipse disserit.

X. 3.
SOLENNI FORMULA.

CAPVT XLIV.

An repelli possit uxor ebriosa?

SUMMARIUM.

An maritus, possit facere divortium ab uxore ebriosa? 1.
Quid si ebria adducat virum in discrimen vitæ, aut fortunarum? 2.
Quid si sua temulentia impediat conceptionem prolis? 3.
Quid si ipsemet maritus sit ebriosus quoque? 6.

1 QUæritur hîc: *An vir, cui obtigit uxor in Bacchum nimium quantum prona, & proindenon rarò inebriari solita, possit eam à se repellere, seu ab ea discedere?*

RESP. I. Sola formaliter ebrietas, vel ebriositas non dat ejusmodi causam sufficientem. Etenim uxor, & vir sunt pares in jure conjugii, nominatim cohabitationis. Layman. *Lib.* 5. *Tract.* 10. *Part.* 3. *cap.* 2. *n.* 5. ex communi. Ergo sicut non licet uxori à viro integre divertere ob ejus præcisè ebriositatem. *Suprà cap.* 35. *n.* 25. ita neque viro ab uxore ob hujus bestialem bibacitatem.

2 II. Si tamen, dum est ebria, adducat maritum in discrimen vitæ, aut alterius gravis mali, nec compesci possit à viro, eam meritò res suas sibi habere docet, jubebitque maritus, donec ipsa resipiscat. Ita singulariter notat Sanchez *De Matrim. Lib.* 10. *disp.* 18. *num.* 18. Ratio est, quia, ut dixi, vir, & uxor sunt pares in jure cohabitandi, & mutuo adhærendi. Atque adeò utetur hoc jure maritus, quando uxor ebriosa dilapidat bona ipsius. *Suprà cap.* 35. *n.* 20. vel quando est in causa, ut maritus non possit nanciscì, aut servare bonos famulos, bonas ancillas.

III. Id ipsum jure faciet maritus, quando 3
solet uxor in temulentia valde graviter verberare liberos. Ratio petitur ex dictis *cit. cap.* 35. *n.* 7. Et quidni hoc ipsum asseratur tunc, cùm judicant medici, uxoris ebriositatem esse in causa, ut vel ipsa non concipiat, vel immaturos partus effundat? In primis enim clarum esse videtur, virum non teneri reddere ipsi debitum; partim quia si potest debitum negari ad vitandum magnum damnum in bonis fortunæ, ut vidimus *cap.* 35. *n.* 9. quidni multò magis ad vitandum tale damnum prolis? Partim quia cùm prolis generatio sit primarius finis Matrimonii, copulæque conjugalis. S. Augustinus *De bono conjug. cap.* 6. hoc ipso, quòd unus conjugum culpâ suâ reddit, & reddere pergit se impotentem ad prolem generandam, amittit jus exigendi ab altero usuram corporis; sicuti & is, qui reddit se impotentem ad reddendum debitum.

Confirmatur, quia cùm talis conjux non pos- 4
sit exigere debitum ex intentione generandi prolem, quandoquidem impossibilium nulla est voluntas. *L. Ea quæ dari. ff. De Reg. Iur.* cadente hac intentione tanquam principali, & primaria, videtur etiam cadere jus ad finem accessorium, & secundarium, qui est evitatio fornicationis. Saltem tanquam remedio correctionis posset uti hac debiti negatione maritus, juxta dicta *cap.* 43, *n.* 39.

Jam verò, si de separatione quoad tectum 5
sermo sit, potest ea suscipi ex intentione corrigendi ebriosam uxorem, juxta dicta *cit. n.* 39. An autem, & quomodo ad utramque hanc separationem requiratur sententia judicis, deduces ex dictis *cap.* 35.

V. Frequens temulentia uxoris tam probro- 6
sa, molesta, noxia est marito, reique familiaris administrationi, ut videatur hac solâ ratione, tametsi incommoda priùs enumerata absint, dare marito sobrio jus petendi facultatem divertendi ab illa, donec se emendet. Ratio est, quia uxori fas est, divertere à marito gravibus molestiis animi, corporis, aut fortunarum ipsam afficere pergente, nec desistere volente. *Suprà cap.* 35. Ergo id ipsum fas est marito, quem uxor suâ frequenti temulentiâ ad tristitiam, iram, imprecationes incitat, augendo curas domesticas, easque, ut fit à talibus, negligendo. Dixi autem: *Marito sobrio*: quia si & ipse quotidie ferè oppleat se mero, frustra exiget sobrietatem ab uxore, ut probavi *cap. præcedente n.* 49.

Cæterùm etsi solennis illa formula divor- 7
tii, quæ allata est in ipsa Canonica Accusatione, videatur non fuisse in usu apud Veteres, nisi quando uxores in perpetuum, & absolutè repudiabantur, sicuti colliges ex *L.* 2. *ff. De divort.* ubi ea refertur, attamen non incongruè fuit eâ usus parens Elpidiæ, quandoquidem saltem sub conditione non sequentis emendationis, potest uxor juberi habere sibi in perpetuum res suas.

Y. 3.
SPRETA SACRATISSIMORUM DIERUM RELIGIONE.

CAPVT XLV.

De inebriantibus se festo die.

SECTIO I.

Creber, & damnabilis mos inebriandi se festo die.

SUMMARIUM.

Sententia S. Augustini de inebriantibus se die festo. 1.
An potantes ad ebrietatem die festo peccent gravius, quàm aliàs? 3.
Sitne verum, quòd omne peccatum mortale patratum die festo sit gravius, quàm aliàs? 7. & 8.
Ebrietas prohibetur lege Diœcesana peculiariter die festo. 9.
Aliqui Sancti Doctores censuerunt, culpam mortalem aggravari mortaliter, vel venialiter festo die. 15.
Iis est adhærendum quoad venialem circumstantiam. Ibid.
An quando ebrietas hodierna est in causa, ut negligatur audstio verbi Divini, aggravetur eo neglectu mortaliter ebrietas? 18.
An imitandus Parochus, qui minabatur privationem sepulturæ non accedentibus suam concionem? 22.
Sepultura Sacra non est quia privandus, nisi in casibus jure expressis. 22.
Concilium Tridentinum non præcipit, ut audiatur concio in Ecclesia Parochiali. 26.
Nequit anathemate feriri à Paracho negligens concionem Parochialem. 28.
Parocho non competit jurisdictio externa. 29.
Nec ipse Episcopus potest excommunicare negligentes concionem Parochialem. 30.
Refertur decretum Congregationis. Ibid.
Privilegia Regularium obstant volentibus Parochianos cogere ad concionem Parochialem. 31. & 34.
Et consuetudo universalis. 32.
Nihilominus tamen hortandi Parochiani ut frequentent. 33.
An Parochus contrahens per intemperantiam morbum, qui impedit concionem, admittat duplex peccatum mortale? 35.
Pœna statuta in Curatores animarum negligentes tribus mensibus officia sua? 37.
An toto uno mense omittens concionari peccet mortaliter? 38.
An qui peccavit mortaliter per neglectum concionis toto uno mense, rursum delinquat mortaliter omni die, quo negliget? 40.
Debita communitatibus ex officio debentur ex justitia. 43.

AUthor sermonum *ad Fratres in eremo*, 1
qui malè adscribuntur Augustino, ita conqueritur *Serm.* 32. *O quàm plures sunt ex vobis, qui plùs tabernam die festo visitant, quàm templum! priùs corpus reficiunt, quàm animam; priùs sequuntur Dæmonem, quàm Deum. O fideles non fideles! quid vobis cum vino? nunquid vinum factum est, ut deficiatis maledicentes nomen Domini.*

Fridericus verò Fornerus *Lib.* 3. *De temu-* 2
lentiæ malo, cap. 33. sic loquitur, & testatur: *Pestifera inter Germanos jam dudum viguit consuetudo, ut si ullo alio totius Anni die prophano in festo certè, potationibus impigre vacent, quasi hi potissimùm Baccho sacri forent, ac dicati.* Vera scripsisse Fornerũ testantur popinę.

Quæres itaque I. *Vtrùm ii, qui die festo po-* 3
tant ad ebrietatem usque, delinquant gravius, quàm si id facerent die prophano?

RESP. I. Si se inebrient illo ipso tempore, quo fit ultimum Sacrum, cùm nulli antè interfuerint, peccant mortaliter etiam contra præceptum de audiendo Sacro. Ratio est, quia absque legitima causa omittunt implectionem præcepti obligantis ad mortale. Confirmatur ex Resp. seq.

RESP. enim II. Id ipsum peccatum admit- 4
tunt, si se inebrient aliquot horis ante ultimum Sacrum, posito, quòd sciant, ebrietatem non depulsum iri ante illud Sacrum. Ratio est, quia præceptum ad aliquam actionem obligans, obligat consequenter, ne eo ipso die, quo implendum esset, ponatur impedimentum obstans ejus executioni, ut declaravi *cap.* 27. *n.* 84. *& seqq.*

III. Qui sine neglectu Sacri potitat in ta- 5
berna tempore divini officii, peccat mortaliter, si inde oriatur scandalum, quod valde frequens, & probabile esse solet, præcipuè quando dictæ potationes fiunt cum clamoribus, vel cantu. Sic loquitur, & judicat Bartholdus Berteau *in Directione Confessar. in* 3. 6

Præcept. Decal. p. 3. intelligendus de gravi scandalo; quod quidem in Gallia, ubi ipse scripsit, & ubi accessus ad tabernas vetitus est lege Regia, sicut notavi *Cap. 11. n. 13.* faciliùs, quàm in Germania contingere potest.

7 IV. Tametsi Alensis, Abulensis, Bonaventura, Antoninus, Medina, & alii plures apud Suarez *Tom. 1. De Religione. Lib. 2. De Festis, cap. 18.* favente S. Augustino *Tract. 4. in Ioannem*, ubi ait: *Absit fratres, ut illos dicamus observare Sabbathum, qui ad luxuriam, & ebrietatem observant*, generatim asserunt, peccatum mortale esse specialiter in die festo prohibitum, ex vi generalis prohibitionis operis servilis, ac subinde omne peccatum mortale in die festo commissum, præter malitiam, quam habet ex propria materia, & objecto, habere malitiam sacrilegii contrariam huic præcepto; ideóque illam circumstantiam esse necessariò exprimendam in Confessione;

8 Quia tamen opposita plerorumque omnium recentiorum Theologorum, & Canonistarum apud Suarez *loc. cit.* Lugonem *De Pœnit. disp. 16. num. 515.* Dicastillo *De Pœnit. disp. 9. n. 722. & seqq.* ubi fusè, & doctè, itémq; Fagundez *De Præcept. Eccles. Præcept. 1. Lib. 1. c. 9.* est multò probabilior ex ratione, quandoquidem absq; solido fundamento asseritur, vel præcepto de festo observando obligari nos specialiter ad non peccandum eo die, vel eo ipso, quòd festum sit tempus sanctificatum, pollui mortaliter quocunque peccato mortali; imò illa sententia recentiorum est certa ex usu, & consuetudine legem explicante, siquidem nullus pœnitens, nullus Confessarius, nullus Superior sequitur, aut observari in praxi mandat opinionem antiquorum prædictam; idcirco, qui die festo bacchatus est ad ebrietatem usque, non contraxit ratione festi præcisè ullam peculiarem malitiam mortalem.

9 Et hoc ipsum est verum etiam in hac Diœcesi Constantiensi, in cujus Synodi *Part. 1. Tit. 23. n. 4. omnia opera servilia, & alia illicita, ut sunt Comessationes, ebrietates, & alia similia interdicuntur omnibus, & singulis.* Sanè illo septemdecim Annorum decursu, quo in eadem Diœcesi versor, non observavi circa hoc quidquam diversum à jure communi.

10 Hinc rectè, & ad propositum nostrum, sic loquitur Palaus *Tract. 9. p. 9. num. 5.* Non peccas (mortaliter) adversus præceptum de festo observando, tametsi totum diem festivum in ludis, Comessationibus, & ebrietatibus consumas, modò rem Sacram audias, & ab opere servili abstineas.] Consentit P. Dicastillo *loc. cit. n. 729.*

11 V. Suarez *loc. cit. num. 14.* post Navarr. Sotum, & Victoriam existimat, omne peccatum mortale, & veniale festo die patratum, habere majorem quandam deformitatem cum recta ratione, quàm patratum die prophano; eò quòd prudentia, & recta ratio hanc quoque circumstantiam penderet, ac proinde cujusque peccati malitiam augeri intra suam speciem. Idem Suarez *loc. cit. num. 6.* junct. *Lib. 3. De reverent. debita loco. cap. 3. num. 8.* ac Lugo *cit. disp. 16. num. 529.* existimant, omne peccatum mortale commissum die festivo, esse aliquanto gravius, quàm si alio die admitteretur. Adferunt hanc rationem, quòd sicut 13 persona sacra, & locus sacer aggravat omne peccatum mortale, quod ab illa, vel in hoc committitur, quia scilicet, quemadmodum per quodlibet peccatum mortale à sacra persona admissum prophanatur sacra persona, uti & locus sacer, si in loco sacro patretur, ita etiam per quodlibet mortale commissum die festo, prophanetur dies Deo sacra, ideóque contrahatur malitia sacrilegii venialis.

Verùm & paritatem rationis negat Dicastillo *num. 725.* & Palaus *loc. cit.* non solùm absolutè asserit, pravas actiones non esse magis in die festo, quàm in profesto prohibitas, sed etiam expressè negat, peccari etiam venialiter contra Religionem festi, si die festo committantur peccata mortalia. 14

Ego verò propter reverentiam debitam SS. 15 Augustino, tum *loc. cit.* tum *Lib. De decem Chord. cap. 13.* Thom. 2. 2. *q. 122. art. 4.* Bonaventuræ, Antonino, atque aliis ferè omnibus, ac neotericis docentibus, culpam mortalem aggravari vel mortaliter, vel saltem venialiter per circumstantiam festi, existimo dicendum, festorum observationem esse, & fuisse semper in Ecclesia Dei ita receptam, ut saltem sub veniali peculiari peccato fuerint fideles obstricti ad vitandum quodlibet mortale, saltem externum. Atque id quidem con- 16 formiter tum *Cap. 1. De feriis*, ibi: *ab omni illicito opere abstinere*: tum rationi prudentiæ naturalis, sicut paulò antè ex Navarro retuli, itémque festivi, sacríque diei juxta mentem Suarezii indicatam *num. 12.* tum valde potenti motivo retrahendi à peccato, cui motivo dum non paret peccator, ostendit majorem obfirmationem in malo, ut optimè notat Dicastillo *loc. cit. num. 726.* qui Dicastillo, uti & Suarez *cit. cap. 18. num. 17.* videndi sunt pro responsione ad authoritates SS. PP. sicut & Escobar in Theologia Morali *Lib. 30. Problem. 70.* docens, illam aggravationem esse intra eamdem speciem mali operis non autem contra Religionem per se loquendo.

VI. Qui uno, aut pluribus diebus ante fe- 17 stum contrahit ex intemperante potu podagram, aut aliam ægritudinem ipsum die festo impedituram ab auditione Sacri, licèt prævideri hoc impedimentum, non tamen idcirco deliquit adversus Religionem festi.

Sic

Sic sentiunt Suarez, Bonacina, Dicastillo relati *cap. 27. num. 31.* & à nobis approbati. *Ibid. num. 75.*

18 Quæritur II. *An quando ebrietas hodierna est in causa, ut negligatur hodie auditio verbi divini, aggravetur eo neglectu mortaliter ebrietas?*

RESP. Per se loquendo non aggravatur mortaliter. Probatur in primis ex consuetudine receptissima bonorum æquè, ac malorum.

19 Deinde nullum præceptum extat, quòd in rigore, ac per se obliget ad concionem audiendam die festo. Suarez *cit. Lib. 2. De festis. cap. 16. n. 6.* Bonacina *in 3. Præcept. Decal. seu disp. 5. De Leg. quæst. Vnic. p. 2. n. 27.* atqui quod nullo jure sancitur, id nos asserere non debemus. *Cap. 2. De Transl. Epist. §. Sed neque in fin.* Navarr. de Horis Canonicis *cap. 10. n. 11.*

20 Ad auctoritates in contrarium solitas adferri ex Provincial. Concil. Carthag. IV. ex *Cap. Sacerdote, & cap. Omnes fideles. De consecrat. dist. 1.* ex S. August. relato. *Cap. Interrogo 1. q. 1.* & denique ex cap. *Inter cæteras. De Officio Ordin.* rectè respondent Suarez, & Bonacina.

21 Hinc non est imitandus ille Parochus pridem vita functus, qui minatus est suis Parochianis privationem Viatici, & sepulturæ, si inposterum accederent conciones Regularium cum neglectu Parochialis. Ne sepulturâ 22 quidem Sacra privandus est quisquam fidelis, nisi ob casus in jure expressos. *Cap. Nullus*, juncta Gloss. *Caus. 13. q. 2. & Cap. Ecclesiam. 2. De Consecratione dist. 2.* Laymannus *Lib. 3. Tract. 5. cap. ultimo n. 10.* ex communi; quantò minùs est quis privandus Sacro viatico? At quodnam jus vetat, loco Sacro tumulari eos, qui conciones non audiunt in suis Parochiis, sed in alienis? Nullum sane vel verbulo quidquam tale indicat.

23 Dices fortè I. *Omnis, qui in peccato mortali decedit, privandus est sepulturâ Sacrâ.* Laym. *loc. cit. n. 12.* atqui tales decedunt in peccato mortali.

24 RESP. I. De assumpti veritate nos visuros *cap. 50.* II. Subsumptum esse alienum à vero, cùm nemo per se loquendo sub mortali teneatur interesse concioni Parochiali.

25 Dices fortè II. In Concil. Trident. *sess. 24. cap. 4. De Reform.* expressè statui: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unum quemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè fieri potest, ad audiendum verbum DEI.*

26 RESP. Hoc ipso, quòd Concilium addat: *ubi commodè fieri potest*, satis indicat, à se non injungi gravem obligationem.

27 Dices fortè III. Esse quibusdam locis receptum, ut excommunicentur, qui nolunt interesse suæ Parochiæ festis diebus.

28 RESP. I. Non possunt tales anathemate ferri à Parochis per se loquendo, tum quia excommunicatio non potest ferri, nisi ob peccatum *Cap. Nemo Episcoporum. Cap. Nullus Sacerdotum. 11. q. 3.* Tum quia Parochis per 29 se loquendo non competit jus feriendi quemquam gladio excommunicationis, cùm non habeant jurisdictionem in foro externo. Doctores *in materia de Censuris*, nominatim Suarez, Filliucius, Laymannus, Bonacina; tum denique, quia ne ab ipso quidem Episcopo possunt excommunicari, ut mox dicam.

RESP. enim II. Ne quidem Episcopus po- 30 test anathema dicere illis, qui non audiunt festis diebus concionem in suis Parochiis. Ratio, præter indicatas, est hæc, quia Zerola Episcopus *in Praxi Episcoporum Part. 2. Verb. Parochia. §. 3.* refert verba formalia Sacræ Congregationis, quæ jussu Papæ reprehendit Episcopum Calaritanum, quòd *anathematis pœnâ propositâ cogeret populum suum, Dominicis, & majoribus diebus festivis frequentare suas Parochias, quod suæ Sanctitati durius visum sit, quàm præscriptum sit à Sacro Concilio, quod præscribit, ea de re populum tantùm moneri debere.* Viden etiam Barbosam *in cit. cap. 4. Tridentin. num. 17.*

Hinc infer, Gaugericum *in Summam Cajetani*, & Marchantium *in Candelabro mystico* frustra contendere, Parochianos obligari ad Missas, & conciones audiendas in suis Parochiis. 31 Licèt quippe fuerit hæc opinio aliquando probabilis, jam tamen nihil habet (spectatis privilegiis Regularium) probabilitatis. I. Quia Pax Jordanus Elucubration. *Part. 1. Lib. 4. Tit. 1. n. 144.* post alios, refert privilegium Leonis X. declarantis, fideles satisfacere suæ obligationi, si Dominicis, festivisque diebus Missam audiant in Ecclesiis Ordinum Mendicantium. Simile privilegium, seu declarationem speciatim pro Ecclesiis Societatis JESU etiam in ordine ad conciones impertiit Paulus III. ut videre est in Bulla, quæ incipit: *Licèt debitum*, quam utramque Bullam pro dirimenda lite Duaci orta confirmavit Clem. VIII. ut videre est apud Herm. Busenbaum *in Medulla Theol. Moral. Lib. 3. Tract. 3. dub. 4.* visum à me post hæc scripta.

II. Quia idem Jordanus Episcopus *loc. cit.* 32 testatur expressè, hanc esse *universalem consuetudinem Orbis, & Vrbis, ut est notissimum.* Hanc autem consuetudinem esse legitimam, negabit nullus gnarus conditionum, quas ad legitimandam consuetudinem requirunt jura, ac Doctores. Et ob hanc consuetudinem, præcipuè junctis privilegiis, judico, prædictam opinionem Marchantii esse nunc practicè improbabilem. Vide Cardinal. de Lugo *Tom. 2. in 3. Part. disp. 21. sect. 1. n. 1.* Barbosam *De Offic. & pot. Parochi. Part. 1. cap. 11. n. 15.* & maximè Busenbaum solidè respondentem ad rationes Marchantii.

33 Nihilominus tamen persisto in eo meo sensu, quem dilucidè expressi in Tom. priore, seu Experientiis *Tract. 5. Cas. 5. n. 168. & seqq.* videlicet esse hoc tempore, quo videmus, Parochiales Ecclesias esse per Dei gratiam instructas verbi divini prædicatoribus perquam idoneis, valde consonum rationi, ac mutuæ charitati, ut Concionatores, & Confessarii, data occasione, commonefaciant suos de accedenda concione Parochiali, si fortè alicubi appareat nimia hîc licentia, offensâque DD. Parochorum.

34 His addo ob argumenti, seu objecti connexionem, esse à B. Pio V. in Bulla *Etsi Mendicantium* id gratiæ concessum Mendicantibus Ordinibus, ut qui diebus festivis, & Dominicis intersunt Missis, & divinis officiis in eorum Ecclesiis, hæc & illa audiendo censeantur satisfeciſſe præcepto Ecclesiæ: *nec possint desuper molestari per locorum Ordinarios, seu Rectores Ecclesiarum.* Quia verò Gregorius XIV. concessit Congregationibus Sancti Bernardi, & Urbanus VIII. atque Innocent. X. nominatim laudatissimæ Congregationi Germaniæ Superioris Sacratissimi Ordinis Cistercienſis omnes gratias, privilegia, indulta &c. quæ ejus antecessores impertiverant, *cujuscunque generis ea sint*, aliis Ordinibus Religiosis, Mendicantes, autem utique gaudent per communicationem hac ipsa largitione, apparet, quantum etiam in re ista Mendicantibus faveant posteriores quoque Pontifices. Tres hanc in rem Bullas trium priorum Pontificum exhibet per extensum Reverendissimus D. Bernardinus Abbas Lucellensis in Epitome Fastorum Lucellensium, sub finem, & *fol.* 97. facit mentionem confirmationis Innocentianæ.

35 Quæres III. *An Parochus, qui per ebrietatem contrahit morbum, impedientem ab habenda concione die festo, delinquat mortaliter præviso illo impedimento?*

36 RESP. I. Si rarò impeditur, non peccat mortaliter, quia Parochus non delinquit lethifere omittendo rarò concionem. Suarez *cit. Lib. 2. De Festis. cap. 18. n. 7.* Licèt enim Trident. Concil. *Sess. 5. cap. 3.* statuat, ut curam animarum habentes diebus saltem Dominicis, & festis solennioribus plebes sibi commissas pascant verbis salutaribus, & *Sess. 24. cap. 7. De Reform.* idipsum ferè repetatur, rectè tamen observat Suarez *Lib. 2. De Festis, loc. cit.* id statutum non obligare cum tanto rigore.

37 II. Si crebrò omittat ob morbum ebrietate causatum, videtur delinquere mortaliter adversus sanctionem Tridentini Concil. *cit. sess. 5. cap. 2.* Ratio est, quia ibi statuitur, ut qui curam animarum habentes moniti, trium mensium spatio defuerint muneri, de quo *num. præcedente* loquitur Concilium, per Censuras Ecclesiasticas cogantur. Et existimat Bonacina *loc. cit. num. 31.* ad contrahendam hanc culpam sufficere, si quis uno integro mense continuo, vel totius Anni duobus, tribusve mensibus id omittat. Ego censeo, spectandam cujusque Diœcesis consuetudinem à piis, diligentibúsque Parochis observari solitam, Synodi Salisburgensis, Pragensis, Constantiensis *Part. 1. Tit. 18.* nihil peculiare hic determinant. Quamquam in eadem Diœcesi 39
Constantiensi satis viget illa Constitutio Tridentini, & in Bavaria etiam idcirco, quia Principis mandato fit, ut Consiliarii Regiminum, seu supremarum Curiarum intersint concionibus parochialibus.

Quia verò Bonacina *loc. cit. n. 32.* tradit, 40
esse probabile, illum Parochum, qui omisit culpabiliter concionem per menses duos, vel tres, toties deinde peccare mortaliter, quoties vel unam omittit, idcirco ex ejus sententia dicendum erit, ab illo Parocho, qui per duos menses culpabiliter non est concionatus, incurri reatum delicti mortalis, si proximo die Sabbati post illos tres menses se inebriet, prævidens non habiturum se postridie tempus ullum pro paranda concione, & sic coactum iri eam intermittere.

Nec obest, quòd *cap. 27. num. 41.* docuerimus, quoties non constat positivè, esse communem sensum fidelium, quòd hæc, aut illa 42
lex in particulari obliget ad non ponenda pridie instantis executionis impedimenta, toties censendum esse, non adesse ejusmodi obligationem. Etenim dico, satis constare, esse sensum fidelium, quòd Parochus graviter peccet, qui pridie festi per discessum ad alium locum, vel per aliam actionem indifferentem, & multò magis per malam, reddit se ineptum ad Sacrum, & alia officia, quæ communitati postridie præstare deberet ex officio, præstanda. Ratio est, quia quæ communitatibus de- 43
bentur ex officio, induunt rationem quandam debitorum ex justitia; atqui tenemur nos non reddere ineptos ad horum impletionem, ut declaravi *cit. cap. 27. num. 49.* & nominatim de negligente conciones ratione morbi ex ebrietate nati, jam ex parte tractavi *cap. 10. sect. 6.*

SECTIO

SECTIO II.

An negligens ex Ebrietate Vesperas die festo, peccet mortaliter, & teneatur prævenire? Et ratione hujus proponitur novum, ac subtile dubium de tempore Horarum Canonicarum.

SUMMARIUM.

An & quatenus peccetur se inebriando cum periculo negligendi Vesperas festo die? 44. & 45.
Quid singulariter sentiendum de Canonicis? 46.
An Clericus Breviario adstrictus peccet venialiter, si prævidens, se fore post meridiem ineptum, propter temulentiam, ad dicendas Vesperas, recitet illas ante prandium? 48. & *seqq.*
Adfertur novum, & difficile argumentum contra prævenientium culpam. 52. & *seqq.*
Respondetur ad illud. 55.
Probatur, peccare venialiter, qui ante meridiem recitat absque rationabili causa, Vesperas, & Completorium. 56. & *seqq.*
Quod potest lege statui, potest & consuetudine. 69.
Recitans ante meridiem Vesperas cum intentione non repetendi horis præscriptis, peccat contra præceptum negativum, non contra affirmativum. 74.
An teneatur repetere post meridiem Vesperas is, qui antè recitavit absque rationabili causa? 77.
An possit hæc obligatio negari probabiliter? 87.

44 QUæres I. *An Laici committant duplex peccatum, si die festo se inebrient, cum periculo negligendi Vesperas?*

RESP. I. Per se loquendo negativè. Etenim reddere se inhabilem ad obeundum opus non præscriptum, vacat culpa, Suarez *Lib. 2. De Festis. cap. 18. n. 10.* atqui interesse Vesperis festo die, non est opus præscriptum, aut præceptum, sed planè arbitrarium.

45 II. Si quis ratione stipendii obligetur Vesperas cantare, facile fieri potest, ut admittat duplex peccatum; si videlicet aut propter illius unius absentiam oporteat die festo omit-
46 tere Vesperas. Sicuti de Canonico Cathedrali, & Collegiato, cujus culpâ omittitur Officium Canonicum in choro, tradit ex communi Suarez *Tom. 2. De Religione. Lib. 4. De Hor. Canon. cap. 13. n. 1. & seqq.* Aut si crebrò absit, esto ejus absentia non turbet chorum. Ratio est, quia peccat graviter contra justitiam ex innominato contractu: *Do ut facias*, si videlicet haber stipendium competens.

Quia verò vice versa non videtur peccare 47
graviter contra justitiam, semel, iterúmve negligendo intra dimidium Annum, aut etiam intra mensem, si non magnum salarium pendatur, idcirco, ut sic non delinquit mortaliter, si dum deberet cantare in choro, studeat calicibus vacuandis.

Quæres II. *An Clericus Breviario adstrictus* 48
delinquat, si prævidens, se die dedicationis, aut patrocinii probabilissimè in solenni convivio potaturum usque ad ebrietatem, retitet ante prandium Vesperas, & Completorium?

RESP. I. Peccat mortaliter, dum proponit 49
accedere convivium cum probabilissimo periculo temulentiæ. Ratio est, quia declinandæ sunt occasiones proximæ peccatorum. Excipe: Nisi fortè gravis causa illum adigat. Nam gravi ex causa potest quis se committere moraliter certo periculo peccandi. Suprà *cap. 33. n. 82.* Difficulter autem reperietur in proposito causa sat gravis.

II. Si reciter sine proposito bibendi liberius 50
ob jam recitatas horas, sed tantùm idcirco, ut periculum majoris peccati, cui se obnoxium esse videt, antevertat, & caveat, non delinquit ullo modo illa anticipatione. Ita expressè, & singulariter de hoc casu sentit Laymannus *Lib. 4. Tract. 1. cap. 3. in fin.* Ratio est, quia è duobus malis minus eligit, scilicet anticipationem præ omnimoda omissione. Adde, quòd *ante horam orare providentiæ est, post horam negligentiæ, in hora obedientiæ*, inquit Hugo apud Paludanum *in 4. dist. 25. q. 5.*

III. Si ante prandium ideo reciter, ut pos- 51
sit tanto liberiùs, esto non usque ad temulentiam, potare, delinquit illa potatione venialiter. Sic sentit idem Laymannus *Ibid.* Ratio est, quia antevertit ex causa irrationabili tempus præscriptum.

At objicies: *Non peccat, qui pro lubitu summo* 52
manè omnes omnino Horas decurrit, etiam sine proposito quidquam earum postea repetendi, ergo neciste, de quo n. præced. locuti sumus.

Antecedens probatur; talis enim nec con- 53
tra ullum affirmativum, nec contra ullum negativum præceptum delinquit. Non contra affirmativum, quia nullam actionem præceptam omittit, ut per se patet; imò nec cogitat omittere præceptam; licèt quippe cogitet omittere post prandium recitationem Completorii, e. g. hæc tamen non est præcepta illi, qui manè recitavit. Non contra negativum, 54
quia non exercet ullam actionem vetitam, aut ratione sui, ut per se patet, aut ratione intentionis liberandi se onere recitandi post prandium; hæc enim intentio est licita, licitè enim quis obit actionem de se bonam, qua posita & exercita constituatur in eo statu, in quo lex

ipsum non amplius obliget, sicuti cum P. Dicastillo docuimus *cap.* 27. *n.* 58.

55 Propter hoc subtile sanè, ac difficile argumentum, sapientissimus quidam Theologus editis in 3. Part. eruditissimis voluminibus; quæ in hoc toto opere non semel allegavi, clarus in primis, sibi persuasit, & quibusdam etiam persuasisse dicitur, non esse ullum planè peccatum, dicere pro lubitu, & absque ulla peculiari causa rationabili omnes omnino parvas horas horis antelucanis æstate, aut hyeme.

56 Verùm pace tam ipsius, quàm eorum, qui ipsum sequuntur, existimo, non esse dandum locum huic persuasioni, idque propter duo
57 generalia principia. Primum est, quòd minimè mutanda sint ea, quæ interpretationem certam semper habuerunt. *Leg. Minimè. De*
58 *Leg.* Alterum, quòd meminerim, me olim legere in Aristotele, non esse prudentis, à recepta, indubitatáque omnium persuasione recedere ob argumentum, difficilem solutionem admittens. Atqui lex de parvis Horis recitandis habuit hactenus istam certam interpretationem, quòd vetaret eas omnes summo manè absque rationabili causa dicere sine animo repetendi, fuitque hactenus hæc indubitata persuasio omnium sapientum.

59 De interpretatione certa probo, quia constitutionem de hisce Horis manè usque ad Completorium exclusivè recitandis, quæ habetur *Cap.* 1. *De Celebrat. Missar.* omnes Theologi, & Canonistæ unà cum Gloss. *Ibid. Verb. Persolvas*, ita interpretati sunt, ut non nisi ex rationabili causa, liceret eas persolvere
60 primo manè. De indubitata omnium sapientum persuasione est etiam res manifesta; omnes quippe, quos de hac materia legi, legi autem longè plurimos, damnant expressè, vel implicitè peccati saltem venialis eum, qui absque rationabili causa notabiliter prævenit tempus singulis horis præscriptum, vel ab Ecclesia, vel à consuetudine. Multos hanc in rem nominat Bonacina de Horis Canonicis *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 4. alios Tannerus *Tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 1. *num.* 166. dicens, esse grave veniale.

61 Confirmatur illa persuasio I. authoritate B. Pii V. qui, ut habetur in Compendio nostro *Verb. Horæ Canonicæ.* §. 2. veluti privilegium indulsit Minoribus, ut ratione itineris, aut alterius occupationis, quando creditur, quòd majori cum devotione dicetur divinum officium, possit ab iis manè recitari totum, usque
62 ad Completorium inclusivè. Atqui *superfluum est, hoc precibus postulare, quod lege permissum*
63 *est.* Text. *Lib.* 1. *Cod. De Thesauris.* Scio quidem, responderi posse, hoc privilegium esse tantùm concessum ad tollendos scrupulos, quando quis dubitaret de occupationibus, & devotione, attamen videtur manifestè supponere illam communem persuasionem.

Confirmatur II. Consuetudine, quæ & est 64
optima legum interpres, & habet vim obligandi. Porrò consuetudo hactenus in Ecclesia semper viguit, ut docti, & indocti se accusarent in Confessione de peccato veniali, quando absque rationabili causa recitárunt manè Vesperas, & Completorium. Et hæc 65
consuetudo Prælatorum, atque inferiorum habet omnes planè conditiones, ex quibus apud Suarez, & Palaum dignosci potest, aliquam consuetudinem habere vim obligandi in conscientia.

Neque dicas, ortam esse ex ignorantia in- 66
vincibili argumenti superiùs allati, & ideo non obligare, per ea, quæ cum aliis tradit Palaus *disp.* 3. *De Leg. p.* 2. §. 3. *n.* 11.

In primis enim respondeo, esse valde vero- 67
simile, hoc argumentum non latuisse omnes, qui hactenus vixerunt, Theologos. Deinde, esto, latuerit omnes, attamen id nil obstat; quia ignorantia illius argumenti potuit esse non antecedens, sed concomitans, & proinde nil obesse voluntati se obligandi, per ea, quæ disserit S. Thom. 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. Siqui- 68
dem stante cognitione prædicti argumenti potuerunt se nihilominus obligare sub veniali, & mortali ad recitandas Vesperas cum Completorio post meridiem, idque duplici ratione. Primò quidem, ut qui ante meridiem dixisset Vesperas, ex causa non rationabili, repeteret eas post meridiem. Secundò ita, ut peccarent quidem, qui absque rationabili causa ante prandium orarent Vesperas cum intentione non repetendi, attamen ita orantes non tenerentur repetere.

De primo modo, & ratione nemo dubitare 69
potest; de secundo sic probo. Quidquid potest lege humana statui, potest & consuetudine. *L. Sed & ea. ff. De Legib.* atqui nec metaphysicè, nec moraliter implicat, quò minùs licitè, validéque Papa ferat talem legem: *Omnes divino officio adstricti Vesperas dicant post meridiem. Excipimus hinc ex speciali gratia illos, qui horis ante meridianis illas fortè recitárint. Ne tamen hæc nostra constitutio evadat exinde inutilis, prohibemus, ne quis Vespertinum officium matutino tempore absque rationabili causa oret ex intentione non repetendi.* Certè in his verbis nul- 70
la involvitur contradictio, eorúmque tenor confirmatur inde, quòd similis lex, aut consuetudo vigeat circa materiam jejunii, siquidem Ecclesia præcipiens jejunium omnibus Annum vigesimum primum egressis, excipit inde fatigatos labore diurno, ita tamen, ut simul vetet, ne quis die jejunii ludicro, seu inutili labore se defatiget ex intentione habendi jus ad cœnam, ut contra Joannem Sanchez docent reliqui cum Diana *Part.* 1. *Tract.* 10. *Resol.* 52.

Dices:

71 Dices: *Recitare manè Vesperas etiam absque rationabili causa, non est opus malum, sed potiùs bonum; & intentio non repetendi non est mala, non enim fertur in objectum malum, nam supponimus, non adesse obligationem repetendi; ergo*
72 *nihil mali apparet hic.* RESP. concesso antecedente negando consequentiam, siquidem datur aliquod tertium, quod malum est, scilicet absque rationabili causa recitare ex intentione non repetendi; conjunctio horum duorum extremorum est mala, quia expressè continet fraudem legis, licèt extrema non sint mala, ferè sicut in Logica prohibetur, ne à divisis ad conjuncta fiat argumentatio. Posse hanc conjunctionem vetari ab Ecclesia probavi paulò antea, esse re ipsâ interdictam, crediderunt ha-
73 ctenus omnes docti, & indocti Clerici. Confirmatur communis omnium persuasio responsione ad fundamentum oppositæ sententiæ.

74 Dico igitur illum, qui absque rationabili causa Completorium, aut Vesperas exequitur manè, cum intentione non repetendi horis præscriptis, agere contra præceptum negativum, prohibens illam conjunctionem, de qua paulò antè.

75 Nec obstat, quòd non peccet, qui per aliquam honestam actionem intendit ponere se in eo statu, in quo lex ipsum desinat obligare. Resp. Enim I. illam doctrinam esse quidem communiter veram, & admittendam, ubi non constat in particulari de contrario, secùs si constet, sicuti hic, & in materia de jejunio
76 constare, dixi ex communi judicio. II. Illam doctrinam non rectè applicari, quia nimirum is, de quo loquimur, etiam postquam manè percurrit Vesperas, tenetur saltem in actu primo eas repetere, ita ut potiùs dicendus sit excusari à lege recitandi post prandium, quàm non obligari illa, prout declaravi *cit. cap.* 27.
77 *num.* 52. *& seqq.* III. Esse probabile, talem etiam in actu secundo obligari repetere, adeóque nullo modo esse in eo statu, in quo ipsum non obliget lex dicendi Vesperas sub Vesperum.

78 Probo I. Ex Augustino, cujus sententia Cap. *Qui ex timore. De Reg. Iur. in* 5. refertur hisce verbis: *Qui ex timore præceptum facit, aliter, quàm debeat, facit, & ideo jam non facit.* Ubi vides pronuntiari, ab illo non fieri præceptum, qui aliter facit, quàm sit præceptum; atqui iste aliter, quàm debeat, facit præceptum de Vesperis recitandis, quando manè recitat, ergo non facit illud præceptum, ergo
79 tenetur repetere. Non me equidem fugit, posse contra hanc Regulam objici multa, gravia, vera, sufficit tamen, quòd subministret probabile argumentum pro tuenda communi, & indubitata persuasione.

80 Probo II. Triplici inductione, tum quia certum est, illum, qui hodie Vespere dixit Primam sequentis diei, teneri sequenti die repetere; tum quia, si non certum, saltem probabilissimum est, illum, qui communicando prævenit, absque justa causa tempus Paschale, obligari ad repetendam communionem Paschalem, ut videre est apud Nugnum relatum, & approbatum à nobis Tom. priore *Tract.* 6. *Cas.* 3. *num.* 41. Tum denique, quia, qui pridie festi so- 81
lennis non recitavit primas Vesperas de festo, tenetur in ipso festo repetere juxta Tanner. & alios.

Probo III. Quia opinio contraria nec au- 82
thoritatem, nec rationem habet convincentem. Non rationem, ut fatebitur, qui utramque à Bonacina allatam expenderit. Non authoritatem, multi quippe Theologi, & Canonistæ, ut Navarrus, & Laymannus, Tannerus, Lessius, Lezana, alii, sicut non asserunt, ita etiam non negant, illum teneri repetere, qui prævenit absque rationabili causa. Et uti- 83
que Umbertus censuit teneri, quandoquidem referente Silvestro *Verb. Horæ. quæst.* 9. censuit, mutationem temporis notabilem continere noxam mortalem; licèt fatear à Bonacina *loc. cit. num.* 6. expressè (& utique probabilius) negari obligationem repetendi.

Ex quibus infero I. sententiam damnantem 84
peccati venialis illum, qui absque rationabili causa dicit manè Vesperas cum intentione non repetendi, esse multis partibus probabiliorem illa, quæ negat talem obligari ad repetendum. II. Si alterutra harum sententiarum 85
sit necessariò corrigenda, corrigendam hanc secundam, tum quia è duobus malis minus est eligendum, tum quia longè credibilius est, Bonacinam, & alios quosdam decipi, quàm per tot sæcula deceptos esse omnes Theologos, & Canonistas in materia quotidiana. Quapropter si argumento superiùs allato satisfieri nequit, nisi negando sententiam Bonacinæ, est animosè, & cordatè neganda.

Et certè prudens ratio dictat, opinionem à 86
Prælatis Ecclesiæ, ab eorum subditis, & à Doctoribus pro indubitata habitam per tot sæcula, ab eorúmque arbitrio pendentem quoad veritatem, non esse revocandam in dubium propter unicum argumentum, quod & totum nititur suppositione opinionum, solummodo probabilium, quæ proinde prudenter negari possint, & etiam admissa illâ suppositione, admittat solutionem probabilem, esto contra solutionem illam possit etiam probabiliter replicari.

Non ausim tamen denegare omnem proba- 87
bilitatem practicam, aut speculativam opinioni relatæ *n.* 55. I. Quia ejus Author fuit eruditione, prudentiâ, pietate præcellens. II. Quia nititur ratione valde bonâ, & quam probabiliter non expenderunt priores Theologi,

multò

multò minùs Canonistæ, qui longiùs absunt ab his speculationibus. III. Quia Pasqualigus *in Decis. Moral.* 370. expressè docet, quando gravis Doctor consideravit motiva alicujus communis opinionis, contrariam tamen ut probabilem docet, idque adferendo bonam rationem, & commodè diluendo argumenta communis, posse illam contrariam haberi pro probabili, esto censeatur communiter improbabilis, & continere errorem, & oppositа habeatur pro certa, ut idem præmittit *Decis.* 349.

88 IV. Quia video, in hac ipsa materia de Horis Canonicis negari aliquid à recentioribus Theologis, quod ab omnibus ante Dominicum Sotum asserebatur. Etenim teste Azor *Part.* 1. *Lib.* 10. *cap.* 8. omnes ad unum Theologi, & Canonistæ ante Sotum damnabant peccati mortalis illum, qui Sacrum faciebat nondum recitatâ primâ; jam tamen postquam Sotus illam damnationem revocavit in dubium, non tantùm plerique talem absolvunt à mortali, sed etiam Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *Part. disp.* 82. *sect.* 1. cum aliis probabilissimè absolvit etiam à veniali peccato, dummodo Primam non differat ulteriùs, quàm sit permissum ei, qui sacrificare non vult.

89 Similiter quidam Theologus Romanus vir perquam eruditus, suis rationibus etsi non novis, prudentibus tamen persuasit quibusdam magnis, sapientibus, doctissimisque viris aliquid hactenus in Ecclesia inauditum, scilicet eum, qui lucratus est Jubileum Anni Sancti, posse Indulgentiam illius ejusdem Anni Sancti toties per omnem deinceps vitam rursum comparare, quoties per contritionem redit in gratiam cum DEO. Contra quam opinionem etsi multas rationes attuli suprà *Tract.* 3. *cap.* 49. *n.* 731. *& seqq.* fortè tamen erunt ex meis lectoribus, qui eam novam opinionem reponent in numero probabilium.

SECTIO III.

De Bulla Urbani VIII. multa festa abrogante ob peccata Ebrietatis?

SUMMARIUM.

Enumerantur festa, quæ Urbanus VIII. abrogavit, 90.
Describuntur verba, quibus abrogavit. 91.
Et tres causæ, ob quas abrogavit. 92. *&* 93.
Enumerantur festa propria Germanorum. 94.
Ea Bulla est recepta in quibusdam Diœcesibus Germaniæ, non tamen in plerisque. 96.
Episcopi, qui receperunt, rectè fecerunt per se loquendo. 98.
Indicatur lucrum cessans occasione festorum multitudinis. 100.
Et damnum inde emergens. 101.
Uno festo die multi bibunt multorum dierum labores. 103.
Depauperatio ob Comessationes in diebus festis. 108.
Una ex causis, cur Catholici sint pauperiores aratholicis est multitudo festorum. 110.
Damnum spirituale est altera causa, ob quam Urbanus sustulerit festa. 112.
Festum est gulæ irritamentum, & luxuriæ occasio. 113. *& seqq.*
Consultissimè agent illi Ordinarii, qui sustulerint è festis Diœcesanis tot, quot potuerint. 119.
Idem Ordinarii sint parcissimi in novis inducendis. 121.
Solvitur objectio, quòd mala sequentia ex festis sequantur tantùm per accidens. 124.
Et illa, quòd ex festis sequatur plus boni, quàm mali. 126.
Et illa, quòd ex dictis sequatur, esse minuendas Dominicas, & alia festa universalia. 128.
Refertur Bulla Innoc. X. abrogantis festivitatem S. Dominici. 132.
Proponitur Casus de festo inducto ab aliqua communitate. 133.
Proponitur & P. Caroli Guyeti limatum judicium de iisdem festis. 136. *in Append.*

90 NOtandum est I. Urbanum VIII. Anno 1642. edidisse Bullam incipientem: *Universa per orbem*, qua *motu proprio, & ex certa scientia, meráque deliberatione, & Apostolicæ plenitudine potestatis* decrevit, ac declaravit infra scriptos tantùm dies pro festis ex præcepto colendos esse, videlicet Dominicos dies, festa Circumcisionis, Epiphaniæ, Purificationis, Matthiæ, Josephi, Annuntiationis, Philippi, & Jacobi, Invent. S. Crucis, Joannis Baptistæ, Petri, & Pauli, Jacobi, Annæ, Laurentii, Assumptionis, Bartholomæi, Nativitatis Deiparæ, Matthæi, Michaëlis, Simonis, & Judæ, Omnium Sanctorum, Andreæ, Thomæ, Nativitatis Domini, Stephani, Joannes Evangelistæ, Innocentium, Silvestri, Itémque feriarum duarum post Pascha, duarum post Pentecosten, Ascensionis Domini, Corporis Christi, ac postremò unius Patroni Diœcesani, itémque unius proprii Oppidi, si quis habeatur.

91 *Ad reliquorum verò*, inquit Pontifex, *dierum observantiam, quos hactenus in quovis loco, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione, Christi fideles tanquam festivos celebrârunt, nequaquam ex præcepto ipsos teneri dicta Authoritate* (Apostolica) *tenore præsentium perpetuò etiam decernimus, & declaramus. Mandantes propterea in virtute S. obedientiæ universis, & singulis Patriarchis &c. Episcopis &c.*

pis &c. ut has præsentes literas in suis Diœcesibus respectivè publicent, & ab omnibus eorum subditis ad unguem observari faciant. Non obstantibus quibuscumvis Apostolicis &c. Constitutionibus, & singularum Provinciarum, oppidorum, locorum etiam juramento roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorialibus &c.

92 Notandum II. illius abrogationis faciendæ tres causas à Pontifice exprimi hisce verbis: *Plurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione ad nos pervenit, multitudinem festorum per singulas eorum Diœceses adeò crevisse, ut multi jam dubitare videantur, quenam ex præcepto, quæ ex libera cujusque voluntate sint observanda, pietatis fervore ob nimiam eorum numerositatem tepescente. Quin imò clamor pauperum frequens ascendit ad Nos, eandem multitudinem ob quotidiani victûs laboribus suis comparandi necessitatem sibi valde damnosam conquerentium.*

93 *Et, quod summopere dolendum, cum magno animi mœrore didicimus, tanta sæpe sæpius malignatum inimicum in Sancto, ut ipsa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in Ecclesiis DEVM populi utantur, sed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non reformident; ita, ut quæ ad glorificandum divinum Numen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensionem, gravémque jacturam converterit animarum.*

94 Notandum III. in quibusdam Diœcesibus Germaniæ præter alias toti orbi Christiano communes 29. festivitates, celebrari, ut minimùm novem alias, scilicet unius saltem Patroni, tum Visitationis, Præsentationis, Conceptionis Deiparæ. Item SS. Georgii, Magdalenæ, Martini, Catharinæ, Nicolai.

95 His accedunt in quibusdam Episcopatibus tum quoad bonam partem, tum totis, Festa Patroni secundarii. Item SS. Sebastiani, Viti, Joannis & Pauli, Antonii, alicubi quoque Marci, Lucæ, Exaltationis S. Crucis, Conversionis S. Pauli, feria V. in Cœna Domini &c. Verbo tam multa, ut possint nominari aliquot Diœceses, in quibus cessatione à labore servili coluntur tredecim, quatuordecim, sedecim, septendecim dies, præter illos 29. de quibus superiùs.

96 Notandum IV. prædictam Bullam Urbani fuisse quidem acceptatam à quibusdam Ordinariis Germaniæ, ut ab Eminentissimis Colonienſi, & Trevirensi, Celsissimo Salisburgensi Archiepiscopis, aliisque nonnullis, at à plerisque non acceptatam. Causas, quibus hi moti fuêre ad non recipiendam, graves fuisse non dubito, & proinde diversas ab iis, quæ mihi ultrò occurrunt; hæ enim mihi non videntur sufficere ad id, ut ne inadæquatè quidem admitteretur illa utilissima, támque severè sancita sanctio. Non tamen ullo modo 97
damno factum, quia ut dixi, rationem, quibus ii moti sunt, momenta ignoro, aut non penetro. Et quis ego, qui tantorum Principum facta improbem in concreto, esto contrarium probem in abstracto? Cùm præsertim & non dubitem, quin ipsorum saltem aliqui suas difficultates proposuerint Pontifici Summo, & eorum observantia erga Primam Sedem sit satis perspecta. Illud solùm hîc non importunè

Quæres: *Quid censendum de Episcopis illis,* 98
qui intra, & extra Germaniam receperunt Bullam Urbani?

RESP. Rectè feciſse per se loquendo. 1. quia paruerunt æquissimo (ubi non obstabant peculiares, gravésque causæ) desiderio, voluntati, strictóque mandato sui Superioris. 2. quia paruerunt ex duplici gravissima causa.

Prima causa est damnum temporale, quod 99
tum directè, tum indirectè adfert multitudo festorum. Intelligo autem per damnum temporale præcipuè quidem lucrum cessans, simul tamen etiam damnum emergens. De lucro cessante res est perspicua. Ille enim opifex, qui cum uno, duobus aut etiam pluribus 100
famulis uno die lucraretur unum circiter florenos Rhenanum, seu sex Julios, unius Anni decursu perdit ob 10. 12. 14. festa, & totidem profesta florenos 15. aut 20. ut nil dicam de opificibus nobilioribus, itémque de architectis. Hoc damnum expressit ipse Urbanus relatus *n.* 92.

Damnum emergens tum frequentissimè na- 101
scitur ex ipso lucro cessante, ut nôrunt omnes Oeconomi, & Patresfamilias, qui experti sunt, quanta incommoda adferat penuria pecuniæ, cùm instat tempus opportunum rebus emendis, debitis expungendis, contributionibus præstandis &c. tum ex fœni, frugum, aliarum rerum corruptione, quæ impediri potuisset, si labori servili operam dare tunc licuisset.

Jam verò, si loquamur de damno, prorsus 102
indirectè, & per accidens, communiter tamen, & certissimò sequente, est illud ipsum, quod jam sua ætate latè grassatum fuisse testantur duo sapientissimi Ecclesiæ Doctores. Primus 103
est S. Ambrosius *Lib. De Elia, & jejunio*, ubi de helluonibus ita scribit: *Uno die bibunt multorum dierum labores.* Ut proinde in eos quadret illud è Concil. Lateran. relatum Cap. *Cùm Apostolus, De cenſib.* his verbis: *Longi temporis victum brevis hora consumit.* Alter est Divus Au- 104
gustinus cujus *in Sermone de ebrietate vitanda* hoc judicium est: *Quam trium, aut quatuor dierum potuerunt rationabilem refectionem habere, uno die contendunt perdere potiùs, quàm expendere.*

At,

105 At, quo id pacto, & quando? Quia scilicet *permulti plus tabernam die festo visitant, quàm templum*, ut loquitur antiquissimus Author sermonum ad fratres in Eremo: *& pestifera inter Germanos inolevit jam dudum consuetudo, ut si ullo alio totius Anni die prophano, in festis certè, potationibus impigrè vacent*, ut loquentem, & testantem ex oculari experientia audivimus Reverendissimum Dominum Frideri-
106 cum Fornerum *suprà n.2.* Fit itaque longè creberrimè, ut quo die, si festus non fuisset, lucrifacturus erat suo, suorúmque familiarium labore opifex aliquis unum florenum Rhenanum, non modò illum non lucretur, sed alium expendat in potum, perdat lusu chartarum, alearum &c. & sic duorum jacturam faciat; ac sequenti die ob præcedentis crapulam ineptus sit ad laborem.

107 Taceo morbos sanè pretiosos, quos parit temulentia; taceo sumptus & mulctas, quas pendere debent ob injurias verbales, & reales, adeóque vulnera illata, acceptáque in temu-
108 lentia. Testor omnes rerum peritos, an non agnescant, multa millia operarum diuturnarum, agricolarum, opificum, qui, & quorum liberi, uxorésque vel fame cruciantur, vel difficillimè vitam trahunt, æréque alieno oppressi gemunt, in eam calamitatem devoluta esse occasione festorum.

109 Callias Athenienſis, cùm græcando substantiam suam universam oblimâsset, ideóque ne vestem quidem reliquam haberet, qua brumale frigus arceret, hoc meritissimo dicterio passim notabatur: *Hic à vino deplumatus est.* Ita refert Matthias Faber *Tom.2. Conc.3. Dominicæ 6. post Pentec.* Quàm multos vidimus, de quibus pronuntiari poterat: *Hic à vino & cerevisia hausiis die festo deplumatus est?*

110 Unam ex causis, cur Germani hæretici Catholicos superent opibus, esse multitudinem festorum catholicorum, fortè olim in valle Josaphat cognoscemus. Non patrat semper Deus miracula, præsertim quando res ex se piæ inquinantur peccatis, *& quæ primitus ad honorandum DEVM instituta sunt, in magnam illius offensam convertuntur*, ut loquar cum-
111 Urbano VIII. Cujus viscera paterna tetigit, ac commovit miseratio liberorum, & uxorum, quos, ne si sanguinem quidem sudet, alere potest vilis operarius, & opifex, quando tot festa præscindunt occasionem lucelli honesti.

112 Altera causa, eáque gravissima, quæ Urbanum ad ferendam: multos Episcopos ad acceptandam abrogationem festorum impulit, est damnum spirituale, tantò gravius temporali, quantò præstat anima corpori. Consistit illud in plurimis, maximis peccatis, quæ committuntur festivis diebus, non committenda, si labori licuisset vacare. Hanc quoque causam expressit disertè Pontifex, veram esse agnoverunt, qui Bullam ejus amplexati sunt.

Interrogatus olim, ut refert Maximus *Serm.* 113
27. Antisthenes, quid esset festum? Respondit: *Festum est gulæ irritamentum, & luxuriæ occasio.* Addere debebat: *blasphemiarum*; hæc enim tria peccata tam vulgaria, tam crebra sunt diebus festis, ut omnes Confessarii, si interrogentur (& verò interrogari possunt, cùm eorum testimonium nec in sigilli Sacramentalis ullam injuriam redundaturum, nec Confessionem ullo pacto redditurum sit odiosam) confessuri sint, fore, ut multi millliones horum trium, aliorúmque ex his tribus ortorum peccatorum mortalissimorum omitterentur quot annis, si tot Festa non agitarentur. Revera 114
multitudine festorum non ad laudandũ DEUM populi utuntur, sed ad vitia, nimis quàm frequenter abuti non reformidant, teste Pontifice.

De vitio ebrietatis jam ostendi paulò supe- 115
riùs. Hoc unum addo: sicuti jam olim multi Hebræorum vino se onerabant in solennitatibus Primitiarum, eò quòd *Deuteronom. 12.* scriptum sit; *Ibi epulamini coram Domino Deo vestro*, sicuti referente Francisco Mendoza *in 1. Reg. cap.1. n. 13. in fin.* tradit Abulensis *in cit. vers. Deuteronom.* (*apud quem tamen nil tale reperio*) ita Christiani Catholici hodie magno numero imitantur Hebræos, idque tantò frequentiùs, quantò plura festa occurrunt. De blasphemiis planè execrandis; quas 116
in plena, aut semiplena temulentia eructant illis ipsis diebus, nil attinet dicere; clamant cauponæ: clamant compita. De fœda libidi- 117
ne, quatenus eam inducit vinolentia, non repeto, quæ retuli *cap.12. sect. 9. & cap.19. sect. 2.* quæque confirmat Tertullianus *Lib. De spectaculis, cap.* 10. scribens: *Veneri, & Baccho convenit, duo ista dæmonia conspirata, & conjurata inter se sunt, ebrietatis, & libidinis.* Illud solùm indico, intellexisse me ex fide digno Parocho, plures gubernatores, seu Præfectos toparchiarum Bavariæ testatos esse, multitudinem prolium illegitimarum notabiliter crevisse in suis toparchiis, ex quo tempore fuerunt mandato Principis interdictæ choreæ festis diebus, sicuti jam ex parte indicavi *cap.23. n. 202.*

Alia huc facientia prætereo, & cum An- 118
tisthene repeto: *Festum*, vel, ut verbo Pontificio utar, *numerositas festorum est gulæ irritamentum, & luxuriæ occasio*; occasio malorum, si à majorum, ut pro! dolor fit, instituto discedas. Verè festa, quæ primitus instituta sunt ad divinum Numen honorandum *magna ex parte in gravem jacturam conversa sunt animarum.*

Ex dictis infero I. Illos Illustriss. DD. Ordi- 119
narios optimè consulturos suis ovibus, qui expungent ex Diœcesanis festis, quotquot absque pergravi perturbatione expungere possunt; & si non possunt integra festa abrogare, abro-

abrogent saltem dimidium, ut videlicet ad horam usque nonam sint feriæ à labore, & sacri auditio, tum ad finem diei sit fas laborare; hac enim ratione & satisfacient doctrinæ à Navarro *De Horis Canonicis cap.* 10. *num.* 10. traditæ, multis exemplis declaratæ, atque ex Cap. *Cùm dilectis. De dol. & contumac.* desumptæ; *Qui non potest facere totum, vel eo modo, quo jubetur, tenetur facere partem, vel totum, eo modo, quo potest*; & vitabuntur illa peccata, de quibus suprà, & conservabitur sufficienter memoria Sanctorum, necessaria quà ad eo-
120 rum cultum, quà ad rationes faciendas, census ex antiquo solvendos iis diebus. Scio loca, in quibus non est reperire decimum quemque, qui horis pomeridianis festorum Apostolicis inferiorum templum ullum, vel à limine saluter; totum illud tempus sopori, lusui, saltui, potui, fabulis, detractionibus, clanculariis societatibus, aliis criminibus, & flagitiis consecratur.

121 Infero II. Ordinarios debere esse parcissimos in novis festis instituendis, ut providè monet piissimus Episcopus Pax Jordanus *Elucubration. Vol. 2. Lib. 1. Tit. 1. n.5.* Quia Urbanus ipse monet, ne nova sub obligatione permittant. Ratio inter alias est, quia alioquin meritò timere debent Episcopi, ne tam multa millia pauperum, & egenorum, quos multitudo festorum in eam miseriam conjecit, ipsos ad divinum tribunal citet, sicut satis innuit idem Jordanus.

122 Infero III. Confessarios non debere magnum scrupulum movere opificibus, qui absque scandalo opera servilia exercent festis ab Urbano abrogatis. Ratio est, quia ipse expressè, & quidem *ex plenitudine potestatis* fideles omnes liberat obligatione ea servandi. Adde, quòd plerisque patrocinetur utcunque titulus necessitatis. Multò minùs debent Pa-
123 rochi esse rigidi circa dispensationem. Et verò Parochos distantes à residentia Episcopali posse propriè dispensare circa festa, ac jejunia, si adsit causa rationabilis, sentiunt communiter Doctores, teste, & approbante Marchantio *in Resolut. Moralib. Part.1. in explicat. tertii Præcept. Decal. q.5.* At verò Sanchez *Consil. Moral. Lib.5. cap.1. dub.6.* id permittit etiam in vicinia Episcopi. Constitutiones synodales Diœcesi. Constant. *Part.1. Tit.24.* non permittunt, nisi in evidenti necessitate, quando commodè nequit adiri Episcopus, vel ejus Vicarius, ac proinde non permittunt, nisi declarationem, & consensum. Consensum hac in re Magistratûs sæcularis nemo sanus exiget.

124 Objicies II. *Mala, quæ ex festis evenire diximus, habere se tantùm per accidens, non igitur habendam illorum rationem.*

125 RESP. Negando consequentiam. An non enim bellum de se justissimum omittendum est sæpe, solùm ob mala per accidens ex illo emersura? Molina *Tract.2. disp.* 107. Et opus ex se optimum, ob metum scandali pusillorum? S. Thom. *2.2. q.43. art.7.*

Instabis: *Plus boni oritur per se ex festis, quàm* 126
mali per accidens.

RESP. Si loquamur de solennissimis, fateor, non si de communibus. Religio solennissimorum longè plurimos cohibet à peccatis publicis, ac privatis, & ad Sacramentorum perceptionem, templi etiam horis pomeridianis frequentationem incitat, non item alia festa. Deinde iis in urbibus, in quibus est copia Re- 127
ligiosorum Mendicantium, viget utcunque usus Sacramentorum in festis, quæ solennissimis vicina sunt, non item in oppidulis, pagis &c. Agnosco, esse magna bona, quæ intenderunt, qui festa induxerunt, sed hæc à permultis negliguntur, à longè plurimis corrumpuntur scelerum frequentiâ.

Objicies III. *Argumenta superiùs allata vel* 128
nihil probant, vel probant, eliminandas Dominicas, ac festivitates jam à tot sæculis in Ecclesia Romana celebratas?

RESP. Minimè id probant. I. Quia non valent respectu solennissimorum festorum, ut patet ex paulò antè dictis. II. Non valent respectu Dominicarum, tum quia dies Dominica practicè, & moraliter loquendo est immutabilis etiam à Papa, ut sapienter ostendit Suarez *Lib.2. De festis. cap.4. num.9. & seqq.* tum quia moraliter loquendo, necessarium est, designari quot hebdomadis diem unum, quo & plebs Christiana ad preces, sacrificium, verbi divini auditionem conveniat, & servi, atque ancillæ requiescant juxta legem de Sabbato datam Judæis *Deut.5. vers.* 14. Adde, quòd 129
hac ætate plurima bona in urbibus, pagisque fiant, & peccata impediantur diebus Dominicis per varias Congregationes, Confraternitates, Catecheses &c.

Contra festa Apostolorum, & alia quædam 130
plus momenti habent illæ rationes, non tamen tantùm, ut prorsus oporteat ea antiquari, cùm & sint antiquissima, universalissimáque, & valde gravibus de causis instituta, & magis provocativa ad pietatem, quàm minora; & si ea sola (præsertim combinata, ut combinantur SS. Simon, & Judas &c.) cum cæteris toti orbi communibus observentur, possunt vigilantiâ utriusque Magistratûs impediri magnam partem mala, de quibus superiùs, nec tantopere gravantur iis opifices, cùm etiam quotannis fiat, ut illorum quædam occurrant in Dominica. Si verò his addantur adhuc alia decem, quindecim &c. tum clarum est, incommoda superiùs proposita magnopere augeri. Numerositas festorum, testante Pontifice, est noxia animæ, & œconomiæ, non autem numerus mediocris. Quare dico cum

pissimo Gerſone *in ſerm. De Nativ. B. Virgin.* habito ad Patres Concilii Baſilcenſis : *Vinam eſſet apud vulgus, quod de labore manuum vivere debet, minor feſtivitatum numerus.*

131 Iis, quæ tam prolixè dixi de feſtis addo tria. Primum, rationibus, quas attuli in defenſionem Bullæ Urbani abrogantis multa feſta, confirmari communem doctrinam de novis feſtis non inducendis ſine conſenſu populi, quam faceto ſimul, & ſerio dicto, factóque alicujus Conſulis firmavi in Experientiis *Tract. 5. n. 70.*

132 Alterum. Itidem doctrinam, quam *cit. Tract. 5. n. 75.* ſtatui de Magiſtratus ſæcularis inhabilitate ad inſtituendum Feſtum verè Religioſum, roborari Bulla Innocentii X. incipiente : *Cùm nuper*, & deſcripta à Cherubino *fol. 300. Tom. 4.* Bullarii, illic enim reprehendit ſenatum Mediolanenſem, quod *præceperit, ut populi, & ſubditi illius ſenatus abſtineant* (in feſtivitate S. Dominici) *ab operibus ſervilibus, & artifices tabernas, & apothecas clauſas teneant, prout ſervatur cæteris diebus feſtis ex præcepto*; & ulteriùs in Edicto prædicto exprimatur, *feſtivitatem eſſe celebrandam cum omni devotione, ac pietate Chriſtiana.* Rationem hujus reprehenſionis adfert Pontifex hanc : *Conſiderantes, quàm perniciosum authoritati Eccleſiaſticæ id eſſe poſſit, cùm Principes Laici, quos in rebus Eccleſiæ obſequendi potiùs manet neceſſitas, quàm authoritas imperandi, non habeant facultatem indicendi dies feſtos in honorem Sanctorum.* Ita Innocentius, ultima hac clauſula : *In honorem Sanctorum* indirectè confirmans id, quod *cit. n. 15.* conceſſi, & inductione Reipublicæ Friburgenſis declaravi, ſcilicet Magiſtratum ſæcularem pollere jure indicendi certo die feriationem à labore ſervili in memoriam alicujus Victoriæ obtentæ.

133 Tertium. Ex quo præſens Tractatus devenit in manus lectorum, fui interrogatus quid cenſerem *de quodam feſto peculiariter ſolito obſervari in aliqua Parochia ; obſervari autem ex titulo non omnino certo, putari enim, inductum fuiſſe, ex voto à majoribus edito, haud tamen haberi ullam certitudinem hujus opinionis.*

134 RESP. Eſſe penitiùs inquirendum in fundamentum hujus conſuetudinis. Aut enim conſtans opinio ſeniorum fert, eſſe à majoribus voto promiſſam illam feſtivitatem : aut aliqui ajunt quidem, proficiſci ex voto, alii verò aſſerunt, ex ſola devotione : aut denique omnes negant, ſciri à ſe originem illius pietatis ? In primo caſu cenſendum omnino, & abſolutè eſt, eam devotionem niti voto propriè dicto, & conſequenter non ſolùm tranſiviſſe ad poſteros illam obligationem votivam per ea, quæ in Experientiis *cit. Tract. 5. Caſ. 3. num. 86.* tradidi ex communi, certáque perſuaſione Theologorum, ſed eandem obligationem hodiéque perſeverare. Cùm enim Urbanus Papa verbis, quæ ſuprà *numero 91.* deſcripſi, exprimat ſolos dies, quos *ſive ex præcepto, ſive ex conſuetudine, ſive ex devotione Chriſti fideles, tanquam feſtivos celebrarent*, ſub his autem non contineantur directè, aut implicitè dies obſervati ex voto, cenſentur eſſe excluſi, tum per communem Regulam : *Qui è duobus unum exprimit altero tacito, cenſetur hoc alterum negare.* Cap. Nónne *De præſumpt.* tum quia leges correctoriæ ſunt ſtrictè, nec ultra communem ſenſum verborum interpretandæ, præſertim quando agitur de juribus diverſam rationem, difficultatémque habentibus, ſicuti habet feſtum votivum ; neque enim poteſt ipſe etiam Papa tam facilè abolere feſtum voto promiſſum, quàm inductum ſeu conſuetudine ſola populi, ſeu præcepto Epiſcopi ; ſiquidem nequit tam facilè tollere vim juris divini, qualis eſt ea, quæ proficiſcitur ex voto, quàm humani.

In ſecundo caſu, quo ſcilicet ſupponitur, 135
alios è ſenioribus teſtari de ſola devotione, alios de vero voto, dicendum eſt, ſtante hac variatione, contrarietatéque teſtium, gigni talem dubietatem, qualis intelligitur, quando quæritur, utrùm votum in dubio obliget. Cùm enim illi teſtes ſint ſolùm de auditu, licèt ponamus, eſſe digniores, aut plures, qui deponant de voto, quàm contra, & proinde videri poſſit eſſe potiùs ſtandum pro voto, quàm contra ; quandoquidem quando teſtes diſcordant, eſt depoſitio plurium præferenda depoſitioni pauciorum. Cardinalis Tuſchus *lit. T. Concluſ. 240.* quia tamen fieri poteſt, ut illi pauciores teſtes relationem ſuam acceperint à peritioribus, dignioribúſque, quàm illi plures, idcirco non apparet, quorum teſtimonium ſit præferendum, conſequenter manet res dubia, ſiquidem probationes contrariæ invicem conquaſſantur. Fagnanus *in cap. Lator. Qui fil. ſint legit. num. 47.* debilitantúrque ; atqui in dubio, utrùm aliquod votum ſit editum, præſumendum eſt pro libertate à voto. Suarez *Lib. 4. De voto cap. 5.* cum communiore, & veriore, quam explicavi, & ſecutus ſum in Alphab. Quadrupl. *Part. 1. Caſ. 12.* Itaque videtur feſtum illud, de quo facta mentio *n. 132.* habendum pro mero devotionali, & conſequenter contineri nomine illorum, quæ Urbanus expreſſè abrogavit.

In tertio caſu, quo ponuntur omnes ignorare, unde illa conſuetudo colendi prædictum feſtum, manârit, ex votóne, an ex ſola devotione, videtur præſumendum, quod ex ſola devotione. Gravia enim onera non ſunt præſu- 136

præſumenda, ſed convincente ratione probanda ; ſicuti in præcedenti Tomo ſæpe repeto, atque magna authoritate firmo. Certe facta probari legitimè debent, non ſupponi, aut præſumi. Omnes DD. ob authoritatem. *L. Cùm res. C. De Probat. & L. Si emancipati. C. De Collationibus.*

Appendix peropportuna.

a OMnia, quæ in hac ſectione tertia propoſui, occaſione Bullæ Urbani octavi, abrogantis varia Feſta, jam mandâram alteri prelo, & quidem obſcuriora ſine ſuffragio cujuſquam, cùm nactus hoc primùm Anno 1676. peregregium opus noſtri P. Caroli Guyeti inſcriptum : *Heortologia*, ſive de *Feſtis propriis locorum & Eccleſiarum*, reperi ſpecialem diſſertationem de illa ipſa Bulla, quam & totam repræſentat ille Auctor *Lib. 2. cap. 8. q. 7.* Ego brevem doctrinæ ab eo traditæ Synopſin.

b I. In quibus locis non obſervabantur ante editam Conſtitutionem Urbani, unum, aut plura Feſta ex imperatis ab illo Pontifice, in iiſdem non ſunt neceſſariò poſt illam Conſtitutionem obſervanda ; tum quia idem Papa abſolutè vult abrogare multa Feſta, ergo non injungit nova ; tum quia idem ipſe in ſua Bulla ſupponit, vigere præceptum omnium illorum Feſtorum, quæ recenſet ipſe, etenim loquitur ſolùm de Feſtis *retinendis* ; retineri autem nequeunt illa, quæ antea non erant Feſta, ſicuti non erant in diverſis locis recepta Feſta Inventionis S. Crucis, Dedicationis S. Michaëlis, Sanctorum Innocentium, S. Joſephi, S. Annæ, S. Matthiæ, S. Bartholomæi, & S. Thomæ Apoſtoli ; cenſétque hic Auctor ſuam hanc reſolutionem eſſe certam *loc. cit. q. 8.*

c II. Nullum planè ex Feſtis non nominatis in Bulla Urbani, obſervandum eſt ex obligatione, verba quippe Urbani ſunt, tam perſpicua, & univerſalia, ut Paſqualigus *Tom. 2. q. 49.* hanc doctrinam, abrogativámque clauſulam extendat etiam ad Feſta ex voto obſervata. Nam & talia fuêre obſervata ex præcepto, & clauſula derogatoria : ad *reliquorum* univerſalis eſt, & dictio : *quomodocunque* exprimit quamcunque obligationem. Quare ſupereſt, ut, ſi quædam ejuſmodi Feſta colantur à populo, id deinceps non fiat ex præcepto obligationem inducente, ſed ex devotione. Ita ille *quæſt. 9.* Sed vide, quæ ex communi ſcripſi in Experient. *Tract. 5. n. 86.*

d III. Probabile quidem eſt, non peccare eos, qui etiam in locis, in quibus non eſt recepta Bulla quoad abrogationem Feſtorum eliminatorum ab Urbano, exercent opera ſervilia, modò ſcandalum vitent, hoc tamen quia nullo Auctore aſſero, nolim contra prudentiorum judicium pertinaciùs tueri. Ita concludit Guyetus ſuam quæſtionem de præſenti argumento decimam, ita & ego ; qui tamen non ſemel reſpondi tenuioribus opificibus, eos fore immunes à culpa, ſi diebus Sanctorum Martini, Nicolai, Georgii, Catharinæ & aliis ejuſmodi exerceant ſua opificia, abſque tumultu tamen & ſcandalo, ſingulariter poſt rem ſacram auditam.

Z. 3.

IPSIUS ADEO PARASCEVES &c.

CAPUT XLVI.

An qui immodico potu ſe obruit die Paraſceves, admittat peculiare crimen lethale ?

SUMMARIUM.

Dies Paraſceves eſt ſacratus jejunio, & cultui Paſſionis Dominicæ. 1.

Neque primo, neque ſecundo reſpectu cauſat per ſe in ebrietate circumſtantiam mortaliter malam. 1. & 2.

Non eſt verum, quòd omne omnino peccatum mortale patratum in Paraſceve, contineat duplicem mortalem malitiam. 2.

Attamen ipſa ebrietas tunc commiſſa fit communiter per accidens mortalis, etiam ex circumſtantia illius diei. 2. & 3.

e SPectari poteſt dies Paraſceves quatenus eſt ſacratus, vel jejunio, vel recolendæ morti Dominicæ. Primo reſpectu dico, non addere ebrietati circumſtantiam peculiarem mortaliter malam. Ratio eſt, quia *cap. 16.* diximus, legem jejunii non violari per potum intemperantem. Si tamen cum potu intemperante ſumeretur panis, caſei, & bellariorum (multò magis ſi ciborũ) plus, quàm permittat recepta conſuetudo extra potum intemperantem, non valeret illa excuſatio : *Edo panem, ne potus noceat* ; quia nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt, *L. Melior. ff. De Reg. Jur.*

f Secundo reſpectu, tametſi per ſe loquendo, non videatur contrahi malitia neceſſariò manifeſtanda in Confeſſione, quandoquidem nulla lex Eccleſiaſtica ebrietatem vetat peculiariter ob reverentiam illius diei ; & proinde non rectè docent nonnulli, teſte Dicaſtillo *De Pœnit. diſp. 9. n. 723.* omne enorme peccatum die Paraſceves patratum aggravari circumſtantia mortaliter malâ, ſentio tamen, per accidens, atq; adeò practicè loquendo, eſſe com-

muniter confitendam illam circumſtantiam, quia plerique Chriſtiani Catholici, proindéque ipſimet bibones apprehendunt iſtam circumſtantiam tanquam valde deformem; unde fit, ut partim ex erronea conſcientia, partim ob grave ſcandalum, cujus periculo ſe exponunt, geminent malitiam, ut etiam clariùs deduces ex ratione, quam ex Suarez adferam *cap. ſeq.*

3 Sanè uxores ebrioſorum ſummopere exulcerantur, cùm hi ejuſmodi diem profanant ſuâ temulentiâ; & qui cernunt eo die ebrium per plateas incedentem, vel diris eum devovent, vel obloquuntur Magiſtratui, eam petulantiam non plectenti, vel aliud genus peccati admittunt, cujus ille eſt cauſa per factum non tantùm minùs rectum, ſed beſtiale, atque hac ratione dat propriè ſcandalum, per ea, quæ diſſerit S. Thom. 2.2. *q.* 43.

A. 4.
SACRAE SYNAXI DESTINATI.

CAPVT XLVII.

An, qui ſe inebriat die Communionis, reus ſit duplicis ſceleris?

SUMMARIUM.

Nonnulli cenſent, omne peccatum mortale commiſſum die Communionis, fieri dupliciter mortale. 1.
Sacrilegium admittit adiens immediatè pòſt ſynaxin tabernam, ibique ſe inebrians. 2.
Sacrilegium eſt rei ſacræ violatio, atque indigna tractatio. Ibid.
Adfertur ſignum, ex quo cognoſcitur, an per aliquam actionem graviter Profanetur res ſacra. 3.
Si ebrietas contingat veſpere diei Communionis, eſt in Germania plerumque damnanda de gravi ſacrilegio. 5.
Et maximè, ſi tunc ſe inebriet mulier. Ibid.
Cur potiùs ſi mulier, quàm ſi vir? 6.
Refutatur opinio n. 1. *relata.* 7.

1 RAtio dubitandi ex una parte eſt, tum quia nonnulli teſte Dicaſtillo *De Pœnit. diſp.* 9. *num.* 231. arbitrantur, omne peccatum mortale inquinari duplici mortali, malitia, ſi committatur die Sacræ Communionis; tum quia etiam qui admodum addicti ſunt ſacris Bacchi, ſtudent vitare temulentiam eo die, quo divinam menſam accumbunt; & qui vel præter intentionem, vel etiam ſcienter eo die modum bibendi ad rationis uſque privationem exceſſerunt, non modò indignatione, & convitiis peti ſolent ab aliis, ſed etiam conſueverunt in tribunali ſacro reos ſe agere de illo exceſſu, ut non ſemel uſu didici. Ex altera autem parte non apparet lex ulla divina, vel Eccleſiaſtica, adverſus quam graviter illi delinquant.

Dico I. Qui immediatè poſt ſacram Syna- 2
xin tabernam publicam abſque neceſſitate adiret, in eáque potaret ad ebrietatem uſque, peccaret peccato ſacrilegii. Probatur, quia ſacrilegium eſt rei ſacræ violatio, & irreverens tractatio. S. Thom. 2.2. *q.* 99. *art.* 1. Atqui iſte communi hominum judicio, quod vel maximè hac in re ſpectandum eſt, cùm honor dependeat ab æſtimatione hominum, per ea, quæ diſſerit S. Thom. 2. 2. *q.* 103. *art.* 1. & 2. valde irreverenter tractat ſacratiſſimum Chriſti corpus. Confirmo doctrina, quam loquens 3
de ſacrilegio, ratione loci ſacri adfert Suarez *Tom.* 1. *De Relig. Tract.* 2. *Lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 11. quia ſcilicet unum ex ſignis, an per aliquam actionem graviter prophanetur res ſacra, eſt, ſi ea grave ſcandalum generet; etſi enim malitia ſcandali videatur diverſa, & per accidens, tamen indicat propriam materiam, quando ſub illa movet actus ad ſcandalum; ſicut fit in præſenti, talis enim apprehenditur, ut graviter irreligioſus, & ſub ea ratione graviter offendit populum.

Dico II. Præter ſacrilegii crimen admittit 4
talis crimen ſcandali, ſicut *cap. præced.* diximus de inebriante ſe die Paraſceves.

Dico III. Si primùm veſperi contingat in 5
Germania prædicta ebrietas, non auſim univerſim, ſed tantùm plerumque damnare gravis ſacrilegii. Ratio eſt, quia licèt Germani quoque ejuſmodi intemperantiam interpretentur quandam irreverentiam erga Chriſtum Dominum, non tamen univerſim interpretantur tantam, ſaltem ubi abeſt periculum vomitûs, blaſphemiarum, & ſimilium, quod quidem periculum ſæpe abeſt. Hoc autem intelligo præcipuè de viris; cùm enim ebrietas multò magis dedeceat mulieres, quàm viros. *Suprà cap.* 43. ſi eæ tam probroſum crimen admittant ejuſmodi die, cenſentur univerſim irrogare non parvam injuriam Chriſto Domino, & fortaſſe conſequenter ſacrilegium mortale. Nec mirum eſt, quòd eadem prava actio exer- 6
cita à muliere, contineat ſacrilegium, non contineat autem exercita à viro. Nam etiam quando viri non deponunt pileum, dum in ſacro elevatur Sacra Hoſtia, cenſentur eam inhonorare, non perinde mulieres, etſi pileo tectæ perſiſtant.

Cæterùm opinionem illam, cujus memini 7
num. 1. merìtò non admittit Dicaſtillo poſt Lugonem *De Pœnit. diſp.* 16. *num.* 523. eam quippe etiam refutat praxis Sacerdotum ferè quotidie ſacrificantium.

B. 4.
IN ODOEO LAGENAM EXHAURIRE.

CAPVT XLVIII.

Quale ſit peccatum edere, vel bibere in loco ſacro?

SUMMARIUM.

Edere, vel bibere ſine neceſſitate in templo, eſt peccatum veniale. 1.
Bibere ibidem ad ebrietatem non videtur eſſe per ſe mortale. 2.
Secùs ſi inſtituatur ſympoſium tanquam in taberna. 3.
Etiam non intendens inhonorare DEVM verbo, ſæpe tamen verè blaſphemat. 4.
Vtens deliberatè verbis, quæ communi judicio cenſentur contumeliam DEI continere blaſphemat. Ibid.
Quid ſi in Germania inſtituatur convivium in templo, etiam abſque ebrietate? 5.
An dicta de templo intelligenda ſint etiam de Odæo templi? 6.
Fuit olim licitum convivium in ædibus ſacris. 9.
Cur non hodie quoque? 10.

1 QUæres I. *Sitne grave crimen, potare, vel edere in templo?*

RESP. I. Si fiat ex neceſſitate, nullum eſt peccatum. S. Thom. *in* 1. *ad Corinth. cap.* 11. *lect.* 4. Sa, *Verb. Eccleſia n.* 3. Si fiat abſque neceſſitate, eſt per ſe loquendo tantùm veniale peccatum. Cajet. *in Summa Verb. immunitas. verſ. Diſcernendum.* Sa, *loc. cit.* Layman. *Lib.* 4. *Tract.* 10. *cap.* 7. *n.* 11. nam ex hoc videtur parva irreverentia haberi. Cajet. *Ibid.* Vide dicta *cap.* 20. *n.* 50.

2 II. Etiam uſque ad ebrietatem bibere in templo, non eſt per ſe ſacrilegium mortale, & proinde non eſt duplex peccatum mortale. Ita ſentit haud dubiè Diana *Part.* 1. *Tract.* 7. *Reſol.* 26. qui ſecutus Pontium *De Matr.* Vaſquezium *in* 1. 2. *diſp.* 98. *cap.* 3. *n.* 6. & alios, negat, ulli peccato affricari ratione loci ſacri malitiam ſacrilegii, præſertim mortalis, niſi lex humana illud prohibeat intuitu reverentiæ loci ſacri. Sed quidquid ſit de hac ſententia, quam rejiciunt Suarez *Tom.* 2. *De Religione. Lib.* 3. *De rever. debitâ locis ſacris cap.* 7. Lugo *De Pœnit. diſp.* 16. *ſect.* 10. Dicaſtillo *De Pœnit. diſp.* 9. *n.* 654. *& ſeqq.* actio inebriationis, ſeu potus ſpoliationem rationis adferens non videtur in morali æſtimatione eſſe tam turpis, támque repugnans Religioni loci ſacri, ut cenſeatur per illum clàm factum inferri huic irreverentia valde gravis.

III. At ſympoſium, ſeu compotationem in- 3
ſtituere in Eccleſia, atque in ea perinde ac in taberna, ultrò, citróque propinare, heluaríque uſque ad temulentiam, exiſtimo eſſe ſacrilegium mortale. Ducor, quia talis compotatio continet turpitudinem in morali æſtimatione tantâ, ut in loco ſacro exercita, loci cenſeatur irreverentia grandis; ergo continet malitiam ſacrilegii mortalis, per ea, quæ tradit Dicaſtillo *loc. cit. n.* 655.

Adde, quòd *Cap. Non oportet.* 2. *diſt.* 42. di- 4
catur: *Non oportet in Baſilicis, ſeu Eccleſiis agapen facere, & intus manducare.* Adde & rationem ex Suario allatam *cap. præcedenti num.* 3. quam confirmo hoc argumento, quòd homines, etiam non intendentes inhonorare DEUM, ſæpe tamen verè blaſphement tantùm ideo, quòd utantur verbis, quæ communi judicio cenſentur continere contumeliam DEI. Sanchez *Lib.* 2. *Moral. cap.* 32. *n.* 2. Ergo & illi inhonorant res, locáque ſacra, qui exercent actiones, juxta commune judicium inhonorativas loci ſacri, non enim minùs valent facta, quàm verba, quin imò plus exprimitur facto, quàm verbo. *L. Si tamen.* §. 1. *ff. De ædilit edict.*

IV. Videtur quoque eſſe mortale ſacrile- 5
gium, ſaltem in Germania, inſtituere in templo abſque neceſſitate profanum convivium, licet in eo non potetur uſque ad ebrietatem. Ita docet Dicaſtillo *loc. cit. n.* 652. in caſu, quo per ſtatutum ſynodale, vel legitimi Prælati ejuſmodi actio prohiberetur in honorem Eccleſiæ. Probo autem extra illum caſum, quia nimirum ad ſacrilegium mortale ratione loci ſufficit, modò actio in illo exercita ſit ejuſmodi, ut generet grave ſcandalum in communitate, ſibi perſuadente, per illam actionem graviter inhonorari locum ſacrum. *Cap. præced. n.* 3. Atqui in Germania talis actio grave ſcandalum generat apud Catholicam plebem, quæ ſummè doleret, ſi videret hæreticos, ne dum Catholicos convivantes in templo Catholico; ſentiunt quippe Germani cum S. Anſelmo *in Epiſt. ad Corinth.* 1. *cap.* 11. Eccleſiam DEI ad orationem, & ad Sacramenta percipienda conſecratam *contemni, dum in ea carnales cibi irreverenter ſumuntur.*

Quæres II. *An, quæ dicta hic ſunt abſolutè & de templo, intelligenda etiam ſint de Odæo templi?*

RESP. I. Sunt ità etiam de odæo, ſeu choro

musico intelligenda, ut peccata, de quibus
sumus locuti, saltem non sint graviora in o-
dœo, quàm in templo absolutè; etenim non
censentur morali æstimatione sanctitati tem-
pli magis repugnare, si fiant in odœo, quàm
si in medio templo.

7 II. Licèt in lege favorabili appellatione Ec-
clesiæ veniat utique odœum, per ea, quæ de
choro, & loco organorum differit Sanchez
Lib. 9. De Matrim. disp. 15. n. 33. quia tamen
ea, quæ hactenus diximus, non tam pendent
ab ulla lege positiva, quàm à communi existi-
matione, sicuti ostendunt argumenta, qui-
bus fuimus usi, fieri facilè potest, ut una, vel
altera actio ex iis, quas de mortali sacrilegio
damnavimus, vel nullum, vel certè non mor-
tale sacrilegium contineant, si exerceantur in
odœo, quia videlicet fieri potest, ut à popu-
lo, atque sapientibus non censeantur conti-
nere irreverentiam ullam, aut gravem loci
sacri.

8 Et nominatim de Sulpitio Merula, quem
produximus Reum in ipsa Accusatione Cano-
nica, dici potest, eum non admisisse sacrile-
gium mortale, licèt suam lagenam aliquoties
exhauserit in aliquo angulo odœi, seu chori
Musici, è terra elevati. Quamquam circum-
stantia temporis, quòd scilicet lagenam va-
cuârit tempore concionis, auget malitiam
scandali, sicuti & auget lasciva cantio de qua
cap. seq.

9 Quæres III, *Fueritne semper illicitum convi-
vari in Ecclesiis?*

Nequaquam. Etenim S. Paulus *1. ad Co-
rinth. cap. 11.* non reprehendit Corinthios præ-
cisè ob convivia, ab iis obiri solita in Ecclesiis,
sed ob ebrietates, & dissensiones eorum causâ
ortas. Quin S. Chrysostom. *Homil. De Verb.
Apostoli: oportet hæreses esse*, commendat aga-
pas priscorum Christianorum, celebrari con-
suetas in templis. Et videntur eæ durâsse usque
ad tempora Concil. Laodicensis, quod eas su-
stulit Cap. *Non oportet* superiùs relato; & mox
in *seq. cap. Nulli* dicit Concil. *Nulli Episcopi,
vel Clerici, in Ecclesiis conviventur, nisi fortè
transeuntes hospitii necessitate illic reficiantur.
Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum
potest fieri, prohibeantur.*

10 Nec mirum, quòd posterioribus sæculis ve-
tita sint, quæ licebant prioribus. Nam & ma-
li mores faciunt bonas leges, & primis sæcu-
lis templa non erant ita vel solenni ritu conse-
crata, vel etiam cultui divino in perpetuum
dicata, sicut fuêre postquam sub Imperatori-
bus Christianis licuit sacros Conventus libere
agere, sacrificare, Sacramenta administrare,
quemadmodum videre est vel in Breviar. Ro-
man. ad diem IX. Novembris.

C. 4.

NON SINE LASCIVA CANTILLATIONE.

CAPUT XLIX.

An, & quatenus sit sacrilegium cantare lasciva in templo?

SUMMARIUM.

Cantans submissa voce in templo verba turpia quantum peccet? 1.
Quantum, si populo audiente? 2.
Quantum, si inter Divina officia? 3.
Quantum, qui modulos Chorearum translatos in sacrum textum modulantur? 6.

QUæres I. *Quale sit peccatum cantare in* 1
templo lascivas cantiones?

RESP. I. Si quis eas solus canat, ne-
mine audiente, aut intelligente, non videtur
ut sic præcisè committere sacrilegium morta-
le ratione loci sacri. Ratio est, quia nec ulla
lex Ecclesiastica id prohibet graviter, nec val-
de graviter repugnat sanctitati loci.

II. Si canat populo audiente, & intelligente 2
quid fiat videtur præter crimen scandali ad-
mittere crimen sacrilegii. Ratio est eadem,
qua ex Suario fuimus usi tribus capitibus præ-
cedentibus; quia scilicet morali æstimatione
ac judicio, censetur talis graviter inhonorare
locum sacrum, præsertim si in eo extet Ve-
nerabile Sacramentum.

Quæres II. *Quid censendum de eo, qui inter* 3
*divina officia Missæ, aut Breviarii modulatur
voce, organo, cheli, turpia, vana, profana?*

RESP. Cum Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 37.
n. 7.* & Bonartio *De Horis Canonicis. Lib. 1.
cap. 14. num. 16.* post Cajetan. *2. 2. q. 91. art. 1.*
Valent. *Tom. 3. disp. 6. q. 9.* Suarez *Tom. 2. De
Relig. Lib. 4. De orat. cap. 13.* & alios in hunc
modum. Vel. I. talia inserit divino officio for-
maliter, & ex intentione, videlicet ut vana,
turpia &c. & tanquam partem divini officii,
e. g. loco unius antiphonæ, tum præter alias
deformitates habet malitiam cultûs indebiti,
Deus enim talibus non colitur, sed inhonora-
tur. Vel. II. sonos, seu modulos turpium, aut 4
profanarum cantionum adhibet sub divino
officio solùm materialiter, id est, non ut tur-
pes, nec tanquam partes divini officii, sed ap-
plicando solùm materialiter illam consonan-
tiam ad verba divina, quæ sunt dicenda, &
tunc præter propriam malitiam continent illi
modu-

moduli etiam malitiam gravem, aut non gra-
vem scandali, prout graviter, vel leviter of-
fendunt; continent quoque, si sint lascivi illi
moduli, & intelligantur ab auditoribus, illam
5 malitiam, de qua *n. seq.* Vel. III. vult organis
significare profana, aut turpia, non tamen vo-
lens ea inferere tanquam partem divini cultûs,
sed ex sola vanitate, scurrilitate, lascivia &c.
tum præter malitiam scandali habent mali-
tiam cujusdam sacrilegii, ob injuriam cultûs
divini, mortalem, vel venialem, si graviter,
vel leviter sint ex se indecentia.

6 Ex his inferes I. Non leviter peccare illos,
qui modulos turpium cantionum, & chorea-
rum adhibent ad materiam sacram sub divino
officio iis in urbibus, in quibus illi moduli ita
sint noti, ut iis auditis auditores concipiant, apprehendántque res turpes. Corri-
gendi quoque illi, qui modulos in profanis
choreis usitatos ita transferunt, ut auditores
sibi imaginentur, se choreis potiùs, quàm sa-
cræ Musicæ interesse. Jam pridem scripsit S.
Hieronymus *Lib. 3. Comment. in cap. 5. ad Ephes.*
relatus *cap. 1. dist. 92.* theatrales modulos in
Ecclesia audiendos non esse. Et rectè monet
Bonartius *loc. cit.* ne melicis levitatibus reli-
giosus cultus profanetur, & sacra profanis mi-
sceantur.

7 Inferes II. Sulpitium Merulam, qui sub
concione in odœo submissa voce vix uno, al-
teróve audiente lascivè cantilavit, non videri
admisisse sacrilegium mortale, quia, ut sic non
affecit Ecclesiam gravi injuria.

D. 4.

SEPULTURA ASINI SEPELIATUR.

CAPUT L.

An, qui in ebrietate vitam clausit, privandus sit sacrâ sepulturâ?

SUMMARIUM.

*Quis sensus illius Prophetiæ: Sepelietur sepul-
tura asini? 1.*
*Mortuus in ebrietate, & simul ex ebrietate præ-
visa, non est sepeliendus loco sacro. 3.*
*Quid si notoriè constet, aliquem mortuum esse in
peccato mortali? 4.*
*Non omnis mortuus in ebrietate præsumitur mor-
tuus in peccato lethali. 5.*
*Nullum generale Concilium quemlibet mortuum
in peccato mortali mandat privari sepultu-
ra. 7.*
*Reprehensi, qui occisum in ebrietate venerabun-
tur ut sanctum. 10.*
*An muniendus extremâ unctione ebrius, consti-
tutus in extremo discrimine vitæ? 11.*
*Casus Religiosi reperti mortui in puteo, & sepul-
ti solenniter Romæ. 12.*
Duo exempla privatorum sepulturâ. 14.
Dubium dicitur, quod non certò scitur. 15.
Epitaphium militis dediti ebrietati, & aleis. 16.
*Repetitio Casuum quorundam circa sepulturam
dubiorum. 17.*
*Refertur Casus occisi occasione duelli, & cum
aliis circumstantiis reddentibus jus ad sepultu-
ram dubium. 19.*
Delictum non præsumitur. 21.
*Mortui sunt inter miserabiles profanas miserа-
biliores. 22.*
Iudex tenetur ex officio tueri mortuos. Ibid.
Morte delicta extinguuntur. 23.
*Ad delendam memoriam defuncti requiritur ple-
na probatio delicti. Ibid.*
In causa statûs filii adhibetur fides matri. 25.
*Catechismus hæreticus inventus apud aliquem
non facit præsumptionem de hæresi. 26.*
*Non quilibet hæreticus privatur sepultura, sed
solus notorius, vel denuntiatus. 27.*
*Mos in Germania circa sepulturam hæreticorum.
Ibid.*
*Quatenus sepultura privetur mortuus in duello?
29. & 30.*
*Mortuo notoriè in mortali negatur sepultura.
31.*
*Nemo præsumitur immemor suæ salutis constitu-
tus in extremis. 33.*
Quid de occisis in ipso adulterio? Ibid.
*Aut in cornibus tauri agitati in tauriludio?
Ibid.*
Aut in rixa? Ibid.
*Quid de excommunicato, de quo dubitatur, an de-
cesserit impœnitens? Ibid.*
*Casus capite plexi ob librum hæreticum inven-
tum apud ipsum. 37.*
*Nequiit capite plecti per se loquendo ob hoc so-
lum peccatum. 39.*
*Quæ igitur causæ potuerint sufficere ad hanc sen-
tentiam? 40. & seqq.*
*Casus furis immittentis loculos alienos à se va-
cuatos in alterius peram. 42.*
*Explicatur, & limitatur illud pronuntiatum,
quòd nemo præsumatur decedere immemor sa-
lutis. 45.*
Casus impœnitentis in extremis. 46.
*Quid respondendum ad exempla n. 33. indicata?
48. & seqq.*
*Casus Monachi, qui repertus fuit pendens è la-
queo. 53.*

Navarri judicium perbenignum de hoc casu. 54.
Casus adolescentis, qui similiter repertus suspensus, fuit tumulatus loco infami. 56.
Quomodo defendi queat hæc infamis sepultura. 58. & 59.
Quid Rodriquez & Covarruvias generatim scribant de sepultura illius, quem constat, intulisse sibi manus violentas? 59.
Proponitur Casus singularis cautelæ ad vitandum scandalum sæcularium, quando Religiosus reperitur probabiliter necatus à se. 60.
Item alius in eandem rem Casus. 61.
Quid sit dolus malus? 62.
Quid dolus bonus juridicè? 63.
Quid bonus Theologicè? 64.
Quid agendum cum malefico, qui in carcere reperitur mortuus? 68. & 69.
S. Felix Martyr fuit ita repertus. 70.
Magistratus sæcularis nequit confiscare bona reperti mortui, nisi positivè probet fuisse à semet occisum. 73.
Quisque habet jus eligendi sibi alibi sepulturam. 74.
Quartam funeralem an, & quatenus teneantur solvere Mendicantes? 75.
Quæ offeruntur Ecclesiæ, seu in Ecclesia spectant de jure ad rectorem Ecclesiæ. 76.
Cuinam Parocho debeatur quarta funeralis, quando quis habet duos Parochos? 77.
Quam magnus numerus Illustrium personarum sit sepultus in Monasterio Lucellensi? 79.
Nominantur 14. *genera personarum, quibus, & non aliis est neganda sepultura sacra?* 82.

1 ESt quidem Prophetiæ, qua Jeremias *cap.* 22. vaticinatus est, Regem Joachim *sepulturâ asini* sepultum iri, sensus literalis, quem expressit Chaldæus Paraphrastes. *Sicut projicitur cadaver asini, ita projicient cadaver ejus*; adeóque insepultâ sepultura efferetur, ut loquitur Tullius *Philipp.* 1. Verùm satis communi usu loquendi dèsignat Catholicis ea phrasis sepulturam in loco profano.

2 Quæritur itaque: *Vtrùm, qui in ebrietate mortuus est, sepeliendus sit nihilominus sacro loco?*

Esse profano tumulandum probatur I. quia ita habere videtur consuetudo quorundam locorum. II. quia omnis, qui moritur in peccato mortali, privandus est sacra sepultura. Gloss. *cap.* 2. *De usuris.*

3 RESP. I. Si constaret, aliquem mortuum esse non modò in ebrietate, sed ex ebrietate, ita ut præviderit manifestum periculum mortis, si se inebriaret, privandus foret sacra sepultura. Ratio est, quia *cap. Placuit.* 23. *q.* 5. *junct.* Gloss. & Laymanno *Lib.* 3. *Tract.* 5. *cap. ultimo. n.* 11. §. 2. privandi sunt sacra sepultura, qui sibi ipsis voluntariè *quolibet modo* mortem violentam inferunt. Sed de hoc dicam plura inferiùs.

RESP. II. Si notoriè constet, aliquem esse 4 extinctum in mortali peccato ebrietatis, potest privari sacra gleba. Ratio est I. quia S. Augustinus relatus Cap. *Quia.* 13. *q.* 2. præsumptionis damnat illum, cui peccatum dimissum non est, & tamen in loco sacro sepeliri se facit. Ratio est. 2. quia Gloss. *in cap. Quia. De usuris.* Abbas, *cap. Exparte* 1. *De sepulturis*, Silv. *Verb. sepultura. q.* 9. *dict.* 7. Sa, *Verb. Sepultura, n.* 3. Fumus *eod. Verb. n.* 15. Lezana *eod. Verb. n.* 23. Marchant. *De moribund. cap.* 3. Layman. *cit. cap. ultimo. n.* 12. generatim tradunt, illum privandum esse religioso tumulo, quem constat decessisse in peccato mortali, ut loquitur Gloss. seu qui notorius peccator decessit in ipso notorio mortali, ut ait Silv. Fumus, & Emm. Sa, seu qui fuit peccator notorius, & mortalis, si eum absque pœnitentia decessisse præsumi debeat, ut loquitur Layman. ac Lezana.

RESP. III. Non omnis, qui in ebrietate ex- 5 tinctus est, præsumitur extinctus in peccato mortali ebrietatis; at verò id per se loquendo præsumitur de illo, qui solitus se inebriare, factus est ebrius, & in temulentia migravit è vivis. Patet ex fusè disputatis *cap.* 8. præsertim *sect.* 5.

RESP. IV. Practicè loquendo standum est 6 hac in re consuetudine recepta cujusque Diœcesis. Et ita quidem, ut quando Parochus rescire nequit, quæ consuetudo vigeat in ejus Diœcesi, non debeat privare sepultura quemquam ratione ebrietatis, nisi de illo notoriè constent duo, alterum, illum bibisse usque ad ebrietatem prævisam; alterum, mortuum fuisse, antequam rediret ad rationem. Cùm 7 enim ex una parte non habeamus in jure ullum ullius Pontificis, aut generalis Concilii textum, qui spoliet sepultura quemlibet mortuum in peccato mortali, & tamen in his, in quibus jus non invenitur expressum, in humaniorem partem declinandum sit. Text. *in cap. fin. De transactionibus*; ex altera autem parte certum sit, oriri maximas querelas, animorúmque exacerbationes, quando cui negatur sacra gleba, nisi negetur ob clarum jus, & legem; cùm denique etiam P. Simon Felix consummatus Theologus docuerit, probabiliter neminem, etiam in statu peccati lethiferi extinctum, spoliandum beneficio sacri loci, nisi extinctus sit in uno illorum scelerum, quæ sacri Canones plectunt privatione sacræ sepulturæ, quæ recensent Silv. Laymannus, Lezana *ll. cc.* & ferè Gloss. & inter quæ non est absolutè ebrietas. *Cap.* 1. *De reliq. & ven. Sanct.* idcirco aget inconsultò Parochus, si neglexerit praxin indicatam à nobis.

Porrò non censebit, esse notorium, bibisse 8 usque ad ebrietatem prævisam, nisi major pars communitatis, vel viciniæ id rescíat, juxta dicta

dicta *cap.* 37. *n.* 192. vix autem hoc rescíet, nisi communitati, vel viciniæ constet, illum con- 9 suevisse inebriare se deliberatè. Quòd si notorium quidem sit, illum fuisse voluntariè factum ebrium, attamen depulsâ crapulâ vixisse aliquamdiu cum pleno usu rationis, non erit notorium, decessisse in statu peccati mortalis, cùm sit communissimum, ut Catholici, etsi sint grandes peccatores, actum contritionis eliciant, quando mortem imminere vident. Saltem si constet, illum ante mortem edidisse qualecunque signum pietatis, efferendus est more Christiano. Laymannus *loc. cit.*

Cæterùm meritò, ab Alexandro III. *Cap.* 1. 10 *De reliq. & vener. Sanctor.* graviter reprehenduntur illi, qui hominem in ebrietate interfectum venerabantur ut Sanctum, subdítque Pontifex causam: *Cùm vix*, inquit, *pro talibus in ebrietate peremptis, Ecclesia permittat orare.* Ubi Gloss. *Verb. vix*, rectè notat, permitti ab Ecclesia, ut oretur pro mortuis in ebrietate, non continente culpam lethalem.

Quòd si quæras, utrùm muniendus sit sacro 11 viatico, & extrema unctione ebrius, constitutus in præsenti discrimine mortis? Respondeo, ad hanc quæstionem esse plenè responsum à nobis Tomo priore *Tract.* 4. seu in Alphabeto Communicantium *Casu.* 13. ubi declaravimus nostram mentem resolutione eventus veri, non ficti.

Insuper ad elucidationem eorum, quæ dixi 12 de sepultura *n.* 3. *& seqq.* referam Casum, qui à gravi Theologo ad me Anno 1648. die 6. Julii perscriptus est Româ, de quodam Religioso Fratre Laico

His omnino verbis.

CAsus utique tristis accidit hic postridie Ascensionis Domini, quando in puteo N. repertus est Frater unus Laicus præceps capiti insistere, ac animam exhalâsse. Fuit ille homo magni exempli. Visus est aliquot antè diebus insolitâ tristitiâ opprimi, sed & somni defectu multùm laborabat; unde mente priùs ipse dejectus, putatur semet in puteum præcipitâsse, atque exhac præsumptione, & reliqua hominis qualitate permisit D. Vices gerens publicam in loco sacro, cum Missis pro more dicendis, dictisque ad expositum corpus precibus solennibus, sepulturam. Hactenus literæ illæ.

Huic notabili decisioni patrocinatur doctri- 13 na Barbosæ *De Offic. Paroch. Part.* 3. *c.* 26. *n.* 49. cum Socino, & Genuensi negantis, negandam esse sepulturam illi, qui reperitur mortuus in puteo, vel suspensus, cùm potuerit per vim, aut insidias in puteum projici, aut suspendi, *vel ex furore, seu mentis alienatione id facere.* Consentiunt Covarruvias *Variar. Lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 11. & Zerola *in Praxin. Part.* 2. *Verb. sepultura*, alii infrà referendi. Scio tamen, ali- 14 cubi jussu civilis Magistratus quemdam adolescentem: alibi mandato judicis Ecclesiastici Presbyterum, quorum uterque fuerat constanter boni nominis, & uterque sibi vitam sustulisse præsumebatur, tumulatos fuisse loco profano, & priorem quidem in infami.

Ego sicut neutrum mandatum damno, ita 15 existimo, Zerolam, atque Barbosam *loc. citat.* suffragaturos illi saltem, qui mandaret mandari terræ sacræ hominem cætera bonum, qui priusquam se interimeret, dedisset aliqua signa melancholiæ. Equidem in dubio præsumi debet, quem potiùs bene, quàm malè mortuum. Covarr. & Zerola. Dubium autem dicitur hîc illud, quod non certò scitur. Zerola *loc. cit.* observans post Navarr. *De sepultura. Consil.* 7. etiamsi quis reperiatur in camera, eáque clausa suspensus, esse tamen donandum Ecclesiastica sepultura, eò quòd non certò constet, an talis seipsum suspenderit. Vide Casum in Curia Constant. benignè decisum, & à me relatum in Experientiis *Tract.* 3. *num.* 171. Edition. quartæ.

Hisce addes, ex variis de multitudine, levi- 16 tate, perversitate bibonum hactenus disputatis meritò inferri, complures esse, quorum tumulo posset jure inscribi epitaphium, quod militi in castris Bacchi quoque exercitato, lingua Hispana positum, testatur Anton. de Guevarra *prim. Part. Epistolar.* ac potest sic reddi Latinè:

Horrosco in hoc sepulchro
Conditus, vixit ludendo
Estque extinctus bibendo.

Appendix.

CUm in primâ vulgatione præsentis de- 17 Ebrietate Tractatûs proposuissem omnia, quæ hucusque scripsi de sepultura, tum generatim, tum speciatim extincti in ebrietate, in primis prodierunt etiam in publicum mei libelli Alphabetici, in quorum uno, id est Baptizantium *Casu* 18. *n.* 640. discutio illam quæstionem, *Vtrùm catechumeni humandi sint loco sacro?* sicuti Ibid. *Casu* 19. *n.* 653. ubi sepeliendi, qui fuêre baptizati dubio Baptismo? In alio Alphabeto, videlicet Confessariorum *n.* 914. an & ille notorius excommunicatus, quem Confessarius testatur resipuisse, debeat tegi sacra gleba?

Deinde aliud agens *incidi in* Joannis Bapti- 18 stæ de Lezana Consultum, seu Consilium XVIII. in quo proponit, resolvítque Casum valde perplexum de Juvene Romæ extincto in rixa, atque cum signo hæreseos; de quo proinde disceptatum, interrogatáque Sacra Congregatio Inquisitionis, an esset donandus sepultura fidelium, nec ne? Quod Consultum quia continet multa particularia simul & generalia, è quibus dissolvi possunt com-

plura

plura dubia de neganda, concedendáve ſepultura, quia inſuper exhibet illius ſacræ, graviſſimæque Congregationis judicium de illo particulari facto: & denique confirmat nonnulla ex iis, quæ tradidi ſine magna authoritate, eam ob rem deſcribam hîc illum Caſum verbis ipſiuſmet Lezanæ; deinde dabo fidelem ſynopſin ejus totius doctrinæ. Eſt ergo hîc

Caſus Romano-Hollandicus.

19 *COntigit Romæ, ut juvenis quidam natione, ut dicebatur, Hollandus, repertus fuerit lethaliter, percuſſus, & mortuus. Cùm autem, quòd apud eum inventus eſſet libellus quidam idiomate Flandrico, vel Hollandico deſcriptus, in quo apparebant multa, quibus denotabatur, libri auctorem hæreticum eſſe; eo quoque quòd qui occiſus erat, dicebatur à ſocio quodam ejuſdem patriæ diffidatus, & occiſus in duello, & cadaver ſepeliendum eſſet in noſtra Parochia Tranſpontina, dubitatum fuit, an ſacræ ſepulturæ tradi poſſet? Et ego interrogatus à meis Religioſis ſic reſpondi.*

20 Ita Lezana, correctis à me quibuſdam craſſis erratis typothetæ. Reſpondet autem ipſe, ſe valde inclinari ad credendum, Hollandum illum potuiſſe ſepeliri in loco ſacro, non obſtante ſuſpicione hæreſis, & dubio, quod mortuus fuerit in duello.

21 I. Propter Axioma juris: *Bonus quilibet in dubio præſumitur. Cap. Dudum. De Præſumpt.* cui conſonat illud etiam: *Delictum non præſumitur*; & ideo actus, qui poteſt ſonare in delictum, & non delictum, ſemper interpretatur ut abſit delictum: *L. Merito. ff. Pro ſoc.* Et
22 ubi alia conjectura ſumi poteſt, non eſt delictum præſumendum. Flaminius *De reſignat. Benef.* quòd maximè procedit de mortuis; illi enim ſunt inter miſerabiles perſonas miſerabiliores, & ita ſub protectione ſunt Eccleſiæ *Cap. Super quibuſdam. in fin. De Verb. ſignificat.* & eos debet judex ex officio tueri, ne opprimantur. Bertachimus *Verb. Miſerab. perſonæ*, ergo in mero dubio facti de ſuſpicione hæreſis, & morte in duello, judicandum eſt in favorem defuncti.

23 II. Licèt in hæreticis locum non habeat illa Regula: *Morte delicta extinguuntur. L. fin. ff. Ad L. Iul. Majeſt.* Nec illa, quòd *divino judicio ſubjecti ab humano ſint exempti. Cap. Quorundam diſt.* 23. nihilominus certum eſt, ad memoriam hæretici delendam requiri plenam probationem. Farinacius de hæreſi *q.* 197. adeóque clariorem, quàm contra vivum. Atqui non probatur plenè illum Hollandum fuiſſe hæreticum.

24 III. Teſtes ad hoc inducti expreſſè dicunt, illum immediatè ante obitum fuiſſe habitum pro homine Catholicæ, & bonæ converſatio-
nis: cum ipſis ſæpius interfuiſſe Sacræ Miſſæ officio: viſitâſſe Eccleſias ad lucrandas Indulgentias, atque habuiſſe ad caput lectuli pendentem coronam precatoriam.

IV. Mater ipſius petit eum ſepeliri juxta ri-25 tum Romanum; atqui in cauſa ſtatûs filii matri fides adhibetur, juxta ſententiam Bartoli, & aliorum. Et verò ejus mater eſt vel Catholica, vel hæretica? Non hæretica, alioqui non peteret ſepulturam ſecundum *Ritum Romanum.* Si Catholica, non peteret eam pro filio hæretico.

V. Nec obſtat, quòd apud ipſum repertus 26 fuerit Catechiſmus hæreticus: nam & in eo continebantur multæ preces Catholicæ, & liber hæreticus apud aliquem inventus non facit præſumptionem de hæreſi, niſi concurrant aliæ graviſſimæ præſumptiones. Maſcard. *De Probat. Volum. 2. Concl.* 861.

VI. Sed eſto, fuerit verè hæreticus, non ta-27 men ideo erat ſepeliendus loco profano; ſi quidem non ſpoliat jure Sacræ Sepulturæ niſi vel notorium, vel denuntiatum hæreticum Henriq. *L. 13. cap. 11. num. 3. Suar. Tom. 3. in 3. p. d. 12. ſect. 4. num. 13.* Coninck *diſp. 14. De Excommun. dub. 8. num. 64.* & colligitur ex Laymanno *Lib. 1. Tract. 5. Part. 2. cap. 4.* & ex Cardin. de Lugo *De Sacram. Euchar. diſp. 20. num. 56.* ſatentibus, non pollui Eccleſiam per ſepulturam hæretici non denuntiati, quod etiam infertur tam ex Martini V. Extravag. *Ad evitanda*, & à contrario ſenſu ex Cap. *Sacris. De ſepult.* Ibi *Sacris eſt Canonibus inſtitutum, ut quibus non communicavimus, non communicemus defunctis.* Quin etiam, ut refert Layman, *loc. cit. §. Nota etiam* ſequiturque Lugo, in quibuſdam Germaniæ locis conſuetudine longa permittitur, ut notorii Lutherani in locis ſacris ſepeliantur.

VII. Quod autem ſpectat ad duellum, pro-28 pter quod creditur privandus Eccleſiaſtica ſepultura, plura ſunt, quæ hujuſmodi obſtaculum avertunt. Primum, quia duellum non probatur plenè, etenim Hollandus iſte nocte præcedente ſuam occiſionem, verba habuit, cum quodam N. ſed ſubitò inter ipſos ſucceſſit animorum ſedatio, nihilominus mane ſequenti N. adiit Hollandum, eúmque expergefaciens ipſi dixit: *Sequere me, habeo quod te conveniam.* Fuerunt igitur ſimul; pugnaverunt, & lethaliter percuſſus eſt Hollandus. Ex his autem non colligitur manifeſtè duellum, cùm non probetur pugnam fuiſſe initam ex condicto, & compoſito, cùm potuerit fieri, ut exierint animo non pugnandi, ſed petendi, & dandi ſatiſfactionem pro injuria prætenſa; aut ut Hollandus fuerit egreſſus, tantùm ut oſtenderet, ſe non vilem, ſed animoſum. Alterum, quòd Baunius, quem videtur ſequi Palaus *Tom. 1. Tract. 6. diſp. 5. p. 7.*

& Diana *Part. 7. Tract. 11. Reſol. 41.* ſcribat, ad hoc, quòd duellans occiſus careat Eccleſiaſtica ſepultura, requiri declarationem criminis à judice factam, ſaltem quando delic-30 tum non eſt notorium. Tertium, quòd Concil. Trident. & Clemens VIII. pœnam carendi ſacra ſepultura imponant duellantibus, *ſi in ipſo conflictu obierint.* Hollandus autem finito duello deceſſit, cum videlicet curreret poſt ſuum inimicum, qui ipſum lethaliter vulnerârat, unde probabiliter excuſatur à pœna prohibitæ ſepulturæ.

31 Difficilius objici poteſt, ſi dicatur, hunc Hollandum fuiſſe ideo privandum ſepultura, quòd fuerit notoriè mortuus in peccato mortali, quale erat quòd & retinuerit illum Catechiſmum hæreticum, & lethaliter vulneratus inſecutus ſit hoſtem, ut eum perimeret, & cùm corruiſſet in terram, monitus ab aliqua femina, ut Jesum invocaret, nullum motum, aut ſignum pœnitentiæ dederit. Atqui rei peccati mortalis ſi notorii ſint, & abſque pœnitentia deceſſiſſe præſumantur, ſepultura privari debere habetur ex can. *Quibus & ſeqq. 13. q. 2.* & docet Gloſſ. in Cap. *Quis. De uſur.* Abbas in Cap. *Ex parte. in fin. De ſepultura* Paludanus, Silveſter, Laymannus *Lib. 3. Tract. 5. cap. 12. num. 12. §. Quarto omnis*, ponit exemplum ad
32 intentum, ut ſi aliquis in ipſo facinore, quod nullo modo excuſari poteſt à mortali, occiſus deprehendatur: quia mutatio animi eſt quid facti, quod non præſumitur, ſed oſtendi debet. Sed reſponderi probabiliter poteſt, hiſce non omnino probari, ipſum fuiſſe notorium peccatorem mortalem, cùm poſſit aliqua benignitate excuſari à peccato mortali tum rentio libelli, utpote excuſabilis ob ignorantiam, patriúmve morem; tum inſecutio inimici, propter fervorem iracundiæ, quæ abſorbere ſolet uſum rationis, tum non-invocatio nominis Jesu propter privationem ſenſuum, quæ ex vulnere mortali ſibi inflicto, & ſanguinis fluxu ipſi provenire poterat.

33 Horum generalis ratio eſt, quia nemo quantumvis peccator præſumitur immemor ſuæ ſalutis æternæ in extremis conſtitutus. Plaza *De delictis. Lib. 2. cap. 23.* Joan. Sanchez *diſp. 36. n. 3.* propter hanc enim cauſam adulteri deprehenſi in adulterio, & interfecti à ſuperveniente marito ſepeliuntur in loco ſacro. Graſſius *Tom. 1. Conſ. Lib. 3. De ſep.* Sanch. *loc. cit.* qui idem dixit de rixantibus, & mutuo ſe occidentibus, licèt in conflictu intercant mortui, nullis pœnitentiæ ſignis exhibitis. Et de illis, qui in cornibus taurorum vitam finiunt cum Villalobos *Tom. 2. Summulæ. Tract. 21. diffic. 3.* & de meretrice, quæ in domo ſui amaſii inventa eſt vulneribus confoſſa, & mortua, Navarrus *Lib. 3. Conſ. De ſepult. Conſ. 4.* Et denique Coninck *loc. cit. n. 66.* generaliter ſcribit, ſepeliendum eſſe in loco ſacro excommunicatum, quoties dubitatur, utrùm talis deceſſerit pœnitens, quia melior pars, inquit, præſumenda eſt.

Quamvis autem hæc ſolùm ſub probabili 34 opinione ſcripta à me fuerint, & ſub cenſura SS. Congregationum, magnum tamen authoritatis pondus jam habere videntur, propterDecretum Sacræ & Univerſalis Inquiſitionis Romanæ, in quo die 6. Julii Anno 1650. permiſſum fuit, ſepulturam in loco ſacro concedi poſſe Hollando prædicto, prudentiſſima tamen adhibita cautione, ſcilicet *ſecreto & ſine pompa.*

Hactenus Lezana, qui ſubdit, non eſſe fi- 35 dem habendam Nicolao Millero, ſcriptori hæretico, aſſerenti, Rempublicam Venetam permittere omnibus Patavinæ Academiæ ſtudioſis ſepulturam in loco ſacro, cujuſcunque tandem fuerint Religionis.

Quòd ſi fortè ſciſcitetur Lector, quid ſen- 36 tiam de hiſce concluſionibus, & probationibus Lezanæ? Reſpondeo in primis, omnia videri mihi ſatis verоſimilia. Et quidem quod attinet ſuſpicionem de hæreſi illius Hollandi, cenſeo omnino ſufficienter poſitivè probari *n.* 24. fuiſſe verè Catholicum; nec hujus probationis vim elidi (etſi fateor debilitari) objectione de Catechiſmo hæretico; verè enim & opinio, quam ejus contubernales, ac ſocieni babebant de ejus Religione, & auditio ſacri viſitatióque Eccleſiarum pro lucrandis Indulgentiis, & uſus Roſarii ſunt ſaltem ſimul ſumpta longè certiora ſigna animi Orthodoxi, quàm Heterodoxi geſtatio ejuſmodi Catechiſmi. Alibi obſervavi, Gallos, cùm indicare volunt, quempiam è caſtris Calvini ad Papalia tranſiſſe, ſolere id ſignificare his verbis: *vadit ad Miſſam.* Cæterùm repertio illa Catechiſmi Calviniani, refricat mihi memoriam ſequentis

Judicialis Sententiæ.

CHryſophilus impedire volens, ne ſuus frater 37
Chryſanthus ſuccederet in partem hæreditatis paternæ, impoſuit furtim in ejus peram librum apertè Calviniſticum, effectique, neſcio qua techna, ut liber hic deprehenderetur in illa ipſa pera. Quapropter Chryſanthus poſtulatus hæreſeos apud Magiſtratum loci, in quo tam lectio librorum hæreticorum, quàm comeſtio ovorum in Quadrageſima interdicitur ſub pœna capitali, damnatur capitis, etſi jurans, fuiſſe ſe ſemper, eſſéque Catholicum Romanum, eúmque librum fuiſſe in ſuam plane non advertentis peram intruſum. Quæri poteſt, an hæc ſententia fuerit juſta.

Fluxerunt Anni plus ſexaginta duo, ex quo 38 audivi hæc narrantem Societatis Noſtræ Sacerdotem, aſſerentémque, fuiſſe ſibi perbene

notum illum Chrysantum, exprimentem etiam ejus nomen, cognoménque, ac nominantem locum, in quo lata ea sententia; cujus loci sum optimè memor, sicut & cognominis illius miseri hominis, & denique technæ, sententiæque judicialis, ideo autem probè nunc quoque memor, quòd ipse non semel aliis postea narraverim in exemplum ultionis, qua DEUS non rarò plectit desertores (etiam non apostatas) vitæ Religiosæ, qualis quidem fuerat ille reus, abhinc Annos circiter octoginta quatuor extremo supplicio affectus.

39 Judico autem primò, non potuisse illum hominem damnari de hæresi, si nullæ aliæ probationes adminiculabantur inventioni talis libri, in ejus pera. Primò, quia ne quidem lectio talis libri plenè probat hæresin. Diana *Part. 4. Tract. 7. Resol. 8.* ex communi contra Carrerum *De hæreticis. n. 125.* longè ergo minùs retentio. Diana *Ibid.* sed tam retentio sola, quàm lectio gignunt duntaxat suspicionem hæresis. Diana post Carreram *in qq. Criminalibus*, aliquorum quidem respectu gravem, aliorum respectu levem; ita ut nonnulli in officio Inquisitionis cogantur abjurare solum de levi, alii de gravi. Diana, & alii. Vide Fulvium Pacian. *De Probat. Lib. 1. cap. 35. n. 21.* valde hîc lenem.

40 Judico secundò, posse alicubi statui legem, ut capitali supplicio addicatur omnis, apud quem *fuerit repertus liber* manifestè hæreticus, *nisi* probet vel ignorâsse se, illum esse hæreticum, vel fraude aliena ingestum &c. Ratio est, quia hæresis præsertim Calviniana, est malum tam pernicioſum publico, ut in eam apprimè quadret illud Paschalis Papæ relatum *cap. finali 1. q. ult.* elogium: Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ (Calvinianæ) hæresis *quasi pro nihilo reputantur.* Atqui potest si non pro tota e. g. Europa, certè pro aliqua ditione Europæ sanciri lex, aut statutum, ut reus mortis ille sit, apud quem deprehendetur liber, proponens modos, ac rationes nequiter exercendi omne genus Simoniæ, apud quem, inquam deprehendetur, nisi iste probet suam inculpabilitatem.

41 Fortè in illo loco, ita extremè abhorrente ab acatholicismo, ut vitæ condonationem faciliùs olim impetrârit, qui duos equos abegerat, quàm qui ovum ederat in Quadragesima, usu recepta est tam severa simul, & provida sanctio, laude potiùs, quàm nota nimii rigoris digna. Verè huc meritò applicaveris illud Gloss. in Cap. *Literæ. De frig. & malefic.* monitum: *omnis cautela, quæ adhiberi potest in talibus, adhibenda est propter periculum animæ.* Quia verò tanta est judicialis authoritas, ut pro judice semper præsumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur, ut jam pridem rescripsit Clemens. 3. Cap. *In præsentia. De renunt.* atq; res judicata pro veritate accipitur, judice Ulpiano *ff. De Reg. Iuris. Reg.* 208. malo dicere, & ejusmodi Statutum viguisse tunc in illa provincia, & Chrysanthum non potuisse ulla probabili ratione ostendere, librum illum fuisse furtim immissum in suam peram, quàm in concreto damnare illam feralem sententiam.

Fortè non fuerit famæ tam integræ, quàm 42
nonnemo mihi notissimus, & honestissimus Vir

Nomine. H. B.

QVidam in foro Delemontano tempore nundinarum fabulatur cum amicis, quidam Mercurii nepos immiscens se turbæ, exemit furtim loculos è pera unius astantium, quos evacuatos immisit nequiter, Annis ab hinc plus sexaginta, in peram honestissimi illius H. B. ac sese subduxit. Paulò post autem, cùm prior ille desideraret suos loculos, ac singuli timerent, ne & ipsi damnum accepissent, extraxit ille H. B. quem meritò laudavi ab honestate, non modo suum, sed & alienum marsupium è propria pera totus attonitus. Nemo tamen unus vocavit eum in suspicionem ullam furti, sed omnium animi fuerunt intenti in recordationem illorum, qui antè propiùs astiterant ipsis, ac denique deprehensus fuit verus trifurcifer.

Si Chrysanthi morum, religionisque integritas fuisset tam conspicua, potuisset, meo judicio, prægnantem illam suspicionem voluntariè detenti libri purgare saltem levi tortura, aut certè impetrare mitiorem sententiam, constans enim fama integritatis juncta torturæ etiam levi, plurimum minuit præsumptionem veri doli.

Jam, ut revertamur ad Casum è Lezana de- 43
scriptum, rectè is relatus *n. 28.* negat, posse ex illa specie facti inferri, commissum fuisse duellum proprie dictum, sicuti & rectè præmiserat *num. 27.* fuisse, etiam posito, quòd revera malè de fide senserit ille Hollandus, sepultura sacra privandum, quemadmodum nec ea spoliandus erat, etiam dato, quòd decertârit duello propriè dicto, ut suadent ea, quæ retulimus *n. 29. & 39.*

At verò quæ idem Doctor relatus *num. 32.* 44
& 33. profert ad persuadendum, quòd idem Hollandus probabiliter non fuerit annumerandus mortuis in notorio peccato mortali, videntur mihi continere non levem, difficultatem. Si enim, sicut fuit insecutus suum inimicum, ita assecutus fuisset, atque confodisset, nemo, puto, non pronuntiâsset, fuisse agendum in eum lege Cornelia 1. *De Sicar. §. 1.* vel certè gravissima pœna plectendum, & si ipsemet fuisset post illam insecutionem confessus Sacramentaliter, accusâsset se utique de illa non sine magno dolore.

Ad

45 Ad illud pronuntiatum: *Nemo quantumvis peccator præsumitur immemor suæ salutis æternæ in extremis constitutus*, respondendum est, posse id pronuntiatum (fundatum in Cap. *Sanctimus. 1. q. 7.* non tamen loquente de imminente lecto) prudenter defendi, si intelligatur de peccatoribus non habituatis, & non correptis gravi passione in eo articulo; secùs de iis, qui in eo ipso articulo, & peccârunt gravissimè mortaliter, & correpti fuerunt passione gravissima, & non nisi brevissimo tempore post prævisam iustantem mortem remanserunt compotes rationis, tales enim videntur longè rarissimè exercere actum perfectæ contritionis, mutatio quippe voluntatis, seu transitus tam repentinus, ab extremo ad extremum, nimis est difficilis, & proinde non præsumendus. Mascard. *De Probat. Conclus.* 1082. Fusè, ac nominatim in agitatis æstu vindictæ, sicuti pro dolor testatur frequens experientia, atque illi duo Casus, quos protuli in Experientiis *Tract. 6. num.* 181. & 164. quibus jungo

Hunc propè incredibilem.

46 HIeronymus tandem cum filio deprehendens suum inimicum solum, invadit hunc: minatur mortem, nisi DEVM neget; negantem momento confodit cum hoc Sathanico epiphonemate; Jam posSum non corpus duntaxat, sed animum quoque mactare, & perdere. *Captus deinde, atque in ahenum oleo plenum missus, nullum autem doloris signum etiam fervente oleo promens, interrogatur à circumstantibus, an ergo nullos cruciatus persentiscat? Sentio, respondet ille, inexplicabiles, dum autem recordor quam insignem vindictam sumpserim de capitali hoste, sperno hoste ardores.*

47 Patrum memoriâ hoc contigisse intellexi ego olim à fide dignis, nominantibus etiam provinciam, in qua editum hoc tragicum specimen iræ prorsum stygiæ; quam provinciam prudens involuo silentio, sicuti & unam, alterámve circumstantiam brevitatis causa, atque confirmo meum judicium, quòd non sit præsumendum, illos, qui in summa, actualique cupiditate vindictæ obruuntur subito aliquo lethali symptomate, vulnere, præcipitio, eliciant actum perfectæ contritionis, si non sit verosimile, intercessisse, aut saltem dubium, an non intercesserit notabile tempus inter prævisionem mortis articuli, privationémque rationis.

48 Ad exempla, quæ retuli *n. 33.* ex Lezana Respondeo, vel non esse admittenda, vel explicanda. Etenim cap. *Fures. De furt.* expressè deciditur, non esse orandum pro iis, qui *in furando, vel deprædando occiduntur*; qui textus est generaliter intelligendus de illis, qui mortaliter delinquendo occiduntur. Barbosa *in citat.* Canonem, Emman. Rodriquez *qq. Regul. Tom. 3. quæst. 61. art. 2.* & alii, ergo nec orandum est publicè, & nomine Ecclesiæ pro necatis in ipsomet adulterio; si non orandum &c. (publicè) pro iis, nec sepeliendi sunt loco sacro saltem cum solennitatibus. Si tamen tales non tam subitò extinguantur ex vulnere, quin inter vulnerationem, atque rationis exturbationem, intercesserit verosimiliter aliquod per breve temporis intervallum, præsumi potest de pœnitentia, propter rationem allatam ex Glossa, & Joanne Sanchez suprà *n. 33.*

Et ob clarum authoritatem *cit. cap. Fures* 49
juncto glossemate Barbosæ, Abb. & Ananiæ, nego tegendos sacra gleba illos rixantes, de quibus idem Lezana ex Joan. Sanchez *cit. n. 23.* nisi dubium sit, utrùm peccârint coram DEO mortaliter rixando, digladiandóque.

Illum, qui in cornibus tauri à se irritati in- 50
teriit non iguarus legis divinæ, & Ecclesiasticæ prohibentis hæc bestialia certamina, existimo esse sub patibulo potiùs quam in Cœmeterio tumulandum, siquidem non apparet, cur dubitemus, an sine ulla detestatione sui sceleris sit extinctus.

Denique quod attinet exemplum meretri- 51
culæ productum *n. 33.* ex Navarro *Consil. 4. De sepult.* continetur quidem illud Consilium in meo exemplari loco sexto, non autem quarto, attamen Navarrus idcirco fuit in eam adeò benignus, tum quòd fuerit dubium, utrùm accesserit amasium animo meretricandi; tum quòd fuerit probabile, quòd amasius, priusquam perimeret illam monuerit (quis credat Veneris mancipium simul & latronem esse tam pium?) eandem de elicienda contritione ante instantem necem, tum quod nequaquam fuerit interfecta in turpi actu, cùm nullus talis tunc præcesserit; ergo nihil ad propositum facit exemplum illud ex Navarro, quem etiam sequitur Emman. Rodriq. *cit. a. 2.*

Et quia in hoc capite quinquagesimo dis- 52
serimus ex instituto de sepultura ebrii, & aliorum extinctorum in peccato lethali, placet pro complemento doctrinæ multùm faciente ad praxin, non solùm revocare hîc in mentem ea, quæ suprà *n. 17.* digito demonstravi esse alibi à me discussa, sed insuper lectoribus, qui carent Consiliis Navarri, repræsentare responsum multis mirabile futurum, quod idem Senex sapientissimus simul & eruditissimus dedit ad hunc

Casum tristissimum.

QVidam Monachus mane confessus; & ab- 53
solutus à Confessario; qui tota die, & vespera stetit lætus, fuit inventus manè mortuus intra suam cellam, ostio clauso; habens laqueum pendentem ex collo, ipse autem non pendebat,

Tres nec

nec omnino jacebat, sed quasi genuflexus exstabat. Quæritur an posit, & debeat in loco sacro sepeliri?

54 Perpensis, quæ narrantur in facto, & viso responso cujusdam eruditissimi, ac religiosissimi super hoc prudenter, & eruditè reddito, respondeo, ejusdem opinionis esse me, cujus „est Navarrus: nempe, quòd cadaver prædicti „Monachi potuit, & debuit in loco sacro sepeliri, & quod malè fuit sepultum in loco pro„fano, & consequenter potest, & debet transferri, ex illo loco profano, in quo est sepul„tum, & conferri in locum sacrum propter ea, „quæ præfatus vir eruditissimus citat in suo re„sponso, partim accepta à viro eruditissimo Co„varruvia *Variar. Resolut. Lib. 2. cap. 1. n. 11.* „& alia, quæ de suo addit; quæ confirmari „possunt illa firmissima ratione, quod regula„riter omnis Christianus, debet, si fieri potest, „in loco sacro, si possit juxta Text. & Gloss. *C. „Ex parte 1. De sepult.* sepeliri. Nec obstat Cap. „*Placuit. 23. quæst. 5.* quatenus habet, seipsum „occidentem carere debere sepultura; quia in„telligitur de illo, qui scitur esse occisus à se „ipso, at prædictus Monachus non scitur esse „occisus à se ipso, nec præsumitur, tum quia „de nemine præsumendum est, quod deliqueprædictum. & tam abominabile conditioni, „& inclinationi humanæ, & maximè de con„fesso, absoluto & communicato eodem die, „tum quia *indicia*, quæ in contrarium indu„cuntur, sunt exilia, & multis modis fran„gibilia. Itaque intrepidè pars hæc tenenda „est.

55 Hactenus Navarrus, quem ad verbum describit Emmanuel Rodriquez *tr. quæst. 61. art. 1.* atque sequitur, non allatis ullis aliis rationibus, quàm quas expressit ipse Navarrus ex quibus deduces, quid faciendum fuerit cum eo, quem repræsentat hæc

Species facti perquam lugubris.

56 R *Emigius adolescens bonæ indolis bonæ educationis, atque omnino integris moribus, eo ipso die, quo Sacra Communione fuerat publicè in templo refectus, & quo hilaris sumpserat hora tertia pomeridiana sobriam merendam, lætúsque dixerat, se postridie donandum Imagine à suo præceptore, reperitur sub tempus cœnæ juxta propri hospitii cloacam (S. H.) suspensus, ac postridie jussu Magistratus secularis extrahitur instar equini cadaveris ex urbe à carnifice, à quo tumulatur etiam eo loco, quo plexi capite. Quæritur, quid sentiendum de hoc facto.*

57 RESP. I. Me non ambigere, quin doctissimi, religiosissimi Viri Navarrus & Rodriquez fuissent illud damnaturi stando solo jure communi. Si enim videntur quasi in terminis resolvisse superiùs hunc ipsum casum, cùm loquantur expressè de illo, qui eodem die communicavit, & suspensus repertus fuit. 2. Proinde debuisset per se loquendo Magistratus Ecclesiasticus sibi vindicare cadaver, ac modestè sese opponere Magistratui Civili, etiam supremo, re enim vera Laicis nulla per se loquendo competit de spiritualibus disponendi facultas. Cap. *Tua, de decim.* Sacra autem sepultura est utique aliquid propriè spirituale. 3. Tamen potuit illa sententia judicis sæcularis defendi titulo longæ, manifestáque consuetudinis, qua ad terrorem aliorum solent carnifici absque ulla consultatione cum Parocho, tradi cadavera omnium illorum, qui reperiuntur in tali, aut tali loco vel suspensi, vel inflicto vulnere necati, in quo fuisse ab alio tertio suspensos, vel confossos non sit verosimile aliquo argumento positivo, petito videlicet ex circumstantia modi, vulneris, loci, personarum suspectarum &c. Egerunt quidem ii, quorum disciplinæ subjectus erat ille jam octodecim circiter Annorum adolescens cum Magistratu loci causam defuncti, sed prævaluit allegatio consuetudinis.

Addunt Rodriquez *cit. quæst. 61. art. 1.* atque Covarruvias de eo, etiam, quem constat sibi ipsi attulisse manus violentas, illum non esse privandum solenni sepultura, si ex aliquibus conjecturis præsumi possit, id eum fecisse ex furore, & mentis alienatione, quam conjecturam censeo præsumi posse de omni viro bono, & singulariter Religioso, quem compertum est, fuisse valde melancholicæ complexionis, tales enim sunt proni ad amentiam brevem, aut longam. Quin Ferdinandus Hauckius in Epinomia Parochor *Verb. Sepultura n. 17.* ita absolutè scribit: *Si quis reperiretur mortuus in puteo, vel laqueo suspensus, non deberet privari Ecclesiastica sepultura, quia ubi non constat, quòd se ipsum interfecerit, vel præcipitaverit, non est præsumendum, cùm potuerit per insidias, aut vim in puteum projici, vel suspendi, aut ex furore, seu mentis alienatione facere.* Socinus *Consil. 51. Vol. 2.* Genuensis *in Practica. cap. 61. n. 20.* Ita Hauckius, qui debuit citare Socini volumen *1. n. 2.* & addere, quòd idem Socinus post Decium, & alios ita responderit in contingentia facti. Vide etiam dicta suprà *n. 13.*

Addo ego, ad præveniendum scandalum, adeóque temeraria judicia, seu suspiciones, quas sæculares consueverunt formare de Religiosis, qui reperti sunt in eo conclavi, vel laqueo suffocati, vel cultro confossi, adhibendam in primis hanc cautionem, ut si suspicio sit, aliquem se ipsum peremisse in conclavi obserato, quod aperiri nequeat sine instrumentis, & operâ serarii, advocetur quidem

dem hic, permittatúrque reducere pessulum seræ, at Superior, vel alius è cœnobio teneat interea manubrium januæ, nec permittat ostium pandi à serario, sed solùm referari. Id factum alicubi Annis abhinc circiter septuaginta, & providè, quia deprehensus fuit nonnemo è valde melancholicis natans in proprio sanguine.

Sed & bellè cessit hic

Dolus non malus.

61 *Cum videlicet, postquam alius Religiosus repertus fuerat è trabe pendens in suo etiam conclavi, mox cadaver delatum fuit in lectum: curriculo accitus Medicus, ut ad quemdam* divina manu tactum (hac periphrasi describunt Germani apoplexiam) *accurreret; accurrit ille, at præsenti dictum, jam expirâsse infirmum; qui Medicus inspecto, non tamen curiosè lustrato corpore defuncti, recessit absque suspicione siniistriore.*

62 Hunc dolum, qui cusus fuit, sicut pridem didici, in tractu Rhenano, voco *non malum*, sed potius *bonum*; cùm dolus malus sit machinatio quædam alterius decipiendi causa, cum aliud agitur, aliud simulatur. Celsus Bargalius *Lib. 2. De Dolo. cap. 1. num. 12.* Servio JC. Atqui superior illius Religiosæ domus vocavit Medicum, non ejus decipiendi causa, quia non ea intentione, ut hic judicaret, à se videri cadaver tacti apoplexia, sed quia prævidebat, eum formaturum hoc judicium, atque manifestaturum aliis, ideóque futurum, ut nemo suspicaretur quidquam de suspendio: differunt autem toto cœlo hæ duæ intentiones: Prima: *quia mens hostis est ejus genii, ut si concitato gressu rediero ad castra, sit existimaturus, me fugere ex metu, ideóque me sit insecuturus, & consequenter præcipitandus in insidias à me structas, idcirco festinato regrediar versus castra*: Altera: *Repetam castra festinatò, eo fine, ut hostis credat, me fugere ex metu, insequatur me, & deveniat ad locum insidiarum*, sicuti exemplo Josue simulantis (impropriè) fugam declarabo infrà *cap. 51. n. 41. & n. 43.* alio exemplo familiari potatoribus. Atqui non est per se malum dare ex gravi causa alteri occasionem formandi falsum judicium, præsertim nemini injustè noxium, sicuti est per se malum facere ex gravi etiam causa quidpiam, eo fine, ut alter formet ejusmodi falsam opinionem, proindéque repugnat divinæ bonitati, ac veritati indere menti hominis actum erroneum.

63 Igitur rectiùs dicemus, dolum illum fuisse dolum bonum juridicè loquendo, nam talis dolus est Jurisperitis simulatio inventa se ipsum, vel alterum, proprias res, vel alienas juvandi causa (citra injustitiam, infidelita-

tem &c.) ut definit Bargalius *Lib. 1. De Dolo. cap. 33. n. 4.* testans, neminem à se lectum, qui definiret dolum bonum. Hanc definitionem cum verbis inclusis parenthesi esse doli boni juridicè ajo, non autem Theologicè, si quidem simulatio accipiatur propriè, omnis quippe propriè dicta simulatio est mendacium reale. *Infrà cap. 51. n. 39.* ex S. Thoma, & consequenter peccatum, nec enim refert, utrùm quis mentiatur verbo, an quocunque alio facto. S. Thom. *2. 2. q. 111. a. 1.* Atqui propriè dicta simulatio non vocabitur ab ullo Theologo bonus dolus.

64 Erit autem non mala descriptio doli boni etiam Theologicè sumpti, si pro simulatione ponatur, ut etiam ponit paulò post idem Bargalius, fictio, siquidem fictio est per se aliqua figura veritatis. S. Thom. *loc. cit. ad 1.* quemadmodum compositio illa corporis, quam Salvator exhibuit duobus discipulis euntibus in Emmaus, erat figura, imago, similitudo hominis cogitantis ulteriùs ire. S. Thom. *Ibid.* 65 sicuti sine dubio plurimi eunt ulteriùs, etiam postquam devenerunt ad locum hospitio nocturno commodum; atqui figura veritatis non continet per se ullum mendacium. Unde quia cadaver illud, de quo loquimur, erat Imago, & simulacrum quoddam hominis ex apoplexia mortui, ideo prædicta fictio non tantùm non fuit dolus malus, sed dolus bonus etiam Theologicè.

66 Porrò exemplum illud, quod superiùs *n. 59.* attuli de invento in puteo, atque resolutionem, quam itidem retuli ex Hauckio, Socino, Genuensi, admittunt etiam Covarruvias, citatus suprà *n. 54.* itémque Emman. Rodriq. *qq. Regul. Tom. 3. q. 61. a. 1.* Barbosa *De Parocho. Part. 3. cap. 27.* atque alii, generatim notantes, illum, qui imminente incendio, alióve gravi malo se præcipitavit in terram, aut aquam, nequaquam esse excludendum è cœmeterio, idcirco, quòd præsumi debeat, illam præcipitationem factam non se occidendi, sed mali gravioris (saltem secundùm opinionem) vitandi causa. Unde confirmatur 67 illud factum Romanum, quod descripsi suprà *num. 12.*

68 Sed & Hauckius *loc. cit. n. 62.* scribit, si saga in carcere moriatur, antequam crimen confessa, vel de eo convicta est, esse, nisi aliud obstet, in sacro loco sepeliendam; nisi fortè ipsa sibi mortem conscivisset, *tunc enim corpus ejus comburi posset, cùm censeatur tali dignum pœna crimen ipso facto confiteri.* Sed *etsi saga*, inquit, ulteriùs Hauckius, *sibi ipsi mortem adferens, ante mortem de crimine doleat, confiteatur, imò & Eucharistiæ Sacramentum recipiat, nihilominus judex sequi potest consuetudinem sui tribunalis, ut ejus tanquam de crimine sui confessæ cadaver cremetur, bona confiscentur, cum*

pœnitentia illa Sacramentalis foro externo nihil præjudicii adferre soleat. Ita ille.

69 Quibus ego addo, si vel saga, vel quivis alius etiam atrocissimi criminis reus inveniatur etiam ante omnem torturam mortuus in carcere, nequaquam præsumendum esse, eum conscivisse sibi ipsi mortem, sed debere hoc quoque scelus probari positivis argumentis, priusquam & illa mors habeatur pro Confessione criminis impacti, & spolietur jure sepulturæ, concesso omnibus Baptizatis. Cùm enim interfectio sui ipsius deliberata sit omnium scelerum pernicioſissimum, utpote rectà in orcum detrudens animam interfecti, sitque tam abominabile inclinationi humanæ Navarrus suprà *n.* 54. meritò sunt huc transferenda generalia pronuntiata de non præsumendo, sed probando delicto.

70 Quapropter ipsi, puto, Ulpianus, & Papinianus etsi Christianorum hostes, absolvissent suspicione, aut saltem præsumptione suicidii, seu propriæ necis Sanctum Felicem, quem Ecclesia 6. Novembris colit ut Martyrem, ac S. Augustinus magnis (quid enim in hoc nisi magnum, & Augustum?) laudibus effert Enarrat. *in Psal.* 127. *ante med.* tametsi pro fide Christiana captum, atque in vincula sine tortura quidem, at non absque gravibus minis conjectum repererunt postridie exanimem carceris Custodes.

71 Tam multa de hoc funebri argumento congessi in hunc locum, idcirco, quòd non uno exemplo, & quidem exercito in sacram personam, didicerim futurum fuisse, ut mitiùs cum aliquibus ageretur, si, qui jus dicebant, habuissent perspecta judicia practica tot eruditissimorum, quos nominavi, & religiosissimorum virorum, de sepultura à semetipsis præsumptivè peremptorum; ob quorum à me indicatorum authoritatem fuit Anno 1673. mandato Provicarii Generalis donatus Christiano tumulo juvenis ille, de quo Casum judicialem exhibeo, in Experient. *Tract. III. n.* 171. Edit. Einsidl. & Monac. Secundæ. Ubi etiam exprimo, eum non fuisse privandum Missæ Sacrificio.

72 Cæterùm quia & aliæ frequentes seu quæstiones, seu controversiæ moventur circa sepulturam inter Parochos, & Parochianos, inter illos, & Regulares, tradam compendio complura huc facientia.

I. Modò constet, aliquem eo loco, tempore, modo fuisse extinctum, ut eo loco, tempore, & modo potuerit occidi ab alio, si non clarè probetur, non fuisse reipsa necatum ab alio, non est privandus sepultura; quia ad eam ipsi concedendam sufficit potuisse fieri, ut ab alio occideretur. Ita Marianus Socinus *cit. Cons.* 51. *n.* 1. in contingentia facti.

II. Quando Clerus donavit sepultura sacra repertum mortuum in puteo, est tam vehemens præsumptio, quòd ipse se non præcipitaverit, ut nisi Magistratus civilis clarissimè probet, eum fuisse à semetipso dejectum, nequeat bona ejus tanquam à semetipso occisi confiscare. Socinus *loc. cit. num.* 2. testans. Decium, & alios præstantissimos Jureconsultos ita resolvisse in facti contingentia. 73

III. Electio sepulturæ est libera omnibus adultis, quibus non prohibetur à Jure, nec possunt Parochi impedire, quo minùs Parochiani eligant sibi sepulturam apud Regulares. Barbosa de Parocho *Part. 3. cap. 23. n. 19. & 21.* singulariter apud Ordines Mendicantes. Idem ex clara Bulla B. Pii V. incipiente: *Etsi Mendicantium.* 74

IV. *Quartam autem funeralium partem de qua* Sess. 25. cap. 13. *Concil. Tridentini, nequaquam solvere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta Annis citra fundata existunt, postquam ipsum Concilium loquitur tantùm de Monasteriis ante Annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam solvere consueverunt: & ubi solvi consuevit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de Missis, seu legatis, vel aliis, Fratribus ipsis, seu Monialibus hujusmodi relictis, aut aliis quomodolibet donatis, solvi debet; sicque intelligi Concilii decretum quoad quartam hujusmodi solvendam debere decernimus. Vbi verò non est consuetudo solvendi quartam hujusmodi, de nullo suprà scriptum solvi debere declaramus. Nec ad quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & aliorum, quæ dictis Ecclesiis relinqui, vel dari contigerit, etiamsi pro victu Fratrum, aut aliàs relinquantur, aliquid contribuere teneantur.* Ita 75 ad verbum loquitur B. Pius V. Unde quia Concilium Tridentinum finitum fuit mense Decemb. Anni 1563. sequitur, Ecclesias Mendicantium erectas post Annum 1523. non obligari ad ullam quartam funeralem stante Bulla B. Pii V. Vide etiam Gallemart *in cit. caput Tridentini*, & adde, offertorium, seu illas pecunias, & similia, quæ ad ipsum altare sacrificantium offeruntur, integre spectare ad Rectorem Ecclesiæ, in qua quis est sepultus, nam generatim oblata celebranti, cedunt Rectori Ecclesiæ, in qua celebratur. Franc. Leo *in Thesauro. Part. 2. cap. 28. n. 31.* Barbos. *c. 24. n. 28.* Atque ita factum, frustra repugnante nonnemine, haud semel in nostra Ecclesia Monacensi, in qua sepulturam elegerant Sereniſſimi Duces Bavariæ. Excipit Barbosa ex nostra generali doctrina casum, quo Parochus suos Paro-

Parochianos jungit in aliena Ecclesia, videtur enim esse intentio offerentium, ut quod offertur, spectet ad suum Parochum.

77 V. Ille Parochus, cui debetur quarta funeralis, debet esse is, in cujus Ecclesia solebat defunctus percipere Sacramenta, & audire divina, non autem per se, & absolutè is, qui est Parochus urbis, in qua alienus Parochianus tumulatur. Text. *in cap. 2. De sepult. in 6.* nam si non solet de jure percipere apud eum Sacramenta, non est ejus Parochianus. Sanch. *De Matrim. Lib. 3. disp. 23.* Barbos. *loc. cit. cap. 25. per totum*, esto sit illius loci civis. Unde abhinc Annos viginti

Circa casum.

78 *Quo vir nobilis, civis oppidi A habitans autem in pago B. cujus erat Dominus, elegerat sibi sepulturam in Ecclesia Monasterii Monialium S. Dominici constituti in oppido A. respondi, quartam funeralem, si qua deberetur ab illo Monasterio, in quo elegerat sepulturam defunctus, esse deferendam Parocho pagi B. non oppidi A.*

79 VI. Porrò quàm magnificè, piéque senserint olim Magnates Theutoniæ de tumulatione in ædibus Sacris Regularium, vel inde liquet, quòd in sola Ecclesia Monasterii Lucellensis cõditi sint duo Episcopi Basileenses, triginta quatuor Comites, totidem Barones utriusq; sexûs, atque insuper sexaginta Ordinis Equestris, ut locupletissimus testis est Reverendissimus D. Bernardinus ejusdem celeberrimi, & inter Cistercienſia superioris Germaniæ omnino primi, parentisque septem aliorum, Abbas quadragesimus, in sua sæpius à me nominata, lectúque dignissima Epitome Fastorum Lucellensium. Est autem tantus numerus inde etiam mirandus, quòd Monasterium illud situm sit inter duos planè horridos olim, asperósque, ut non semel sum anhelans expertus, montes, procul valde ab illorum plerorumque procerum domiciliis. Quamquam fortè multos eorum illuc attraxerit sancta Veneratio sancti Bernardi, utpote qui illius Ecclesiæ, monasticæque structuræ ideam disposuerit, & dum prima fundamenta Anno salutis 1123. jacerentur, præsens, cooperatúsque fuerit, teste eodem Reverendissimo D. Abbate *fol.* 13. atque subdente, Monasterii illius fundatores piissimos voluisse quidem id nuncupari monasterium S. Mariæ de Lucisoella, *utpote quæ digna fuerit Lucis æternæ, & Luminis inaccessibilis fieri habitaculum, ex qua ortus est sol justitiæ Christus DEVS noster; at temporis successu Lucisoellæ etymon propter corruptum Vernaculum* Lützel *nomen S. Mariæ de Lucella contraxisse.* 80

81 VII. Curatus requisitus ut interfit defuncti sepulturæ in Ecclesia electa à defuncto, si nolit interesse, vel petitam licentiam deneget, poterit sine ipsius licentia, & interventu tradi sepulturæ. Barb. *cit. Tract. De Paroch. p. 2. cap. 26. n. 23.* ex decisione Congregat. Rituum qui itidem ex Decreto Congreg. præmiserat. *n.* 10. neminem esse juxta altare sepeliendum, & *n.* 56. addit, concessâ sepulturâ censeri (nisi diserte excipiatur) etiam deductionem funeris processionalem concedi.

VIII. Idem Barbosa *loc. cit. cap. 26. n. 40. & seqq.* enumerat quatuordecim genera hominum, quibus omnibus, & solis est (ejus verâ opinione) neganda sacra sepultura ex decisione Juris Canonici. Sùntque ii: Excommunicati, si sint notorii & denuntiati: Publici, & manifesti usurarii, nisi alienum restituerint, vel dederint idoneam cautionem restitutionis: Infideles, pagani, Judæi, hæretici, etiamsi post mortem appareat de hæresi: Manifesti raptores: Decedentes in torneamentis: Qui semel in Anno confessus non est: Religiosi proprietarii: Quilibet notorius peccator decedens in peccato mortali, & impœnitens nullo dato signo contritionis: Occidens se ipsum ex industria: Non restituens Ecclesiæ decimas: Parricida: Publicè blasphemans Deum, si non egerit pœnitentiam injunctam: Clericus notoriè usque ad mortem concubinarius. Hæc de ista materia sufficiant; plura submini-strabit Barbosa, & succinctissimè plurima Ferdinandus Hauckius in Epinomia *Verb. Sepultura*, quem lege in casu occurrente.

E. 4.

SPEM MELIORIS FRUGIS.

CAPUT LI.

De remediis Ebrietatis.

SECTIO I.

De remediis Physicis ante potum adhibendis.

SUMMARIUM.

Remedia ebrietatis alia sunt physica, alia moralia. 1.
Referuntur remedia Physica ante potum adhibenda ex Catone, & aliis. 3. *& seqq.*
Licita sunt per se omnia illa remedia. 11.

Imò & aliquando sunt in præcepto. 12.
Quando sit per accidens illicitus eorum usus? 14.
Malitia finis redundat in media directa ad ilsum. 15.
Aliquando illorum usus adhibendus etiam cum peccato veniali. 16.
Quinam laudabiliter utantur? 17.
*Proponitur argumentum contra doctrinam.n.*14. *allatam.* 18.
Solvitur illud argumentum. 19.

EBrietatis remedia sunt generatim duplicia: Physica scilicet, & Moralia. Moralia voco rationes, & considerationes, quæ meritò quemque inducant, ut adhibeantur ab ipso Physica antidota temulentiæ. Physica verò appello ea, quæ suapte naturali vi arcent mentis alienationem. De moralibus
2 disseram *Sect.* 3. de Physicis hac, & seq. Et quia horum alia ante ipsum potum, alia in ipso potu, vel post adhibenda sunt, disseram priùs de prioribus, posteriùs de posterioribus. Et utique ab instituto Theologico alienum non est, proponere quæcunque tandem licita, honestáque antidota, tam turpis, gravísque mali, quàm est temulentia.

3 Quæritur itaque I. *Quænam Physica antidota proponant rerum periti?*

RESP. I. Cato de re rustica apud Fornerum *Lib.* 3. *De temulentiæ malo cap.* 5. sic in hanc rem scribit: *Vbi voles in conviviis multùm bibere, largiúsque cœnare, libenter ante cœnam comesto crudam brassicam* (*German.* Kôhl oder Kappis/*unde fit* das Saurkraut) *cum aceto; & item ubi cœnaveris, alia quinque folia* 7 *reddent te, quasi nihil ederis,* & *Crapulam dissipabunt omnem.*

4 II. Alexander ab Alexandro *Genial. dierum Lib.* 5. *cap.* 21. sic testatur: [Ægyptiorum mos traditur, ut familiaribus cœnis brassicam præsumant priùs, eo edulii genere ebrietatem discuti rati; quam Cato oleribus præposuit cunctis, ita ut manè illam oporteret edisse jejunũ. Nonnulli lupinos, citrum, & apium, quòd & ebrietati, & veneno prodessent, velut antidotum præcepêre. Græci vino madentes oleo perungunt, & sale; qui etiam ante reliquas dapes salem, velut amicitiæ symbolum hospitibus apponunt. Sicut & Romani lactucas, quòd ebrietatem discuterent. Vide Tiraquellum in hunc locum Alexandri, ubi etiam refert ex Athenæo, temulentiam raphano discuti, & prohiberi.

6 Polbartus *in Rosario Theolog. Part.* 2. *Tit. De propriet. herbar.* testis est, non sentiri crapulam ab iis, qui priùs bibunt crocum liquidum; & coronis croco capiti impositis discuti ebrietatem.

7 IV. Levinus Lemnius nobilis medicus *Lib.* 2. *De occultis natur. mirac. cap.* 27. uberiùs, quàm priores de præsente materia disserit hisce verbis; *Inter hæc, quæ vini vim frangunt, ac propulsant, amara præfero, & quòdquos humores aquosos per urinam expurgant. Hæc enim ratione efficere solet, ut alió, quàm ad caput, fumi deferantur, ac vinum venas subire prohibeatur, exsiccante etiam amarore humiditatem. Sic amygdala amara id efficaciter præstant, quinà, senáve ante cœnam sumpta. Persicorum quoque nuclei parem cum iis effectum obtinent, & foliorum Persicæ arboris expressus succus jejuno assumptus, cyathi mensura; quæ facultate pollent, & absynthii Pontici dilutum, ac nux muscata; hæc enim omnia meatus recludunt, ac pervios, laxósque efficiunt; quemadmodum & olei ex olivis expressi, aut sesami semine sextans, hoc est, unciæ duæ anteluc*ano *haustæ; lubricam siquidem alvum reddit, meatúsque urinarios dilatat, sic, ut liquor corpori non inhæreat, sed continenter defluat; modò ne quis esculentis ventrem plus satis oneret.* Hactenus Lemnius.

V. Ipse Fornerus citatum caput quintum 8
sic orditur: Habent hoc quidem in secretis „
contra ebrietatem, potandi palæstram ingres- „
suri, ut ante convivium vel thyrsum brassicæ „
crudæ comedant, vel rapam præmandant iti- „
dem crudam, vel oleum bibant, vel panis buc- „
cellam fumant ex aqua superbita; sedatur „
quippe crapula brassicæ succo, nam ejus hu- „
mores discutit, & partim ad alvum dejicit, & „
partim, qui vinosi sunt, & desuper natantes, „
detrudit ad vesicam.] „

VI. Joannes Mousinus Medicinæ Doctor, 9
in libello, quem de ebrietate scripsit Gallicè *cap.* 19. *Probl.* 2. observat, eos, qui ut primùm assederunt, vinum hauriunt, idcirco faciliùs illo obrui, quàm qui prius aliquid comedunt, quòd scilicet vinum infusum in ventrem inanem non habeat, à quo retineatur, ideóque subitò in venas meseraicas, ex his in hepar, ex hepate in cerebrum ascendat, illúdque suis vaporibus turbet; è diverso, si vinum mittatur in stomachum, jam cibis solidis insessum, ab his & vinum diutius detineri, & ejus vires ita infringi, ut tantum damnum nequeant inferre rationi. Unde solent nostri Germani dicere, fundamentum esse ponendum ante potum. Et Levinus Lemnius *cit. Lib.* 2. *cap.* 21. 10
etiam notat, ab illis in prandio faciliùs resisti vino, qui manè jentaculum sumpserunt.

Quæres II. *Quid pronuntiandum sit de usu* 11
prædictorum remediorum, licitúsne sit, an illicitus?

RESP. I. Licitus est eo casu, quo sitim extinguere nequis, nisi hausta tantâ copiâ vini, ut mentem exturbatura sit, nisi utaris aliquo ex indicatis alexipharmacis. Ratio est, quia mediis ex se indifferentibus, & non noxiis valetudini, fas est uti, ad averruncandum tantum malum, quantum est temulentia, saltem si non possit aliâ, nisi difficili ratione declinari tantum malum. Atqui ex una parte supponitur, non posse ebrietatem declinari alia, nisi

nisi difficili ratione, ut est sitis perpessio; ex altera autem parte etiam constat, enumerata media esse indifferentia, nec noxia valetudini, cùm potiùs brassicam esse cibum saluberrimum doceat Doctor Hippolytus Guarinonius *in erudito volumine de abominandis malis.*

12 II. Imò censeo, illum, qui nequit sitim sedare, nisi vel ad ebrietatem usque bibat, sicuti declaravi *cap.* 18. *num.* 34. vel uno ex indicatis antidotis utatur, obligari vel sitim perferre, vel uno illorum uti. Ratio est, quia medio ex se illicito nefas est uti, quando suppetit aliud ex se licitum; etenim cessante causa cessat effectus. *Cap. Etsi Christus. De jurejurando.* Causa autem, cur honestè adhibeatur medium ex se illicitum, est sola necessitas, quæ cessat, quando suppetit medium ex se indifferens. Atqui ebrietatis electio est medium ex se illicitum, seu actio ex se illicita.

13 III. Utraque responsio locum etiam habet *in iis casibus, in quibus citato cap.* 18. docui, fas esse ad crapulam, aut etiam ad ebrietatem usque bibere; quia, ut jam sæpe dixi, ubi est eadem ratio, illuc extenditur legis dispositio.

14 IV. Prædictis remediis illicitè utitur is, qui non habens justam causam bibendi ultra satietatem, vult tamen ultra satiem bibere, seu bibere plùs, qnàm Regulæ sobrietatis permittant, ne tamen id faciendo inebrietur, unum
15 aut alterum ex iis amuletis adhibet. Ratio est, quia malitia finis redundat in electionem medii, ad illum finem directi. S. Thomas *1. 2. quæst.* 19. *art.* 7. siquidem finis comparatur ad ea, quæ sunt ad finem, sicut ratio formalis ad objectum. Idem *Ibid. quæst.* 12. *art.* 4. *in Corp.* Atqui ejusmodi homo usum talium mediorum dirigit ad malum finem, scilicet ad immoderatum potum. Non tamen peccat tam graviter, quàm si non uteretur aliquo tali amuleto; peccat quippe solùm venialiter, cùm excessus in potu, circa rationis exturbationem, non transcendat reatum culpæ venialis. *Suprà cap.* 21.

16 Imò tenebitur sub mortali adhibere tale medium, ut patet ex Resp. 2. Et sic obligatur peccare venialiter; obligatur, inquam, ex hypothesi libere ab ipso posita, ferè sicut ille, qui laborat ignorantia vincibili, sæpe se in eum labyrinthum conjicit, ut posita ea ignorantia vincibili nequeat ullatenus vitare peccatum etiam mortale. Ferdinandus de Castro
17 Palao *Tract.* 1. *disp.* 2. *p.* 5. ex communi. Haud tamen ullius peccati rei, sed laudandi sunt, qui timentes, ne in convivio, quod commodè detrectare non possunt, aliorum propinationibus abducti plùs æquo bibant, uno indicatorum alexipharmacorum sese præmuniunt; & deduces ex Resp. 2. obligari ad id faciendum, quando rationabiliter timent id periculum.

At contra Resp. quartam dices: Talis ho- 18
mo, qui e. g. brassicam edit ante symposium, tantùm idcirco comedit, ut non inebrietur; ergo revera non delinquit, ne venialiter quidem, etenim usus rei ex se indifferentis, non est vitiosus, nisi vitium contrahat ex aliqua prava circumstantia, aut fine malo, saltem supponendo sententiam relatam *cap.* 1. *sect.* 9. dari actus indifferentes in individuo; hîc autem non apparet circumstantia, finisve malus.

RESP. Vel, qui edit brassicam ante sympo- 19
sium, destinavit absolutè bibere tantum, quantum voluptas, & cohortatio, exemplúmve sociorum suadebunt, vel non destinavit id absolutè, sed solùm ex hypothesi comestæ brassicæ. Si absolutè destinavit, fateor, non peccari ab illo vescendo acetoso olere; at si tantùm ex hypothesi, peccat vescendo illo. Nam non biberet tam multum, si priùs non edisset brassicam, ut suppono: ergo revera idcirco edit brassicam, ut multum possit haurire, possit, inquam, multum bibere, cum pec- 20
cato veniali, vitando mortale. Imò, quia plerique lurcones illis antidotis principaliter, & ferè unicè utuntur idcirco, ut sint pares pluribus vacuandis crateribus, quàm combibones, haudquaquam curantes, utrùm inde tandem secutura sit ebrietas, nec ne, modò suos Bacchicos symmystas priùs probè contexerint, ut loquuntur, seu vino deposuerint, hinc fit, ut etiam usu brassicæ delinquant venialiter, & ultimo poculo inebriante, mortaliter. Has responsiones confirmant doctrinæ allatæ *cap.* 45. *n.* 50. *&* 51. ex Layman.

SECTIO II.

Remedia Ebrietatis in, & post potum.

SUMMARIUM.

Referuntur remedia Physica in, vel post potum adhibenda. 21. *& seqq.*
Sapiens monitum Lemnii. 26.
Falluntur, qui dicunt, vinum dilutum magis inebriare, quàm meracum. 27.
Hippolyti Guarinonii encomium, & doctrina de diluendo vino. 28.
Explicatur illa parœmia: aut quinque bibere, aut tria, non autem quatuor. 30.
Explicatur Aristoteles quærens, cur, qui dilutum bibunt, citius inebrientur, quàm qui meracum? 31.
Sapa quale vinum? Ibid.

Tria Plutarchi monita circa vinum diluendum. 34. *& seqq.*
Et Lemnii rursum aliud remedium Physicum, & Politicum contra temulentiam. 37. *& seqq.*
Simulatio propriè dicta est mendacium reale. 39.
Non item impropriè sumpta. 40.
Refertur exemplum simulationis propriè dictæ usitatum inter bibendum. 43.
Quæ remedia post largam potationem usurpata impediant turbationem mentis? 44.
Quid censendum de consuetudine refrigerandi vinum nive, vel glacie? 45.
Ille usus est antiquus. 46. *&* 47.
Et Religiosos minimè decens. 49.
Ac per se noxius valetudini. 50.
Et fortè mortaliter malus. 51.

21 EPotu vim inebriandi habente plus fumendum non est, quàm necessitas exigat; quantò enim plus sumitur, tantò præsentius periculum temulentiæ aditur.

22 II. Qui bibendo vina fortia, nequit sitim restringuere, nisi bibendo usque ad turbationem rationis, tenetur vel bibere minùs fortia, si nanciscì queat; vel cùm aliqua siti surgere è mensa, vel fortè vinum domare aquâ. Nam conservatio usus rationis est tantum bonum, ut pro ea meritò susciptatur unum ex his mediis.

23 III. Jam monui *num.* 9. bibendum non esse mox ut assedisti, sed prius quid edendum.

IV. Non sunt simul ingerendi varii potus ejusdem naturæ, varietas enim inæquales, & turbulentos gignit halitus. Guilielmus Cratarotus Medicus *Lib. De natura vini. cap.* 5. apud Fornerum *Lib.* 3. *cap.* 23. addens, posse vinis fortibus superbibi leviores cerevisias, quæ vini vehementiam frangunt.

24 V. Inter pocula non multùm cibi sumendum est, etenim cibus potùm in ventriculo diutius justo remoratur, unde plus vaporum in caput fertur. Ita censet idem Medicus.

25 Quod equidem credo de cibis halituosis, ut solent esse præcalidi, & ex leguminibus, tales enim caput suapte naturâ implent, obtundúntque, ut proinde meritò dicat ipse, eos non esse inter bibendum assumendos, ab eo scilicet, qui multùm vini bibere vult, si tamen loquamur de cibis non multùm halituosis, cum conformiter doctrinæ ex Mousino relatæ *n.* 9. existimo, eorum ingestorum copiâ impediri, non promoveri ebrietatem, quia cùm ex se parùm exhalationum causent, multùm autem frangant, remorentúrque spiritus vinosos, nec permittant adeò facilè transire in venas meseraicas, hepar, & caput, idcirco magis impediunt, quàm promoveant turbationem rationis. Et puto, huic argumentationi suffragari praxin quotidianam illorum, qui minùs & plus comedunt panis.

Lemnius quoque *Lib.* 2. *De occultis rerum naturis cap.* 38. providè scribit in hunc modum: *Moderatam esse decet omnis liquoris, quæ temulentiam infert, potationem, in eáque falsamentarios, ac lanios nos imitari par est, qui ubi recondunt partes concisas carnium, piscíumque partes, ac segmenta, salsuginem per singulos ordines, ac series infundunt, digestáque sale condiunt. Sic nos quoque, modò valetudini consultum cupimus, cibum decenti ordine, ac quantitate ingestum, potu, ubi res poscet, irrigabimus.* 26

Quæres II. *Verumne sit, quod nonnulli dicunt, vinum dilutum magis inebriare, quàm meracum?* 27

RESP. Cum Mousino, quem retuli *num.* 9. cúmque P. Laurentio Forero *in diss. De Sympathia Thesi* 29. eos falli apertè, repugnant quippe & quotidianæ experientiæ Religiosorum, sæcularíumque, & rationi manifestæ. Siquidem aquâ magnopere debilitari vires meri ostendit vel ipse gustus, & insuper agentium, reagentiúmque genius. Accedit, quòd aqua efficiat, ut & pars vinosorum spirituum, qui caput petunt, segnius, tardiúsque ad cerebrum perveniat, & alia pars citiùs descendat in vesicam, habet enim aqua vim diæreticam, ejúsque humor est ieris, & minimè adstringens, ut loquitur Plutarchus *Lib. De tuenda valetudine.*

Quapropter meritò conabatur ille, dum 28
viveret, privatus, publicúsque, & capitalis hostis ebrietatis Doctor Hippolytus Guarinonius *in sua erudita Hydroenogamia* persuadere omnibus, qui vino utuntur, tamquam potu naturali, illud diluant aquâ, ut quoad fieri potest, impediatur mentis turbatio, etiam minima. Nonnulla inde huc transferrem, si jam non carerem eo libello, omne aurum superaturo, si reperiret lectores obsequentes. Sanè expertus assentietur Matthiæ Fabro *Concione* 5. *in Domin.* 16. *post Pentecosten in fin.* scribenti: *Vinum lymphatum crescit, dulcescit, lædere nescit.*

Equidem non solùm de vetere vino rectè 29
cecinit Tibullus *Lib.* 2. *Eleg.* 1.

Temperat annosum Martia nympha merum.

sed etiam in adagiis Erasmi *Chiliad.* 2. *Cent.* 2. generatim de vini cum aqua mixtione rectè pronuntiatur.

Bacchus ut è flammis puer exiliisset in undas,
Finxerunt nymphæ sordidum adhuc tinere.
Hinc junctis nymphis est gratus Bacchus, at ignem
Ardentem capaces, hunc nisi miscueris.

Refert quoque Fornerus *Lib.* 3. *cap.* 22. pri- 30
scam parœmiam ex Plutarcho, qua vulgò dicebatur: *Aut quinque bibere, aut tria, non autem quatuor.* Id est vel tres cyathos vini, & duos aquæ, vel duos vini, & unum aquæ bibere oportet.

31 Nec dictis adversatur Aristoteles, dum *in Problem. sect.* 3. *q.* 3. proponens hanc quæstionem: *Cur magis inebrientur, qui vinum aliquantum dilutum bibunt, quàm si sincerum, & meracum?* Respondet: *Ideo nimirum, quòd vinum dilutum citiùs penetret loca plura, angustióraque, aut bibatur in majore copia, quàm meracum.*

RESP. Enim cum Mousino, & Forero *ll. cc.* Philosophum loqui non de omni vino, sed de insipissato Veterum, quod Sapa vocabatur. Nam testis est Plinius *Lib.* 14. *cap.* 4. priscorum vina sæpe *datâ operâ, aut sole, aut igne in fumo appensa, in mellis quasi consistentiam redacta fuisse, ut potari per se non possent, nisi pervincerentur aquâ.* Igitur aqua præsertim calida, nam 32
calida utebantur ad hoc, illi spissæ materiæ insusa solvebat eam, qua solutâ spiritus vinosi, veluti carcere, vinculísque emissi liberiùs vagari, & ipsum adeò cerebrum faciliùs petere poterant. Hæc autem ratio non habet locum 33
in hodiernis vinis. Quare & parentes, qui liberis: & viri, qui uxoribus meracum permittunt pro ordinario potu, improvidè fungúntur officio virorum, parentúmque.

34 Cæterùm de vino diluendo tria singulariter observanda sunt ex Plutarcho *Lib. De tuend. valetud.* Primum: *Vinum, & potus est utilissimus, & pharmacorum suavissimum, & obsonium quàm minimè noxium, si temperatum esse contigerit.* Alterum: *Vinum in tempore potius modicè sumas, quàm ut aquâ diluas. Aqua verò, non solùm si vino admisceatur, verùm etiam si subinde inter vina diluta per se sola bibatur, magis in-* 35 36
noxium reddit id, quod dilutum est. Tertium: *Qui sole æstuant, aut contra frigore rigent, aut vehementiùs dicendo laboraverunt, aut acriùs cogitationem intenderunt, iis aut omnino subtrahendum est vinum, aut adhibendum est multa subinde aquæ potione temperatum, ac dilutum. Etenim cùm vehemens, & velocis efficaciæ sit vinum, corpus jam turbatum magis exagitat, quáque commota sunt, magis exasperat, atque exacerbat, cùm potiùs mitigatione egeat, ac lenimine, ad quæ maximè conducit aqua.* Hæc, & plura Plutarchus.

37 Quæres III. *Quid pronuntiandum sit de illis* „ *remediis ebrietatis, quæ Lemnius. loc. cit. cap.* 12. „ *proponit his verbis.* [Inolevit consuetudo apud „ multos, ut neminem propemodum sibi devin- „ ctum cupiant, fidúmque amicum, ac familia- „ rem exoptent, quàm qui strenuum potorem „ se præbeat, ac impigre, ut Plautus ait, cloa- „ cam vino proluat. Quamobrem operæ pre- „ tium me facturum sum arbitratus, si nonnul- „ la, quæ ebrietati resistunt, referam, quò quis- „ que prospicere sibi possit in eo certamine, ut aut vino non succumbat, aut quàm minimùm „ offendatur. Principio nemo se inter initia 38
plus satis facilem præbeat, promptúmque in „ exiccandis poculis, sed tergiversetur, ac civi- „ liter recuset, morbúmque prætexat, ac valetu- „ dinem causetur. Nonnunquam excogitandi „ sunt astus, ac stratagemata, quò illos deludas, „ qui te scopum præfixerunt, quem feriant, tibi- „ que plus infesti sunt. Captanda interim occa- „ sio, ut aut te mincturientem tacitè subducas, „ aut pateram, crateráque clanculum abduci „ cures; in eáque re te callidum esse decet, ac „ cautum, magnáque dexteritate id perficere. „ Nam si deprehendi technam contingat, multò „ cumulatiùs, ac cum fœnore hoc in te munus „ refundent. Cæterùm quisque pro insita natu- „ ræ calliditate, atque astutia, varias fingere po- „ test rationes, ac modos, quibus poterit elu- „ dari, ac combibones fallere. Interim consti- „ tuat sibi quisque ante oculos, hujus illaudatæ „ consuetudinis, erroríque inveterati præmia; „ perspiciet luce clariùs, quid noxæ, quídve de- „ trimenti tum corpori, tum animæ, mentí- „ que inferat vini intemperantia.] Hactenus „ Lemnius. „

RESP. Hæc omnia approbo, si loquatur 39
Lemnius de simulatione impropriè dicta, nam simulatio propriè dicta est mendacium quoddam, in exteriorum signis factorum consistens. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 111. *art.* 1. quando scilicet quis per exteriora signa factorum, vel rerum significat aliquid, quod non est. S. Thom. *Ibid. ad* 4. seu cùm per aliquam actionem intendit aliud significare, quàm interiùs in animo sentit. Lessius *De Justit. & Jur. Lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 6. *n.* 45. ac proinde simulatio propriè dicta semper est peccatum. S. Thom. *Ibid. in Corp.* At impropriè dicta simulatio est, 40
vel cùm facimus aliquid, volentes per eam actionem quidpiam veri significare, quod tamen non intelligitur à circumstantibus, sed potiùs aliud, sicuti actionem Christi fingentis se longiùs ire explicat S. Augustinus apud S. Thom. *loc. cit. ad* 1. Vel cùm exercemus actionem aliquam, prævidentes eam à circumstantibus habitum iri pro signo alicujus rei, quam non intendimus significare; ut cùm Josue *cap.* 8. *vers.* 15. metum simulavit fugiendo, seu gradiendo tam celeri gressu, quàm solent fugientes. Non enim voluit Josue significare 41
metum, sed prævidens, hostes esse suam properationem interpretaturos metum, voluit falsa hac interpretatione, quam non intendebat, sed ominabatur, uti ad victoriam; sicuti patet ex illis: *Putabunt enim nos fugere, sicut priùs.* Ibid. *vers.* 6. Ubi non dixit: *Ut putent*, sed: *Putabunt enim.* Vide alia in hanc rem suprà *cap.* 37. *n.* 68. Ex quibus.

Inferes I. Non omnem simulationem im- 42
propriè dictam esse peccatum.

II. Illos

43 II. Illos propriè simulare, atque adeò mentiri realiter; peccaréque, qui vix vinum libantes, attamen craterem diu tenent ori admotum, eâ intentione, ut iis, à quibus urgentur, videantur multùm bibisse; si verò id faciant, non ut ingenerent, sed quia ingeneratum iri prævident illam falsam opinionem, non admittunt mendacium reale, quia non intendunt aliud significare, quàm habeant in animo, & proinde sunt extra omnem culpam. Cæterùm quid sentiendum sit de provocatione ad hausfus æquales, aperui *cap.* 13. *sect.* 2.

44 Quæres IV. *Quæ remedia post largum potum adhibita impediant turbationem mentis?*

RESP. Sequentia I. *Si* mox ut vinum haustum est, multum aquæ hauriatur. II. Si mox revomatur id, quod ingestum est, quâ de re disservi *cap.* 8. *num.* 64. *& seqq.* ubi etiam resolvi esse in præcepto, ut quis conetur revomere. III. Copia vini, quæ mentem nonnullis eripit, quando in liberum aërem sunt progressi, iisdem non eripit, quando remanent loco clauso, quare tenentur sub peccato mortali manere loco clauso, donec vires meri dissipatæ, fractáque sint, ut docui *cap.* 37. *n.* 8. IV. Brassica post liberaliorem potum sumptâ, & coronâ ex croco capiti impositâ discuti ebrietatem jam retuli ex Catone *n.* 3. & ex Pelbarto *n.* 6.

Porrò quia paulò antè egi de vino diluendo, ob materiæ affinitatem fortè.

45 Quæres V. *Quid de usu refrigerandi potum nive, vel glacie pronuntiandum sit?*

RESP. Sequentia I. Ille usus, & consuetudo jam pridem viguit. Etenim Plinius *Histor. natur. Lib.* 19. *cap.* 4. sic jam olim ingemuit. *Heu prodigia ventris. Hi nivem, illi glaciem potant; pœnas montium in gulæ voluptatem vertunt, co-*
46 *guntque ut alienis mensibus nix algeat.* Seneca quoque *Lib.* 4. *natur. cap.* 9. de sui temporis delicatulis queritur hisce verbis: *Nec nive contenti sunt: sed in glacie rigorem exquirunt, ac sæpe eam repetitis aquis diluunt; ut pertinaciùs frigidum concipiat, ex abdito effoditur. Itaque nec unum nivis est pretium, sed habet institores, & reponendæ officinas, paleísque custodiunt, inquinántque.*

47 Similia indicat Martialis; *Lib.* 5. *Epigram.* 61. *Lib.* 14. *Epigram.* 93. 94. 95. 96. 106. 107. 108. quibus locis præsertim *cit. epigram.* 93. *&* 107. refert noster Raderus auctores differentes de hac materia, *& cit. epigram.* 107. ita loquitur: *Aquam veteres vel nive solutam sine decoctione, vel decoctam, & refrigeratam hibebant, vel puram aquam nive circumjectâ, non mixta gelatam, atque ad summum frigus perductam.* Hinc illud distichon Martialis *cit. Epigr.* 107.

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

II. Hac ætate solet à Magnatibus vinum 48
refrigerari nive, aut glacie, non immissa in vinum (foret enim id grande piaculum) sed circumfusa vino. Magnatum exemplum non 49
bono exemplo sequuntur quandoque Religiosi, utcunque excusandi, si id faciant, cùm vinum tepet æstate; reprehendendi ceu nimis delicati, & profani, si factitent hyeme, aut si excessivum in modum, nec sine sumptu refrigerent æstate.

III. Illa refrigeratio, prout fieri solet, no- 50
xia est valetudini, vitámque decurtat, ut sentit Bonacina *De Restitut. disp.* 2. *quæst. ultima. p.* 5. *n.* 9. & Doctores, quos tacito nomine indicat. Ratio est, quia solent ita refrigerare, vix ut dentes queant ferre rigorem; id autem non potest non obesse valetudini. An verò pec- 51
cent mortaliter ita refrigerando cum periculo abbreviandæ vitæ, non satis constat. Negat, teste Bonacina, noster P. Alphonsus Rodriquez *De perfect.* apud quem nil de hac materia reperio, aliíque nonnulli Doctores. Ego non satis scio, an valde notabiliter minuant; quare in dubio non audeo eos damnare noxæ lethalis, quandoquidem semper in dubiis beniora præferenda sunt, & promptiora sunt jura ad absolvendum, quàm ad condemnandum, inquit Lucius Papa. *Cap. Ex Literis. De probat.* Adde, quòd videamus, à Confessariis absolutionem impertiri talibus, etsi non habentibus propositum desistendi ab ejusmodi potu.

SECTIO III.

Temulentiæ remedia moralia.

SUMMARIUM.

Remedia ebrietatis moralia ex Costero, atque aliis. 53. *& seqq.*
Sitne licitum, & honestum ejurare omnem potum vini ad cavendam ebrietatem? 61. *& seq.*
Iuramentum est instar Medicinæ adhibendum. 66.
Ridiculus casus ejurantis omne vinum. 68.
An teneatur pitissare, qui obstrictus voto non bibendi hodie vini, nequit servare votum nisi pitisset? 69.
Non est verum, quòd vovens abstinentiam à vino voveat etiam jejunium. Ibid.
Quænam remedia Confessarius ebrioso præscribet ex aliorum sensu? 70. *& seqq.*
Quodnam singulare ex Authoris sensu? 78.
Alia hanc in rem observanda. 79. *& seqq.*

Dixi

52 DIxi *n.* 1. remedia moralia ebrietatis esse rationes, & considerationes, quibus permotus animus fugiat constanter potum inebriativum. De his

53 Quæres I. *Quænam remedia sibi ipsi præscribere debeat ebriosus, ut desistat ab hoc propudioso vitio?*

RESP. Unum, aut plura ex sequentibus, quæ suggerunt Loartes *in instruct. Confessar. Lib.* 2. *cap.* 22. Costerus *in Libell. Sodalit. Lib.* 2. *cap.* 10. Busæus *in Panario. Verb. Gula.* Reginaldus. *Lib.* 7. *n.* 60. *&* 61. Fornerus *Lib.* 2. *De Temulent. malo à cap.* 15. *ad* 24. inclusivè.

54 I. Est consideratio mortis, & novissimorum juxta illud S. Gregorii *Lib.* 6. *Moral. Nihil adeò valet ad domandum carnis desideria, quàm cogitare, qualis sit futura mortua.*

55 II. Mortificatio inordinatæ appetitionis vini, monente Seneca *Epist.* 15. *Fateor, nos gerere nostri corporis tutelam; nam indulgendum illi, serviendum nego. Multis serviet, qui corpori servit, qui pro illo unum timet, qui ad illud omnia refert. Honestum ei vile est, cui corpus suum vanis charum est.*

56 III. Otii fuga. Nam rectè scripsit Cassianus *Lib.* 10. *cap.* 6. *De spiritu Acediæ: Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quàm de escis, ac ventre.*

57 IV. Consideratio brevitatis delectationis ex immoderato potu perceptæ, & comparatæ cum sequentibus tormentis, ac malis ebrietatem comitari, sequíque solitis, quæ partim indicavi, etiam explicavi *cap.* 10. *&* 19.

58 V. Meditatio cœlestis, perennísque convivii, quo fruentur sobrietatis studiosi, privabuntur ebriosi. At, pro dolor: mens helluatorum non assurgit ad cœlestia.

59 VI. Fuga potatorum. Huc optimè quadrat illud Salomonis, *Proverb.* 13. *Amicus stultorum similis efficietur.* Atqui ebriosi sunt planè stulti.

60 VII. Pythagoras apud Stobæum *serm.* 18. pro opportuno antidoto suggerebat hoc: *Si, quæ per ebrietatem feceris, frequens animo volvas.* Alia proferam. *n.* 71.

61 Quæres II. *Sitne licitum, & consultum ejurare potum vini, metu labendi in temulentiam?*

RESP. I. Ea intentione ejurare omnem potum vini, est per se loquendo licitum, & consultum. Quod enim potest esse objectum voti, potest & esse juramenti promissorii, quoniam votum est promissio Deo facta de meliore bono. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. *&* 2. atqui perpetua abstinentia à vino potest esse materia voti. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 149. *art.* 3. & patet tum ex allata definitione voti, tum ex dictis *cap.* 4. ubi fusè tractavimus de voto
62 non bibendi vini. Adde, quòd juramentum Deo soli factum induat rationem voti. Sanchez *Lib.* 3. *Moral. cap.* 19. *n.* 2.

II. Per accidens tamen potest ejusmodi ju- 63
ramentum esse illicitum, ut si quis illud expressè extendat etiam ad casum, quo non suppetat alius potus, juxta dicta *cit. cap.* 4. *num.* 7. Sicuti etiam tale jusjurandum illicitè ederet is, qui sciret, se vel ob inveteratam consuetudinem; vel ob pravam societatem longè sæpius acturum contra suum juramentum, quàm non acturum. Argument. Cap. *Tua nos. De Iurejur.*

III. Per se loquendo consultum est, obstrin- 64
gere se ejusmodi juramento. Quia utique est per se loquendo consultum, exercere actionem de se honestam, ac bonam. Nam id genus actio est proprium objectum bonorum consiliorum; atqui tale juramentum est actio honesta, utpote de meliore bono. *Suprà numero* 61.

IV. Per accidens tamen subinde non est con- 65
sultum tale juramentum, tum quia est quandoque per accidens illicitum, tum quia generatim constat, non esse consultum, juramento, vel voto se adstringere ad quamvis actionem, quæ sine peccato executioni mandari valeat. Tum denique, quia juramentum est & 66
spiritualis quædam tortura. Pulchre Navarrus in Commentario *De Pœnit. dist.* 1. *n.* 17. Lessius *De Iur. & Iustit. Lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 15. & instar medicinæ, Cap. *Etsi Christus.* §. *Quædam. De Iurejur.* & S. Thomas 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 5. *in Corp.* atqui sæpe non est consultum uti medicina, quantumvis de se optima, sicut nec tortura. Ego sanè nemini ebrioso facilè 67
suaserim perpetuam ejurationem vini, sed potiùs temporariam, juxta dicenda *numero* 192.

Et in disputationem trahi potest, utrùm suo 68
juramento fuerit coram Deo obligatus ille Belgicus gurgulio, qui lepidissima fraude uxoris persuasus, se in ipsa temulentia fuisse mortuum, in stigem dejectum, atque inde prodigiosè liberatum, vitæque restitutum,

* * * * *Votum*
Ter, & ter altum vovit, omne per vitam
Instar mephitis execrarier vinum,
Instárque mortis ostium tabernarum.

ficuti more suo, id est facetissimè describit Gazeus noster *in suis Hilaritis sub fin.*

Porrò qui juravit se ad unum mensem, An- 69
num, aut in perpetuum abstenturum vino, an teneatur quandoque pitissare, & abstinere etiam à cerevisiâ; item an peccet mortaliter, quoties illicitè bibit vinum, deduces ex dictis *cap.* 4. *sect.* 1. *quæst.* 2. *&* 3. Item *sect.* 2. *quæst.* 1. 2. 3. ejusdem capitis; & videbis, nos non assentiri Tertulliano, contra Psychicos (ita ipse jam tunc hæreticus, per ludibrium vocat Catholicos) sic pronuntianti *Cap.* 9. *Ubi abstinentia vini, aut à DEO exigitur, aut ab homine vovetur, illic intelligatur etiam pabuli præ-*

sens

sura formam præstruens potui. Qualis enim esus, talis potus. Verisimile non est, ut qui dimidiam gulam DEO immolet, aquis sobrius, & cibis ebrius. Certè hanc Tertulliani Theologiam nemo Theologus admittit, nec admittendi causa ulla subest; eam refellunt Rechabitæ Jeremiæ 35. & Daniel cum sociis *Daniel.* 1. qui dimidiam gulam DEO immolârunt, cùm ab omni vino constanter abstinere decreverunt, non item à cibis omnibus. Non fuit in iis talis esus, qualis potus.

70 Quæres III. *Quænam alexipharmaca debeat Confessarius præscribere ebrioso?*

RESP. I. Generatim loquendo debet ea sola sub obligatione præscribere, quæ sperat pœnitentem esse adhibiturum, quia Confessarius nunquam debet imponere pœnitentiam, quam omnino credit à pœnitente non perficiendam. Coninck *De Sacramentis. disp.* 10. *n.* 72. Dicast, *To.* 2. *De Sacramentis, disp.* 14. *n.* 49.

71 II. Præter illa, quæ superius enumeravi, subministrat, alia Reginaldus *Lib.* 7. *n.* 62. ubi sic loquitur: *Excedentibus in potu potest injungi, ut ad tempus ab usu vini abstineant, aut illud aqua probè dilutum, & parcius bibant, neque extra mensam bibant. Item quoties bibituri sunt, præsentiæ DEI meminerint, & aliquid orationis occultæ, ac nemine advertente fundant. Potest etiam injungi pœnitenti, ut quoties in tale peccatum lapsus fuerit, aliquam pœnitentiam sibi imponat, quam exequatur sequenti die, ut parcius, ac tardius cibum sumere quàm vellet, aut cibis uti vilioribus vel malè paratis, aut aliud pœnitentiæ opus faceret.* Ita Reginaldus.

73 III. Sed & Matthias Faber *tota Contione* 5. *Dominic.* 16. *post Pentecost.* doctè, & ingeniosè per quinque digitos, quinque has interrogationes, & considerationes ab ebrioso usurpandas explicat. I. *Quid fecisti?* II. *Quantum perdidisti?* III. *Qualis per ebrietatem evasisti?* IV. *Quæ supplicia meruisti?* V. *Quid promisisti?*

74 Aliqui usu prodesse didicerunt sequentia antidota. I. Confessionem menstruam per dimidium Annum, vel per integrum, prout fert conditio ebriosi, faciendam eidem Confessario, quoad commodè potest.

75 II. Firmissimum propositum, vel etiam votum, non adeundi ullas tabernas vinarias, aut symposia, cœnásve illorum, cum quibus pœnitens consuevit se inebriare; non adeundi, inquam, per Annum, e.g. nisi moralis necessitas exigat.

76 III. Votum non excedendi intra dimidium Annum, e. g. illam quantitatem potûs, cujus excessum expertus est, esse suæ rationi lethalem. Hoc medium etiam indicat Faber *loc. citat.*

77 IV. Ejurationem vini ad aliquod tempus; etenim qui vino se perpetuò abstenturos promittant, non reperiet Confessarius è mille ebriosis unum. Imò, quando ex frequentia immoderati potûs accensum est hepar, & fauces, ne quidem per mensem est indicenda omnis abstinentia à vino, tum quia nimis est difficilis, & proinde non observabitur à pœnitente, & sic agetur contra monitum alias tum *n.* 70. tum quia obest valetudini ille subitus transitus ab extremo ad extremum, quem admodum ex S. Augustino dicemus *n.* 94.

78 V. Sed & prodest injungere pœnitenti, ut è Confessione domum reversus dicat uxori, si hæc sobria sic & prudens: *Video, quanta mala mihi, tibi, liberis, rei familiari adferat mea damnata ebriositas; jam planè constituì cum bono DEO sobriam vitam ducere; & quia nôsti tempora, atque occasiones, quibus soleo in eam miseriam prolabi, quoties videbis ad esse periculum, mone me, & averte: Spondeo jam tibi, me æquo animo accepturum tuam admonitionem; quam si contigerit, semel, iterúmve à me insuper haberi, ut crapulam edormiero, argue me, & increpa, experieris planè aliud, quàm adhuc fui.*

79 Porrò in harum, aliarúmque pœnitentiarum injunctione singulariter observandæ sunt sequentes circumstantiæ; Utrùm videlicet pœnitens valde crebrò, & ferè quotidie, an rarò, adeóque tantùm semel, bisve in mense scytisset, seu nimio potu se ingurgitet; sitne Laicus, an Clericus, plebejus an nobilis, vir, an mulier; in voluntaria, an in involuntaria occasione se inebriandi; laboret diuturna jam, an recente consuetudine; gravia, an nulla mala patret in temulentia; possit loco vini bibere cerevisiam &c. Etenim harum circumstantiarum variatio, suadet variandam esse pœnitentiam.

80 Item interrogandus est ipsemet pœnitens, quodnam ex his, aliisve antidotis sibi hactenus maximè profuerit, aut speret in posterum maximè profuturum. Item præmittenda est horum amuletorum præscriptioni paterna, & condolentiæ plena enumeratio malorum, quæ ipsemet pœnitens expertus est, in se derivata esse ex maledicta ebrietate. Sanè commoventur opifices, cùm à Confessario amicè interrogati, an non ratione suarum compotationum adierint intra Annum jacturam viginti, aut triginta aureorum, quos partim in symposia expenderunt, partim vacantes Baccho lucrari neglexerunt, cum gemitu respondent, etiam majorem jacturam adiisse. Quantam ergo adierunt intra sexennium? Quantam voluptatem animo persentiscerent, si pro dote filiæ, pro alendo in studiis filio haberent arcâ reconditos illos 100. 200. aureos, quos oblimârunt, & Libero Patri consecrârunt?

81 Postremò, quæ remedia adversus intemperantem usum vini attuli, sunt quoque adhibenda eliminandæ consuetudini inebriandi se

se cerevisiâ, seu zytho. Cæterùm quo pacto vir uxorem ebriosam corrigere possit, explicavi *cap.* 43. *à n.* 48.

SECTIO IV.

Cur, & quos infestet consuetudo se inebriandi?

SUMMARIUM.

Utrum ebrietas, quæ una, pluréve gentes laborant, proveniat à natura, an aliunde? 83. *& seqq.*
An possit facilè corrigi consuetudo pergrœcandi? 88.
Exemplum viri Senatorii ordinis. 89.
Cur vinum à Moyse comparetur Felli Draconum, & veneno aspidum? 91.
Sapiens modus emendandi ebriositatem ex S. Augustino. 93.
Objectio contra dicta proponitur, & diluitur. 97.
Cur nonnulli populi sint procliviores ad ebrietatem, quàm alii? 100. *& seqq.*
Plato inhibet Magistratibus vini usum. 105.
Cur populi septentrionales sint bibaciores? 106.
Sueviolim execrabantur vinum. 109.
Erant ii fortissimi Germanorum. Ibid.
Votum Authoris pro Germania. 110.

83 QUæres I. *Utrùm ebriositas, qua non una, sed plures gentes laborant, proveniat à natura, an à consuetudine?*

Negat rotundè, atque absolutè Fornerus *Lib.* 1. *cap.* 8. Negat & Stapletonus, *De septem peccatis Capitalibus Orat. Catechet.* ubi non solùm inficiatur, quemquam posse esse naturâ pronum ad ebrietatem, sed addit, sola consuetudine eam introduci; probátque hoc duplici argumento.

84 Primò, quia non sicut ad iram, libidinem, atque superbiam, vel choleræ, vel sanguinis copia incendit, vel ingenii subtilitas inducit, ita ad ebrietatem quod impellat, aliquid in natura est. Est quidem, ait, ad crapulam (id est excessum in cibo) inclinatio in iis, qui biliosi sunt; & stomacho valent, in iis quoque, qui frigidiore sub aëre victitant; unde scripsit Severus Sulpitius in vita S. Martini *Lib.* 1. *edacitatem in Gallis naturam esse, in Græcis gulam.* Non sic ad potandi libidinem impellit
85 natura. Cùm enim sitim siccitas, & calor provocent, videmus sanè hodie homines natura calidissimos, Hispanos, atque Italos ab ebrietate esse alienissimos, contrà frigidos, ac phlegmaticos, ut Germanos in hoc vitium maximè prolabi, ut clarum sit, non naturæ, sed consuetudini tribuendum esse, quòd quædam gentes magis aliis inebrientur.]

Alterum argumentum Stapletoni est hoc: 86
Si ebrietas gentium quoddam vitium esset, omnes eo morbo laborare par erat. Nunc autem secùs videmus, in turba potatorum multos esse aut abstemios, aut sobrios.]

Hæc Stapletonus, cujus responsionem con- 87
firmo tum inde, quòd longè pauciissimi usque ad rationis exturbationem bibant, quando sunt soli, esto habeant affatim vini, imò longè plurimi in nationibus etiam ebriosis nunquam ad ebrietatem tententur; tum etiam inde, quòd licèt nonnullæ gentes sint ex natura longè magis siticulosæ, quàm aliæ, & populi Septentrionales sint proniores ad temulentiam, quàm gentes Australes, attamen neque hi, neque ullæ gentes aliæ à natura incitantur ad potum superfluum naturæ; natura enim & paucis, & necessariis est contenta, nec quærit superflua. Atqui ebrietas provenit ex solo potu superfluo, saltem in iis, qui nec sunt debilissimi cerebri, nec bibunt ingurgitanter vina fortia, nec sitim extraordinariâ sentiunt.

Quæres II. *An possit facilè corrigi consuetu-* 88
do se inebriandi?

RESP. I. Constat experientiâ, verè scripsisse Lessium *Lib.* 4. *De Iustit. & Iur. cap.* 3. *num.* 23. hoc malum difficillimè curari. Etenim qui habitum inebriandi contrahunt, contrahendo illum ita accendunt hepar, exiccant fauces illo superfluo, calidóque potu, quem ingerunt, ut perpetuam quoddammodo sitim excitent, quam dum sedare volunt, magis irritant, faucibus magis, ac magis arescentibus.

Noviego usu propè quotidiano virum di- 89
gnitate Senatoria insignem, jam abhinc plus 40. Annos vita functum, qui postquam tres, quatuórve hebdomadas ferè in perpetuis pergræcationibus, & bestiali ebrietate, (more Dionysii Junioris, *qui usque adeò vino marcidus fuit, ut ad* 90. *dies merò incaluerit*, teste Alex. ab Alex. *Lib.* 5. *Genial. cap.* 21.) transegerat, in se reversus, & admissæ turpitudinis pœnitudine, pudoréque ductus vitam planè sobriam ducebat per alios 10. aut 15. dies, sed tanto cum cruciatu, ut ei ferendo impar veluti sus in antiquum volutabrum reverteretur, ac rursum unam, duas, aut plures hebdomadas continuas, atque integras Baccho consecraret.

Quare suo exemplo firmavit is doctrinam 90
S. Basilii, qui *Homilia in ebrietat.* sapienter observat, hujus mali nullum esse finem; eò quòd ipsum merum inexplebilem continuò sitim addat; nec necessarium quærat usum, sed ad alium irrefragabiliter potum invitet, cùm ardentes ebrios, & semper cupidiores bibendi reddat.

91 Quin S. Ambrosius *Lib. De Elia, & Iejunio, cap.* 14. verba illa Moysis *Deuteron.* 32. *Fel. Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile*, vel ut ipse S. Ambrosius legit: *Furor Draconum vinum eorum, & ira aspidum insanabilis*, applicat ebriosis, observans, vinum à DEO per Moysen non solùm veneno, sed etiam Draconum veneno comparari, ac subdens: *Et pulchre additur*: Insanabilis, *multi enim reliquorum serpentum veneno curantur, nemo ebrietate.*

92 RESP. II. Potest tamen absolutè loquendo etiam id mali corrigi, atque curari appositissimo, efficacissimóque pharmaco, seu Recipe, quod magnus Ecclesiæ, & hoc genus Medicinæ Doctor Augustinus præscripsit, *Serm. De Ebrietate*, qui est 231. *De Temp.* jam crebrò in hoc Tractatu quinto citatus: verba ejus accipe.

93 *Ante omnia intelligere, ac scire debemus, quia non uno die efficiuntur homines ebriosi, sed cùm paulatim adjurantibus, & cogentibus crudelissimis inimicis, potiùs quàm amicis, per singulos dies unum, aut binos calices ad potum consuetudinarium addunt; at ubi in usum miserint, ita eos ardor ebrietatis occupat, ut eos semper sitire compellat. Sed qui se de hoc malo desiderat liberare, quomodo sibi intervallo dierum, potum addendo, ad ebrietatis tenebras pervenit, ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Quia si semel totum, quod amplius accipiebat, subtraxerit, ubi nimia siti cœperit exardescere, cum grandi amaritudine clamat, & dicit, malle se mori, quàm sibi bibendi, vel se inebriandi consuetudinem tollere. Nec attendit, quòd tolerabiliùs erat ei in carne mori, quàm per ebrietatem in animo interfici. Et ideo, ut nec ardorem nimium patiatur, & de tam gravi malo, quod patitur, liberetur; sicut jam dictum est, per intervalla dierum sibi aliquid de nimietate subtrahat, quousque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat. Qui hoc ita, ut diximus, per partes subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur, & illam intolerabilem pœnam non patietur.*]

94 Hactenus Aphorismus Augustinianus, quo meliorem inter Hyppocraticos non reperies;
95 in quo etiam cernis, confirmari aliqua ex paulò antè indicatis à nobis. Et verò Bacchicus ille Senator, de quo suprà, tantum cruciatum non sensisset, si non sibi omni vino interdixisset illis diebus, quibus ebrietatem sobrietate corrigere volebat.

96 Novi ego alium, qui primo quidem, atque altero Anno, quo pharmacum S. Augustini adhibuit, sitim non vulgarem persensit, postea tamen eam ita domuit, ut absque singulari difficultate vitam transigeret contentus potu sobrio.

97 Quòd si objicias, eos, qui diu insuevêre temulentiæ, non modò carnificinam fauciu[m] ventriculique persentiscere, cùm sudent sobrietati, sed etiam sua sobrietate decertare sibi Annos vitæ. Resp. I. Esto decurtent: *Satius est in carne mori, quàm per ebrietatem in animo interfici*, ut audivimus loquentem S. Augustinum.

II. Id esse verum de illis, qui ab uno extremo ad aliud extremum subitò declinant; non autem esse verum de illis, qui methodo Sancti Augustini utuntur. Certè nulla physica ratione ostendetur, ejusmodi methodum officere diuturnitati vitæ. 98

III. Esse satis credibile, quòd optimus DEUS nonnullos ex iis ebriosis, qui serio resipuerunt, tollat è vivis citiùs, quàm exigat mutatio temperamenti per sobrietatem inducti; tollat autem idcirco, *Ne malitia* (ebrietatis) rursum *mutaret intellectum eorum. Sap.* 4. *v.* 11. 99

Quæres III. *Cur nonnulli populi ad ebrietatem procliviores sint, quàm alii?* 100

Est hæc quæstio thema integræ Concionis apud P. Mathiam Fabrum *Tom.* 3. *Domin.* 6. *post Pentecosten. Conc.* 4. ubi adfert hujus proclivitatis causas quinque, eásque deducit.

I. Causa est Societas compotantium in tabernis, ubi alter alterum exemplo, hortatúque incitant ad bibendum. De tabernis repete, quæ dixi *Cap.* 11. 101

II. Mutua provocatio, quæ fit per propinationem, quam nonnulli ita observant superstitiosè, quasi Sancta quædam lex foret, cùm tamen aliæ nationes, ut Itali, Hispani, Galli, vel abstineant propinationibus, vel saltem non adigant quemquam ad respondendum. Relege, quæ de propinatione *cap.* 13. *sect.* 1. disserui. Huc refert Faber morem bibendi in salutem Principum, amicorum &c. de quo nos quoque *citat. Capit.* 13. *sect.* 8. locuti sumus. 102

III. Causa est superiorum conniventia, qui vitium hoc non puniunt, quo modo aliis locis, & olim punitum fuit, & nunc punitur; de qua punitione fusè *Cap.* 22. tractavimus. 103

IV. Superiorum, & maximè Clericorum malum exemplum. De Clericorum ebriositate, & sobrietate plura *Cap.* 17. reperies. De Superioribus, seu Magistratu observa, à S. Thom. 2. 2. *quæst.* 149. *art.* 4. rectè doceri, sobrietatem peculiariter convenire Magistratibus: etenim *anima sicca est sapientissima*, inquiebat Heraclitus. Hinc Plato *Lib.* 2. *De Legibus*: *Vini usum non concederem Magistratibus, toto eo tempore, quo Magistratu fungantur. Gubernatores etiam, atque Iudices, munus suum subituros à vino penitus prohiberem.* Et denique ipse Salomon: *Noli Regibus O Lamuel, noli regibus dare vinum, ne forte bibant, & obliviscantur judiciorum. Proverb.* 31. *v.* 4. 104

V. Causa est communitas hujus vitii, atque frequen- 105

frequentia, quàm sibi vix quisquam inter Sæculares turpitudini illic ducit. Hæc, & plura
107 P. Faber. Quibus omnibus addi potest, populorum Septentrionalium stomachos esse præcalidos, ut patet vel inde, quòd facilè dorment, & concoquant cibos crudiores, grossioréque, quàm populi Australes, & proinde indigeant largiore potu, quàm hi; unde non mirum, quòd sæpe præter intentionem fiant ebrii.

108 Addi quoque potest: sicuti parens podagricus, prolem podagricam gignere solet, & graculus graculum, ita etiam siticulosus siticulosum, bibax bibaculum, ita ut hepatis adusti vitium transfundat in filios, ac filias, & pro filiis habeat *Nepotes.*

Procul ab hoc malo aberant olim Suevi, gens longè maxima, & bellicosissima Germanorum omnium, ut loquitur Julius Cæsar *Lib.* 2. *De Bello Gallico.* Nam, ut idem testatur: *Vinum ad se omnino importari non sinunt, quòd eâ re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effeminari arbitrantur.* 109

Faxit DEUS, ut Bellicæ fortitudinis, sinceri candoris, ac fidelitatis, laborum tolerantiæ, animi à furtis, & homicidiis alieniissimi, summæ in templa, templisque Religionis, ac modestiæ, iræ placabilissimæ, pudicitiæ, si cum aliis multis nationibus conferantur, non vulgaris laudem eximiam, singularique jure debitam cumulent sobrietatis studio, encomióque ii, quos illa sua Concione describit Faber. 110

FINIS.

Ad Majorem DEI, Divorúmque omnium honorem, & gloriam.

INDEX RERVM, ET VERBORVM, PERQVAM COPIOSVS.

Primus numerus designat Tractatum. Secundus numerum marginalem illius Tractatûs, excepto Tractatu quinto.

Vbi Secundus numerus indicat Caput, Tertius Numerum capitis marginalem, App. Appendicem illi numero subjunctam.

A.

Abbas.

EST idoneus testis in causis rerum spectantium ad suam mensam. TRACT. V. XL. 128. Bona illa sunt magis DEI, quàm Abbatis. 130.

Abbatissa.

EST propriè Superior suarum Monialium III. 32. *in App.* 2. *lit. b.b.* Attamen est jure Communi incapax jurisdictionis spiritualis. *Ibid.* An vi Bullæ pro Apostatis possit absolvere à Censura? *Ibid.* & *lit. c.c.*

Absolutio.

1 ABsolvendi potestas generatim tradita confessario tempore Jubilei proponitur III. 244.

Extenditur ad casus Episcopales. 246. & 247. Et etiam eo casu, quo Bulla præcisè daret facultatem absolvendi ab omnibus Censuris, etiam Papæ reservatis, extenderetur ad reservatas Episcopo. 247. Ea tamen non extenderetur ad casus Bullæ Cœnæ. *Ibid.* At facultas absolvendi *ab omnibus censuris etiam in Bulla cœnæ, & quomodocunque reservatis* comprehendit etiam hæresin. 248. Probatur nova ratione. 249. Comprehendit quoque hæreticum, & schismaticum specialiter denuntiatum. 251. An Clerici percussorem, aut publicum hæreticum. 252. An ingressum Monasteria feminarum; duello decertantem; causantem abortum; suspensum ob susceptionem ordinis ante legitimam ætatem, & sine titulo? 253. & 254.

2 Prima hebdomada absolutus à Censuris, si secunda incidat in alias, absolvetur repetitis operibus Jubilei. III. 256. Absolutio à Censuris dari potest in Jubileo ante factam Confessionem, & ab illo, cui non cogitas confiteri. 257. Et illi, qui solum dicit: *Si sum irretitus aliqua Censura, peto absolutionem.* 260. Et dari uno, alterôve die ante primam hebdomadem Jubilei. 261. Quæ absolutio dari debet absolutè, & non sub conditione de futuro. 262. Nec peccat mortaliter, qui absolutus cum firmo propositio exequendi omnia præscripta pro Jubileo, mutat propositum. *Ibid.*

Referuntur quatuor casus, quibus absolutio à Censuris dari potest etiam transacto tempore Jubilei. III. 263. & *seqq.* Et dari potest à quolibet Sacerdote habente communem jurisdictionem. 266. At fortè illa absolutio valebit solùm pro Censuris incursis ante Jubileum. 268. Absolutio ad *Cautelam* quæ sit? 260. Quomodo intelligenda facultas absolvendi cum clausula: *sed satisfacta parte*? 69. Quid si postea non satisfaciat, qui promiserat se satisfacturum? 270. An valeat absolutio data non satisfacta parte? 271. Potestas absolvendi *probac vice tantùm* quomodo intelligenda? 266. & 267.

3 An irregularitas aliqua tolli possit vi Jubilei? III. 272. Et absolutio in foro conscientiæ *solùm* quid importet? 273. & *seqq.* Potestas absolvendi à reservatis comprehendit etiam censuras reservatas. 276. Quando censeatur dari per aliquam Bullam potestas absolvendi in solo foro interno? 277.

Absolutio à casibus reservatis potest etiam post Jubileum dari lucrato Jubileum. III. 279. At non nisi in foro Sacramentali. 279. Quid si Confessio facta in Jubileo fuit sacrilega? 280. Potestas absolvendi à Censuris cum clausula: *Ad effectum ipsius Iubilei consequendum* plus difficultatis continet, quàm prima facie appareat. 451. Quis sit ejus planus sensus? 453.

Abste-

Abstemius: Abstinentia.

1 AN uxor habens maritum vinolentum, licitè eum reddat abstemium? V. XXX. 2. Respondetur cum distinctione. 5.

Abstinentia moderatur potum vini, quatenus est præcisè delectabilis. V. 1. 20. Moderatur & nimiam vehementiam, seu intensionem appetitus rapti in talem potum. 21. Sicuti & appetitum ejusdem, quatenus talis potus est nutritivus. 22. Abstinentia à potu delectabili quatenus inebriativo est virtus distincta ab abstinentia strictè dicta. 24. Sicut & ab amore proprio. 27. & *seq.*

2 Abstinentia à vino ex directa cupiditate citius moriendi est peccatum. V. 1. 32.

Abstinere perpetuò potionibus medicis an licitum? 36. An tunc laudabile, quando abstinentia est solùm in causa, ut dolor cholicus, aut alius non mitigetur? 38. An sit licitum abstinere etiam à Communi potu, non tantùm quoad pluralitatem potionum, sed etiam quantùm ad quantitatem, esto clarè, & sensibiliter inde minuatur vita? 40. Quo sensu dicatur abstinentia exigere tantum cibi, & potûs, quantum necessarium est ad conservationem valetudinis? 44. Quid censendum de illo, qui ita abstinet à communi potu, & vino, ut non sumat quantitatem præcisè necessariam ad alimentum, ac valetudinem individui secundùm suam propriam complexionem? 45.

3 Abstinentiæ indiscretæ improbandæ. V. 1. 48. Quæ sint indiscretæ? *Ibid.* Non oportet esse in hac re scrupulosum. 49. Et licèt sint secundùm se indiscretæ, per eas tamen, pia intentione susceptas promeremur cœlum juxta Bresserum. 47. Quantum peccet, qui per nimias abstinentias reddit se ineptum ad sua officia peragenda? 50. Quid si alius sit functurus iis officiis? 51. An adsit obligatio restituendi aliquid pro officiis neglectis ex indicata causa? 52. Prælati nequeunt subditis imponere salva conscientia tantas abstinentias, quantas subditi possunt licitè suscipere propria sponte. 53. An licitè abstineat potu clam oblato is, qui sententia judicis damnatus est ad mortem siti castigandam? 67. & *sequentibus.* Et ille omni cibo, qui damnatus est ad diuturnum supplicium, si ideo abstineat, ut tanto citiùs extinguatur inter tormenta? 72. & *seqq.*

Accusator.

NEquit idem esse accusator, & testis per se loquendo. V. XLII. 27. Excipe, nisi agatur de levi solùm castigatione. 30. Et generatim in causis levibus, & non infamantibus creditur denuntiatori officiali. 31. Quid si reus factum neget? *Ibid.* Quid si solùm agatur de peccato impediendo? 32. Quisque potest esse accusator in sua, suorúmque causa? 77. Utrùm sit verum, quòd qui accusare nequit, etiam nequeat esse testis? 76. & 77.

Actio, & Actus.

ACtionum humanarum Regula quæ? I. 30. Dantur actus indifferentes secundùm speciem. V. 1. 105. Dantur & in individuo juxta pristinam opinionem Authoris. 106. Quam tamen postea mutavit. *n.* 117. *in App.* Describuntur hanc in rem prolixæ literæ Romanæ. *Ibid. lit. c.* Movetur novum, & singulare dubium circa hanc materiam. *lit. n.*

An actum justitiæ exerceat, qui exigit rem debitam sibi ex justitia? V. 1. 117.

Adulterium: Adulter.

AN adulterium possit evidenter probari esse patratum ab hoc, aut illo. V. XXXII. 1. Quænam actiones faciant violentam suspicionem adulterii? 4. & *seqq.* Pœnæ in adulteros statutæ à Jure Canonico. 33. Quæ à Cæsareo? 35. An possit unum, idémque adulterium puniri ab utroque Magistratu? 41. Ex decreto Alexand. VII. non licet marito necare uxorem deprehensam in adulterio. XXXII. 39. Adulterium est turpius in uxore, quàm marito. 48. De divortio ob adulterium vide Verb. *Divortium.*

Aequitas.

ÆQuitatis variæ descriptiones adferuntur. I. 80. & 120. Ea est in omni jure maximè spectanda. 80. Et præferenda stricto juri. *Ibid.* Cur? 82.

Affinis.

AFfinis non potest esse accusator, aut testis in causa affinis. V. XLII. 64. Et singulariter in causa criminali. *Ibid.* Quando affinitas est dissoluta per mortem illius, qui dedit causam affinitatis, cessat affinitas. 66. Estque idem non esse affinem, atque affinitatem esse dissolutam. *Ibid.*

Alere: Alimenta.

ALimentorum nomine quid intelligatur? 1 V. XXVIII. 1. Socer tenetur alere nurum, quando nec maritus, nec filius potest. 32. Et frater fratrem etiam illegitimum. 33. Et hæredes parentum, è quibus nati spurii hos spurios. 31. Adeóque etiam Fiscus. *Ibid.* An Patrinus filiastrum? *num.* 39. Quatenus pater teneatur alere liberos legitimos, & illegitimos, certos, & incertos? vide Verb. *Pater.* Quatenus uxorem? vid. Verb. *Maritus.* Quatenus mater filios? vide Verb. *Mater.*

Cujus expensis sint alendi liberi post divor- 2 tium? V. XXXVIII. 1. Et apud quem? 9. Lex mandans, ut alantur apud partem innocentem, Sed expensis nocentis, est pœnalis. 2. & *seq.* Quid si divortium sit factum utriusque culpa, aut consensu? 7. Casus, in quibus sunt alendi potiùs apud partem innocentem, quàm nocentem. 10. & *seqq.* Vide etiam. *c.* XXXIV. *n.* 51.

3 A quo alenda uxor post divortium? V. xxxix. 1. *& seqq.* An expensis viri, quoties culpa hujus factum est divortium? 2. Quid si maritus præstitit debitam cautionem non ampliùs sæviendi? 4. Quid si divortium contigit culpa uxoris? 5. Quando ea non facit, quod debet, maritus non tenetur eam alere. 5. Quid si maritus illam expulit ob adulterium &c? 9. & 10. Quid si non habeat, unde se alat? 12. Quid si divortium factum culpa utriusque conjugis? 13. Aut neutrius culpâ? 14. Quid si maritus sit relegatus ob delicta? 15.

Aliquis: Alius.

Dictio: *Aliquis* est universalis, & comprehendit omnem speciem. IV. 610. Omnesque personas absque differentia, *Ibid.*

Dictio: *Alius, alia, aliud*, an, & quatenus referatur solùm ad similia? IV. 315.

Hæc dictio denotat similitudinem. 702.

Altare.

1 QUando plura altaria sunt visitanda quomodo debeant visitari? III. 130. Quid si sint alicubi pauciora, quàm sint præscripta? 132. Usus celebrandi in altari privilegiato est antiquus. IV. 516. Refertur communis formula, qua impertitur facultas altaris privilegiati. 518. Explicantur duodecim clausulæ talium altarium. 519. *& seqq.* Singulariter illa: *in quo non reperitur aliud altare. Ibid.* Et illa de septem Missis quotidie celebrandis. 520. Singulariter respectu PP. Capucinorum. *Ibid.* Quid si ob incursum hostilem nullum Sacrum fiat toto aliquo mense? 521. Dicti altaris privilegium non impeditur decursu Anni Jubilei. III. 43. & IV. 533. Talia altaria non veniunt sub generali communicatione privilegiorum. 535.

2 Quænam fractio altaris destruat Indulgentiam ei annexam? IV. 536. *& seqq.* An refecto altari redeat Indulgentia? 542. An & quatenus amittatur, quando altare transfertur de loco in locum? 543. Quid censendum de illis, qui obligati celebrare in aliquo quidem altari privilegiato, non tamen determinato, celebrant in non privilegiato, applicantes defuncto plenariam Indulgentiam sui numismatis, aut Rosarii? IV. 507. Quæ cautelæ sint adhibendæ, ut liceat id facere? 511.

Amygdala.

AMygdala amara impediunt ebrietatem. V. LI. 7.

Anachoreta.

ANachoreta quis dicatur in Bulla Jubilea? III. 29. & 32. *in Append.*

Annuntiatio.

ANnuntiationis Festum alicubi transfertur etiam quoad forum. IV. 331. Et quando transfertur solùm quoad chorum, potest etiam transferri Indulgentia ei annexa, sed solùm respectu Congregationum subjectarum Societati JESU. 336.

Annus.

ANnus inchoatur Romæ & alibi in Nativitate Domini. In Tuscia ab Incarnatione. III. 16.

S. Antoninus: Antonius.

SAntonini Summula, & Summa sunt referæ scientia juridica. II. 225. Non dedit operam ulli jurisperito. 286. Qua sub conditione fuerit ipsi facta spes receptionis in Ordinem Prædicatorum? 287. Adhuc puer didicit intra Annum totum *Decretum* Gratiani. *Ibid.* Nullum præceptorem habuit, nisi in Grammatica, & parte Logicæ. 356.

Antonius Triumvir libro scripto defendit, nihil turpitudinis inesse ebrietati. V. VI. 5.

Apostata.

QUis propriè? III. 32. *in App.* 2. Adfertur & membratim, explicatur Bulla Jubilei pro Apostatis Regularibus redeuntibus ad Ordinē. *Ibid. lit. i. & seqq.* Describitur reditus unius apostatæ. *Ibid. lit. y.* pœnæ statutæ in Religiosos apostatas. *lit. n.* quid si ille apostata susceperit liberos ex putatitia uxore. *lit. qq.*

Appetitus.

APpetitus rei per se non malæ etsi vehemens non potest esse per sese malus mortaliter. V. VI. 26. Appetitus nomine quid intelligatur in definitione gulæ? XXXIII. 7.

Arbiter: Arbitrium.

AN arbiter possit tam libere sequi quamlibet opinionem probabilem practicè, ac potest judex? I. 215. Quando aliquid committitur arbitrio alicujus, intelligitur arbitrium prudens. III. 499. & 505. Quid sit arbitrium liberum? 499. Quid boni viri, & regulatum? 499.

Archidiaconus: Archiepiscopus: Archipresbyter.

ARchidiaconus est oculus Episcopi. II. 448. Ejus officium. *Ibid.* Scientia in eo requisita. *Ibid.*

Est verus Prælatus, Ecclesiæ, potéstque promulgare Jubileum. III. 67. Est judex ordinarius. 462. Casus, in quo dubitabatur, utrum Archidiaconus potuerit indicere Jubileum. *Ibid.*

Archiepiscopus quas Indulgentias dare possit. IV. 57.

Archipresbyter est verus Prælatus, & potest publicare Jubileum. III. 67.

Articulus mortis.

INdulgentia pro articulo mortis non suspenditur in Anno Jubileo. III. 48. *in App. lit. e.* 1

Existens in articulo mortis etiam præsumpto lucratur Indulgentias destinatas existentibus in articulo mortis. III. 45. Indulgentiam plenariam in articulo mortis lucrantur omnes Chri-

Christiani soliti piè pronuntiare sacratissima Nomina. IV. 603. Quis in tali articulo censeatur fuisse solitus ita recitare? *Ibid.* Quomodo illam in eo articulo lucrentur confratres Rosarii, & Annuntiatæ. 616. An si deseruerunt confraternitatem? 634. *& seqq.* Indulgentia pro tali articulo est diversimode applicanda. 619. *& seqq.* Quoties possit obtineri? 621. Quibus applicari in eo articulo possit? 622. Non est opus ulla formula verborum. 623.

2 Et quando in formula Indulgentiæ exprimitur, hanc esse dandam à Confessore, per Confessorem intelligitur non solùm ille, cui æger est confessus, sed etiam ille cui potuit confiteri. IV. 626. Imò secundùm Navarrum etiam omnis Clericus. *Ibid.* Et Parochus oblitus dare Indulgentiam illi, quem extremè unxit, potest domum reversus supplere in suamet domo defectum. 627. Et quando pro tali articulo exigitur Confessio, & Communio, sufficit utraque in voto. 630.

Indulgentia, quam pro mortis articulo concedunt ex speciali indulto Pontificio Episcopi, quas conditiones requirat, & quomodo illæ sint intelligendæ? IV. 632. *in App. Propria.* Describitur tenor concessionis. *Ibid. lit. a.*

Assessor.

ASsessor an necessariò adjungendus judici? II. 453. An necessariò graduatus? 454. Quid significetur nomine Assessoris? 455.

A die Publicationis.

CLausula: *A die publicationis* quomodo sit intelligenda in Bullis Jubileorum? III. 479. Præpositio *A.* quandonam stet inclusivè? quando exclusivè? 480.

B.

Bartolus.

BArtoli encomia ex Cravetta, & Tiraquello. V. XXXIV. 49.

Beatificatio.

BEatificatio quomodo differat à Canonizatione? IV. 367. Etiam duntaxat Beatificati vocantur Sancti. *Ibid.*

Bellarminus.

CArdinalis Bellarminus perpaucas materias Theologicas audivit in scholis, & tamen Theologiam docuit summa cum laude. II. 296.

Benedictio: Benedicere.

2 CUr cibi benedicantur? V. XXIII. 246. Quis sit sensus duplicis Benedictionis, qua solent cibi, & potus benedici ad mensam? 247. Reprehensus Diaconus, quòd præsente Sacerdote benediceret. 249. Olim ad singula nova fercula fiebat nova Benedictio. 250. Est fas etiam integrum agnum benedicere. 251.

Ossa carnium benedictarum an licitè projiciantur canibus. V. XXIII. 252. Duplex est benedictio, alia Constitutiva, alia Invocativa. 253. 2 &

Non omnia quæ sunt benedicta tenemur, religiosè tractare. 256. Putamina ovorum benedictorum an licitè projiciantur in fimetum? 257. S. Corbinianus reprehendit Grimoaldum Principem, quòd panem benedictum projecerit cani. 258. Cera benedicta in Purificatione licitè uteris ad profana. 259. Idem dic de aqua benedicta. *Ibid.*

Utrùm quando vino benedicto miscetur non benedictum, censeatur totum esse benedictum? V. XXIII. 261. Cur si non totum sit benedictum, mittatur in dolia integra tam parum vini benedicti? 265. Cur itidem mensura vini benedicta attactu cranii S. Sebastiani infunditur in varia dolia? 266. Et itidem pauxillum aquæ benedictæ attactu Reliquiarum S. Ignatii? 267. Quid censendum de mixtione oleorum, quæ Parochis mittuntur in hebdomade sanctâ? 268. 3

Quo sensu dicatur, hæc aut illa Indulgentia dari solis rebus *benedictis*? IV. 366.

Beneficiatus: Beneficium.

QUatenus Beneficiatus licitè Romam petat pro lucrando Jubileo? III. 18. An si ob morbum sua culpa contractum nequeat obire officia sui beneficii, teneatur ad restitutionem fructuum. V. X. 32. *& seqq.* An si sit Canonicus, debeantur ei nihilominus distributiones. 36. *& seqq.* Omnis Parochialis Ecclesia pleno jure unita monasterio est propriè beneficium Regulare. III. 199.

Benignè: Benignus.

BEnigniora sunt semper in dubiis præferenda, I. 76. Estque tutius ea præferre. 77. Rapiendáque occasio benigni responsi. 79.

Vis apparere Sanctus? Circa vitam tuam sis austerus, circa alienam benignus. 67.

Bernardus.

SAnctus Bernardus fuit architectus monasterii Lucellensis. V. L. 80. P. Bernardus Colnagus docet subitò duos sturnos articulatè dicere: JESUS Maria, JESUS Christus. V. XIX. 50. An fuerit idcirco promeritus præmiū apud Deum? *Ibid.*

Bibere: Bibitoriæ tabernæ.

BIbere delectabiliter an sit peccatum? V. I. 98. An bibere sit actus indifferens in specie? 105. An in individuo? 106. *& seqq.* Quid si quis bibat eo fine, ut naturæ necessitatem decenter sublevet? 113. Aut præcisè ad levandum dolorem provenientem ex siti? *Ibid.* Aut bibat ob solam voluptatem? 114. *& seqq.* Aut bibat idcirco tantùm, quia placet bibere? *Ibid.*

Bibens rogatu alterius in honorem alicujus

Sancti committit actum superstitionis. V. XXVI. 16. Bibere an liceat sanguinem pecudum, lixivium, & alia non destinata ad potum humanum? XXXI. 27. Quid si fraudulenter præbeatur alicui talis potus? 28.

Non est è bono publico habere in oppidis tabernas bibitorias. V. II. 2. Eas eliminavit Claudius Imperator *n.* 1. Vide alia verb. *Cauponæ.*

Blasphemia.

AN mortaliter aggravetur ebrietas, si quis se ideo inebriet, ut tanto animosius proferat in ipsa ebrietate verba blasphema? V. IX. 49. Quid si illa blasphemia sit tantùm levis? XIX. 38. An earum facienda mentio in Confessione? *Ibid.* Verba blasphema singulariter horrent Helveti. *Ibid.*

Bona.

1 BOna conjugum sunt triplicis generis. V. XXIV. 1. Mariti propria quæ? *Ibid.* Uxoris propria quæ? 2. Paraphernalia quæ? 2. An & quatenus peccet maritus abliguriens bona uxoris? 4. *& seqq.* Paraphernorum administratio spectat multis in locis ad maritum. 5. An quando spectat ad maritum administratio, possit ipse pro labore retinere fructus eorum? 7.

2 Bona conjugum communia quæ? V. XXIV. 3. *&* 14. An communia illa, quæ maritus lucratur suâ solius industriâ? 15. Spectandæ locorum consuetudines. 16. *&* 17. Quibus locis medietas bonorum spectat ad uxorem, peccat mortaliter maritus ea dissipando. 18. Non tamen si faciat sumptus superfluos sine magna profusione. 21. Quid de consuetudine Burgundiæ Ducatûs scribat Chassanæus? 22. *&* 23.

Uxor non tenetur jure communi relinquere marito administrationem bonorum propria industria partorum. V. XXIV. 25. At ubi talia bona accensentur communibus, peccat contra justitiam ea alienando. 28. Quomodo faciet restitutionem? 30. In multis tamen casibus fas est uxori usurpare inscio, vel inuito marito ea bona communia, quæ vel ipsa sola, vel etiam solus maritus comparavit. 32. *& seqq.*

Quæ bona competant uxori post divortium? V. XL. 1. Quid si divortium factum sit absque culpa uxoris? 2. Quid si culpâ solius mariti? 4. Quid si culpa uxoris ob adulterium? 7. Quid si est passa solum osculum, aut tactum mammillarum? 8.

Bonacina.

BOnacinæ authoritas non est attendenda in resolutione Casus, quo duo juncti primo, & secundo gradu impetrârant dispensationem matrimonialem non facta expressione primi gradus. V. XXXVII. 294.

Bonagratia.

PBonagratia Habsensis suam Summulam scripsit in gratiam PP. Capucinorũ. I. 141. Commendatur illa. *Ibid.* Profitetúrque se in ea selegisse opiniones ut plurimùm benigniores. *Ibid.* Refertur ejus sententia de translatione Indulgentiæ cum festo. IV. 313. *& seqq.* Et de Indulgentia Communionis Generalis participabili per viam Communicationis. 316. Et de tempore, quo possit sine jactura Indulgentiæ affixæ altari privilegiato esse in illius Ecclesia pauciores Sacerdotes, quàm septem. 520. Et de Regularibus tempore Jubilei confitentibus cuivis approbato. III. 226.

Brassica.

BRassicæ encomium V. II. 4. Cruda si sumatur ante potum, impedit ebrietatem. 3. 4. *&* 8.

Breve.

BReve Apostolicum propriè quid sit? III. 517. Quomodo differat à Bulla propriè dicta? *Ibid.*

Breviarium.

REcitans post Breviarium orationem præscriptam à Leone X. lucratur Indulgentiam defectuum commissorum. IV. 578. Quinam sint defectus commissi ex humana fragilitate? 579. Sitne illa oratio recitanda in fine totius Breviarii? 581. Quid si recitetur tantùm semel post Breviarium bis continenter recitatum? 583. An Indulgentiam promissam recitantibus ex libro Breviarium lucretur, qui non omnia omnino legit? 584. *& seqq.*

Bulla.

BUlla quid proprie sit? III. 516. *&* 517. Bullæ pro Jubileo Anni Sancti quando soleant expediri? 10. Quid generatim contineant, conferant, auferant, exigant Bullæ Jubilei? 11. *& seqq.* Quatenus eæ continent favorem sunt latissimè interpretandæ. 24. At strictissimè, quatenus continent gravamen. 27. Declaratur instantiis. *Ibid.* 1

Exhibentur ad longum in hoc opere quatuordecim Bullæ.

Prima, qua indicitur Jubileus Anni Sancti Tract. III. 2. *fol.* 81.

Secunda, qua suspenduntur Indulgentiæ in Anno Sancto. *fol.* 84.

Tertia, qua indicitur commune Jubileum extraordinarium. *fol.* 85.

Quarta, qua Jubileum Anni Sancti extenditur eodem Anno ad Moniales, & Eremitas III. *n.* 28.

Quinta, qua Regulares Apostatæ invitantur ad resipiscentiam. III. *n.* 32. *in Append.* 2.

Sexta,

Sexta, qua declarantur varia dubia circa Bullas Jubileas. III. 364. *in Append.*

Septima, qua communicatur Anno sequente Annum Jubileum ad instantiam Episcoporum gratia ejusdem Anni Sancti. III. 412.

Octava, declarans Indulgentiam Scapularis. IV. *n.* 454.

Nona, qua Sixtus V. impertitur Indulgentias religiosè pronuntiantibus duo sacratissima Nomina. IV. 603.

Decima, qua Clemens X. fecit Episcopis potestatem impertiendi agonizantibus Indulgentiam plenariam. IV. 632.

Undecima, Alexandri VII. abrogantis Indulgentias quinque Sanctorum &c. IV. 678.

Duodecima, Urbani VIII. inhibentis usum tabaci in Ecclesiis. V. XXXI. 6.

Decima tertia, continens dispensationem circa Matrimonia cum impedimento inita. V. XXXVII. 141.

Decima quarta, Urbeni VIII. abrogantis varia festa. V. XLV. 90. *& seqq.*

2 Comparantur inter se Bullæ antiquiores, & recentiores offerentes Jubileum Anni Sancti. III. 13. Et suspendentes Indulgentias in Anno Sancto. 39. Et loquentes de pœnitentibus pro Jubileo Anni Sancti, & extraordinario. 155. Atque de jejunio. 201. *& seqq.* Et de potestate Confessarii pro Jubileo. 244. *&* 250. Et de visitatione Ecclesiarum pro Jubileo. 125. Et oratione quadraginta horarum continuarum. 146. Et pro eleemosynis. 219. *&* 220. Et commutatione operum. 107. Et de Confessione. 155. *&* 161. Et de Communione. 178. Et de Indulgentiis. 184. Et de potestate Confessarii. 244. Et de Absolutione ab hæresi. 248. Et de tempore, quo incipiunt Indulgentiæ datæ pro diebus festis. IV. 565.

Bulla Jubilei nullum Confessarii defectum tollit, nisi jurisdictionis. III. 237. Et consequenter non ampliat approbationem. 235. Nec tollit Confessarii censuram, aut irregularitatem. 236. *&* 237.

3 Bulla Cruciata quid sit? IV. 416. Quantâ eleemosynâ comparetur? 418. Quinam possint illam obtinere? 419. Ea singulariter pupugit Lutherum. 420.

C.

Cantio.

CAntio turpis, an, & quatenus sit peccatum? V. XXIII. 198. Cantio turpis in Ecclesia non continet sacrilegium, si nemo audiat, seu intelligat. XLIX. 1. Secùs si audiatur, & intelligatur. 2. Quid censendum de iis, qui inter Missæ, aut Vesperarum solennia modulantur voce, organo, cheli, turpia, vana, profana? 3. *& seqq.*

Capitulum Cathedrale.

CApitulum Cathedrale ne quidem, sede vacante dat Indulgentias. IV. 71.

Capucini.

CApucini nequeunt judicè Bonagratia etiam tempore Jubilei eligere sibi Confessarium. III. 216. Quid in Capitulo Generali deciderint de diuturnitate temporis, quo sine jactura altaris privilegiati possint esse in Conventu Sacerdotes pauciores, quàm septem? IV. 520. Haud delinquunt, dum cibos lautos, qui ipsis offeruntur, comedunt. V. XXIII. 79.

Carcer.

CArceris nomine quid veniat? III. 29. An etiam navis, in qua mancipia remigantia sunt ligata? *Ibid.*

Cardinalis.

CArdinales quantas Indulgentias largiri possint? IV. 55. Quantas largiti sint decem Cardinales cuidam Ecclesiæ Diœcesis Augustanæ? 55. Non dant sede vacante Indulgentias. 71.

Carnes.

ESt per se nefas vesci crudis carnibus animalium. V. XXIII. 163. Non tamen mortale. 164. Imò nullum in iis locis, in quibus est receptus esus talium rerum. 166. Recensentur quædam particularia in hanc rem. 165. *& seqq.* Esus carnium non interdicitur quasi cibus natura sua immundus. V. XXIII. 116. Fas est quandoque vesci carnibus humanis. 124. Cur fuerit tam horribile visum, quòd in obsidione Jerosolymitana aliqua mater suum filium voraverit? 127. Utrùm adsit in extrema necessitate obligatio vescendi humanis carnibus? 128. Licitè in extrema necessitate illum, quem occidendi jus aliunde habes, perimis ut vitam conserves. 133. An si nequeat aliqua arx conservari nisi esu carnium humanarum, ille esus sit in præcepto? 134. *& seq.* Exemplum horrificum comedendis carnes humanas. 138.

Extra necessitatem extremam illicitum est vesci carnibus humanis. V. XXIII. 141. At etiam extra necessitatem extremam licet iis uti pro Medicina. 143. Casus uxoris prægnantis, petentis à marito licentiam amordendi, edendique frustillum è brachio. 144. *& seqq.* An licitè permittas alteri in extrema necessitate cadaver tui mancipii? 157. Aut occultè carnes humanas? *Ibid.* An licitè projiciantur canibus corpora Reorum? 161. Aut in mare cadavera mortuorum? 160.

Carnium esus nullus fuisset in statu innocentiæ. V. XXIII. 210. Et ante diluvium nullus aut rarus fuit earum usus. *Ibid.* Carnis nomine quid intelligatur, dum agitur de carnis prohibitione in die esuriali? 222. In dubio, utrùm aliquod animal constet vera carne quis erit judex? 223. Quid censendum de cibis conditis lardo, sagimine &c? 226. Consuetudines variæ circa esum talium. 227. Et nominatim in Germania. 229. An toties pecces mortaliter, quoties

ties die jejunii veſceris carnibus? 130. Utrùm ſi fregiſti jejunium ſemel edendo carnes, & ſemel ova ſub mortali vetita, committas diverſum ſpecie peccatum? 232. Non peccatur mortaliter edendo fruſtillum carnis. 233. Sicut nec à pauperibus edentibus die Cinerum reliquias carnium donatas à divitibus. 234. An carnes, & ova ſint vetita, quando tranſierunt in aliam ſpeciem? 235.

Carnium benedictio, benedictarúmque tractatio qualis? Vide Verb. Benedictio. *num.* 2. An quando Catholica uxor incitatur à marito ad edendas carnes diebus vetitis, poſſit ea facere divortium? V. XXXIII. 49. Quid ſi ipſe incitet in contemptum Religionis? 52. Quandonam licitè pareat mariti importunæ ſolicitationi ad talem eſum? 55. *& ſeq.* Et quandonam caupo Catholicus licitè miniſtret hoſpitibus? 59. Et quid ſi maritus adigat uxorem ad carnes ſecum edendas? 63. Quid ſi famulo apponantur carnes diebus vetitis? Vide Verb. *Famulus.*

Carthuſiani.

HI ſunt veri Monachi, Eremitæ, Anachoretæ, & Cœnobitæ. III. 29. Proponitur eorum Profeſſionis forma. *Ibid.* (& V. XXXI. 20.) Graviſi ſunt Jubileo conceſſo ſolis Eremitis, & Anachoretis. *Ibid.* Quantam clauſuram ſervent? 29. *&* 30. Non poſſunt tempore Jubilei confiteri aliis, niſi cum facultate peculiari. III. 226. Refertur factum Carthuſiani bibentis, in neceſſitate, ſanguinem ſui equi. V. XXXI. 18. Ipſi Patres Carthuſiani excuſârunt illud factum. *Ibid.* Carthuſiani non tenentur ex ullo voto abſtinere eſu carnium. 19. Sed ſolùm vi Conſtitutionum. 21. Referuntur graviſſimæ pœnæ ſtatutæ in veſcentes carnibus. 22. Aut eas porrigentes ſæculari intra clauſuram. *Ibid.* Eæ Conſtitutiones obligant ad mortale. 21. Et quidem in caſu neceſſitatis ab intrinſeco, non autem neceſſitatis ab extrinſeco. 25. *&* 26.

Cato.

MAlebat eſſe, quàm videri bonus. I. 2. Severitas ei dignitatem addidit. 64. Inter tria, quorum pœnituit ipſum, fuit hoc unum, quòd ſemel cœnaverit apud amicum. V. XXVI. 30.

Caupo: Cauponæ: Cauponari.

1 CAuponis percommodis abundat Germania. V. XI. 3. Quandonam teneatur cauponas vitare is, qui expertus eſt, ſe in iis ſæpe contraxiſſe ebrietatem, aliáque crimina? 4. Quomodo confitebitur, qui adiit vigeſies, at tantùm decies quater fuit oppletus vino? 5. Quatenus ſit peculiariter vetitum Clericis adire cauponas, & tabernas? 6. Quid Conſtantienſes Conſtitutiones ſtatuant circa Clericum frequentantem cauponas? *Ibid.* cuinam peculiariter ſit vetitum habere cauponam, & tabernam vinariam? 9. Canonici Zurzachenſes habent bis in Anno publicas cauponas. *Ibid.* Et Monaſteria in Germania ſæpe habent tabernas vinarias. 10.

An, & quatenus peccent caupones præbendo hoſpitibus vinum, quo ſunt ſe inebriaturi? V. XIII. 46. Quid ſi dubium ſit de ſecutura ebrietate? 52. Quid ſit cauponari verbum DEI? XXIII. 29.

Cauſa.

CAuſæ favorabilis Pauperi opinio debet præferri contrariæ. I. 204. Sicut & favens piæ. 195. Utrùm ſit idem jus de cauſa, & cauſato, & proinde an ſi peccat cauſa remota, peccet etiam proxima? II. 494. Cauſa propria quænam dicatur? V. XLII. 37. An cauſa communitatis cenſeatur eſſe propria ſingulorum membrorum illius communitatis, ita ut nequeant eſſe teſtes in illa cauſa? 38.

Cautio.

CAutio quid ſit? V. XXXIV. 40. Quid cautio idonea? *Ibid.* Alia eſt fidejuſſoria, alia pignoratitia, alia juratoria. 41. An, & quatenus ſit, aut non ſit ſufficiens, quando offertur de ſævitia non inferenda uxori? *Ibid. & ſeqq.* Singularis caſus, in quo judicarum fuit, nullam cautionem eſſe admittendam in cauſa ſævitiæ. 51.

Cenſura.

ABſolutio à cenſuris, quæ poteſt dari à commiſſario Pœnitentiariæ, extenditur ad illas ſolas cenſuras, quas quis incurrit propter inceſtum. V. XXXVII. 193. Et quidem non ad omnes omnino iſtas. 194. 1

Cereviſia.

AN cereviſia intelligatur prohibita, quando vinum eſt prohibitum? V. I. 8. Et ſingulariter quando eſt prohibitum ratione voti? IV. 11. An ſit Religioſis licitum cereviſiam coquere, ac vendere? XI. 11.

Certum.

ISta ſententia: *Tene certum, dimitte incertum* quomodo intelligenda? I. 160. Potes dicere pro certo ſcire id, quod nôſti ex ſolis conjecturis, & præſumptionibus à Jure probatis. V. XXVIII. 61.

Choreæ.

CHoreæ per ſe loquendo non continent ullam malitiam. V. XXIII. 201. Nec graviter vetitæ Regularibus inter ſe. *Ibid.* Laudandi tamen principes, qui eas prohibent. 202. Chorea eſt ſecundùm nonnullos circulus, cujus centrum eſt diabolus. *Ibid.*

Cibus.

Cibus.

1 PEr cibos lautos quid intelligant Theologi? V. XXIII. 75. *& ſeqq.* Quinam cibi, & potus in ſpecie annumerentur lautis? 76. Circa ciborum uſum inſignis ſententia S. Auguſtini. 83. Inſignis quoque Muſonii Ethnici. 85. Delicati quàm noxii ſint pueritiæ? 84. Etiam in vilibus cibis committitur peccatum gulæ. 98. Quomodo graphicè deſcribat S. Antoninus ex Alano ſtudium parandi cibos exquiſitos? 100. Non eſt per ſe peccatum exquiſitè condire cibos. 102. Quandonam peccetur veſcendo talibus cibis? 105. Uſum talium reprehendunt Patres. 108. Eſt peccatum per ſe edere cibos malè præparatos. 111. An imitandi Sancti, qui veſcebantur talibus? 112.

2 Lex naturalis, & eccleſiaſtica non prohibet ullos cibos tanquam ſuapte natura immundos, ſeu animâ inquinantes. V. XXIII. 116. Hæretici mentiuntur, aliquos cibos haberi à nobis pro immundis ſuapte natura. 117. *& ſeqq.* (Fabula alia Hæret. de 6000. infant. 120.) Quinam cibi fuerint vetiti ante diluvium? 210. Et cur illi? 212. An etiam in extrema neceſſitate? 213. Quinam fuerint in primitiva Eccleſia interdicti? 216. Quamdiu durârit illa prohibitio? 217. An ſi alicubi adhuc duret, obliget in conſcientia? 217. Quàm graviter obliget? 218. Declaratur vero Caſu. 219.

3 Quales cibi ſint vetiti die jejunii? V. XXIII. 221. *& ſeqq.* Et nominatim quomodo caro? 222. *& ſeqq.* Vide Verb. Caro. De ciborum Benedictione, Vid. Verb. *Benedictio.*

Ciſtercienſes.

QUa Indulgentia Ciſtercienſes donârit Sixtus IV? Tract. IV. 312. Et alios propter ipſos? 621. Et quomodo in articulo mortis? *Ibid.* Eorum privilegium circa ſuorum teſtimonia in cauſis etiam propriis. V. XLII 138. Et auditionem Sacri in eorum templis feſtis diebus? XLV. 34. Eorum Congregationes gaudent privilegiis Mendicantium. *Ibid.*

Citra.

CLauſula: *Citra* habet vim exceptionis in actu ſignato. III. 34.

Clauſula.

CLauſula poſterior an, & quatenus referatur ad antecedentia? III. 502. 503. 509. & IV. 692. 693. Clauſula: *Non obſtante* an, & quatenus deroget privilegiis? *Ibid.*

Clauſura: Clauſtrum.

CLauſura imperfecta an ſufficiat pro Jubileo oblato Monialibus perpetua clauſura mancipatis? III. 30. Pontifices non niſi vitricali amore proſequuntur Moniales contentas ſola imperfecta clauſura. *Ibid.* Qualis obſervetur in Germania? 32. *in App. lit. e.*

Clauſuræ nomine quid intelligant Carthuſiana ſtatuta vetantia permitti eſum carnium intra clauſuram? V. XXXI. 23. Quis Religioſus dicatur vivere extra Clauſtrum? IV. 342.

Clericus.

CLericis interdictæ ſunt peculiariter tabernæ. V. XI. 6. Et negotiari. 11. De quo vide plura infrà Verb. *Negotiari.* Cur eos peculiariter dedeceat ebrietas? XVII. 1. *&* 2. An mortaliter delinquant, ſi ſæpius quàm ter in uno prandio bibant, & quidem meracum? 5. Quæ pœnæ ſint jure Eccleſiaſtico ſtatutæ in Clericos ebrioſos? XXII. 1. *& ſeqq.* & Verb. *Pœna.*

Clericis, an, & qualia convivia adire ſit licitum, aut illicitú? V. XXVI. 12. *& ſeqq.* Peccant mortaliter, qui reditus profundunt in ſplendidas epulas. 40. Etiam illi Laici, qui eos invitant, laudant ipſos ſi renuant. 25. Vide plura Verb. *Convivium.* Clericus licitè alit filium ſpurium fructibus ſui beneficii, etiamſi ſit dives ex patrimonio, modò filius non habeat, unde ſe alat. XXVIII. 29. Tenetur & filiæ ſpuriæ dare dotem. 30. 2

Pater verberibus caſtigans filium Clericum in minoribus conſtitutum non incurrit excommunicationem. V. XXIX. 48. Secùs ſi filius ſit vel Epiſcopus, vel jam Sacerdos. 48. Vel in alio majore Ordine, *Ibid. & ſeqq.* Quid ſi etiam in ſolis minoribus conſtitutus verberetur iniquè? 51. 3

Clericis eſt vetita cohabitatio mulierum. V. XXXII. 22. Et ſecundùm noſnullos etiá matris, & ſororis. *Ibid.* Et omnis extraneæ, etſi optimæ famæ juxta Panormitanum. 23. Non debent habere niſi neceſſarias. *Ibid.* Et ex neceſſariis non niſi bonæ famæ. 24. Quis circa has in Germania mos? 23. Pœna ſtatuta in Clericum adulterum. 24. 4

Clericus contra Clericum poteſt eſſe teſtis. V. XLII. 111. Et etiam contra Laicũ. 112. At non in cauſa criminali. 113. Nec ſine facultate Epiſcopi. 115. Et in cauſa ſanguinis non poteſt niſi ad abſolvendum accuſatum. 117. 5

Cœmeterium.

IN favorabilibus cœmeterium venit nomine Eccleſiæ. III. 129. & 135.

Collatiuncula.

COllatiuncula veſpertina licitè ſumitur ſolito major pridie Nativitatis, quàm alias. III. 208. At nequaquam pridie Paſchatis, & Pentecoſtes. *Ibid.*

Collegium.

COllegium eſt quædam univerſitas. III. 475. Non habet animam, nec poteſt excommunicari. *Ibid.* Poteſt è tribus confici. *Ibid.*

Comeſſatio.

COmeſſatio propriè quid ſit? V. XXIII. 2. Non derivatur à verbo: *Comedo*, ſed à græco. 2. Non tam latè patet, quàm gula. *Ibid.*

Communicatio bonorum operum, & Indulgentiarum.

1 QUomodo hæc differat ab Indulgentiæ largitione? IV. 104. Per hanc communicationem obtinetur quintuplex bonum. 106. *& ſeqq.* Quod quidem participatur duplici modo. 110. Communicationem habent Sodales Annuntiatæ. 614.

2 Ordines Mendicantes habent inter ſe communicationem Indulgentiarum. IV. 550. Non tamen planè omnium perfectè. *Ibid. & ſeqq.* Singulariter non Portiunculæ. 558. Nec Doctrinæ Chriſtianæ. *Ibid. & 559.* Nec Communionis Generalis. 356. *&* 558. Nec Miſſionũ. 558. Nec tridui Bacchanalium. 558. Nec Circumciſionis. 560. Et generaliter non illarum, in quibus ex parte materiæ, & objecti ſtatuitur determinatus locus, aut Provincia. 559. Vel illarum, quæ conceduntur pro Feſtis Ordinum ſpecialibus. 560. Communicatio Indulgentiarum favet ſæpius Regularibus viſitantibus ſuas Eccleſias, quàm ſæcularibus viſitantibus eaſdem. 556.

Comæ.

COmam cur geſtet mulier? V. XXIX. 1. Et cur veletur, quando maritatur? *Ibid.*

Communio pro Jubileo, & Indulgentiis.

1 COmmunio expreſſè præſcribitur pro Jubileis. III. 176. Et ad eam pueri ſunt tunc faciliùs quàm aliàs admittendi. *Ibid.* Sacrilega ſufficit, & non ſufficit. 177. Sitne obeunda prima, an ſecunda hebdomade, pendet ex tenore Bullarum. 178. Deſcribuntur diverſarum diverſæ phraſes. *Ibid.* Referuntur Doctorum ſenſus de illis phraſibus. 178. *&* 179. Caſus, quibus una Communio ſufficit pro duobus Jubileis, aut Indulgentiis. 180. *& ſeqq.* Singulariter examinatur doctrina Patris Eſcobar de una ſufficiente pro feſto S. Ignatii, & Portiunculæ. 182. Singulariter declaratur, quo caſu poſſit, & non poſſit una Communio ſufficere pro Indulgentia Communionis Generalis, & pro alia. 184. *&* 185. Communio Menſtrua etiam pro Congregatione Roſarii debet obiri in Eccleſia PP. Prædicatorum. IV. 617.

Communio Generalis.

1 ORigo Communionis Generalis. III. 187. Breve Pontificium pro illa. 188. cur vocetur Generalis? 189. Ingens numerus communicantium Dominica præſcripta indicatur. 189. & 200. Indulgentia conceſſa pro ea, poteſt applicari defunctis. 188. *&* 190. Enumerantur conditiones requiſitæ pro ejus adeptione. 191. *&* 192. Applicans defuncto illam Indulgentiam non neceſſariò orat pro eo. 193. Poteſt ea obtineri orando unicum *Ave Maria* ad tres communes intentiones. 194. *&* 200.

Ea Indulgentia nulli vivo prodeſt in Anno 2
Jubileo. III. 196. Imò nec defunctis. 48. *lit. g.* Refertur Anonymi opinio contraria cum fundamentis. *lit. k. & l.* Non eſt verum, quòd fuerit conceſſa directè, & primariò in ſubſidium animarum. *lit. l.* Aut quòd fuerit à Germanicis Provinciis petita ad confirmandum articulum fidei de Purgatorio. *lit. m.* Referuntur ex Quintanadvenna nonnulla, quæ hic tradit tum de acceptione vocabuli *Menſis*: tum de prima, ſecunda &c. Dominica menſis; tum de ſignificatione *Eccleſiæ Societatis*, in qua debet celebrari ea Communio; tum de ſignificatione *Eccleſiæ Sæcularium.* 198. *&* 199. Poteſt eodem die in eadem urbe celebrari in 3
duabus Eccleſiis illa Communio. 198. Sicut teſte Quintanadvenna ſimul in templo Societatis, & Capella Collegii, vel Sacello ſuburbano. 198. Et præcepta precatio perfici in cubiculo, aclecto. 200. *in fin.* An autem veſperi præcedentis Sabbati? 200. *circa fin.* Nequit perfici in Eccleſia propriè Regulari. 199. Ut celebretur in Sæculari requiritur, & ſufficit licentia tacita Epiſcopi, vel Parochi. *Ibid.* An Indulgentia ei annexa poſſit obtineri per viam Communicationis? IV. 356.

An omne peccatum commiſſum die Communionis aggravetur circumſtantia mortalis? V. XLVII. 1. An ſaltem ebrietas? 2. *&* 3.

Communitas.

COmmunitas imperfecta non poteſt majorem pœnam inferre, quàm permittat perfecta. V. XXIX. 10. Familia eſt quædam communitas imperfecta. *Ibid.* 2

Commutare.

COmmutare ſuum votum in aliud æqualiter gratum DEO, poteſt quivis propria authoritate. III. 296. An, & quatenus Confeſſarii poſſint in Jubileo commutare vota? Vide Verb. *Opera. n. 3.* Quomodo vota? Vid. Verb. *Votum. n. 1.* 2

Concilia.

COncilia antiqua, & nova condiderunt maximam partem Theologi. II. 180. Concilium Tridentinum cur indictum? 180. Quanti fecerit judicium Theologorum? *Ibidem.* Quot Theologi interfuerint illi Concilio? *Ibid.* Quot Jureconſulti? *Ibid.* Quot Epiſcopi, Abbates, Generales Ordinum? *Ibid.*

Concio: Concionator.

NUlla lex graviter præcipit audire Concionem die feſto. V. XLV. 19. Nec poteſt ſepulturâ privari, qui non audivit Conciones paro-

parochiales. 21. Aut ab Epiſcopo excommunicari. 30. An mortaliter delinquat parochus, qui ſe inebriat, prævidens ſe ex intemperantia contracturum morbum, qui impediet à concionando? 35.

An, ſi concionator per intemperantiam cauſet ſibi morbum impedientem à concionibus peccet ratione hujus impedimenti cauſati mortaliter? V. X. 21. *&* 22. Singulariter parochus, XLV. 35. Quid ſi defectum ſuppleat per alium? X. 23. Quomodo tenetur talis confiteri peccatum ſuum? 25. An & quomodo teneatur compenſare? 26. An concionatores teneantur ſæpe invehi in ebrioſos? 46.

Concionator Ordinis Mendicantis poteſt ſuos auditores donare Indulgentiâ. IV. 561. Etſi concionetur extra Eccleſiam Ordinis. *Ibid.* Debet autem reſpectu aliquarum dicere, ſe eas concedere nomine Pontificis, reſpectu aliarum non item. *Ibid.* In utroque caſu concedit ipſemet propriè Indulgentiam. *Ibid.*

Confeſſarius.

1 CONfeſſarius quis dicatur benignus, quis rigidus? I. 1. *&* 2. Opinionem è practicè probabilibus tutiorem ſequatur reſpectu pœnitentis, quando poteſt. 54. Communiter tamen ſequitur licitè minùs tutam, minúſque probabilem. 58. Eſtque Confeſſarius communiter ſequens benigniora reſpectu ſui pœnitentis præferendus ſequenti communiter rigidiora. *Ibid.* Probatur authoritate Juris Canonici. 60. *& ſeqq.* S. Joannis Chryſoſtomi. 67. S. Thomæ. 130. Patris Bernardini Realini. 137. Ac S. Dominici. 140. Aliorúmque Theologorum. 133. *& ſeqq.* Nominantur plures alii. 140.

2 Confeſſarius eſt verus judex. I. 66. Non debet eſſe auſterus. 67. Confeſſarii olim rudes Canonum. II. 235. Quos tamen tenentur ſcire. 236. Deſcriptio Confeſſarii ex Navarro eſt ſimilis deſcriptioni Oratoris ex Tullio. 239. Quomodo poſſunt dici ſcire Canones? 182. Quàm olim indocti? 245. Confeſſarii ſingularis induſtria in examinanda intentione hypothetica proficiſcendi Romam pro Jubileo, ſi non obſtaret infirmitas, aut carcer. III. 31. & 32. Ut ſolidè reſpondeat ad interrogata in Jubileo, legat diligenter ipſam Bullam, aut Extractum. 166.

3 Sæculares omnes tempore Jubilei ſeligunt pro Confeſſario quemlibet approbatum. III. 225. *&* 364. *in Append. lit. c.* De Regularibus eſt adhuc lis ſub judice an omnibus omnino id liceat. 225. *&* 226. Quæ moderatio adhibenda? 226. Nominantur Regulares, quibus licet, vel non licet eligere. 226. Quid de Monialibus ſentiendum? 227. Confeſſarii tempore Jubilei poteſtas generatim. 238. *& ſeq.* Speciatim poſt tranſactum Jubileum. 243. Item circa cenſuras. 244. *& ſeqq.* Caſuſque reſervatos. 278. *& ſeqq.* Specialia de his, Vide Verb. *Abſolutio. n. 3.*

Quæ conditiones requirantur in Confeſſa- 4
rio eligibili per Bullam Jubilei? III. 228. Quid ſi approbatus ſit à ſolo Prælato Regulari? *Ibid. &* 229. Aut à ſolo parocho? 231. Quid ſi approbatus ab Epiſcopo, ſuſpenſus autem à ſuo Regulari Prælato? 232. Aut approbatus ſolùm in ordine ad aliquod genus hominum? 233. A quo Epiſcopo debeat eſſe approbatus? 234. Quid ſi Confeſſarius eligibilis ſit obnoxius cenſuræ? 236. Aut irregularitati? 237.

Confeſſarius legitimè electus pro Jubileo 5
poteſt ubique exercere ſuam poteſtatem. III. 239. Et ante, & poſt Confeſſionem, póſtque exactum tempus Jubilei. 240. Poteſt etiam is, cui non cogitas confiteri, exercere erga te poteſtatem commutandi. 241. Et impertiri tibi unam gratiam, alius aliam. *Ibid.* Quatenus poſſit etiam poſt Jubileum abſolvere ab iis, à quibus poterat tempore Jubilei? 243. *Dilucidè, & diſtinctè.* Quatenus itidem comutare. Vota? *Ibid.* An, & quatenus poſſit abſolvere à cenſuris, & caſibus reſervatis? Vide Verb. *Abſolutio.* Eſt delegatus Apoſtolicus. 345.

Quid aget Confeſſarius cum illo, qui vult 6
contrahere obnoxius impedimento? V. XXXVII. 69. Et ſingulariter quando dubitat, utrùm ſua admonitio ſit profutura, nec ne? 73. Aut quando dubitat, utrùm ſit profutura, an verò obfutura? 74. Practicè docetur Confeſſarius modum agendi cum ignorantibus impedimentum. 76. Quid ſi nôrit, pœnitentem ignorantem impedimentum nolle reddere debitum conjugale? 100. Quid ſi ſciat, gliſcere famam publicam de impedimento? 106. Quid ſi videat ſuam monitionem non profuturam hodie, ſed alio die? 109. Quid ſi pœnitens monitus paraturus ſit octo vel decem duntaxat fornicationes formales, at non monitus millenas materiales cum periculo ne denique innoteſcat impedimentum? 113. Quid ſi aperto impedimento una pars ſit factura divortium, altera autem peræge latura? 115.

Quando interrogatur à laborante ignoran- 7
tia impedimenti Matrimonii, caveat, ne plus reſpondeat, quàm interrogetur. V. XXXII. 126. Declaratur caſu. 127. Quomodo ſingulariter gerere ſe debeat circa conſenſum, quem dare deberet uxor putatitia, quando ejus maritus ipſâ inſciâ impetravit diſpenſationem impedimenti? 132. Quando elegiſti pro expedienda diſpenſatione aliquem Confeſſarium, ſi is ſit nimis rigidus, potes accedere alium. 167.

Confeſſio Sacramentalis.

COnfeſſionis Sacramentalis præceptum eſt 1
omnium novæ legis difficillimum. I. 103.

Confessio præcepta pro Indulgentiis debet ipsa fieri, si ponatur præcisè clausula: *omnibus sua peccata Confessis*. III. 152. Secùs si dicatur: *Pœnitentibus, & Confessis*. 153. Una Confessio quando sufficiat pro duabus Indulgentiis? 154. Casu quo pro Indulgentia exigitur, Confessio, non sufficit sacrilega. 156. Qui prima hebdomade Jubilei fecit Confessionem præscriptam, si in secunda labatur in mortale, non peractis omnibus operibus, sufficiet contritio. 157. Nec tenetur ille bis confiteri, qui in prima Confessione fuit oblitus peccatum mortale. 157.

Non conscius peccati mortalis probabiliter non tenetur pro Indulgentia confiteri: esto sit generatim verè præcepta Confessio. III. 158. Participium? *Confessis*, quomodo sit explicandū? *Ibid.* An quando præscribitur Confessio, nihil patrocinetur impotentia, vel ignorantia illius præscriptionis? 159. Confessus pro Jubileo, at oblitus alicujus mortalis, debet illud confiteri, vel si nequeat, debet abstinere Communione. 160. At si recordetur primùm post Communionem, sed nondum peractis operibus omnibus necessariis, non tenetur pro Jubileo iterum confiteri. *Ibid.* Potest autem Confessio peragi paulò ante inchoatum Jubileum. 161. An semper differri in tertiam Dominicam? 162. Non est necessariò præmittenda visitationibus Ecclesiarum. 163. Quid si Bulla dicat: *ante omnia confiteantur*? 165. Confessio aliquando exigitur ut opus injunctum, aliquando ut mera dispositio. 167. Nunquam est dicenda injungi ut opus injunctum, nisi fiat ejus mentio expressa. 167.

Confessio menstrua, quæ in Brevi dispensationum Matrimonialium injungitur à Sacra Pœnitentiaria, quomodo sit intelligenda? V. XXXVII. 213. Olim non imperabatur menstrua, at nunc imperatur. 214. Potest Commissarius injungere frequentiorem menstrua. 216. Et qui unam è menstruis negligit, peccat mortaliter. 222. Potest autem per unam menstruam satisfacere obligationi, qua fortè aliunde est graviter obligatus ad menstruam. 220. Commissarius pœnitentiariæ invalidè exequitur Bullam dispensationis occultæ, si non audiat Confessionem Sacramentalem. 176. Quid si autem talis non habeat conscientiam peccati mortalis? 178. & 256. Confessio mortalium jam semel legitimè Confessorum potest à Papa alicui injungi ex suppositione statûs, quem quis libere assumit. 181. An sacrilega Confessio officiat confitenti pro executione dispensationis? 187.

Confessio non Sacramentalis.

Confessio, quam facit Reus extortam per ebrietatem, aut simulationem veniæ dandæ, nihil ei præjudicat. V. XIII. 37. Extrajudicialis patrati adulterii an probet esse patratum? XXXII. 14. Quid si mulier in judicio deponat, se cum Cajo commisisse adulterium? 16. Reprobatur quædam praxis judicum. 18. Propria confessio facit plenam probationem in præjudicium confessi. 30. Extorta tamen per tormenta à judice, qui in notitiam criminis venit mediatè, vel immediatè ex revelatione Confessionis Sacramentalis, non nocet confesso. XLII. 196. Refertur hanc in rem Tragicus casus. 197. Elogia Confessionis propriæ. 199. Ea elogia habent locum tunc solùm, quando Confessio facta est servato ordine juris. *Ibid.* Quandonam non servetur ordo juris? *Ibid.* Quid si Confessioni illegitimè extortæ superveniant indicia sufficientia? *Ibid.*

Confessor.

Confessoris nomine intelligitur etiam omnis ille, cui potest quis confiteri. III. 241. & *in* IV. 626. Imò juxta multos quandoque omnis Clericus. *Ibid.* Et nominatim quando agitur de Indulgentia, vel absolutione ab excommunicatione impertienda à Confessore. *Ibid.*

Consanguineus.

Consanguineus non potest esse pro consanguineo testis contra non consanguineum. V. XLII. 64. An in causis civilibus? 65. Parentes, & liberi invicem adversùs se non admittuntur etiam volentes. 67. Nec adigi possunt ad id. *Ibid.* Nec in criminali, civilive causa potest pater pro filio, aut hic pro illo testificari. *Ibid.* Excipe tres casus. 68. & *seqq.* Consanguinei possunt generatim in causis civilibus consanguineorum inter se litigantium esse testes, quando adest par causa studii, & propensæ voluntatis. 73.

Frater nequit in criminalibus esse testis pro, aut contra fratrem. V. XLII. 72. Nisi in crimine hæresis. *Ibid.* Est tamen idoneus testis in causa testamenti fraterni. *Ibid.*

Conscientia.

Conscientia quid sit? I. 30. Est actionum Regula proxima. *Ibid.* Quod fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, *Ibid.*

Consiliarii.

Mirum Reginæ Hispaniæ pronuntiatum de suis Consiliariis Theologis, Juristis, Medicis. V. XX. 41.

Consuetudo.

Consuetudinem alicujus actionis vigere non probatur sufficienter judicio Doctorū habentium illam pro licita. I. 29. Consuetudine potest acquiri jus largiendi Indulgentias. IV. 78. Consuetudo cujusque loci interpretatur Indulgentias. 142. Consuetudo testatoris (& legislatoris) tenet primum locum inter septem signa, ex quibus petitur interpretatio verborum dubiorum prolatorum à testatore, vel Legislatore. IV. 669. Consuetudo quot actibus inducatur? 452.

Peccata quantumvis magna, & horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse videntur. V. VII. 8. Non est certum, quòd jurantes ex consuetudine, cæteris paribus, frequentiùs jurent sine advertentia, quàm alii, qui non habent consuetudinem. IX. 32. Sæpe fit, ut habitu præditus citius deliberet, quàm si habitum non haberet. *Ibid.* Consuetudinem habens proferendi in ebrietate verba perjura an teneatur confiteri hanc consuetudinem? XIX. 44. An autem, & quomodo confitebitur is, qui solet sobrius effutire etiam talia verba, sed inadvertenter? 45. Consuetudinem in civilibus non inducunt duo actus, sed in criminalibus. III. 364. *in Append. lit. oo. & Tract. V.* XXXIV. 29. Applicatur hæc regula singulariter marito, qui bis verberavit atrociter uxorem. *Ibid.*

Contemptus Religionis.

Quandonam censeatur aliquid suaderi, aut imperari in contemptum Religionis? V. XXXIII. 54. In nullo casu est fas parere mandato in contemptum Religionis. 52. Est autem quandoque fas obedire illi, qui contemnit quidem Religionem, & mandat repugnantia Religioni, mandat tamen ob commodum temporale. 55.

Continuò.

Quidnam in jure dicatur, & censeatur fieri *Continuò*? IV. 520.

Contractus.

Oberatus nequit inire contractum per quem fiat impotentior ad solvenda debita priora. V. XXIV. 12. Ebriorum contractus sunt irriti. XXV. 2. Consequenter & Matrimonia irrita. 4. Sicut & fuit irrita permissio nubendi, quam filiæ dedit pater ebrius. 5. Et qui ab ebrio est aliquid lucratus, vel ab eo aliquid accepit, tenetur restituere. 11. Contractus particulares censentur facti juxta Communem rationem legum, nisi aliud exprimatur. V. XXXVIII. 6.

Convivium.

Convivia an sint Christianis omnibus interdicta? V. XXVI. 1. & 2. Qualia debeant esse juxta S. Gregorium? 2. An non sint vetita saltem in quadragesima? 4. Quid si durent quinque horas? 6. Clericis an sint vetita convivia? 12. An saltem illa, quæ celebrantur in exequiis defunctorum? 14. Aut illa, quæ celebrantur ex symbolis? 22. Aut quæ sunt nuptialia? 23. Frequentatio conviviorum est hac ætate à toto genere illicita. 28. An toleranda consuetudo, qua ab antiquioribus Canonicis retinetur pars redituum spectantium ad novos Canonicos, ut inde paretur convivium? 32. Convivia sumptuosa damnantur à sapientibus. 33. Incommoda orta ex iis. 34. Singulariter Clericis interdicuntur. 36. Atque Regularibus. 42. & *seqq.* Explicatur Bulla Urbani VIII. Quatenus vetat Regularibus convivia sumptuosa. 43. & *seqq.* Pœnæ statutæ in Religiosos splendida convivia instituentes. 61. Vide alia Verb. *Regularis. n. 9.* Quàm diversa sint horum temporum convivia à priscis? 66. Recensentur nonnulla antiqua miræ parsimoniæ. 67.

Copula.

Copula carnalis est permissa etiam illi marito, qui nequit alere suos liberos. V. XXIV. 13.

Corona.

Quid intelligatur per *Coronam Christi*? IV. 410. Quid per *Coronam Dominæ nostræ*? 411. Quid per *Coronam* absolutè, & sine additō? 413. Non peccat mortaliter, qui jussus dicere Coronam omittit paucula Ave Maria. 415.

Crapula.

Crapula quid sit. V. XXI. 18. Ea non est ex se crimen lethale. *Ibid.* Quomodo vocetur à Germanis? *Ibid.*

Crimen.

Crimen mixti fori quid sit? V. XXXII. 41. Crimen exceptum quod? XLII. 45. Quot? *Ibid.* Paria crimina tolluntur compensatione. 50.

Crux.

Crux intelligitur etiam nomine imaginis. IV. 702. Caravacensis an fracta amittat Indulgentiam? 387. Quanta debeat esse fractura? 390. & *seqq.* Crucis Caravacensis Indulgentiæ sunt fictitiæ. 705. Et puniendi, qui vendunt tales Cruces. *Ibid.*

An Indulgentiæ applicabiles solis imaginibus possint etiam applicari crucibus? IV. 702.

Cubiculum.

Cubiculum Monasterii an etiam intelligatur nomine Ecclesiæ adhærentis Monasterio? III. 135.

D.

Debitum Conjugale.

Debitum conjugale quatenus uxor licitè neget ob sævitiam in se exercitam? Vid. Verb. *Sævitia.* Quatenus propter exercitam in liberos? V. XXXV. 7. Quatenus ob vitandum detrimentum in bonis fortunæ, vel famæ? 9. Quatenus ob metum morbi contagiosi? XXXIV. 59.

Decani.

Decani apud Religiosos quinam dicantur? III. 32. *in App. 2. lit. aa.* Eorum potestas, & jurisdictio. *Ibid.*

Declaro.

VIs verbi; *D. claro*, quanta sit? III. 364. *in App. lit. ee.* & IV. 328.

Decretales: Decretum.

DEcretales, & Decretum Gratiani quid sint? V. XVII. 6. Quæ eorũ obligatio? *Ibid. & seq.*

Definitio.

DEfinitio est principium dissertationis de quacunque re, II. 83. Naturam rei explicat. 84. Omnis definitio in jure est periculosa. 108. Non omnes planè definitiones rerum moralium allatæ à Theologis reciprocantur cum definito. V. XXXI. 16. Sunt tamen accuratiores communiter, quàm Jureconsultorum. *Ibid.*

Defunctus.

Vide Verb. *Mortuus.*

Delectatio.

AN bibere ob solam delectationem sit actus indifferens? V. I. 76. *& seqq.* An etiam sit actus honestus? 86. Quid si quis utatur copula conjugali itidem ob solam delectationem? 96. An bibere delectabiliter sit peccatum? 98. Quid intelligatur per delectabiliter bibere? 101. Talis est delectatio, qualis operatio. 102. Et delectatio perficit operationem. 103.

Delictum.

ACtus qui potest sonare in delictum, & non delictum, semper interpretatur ut absit delictum. V. L. 21. Et ubi alia conjectura sumi potest, non est delictum præsumendum. *Ibid.* Vide etiam Verb. *Geminans delictum.*

Denuntiator.

POtest idem esse denuntiator & testis in denuntiatione Evangelica, etsi sit causa magni momenti. V. XLII. 257. At in denuntiatione judiciali nequit, nisi in rebus parvi momenti. *Ibid.*

Detractio.

AN scientes, se solere in ebrietate aliis detrahere, admittant duplicem malitiam inebriando se? V. XIX. 27. An graviter detrahat, qui coram aliis dicit, se audivisse ex Cajo, quòd Titius commiserit grave furtum? 28.

P. Dicastillo.

P. Joannis de Dicastillo lingua mutilata, est redintegrata. V. XXIII. 148. Fuit destinatus Patriarcha Æthiopiæ. *Ibid.*

Discere.

DIscere à seipso est nobilissimus modus discendi. II. 352. Referuntur ex Aristotele carmina in hanc rem. 353. Nominantur, qui ex se multa didicerunt. 355. *& seqq.*

Disciplina.

DIsciplina Religiosa in quo consistat? I. 178. Ejus immoderatus rigor reprehensus à S. Ivone. 179.

Discretio.

DIscretio Confessarii circa commutationem operum præscriptorum in Jubileo in quonam consistat? III. 459.

Dispensatio.

DIspensatio propriè quid sit? III. 284. Quomodo differat à commutatione? *Ibid.* Dubium de valore dispensationis an tollat hujus usum? 32. *in App. lit. nnn.*

Exhibetur commune Breve Dispensationum Matrimonialium pro foro interno. V. XXXVII. 141. Differt hoc recentius Breve ab antiquioribus. 142. Et quidem in octo articulis. 143. *& seqq.* Nemo explicat omnes illius clausulas. 152. Quinam potiores? *Ibid.* Explicantur autem hìc omnes sigillatim *à num.* 154. *ad* 276. Pleræque omnes exprimuntur in hoc Indice sub propriis Verbis. Quæritur etiam, utrùm is, cum quo est dispensatum, possit dissoluto per mortẽ compartis Matrimonio, transire ad aliud? 277. Et quid designet particula: *Gratis ubique?* 279. Et refertur ex Filliucio, quid sit exprimendum in literis, quibus petitur dispensatio? 280. Et quomodo sint practicandæ doctrinæ de explicandis clausulis? 286. Refertur casus dispensationis matrimonialis invalidæ. 290. Ideo fuit invalida, quia non erat expressus primus gradus affinitatis cum secundo. 291. Demonstratur, posse aliquos esse junctos gradu affinitatis primo cum secundo. *Ibid.* S. Pius V. declaravit, quòd nunquam dispensare intendat in primo gradu. 294. Dispensationis matrimonialis literas aperiens si non sit Doctor, non reddit eas nullas. 157.

Divortium.

DIvortium ob adulterium mariti potest etiam uxor facere. V. XXXII. 47. Fit autem quoad torum & cohabitationem duntaxat. 49. Compensatione mutua tollitur. 50. Sicut & condonatione. 52. Quomodo censeatur esse condonatum? 53. Divortii jus est concessum in gratiam partis læsæ. 54. Non tamen potest semper condonari adulterium. 57. Quatenus possit propria authoritate fieri divortium ob adulterium? 59. *& seqq.* Non est licitum ratione adulterii, nisi adulterium ipsum sit verè patratum. 62. Aut habeantur violentæ de eo patrato præsumptiones. 63. Debet probari per testes omni exceptione majores. 64. Et non singulares. *Ibid.* Quibus tamen testibus non est uxori opus, quando uxor alìunde est certa de adulterio mariti. 65. Quando uxor litigat cum marito de adulterio, debet hic facere sumptus. 69.

Divortium etiam quoad torum, & cohabitationem est faciendum, quando cognoscitur adesse impedimentum dirimens. V. XXXIII. 1. Quandoque tamen possunt convivere, sicut frater, & soror. 5. Sunt quatuor casus, quibus oportet facere divortium. 6. Quomodo ratione hæresis? 8. *& seqq.* (Vide etiam Verb. *Hæresis,*) Quatenus oporteat, aut liceat facere divortium ob scelera alterius partis? 37. *& seqq.* Quid si maritus nequeat uxorem emendare nisi ad tempus divertendo ab ea? 39. Aut hunc illa? Quid si una pars alteram in peccata inducat solùm indirectè subministrando occasionem peccandi? 41. Quid si pars innocens solùm probabiliter timeat, se reipsa consensuram pertractioni ad malum? 48. Quid si inducatur ab ea ad blasphemias, & maledictiones quotidianas? 69. *& seqq.* Quid si cohabitatio sit periculosa uxori non ob culpam mariti, sed alterius? 74.

3 An quando uxor videt, se tentatis omnibus mediis emendationis nil proficere, sed succumbere tentationibus, quas improbitas mariti suggerit, & ipsa una cum Confessario judicat, se identidem consensuram, si diutius cum eo maneat, teneatur divertere ab eo, si divortium sit ipsi allaturum periculum vitæ? 77. Divortium factum ob animæ periculum quamdiu duret? 87. Doctrina de licito divortio ob causas diversas ab adulterio, quomodo concordet Evangelicæ doctrinæ? 88. Divortium licitum quoad cohabitationem non semper est licitum quoad torum, & vice versa. XXXV. 23. Quando agitur de divortio quoad vinculum, solus Ecclesiasticus judex est competens. XXXVI. 2. Casus hanc in rem. 3. Quid si quoad torum in causa adulterii? 6. Aut sævitiæ, hæresis, seductionis, morbi contagiosi? 7. Divortium ob sævitiam quatenus sit licitum, Vid. Verb. *Sævitia, n.* 1. Quatenus licitum ob morbum conjugis, Vid. Verb. *Morbus.* An divortium sit marito permissum propter uxoris frequentem temulentiam? V. XLIV. 1. Quid si medici judicent, ejus intemperantiam esse in causa, cur vel nullam, vel non nisi defectuosam prolem edat? 3. Certè maritus non tenetur reddere debitum tali uxori. *Ibid.* A quo, & ubi alendi sint liberi, & uxor post divortium, Vid. Verb. *Alere.* An, & quatenus uxor post divortium amittat bona, & dotem, Vid. Verb. *Bona.* An, & quatenus post divortium possit alterutra pars ingredi Religionem, Vid. Verb. *Regularis. n.* 10.

Dolus.

DOlus alius est bonus, alius malus. V. L. 62. Malus juridicè quis? *Ibid.* Bonus quis? 63. An dolus bonus juridicè sit censendus bonus Theologicè? *Ibid.*

S. Dominicus.

SAncti Dominici insigne monitum de relaxando rigore, & asperitate in Consiliis. I. 340. S. Dominici festum cœperunt festivè celebrare Mediolanenses: sed destitêre ex mandato Papæ, V. XLV. 132.

Dominica dies.

DOminicus dies est initiativus sequentis hebdomadæ, & terminativus præcedentis. III. 162.

Dominicus Sotus.

DOminicus Sotus quas sententias fuisse à S. Thoma revocatas scribat? II. 216. Quid senserit de Summa S. Thomæ? *Ibid.* Suum librum de justitia edidit mandato Superiorum. 265.

Domesticus.

DOmesticus contra extraneum nequit pro suo domestico testificari. V. XLII. 160. Excipiuntur aliqui casus. 161. *& seqq.* Explicatur ille, quo veritas non potest haberi nisi per domesticos. 165. Quisnam propriè dicatur domesticus? 166. Domestici nomine intelligitur familiaris. 169. An valeat domestici pro domestico testimonium contra domesticum? 173. An possit cogi ad dicendum testimonium contra domesticum? 174. Refertur Casus, quo Religiosus pro domestico Religioso testificatus est contra Laicum. 175. Quando definis esse domesticus alicujus, potes testificari de rebus gestis eo tempore, quo eras domesticus. 179.

Dos.

EJus usus fructus spectat ad maritum cum administratione. V. XXIV. 9. Proprietas remanet penes uxorem. 10. Quæ eam à marito repetet, si maritus vergat ad magnam inopiam. 11. An indotatam teneatur alere maritus? 12. An obæratus possit ducere uxorem indotatam, & expertem omnis artis? 12. In lite de dote quis sit judex competens? XXXVI. 10. *& XXXVII. 7. & seqq.* Maritus tenetur dotem reddere uxori discedenti ab eo propter sævitiam. XXXIV. 53. An, & quatenus uxor amittat dotem & alia, si fiat divortium sine, aut cum ejus culpa, Vid. Verb. *Bona.*

Dubium.

AN in dubio sit necessariò sequenda tutior opinio? I. 156. Dubium vocatur in jure etiam illud, de quo extant opiniones utrinque probabiles. 83. *& seqq.* Et illud vocatur dubium, quod non est certum. 87.

Duellum.

DUello quàm ingens multitudo Gallorum ceciderit intra triginta Annos? V. XVIII. 5. Duello decertantes vocantur Latrones. *Ibid.* Extinctus in duello quatenus privandus sit sacra sepultura? L. 29. *& 30.*

E.

Ebrietas.

1 QUotuplex sit ebrietatis significatum? V. v. 1. Ebrietatis nomen derivatur à Bria. 3. Differentia inter ebrium, & ebriosum. 4. Et inter ebrium, & temulentum. 6. Ebrietatis descriptio ex S. Augustino. 7. Ex S. Petro Chrysologo. 8. Et communis ex Theologis. 9. Ebrietas propriè, & Theologicè involvit excessum potûs ob voluptatem sumpti. 12. Nec est quæstio de solo nomine, inter illos, qui ajunt, esse propriè ebrium eum, qui rationem exturbat nimio potu sumpto non ob voluptatem, sed alia de causa justa, vel injusta. 13. Ebrietas materialis communissimè vocatur absolutè ebrietas. 16. Cur ebrietas vocetur violenta privatio rationis? 17. Quomodo confitebitur, qui se inebriavit non ob voluptatem, sed alia de causa? 13.

2 Utrùm ebrietas sit propriè dicta species gulæ? V. VI. 1. Utrùm hoc scire intersit rei moralis? 3. Qui negârint ebrietatem esse peccatum? 5. Qui esse peccatum mortale, si non sit assidua? 6. *& seqq.* Non foret hæreticus, qui negaret, unam, alterámve ebrietatem voluntariam esse crimen lethale. 12. Eam esse crimen lethale probatur authoritate divinæ scripturæ, & Patrum. 14. *& seqq.* Quibus rationibus naturalibus probetur, ebrietatem esse crimen lethale? 18. *& seqq.* Ejus malitia in quo non sit per se, & integre sita. 26. *& seqq.* In quo sit ergo per se sita? 36. An, ut sit mortaliter mala sufficiat rationem exturbari ad breve spatium? 37. Quid si suppetat alicui pulvis, quo possit statim expellere ebrietatem? 41. Ebrietas facit hominem bestiis similem. 21. Sententiæ hanc in rem ex SS. Basilio, & Chrysostomo. *Ibid. &* 22. Ea tamen non est omnium peccatorum gravissimum. VII. 3. Licèt sit omnium post libidinem fœdissimum. 1. Et summè exprobrabile. 1. Atque gravius furto. 4. Cur apud aliquas gentes non censeatur esse turpe peccatum? 6.

3 Ebrietatis causa physica quæ? V. VIII. 1. Moralis quæ? 3. Ut sit indirectè voluntaria quid requiratur? 4. Quomodo diversi authores loquantur de modo, quo ebrietas indirectè voluntaria evadit in malam mortaliter, vel venialiter? 7. *& seqq.* Illi conveniunt generaliter in eo, tum quòd qui vel nunquam, vel rarò se inebriavit, si antequam se inebriaret non putavit se inebriatum iri, non peccârit mortaliter se inebriando; tum è diverso, quòd qui assiduè inebriatur, etsi dicat, se non advertisse periculum ebrietatis, sit nihilominus censendus habuisse sufficientem periculi advertentiam. *Ibid.* Quis generatim dicendus sit sufficienter advertisse periculum ebrietatis, cum biberet? 20. Quis non censeatur satis advertisse? 21. *&* 22. Etiam solitos se inebriare nonnunquam rationabiliter prætexere inadvertentiam probatur clarâ instantiâ. 23. *&* 24. Quomodo practicè se geret Confessarius respectu soliti se inebriare, attamen addentis, duas ex suis ebrietatibus non fuisse prævisas à se? 29. *& sqq.* Quomodo respectu inebriantis se rarò? 29. Quis inter Germanos opifices censeatur rarò inebriari? 29. Quo momento temporis committatur internum peccatum ebrietatis? 31.

An mortaliter peccet, qui bibit, prævidens, 4 ebrietatem adfuturam primùm post duas horas? V. VIII. 32. Quid si solus aër, ad quem progreditur, sit futurus causa, ut ratio turbetur? *Ibid.* An talis teneatur sub mortali manere loco clauso? 37. An delinquat mortaliter, qui tantum bibit, quantum sufficit per se ad inducendam ebrietatem, at impedit per vomitum, ne sequatur reipsa ebrietas? 38. An talis teneatur regerere, quod intemperanter ingessit? 46. De peccatis, & malis, quæ in ebrietate ipsa sequuntur, Vide Verb. *Peccatum.*

Ebrietatis durantis, & præteritæ Effectus mali.

5 AN ebrietatis durantis effectus mali sint vocanda peccata? V. IX. 1. *& seqq.* Et confitenda? 12. *&* 21. *& seq.* Vide alia, & varia toto illo *Cap.* 9. Et Verb. *Peccatum.* Quotuplex peccatum admittat, qui se inebriat sciens, se solere alios verberare in ebrietate? XIX. 1. Aut alia mala contra justitiam patrare? 2. Quid faciendum tibi, si ebrius te petat stricto gladio? 4. Et singulariter si credas, illum esse in statu peccati mortalis? 5. Quid si autem ille ebrius sit tuusmet Princeps, aut parens? 6. Quid si fugiendo incurreres magnam ignominiam? 7. Quid censendum de peccatis contra castitatem patratis ab ebrio, Vide Verb. *Libido n.* 2. Quid de verbis contumeliosis: detractoriis: perjuris, Vide Verb. *Verba.* Quid de revelantibus secreta, Vide Verb. *Secretum.*

Quæ mala relinquat post se ebrietas? V. X. *Per totum.*

Ebrietatis divisio, & signa.

6 EBrietas juxta Jureconsultos est triplex: Levissima: Levis: & Magna. V. XXI. 13. Theologi statuunt duplicem. 14. Semiebrietas non est mortaliter mala. 15. Ebrietas præsumitur, & non præsumitur in dubio. 20. *&* 21. *ac* 22. Refertur Casus Forensis, in quo fuit decisum, fuisse pro ebrio habendum quendam homicidam. 23. Ebrietatis signa statuta à Theologis. 3. *& seq.* Et à Jureconsultis. 8. *& seq.* Et Medicis, ac Philosophis. 12. Ebrietas est difficilis probationis, & ideo probanda est ex signis, & conjecturis. 9. Inter cætera signa est, si quis ita mente alienatus est, ut ea faciat, quæ antea semper cavit, quíque id agit, quod extra illam mentis alienationem nunquam fecisset. 4. *&* 11. Quatenus præsumatur ille esse ebrius, qui non meminit factorum tempore temulentiæ? 3. Aut qui nequit rectà incedere, cuíque domus verti videntur? 5. *& seq.* Aut cui lingua titubat, vel oculi duplicia aspiciunt? 6. *&* 7. Ebrietas est insania voluntaria. XXV. 2.

Ebrietatis circumstantiæ & antidota.

VEneri, & Baccho convenit; duo ista dæmonia conspirata, & conjurata inter se sunt, ebrietatis, & libidinis. V. XLV. 117. An malitia ebrietatis aggravescat mortaliter ex circumstantia die Parasceves, in quo committitur? XLVI. 1. Aut Sacræ Communionis eo die perceptæ? XLVII. 1. Quid si immediatè post Communionem contingat? 2. Quid si post prandium? 5. Est hic facienda distinctio inter Germanos, & Italos. 5. Quid si committatur in ipso templo? XLVIII. 2. Quibus remediis utetur Magistratus ad eliminandam ebriositatem? XXII. 19. *& seqq.* Quænam physica antidota adhibenda sint, ut impediatur ebrietas? LI. 3. *& seq.* An, & quatenus ea sint licita? 11. An etiam præcepta? 12. Quænam singulariter adhibenda in ipso potu, aut sessitatione ad mensam? 21. *& seq.* Quænam post nimium potum jam sumptum prosint ad impediendam rationis turbationem? 44. *& seq.* Quæ sint ebrietatis remedia moralia? 52. *& seq.* Et singulariter qualia Confessarius debeat præscribere ebriosis? 70. *& seq.* Remedium ex S. Augustino. 93. Ebrietas commissa die festo an contrahat specialem malitiam exprimendam in Confessione? Vide Verb. *Festum. n.* 2. An si impediat auditionem Sacri? Vide *Ibid.* Quid si Concionem? *Ibid.*

Ebrius.

EBrii comparantur furiosis, phreneticis, & infantibus. V. XIX. 61. An possint contractus inire? Vide Verb. *Contractus.* An mala, quæ committunt imputentur eis ad culpam? IX. 44.

Ecclesia.

ECclesia nunquam deficit in necessariis. II. 147. Occidentalis habuit seriùs quàm Orientalis publicos Professores Theologiæ. 156. *&* 159. Ecclesiæ Romanæ quomodo aperiantur pro Jubileo Romano? III. 10. Quomodo claudantur? *Ibid.* Quomodo sint visitandæ pro lucrando Jubileo? 23.

Ecclesiarum visitatio.

1 ESt, & non est necesse pro Jubileo visitare Ecclesias præscriptas. III. 125. Est, & non est satis visitare aliquod oratorium loco Ecclesiæ. 126. Quomodo sint visitandæ? 127. Quid si visitentur principaliter ob recreationem? 128. Quid si ex solo cœmeterio sine ingressu in Ecclesiam? 129. Quid si præscribatur visitatio aliquot altarium? 130. Quomodo sint ea visitanda? 131. Quid si bis in die visitetur Ecclesia, quæ jubetur visitari duobus diebus? 132. Vicinus Ecclesiæ æquè lucratur Indulgentiam Jubilei ac remotus. 132. Visitans sæpius Ecclesiam, an & quatenus lucretur sæpius Indulgentiam? 133. *& seq. distinctè.* Visitat sufficienter Ecclesiam, qui facit in ea Sacrum. 458.

Ecclesiæ nomine in favorabilibus intelli 2
guntur juxta Quintanadvennam etiam Oratoria pro celebratione Missarum approbata; Monasterium, cui juncta est Ecclesia, Atrium Monasterii, Valetudinarium, aut Cubiculum, in quo æger Religiosus communicat, Eremitoria, & illa etiam Oratoria, quæ sunt extra urbem, & spectant ad Ecclesiam, cui principaliter, & directè concessus est favor. 135. *&* 136. Ubi plura in hanc rem.

Nomine Ecclesiæ Monasterii A. intelligi 3
potest etiam Oratorium existens in prædio illius Monasterii juxta Quintanadvennam. III. 198. Sicut & aula Gymnasii. *Ibid.* Per Ecclesias sæcularium quid intelligat Quintanadvennas? 199. Quæ Ecclesia Parochialis sit verè beneficium Parochiale? 199. Edere & bibere in Ecclesia etiam extra necessitatem non est grave peccatum. V. XLVIII. 2. At est, si in ea instituatur symposium. 3. Quid si instituatur in odæo? 6. In primitiva Ecclesia celebrabantur innoxiè convivia in templo. 9. Cur Apostolus reprehenderit Corinthios id factitantes? *Ibid.* Quamdiu durârit ille mos? *Ibid.* Quantum peccetur canendo lasciva in Ecclesia, Vide Verb. *Cantio.*

Edere: Esus.

CAsus Confessarii suo exemplo excitantis 1
infirmum ad edendum. V. XXIII. 191. Quid si nequivisset ille Confessarius excitare nisi edendo in quadragesima jusculum ex carnibus? 192. Quomodo peccetur edendo *Præpropere: Lautè: Nimis: Ardenter: Studiosè?* 55. *& seqq. distinctè.* An liceat edere carnes humanas, aut bestiarum crudas, Vid. Verb. *Caro.* Qualiter peccetur dando per fraudem talia alteri nescienti? XXIII. 158. Quàm graviter peccent, qui edunt carbones, cretam, ceram, sævum, ungues, & alia non destinata ad esum? 168. Quid si adsit magna concupiscentia edendi talia? 169. Aut absit concupiscentia illa? 170. Quid si quis alteri ignoranti det talia edenda, citra tamen ejus grave incommodum? 172. An si nequeat vita conservari nisi esu talium rerum, teneamur edere? 176. Quid si præfectus arcis juravit, se fore les, & mures esurum priusquam arcem dedat pressus fame? 177. Unde proveniat dentium pruritus

in cibos innaturales? 179. Refertur hanc in rem Casus rarus. 181. Quatenus peccetur edendo cibos noxios valetudini? 183. Quænam censeatur hîc gravis invaletudo? 186. Referuntur quatuor causæ, ob quas licitè edantur talia. 187. & 188.

Eleemosyna.

1 ELeemosynæ largitio non præcipitur in Jubileo non potentibus eam dare, ideo non indigent commutatione. III. 211. & 214. His non potentibus non sunt accensendi omnes victitantes labore diurno. 215. Frustillum panis, pyrum, aut nux sufficit pauperi pro eleemosyna, quàm alius ejus etsi ignorantis nomine dat, esto non ratificet postea. 216. Eleemosynam non largiente patrefamilias, illicitè clam eo dat ex ejus bonis pro Jubileo eleemosynam famulus. 217. An uxor? *Ibid.* Eleemosyna spiritualis non sufficit pro Jubileo. 218. At sufficit opus quodlibet eleemosynæ corporalis, ut visitatio ægri. *Ibid.* Adeóque communiter obolus. 219. Nisi Bulla dicat, (quod rarò dicit,) eleemosynam esse dandam, quanta pro sua cuique facultate visum fuerit. 220. Qualem eleemosynam dare possit Regularis, Vide Verb. *Regularis. n.* 3. Dubium est, an lucretur Jubileum herus, qui mandavit quidem dari eleemosynam pro Jubileo, at data non fuit. 221. At lucratur, qui bona fide dedit ficto pauperi. 222. Aut juxta Bullam *Clementis VIII.* qui loco Religioso. *Ibid.* Sufficit quocunque die duarum hebdomadarum detur eleemosyna, etsi ejus mentio fiat in Bulla post omnia alia opera. 224. Quid si renovaretur Bulla Sixti V. statuentis pro triplici jejunio triplicem eleemosynam? *Ibid.*

Episcopus.

1 EPiscopus debet esse Theologus, & Theologiam posse docere. II. 155. Episcopi erant jam olim judices causarum etiam civilium. 167. & 170. Ascisebant ad ea judicia Presbyteros & Diaconos. 172. De Episcopis Hispaniæ quid scripserit olim Pelagius Alvarus? 137. Quid de sui temporis Episcopis senserit Thomas Morus? 245. Et de sui scripserit Eckius? 442. Eligendus in Episcopum debet esse potiùs Theologiæ peritus, quàm Juris. 421. Episcopo necessaria est Theologia. 422. Quantam scientiam in eo requirant Canones? 423. & 424. Et examinatores requirere debeant? 425. Antiqui Episcopi fuerunt peritiores Theologiæ, quàm Jurisprudentiæ. 431. Episcopi functiones primariæ quæ? 434. & *seqq.* Quid si non sit par obeundis simul functionibus requirentibus scientiam Theologiæ, & Juris? 441. Laymanni judicium de scientia requisita in Episcopo. 457. & 458. De Episcopi Vicario, Vide Verb. *Vicarius.*

In quinquaginta casibus Episcopo subsunt Religiosi etiam exempti. III. 32. *in App.* 2. *lit. bb.* An idcirco possint in favorabilibus venire nomine *Superiorum* respectu Religiosi? *Ibid.*

2 Episcopo non licet communiter peregrinari absque licentia Papæ. III. 18. An ea censeatur adesse communiter in Jubileo Anni Sancti? *Ibid.* Episcopi possunt in Anno Sancto dare morientibus Indulgentiam. 45. An per se immediatè? *Ibid.* Plenariam qua ratione nonnulli iisdem concedunt ex speciali indulto Pontificio? IV. 632. *in Append.* Episcoporum Constantiensium mos circa præscriptionem temporis pro Jubileo. III. 63. & 66. Et pro operibus perficiendis. 72. Episcopus an teneatur designare pro tota Diœcesi idem omnino tempus? 171. An possit differre aliquantum promulgationem ob tempus messis? *Ibid.* Episcopi sunt Dii terrestres. 72. Eorum authoritas defendenda. *Ibid.*

3 An Episcopi revera potuerint pro suo prudenti arbitrio mutare omnes omnino conditiones, quas Papa præscripsit pro Jubileo Anno 1651? III. 499. Ratio singularis, & difficilis dubitandi adfertur. *Ibid.* Indicantur conditiones, in quibus videntur non potuisse facere commutationem. 505. & *seqq.* Quàm liberalis in dispensando fuerit Episcopus Frisinganus? 512. Episcopus nequit ingredi Monasteria Monialium exemptarum. 632. *in App. n.* 11.

Episcopus dat Indulgentias. 40. Dierum IV. 58. Et fortè potest privatim dare plenariam. 59. Possunt autem uni & eidem loco diversas Indulgentias impertiri duo, aut plures Episcopi, & simul Archiepiscopus. 61. Quas Indulg. dederit Episcopus Constantiensis novæ Confraternitati quinque vulnerum Christi? 58. Ea potestas convenit Episcopo jure ordinario, & Ecclesiastico, non autem divino. 62. Sed solùm erga subditos. *Ibid.* Eósque vivos. *Ibid.* Possunt autem Religiosi etiam exempti subjicere sese illi hac in re. *Ibid.* Sicut & peregrini. 63. & 64. Quando autem Episcopus cum largitione Indulgentiarum transgreditur suos terminos, non facit planè nihil. 65. Et accipit Indulgentias partim ex Communi, partim ex Diœcesano thesauro. 66. Dátque ubivis existens Indulgentias suis subditis ubivis existentibus, ubivis lucrandas. *Ibid.* Dat quoque locis in sua Diœcesi exemptis. 63. Quas, & quibus Indulgentias largiatur Episcopus, Vide Verb. *Indulgentiæ. n.* 2.

Eremita.

QUi Eremitæ gaudeant Jubileo impertito Eremitis? III. 29. & 32. *in Append.* 1. *lit. f.*

Eremus, seu Einsidlen.

ERemi B. Virginis seu Einsidlen Sacellum est ab ipso Christo Domino consecratum, 48. *in*

48. *in Append.* 3. *lit. r.* Est Germanis idem, quod Italis Lauretum. *lit. n.* Indulgentia plenaria obtingit visitantibus illud. *Ibid.* Adferuntur graves rationes, quibus probetur eam Indulgentiam suspendi in Anno Sancto. *lit. c. & p.* Adferuntur in contrarium aliæ. *lit. k. & q. & seqq.* Concluditur eam non suspendi. *lit. q. & seqq.*

Etiam.

CLausula *etiam* exprimit Casum magis dubitabilem, & involuit minus dubitabilem. III. 492. Contra hanc explicationem proponitur, & solvitur novum dubium propter quoddam Decretum Alexandri VII. *n.* 494. & 495.

Excommunicatio.

EXcommunicatus an peccet non petendo absolutionem, ut possit audire sacrum? V. XXVII. 94.

Exercitia.

EXercitia spiritualia obeuntes quam Indulgentiam consequantur, & cum quibus conditionibus, Vide infrà Verb. *Indulgentia. n.* 14.

Exhæredatio.

EXhæredandi causæ sunt quatuordecim in Jure. V. XXXIV. 56. Justinianus vetuit his alias addi, & tamen addiderunt JCti. *Ibid.* Nequit exhæredari filius, qui non vult redire ad patrem casu, quo mater fecit divortium ob patris sævitiam. 55.

F.

Fabri.

VNde desumptum hoc diverbium. *Tractant fabrilia fabri*? II. 302. Eo sæpe utitur Manrique adversùs Theologos. *Ibid.* Confirmatur variè illud diverbium. 303. & 304.

Fama.

FAmæ suæ quisque est Dominus. V. XXIX. 5. Attamen qui eam negligit, crudelis est. 21. Est bonum inferioris ordinis, quàm sint bona corporis. *Ibid.* Famæ, & vitæ periculum an æquiparentur? XVIII. 8. Malæ famæ iniquus Author nequit esse testis in causa contra illum, quem inique infamavit. XLII. 228. Fama nullam vim habet, quando oritur à maledicis. 251. At orta à viris honestis est instar testis, facitque semiplenam probationem. 252. An probet legitimitatem? XXVIII. 83. Famæ integritas quantum prosit, declaratur facto ridiculo. L. 42.

Fames.

TRiplex exemplum famis compellentis ad edendas res prorsus execrabiles. V. XXIII. 138. 193. & *seq.*

Familiaris.

NOmine Familiaris quid intelligatur in materia de testibus? V. XLII. 169. Quid in materia privilegiorum? 170. An ii etiam, qui ordinariè horis ante- & pomeridianis versantur in Monasterio occupati ex debito in ministerio Monasterii, esto habeant in urbe familiam, & domum, in qua cibum, somnúmque capiunt? 172.

Famuli.

FAmulis, qui serviunt heris hæreticis est à toto genere suadendum à Confessario, ut illos deserant. V. XXXIII. 93. Imò plerisq; est id mandandum. 94. Quid si absque periculo perversionis compellantur ad violationem festorum dierum? 98. Quid si nequeant absque notabili damno deserere famulatum? 100. Quandonam censeatur adesse notabile damnũ? 102. & 103. Plura Vide *n.* 134. & *seqq.* Quid si impediantur quidẽ audire Sacrum, sed propter urgentes labores? 107. & *seqq.* Quid peculiariter tenendum, quando cogantur ad esum carnium? 110. 118. & *seqq.* Quid agat Confessarius cum famulo, aut famula inclinante in hæresin ratione sui famulatus? 115. Doctrina practica pro famulis jam paratis famulari hæretico. 145. Si apponatur ipsis præter panem aliud ferculum esuriale, an teneantur abstinere cæteris eduliis carnalibus? 119. Quid si cibi omnes condiantur carnibus ea sola intentione, ut hæretici famulos compellant ad violandum jejunium? 127.

Favor.

QUod favore alicujus introductum est, non debet in ejus gravamen detorqueri. III. 36.

Festum.

FEsta quandoq; transferuntur etiam quoad forum. IV. 331. Quomodo transferantur Constantiæ tempore vindemiæ? *Ibid.* Festo Patroni occurrente in Dominicis quibusdam Adventus & quadragesimæ quid agendum? 332. Et quando festum Purificationis occurrit in Dominica Sexagesimæ? *Ibid.* Quid agendum uxori, quam hæreticus maritus non permittit colere dies festos? V. XXXIII. 49. Quid famulo, & ancillæ patientibus idem impedimentum, Vide Verb. *Famulus.*

Antiqua, atque damnabilis consuetudo inebriandi se die festo. V. XLV. 1. Utrùm ebrietas contrahat tunc peculiarem malitiam? 3. Saltem contrahit venialem. 15. An omne peccatum mortale sit gravius ob circumstantiam festi, quo patratur? 12. An si ex ebrietate contrahatur morbus impediturus postridie auditionem Sacri, sit illa ebrietas dupliciter mala? 17. Quid si hodierna impediat auditionem hodiernæ Concionis? 18.

Quæ festa abrogârit, & abrogatis substituerit

tuerit Urbanus VIII? V. XLV. 90. Causæ, ob quas abrogavit. 92. & 93. Illa Bulla recepta est in quibusdam Diœcesibus Germaniæ, in plerisque non item. 96. Quid censendum de Episcopis, qui eam receperunt? 98. Proponitur damnum temporale, quod sequitur seu per se, seu per accidens ex multitudine festorum. 100. & seqq. Proponitur & spirituale. 112. & seqq. Quomodo loquantur sapientes de ebrietate solita committi festis diebus? 45. 102. & seqq. Festum est gulæ irritamentum, & luxuriæ occasio. 113. & 116. Festis diebus gignuntur plures proles illegitimæ, quàm aliis. 117. Laudandi Episcopi, qui abrogant quotquot possunt festa, vel ex integris faciunt dimidiata. 119. Debent iidem esse parcissimi in indicendis novis festis. 121. Nec Confessarii debent facilè injicere scrupulum laborantibus occultè in festis ab Urbano abrogatis. 122. Ostenditur, argumenta, quæ contra multitudinem festorum allata sunt, non pugnare contra ea festa, quæ tota Ecclesia admisit. 128. & seqq. Factum Magistratus sæcularis adversus prælatum instituentem novum festum. 131. *remissivè* reprehensi ab Innocentio X. Mediolanenses, quòd absque consensu Ordinarii præceperint festivè coli diem S. Dominici. 132. Resolvitur anceps casus de festo, de quo ignorabatur, unde provenerit ejus obligatio. 133. Refertur Caroli Guyeti judicium de hac festorum materia. *136. in Append.*

Fictio.

Fictio propriè quid sit? V. L. 64. Propriè sumpta non est culpabilis. *Ibid.*

Fides.

Fides respectu possessionis alia est bona Theologicè, alia civiliter, & Juridicè. II. 204. Quæ sit bona civiliter? 207. Bona Theologicè præsumitur. 205.

Filius.

Tenetur alere patrem egenum. V. XXVII. 40. Quatenus peccet reddendo se impotentem ad eum alendum? *Ibid.* Quis censeatur filius legitimus? XXXVII. 247. Filius spurius & naturalis utrùm succedant patri ex testamento, aut ab intestato? XXVIII. 37. Quatenus alendi sint à patre, Vide Verb. *Pater.* An pro patre habendus is, qui uxorem cognovit sub idem tempus, quo alii? 82. Et is, qui adulterium commisit cum aliqua, cujus maritus erat tunc domi? 65. Quid si adultera juret, illam prolem esse filium adulteri? 66. Quid si hæc proles referat lineamenta adulteri? 67. Filiationis qualitas est diversa à qualitate legitimitatis. 84. Casus rarissimus, in quo prudenter fuit dubitatum, utrùm unus quidam certò legitimus, esset filius hujus, an illius? 47.

Filii à quo sint alendi post divortium, Vide Verb. *Alere. n. 2.* Est aliquid tam matris, quàm patris. V. XXXV. 6.

Finis ultimus.

Quot modis quis censeatur ponere in aliqua creatura finem ultimum? V. XXIII. 27. Est omnino credibile, quòd aliqui ita ponant in voluptatibus gulæ finem ultimum, ut sint parati omnia jura divina temerare, ut satisfaciant gulæ. 29.

Fornicatio.

Non omnes actiones, quibus sufficienter probatur adulterium, sufficiunt ad probandam simplicem fornicationem. V. XXXII. 19. An probetur sufficienter ex eo, quòd unus cum una aliquoties jacuerit in eodem lecto? 20. Quid si repertus eam amplexans in loco obscuro? 21. An non careat omni suspicione, si Clericus matrem, sororem, aut amitam retineat domi suæ? 22. Casus allegatæ fornicationis. 28.

Forum.

Potestas absolvendi in solo foro conscientiæ quid non tribuat? III. 273. Quid tribuat? 274. An judex teneatur credere Confessario, (qui habet potestatem pro solo foro conscientiæ,) dicenti, hunc, aut illum esse à se absolutum? 275. Forum pœnitentiæ an distinguatur à foro conscientiæ? 259.

Triplex est forum: Pœnitentiæ; Conscientiæ: & Externũ, seu Judiciale. V. XXXVII. 160. Forum internum est genus ad forum pœnitentiæ, & conscientiæ. 261. At potestas dispensandi, seu absolvendi in foro conscientiæ, non directè est intelligenda de foro pœnitentiæ, seu Sacramentali, sed ex circumstantiis dijudicandum est, an sufficiat, si absolutio, aut dispensatio detur in foro præcisè non judiciali. 262. Et proinde in dubio est intelligenda de foro conscientiæ non Sacramentali. 263. An gaudens privilegio fori, gaudeat etiam privilegio Canonis, & viceversa? III. 32. *in Append. 1. in fine.*

S. Franciscus Salesius.

S. Franciscus Salesius examinandus pro Episcopatu voluit examinari potiùs ex Theologia, quàm ex Jure. II. 432.

S. Franciscus Xaverius.

S. Francisci Xaverii affectus amoris. IV. 437. Indulgentiæ concessæ recitantibus illos. *Ibid.* Post mortem mansit incorruptus, & subfuscus, ac mirus Thaumaturgus. 432.

Fugitivus.

Fugitivus quis dicatur? III. 32. *in Append. 2. lit. m.*

Fumus.

Fumo ex herbis odoriferis procreato se inebrians an peccet graviter? V. XXXI. 9.

Furiosus.

Furiosus occidens alterum an puniendus sit? V. XX. 41. Quid fecerit Elisabetha Regina. *Ibid.*

G.

Gaudium.

Gaudium de malis inculpabiliter patratis ab ebrio sitne licitum, quando excitatur ob finem non malum, ut e. g. quia ex parricidio patrato in ebrietate sequetur magna hæreditas? V. IX. 54. An peccet gaudens de suo crurifragio, quatenus impedit accessum consuetum ad popinas. 56.

Objectum honesti gaudii, & etiam objectum honesti desiderii. 57.

Geminans delictum.

Geminans delictum licet promittat emendationem, non debet audiri, nec ullam delicti veniam consequi. V. XXXIV. 51.

Germani.

1 Germani enutrientes vino liberos an graviter peccent. V. II. 6. Judicium duorum Germanorum Theologorum testantium, Germanam juventutem perdi vino. 7. & 8. Germani abundant cauponis percommodis. XI. 3. Germanica Monasteria sæpe habent tabernas vinarias. 10. Et coquunt è suo hordeo cerevisiam, ut eam vendant. 11. Defenditur hic mos. 11. & seqq. Caroli V. judicium de malis in Germania provenientibus ex temulentia. XXII. 10. Utrùm in Germania vigeat consuetudo extra necessitatem utendi sagimine loco butyri in diebus jejuniorum? XXIII. 228. Edunt liberè ova extra quadragesimam diebus esurialibus. 236. Non est ubique in Germania eadem consuetudo circa esum ovorum in quadragesima. 238. Olim ex solo privilegio vescebantur Lacticiniis, at non caseo. 242. Cur in festo S. Joannis benedicant sua vina? 260. Vide plura Verb. *Benedicere.*

2 In Germania non videtur recepta Bulla Clementis, & Urbani de largitione munerum. V. XXVI. 64. Sicut nec extravagans de simonia, quatenus vetat convivia splendida in receptione novitiorum. 65. Germani non verberant filios jam Sacerdotes. XXIX. 50. Jam conjugati non subsunt integre patriæ potestati. 53. Possunt tamen quandoque castigari verberibus. *Ibid.* Germani Sacerdotes habitant sine ulla suspicione cum matre, sorore, amita. XXXII. 23. Item cum alia consanguinea, & affine. *Ibid.* Imò & cum extranea non malæ famæ. *Ibid.* Non solent adulteras punire pœnis ab alterutro jure statutis in adulteros. 33. & seqq.

Germanis non licet tam facilè facere divortium ob hæresin, quàm aliis nationibus. V. XXXIII. 26. Quid Episcopus Germaniæ teneatur agere, quando uxor Catholica allegat periculum animæ suæ, & filiorum, si diutius cohabitet marito hæretico? 27. In Germania admittuntur etiam à Catholicis acatholici ad testimonium dicendum. XLII. 22. Apud hos non multùm curatur, ut socius criminis suum testimonium firmet juramento, & singulariter is, qui Deum negavit. 52. Nobiles Germani absque juramento deponunt per scripturam sub fide suâ. 102. Et loco tactûs Evangeliorum viri elevant duos digitos, feminæ apponunt manum pectori. 107. In Germanis urbibus delicioſis, & vino abundantibus magnatum liberi parùm mente constant. XLIII. 13. Germanis mulieribus nequit universim interdici vino. 37. Quæ peculiaria festa observent Germani? XLV. 94. Plerique non acceptârunt Bullam Urbani VIII. abrogantem aliqua festa, & subrogantem nova. 96. Plurimùm ipsis obest multitudo festorum. 102. & seqq. Lutherani in Germania quandoque sepeliuntur loco sacro. L. 27. Cur Germani, & alii septentrionales populi sint addictiores vino? LI. 107.

Gloria.

Gloria quid sit? V. VII. 2. Cur in intemperantia minus sit gloriæ, quàm in aliis vitiis? *Ibid.*

Glossa.

Glossæ authoritas quanti æstimetur à Jureconsultis? I. 200. Glossæ elogia ex Salyceto. V. XXXIV. 50.

Granum.

Grano alicui dare Indulgentiam quid referat ad pietatem? IV. 369.

S. Gregorius.

Quomodo intelligenda sententia S. Gregorii: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est?* 175.

Gula.

Quotuplex sit gulæ significatum? V. XXIII. 1. An gula, & comessatio sint idem? 2. In quonam consistat formaliter turpitudo gulæ? 3. An sit propriè gulosus, qui non voluptatis, sed alterius finis causa transgreditur leges temperantiæ in edendo? 5. Gula formalis, & materialis quæ? 8. An, & quomodo gula sit vitium capitale? 9. Quæ peccata communiter oriantur ex gula? 11. Quatenus ea sit, aut non sit peccatum mortale? 14. & seqq. Sitne revera ex suo genere peccatum mortale? 18. Quot modis dicatur quis ponere ultimum finem in voluptatibus gulæ? 27. & seqq. Sitne necesse facere

facere in Confessione mentionem gulæ, quando quis peccavit graviter propter gulam? 35. & 39. Referuntur nonnullæ luculentæ SS. PP. sententiæ de turpitudine gulæ. 243. & seqq.

Gulæ species.

2 HArum quinque enumerantur. V. XXIII. 41. Quomodo explicentur à diversis Theologis? 43. & seqq. An, & quomodo omnia peccata gulæ referantur ad unam ex his quinque? 46. & seqq. Sintne propriè dictæ species? 52. Gulæ filiæ quæ? 195.

3 An, & ad quam speciem referantur sequentia peccata: Comedere carnes die vetito. V. XXIII. 47. Aliquid edere ante Sacram Communionem. 48. Edere in loco sacro. 49. Summo manè. 60. Nondum lotis manibus. *Ibid.* Nondum indutis omnibus vestibus. *Ibid.* In lecto. *Ibid.* Ante Sacrum diei Dominicæ. 62. Sæpius de die. 65. Quomodo intelligenda sententia: *Væ Regno, cujus Rex puer est, & cujus Principes manè comedunt?* 63. Versus in edentes sæpius de die. 66. Utrùm omnis ille dicatur edere, vel bibere nimis, qui superaddit aliquid cibis, aut potui sufficientibus ad munera obeunda? 89.

4 Quomodo peccetur edendo *præpropere*? V. XXIII. 55. Quomodo comedendo *lautè*? 75. Quomodo edendo *nimis*? 86. Quomodo edendo, & bibendo *ardenter*? 94. Quomodo edendo, & bibendo *studiosè*? 100. An, & quando oporteat in Confessione explicare speciem gulæ, in qua aliquis peccavit? 113. Rarò fit, ut spectato jure naturæ contrahat quis unam ex his quinque speciebus necessariò specialiter aperiendam in Confessione. 114.

Gulosis præest dæmon dæmonum omnium nequissimus, nomine *Ventridæmon*. V. XXIII. 68.

H.

Hac vice.

POtestas Commissario Pœnitentiariæ concessa ad absolvendum cum clausula: *Hac vice*, intelligenda est, ut absolvat eo tempore, quo dispensabit ipse. V. XXXVII. 195. Quid si differat absolutionem ad duos, trésve Annos? 197. Quid si differat solùm usque ad tempus Confessionis annuæ? 200. Quid censendum de potestate absolvendi à casibus reservatis Religiosum cum clausula: *Hac vice*? 205. & 206.

Hæres.

HÆres patris an possit esse spurius, & naturalis. V. XXVIII. 37. An ille, quem mater morituriens jurat esse natum ex adulterio? 73. An ille potuerit duorum fratrum hæreditatem petere, qui sciebat se esse alterutrius legitimum filium, & ignorabat utrius esset? 47.

Hæresis: Hæreticus.

HÆresin absolvendi potestas continetur in facultate absolvendi ab omnibus casibus in Bulla Cœnæ contentis: III. 249. & 469. Qui Pontifices illam exceperint, & non exceperint? *Ibid.* Reservata hæresi non reservantur casus hæresin sapientes. 250. Potestas absolvendi ab hæresi extenditur etiam ad notorium, & denuntiatum. 251. & seq. 1

Hæreticorum mendacium de Catholicis respectu abstinentiæ à carnibus. V. XXIII. 117. Referuntur nonnulla alia eorum mendacia. 119. Profuerunt ii Jesuitis suis mendaciis. 121. Quando hæreticus conjux Catholicam conatur cum probabili periculo perversionis inducere in hæresin, tenetur ab eo divertere, XXXIII. 8. Non autem licet propter ipsam præcisè hæresin. 9. Quid si sit pertinax? 18. & seqq. Quid si Catholicus non timeat perversionem? 14. Quid si maritus erat, vel non erat hæreticus ante Matrimonium? 20. An Catholicus possit propria authoritate divertere in causa hæreseos? 23. An si hæreticus resipiscat post latam sententiam divortii, teneatur uxor redire ad ipsum? 24. Quid si non soli uxori, sed & liberis immineat periculum ex hæresi mariti? 8. & 30. An uxor facto divortio ob hæresin possit ingredi Religionem? 29. 2

Quid sentiendum de pacto matrimoniali, ut filii sequantur Religionem patris, filiæ Religionem matris? V. XXXIII. 32. Adfertur moderatio illius pacti. 34. Officium Confessarii circa hoc pactum. 35. Quid agendum uxoribus, quæ identidem compellantur ab hæreticis maritis ad edendas carnes diebus vetitis, atque ad festa violanda? 49. & seqq. Quid si ad talia adigantur in contemptum Religionis? 52. Hæresis non spoliat Jure Sacræ sepulturæ nisi vel notorium, vel denuntiatum hæreticum. V. L. 27. Sicut nec Ecclesia polluitur per sepulturam hæretici non denuntiati. *Ibid.* Et in Germania notorii hæretici sepeliuntur quandoque in locis sacris. *Ibid.* In hæreticis an locum habeat Regula: *Morte delicta extinguuntur?* 23. 3

Hæreticus liber apud aliquem repertus an faciat certam præsumptionem de ejus hæresi? V. L. 39. Referuntur duo casus hanc in rem. 19. & 37. Retentio, aut lectio libri hæretici quantam suspicionem de hæresi faciant in tribunali inquisitionis? 39. Hæreticus per se loquendo nequit esse testis. V. XLII. 21. In Germania tamen habentur pro idoneis. 22. At non adversus Clericos præsertim criminaliter accusatos. 23. Et cur singulariter non sint admittendi, quando agitur de fractione sigilli Sacramentalis? 24. & seq. 4

Hebe-

Hebetudo.

PEr hebetudinem è gula provenientem quid intelligant Theologi. V. XXIII. 195.

Homicida: Homicidium.

HOmicidam esse capacem pensionis Ecclesiasticæ pronunciavit curia Neapolitana, mota authoritate *Suarii*. I. 146. Homicida quatenus incurrat, vel non incurrat irregularitatem si quempiam occidat in ebrietate? V. XX. 1. & seqq. Si perimat tunc Clericum an contrahat excommunicationem? 12. Casuale homicidium ebrii an puniendum? 23. An qui patrem ebrius occidit, licitè gaudeat de occisione, ob hæreditatem inde acquisitam? IX. 54. An licitè potuerit optare, ut eum occideret in ebrietate? 57. An sit reus quatuor peccatorum mortalium, qui patravit in ebrietate tria homicidia prævisa è se? 73. Quomodo sint confitenda illa tria homicidia? *Ibid.* Singulariter ab eo, qui quando fuit confessus ebrietatem, oblitus fuit homicidiorum. *Ibid.* An possit puniri pœnâ ordinariâ, qui ebrius commisit homicidium? XX. 18. & seqq. Pœna, qua fuit affectus homicida ebrius. 33. & 38. Glorians se in ebrietate patrâsse homicidium, an possit puniri tanquam homicida? 39.

Honor.

HOnoris, aut famæ periculum utrùm sit æquiparandum periculo vitæ? V. XVIII. 6. & 8. Cur leges aliquando æquiparent? 8.

Hostia.

AN si Papa daret Indulgentiam omnibus communicaturis ex cumulo hostiarum à se consecratarum, obtenturus esset Indulgentiam is, qui communicaret ex particulis, in quas divideretur una, aut plures ex illis hostiis? IV. 403.

I.

Iactantia.

IActans se, quòd alterum inebriaverit, an, & quantum peccet? V. XIII. 63. An generatim loquendo peccet mortaliter, qui se jactat de hoc, aut illo peccato mortali commisso? 64. Et an per suam jactantiam contrahat specificam malitiam illius peccati, quod gloriatur esse patratum à se? 65.

Idolothytum.

CUr fuerit in primitiva Ecclesia interdictus esus Idolothytorum? V. XXIII. 216. An etiam in extrema necessitate obligârit illa interdictio? 217. Refertur casus ex S. Augustino. 219.

Iejunium.

1 IEjunii lege an solutæ sint omnes fœminæ quinquagenariæ? I. 19.

Jejunium communiter indicitur triplex pro Jubileo. III. 201. Non tamen omnino semper. *Ibid.* An si Jubileum cadat in hebdomadem paschalem, possit Episcopus loco jejunii triplicis injungere triplicem eleemosynam? 202. 203. & 204. Quid tunc fecerit Sixtus V? 201. Quid Anno 1664. Ordinarius Constantiensis? 204. Urbanus VIII. noluit jejunari in vigilia S. Joannis occurrentis in festo Corporis Christi. 202. Papa non videtur petere, ut Jubileum inchoëtur hebdomada paschali. 204.

Jejunium pro Jubileo est tale, quale pro sa- 2
tisfaciendo legi Ecclesiasticæ. III. 205. Habens privilegium vescendi carnibus in quadragesima, non potest lucrari, Jubileum, nisi abstineat à carnibus. 206. Permittitur etiam in Vigilia Nativitatis talis collatio vespertina, qualis extra Jubileum. 208. At in Vigiliis Paschatis, & Pentecostes non tanta, quanta in Vigilia Nativitatis. *Ibid.* Et fortè excidit gratia Jubilei is, qui tantùm modicum quid comedit extra collatiunculam, & prandium. 209. Et fortè qui se inebriat die jejunii, si Jubileum sit indictum ad impetrandum aliquid à DEO. *Ibid.* Etiam pueri privantur Jubileo, si non jejunent. 210. Sicut alii impotentes jejunare, nisi Confessarius commutet. 210. Discrimen inter non valentem jejunare, & non valentem dare eleemosynam in ordine ad necessitatem commutationis. 211.

Propè certum est, triplex jejunium esse in 3
una, eadémque hebdomade peragendum. III. 212. Sicut & debet jejunari tribus assignatis feriis, non autem aliâ. 213. An, & quatenus liceat invitare ad cœnam illum, qui tenetur abstinere cœna? V. XIII. 22. An per ebrietatem frangatur jejunium? XVI. 1. Vinum erat olim vetitum jejunantibus. 2. An ebrii teneantur lege jejunii? 3. Qui fregit jejunium semel esu carnium, & semel esu piscium, an rectè confiteatur dicendo: *Fregi bis jejunium*? XXIII. 232. An rectè ille qui fregit carnibus, & ovis sub mortali prohibitis? *Ibid.*

Ignatius.

QUæ mandata dederit S. Ignatius pro exstruendis Seminariis in Germania? II. 442.

Aqua benedicta invocatione S. Ignatii, attactúque imaginis missa in varia vasa profica est pecudibus. V. XXIII. 267. Oleum ejusdem, & invocatio atque imago salutaris animis, corporibúsque. IV. 432.

Ignorantia.

NOn est major superbia, quàm nolle agnoscere suam ignorantiam. II. 254. In quibusnam speciatim damnetur à legibus ignorantia? 381. Ignorans factam promulgationem

Jubilei, an possit post lapsum temporis eligere sibi duas alias hebdomadas? III. 65. Ignorantia revocati privilegii quatenus obsit, vel non obsit ignoranti? IV. *667.* Sicut & ignorantia legis irritantis contractus naturâ suâ validos. *Ibid.*

Illico.

CLausula: *Illico* debet accipi moraliter, & civili modo in Bullis mandantibus Jubileum, *Illico* publicari, III. 71.

Imago.

PEr Imagines Sanctorum an in materia de Indulgentiis intelligantur etiam illorum, qui sunt solùm Beatificati? IV. *367.*

Immunitas.

IMmunitas Ecclesiastica quid sit? V. XI. 17. Ei repugnat statutum, quo prohibetur Clericis, ne cerevisiam coquant è suo frumento, eámque vendant. 17. Aut ne habeant officinas, in quibus vendant res suas collectas è suis prædiis. 18.

Impedimentum.

IMpedimentum observationi legis ponere, aut non tollere, an, & quatenus licitum, & illicitum sit? V. XXVII. *Per totum.* Singulariter *num.* 3. *usque ad* 20. *& à num.* 62. *ad* 88. Enumerantur in particulari varii casus in quibus licet, aut non licet id facere. *à num.* 89. *ad* 100. Faciendum est discrimen inter impedimenta remotissima. 39. Leges quandoque obligant ad non ponenda etiam non proxima. 43. Et generatim Lex absolutè præcipiens procurari media necessaria, tacitè vetat apponi impedimenta. 45. Faciliùs excusatur non procurans media necessaria, quàm apponens impedimenta. 47. Aliquæ leges vetant impedimenta aliquanto remotiora quàm aliæ. 40. Difficiliùs permittitur appositio impedimenti legis naturalis, quàm positivæ. 62. Declaratur. 63. Lex humana non vetat, ne impedimentum apponatur aliquot diebus antequam instet obligatio legis. 64. & 66. Nequit determinari, quot diebus ante instantem obligationem legis naturalis nefas sit reddere se impotentem. 68.

2 An contra legis obligationem agant sequentes. Constituens se in eo statu, in quo sit ei impossibile jejunare. V. XXVII. *num.* 34. & 99. Debens ex contractu centum ad crastinum diem, & non tollens omnia solvendi impedimenta, nec adhibens omnia media. 35. & 99. Capellanus hodie obligatus sacrificare, & hodie se inebrians, dormiens, Missale projiciens in aquam, non accipiens è loco vicino vestes necessarias. 36. Capellanus comedens ante tempus celebrandi urgens, aut aliquid faciens, quo infirmetur. *Ibid.* Capellanus carcere clausus, infirmus, aut simili causa impeditus, & tamen non procurans liberationem à morbo, carcere. 37. Aut ab excommunicatione, suspensione, interdicto. *Ibid.* Aut non procurans reconciliationem Ecclesiæ profanatæ, in qua tenetur sacrificare. *Ibid.* Filius dilapidatione bonorum reddens se impotentem ad nutriendum post sex Annos, aut crastino suum parentem. 40. Judæus ponens impedimentum præparationi azymorum. 41. Suscipiens navigationem sex diebus ante festum, aut ipso festo cum neglectu Sacri. 42. Pater creans per intemperantiam sibi morbum, ob quem sex diebus pòst nequibit alere prolem. 43.

Varii alii casus, quibus licet, vel non licet 3
ex aliorum, aut Auctoris opinione ponere, vel non auferre impedimentum legis. V. XXVII. 3. *usque ad* 103. Ut est omissio Breviarii, secuta immediatè, vel mediatè ex ebrietate. 8. 9. 16. 18. Jejunii. 11. 12. 16. Sacri, ob excommunicationem. 15. 16. 17. 92. & 93. Vel aliunde. 19. Nimia abstinentia impediens officia. 21. & 90. Morbi ex intemperantia orti, & reddentes impotentem ad officia Ducis, Consiliarii, Professoris, obstricti civilibus debitis. 22. & 90. Pistor, & Ædituus non præparantes pridie festi necessaria. 23. 79. & 91. Ponens impedimentum Communioni Paschali. 25. 26. & 80. 84. 91. Non procurans valetudinem, ut possit audire Sacrum. 27. & 95. Suscipiens iter inutile, vel ratione finis damnabile cum prævisо neglectu Sacri. 28. 35. 96. 99. Donans alicui sua perspicilia, sibi tamen necessaria ad recitandum Breviarium. 29. & 97. Ipso die jejunii reddens se inutili labore impotentem ad jejunandum. 30. Die Sabbati se ingurgitans vino cum prævisione morbi impedituri crastino auditionem Sacri. 31. Vovens abstinentiam, & tamen prævidens, se non posse observare votum, nisi quid modicum sumat. 32. Die jejunii idcirco se defatigans inutili labore, ut non teneatur, jejunare. 71. & 72. Aut eadem intentione suscipiens peregrinationem, aliúmve honestum laborem. 73. Aut pridie festi procurans per ebrietatem sibi infirmitatem, quæ altero die impediet à Sacro. 75. Sutor, & Sartor non perficientes die Sabbati necessaria. 79. Ponens impedimentum Communionis, Confessionis, Breviarii, Sacri, jejunii, abstinentiæ à labore servili ipso die quo hæc obligant, 84. Non procurans liberationem è carcere, ut possit audire Sacrum. 27. & 95.

Nequit ulla generalis, & illimitata re- 4
sponsio dari ad illam quæstionem: *An & quando peccet, qui per actionem malam, aut non malam reddit se impotentem ad observanda unum, aut plura præcepta.* V. XXVII. 101. Quoties non constat positivè, esse communem sensum fidelium, quòd hæc, aut illa lex positiva in particulari obliget ad non ponenda pridie instantis executionis impedimenta, non adest respectu talis obligatio non ponendi. 81.

Impotentia: Impressio.

IMpressio aliquarum Indulgentiarum interdicitur. IV. 444. Et quidem sub pœna nullitatis. *Ibid.* Non tamen omnes tali pœna. 449. At ea pœna non tangit illos, qui nec impresserunt, nec imprimi curaverunt. 446. Aut qui impresserunt tantùm partem. 445. Clemens IX. non opposuit pœnam nullitatis curantibus imprimi. 449. Nec vetuit imprimi nisi *extra* Urbem Romam. 450.

Imputari.

IMputari aliquid ad culpam est aliud, quàm esse peccatum. V. IX. 3.

Incertum.

INcertum quid dicatur? I. *66.*

Inductio ad malum.

ESt fas aliquem inducere ad malum, si nequeat alia ratione impediri majus. V. XIII. 18. An ex urbanitate inducere, aut invitare ad cœnandum illum, qui tenetur jejunare? 19. & 22.

Indulgentiæ quidditas, & finis.

1 INdulgentiæ significatum. IV. 12. Definitio Theologica. 13. Quo sensu dicatur esse relaxatio pœnæ? 14. Hæc relaxatio est respectu vivorum solutio simul, & absolutio, actúsque jurisdictionis. 14. At respectu mortuorum est solùm solutio. 15. Etsi respectu Thesauri Ecclesiastici sit actus jurisdictionis. *Ibid.* Per eam nec venialis quidem culpa relaxatur. 16. Cur igitur aliquæ Indulgentiæ dicantur esse *à culpa, & à pœna*? 17. Nec omnis pœna temporalis remittitur per Indulgentiam. 19. Indulgentia non venit nomine privilegii 22. Finis, & effectus generalis Indulgentiæ. 23. & 87.

Indulgentiæ Causa efficiens.

2 ESse in Ecclesia potestatem largiendi Indulgentias clarè ostenditur contra hæreticos. IV. 30. *& seqq.* Penes quos speciatim sit potestas largiendi Indulgentias? 52. *& seqq.* Nominatim quanta in Papa? 53. Quanta in Cardinalibus? 55. Exemplum Indulgentiæ, quam decem Cardinales simul largiti sunt uni Ecclesiæ Germanicæ. *Ibid.* Quantas tres Nuntii Apostolici dederint in honorem S. Francisci Xaverii? 55. Quas, & quomodo largiatur Archiepiscopus? 57. Et Episcopus? 58. Nominatim quas Episcopus Constantiensis concesserit novæ Congregationi Quinque vulnerum Christi? *Ibid.* An plenarias dare possit? 59. Jurène divino, an solùm humano competat Episcopo potestas in Indulgentiarum largitionem? 62. An respectu solorum Diœcesanorum? *Ibid.* An detsuis existentibus extra Diœcesin? 66. An Indulgentias largiatur Summus Pœnitentiarius? 67. An Vicarius generalis Episcopi? 68. Nominatim si sit simul Episcopus Titularis? 69. An Parochus? 70. An Generalia, aut Provincialia Concilia sede vacante? 71. An ipsi Generales, Abbates, Provinciales Regulares? 72. & 74. An delegare possit Episcopus potestatem dandi Indulgentias? 73. Pontifex mortuus an, & quomodo det Indulgentias? *386.*

Conditiones largientis Indulgentias.

LArgiens plures, quàm de jure possit, non 3
agit omnino nihil. IV. 65. Debet esse præditus jurisdictione, & dignitate Episcopali, si largiatur jure proprio. 68. Sufficit autem si sit insignitus prima tonsura. 83. Potest suam potestatem delegare cuivis Clerico. 73. Non tamen Laico, nisi Papa. *Ibid.* Largitio Indulgentiæ fieri debet signo externo. 80. Et ex honesta causa. 86. Explicatur illa honesta, justáque causa contra Pasqualigum. 87. *& seqq.* Si causa non sit sufficiens pro plenaria, saltem valebit pro partiali. 95. Reprehendendi, qui facilè negant hanc aut illam Indulgentiam esse sine sufficienti causa datam. 97.

Non est semper necesse, ut pro Indulgen- 4
tia injungatur opus pium. IV. 90. Nemo potest suam Indulgentiam donare alteri, nisi Papa permittat. 248. Potest tamen quis offerre DEO pro defunctis. 466. *& seqq.* Sibi ipsi potest quis Indulgentiam largiri. 260. Etiam consuetudine acquiritur jus largiendi Indulgentias. 78. & 79.

Indulgentiæ subjectum, & hujus conditiones.

INdulgentiæ dantur soli homini propter se, 5
rebus inanimatis propter hominem. IV. 259. Vivi & defuncti sunt per se capaces Indulgentiæ, 262. An catechumeni, & excommunicati? 145. & 146. An amentes? 143. An qui non studet per bona opera satisfacere pro suis peccatis? 157. Et qui nescit, se posse lucrari? 163. Aut qui non intendit lucrari? 65. & 66. Aut qui intendit non lucrari? 167. An qui non integre perficit opus præscriptum? 188. & *seqq.*

Indulgentiarum divisio, & quasi species.

ENumerantur variæ divisiones, & seu spe- 6
cies, seu individua recensentur, & explicantur ordine Alphabetico *in* §§. *seqq.*

Altarium privilegiatorum Indulgentiæ quæ? 7
Vide Verb. *Altare. n.* 2.

Anni unius quæ? 281. *& seqq.* An unius Anni

Anni Indulgentia expiet pœnas unius Anni in purgatorio? **287. & 291.**

8 Apocryphæ Indulgentiæ quæ sint declaratæ? IV. 703. Singulariter illæ, quæ feruntur concessæ aut dicentibus: *Laudetur Sanctissimum Sacramentum*; aut Sindoni Taurinensi, aut Crucibus Caravacensibus &c. *Ibid.* Puniendi sunt à Magistratu Ecclesiastico, qui circumferunt, vendúntque chartas patentes de ista Caravacensi Indulgentia. 705. Quid censendum de Indulgentiis Domus Lauretanæ? 707. & 708. Quid de illa, quæ dicitur esse data Germanis, tantùm semel bibentibus post *Deo gratias*? V. XXVI, 18. & *seqq.* Indulgentiam an acquirat, qui è duabus opinionibus probabilibus sequitur contrariam menti Pontificis? IV. 710.

Articuli mortis Indulgentiæ. Vide suprà. Verb. *Articulus.*

9 Breviarii recitationi cum defectu quæ Indulgentia annexa? 579. & *seqq.* Quænam concessæ recitantibus ex libro? *Ibid.*

10 S. Caroli Boromæi Indulgentiæ fuerunt amplissimæ. IV. 430. At jam non dantur ampliùs. 679. Quæ dicebantur esse concessæ pro Dedicatione ejus Ecclesiæ, sunt apocryphæ. 703.

11 Communionis Generalis quæ, & quomodo obtinendæ? Vide suprà Verb. *Communio.*

12 Confraternitatum Annuntiatæ. 612. Chordigerorum. 460. Corrigiatorum. *Ibid.* Rosarii, 612. Scapularis. 454. & *seqq.*

Cruciatæ seu Bullæ Cruciatæ Indulgentiæ quæ? Vide Verb. *Bulla. n.* 3.

13 Defunctis quomodo possint dari Indulgentiæ? 262. & 472. & *seqq.* Solus Papa dat potestatem applicandi iis Indulgentias. 264. & *seqq.* Quando censeatur dare? 266. Et an tunc etiam exerceat actum jurisdictionis? 482. Offerre quis propria authoritate potest suam Indulgentiam pro defunctis. 466. & *seqq. fusè.* An in concessione omnium Indulgentiarum veniant etiam illæ, quæ applicari possunt defunctis? 265. Quibus defunctis prosint Indulgentiæ? 472. An infallibiliter? 483. Quid sit defunctis applicare Indulgentiam per modum suffragii? 477. & 485. Defuncto prodest sæpe Indulgentia, etsi non oretur pro eo. 496. Aut si non offeratur opus pro illo. 497. Non frustraris fructu operis tui, etsi defuncto applices Indulgentiam. 502. Est melius applicare defuncto Indulgentiam, quàm dare pauperi eleemosynam. 499. Aut orare pro conversione peccatoris. 500. Aut applicare tibi ipsi. 504. De Indulgentiis applicatis per Sacrificium Missæ. Vide Verb. *Altare*, & Verb. *Missa.*

Einsidlensis, seu Eremitana tametsi plenaria, attamen non suspenditur in Anno Sancto. Suprà Verb. *Eremus.*

14 Exercitiorum spiritualium Indulgentiæ quæ? 604. Describitur Breve Alexandri VII. *Ibid.* Proponuntur conditiones necessariæ ad obtinendam istam Indulgentiam. 605. Proponuntur & solvuntur aliquot dubia circa illas. 606. & *seqq.*

In forma Jubilei Indulgentia quæ? 299. 15
Fusè demonstratur per Indulgentiam in forma, seu instar Jubilei non dari per se favores omnes annexos Jubileo. 301. & *seqq.* Indicantur aliquæ Indulgentiæ in forma Jubilei, quæ non continent nisi plenariam Indulgentiam. 304. & *seqq.*

S. Francisci Xaverii quæ? 438. Expediuntur quatuor dubia circa has Indulgentias. 437. & *seqq.* Tres Nuntii Apostolici concesserunt Indulgentias in honorem ipsius. *Ibid.* 16

Localis quæ? IV. 314. In localibus Indulgentiis, quid intelligatur nomine *Ecclesiæ*? 315. Quando aliqua Ecclesia est una, aut pluribus Indulgentiis affecta, valéntne illæ, quæ superadduntur? 316. Expenditur nova difficultas circa hanc rem. 317. Quid si uno, eodémque die concedantur uni eidémque Ecclesiæ duæ diversæ Indulgentiæ? 318. Quatenus destructo templo, destruatur Indulgentia ei concessa? 320. Alia vide *n.* 557. & 617. 17

Partialis Indulgentia quæ? 281. Quid per Carenam, Septennam, Quadragenam, Quarantenam? 293. Quid per Indulgentiam dimidiæ partis peccatorum? 295. Per eam nunquam potest expiari tota pœna, 296. Partialis Indulgentia magni facienda. 286. 18

Perpetua, & temporaria quæ? 313. Quando censeatur dari sine determinatione temporis? 643. 19

Personalis quæ? IV. 461. An data pro Jubileo sit merè personalis? III. 465. An data civitati extendatur ad Clericos, & Regulares? IV. 462. Data à Provinciali Regularibus redundat in ipsum. *Ibid.* Concessa urbi alicui fruuntur etiam peregrini, & vagi. 463. Non autem sæculares peregrini iis Regularium, apud quos degunt. 464. 20

Plenaria Indulgentia quæ? IV. 272. Hac ætate non differt à plena, pleniore, pleníssima. 273. Cur plenariæ quandoque jungatur partialis? 275. Censetur plenaria concedi etiam per hæc verba: *Concedimus Indulgentiam peccatorum.* 279. An dici possit acquiri sæpius plenaria? 348. Omnis plenaria potest dici Indulgentia in forma Jubilei. 311. 21

Portiunculæ Indulgentia an fuerit à Christo immediatè concessa S. Francisco Assisiati? IV. 350. Ubi possit obtineri? 351. & 354. An per viam communicationis? *Ibid.* An exigat Communionem? 352. An suspendatur in Anno Sancto? 353. Utrùm toties obtineatur, quoties visitatur Ecclesia? 354. Applicari potest etiam vivo, 354. *in Append.* In qua ex 22

ex P. Mohr Capucinò referuntur multa particularia de hac Indulgentia.

23 Quinque Sanctorum quænam sint Indulgentiæ? IV. 430. Quàm amplæ? *Ibid.* Quinam nomine quinque SS. intelligantur nunc? 346. *in Append. lit. b.* Proponitur novum dubium de illis novis quinque Sanctis. *Ibid. lit. c.* Rursùm alia. *Ibid. lit. e.*

24 Realis Indulgentia quæ? 363. Quo sensu dicatur dari rebus *Benedictis*? 366.

Quinam intelligantur per Sanctos, quorum imaginibus impertitur hæc Indulgentia? 367. Cur detur quandoque uni solitario grano? 369. Quis alicujus rei usus est necessarius ad obtinendam Indulgentiam realem? 370. An, & quando opus sit secum ferre, aut domi privatim habere? *Ibid. & n.* 373. & 376. An quandoque liceat habere in Oratoriolo? 374. Quomodo res illa debeat esse tua? 698. & 699. Olim licebat uti re aliena, jam non licet. 379. & 381. Olim licebat deperditæ substituere semel aliam, jam non licet. 382. & 385. An, & quanta fractio rei affectæ Indulgentiis tollat harum valorem? 387. & *seqq.* An si Agni DEI Indulgentiis prædiri frangantur in frusta, multiplicentur Indulgentiæ? 395. & *seqq.* An si psalterium dividatur in tres partes Rosarii? 399. An si è magna cruce fissa per medium fiant duæ? *Ibid.* Quid si Pontifex det Indulgentiam singulis communicaturis ex ciborio ab ipso consecrato? 403. Quid nomine Coronæ, & Rosarii veniat in materia Indulgentiarum? 407.

25 Regularium Indulgentiæ quæ revocatæ sint à Paulo Quinto? IV. 546. Alexander Septimus negat, eas fuisse restitutas. 545. Quas ablatis substituerit idem Paulus? 549. An concessæ emittentibus professionem obveniant etiam Scholasticis Societatis? *Ibid.* Regulares Mendicantes habent inter se communicationem Indulgentiarum. 550. Quantam? Vide Verb. *Communicatio. n.* 2.

26 Sæcularium Indulgentiæ propter Regulares quæ? IV. 561. & *seqq.* Et nominatim quæ propter templa Mendicantium? 564. Et propter frequentata Sacramenta apud Religiosos Societatis? 567. & *seqq.* Salutationi Angelicæ quæ annexa Indulgentia? 590. & *seqq.* Quis author pulsus ad salutationem Angelicam? 598. Quid si non recitetur totum *Ave Maria*? 596.

Scapularis Indulgentiæ quæ? IV. 454. Quomodo gestantes scapulare gaudeant peculiari patrocinio Deiparæ post mortem? 458.

27 Stationum Indulgentiæ quæ? IV. 337. Stationis nomine quid intelligatur? *Ibid.* Sunt Romæ quotidie stationes. 338. Non eas omnes lucrantur Regulares. 339. & 342. *in Append. Correctoriâ.* Quid orandum ut obtineantur? 340. Quid intelligatur per salutem Papæ, pro quo oratur? 341. An ab omnibus fidelibus in Ecclesiis Societatis JESU? 343. Et alia. *Ibid.*

Tridui Bacchanalium Indulgentiæ quando cœptæ dari? IV. 357. Narratio Historica de earum progressu. III. 151. *in Append. Historicâ.* Quanti fiant à Friburgensibus Helvetiis? IV. 357. Est ea Indulgentia una è certissimis. 358. Quas conditiones exigat? 359. Jam non exigit indictionem Orationis per 40. horas. III. 151. *in Append. Historicâ. lit. k.*

Nequit applicari defunctis. IV. 358. Sufficit, si quandoque unicus sit in templo. 361. Aut etiam si breviculo tempore nemo absit. *Ibid.* Hæc Indulgentia non est communicabilis aliis Religiosis. 554. & 558. Sub Innocentio X. oportebat pro illa instituere Orationem quadraginta horarum continuarum. 360. Quomodo intelligenda illa continuatio? 361. An qui tunc orabant primùm post 40. horas orationis potuerint lucrari Indulgentiam? 360. Plura Vide Verb. *Oratio. n.* 2.

Indulgentiarum varia accidentia.

ANtiquitas Indulgentiarum quanta? IV. 29
114. Antiquarum à modernis differentia quanta? 115. & 119. Conditiones acquirendi eas duodecim. 138. Eæ non sunt necessariò tales, ut quis certus esse possit, se esse lucratum Indulgentiam. III. 151. §. *Ad alteram.* Edisseritur quænam ex illis meritò exigantur, quæ immeritò? IV. *à n.* 143. *ad* 170. Illa conditio est generatim necessaria, quam exigit largiens Indulgentiam. 140. Potest quandoque Indulgentia multiplex acquiri uno opere. 208. & *seqq.* Declaratur hæc doctrina multis practicis instantiis, 210. & *seqq.* An, & quomodo possit quis eodem tempore exercendo diversa opera obtinere diversas Indulgentias? 218. An, & quomodo una Indulgentia sæpius obtineri in die? 220. An omnes perficientes opus præscriptum obtineant æqualem Indulgentiam? 223. & *seqq.* Quid si perficiant cum inæquali devotione? 230. & *seqq.* Quæ devotio, seu fervor exigatur, & sufficiat? 233. De Communicatione Indulgentiarum, Vide suprà Verb. *Communicatio.*

Duratio Indulgentiarum est talis, ut Indul- 30
gentia data sine appositione determinati temporis sit ex se perpetua. IV. 643. Nec cessat cessante causa. 645. Nisi fortè causa finalis cessaret in peculiari casu. III. 342. Potestas lucrandi Indulgentiam non amittitur per renuntiationem præcisè sumptam. IV. 645. Sicut nec per mortem concedentis. 646. Concessa pro aliquo die festo definit hac ætate ad solis occasum. 653. Olim post secundas vesperas. 650. & *seqq.* An tempus Indulgentiæ pro festo Annuntiationis inchoandum à primis vesperis,

possit pridie festi occurrentis in quadragesima inchoari à Vesperis ante prandium cantatis? 656. Quando incipiat Indulgentia concessa pro die non festo? *Ibid.* An Indulgentia pro Dominica Communionis Generalis inchoari possit die Sabbati vesperi? 657.

31 Quandonam incipiant valere Indulgentiæ datæ ad septem, aut quindecim Annos? IV. 658. & 659. An antequam habeatur earum notitia? 661. An inchoari debeat statim postquam Breve illarum pervenit ad locum, pro quo sunt datæ? 660. & 661. An, & quatenus liceat renovationem Bullæ pro septennio datæ petere ante finem septennii præcedentis? 662. An integritati hujus septennii deroget suspensio Indulgentiarum in Anno Sancto, in quem fortè incurrit prædictum septennium? III. 55.

32 Impressio Indulgentiarum an, & quatenus obsit harum valori? Vide suprà Verb. *Impressio.*

33 Revocatio Indulgentiarum est tam efficax, ut omnis Indulgentia possit validè, etsi non licitè revocari antequam sit fortita effectum. IV. 664. Debet autem revocatio manifestari signo externo. 665. Nec ea officit invincibiliter ignoranti esse factam. 666. & 667. Quibus verbis censeantur revocatæ illæ Indulgentiæ, in quarum formula extat hæc clausula: *Non censeantur esse revocatæ, nisi in revocatione fiat expressa mentio omnium, & singulorum articulorum?* 668. Aut hæc: *Si illis aliquando derogari contigerit, statim in pristinum statum restitutas esse volumus?* 603. Quid peculiariter hîc censendum de Alexandri VII. Decreto revocatorio aliquarum gratiarum annexarum In-
34 dulgentiis? 669. Vide etiam infrà Verb. *Revocatio. n.* 3. Indulgentia pro articulo mortis concessa quibus verbis censeatur esse revocata? 670. & *seqq.* Revocatio Indulgentiarum non est tam latè accipienda, quàm earum communicatio, esto utraque constet iisdem clausulis. 673. Revocatis Indulgentiis alicujus Ecclesiæ, aut Ordinis non censentur revocatæ Indulgentiæ concessæ alteri Ecclesiæ, aut Ordini *instar* concessarum priori. 675. Sicut nec concessæ Altari. 676. Quænam Indulgentiæ sint hactenus revocatæ? 677.

35 Suspensio Indulgentiarum in Anno Sancto non extenditur ad partiales. III. 47. At ad plenarias. 40. Non tamen concessas aut Basilicis Romanis. 40. Aut Domui Lauretanæ. 41. Aut Bullæ cruciatæ. 42. Aut Altaribus privilegiatis. 43. Aut pro articulo mortis. 44. Aut defunctis. 45. Aut Sacello B. V. M. in Einsidlen. 48 *Append. 3. lit. f. & seqq.* At suspenduntur extra Romam Indulgentiæ etiam plenariæ, quæ habentur per communicationem cum Romanis. 41. Confirmatur Indulgentia Portiunculæ. 45. Indulgentias annuntians in Anno Sancto quatenus incurrat, aut non incurrat excommunicationem? 53.

Translatio Indulgentiæ an, & quatenus fiat 36
translato festo? IV. 321. *& seqq. distinctè.* Nominatim quomodo Indulgentiæ S. Francisci de Paula? 327. Et S. Francisci Xaverii? 332. Et S. Antonii de Padua? 335. Et S. Joann. Baptistæ? *Ibid.* Et Annuntiationis Deiparæ respectu Sodalitatum sub regimine Societatis? 336. Refertur de hoc Bulla Sixti V. *Ibid.*

His omnibus adde quænam sint indiscretæ 37
Indulgentiæ? III. 53. Et quinâ dicantur eas demandare in usum? 54. Et quatenus puniendus, qui publicat Indulgentias ad quæstum? IV. 75. Aut prædicat indiscretas? 76. Item quo sensu Indulgentiæ dicantur tantum valere, quantum sonant? 42. Quomodo interpretandæ? 46. An earum largitio sit pia fraus Ecclesiæ? 47. Quid censendum de illis, qui Indulgentias negligunt? 47. Aut illas omni studio consectantur? 48. Propositum non conandi eas lucrari est illaudabile. 51. Quid sit Indulgentia de *pœnitentiis injunctis*? 298. Indulgentia quomodo differat à communicatione bonorum operum? Vide Verb. *Communicatio.*

Inebriare.

Inebriare alterum directè, an, & quando li- 1
ceat, Vid. Verb. *Propinatio. n.* 2. An & quando indirectè liceat id facere? V. XIII. 43. Quid si quis suo solo exemplo inducat ad temulentiam? 44. Quid si præbendo materiam inebrietionis, ut faciunt caupones? 46. Aut invitando ad prandium illum, qui se inebriabit? 50. Aut non impediendo cùm posset? 53. Aut non effundendo vinum? 54. Quomodo confitebitur, is, qui alterum indirectè inebriavit? 55.

In nullo casu licet se formaliter, idest ob 2
voluptatem inebriare. V. XVIII. 2. An, & quatenus liceat se inebriare materialiter, seu bibere cum prævisione secuturæ ebrietatis, si id fiat ob mortem intentatam? 3. Quid si periclitetur solus honor? 5. & 7. An si immineat periculum solius gravis verberationis? 9. An si ebrietas sit necessaria ad promovendum vomitum necessarium valetudini tuendæ, aut ad alium morbum curandum? 13. Verbum *Inebriare*, accipitur sæpe pro saturare vino. VII. 12.

Infirmitas: Invaletudo.

Quis censeatur præpeditus infirmitate suffi- 1
ciente ad lucrandum Jubileum oblatum iis, qui ob infirmitatem nequeunt petere Romam? III. 29. Quid si talis possit pati equitationem? *Ibid.* Quid si cæcus habeat ducem? *Ibid.* Quid si illa infirmitas cesset ante finem Anni Sancti? *Ibid.*

Invaletudo quænam habeatur pro levi, aut 2
gravi? V. XXIII. 186.

Infa-

Infamis.

Actus legitimi sunt infamibus interdicti. V. 1
XLII. 13. Alia est facti, alia juris infamia. 14. Et infamia juris est duplex. 16. Juris infamiâ notantur viginti genera hominum. 17. Aliqua exponuntur. *Ibid.* Et universim omnes rei noxæ mortalis non emendatæ sunt infames. *Ibid.* Jure, vel facto infamis non est testis idoneus. 13. Quis dicatur infamis *jure*, aut *facto*? 14. & 15. Testimonium infamis non debet admitti nisi in tortura confirmetur. 51.

Infans.

Infantem inebriare, an, & quatenus sit pec- 1
catum? V. XIII. 40. Aut docere illum mentiri, vel proferre verba hæretica, blasphema, perjura? 41.

Infundere.

Infundere divinitus est aliud quàm tradere. 1
II. 214. Indere, & infundere accipit S. Thomas pro eodem, non autem tradere. *Ibid.* An Deus possit alicui infundere habitum erroneum? 220.

Ingenium.

Ingenia præclara multa novant. I. 170. Non 1
sunt hoc sæculo effœta. 171. Miserrimi ingenii est non posse nisi inventis uti. II. 354.

Inquisitio.

Inquisitio specialis nequit fieri nisi præces- 1
serit saltem infamia. V. XIX. 66. & 67. An inquisitio possit institui circa veritatem eorum, quæ ebrius revelavit de se, aut aliis? 65.

Instar.

Hæc clausula: *Instar* quam vim habeat? 1
III. 35.

Instituo.

Verbum *Instituo* habet diversas significatio- 1
nes apud doctos. III. 151.

Intemperantia.

Intemperantia vitium est omnium maximè 1
exprobrabile. V. VII. 1. Repugnat ea maximè excellentiæ hominis. *Ibid.* Et gloriæ. 2. Ejusque voluptates sunt ferinæ. 1. Sunt & pueriles, ac serviles. 2.

Intentio.

Explicatur intentio hypothetica proficis- 1
cendi Romam pro Jubileo concesso habentibus illam intentionem, si non impedirentur infirmitate, vel carcere. III. 30. & 32. An, & qualis intentio sit præfigenda executioni operum præscriptorum pro Jubileo, Vide Verb. *Opera. n.* 2. Intentio habitualis generalis juvandi se per sua opera *quantum potest*, quid operetur? 216. Intentio ad lucrandas Indulgentias qualis requiratur? IV. 178. Declaratur variis casibus practicis. 186. Quæ intentiones soleant communiter præfigi Indulgentiis lucrandis? 183. Quænam solebant olim? 184. Quid si aliqua privata intentio addatur præscriptis à Papa, an periclitabitur Indulgentia? 185.

Interpres: Interpretatio.

Interpretari legem debet is, qui eam condi- 1
dit. II. 179. Suorum verborum est quivis interpres optimus. *Ibid.* In interpretatione gratiarum maximè est spectanda consuetudo, & genius concedentis eas. IV. 669. Interpretatio Indulgentiarum petenda est etiam ex consuetudine Diœceseon. 142. Interpretatio legis maximè sumenda est ex Proœmio, & intentione legis. V. XXVI. 53.

S. Ioann. Evangel.

Sancti Joannis invocatione benedicitur vi- 1
num in ipsius die Natali. V. XXIII. 260. Quid prosit pauxillum illius infusum in dolium? 265. Veneficæ fassæ sunt, se non potuisse quidquam haurire ex doliis, in quæ infusum erat tale vinum. 268.

Iob.

S. Jobi sententia: *Verebar omnia opera mea*; 1
quomodo intelligenda? I. 153.

Irregularis: Irregularitas.

Irregularis nequit eligi in Confessarium pro 1
Jubileo. III. 237. An irregularitas aliqua possit tolli virtute Jubilei? 272. Irregularitatem an incurrat occidens in ebrietate hominem? V. XX. 2. *& seqq. distinctè.* Quisnam homicidium privata authoritate patrans incurrat irregularitatem? 5. Et singulariter patrans Casuale? 9. Irregularitas non incurritur nisi in casibus in jure expressis. 6. Regula ex qua facilè dignoscitur in dubio, utrum quis per homicidium incurrerit irregularitatem? 13. & 14. Deducuntur ex ea Regula aliquot corollaria practica. 16. & 17.

Iter: Itinerans.

An qui cœptum iter Romanum abrumpit 1
revocatus domum ob mortem uxoris lucretur Jubileum? III. 20. An cum Indulgentia etiam alios favores? 21. Quid si necdum inierat illud iter, jam tamen omnia præparaverat pro illo? *Ibid.*

Quid Bullæ Jubileæ soleant statuere circa 2
itinerantes, aut navigantes? III. 88. Possunt post reditum in patriam eligere sibi duas integras hebdomadas, sed quamprimum. *Ibid.* Possunt partem operum exequi in uno, partem in altero loco. 89. Quid si nondum sit in alio loco promulgatum Jubileum? 89. Quid de visitatione Ecclesiarum? 90. Quid si venisti ad locum extra eum primùm post factam promulgationem? *Ibid.* Declarantur dicta casu scholarium tempore autumnalium feriarum mutantium loca unius, ejusdémque Diœcesis. 91.

Iubileum.

TRes Bullæ Innocentii X. de Jubileo describuntur initio Tractatus III. *fol.*80. Jubilei etymon. III. *n.*1. Quid significaverit Hebræis? *Ibid.* Quid Christianis? 2. Quæ ejus definitio? 3. Qui favores soleant concedi in Jubileis? 2. *& seqq.* An ii intelligantur esse dati, quando est absolutè datum Jubileum? 4. Jubilea, in quibus non conceduntur omnes favores, qui solent in communibus Jubileis. 2. Jubileum triplex statuitur à Palao. 6 Cur quintuplex ab Authore? *Ibid.* Quandonam cæperit celebrari apud Christianos Jubileus? 7. Recensentur ordine multi Jubilei Anni Sancti. 7. & 8. Solus Papa largitur Jubileum. 9. Referuntur ceremoniæ, quibus solet publicari, & inchoari Jubileus Anni Sancti. 10. Exprimuntur ea, quæ continent Bullæ indicentes Jubileum Anni Sancti. 11. Et indicentes alia Jubilea. *Ibid.* Quid generatim conferant Bullæ Jubileæ? 12. Quid generatim auferant, vel exigant? 13. Quadruplex discrimen inter Jubilea antiquiora, & recentiora. 13. Quomodo intelligenda facultas componendi super ablatis incertis, quæ ex opinione Palai confertur in Jubileo Anni Sancti? 14. Quandonam præcisè incipiat, & desinat Jubileus Anni Sancti? 16. *& seq.*

2 Jubilei concessio est quasi innominatus contractus: *Do ut facias* III. 79. Quare ponendæ sunt conditiones, sub quibus datur. *Ibid.* Quænam conditiones, seu dispositiones ex parte lucraturi Jubileum exigantur generatim? 86. Quæ non requirantur? *Ibid.* Jubileus concessus alicui Diœcesi extenditur etiam ad peregrinos, & advenas. 87. & 90. Ejus favor est personalis. 89. At non merè. 466. Qui sæpius rite obit omnia opera præscripta, potest sæpius lucrifacere Jubileum Romanum. 92. Respondetur ad objectam declarationem Cardinalium. *Ibid.* Et ad factum quoddam Urbani. 93. Idem dic de Jubileo extraordinario, nisi apponatur clausula limitativa ad unam vicem. 94. Idem de Indulgentiis datis *instar Iubilei.* 95. Quid de itinerantibus. Vide Verb. *Itinerans.* An Jubileum lucretur, visitans paulò ante publicationem Ecclesias jam jam designandas? 64. & 481. Et singulariter constituti in extremo agone quomodo sint tunc juvandi à Confessariis? 482.

3 Omnes omnia opera perficientes cum æquali fervore consequuntur æqualem formaliter fructum Jubilei. III. 117. Quid si perficiantur cum inæquali fervore? 118. Distinguendum inter fructus diversos ab Indulgentia, & ipsam Indulgentiam. *Ibid.* Explicatur textus Bonifacii VIII. in speciem adversans resolutioni nostræ. 120.

Quæ sit operum pro Jubileo ratio, & commutatio, Vide Verb. *Opera.*

Jubileus semel obtentus dat jus omni tempore etiam post Jubileum eligendi Confessarium, qui ipsum absolvat à peccatis, censuris, & votis, sicuti poterat tempore durantis Jubilei. III. 242. Declaratur, variis instantiis absolutionis à peccatis. 243. Et commutationis votorum. 308. & 309. Probatur Authoritate. 243. 308. & 309. Hæc doctrina est probè notanda, & practicanda. 242. 4

Qua parte Anni Sancti obtineantur favores Jubilei Romani? III. 329. Quo die duarum hebdomadarum acquirantur favores Jubilei extraordinarii? 330. *& seq* An probabilitas vera falsæ opinionis de lucrifactione Jubilei aliquid emolumenti adferat? 332. Singulariter respectu favorum diversorum ab ipsa Indulgentia? 333 Sitne tam facile lucrari Jubileum, ut pœnitens, & Confessarius possit facile præsumere esse reipsa obtentum? 335. An delinquat, qui Jubileum negligit? 336. *& seqq.* 5

An si Pontifex moriatur antequam Jubileum concessum ab ipso publicetur in Diœcesibus, possit in hisce publicari, & lucrifieri, etiam cognitâ morte Pontificis? III. 340. *& seqq.* An profuerit, si ante ignoratam mortem fuit publicatum, & usurpatum? 344. In utroque casu est attendendum, utrùm post mortem Pontificis subsistat adhuc causa, ob quam ipse largitus fuit Jubileum, necne. 340. proponitur duplex verus casus Pontificis mortui ante publicationem factam in Diœcesibus. 339. Expedit dare frequenter Jubilea. 348. 6

Si Pontifices ante Innocentium X. dederunt in Anno Sancto alios favores præter Indulgentiam ipsam, vix est dubitandum, quin & Innocentius dederit. III. 350. Est probabile, quod anteriores Pontifices concesserint tunc præter Indulgentiam favores circa censuras, casus reservatos, & votorum commutationem. 351. Probatur variis rationibus. 351. *& seqq.* Atque authoritatibus. 354. Est tamen etiam probabile, quòd nihil concessum fuerit præter nudam Indulgentiam plenariam. 355. & 356. Non est omnino improbabile, quòd Innocentius X. pro suo Jubileo Anni Sancti dederit facultates distinctas ab Indulgentia. 357. Contrarium tamen est prope certum. 358. Probatur variis testimoniis, & judicio virorum gravissimorum. 359. *& seqq.* Dedit autem Clemens X. 364. *in App.* At non facultatem commutandi vota. 517. *in Append. lit. a. & seqq.* Praxis diversorum Episcopatuum. *Ibid. lit. b. & seq.* Refertur inaudita opinio Theologi Romani de perpetua revivescentia Indulgentiæ Anni Sancti. 365. Quæ fuerit occasio illius novæ opinionis? 367. Refutatur illa sententia duodecim argumentis. 371. *usque ad n.* 387. Proponuntur, & refelluntur septem argumenta in favorem illius ejusdem noviinventi. *à n.* 387. *ad n.* 406. Illa tamen 7

tamen argumenta videntur esse consideranda, quando deinceps conscribetur Bulla pro aliquo Anno Jubileo. *num.* 406. An sit certum, valuisse absolutiones, & commutationes votorum, quas Anno M. DC. L. fecerunt Confessarii ex communi persuasione, quòd eo Anno fuerit, omnibus Confessariis data potestas in vota, & censuras? 407. *& seq.*

Iubileum Anni M. DC. LI.

8 POntifices solent Jubileum Anni Sancti extendere Anno sequenti ad Episcopatus, at non nisi rogati. III. 409. Quinam supplicârint pro Episcopatu Constantiensi: *Anno* 1601. 1626. & 1651. *Ibid.* & 411. Nullum exemplar ejusmodi Jubilei extat apud Cherubinum. 411. Describitur ipsa Bulla Innocentii X. ad Ordinarium Constantiensem. 412. Referuntur literæ diversorum ad Authorem, proponentes tredecim dubia. *à n.* 414. *ad* 423. Proponuntur alia quatuordecim dubia, *à n.* 424. Ad illa. 27. Dubia respondetur. *à num.* 427. *ad* 514. Potest Ordinarius in ejusmodi etiam Jubileo designare saltem per modum dispensationis pro suo Episcopatu plures quàm quatuor Ecclesias. 427. Defenditur illud factum. 428. An non inde sequatur, quòd Episcopus possit designare omnes & singulas Ecclesias sui Episcopatus? 430. Quid circa eas factum à diversis Episcopis? 427. 431. 432, & 512. Quid circa commutationem operum tunc præscriptorum? 498. 505. & 512.

9 Pro eo Jubileo Anni 1651. potuerunt designari tot Confessarii, quot voluit Ordinarius. 434. Nec erat necesse, ut ii exciperent Confessiones in illis ipsis Ecclesiis, quæ erant visitandæ. 435. Potuit Episcopus tunc, si fuit necesse, imperare etiam exemptis, ut Confessiones exciperent in designatis Ecclesiis. 440. Nequiverunt ulla vota commutari vi illius Jubilei. 442. An omnes, qui se jungebant Capitulis, aut Confraternitatibus processionaliter incedentibus fuerint gavisi gratia, quæ fiebat tunc Capitulis, & Confraternitatibus processionaliter incedentibus? 446. Quid de mulieribus, quæ se junxerunt Confraternitatibus solorum masculorum? 447. Quid de excommunicato occulto etiam processionaliter incedente? 454. An aliqua irregularitas potuerit tolli per illud Jubileum? 449. Singularis difficultas, an peregrini, & viatores potuerint gaudere illo Jubileo, quod Anno 1651. fuit pro Diœcesibus datum ad instantiam Ordinariorum Diœcesanorum. 463. *& seqq.* Proponitur ratio singulariter dubitandi de illo. 476. Non potuerunt bis lucrari Diœcesani in sua Diœcesi. 477.

Iudex.

1 IUdex benignus, & rigidus quis dicatur? I. 2. & 3. Sequatur communiter benigniora verè probabilia practicè. 60. *& seqq.* Esse ei communiter sequenda benigniora probatur authoritate Juris Canonici. 61. *& seqq.* Ac Civilis. 75. *& seqq.* Et jurisperitorum. 142. *& seqq.* Ac Rotæ Romanæ. 144. Nec non Curiæ Spirensis. 145. Atque Neapolitanæ. 146. Præferat judex æquitatem rigori. 80. Judex ne judicet ex affectu carnali. 184. Concordet litigantes. *Ibid.* Xenia ne accipiat passim. *Ibid.* Lites breviter decidat. *Ibid.* Faveat Reo potiùs quàm actori. *Ibid.* Sit in judicando pupillis misericors. *Ibid.* Secundùm judicia sua judicabitur à Deo. 129.

An, & quatenus teneatur sequi opinionem communiorem? I. 189. *& seqq.* Enumerantur materiæ in quibus tenetur non sequi communiorem. 195. *& seqq.* Nequaquam litem facit suam, si recedat à communi. 190. Judex tenetur à toto genere sequi opinionem speculativam probabiliorem. 211. Enumerantur casus, in quibus rectè recedit à probabiliore. 211. An, & quatenus damnandus, si sequatur communiter respectu amicorum sententias favorabiles iis, respectu inimicorum minùs favorabiles his? I. 216. & 217. Judex quid spectabit in plectendo, & ignoscendo? 140. Nihil temere agat. V. XLII. 242. Defendat mortuos. L. 22. Suppleat defectus substantialis judicii. XLII. 234. Plectere nequit illum, quem ex revelata Confessione novit esse homicidam. 199. Declaratur Casu horrifico. 198. 2

Judex in lite de divortio quis? Vide Verb. *Divortium.* Quis in aliis Matrimonialibus? V. XXXVII. *& seqq.*

Iudicium.

IUdicium à suspicione quomodo differat? V. XIX. 31. Temerarium de gravi peccato alterius cur sit mortale? *Ibid.*

Iuramentum.

IUramento debet testis firmare sua dicta. V. XLII 51. An si sit infamis? *Ibid.* Et singulariter si sit veneficus? 52. Juramentum in teste non est de jure divino. 105. Nullius testimonio contra alium standum est, nisi sit roboratum juramento, quacunque dignitate fulgeat. 101. Excipe Papam. 102. Necessitas tunc jurandi provenit ex solo jure humano. 106. Adeóque potest tolli per privilegium, aut dispensationem, vel consuetudinem. 102. Quid jurare debeat testis? 107. Etiam Reus, & Actor præstant juramentum calumniæ. *Ibid.* Quomodo soleant jurare Germani? Vide Verb. *Germani. n.* 5. Clericis non licet jurare sine facultate Episcopi. 115. Juramentum est instar medicinæ. LI. 66. Et torturæ. *Ibid.*

Iurisconsulti.

IUreconsultis demandata est provincia explicandi leges civiles. II. 306. Et Canonicas. 309. Vocantur *Antecessores.* 307. Et *Iuris Sacerdotes.*

dotes. 308. Eſt eorum officium explicare jus, at ſine omnimoda excluſione Theologorum. 313. Quas ſpeciatim materias ſibi meritò vindicent excludendo Theologos? 316. *& ſeqq.* Non valet autem hæc argumentatio: *Iureconſulti non tractant materias Theologicas, ergo nec Theologi debent tractare juridicas.* 322. Jureconſultus non tam facilè evadit in Theologum, quàm hic in Jureconſultum, 326. Jureconſulti dant ſæpius ſpecimina excellentis memoriæ, quàm Theologi. 328. Et cur? *Ibid.* Jureconſulti an ſint in Epiſcopos, aut horum Vicarios eligendi potiùs, quàm Theologi, Vide Verb. *Theologus.* & Verb. *Vicarius.* Exprimuntur aliquæ quæſtiones Theologicæ, quas Jureconſulti explicârunt infeliciter. II. 482. Non valet illa conſequentia: *Theologi meritò ægre ferunt tractari à Iuriſtis materias Theologicas, ergo & hi juridicas ab illis.* 504. Periculo magnorum errorum ſubeſt profeſſor Juris Canonici, ſi careat Theologia Scholaſtica. 506. Solent Juriſconſulti & ſcientiam, & verba locare. II. 255. Plerique putarent ſe tentari, ſi proponerentur eis quæſtiones de variis materiis Canonici Juris? 258.

Iuriſdictio.

Juriſdictio voluntaria poteſt exerceri ubique. IV. 66. Et etiam in non ſubditos. 64. Non tamen directè in defunctos. 25. At indirectè. *Ibid.*

Ius.

Jus eſt ars boni, & æqui. I. 119. Summum jus cur ſumma iniquitas? 118. Scientia juris utriuſque ſitne tantùm memorativa retentio legum, an verò vera Scientia? II. 328.

Ius Canonicum.

Juris Canonici definitio. II. 94. Ejus objectum quo pacto ſint actus humani? 93. & 94. Eſt per ſe, & directè conditum ad externam gubernationem ſpiritualem. 94. Simul tamen etiam ad puritatem animæ promovendam. *Ibid.* Quo pacto differat à Theologia morali? 96. Prodiit ex viſceribus Theologiæ. 131. Et eſt maximam partem conditum à Theologis. 140. Quas materias Juris Canonici poſſint, aut debeant tractare Theologi? 125. *& ſeqq.* Jam tempore Ciceronis pauci ſtudebant juri Pontificio. 364.

Iuvenes.

Cur juvenes teneantur peculiariter eſſe ſobrii? V. 11. 2. Quid Plato ſcripſerit de vino non dando juvenibus? 3. Quid Galenus? 4. Quid S. Hieronymus? 5. An damnandi peccati, qui filios à teneris educant vino? 6. *& ſeqq.*

L.

Lacticinia.

Conſuetudo abſtinendi ab iis in quadrageſima obligat certò ſaltem ſub veniali. V. XXIII. 240. Et olim probabiliter ſub mortali. 241. Deſcribitur hanc in rem perantiquum Breve Pœnitentiariæ Romanæ ad tunc Epiſcopum Conſtantienſem. 242. In eo non permittitur ſanis, niſi uſus butyri loco olei. *Ibid.* Pauperibus, & infirmis omnia lacticinia, excepto caſeo. *Ibid.* Vide plura Verb. *Caro.*

Laici.

Laici teſtimonium adverſus Clericum non eſt recipiendum in cauſa criminali. V. XLII. 118. Niſi in criminibus exceptis. 122. Aut niſi cauſæ criminales moveantur civiliter. 123. Aut niſi ex natura facti non poſſint haberi ſoli teſtes idonei. 159. & 122.

Laniare literas.

Per laniationē literarum Sacræ Pœnitentiariæ quid intelligatur? V. XXXVII. 267. Quid ſi Commiſſarius eas apud ſe retineat ad aliquem uſum materialem, an irritabitur diſpenſatio? 268. & 269. Peccat mortaliter Confeſſarius, ſeu Commiſſarius, ſi eas literas non laniet, ſeu cancellet. 270.

Latinitas.

Latinitatis vitium, vitiat Reſcriptum. III. 364. *in Append. lit. pp.*

Lauretum.

Lauretanæ Indulgentiæ non ſuſpenduntur in Anno Jubileo. III. 41. Quàm ingens tribuatur recitantibus. *Ave Filia DEI Patris* &c. 709. *in Append.* 1.

Legatus.

Quas Indulgentias largiatur Legatus Apoſtolicus? IV. 56. Quas largiti ſint tres Legati, ſeu Nuntii Apoſtolici in honorem S. Franciſci Xaverii? *Ibid.* Quatenus Legatus Principis poſſit puniri ab eo, ad quem eſt Legatus? V. XXXII. 56.

Legitimus: Illegitimus.

Legitimus quis habendus? V. XXVIII. 71. & XXXVII. 247. Quid ſi conceptus ſub tempus, quo alii cum uxore peccârunt, XXVIII. 62. Quid ſi uxor peperit ſexto menſe, poſtquam eam cognovit maritus? 74. Aut undecimo, vel decimo tertio menſe poſtquam maritus eam ultimo cognovit? 75. & 76. Quid ſi mater in extremo agone juret, eſſe ſuam prolem illegitimam? 72. Caſus hanc in rem ingenioſus. 73. Lis de legitimitate ſpectat ad judicem Eccleſiaſticum. 79. Et poſſeſſio legitimitatis relevat ab onere probandi. 80. Et ſingulariter quando quis fuit nominatus, & tractatus ut legitimus. *Ibid.* Alia huc facientia, Vide *cit. n.* 80. *& ſeqq.* 1

In dubio utrùm quis ſit legitimus nec ne, quid pronuntiandum? V. XXVIII, 53. Vera legitimitas apprime convenit ſtatui filiationis, éſtque præſumptio filium eſſe ex legitimo Matrimonio natum, eſto fuerit pater ejus matre tanquam duntaxat concubinâ uſus ante Matrimonium. 85. & 86. Legitimitas quæ confertur vi Brevium pro diſpenſationibus Matrimonialibus occultis, intelligitur ad omnes ordines, & Beneficia Eccleſiaſtica, & ad omnia bona temporalia. V. XXXVII. 247. Omnis proles nata ex conjugio putatitio eſt legitima, modò pater, aut mater ignoret impedimentum. *Ibid.* An quando Papa ita diſpenſat: *Diſpenſamus ut ex tunc, ſeu, ut ab initio legitimus contractus cenſeatur*, dicendus ſit Papa diſpenſare in ipſa radice, ita ut proles ſit tam legitima ad omnia, quàm ſi Matrimonium fuiſſet ſemper legitimum? 249. Legitimandi privilegio gaudent Abbates Lucellenſes. 251.

Leſſius.

Quatenus fuerit P. Leonardus Leſſius ſecutus ſententias laxiores? I. 54. Suum librum de juſtitia & jure edidit aliis efflagitantibus. II. 267. Non adiit ſcholas juridicas. 293. Didicit linguam græcam ſine ullo præceptore. 357. Elogium, quo tres Jureconſulti ornant Leſſium. 369. Judicium aliorum de illo. 370. Quanta ejus temperantia? V. 1. 117. *in App. lit. t.*

Lex.

1 Leges civiles etiam admittuntur in foro Eccleſiaſtico. I. 73. Humanæ ſunt communiter interpretandæ in benigniorem partem. 96. Item divinæ. 98. Et ſingulariter eæ, quæ ſunt de Confeſſione. 102. & 103. Humanæ fluxerunt ex divinis. 99. Legum Eccleſiaſticarum multitudo nimia viſa eſt Gerſoni, & Navarro. 181. Legis extenſio quatenus permittatur, aut non permittatur, ob identitatem ſolam rationis? IV. 682. Aut ob majoritatem itidem rationis? 684. Quid ſi ſit extenſio puræ putæ gratiæ revocatæ? *Ibid.*

2 Referuntur varia judicia Doctorum de illa quæſtione: *An, & quando peccet, qui per aliquam actionem malam, aut non malam reddit ſe impotentem ad obſervationem alicujus legis aut præcepti?* V. XXVII. 1. *& ſeqq.* Proponuntur varia exempla legum, in quibus licitè, aut illicitè ſecundùm nonnullos, vel omnes Doctores ponitur, aut non tollitur impedimentum obſervationis. 21. *& ſeqq.* Exhibentur ea, quæ certa videntur circa hanc controverſiam. 39. *& ſeqq.* Et ea, quæ ſingulariter vertuntur in controverſiam. 59. *& ſeqq.* Authoris opinio profertur. 62. *& ſeqq.* Reſpondetur ad inſtantias, & rationes in contrarium allatas. 89. *& ſeqq.*

3 Lex præcipiens finem præcipit apponi omnia per ſe, intrinſecè, & ex natura rei neceſſaria obſervationi. V. XXVII. 44. & 9. An etiam non per ſe neceſſaria? 10. An quis ex vi legis aliquid imperantis teneatur ſe conſtituere in eo ſtatu, in quo obligetur à lege? 14. 19. 51. & 55. Multùm differunt hæ duæ locutiones: *Titius non obligatur hac lege*, & *Titius excuſatur ab hac lege.* 52. Declaratur. 53. Quando aliqua lex reſtringitur ad ſanos, non impeditos, vel affectos aliqua conditione, non delinquitur ab eo, qui non conatur facere ſe liberum impedimento, illáve conditione. 57. Nemo ex vi legis tenetur perſeverare in eo ſtatu, in quo ab ea obligetur. 58.

Libri hæretici.

Libri hæretici lectio, retentio, repertio apud aliquem an probet, eum eſſe hæreticum? Vid. Verb. *Hæreſis.* Epiſcopus quo caſu queat exempto Religioſo dare facultatem legendi libros hæreticos? IV. 64. *in Append.*

Libertas.

Homo quomodo privetur naturali libertate faciendi quidlibet? I. 116. & III. 294.

Libido.

De verbis libidinoſis prolatis ab ebrio quid cenſendum? Vide Verb. *Verbum.* Remedium ſingulare. III. 32. *in Append. lit. rrr.* Libidinis nomine quid intelligant Patres? V. X. 44. An libidinoſæ cogitationes, ſomniáque ebriorum ſint confitenda? V. XIX. 14. & 17. Non eſt ridiculum confiteri turpia ſomnia, quorum cauſam dedimus. 15. Nec licitum ea directè procurare. 16. Etiam pollutio eveniens ebrio non eſt confitenda neceſſariò. 19. & 20. Ratio naturalis non obligat graviter ad tollendas vel non dandas pollutionis cauſas, quæ non tendunt directè, & per ſe ad illam. 20. Cogitationes etiam turpes non ſunt ex ſe peccata. 17. Ebrioſitas eſt mater libidinis, teſte Sacra Scriptura. V. X. 39. Et Patribus. 40. Et Theologis. 42. Et Ethnicis. 43. An igitur voto caſtitatis obſtrictus peccet contra ſuum votum, ſi ſe inebriet? 44. & XIX. 10.

Literæ.

Literas alienas aperire, ac legere, an, & quantum peccatum? V. XIX. 77. Quando fas legere? 78. An illarum fragmenta in unum collecta, quas continentes magnum ſecretum quis laceravit, fragmentáque projecit foras? 80. Et loco perditarum ſubſtituere propriâ authoritate alias? 81. Literarum nomine intelliguntur quandoque omnes artes, quibus inſtrui Filium debet curare pater. 28. 16.

Locus.

An circumſtantia loci non inficiat peculiari malitia mortali niſi illas actiones, quas lex humana vetuit intuitu reverentiæ loci ſacri? V. XLVIII. 2. Quid nominatim de eſu, & potu in tali loco? 3. Quid de laſcivo cantu? XLIX. 1. *& ſeqq.*

Loth.

LOthi ebrietas incusatur, & excusatur à scriptoribus. V. VII. 14. Cur se inebriaverit? XVIII. 20.

Lucella, seu: Luciscella.

LUcellæ Monasterii Ordinis Cisterciensis Architectus fuit S. Bernardus. V. L. 80. Cur vocata Luciscella? *Ibid.* Quàm ingens numerus Comitum, Baronum, Nobilium elegerit sibi sepulturam in Ecclesia illius Monasterii? 79. Lucellensis Abbas pollet jure legitimandi, XXXVII. 251.

Ludovicus de Ponte.

LUdovicus negligens medicinam perdit oculum. V. I. 38.

Lugo Cardinalis.

ADhuc triennis jam noverat libros, & chartas exaratas legere. V. I. 31.

Lupulus.

CUbantes supra lupulum inebriantur quandoque, an igitur graviter peccent? V. XXXI. 8.

M.

Magister.

MAgister in Theologia vel Jure est idem, quod Doctor. V. XXXVII. 155. Pro expediendis literis Sacræ Pœnitentiariæ debet esse Doctor, nec satis est esse Licentiatum. 156. Habet tamen Societas privilegium, ut etiam non Doctores expediant. 158. Refutatur Lezana scribens, successores P. Claudii Aquavivæ non posse uti isto privilegio. 159.

Magister est pater. II. 201. Ac Severus Imperator Ulpianum vocat parentem. *Ibid.* Sine vivo Magistro permulti didicêre multa, & magna. 295. 355. *& seqq.* Cur mirati Judæi, quòd Christus sciret literas sine Magistro? 359.

Optimus est sese, qui novit cuncta Magistro. 353.

Maledictio.

MAledictiones parentum in filios sunt ratiò peccata mortalia. V. XXIX. 24. *& seqq.* Et in dubio præsumendum, non processisse vel satis deliberatè, vel ex animo. 26. Proponuntur Aphorismi, ex quibus Confessarii discant, quid practicè sentiendum sit de parentibus confitentibus se maledixisse liberis? 29. *& seqq.* Quid si puella fateatur se sæpe matri maledixisse, at non ex animo? 39. Maledictiones prolatæ ex odio non accipiunt specificam malitiam ex diversitate specifica malorum, quæ optantur. 40.

Malum.

MAlum publicum quid sit? II. 10. Quod malum censeatur esse majus altero? V. VII. 3. Cur aliquid dicatur malum? *Ibid.* Quo sensu dicat Apostolus, non esse facienda mala, ut veniant bona? XVIII. 37.

Manrique.

HIc Doctor generatim carpit omnes illos Theologos, qui cùm non frequentârint scholas vulgò dictorum Jureconsultorum, attamen verbo, vel scripto explicant unam, aut plures ex iis materiis, quarum tituli extant in jure seu Civili, seu etiam Canonico. II. 1. Nominantur Theologi, quos idcirco carpit singulariter. 2. Exhibentur ejus verba. 29. 30. 31. 33. *& seqq.* Item *n.* 44. *& seqq.* Quid ipse nominatim asserat de Theologis? 14. *& seqq.* Quid nominatim requirat in Theologis? 29. *& seqq.* Quid nominatim carpat in Theologis? 42. *& seqq.* Cur in Tractatu secundo referantur verba solius Michaëlis Manrique, & cur ille solus nominatim refutetur? 12. Quanta mala sequerentur, si lectores Manriqueani præberent assensum ejus querimoniis de Theologis? 8. *& seqq.* Colliguntur ex dictis Manriqueanis multa Corollaria aliena ab omni verisimilitudine. 65. *& seqq.* Non fuit Theologus. 489. Et tamen tractavit multas quæstiones purè Theologicas. 490. *& seqq.* At non secundùm veram Theologiam decidit. *Ibid.*

Maritus.

MAritus an sine licentia uxoris licitè suscipiat peregrinationem? III. 19. Tenetur alere uxorem. V. XXVIII. 1. Quid nomine alimentorum intelligatur? 2. Tenetur etiam indotatam alere. 3. Nisi dos sit quidem promissa, sed non præstita. 8. Secùs si præstita, sed casu amissa. 10. Quid si dissolutum sit Matrimonium, quoad torum? XXXIX. 1. *& seqq.* An, & quatenus licitè castiget verbis uxorem? V. XXIX. 1. Quatenus licitè eam petat verbis contumeliosis? 5. Faciendum hic discrimen inter nobiles, & plebeias. 7. An, & quatenus licitè utatur verberibus in uxorem? 9. *& seqq.* Est is caput uxoris, superior, & quasi Magister. 10. Eam quandoque licitè castigat etiam meræ punitionis causa. 15. Quandonam censeatur graviter, adeóque illicitè eam verberare? 17. Quæ singulariter uxores licitè verberentur graviter? 18. Mariti bona quæ, & quorum administratio ad ipsum spectet? Vide Verb. *Bona.*

Martyr: Martyrium.

QUo sensu foret Martyr, qui mallet occidi, quàm inebriari? V. XVIII. 49. An sit fas ingerere sese in Martyrium? 51. Conditiones ad Martyrium requisitæ. *Ibid. Remissivè.*

Mater.

MAter tenetur primo triennio alere liberos. V. XXVIII. 14. Ideò præbere lac. 15. *& 19.* Et si non lactet ipsamet, peccat in primis per se loquendo venialiter. 20. Deinde tenetur ipsa nutrici dare mercedem. *Ibid.* Nisi justa causa excuset. *Ibid.* Qualis etiam potest esse mos patrius. *Ibid.* An teneatur primo triennio subministrare filio illegitimo omnia necessaria? 21. Potest ad emendationem castigare filiam, aut etiam filium. V. XXIX. 45. Nec potest id ei universim prohiberi à viro. 46. Emancipatum illicitè verberat. 47. Quid si verberet filium Clericum? 48.

Matrimonium: Matrimonialis causa.

CAsus Matrimonii, quod fuisse contractum in vera ebrietate censuit, & probavit J. C. Germanus. V. XXI. 10.

Quando de Matrimonio oriuntur quæstiones juris solus Ecclesiasticus judex terminabit. V. XXXVII. 1. Quid si autem versentur in quæstione facti? 5. Quid si quæstio facti sit resolvenda ex quæstione juris? 10. Quid censendum de quæstionibus circa dotem, hæreditatem, successionem? 12. Aut clandestinum Matrimonium. 13. Quomodo se geret parochus, cognoscens subesse impedimentum Matrimonii. Vide Verb. *Parochus.* Quomodo Confessarius. Vide Verb. *Confessarius.*

Medicina.

MEdicinis an, & quatenus liceat perpetuò abstinere? V. I. 36. *&* 37. An opus meritorium exerceas abstinendo, cùm essent profuturæ ad leniendos graves dolores? 38. Quid si tempore Martyrii immineat mors, nisi sumatur Medicina? 38.

Mediolanum.

MEdiolani quando, & cum quibus conditionibus obtineatur Indulgentia pro triduo Bacchanalium? III. 151. *in Append. Historiâ. lit. i.*

Memoria.

PRodigiosa memoria, S. Antonini. II. 287.

Mendacium.

QUomodo à mendacio excusenrur ii, qui se vocant servitores aliorum, cùm ne præstiterint, nec præstare cogitent ullum servitium? V. XIII. 23.

Mensis.

QUando mensis assignatur pro Jubileo, potest totus etsi longissimus assumi. III. 63. Quid si tunc Jubileum inchoëtur quinto aut sexto die mensis? *Ibid.* Quid si inchoëtur uno è mensibus brevioribus? *Ibid.*

Meritum.

AN possimus cœlum mereri opere malo in se, at suscepto ex intentione bona? V. I. 47.

Missa.

QUatenus rationabiliter offerantur plures Missæ pro una eâdémque anima? IV. 506. Quatenus habens numismа præditum Indulgentiis licitè sacrificet in altari non privilegiato, cùm alioqui deberet in privilegiato, Vide Verb. *Altare.* Ostenditur quo pacto habens Indulgentias possit liberare plures animas unâ Missâ. 513. An Sacerdos volens liberare aliquam animam debeat esse in statu gratiæ? 515.

Monachus: Monialis.

MOnachi nomine quid intelligatur strictè? III. 29.

Nomine monialis seu Sanctimonialis quid veniat? *Ibid.* Quale Jubileum monialibus soleat concedi in Anno Sancto? 28. Quæ dispositio corporis, & animæ exigatur in iis, ut possint frui illo Jubileo? 30. An Monialis apostatans ab Ordine fruatur Jubileo concesso Regularibus revertentibus ad Ordinem? III. 32. *in Append. 2. lit. r.* An Moniales obligentur omnibus præceptis Regularium in genere? *Ibid.* Possunt tempore communium Jubileorum confiteri cuilibet approbato. 227. Quid ratione Confessarii fuerit circa eas statutum Constantiæ Anno 1651. Jubileo? *Ibid.*

Morbus.

QUos morbos pariat ebriositas? V. X. 1. Nominatim parit dolorem capitis. 2. Exemplum hujus lepidum. 2. Quid Sacra Scriptura dicat de morbis ebriositatem sequi solitis? 4. Quid SS. Patres. *Ibid.* Quid Theologi? 5. Quid Medici? 6. An morbi sint ita assidui effectus ebrietatis, ut propter hos ebrietas sit semper damnanda de peccato mortali? 7. An Clerici ebriosi incidant in censuram Canonis: *Si quis suadente?* 9. *&* 12. An peccet peculiari peccato inebrians se cum prævisione secuturæ podagræ, & chiragræ? 13. *& seqq.* Aut doloris capitis, aut nauseæ stomachi? 19. *&* 20. Aut ineptitudinis ad officia obeunda? 21. *& seqq.*

An peccet moraliter contra justitiam is, qui se inebriat, prævidens inde oriturum morbum, qui impediet executionem officiorum? V. X. 22. Quid si ea possint suppleri per alium? 23. Quomodo talis teneatur confiteri suam intemperantiam? 25. An teneatur aliquid restituere ratione neglecti officii? 26 Singulariter sit sit Professor publicus, aut Concionator? *Ibid.* Cui facienda restitutio? 28. *& seqq.* Quid si infirmitas duravit uno solùm mense? 27. Quid hîc censendum de Beneficiatis, non valentibus ex eadem causa persolvere pensum Canonicum? 32. *& seq.* An tales, si sint Canonici, lucrentur nihilominus distributiones quotidianas? 36. An liceat morbum sanare ebrietate. XVIII. 13.

Morbus contagiosus jam existens ante Matrimonium, an, & quatenus det causam divortii? V. XXXIV. 59. Quatenus negandi debitum conjugale? *Ibid.* Quid si morbus contagiosus

sit ortus post conjugium? 62. An etiam licita redditio cum periculo contagionis? 67. Quatenus ob periculum contagionis liceat facere separationem etiam quoad habitationem? 71. & seqq. Quid tunc singulariter liceat, quando morbus mariti ortus est ex ebriositate, aliáve causa peccaminosa? 76.

Morituriens.

AN morituriens possit lucrari Jubileum pridie quàm sit promulgatum? III. 81. Quomodo juvandus à Confessario? 482.

Mors.

PEr mortem animæ intelligitur etiam spoliatio Rationis, & intellectus. V. XVIII. 12.

Mortuus.

1 MOrtuis possunt concedi Indulgentiæ. IV. 262. An immediatè? 263. Solus Papa potest eis dare authoritativè. 264. & 471. Non subsunt jurisdictioni Ecclesiæ. 263. Mortui nomine *fidelium* non intelliguntur in materia de Indulgentiis. 264. Concessis omnibus Indulgentiis alicujus Ecclesiæ fortè non intelliguntur concessæ illæ, quæ sunt applicabiles defunctis. *Ibid.* & 265. Papa non permittit Indulgentias merè personales transferri in mortuos, at permittit reales, præsertim extraordinarias. 266. Modus applicandi mortuis Indulgentiam sub conditione. 722. & *seq.* Nominatim respectu *Regularium*, & Confratrum. 724. Quibus diebus possint animæ liberari purgatorio ratione stationum? 726. & *seq.* Documentum pro metuentibus superstitionem hac in re. 728. Motivum ad juvandos defunctos applicatione Indulgentiarum. 729.

2 Mortui sunt inter miserabiles personas miserabiliores. V. L. 22. Et sunt sub protectione Ecclesiæ. *Ibid.* Debet judex eos tueri ex officio. *Ibid.* Reus capitis, & incarceratus, si reperiatur mortuus ante, aut post confessionem criminis, an sit sepeliendus loco infami? 68. An quilibet mortuus in peccato mortali sit privandus sacra sepultura. Vide Verb. *Sepultura.*

Motu proprio.

QUid Juridicè dicatur esse factum *Motu proprio*? III. 32. *in Append.* 2. *lit. nn.* Applicatur casui notabili. *Ibid.*

Mulier.

1 QUo sensu sit speculativè, non tamen practicè probabile, quod omnes mulieres quinquagenariæ sint solutæ lege jejunii. I. 19. Mulier cur comam gerat, & cur velo obducta fuerit olim, quando nuptui dabatur. V. XXIX. 1. Plebeiæ infimæ sortis rarò graviter peccant petendo invicem gravibus ex se convitiis. 8. Mulier nequit esse testis in causa criminali. XLII. 8. Quid si nequeat aliter comperiri veritas? *Ibid.* Quid si necdum est. 25. Annorum? 82. Quid si agatur de testamento pio? 148.

Mulier inebriando se peccat gravius, quàm vir. V. XLIII. 1. An circumstantia sexus sit tunc exponenda in Confessione? 5. An circumstantia conjugii? 9. Mulier ebriosa parit filios hebetes. 13. & 14. Et lactans efficit epilepticos, atque ecstaticos. 14. Impeditque conceptionem. 15. Peccat mortaliter mulier, quæ per actiones illicitas corrumpit sanguinem, aut lac, quo infans nutritur intra, vel extra uterum. 13. An delinquat edendo pastillos, ne vinum oleat? 24. & *seq.*

2 An lege possit omnibus mulieribus interdici potus vini? V. XLIII. 27. Quomodo antiqui explorârint, & punierint mulieres merobibulas? 28. 29. & 30. Malè permittitur, ut mulieres perinde ac viri instituant sympolia. 19. An mortaliter peccet, vocans aliquam mulierem merobibulam? 42. Quid consulendum maritis, quando apud Confessarium conqueruntur de bibacitate uxorum? 48. Quid censendum de tribus horrendis potatricibus Franconicis? 55. Quid de quatuor helluonibus Belgicis pronuntiârit Lessius? 59. An peccet, qui aliquam mulierem esse meretriculam suspicatur ex eo solùm, quòd noverit, eam esse vinolentam? 81. Quid si illa mulier sit Germana? 62. Quid si Galla, vel Itala? 65.

Mutitatio.

MUtitatio est, quando mutantur in orbem vices excipiendi convivio. V. XXVI. 35. Non est per se, sed solùm per accidens damnanda. *Ibid.*

N.

Navarrus.

CUpivit videre Pontificem, qui minueret numerum legum Ecclesiasticarum pœnalium. I. 181. Quomodo describat, honorétque Theologiam? II. 248. Quomodo Confessarium? 239. Dabat sponsa gratis. 256.

Negligentia: Negotiari.

NEgligentia propriè quid sit? III. 337. Est ea semper peccatum. *Ibid.*

Negotiari propriè quid sit? V. XI. 12. An emere frumentum, ut ex eo coquatur, vendatúrque cerevisia sit negotiatio Clericis interdicta? *Ibid.* & 13. Item si Clericus emat uvas, ut inde expressum vinum vendat? 14. Aut emat pullos equinos, ut eos pascat in prædiis conductis, & grandiores factos revendat? *Ibid.* Aut revendat superfluum vinum, quod emerat in suum usum? 19. Quid si suis expensis curet imprimi librum ad revendendum? 27. *in Append.*

Neomysta.

REgularis celebrans primam Missam lucratur Indulgentiam plenariam. IV. 549. Lucrantur & alii Regulares, qui Sacra Communione refecti interfunt eidem. *Ibid.*

Noë

NOë Patriarcha fuit inculpabiliter inebriatus. V. VII. 14. Ante ipsum non fuit usus vini. IV. 7.

Non aliter.

CLausula: *non aliter, neque ullo alio modo* quomodo intelligenda? V. XXXVII. 257.

Non oportet.

CLausulæ: *Non oportet facere: Non debemus facere*: accipiuntur in Jure communiter pro: *Oportet non facere. Debemus non facere.* V. XXXVII. 60.

Notarius.

NOtarius unde dictus? IV. 510. Pro subsignandis exemplaribus literarum Apostolicarum sufficit quilibet Notarius creatus à quovis Magistratu. *Ibid.* Adeóque etiam Religiosus Secretarius alicujus Conventus, vel Provincialis. *Ibid.*

Novitius.

CAsus Novitii remittendi ad sæculum ob delicatam complexionem imparem sustinendæ abstinentiæ Regulari. V. I. 54. Non fuit ille Novitius compellendus ad deferendum Novitiatum. 56. Esto timuerit abbreviationem vitæ si maneret in Religione. *Ibid.*

Nulla interposita mora.

HÆc Clausula debet in Bullis mandantibus, in virtute obedientiæ, ut Jubileum statim, & nulla interposita mora publicetur, accipi moraliter, & civili modo. III. 71.

Nuntius Apostolicus.

POtest in sua Provincia omnia, quæ Papa non reservavit sibi. III. 48. *in Append.* 3. *lit. f.* Æquiparatur Proconsuli. *Ibid.* Concessit durante Anno Jubileo Indulgentiam centum dierum. 48. *in Append.* 2. *lit.* h.

O.

Obæratus.

QUandonam obæratus dicatur fieri per alium contractum pauperior? V. XII. 3. An, & quatenus liceat contrahere cum tali? 2. An qui obæratum ducit ad cauponam, teneatur satisfacere hujus creditoribus? 4.

Oblatum.

OBlata ad Altare Celebrantis cui debeantur? V. I. 76. Quid si parochus celebret in aliena Ecclesia conjuncturus illic duos parochianos? *Ibid.*

Oblivio.

OBlitus promulgationis Jubilei, at recordatus post lapsum temporis designati, an possit sibi deligere duas alias hebdomadas? III. 91. *in fine.* Oblivio non patrocinatur iis, quæ à gratuita voluntate alicujus, exigentis certas conditiones dependent. 159. *in fine.*

Occasio.

AN dare occasionem peccati sit formaliter cooperari ad peccatum? II. 492. An liceat manere in occasione proxima peccandi, si fugiendo timeatur gravissimum malum? V. XXXIII. 80. & *seqq.* Quid si habeas revelationem, te succubiturum tentationi permanendo in illa occasione? 81. Proxima non est fugienda cum notabili damno, alterius inocentis. 75.

Occidere.

CUr non dicatur se occidere omnis, qui ex voluptate utitur potu vitam abbreviante? V. I. 59. An licitè occidam ebrium, qui me nititur occidere? XIX. 4. Aut illum, qui est impositurus mihi atrocia crimina? 8. Aut illum, quem non possum fugere sine gravi ignominia. 7.

Occultum.

OCcultum in Jure quid dicatur? V. XXXVII. 172. & *seqq.* Et quid si sit ita notum, ut possit in judicio probari sufficientibus testibus? 174.

Omnia & singula.

HÆc clausula: *Omnia, & singula*, quantæ sit efficaciæ? III. 48.

Opera pro jubileo quomodo facienda.

NOn est necesse ut omnia peragantur in statu gratiæ. III. 58. At ultimum debet fieri in tali statu. 59. An si non fiat in tali statu, redeat Indulgentia obice remoto? *Ibid.* Quid si fiant cum peccato veniali? 60. Quid si non cum perfecta integritate? 61. Aut per alium? 62. Quando sint peragenda? 63. Exemplum Vicarii Generalis arcentis totum Jubileum in unam hebdomadem. *Ibid.* Non potuit validè id decernere. *Ibid.* Nec declaratio Episcopi de obeundis omnibus intra unam hebdomadem est authentica. *Ibid.* Nec possunt Prælati injungere plura aut difficiliora opera, quàm injunxerit Pontifex. *Ibid.* Exempla Episcoporum mandantium omnia opera peragi ab omnibus in una hebdomade. 72. Sunt obeunda iis diebus, quibus affiguntur per Bullam. 73. Et eo ordine, qui præscribitur. 74. Et valent, etiamsi fine fortè jam aliunde præscripta. 75. Et quando aliquod præscribitur sine determinatione quantitatis, & qualitatis sufficit minimum. *Ibid.*

Referuntur variæ intentiones, ad quas possunt seu validè, seu invalidè peragi opera pro Jubileo. III. 76. Opera debent dirigi ad intentionem determinatam à Papa. 77. Et ea intentio formari ante inchoationem operum. *Ibid.* Quænam intentio sit indubitanter valida? 78. Quis defectus intentionis præscriptæ certò obsit valori Indulgentiæ Jubileæ? 79. Quis probabiliter? 80. & 83. Quis meritò ha-

beatur pro non attendendo? 84. Cur Pontifices præscribant alias, atque alias intentiones? 80. & 81. Omnia omnino opera debent ex præscripto Papæ dirigi ad certam intentionem. 85. Non exigitur formalis intentio lucrandi Jubileum. 86. Quid sit necessarium, ut verè quis opus perficiat pro alio. IV. 255. Quænam voluntas hic requiratur? 256. Quænam cognitio? 257. Quo loco sint opera peragenda? 88. & seqq. Deciditur de hac re Casus valde singularis. 517. in App. lit. i. §. At.

Operum pro Iubileo Commutatio.

3 NEmo propria authoritate potest sibi ipsi commutare. III. 97. At potest Confessarius cum impeditis. 98. Illud impedimentum debet esse grave. 99 Seu continere difficultatem notabilem. 100. An omnis difficultas jejunandi, ob quam eximitur quis à præcepto Ecclesiastico, sit sufficiens ad commutationem vi Jubilei faciendam? 100. Quid censendum de commutatione visitandi Ecclesiam parochialem, respectu monialium non observantium strictam clausuram? 102. Aut Virginum incolentium liberos parthenones? *Ibid.* Quid si commutatio sit facta bona fide, attamen absque sufficiente causa? 103. Commutatio potest fieri etiam cum illis, qui non sunt obnoxii ulli censuræ, aut votis. 105. An omnia possint commutari? 106. & 107. Bullæ diversimode hîc loquuntur. *Ibid.* In quæ opera sit facienda commutatio? 108. Ubi? 110. Quando? 111. Non est necesse, ut opera, in quæ est facta Commutatio, perficiantur eo die, quo debebant perfici commutata. *Ibid.* Quid si dilata communione in ultimum diem Jubilei comedas aliquid manè per inadvertentiam? 112. Aut illo ultimo die nihil ex præscriptis operibus præstitisti. 113. Quid si perfectis omnibus præter Confessionem & Communionem, dubitet Confessarius, an sis dispositus ad absolutionem propter occasionem peccandi proximam? 114.

Opera pro Indulgentiis.

4 QUalia opera possint pro Indulgentiis præscribi. IV. 170. Varia practica corollaria deducuntur ex eo, quòd opera perficienda pro Indulgentia sufficiant, licèt jam sint aliunde præcepta. 174. & seqq. Applicantur ea singulariter adscriptis Congregationi Rosarii, & Annuntiatæ &c. 177. Operum pro Indulgentia præscriptorum omissio ex oblivione, aut impotentia communiter impedit acquisitionem Indulgentiæ. 186. Esto non omittatur nisi pars notabilis. 188. Quid si tantùm minima? 190. Quænam censeatur generatim minima. 192. Quæ speciatim respectu Rosarii. 192. Quid si in iis perficiendis admittatur aliqua culpa? 197. & seqq. Communiter nequit opus præscriptum perfici per alium. 251. Opera Regularium quomodo communicentur aliis? Vide Verb. *Regularis. n. 4.*

Opinio.

OPinio benigna, & rigida quæ sit declara- 1
tur variis exemplis. I. 1. & 4. Opinionem quamlibet certò practicè probabilem sequi est generaliter licitum. 4. Plus quàm centum octoginta Doctores ita sentiunt. 5. Et alii. 165. Estque ea doctrina inspecta authoritate simpliciter loquendo humano modo certa. 4. *ad fin.* Quæ opinio dicatur generatim probabilis? 6. Quæ probabilis *practicè? Ibid.* Quot, & quales authores reddant aliquam opinionem probabilem? 7. Refertur Alexandri VII. censura de authoritate unius sufficiente ad gignendam probabilitatem. 8. Opinio quæ speculativè, quæ practicè probabilis? 9. & seqq.

An & quatenus implicet, aliquam opinio- 2
nem esse probabilem speculativè quidem, at non practicè? I. 13. Quænam in particulari sint probabiles speculativè, at non practicè? 18. Opinionis speculativè, & practicè probabilis nova descriptio ex Arauxo. 20. Opinio magis, & minùs tuta quæ? 21. An omnis opinio probabilis excludat omne peccatum etiam mortale. 21. Opinio communis quæ? 22. Quot authores sufficiant ad efficiendam communem? *Ibid.* Opinio singularis quæ? 24. Opinionem ex se probabilem quibus casibus non liceat sequi? 25. & seqq.

Fas esse Confessariis, & aliis judicibus sequi communiter ex opinionibus practicè probabilibus mitiorem probatur à Sectione quarta Tract. primi usque ad nonam inclusivè. Argumenta duodecim in contrarium proponuntur *à n. 33. ad 43. Inclusivè.* Respondetur ad ea argumenta à Sectione decima ad finem usque Tractatûs ejusdem. Est per se loquendo laudabilius sequi opinionem, probabiliorem, & securiorem simul. 45. Opinionis laudabilitas unde desumenda? 52. Opinio singularis non est sectanda sine peculiari causa. 56. Opiniones benigniores sunt plerumque probabiliores. 112.

Opinio benigna est communi contrariæ an 3
referenda in omnibus casibus saltem favorabilibus. I. 143. Opiniones singulares communibus præferunt quandoque omnes ferè Doctores. 207. Opinio præferenda, quæ nititur ratione vel subtiliore. 197. Vel validiore. II. 407. Vel stat pro valore Matrimonii. I. 195. Vel pro causa pia. *Ibid.* Vel est Rotæ Romanæ. 196. Opinionis à parte rei falsæ probabilitas an prosit ad comparandam Indulgentiam Jubilei? III. 332. An ad favores distinctos ab Indulgentia. 333. An ad alias Indulgentias. IV. 710. Et singulariter. 712.

Optare.

AN liceat optare ut aliqua ex se mala, eveniant inculpabiliter in ebrietate? V. IX. 57. An liceat optare, ut quis die jejunii aliquid comedisset per inadvertentiam? 80. Aut optare, ut haberetur ignorantia inculpabilis alicujus præcepti, ut posset liberè aliquid fieri? *Ibid. & seq.*

Oratio pro Iubileo.

1 QUando generatim requiritur Oratio pro Jubileo, sufficit mentalis. III. 237. Secùs si præscribatur recitatio hujus, aut illius Orationis. 139. Et potest sufficere per brevis, quando solùm dicitur: *Qui oraverit: qui pias ad DEVM preces fuderit.* 140. At quid si dicatur in Bulla: *Qui per aliquod temporis spatium devotè oraverint? Ibid.* Quid si tunc oretur solùm quinquies *Pater* & *Ave*? *Ibid.* Quid si solùm unum *Ave Maria*? *Ibid.* Paulus III. non præscripsit nisi unum *Pater*, & *Ave* pro plenaria Indulgentia Societatis JESU. 140. At Gregor. XIII. jussit dici quinquies. *Ibid.* Oratio pro Jubileo debet fieri ad intentionem præscriptam. 141. Quæ proinde intentio debet esse nota oranti. *Ibid.* Nec sufficit tunc Oratio fusa cum perpetuis voluntariis distractionibus. 142. Sed si nulla intentio sit præfixa probabiliter non obest valori Indulgentiæ distractio voluntaria. 143. Debet autem fieri in loco designato à Papa. 144. Quid si is, qui interfuit processioni, & in ea piè oravit, at vel non visitet Ecclesiam, vel visitet quidem, at in ea nihil oret? 145.

Oratio XL. Horarum continuarum.

2 COnferuntur inter se Bullæ loquentes de Oratione 40. horarum continuarum. III. 146. Practicè loquendo æquivalent hæ tres locutiones: *Oratio 40. horarum continuarum: Oratio 40. horarum continuatarum: Oratio continuata per 40. horas.* 148. Quid si per breviculum tempus omnes præsentes dormitent? 149. Quis sit ritus habendi Orationem 40. horarum? *Ibid.* An quando Pontifex dat Indulgentiam interessentibus Orationi 40. horarum continuatarum, eam lucretur, qui interest post horam quadragesimam, posito quòd ea Oratio continuetur conscio Pontifice ad 50. horas? 150. & IV. 362. Defenditur contra nonnullos responsio affirmativa. *Ibid.* Innocentius X. statuerat, ut Oratio 40. horarum, quæ solet in Ecclesiis Soc. JESU institui triduo antecineralium, continuaretur die, noctúque: at Alexander VII. sustulit obligationem continuationis. III. 151. An revera sit necesse, ut posita conditione continuationis semper (loquendo moraliter) aliquis sit, & oret in templo? *Ibid.* Solvuntur Patris Quintanadvennæ rationes oppositæ nostræ sententiæ, *Ibid.*

Oratio pro defunctis.

ORatio à cœlitibus, aut mortalibus fusa pro 3
defunctis non liberat hos directè, & immediatè, sed tantùm impetrat à DEO, vel ut DEUS applicet ipse iis merita Sanctorum, vel excitet homines ad satisfaciendum pro iis. IV. 465. & 470.

Ordinarius.

QUis dicatur *Ordinarius loci* in Bullis loquentibus de Jubileorum publicatione, Ecclesiarum designatione facienda per *Ordinarios locorum*? III. 66. Nomine *Ordinarii* absolutè sumpti intelligitur etiam Prælatus Religiosus. 230. Non autem nomine *Ordinarii loci.* 228.

Ordo Militaris.

HIc Ordo constituit verum Religiosum. III. 32. *in Append. 2. lit. o.* Judicium Patris Suarez de quibusdam Equitibus Militaribus. *Ibid.*

Osculum.

OSculorum apud Romanos nullus ferè usus fuit. V. XXXII. 11. Cur propinqui propinquas peregrè redeuntes fuerint soliti osculari? 12. Osculum quomodo differat à Suavio? 12. An osculans alienam uxorem sit suspectus de adulterio? 11.

Ova.

HOrum esus extra Quadragesimam non est ulla generali lege, vel consuetudine interdictus. V. XXIII. 236. An consuetudo abstinendi in Quadragesima obliget sub mortali? 237. Refertur, & discutitur Decretum Alex. VII. prohibentis hanc sententiam: *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.* 240. Ubi viget consuetudo edendi ova, fas est illa edere, quæ sunt adhuc in gallina. 238. Et juxta Sanchez obligaris edere ova, si sine iis nequeas abstinere altera refectione. 239.

P.

Pallavicinus.

CArdinalis Pallavicini singularis opinio circa indifferentiam actuum refertur. V. I. 114. Ejus virtutes. *n.* 117. *Remissivè.*

Palaus.

PFerd. de Castro Palao legit in utroque corpore Juris omnes textus, quos citat innumeros. I. 90.

Panis.

EDentes panem donec ratio sopiatur an peccent mortaliter? V. XXX. 11. & 12.

Papa.

SOlus dat Indulgentias plenarias. IV. 53. & *seqq.* Et dat etiam ante consecrationem. 54. Datque solus pro defunctis. 62. & 264. An, &

quomodo exerceat actum jurisdictionis? 482. Quomodo jam defunctus possit dare Indulgentiam aut aliquem ferire excommunicatione? 386. Nequit deponi à Concilio. V. XLII, 246. *in Append. lit. ee.*

Parapherna.

PArapherna seu Paraphernalia quid sint? Vide suprà Verb. *Bona. n. 1.*

Parasceve.

NOn omne peccatum mortale patratum die Parasceves vestitur ob circumstantiam diei nova malitia mortali. V. XLVI. 1. Quid peculiare hic habeat ebrietas? 3.

Parochus.

1 PArochus est Prælatus latè dictus. III. 67. Quàm industriam, quandoque adhibebit circa publicationem Jubilei præsertim imminente paschate? 71. An possit pro Jubileo ascisсere sibi in adjutorem ad Confessiones audiendas Sacerdotem non approbatum ab Episcopo? 231. Potest ipse tunc in tota Diœcesi excipere Confessiones. 235. Quando Parochus mandat difficiliora opera quàm Episcopus, qui non paret designationi parochi, nihilominus poritur Jubileo. 496. Potest parochianis dare potestatem lucrandi Indulgentias in aliena Diœcesi datas à loci Episcopo: IV. 64. Ipse autem nequit *directè ullas* impertiri. 70.

2 Quid aget Parochus intelligens in Confessione sponsos laborare impedimento? V. XXXVII. 18. *& seqq.* Quid, quando extra Confessionem comperit tale impedimentum? 30. *& seqq.* Non excipiet juramentum testantis subesse impedimentum. 36. An possit conjungere illos, quos novit habere dispensationem pro solo foro interno? 43. Quid si privatim novit adesse impedimentum, sed falsi testes deponunt contrarium? 45.

Pasqualigus.

REfutatur ejus insulsum judicium de nullitate votorum, quæ nostri Professi edunt post solennem Professionem. III. *num.* 364. *in Append. lit.* zz. Refutatur quoque ejus Principium, quòd scilicet homo teneatur ad conservandam vitam adhibere omnia media licita, & necessaria. V. XXIII. 128. Et ejusdem assertio de lege Hispanica præcipiente, ut si arcis præfectus nequit aliter hanc conservare, quàm occidendo, edendóque suum filium, eum occidat, & edat. 134. Item ejusdem aliud principium, quòd scilicet si præbere alteri edendas resad esum humanum non destinatas continet gravem injuriam, etiam contineat, si nos ipsi comedamus. 170. *&* 175.

Pastor.

QUi pastor est, debet esse & Magister. II. 149. Nec in Ecclesiis quamvis Sanctus sit, pastoris sibi munus assumere, nisi possit docere, quos pascit. *Ibid.*

Pater.

PEccat mortaliter pater, qui hodie ita dila- 1
pidat sua, ut post sex dies non sit habiturus, unde alat prolem. V. XXVII. 63. Nam absolutè tenetur alere liberos. XXVIII. 13. Non tamen integre ante primum triennium. 14. At post illud tenetur etiam illos iis artibus, & facultatibus instruere, ut possint seipsos adulti alere. 15. Adeóque literis, si sint nobiles. 17. Quatenus teneatur filio dare potestatem eligendi quemlibet statum? 18. An teneatur suis sumptibus alere suæ uxori nutricem communium liberorum? 20. An ante primum triennium sit faciendum inter legitimos, & illegitimos filios discrimen quoad obligationem alendi incumbentem patri? 21. Tenetur etiam spurios alere. 22. Et quidem convenienter statui, *Ibid.* Etiam adulti debent ali à patre, si ii nequeant se alere. 24. Graviter peccat exponendo liberos ad fores Hospitalium. 27. Et qui ob vitandam infamiam posuit occultè ad fores Hospitalis filium, tenetur compensare expensas, si possit. 27. An licitè deponat ad palatium Episcopi, aut Parochi? 28.

Tenetur pater filiæ **etiam spuriæ constitue-** 2
re dotem. 30. Si non aluit liberos, quando tenebatur, non tenetur ad ullam restitutionem. 35. Si fecit impensas in eum, ad quas non tenebatur, potest minuere ejus legitimam. 36. Pater mariti tenetur hujus uxorem alere, si filius nequeat. 32. Quando omnibus consideratis prudenter dubitas, utrùm Cajus sit tuus filius, non teneris facere tot sumptus in eum alendum, quot si liquidò scires esse tuum filium. 41. Imò probabiliter ad nullos teneris. 42. Si videlicet illa, cum qua peccâsti, vel habeat maritum, qui sub tempus adulterii fuit domi, vel commixta fuerit sub idem tempus, quo tu, cum uno, alteróve. 49. Idem dic de marito dubitante, an sit revera pater illius prolis, quam enixa est ejus mater? 50. Solvuntur argumenta in contratium. 51. *& seqq.* Quid si adsit opinio probabilis? 59.

Pater licitè castigat filium verbis contume- 3
liosis. V. XXIX. 21. Non tamen infamantibus eum. 22. An, & quatenus licitè utatur erga filiũ verbis maledictoriis, seu imprecatoriis? 24. *& seqq.* An licitè carceri eum clausum teneat, vel loris astringat? 43. Verberans filium contra pietatem paternam, tenetur eum emancipare. 52. Nec licitè verberat emancipatum. 47. An etiam uxoratum? 53. An Clericum? 48. *& seqq.*

SS. Patres.

SAncti Patres cur aliter in suggestu, aliter in Confessionali sint loquti? I. 168.

Patrinus.

PAtrinus potest esse testis in causa sui filii spiritualis. V. XLII. 71. Nisi positivè constet, quòd valde amet suum filium spirituale. *Ibid.* Non tenetur eum alere. XXVIII. 39.

Pavidus.

EXplicatur illa sententia: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* I. 154.

Pauper.

QUis censeatur fieri pauperior per aliquem contractum. V. XII. 3. Pauper an teneatur pro Jubileo dare eleemosynam? III. 214. Quis in eo casu habeatur pro paupere? 215. Quantam dabit pauper mendicus? 216. Pauperum nomine quibus est pro Jubileo largienda eleemosyna, veniunt etiam pauperes secundùm suum statum. 222. Et aliquando Ecclesiæ piáque loca. *Ibid.* Pauper an sit testis omni exceptione major? V. XLII. 20. Casus de paupertate ingrediente votum. III. 295.

Peccatum.

1 QUodnam peccatum sit maximè probrosum? V. VII. 1. & 2. Quodnam gravius altero? 3. Quid requiratur ad id, ut aliquid sit propriè peccatum? VIII. 21. *&* IX. 3. Quid ad id, ut quidpiam reputetur ad culpam? IX. 3. Mala, quæ in ebrietate involuntariâ committuntur, non sunt peccata. 2. Quid si ebrietas fuit voluntaria, sed nullo modo fuerunt prævisa illa mala? 3. Aliud est esse peccatum, aliud imputari ad culpam. *Ibid.* An ejusmodi mala tunc saltem vocanda sint peccata, quando & ebrietas fuit voluntaria, culpabilisque, & fuerunt perfectè prævisa? 4. Est, & non est lis de solo nomine inter negantes, & asserentes, talia esse propriè peccata. 5. Quid rationem peccati propriè dicti habeat in homine, qui occidit alium in ebrietate culpabili, & se inebriavit prævíso manifesto periculo talis homicidii? 6. *& seqq.* Illam rationem non habet ipsa actualis occisio. 8. *&* 9. Mala commissa in ebrietate non sunt necessariò confitenda. 14. Quomodoigitur oporteat confiteri homicidium patratum in ebrietate? 16. *&* 18. Et singulariter quando homicidium est casus reservatus? 18. Illa mala non sunt dicenda imputari ad culpam tunc, cùm patrantur. 19. Nec ullatenus imputantur ad culpam, quando vel ebrietas fuit involuntaria. 21. Vel voluntaria quidem, sed sine prævisione secuturorum malorum. 22. Esto soleant sequi ebrietatem. 24.

2 Ad peccatum contrahendum non sufficit advertentia interpretativa malitiæ, sed requiritur actualis, saltem per modum dubii, aut suspicionis. V. IX. 26. Quæ tunc non sufficit, quando fuerunt adhibita media impediendo malo, seu peccato, quod timebatur. 33. Et generatim tunc non sufficit illud dubium, aut suspicio, quando fuit expulsa tanquam irrationabilis. 35. An quando est verè probabile, non eventurum malum, & simul probabile eventurum? 37. An quando ebrietas est tantùm venialiter mala, quæ ex ea sequuntur, imputentur ad culpam lethalem? 41. Non omnia mala, quæ quis clarè prævidet, se in ebrietate patraturum, censenda sunt esse peccata. 44. Sintne ejusdem speciei illa peccata, quæ quis certò prævidet, se commissurum ratione ebrietatis, & illa, de quibus dubitat, an sit commissurus? 51. *&* 52. An oporteat aliter illa, aliter ista confiteri? 53. Sítne verum, quòd ebrii communiter non patrent peccata, seu actiones ex se malas, nisi incitentur? 58. Et quòd ebrioſi non teneantur communiter ante ebrietatem cavere, ne in ebrietate committant aliquid, quod secundùm se sit peccatum? 60.

An peccent graviter, qui ebrios incitant ad 3
peccata materialia? 63. An peccata commissa in ebrietate sint leviora, quàm extra ebrietatem? 64. An ei, qui prima vice se inebriat, imputentur omnia peccata, quæ solent patrari ab ebriis? 66. An eo ipso, quòd quis se resolvat ad amplectendum objectum aliquod peccaminosum, ei reddantur voluntariæ omnes omnino malitiæ, quæ insunt illi objecto, etsi non prævisæ? 67. An si det operam rei illicitæ, imputentur ei omnes eventus peccaminosi? 68. An peccata propè infinita committat, qui sponte se inebriat? 72. An qui scit, se solere peccare in ebrietate, sit reus malorum omnium secutorum, etsi non prævisorum, etiam sub dubio. 75. *&* 76. An mala, quæ ebrius committit prævisa ante ebrietatem, dicenda sint unum peccatum, an plura? 73. An ad peccatum mortale sufficiat apprehensio mali moralis, an verò requiratur apprehensio mali moralis gravis? 84.

An delinquat mortaliter, qui alium ad pec- 4
catum veniale inducit directè ea intentione, ut hic animam suam maculet peccato *veniali*? V. XIII. 17. *&* 57. Sunt generatim quadruplices modi inducendi alterum ad *peccatum* materiale, aut formale. 16. Quatenus sit licitum inducere ad minus *peccatum*, ut impediatur majus? 18. Aut *inducere* sola urbana invitatione? 19. *& seqq.* Aut ad evitandum malum proprium, vel alienum? 24. *& seqq. distinctè.* An, & quantum peccent, qui sunt aliis indirecta causa peccati? 44. *& seqq.* Aut qui non impediunt peccatum? 53. cujus speciei peccatum admittat, qui est alteri directa, vel indirecta causa peccati? 56. Quomodo sit confitenda ista causatio, præsertim indirecta? 61. *&* 62. Et quantum peccet, qui gloriatur, quòd alterum induxerit ad hoc, aut illud peccatum? 63. *& seqq.*

Quodnam peccatum dicatur esse ex suo 5

genere mortale? V. XXIII. 19. Quot, qualiáve committat is, qui dicit: *Malo omnia jura divina, & humana transgredi, quàm non satisfacere meæ gulæ*? 33. Quot ille, qui dicit: *Amplectar omnem malitiam, quæ est in hoc objecto*? 34. & 32. An omne peccatum bestiale, & ferinum sit mortale? 147. Recensentur aliqua talia. *Ibid.* Non peccat, qui ad mortẽ vitandam permittit suum peccatum. XXXIII. 82. Quid si potiùs permittat adferri sibi certum periculum æternæ damnationis? 83. An illa actio ex se mala intrinsecè, quam exerceo licitè, debeat vocari peccatum materiale, an nullo modo peccatum? V. XXXVII. 104.

6 Sub reatu peccati mortalis aliquid prohibetur, quando prohibetur sub excommunicatione majore. V. XXXVII, 271. Aut quando sub hac formula: *Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI &c. se noverit incursurum.* 272. An quando peccat contra justitiam is, qui est causa damni injusti remota, & mediata, etiam peccet is, qui immediatè infert illud damnum? II. 494.

Peregrinus.

PEregrinus an possit lucrari Jubileum concessum loco, ubi ipse existit, ut peregrinus? III. 87. & 90. Et nominatim illud, quod Episcopi solent post Annum Sanctum petere pro suis Episcopatibus? 463. & *seqq.* Quid de illo, quod datur toti Christianitati? 94. Quid de aliis Indulgentiis? IV. 63. & 64.

Periculum.

LEx naturalis non vetat sub mortali actionem ob periculum mali, si illud malum longè sæpissime non eveniat. V. VI. 30.

Perinde.

CLausulæ perinde explicatio. III. 517. *in Append. lit. c.*

Perjurium.

PErjurium necessariò importat contemptum DEI. V. XIX. 43. Unde nullus ebrius potest propriè pejerare. *Ibid.* Adeóque non tenetur confiteri verba perjura prolata in ebrietate. 44. Quid de illo, qui solet sobrius pejerare, sed inadvertenter? 45.

Podagra.

POdagra sæpe oritur ex ebriositate. V. X. 13. An peccet mortaliter duplici peccato, qui nimio potu causat sibi podagram? 14. & *seqq.* Quid si illa podagra est impeditura officia, ad quæ quis tenetur? 22. Casus illius qui causam sævioris podagræ dedit ob temporale bonum. 16. Et illius, qui podagram excessivo potu causatam depulit alio itidem excessivo? 18. Et illius medici, qui gnarus curandi podagram vovit, se nec sua arte usurum, nec eam doctum alium? 17.

Pœna.

QUando sit infligenda pœna? I. 149. Quid 1
in ea infligenda vel remittenda considerabit judex? *Ibid.* Pœnæ sunt hac ætate arbitrariæ. *Ibid.* Non quævis pœna temporalis remittitur per Indulgentiam. IV. 19. Remittitur autem debita in foro Sacramentali, & divino. 24. & *seqq.* Clausula: *De pœnis*, seu *pœnitentiis injunctis*, quomodo sit intelligenda? 27. & 28. Quo sensu intelligatur pœna lata in eos, qui dant aliquid pro Bulla Cruciata? 425. An quando vetatur sub pœna nullitatis, ne quid detur pro Bulla Indulgentiæ, incurrat pœnam is, qui dat aliquid solicitatori Romano? 427. Quid si etiam ministris Papæ aliquid detur, sed non ex pacto? 428. Quid si detur quidem ex pacto, attamen non admittatur? 429. Quid si detur aliquid pro susceptione in aliquam Confraternitatem? *Ibid.*

An committens homicidium in ebrietate fiat 2
irregularis? Vide Verb. *Irregularitas.* Et an, qui in ebrietate commisit aliquod crimen, possit à Magistratu civili affici pœnâ? V. XX. 18. & *seqq. distinctè.* Et singulariter in locis, in quibus non viget positivè mos puniendi commissum non prævisum? 28. Quid denique practicè loquendo possit judex facere circa tales delinquentes? 31. Laudanda lex, quæ statuit, omnia planè delicta in voluntaria ebrietate patrata, esse gravius punienda, quàm si patrarentur extra ebrietatem. 35.

Pœnæ statutæ à Jure Canonico in Clericos 3
ebriosos. V. XXII. 1. & *seqq.* Apud Moscovitas verberantur ii. 2. Ingemiscendum, Canones Ecclesiasticos de ebriosis non observari. 4. Quid iidem Canones statuerint in Laicum ebriosum? 5. Quid in Clericum, qui totam noctem in tabernis egit, & altera die nulla præmissa dormitione Missam cantavit? 6. Quæ pœnæ civiles sint decretæ in Laicos ebriosos? 7. & *seqq.* Singulariter in milites? 10. Foret consultum, si ebrietas voluntaria prohiberetur sub pœna exilii, aut capitis. 14. Si quoque omne etiam improvisum delictum patratum in ebrietate puniretur gravius, quàm commissum à sobrio. XX. 35. Graviter delinquunt Magistratus Ecclesiasticus, & Laicus, si non graviter animadvertant in ebriosos. XXII. 16. Quomodo exterminabunt ebrietatem è Germania? 19. Pœnæ statutæ in adulterium. Vide Verb. *Adulterium.*

Punitus ab uno judice, quatenus etiam ab 4
alio plecti possit? V. XXXII. 41. 42. & 46. Pœna pecuniaria potest indici à Magistratu etiam Ecclesiastico. 43. Et à Magistratu Ecclesiastico incarcerari Laicus juxta aliquos. 44. Punitus à Magistratu inferiori non potest ordinariè puniri à superiore. *Ibid.* Absolutus ab uno, puniri potest ab alio. 45.

Pœni-

Pœnitentia pro Jubileo, & Indulgentiis.

1 PArva pœnitentia est tempore Jubilei communiter injungenda. III. 169. Oportet tamen semper imponere medicinalem necessariam. 170. Et tunc vindicativam, quando non est probabile, pœnitentem obtinuisse, vel obtenturum Indulgentiam æquivalentem. *Ibid.* Secùs, si sit obtenturus. *Ibid.* Et tunc est pœnitenti indicanda causa imminutæ pœnitentiæ. 172. Casus, quo pœnitens non potest pœnitentiam injunctam omittere ob Indulgentiam. 173. Remedium dandum conquerentibus de gravitate pœnitentiæ. 175.

2 Quas pœnitentias pro peccatis determinârint Canones Pœnitentiales? IV. 284. Non est verum, quòd pro singulis mortalibus fuerit decreta septennis. 292. Cur fuerint olim injunctæ tam graves pœnitentiæ? 285. Hac ætate dantur parvæ. III. 172. An ob Indulgentiam omittenda pœnitentia, vel minuenda? 171. & *seqq.* Item IV. 241. & *seqq.* Malè negat Lezana, nomine *pœnitentiæ salutaris* intelligi eleemosynam, aut corporis afflictionem. V. XXXVII. 211.

Pollutio.

ESt mortale ea intentione multum edere, aut bibere, ut in somno sequatur pollutio expellens semen molestum. V. XXIII. 209. Non item si solùm bibas, aut edas immoderatè, prævidens secuturam pollutionem. *Ibid.*

Portiuncula.

POrtiunculæ Indulgentiæ quatenus concessæ à Christo ipso? IV. 350. An, & quæ suspendantur tempore Jubilei? 353. Selecta referuntur de ea. 354. Et selectiora, *in Append. ejusd. n.* 354.

Possessio.

POssessionis magnum privilegium. I. 116. Possessio requiritur ad fundandum titulum præscriptionis legitimæ. II. 192. Quid ea sit? 194. Immemorialis non exigit titulum. 203. Sed bonam fidem. 192. Quæ tamen præsumitur adfuisse, si sit sermo de fide bona Theologicè. 205.

Possessio per actus exercitos cum amicabili conniventia non acquiritur adversus connivентes, at bene potest acquiri contra alios. V. II. 25. Etiam per unicum actum acquiritur, etsi ille actus fuerit momentaneus, duraveritque possessio per unum, aut duos duntaxat dies. 22. Et tali possessione spoliatus debet ante omnia restitui. 23. Possessio alicujus statûs transfert onus probandi non inesse, quando illa qualitas, quæ inest fuit apta inesse ab initio. V. XXVIII. 85. Possidens jam libertatem, non tenetur probare, se semper fuisse liberum. *Ibid.* Et possidens Stichum ut servum, non tenetur probare, illum fuisse semper servum. *Ibid.*

Porta Sancta.

POrta Sancta quæ? III. 10. Cur dicatur Sancta? *Ibid.*

Potentia.

OMnis potentia perficitur per suum naturalem actum & objectum. V. XXIII. 103.

Potestas patria.

POtestatis patriæ effectus est jus verberandi liberos. V. XXIX. 47. Ordines Minores non eximunt patriâ potestate. 48. Eximit autem Episcopatus. *Ibid.* At non integre Sacerdotium. *Ibid.* Aut Matrimonium. 53. Patria potestas quo jure orta? 50.

Præceptum.

PRæceptum particulare Ecclesiæ obligat eò modo, quo universale circa eandem materiam. V. XXXVII. 222. & 259.

Præfatio.

PRæfatio Legis dat intellectum toti legi. V. XXVI. 53.

Prælatus.

AN Prælati graviter delinquant, si suos non edoceant necessaria pro lucrando Jubileo Romano? III. 22. Prælatus strictè dictus quis sit? 66. & 67. Superiores etiam Ordinum Mendicantium sunt strictè Prælati. 67. Strictè dictus Prælatus dicitur etiam Prælatus Ecclesiæ. *Ibid.* An possint Prælati Regulares publicare Jubileum ante Episcopum? 67. An designare aliam Ecclesiam, quàm designârit parochus? *Ibid.* Prælatus Regularis an tempore Jubilei indigeat Episcopali approbatione pro Confessionibus Sæcularium? 231.

Præscriptio.

AD legitimam præscriptionem quot conditiones exigantur, II. 192. & *seqq.* An etiam patientia adversarii? 192. & 199. An Theologis pertractantibus materias Juridicas parrocinetur titulus præscriptionis, Vide Verb. *Theologus, n.* 5.

Præsumptio.

PRæsumptio juris tantùm quæ? V. XXVIII. 64. Juris, & de Jure quæ? *Ibid.* An admittant probationes in contrarium? 63. Præsumptiones fornicationis valentes in una regione non valent semper in altera. V. XXXII. 25. Præsumptio, quæ spectatis omnibus est probabiliter violenta, sufficit ad suspicandum prudenter de aliquo delicto. 26.

Prior.

PRior Claustralis & Conventualis quis? III. 32. *in Append. 2. lit. aa.* Qui Ordines Religiosi habeant Priores, & Subpriores? *Ibid.* Eorum potestas, *Ibid.*

Privi-

Privilegia.

PRivilegia per modum contractus concessa non censentur revocata per generalem clausulam derogatoriam. III. 42. Verba etiam privilegiorum debent intelligi secundùm id, ad quod principaliter proferuntur à privilegiante. 485. Privilegii nomine an comprehendatur Indulgentia? IV. 22. An datum alieno subdito subsistat? 64. Privilegium an, & quatenus censeatur non esse efficaciter revocatum respectu ignorantium revocationem? 667. Quid singulariter de privilegiis concessis Theatinis, & Jesuitis? *Ibid.* In dubio utrùm privilegium sit Reale, an Personale, præsumitur esse Reale. V. XXXVII. 159. Utrùm sit Reale, an Personale dijudicandum est, attendendo potiùs ad naturam, & conditionem rei datæ, quàm ad expressionem verborum. 161. Etiam consuetudo, & usus explicat vim privilegii. 160.

Privilegio fori gaudens, gaudet & Canonis. III. *n.* 32. *in Append.* 1. *lit. g.*

Probabilis: Probabilitas.

PRobabile quid dicatur? I. 6. Probabilitatis practicæ, & speculativæ nova descriptio. 20. Alia de probabilitate vide suprà Verb. *Opinio. n.* 1. *& seqq.*

Probatio.

PRobatio requisita ad torturam qualis, & quanta esse debeat? V. XLII. 48. Qualis ad condemnationem Capitalem? 56. Et singulariter in criminibus exceptis? 53. & 56.

Processio.

VNa sufficit pro Jubileo, nisi expressè præscribantur plures. III. 121. Nec censentur præscribi plures, licèt Bulla loquatur in plurali de processionibus, *Ibid.* Est sub mortali indicenda saltem una. 122. Non tamen est de necessitate valoris illa indictio. *Ibid.* Multo minùs quando ab Episcopis indicitur sine mandato Papæ. *Ibid.* Laudanda tamen illa indictio. *Ibid.* Nemo renetur interesse processioni etiam indictæ ex mandato Papæ. 124. Quid si, qui interest, nihil oret? *Ibid.* Aut garriat perpetuò? *Ibid.* Processiones institutæ à Confraternitatibus Laicorum non sunt Officia Ecclesiastica. 454.

Professio.

PRofessio Religiosa invalida quomodo revalidetur? III. 32. *in Append.* 3. *lit. bbb. & iii.* Quid si talis professi ætas sit dubia? *Ibid. lit. aaa. & bbb.* An reclamans post quinquennium à Professione sit audiendus? *lit. lll.* Ad Professionem tacitam requiruntur quinque. *lit. mmm.*

Professor.

AN peccet mortaliter si per nimiam absti-

nentiam reddat se ineptum ad docendum? V. 1. 50. Quid si per intemperantiam causet sibi illud ipsum impedimentum? x. 21. Quid si suppleat defectum per alium? 23. Quomodo confitebitur suum neglectum? 25. An, & cui teneatur restituere? 26. & 28.

Propinatio, Provocatio, ad aquales haustus &c.

PRopinandi mos unde provenerit? V. XIII. 1 1. An laudandi Germani, qui sua convivia claudunt poculo, quod vocant S. Joannis benedictionem? 3. Illustris sententia S. Augustini de propinantibus ad honorem Sanctorum. 4. Exemplum catholici Ministri puniti quòd spreverit poculum propinatum ad benedictionem S. Joannis. 5. Quantum sit peccatum propinare, & provocare ad haustus æquales? 6. Quantum certare, uter altero plus bibere valeat? 7. Jure civili est interdicta provocatio ad haustus æquales. 12. Et Ecclesiastico. 14.

Quadruplici modo potest quis provocari 2 ad ebrietatem. V. XIII. 16. Primus illorum, qui intendunt mortem animæ, est diabolicus. 17. Alter, quo scilicet vult quis, ut alter fiat per propinatum vinum ebrius, nec potest fieri ebrius sine peccato, quod tamen non intendit provocans, est quandoque licitus. 16. & 18. Est etiam quandoque licitus tertius, quo cupis sopiri vino illum, quem nôsti sopiendum inculpabiliter. 16. & 18. An peccet, qui ex urbanitate invitat alterum ad bibendum, prævidens fore, ut illa invitatio sit futura occasio ebrietatis formalis? 19. *& seqq.*

An propinatio, & provocatio ad ebrieta- 3 tem sit tunc licita, quando est necessaria ad impediendam proditionem arcis? V. XIII. 24. & 26. Et singulariter casu, quo qui invitantur, fient inculpabiliter ebrii? 27. Aut quo prædones sunt occisuri innocentem, nisi hic eos vino sopiat? 29. Aut quo custodes carceris itidem sopiuntur vino? 30. Aut quo tantùm probabiliter timetur mors injusta inferenda à Cajo, nisi Cajus inebrietur? 32. Aut quo Legati inebriantur ad explorandum eorum secreta? 35. Aut quo inebriatur vel ideo Reus, ut ex ebrio cognoscatur sitne nocens, an innocens? 36. Vel, ut condemnatus tanto animosius perferat extremum supplicium? 38. An licitè inebrietur stultus? 39. Vel puerulus? 40. Cujus speciei peccatum admittat, qui alterum illicitè provocat ad ebrietatem? 56. *& seqq.*

Propinare, & bibere in sanitatem alteriùs 4 est mos jam vetustus. V. XIII. 66. Talis propinatio est superstitiosa, si non jungatur ei alius actus. 67. Ut plurimùm continet ea propinatio aliquam culpam. 72. Elegans S. Ambrosii sententia de propinationibus in sanitatem Principum. 68.

Puer.

Puer.

QUid Confessarius judicabit de pueris confitentibus, se comedisse priusquam aut surgerent, aut manus lavarent? V. XXIII. 61.

Purgatorium.

PUrgatorii pœnæ quantæ? IV. 287. & 288. Quamdiu perferantur ab aliquibus? 289. An unus Annus purgatorii expietur Anni unius Indulgentia? 287. Tota pœna purgatorii poterat expiari per pœnitentias decretas à Canonibus. 284. Non est verum, quòd nulla anima hæreat in purgatorio diutius, quàm viginti Annis. 287.

Q.

Quarta funeralis.

QUartam funeralem an, & quatenus teneantur solvere Ordines Mendicantes? V. L. 75. Quando duo parochi contendunt de quarta funerali, utri illorum debeatur? 77.

Quilibet.

DIctio: *Quilibet* operatur idem ac si essent factæ plures dispositiones. IV. 632. *in Append. lit. ff.* Et differt à clausula: *Omnis*, eò quòd hæc sumatur distributivè, & collectivè: illa autem semper distributivè. 606. Adfertur instantia in contrarium perquam difficilis. *Ibid.*

Quivis.

CLausula: *Quivis* præsertim posita in Dativo, vel Accusativo casu comprehendit omnia. III. 491.

Quotidie.

QUidnam requiratur ad id, ut quidpiam possit dici fieri *quotidie?* IV. 520.

R.

Rationis usus.

RAtionis usum exturbare ad breviculum tempus per actionem etiam malam non est crimen lethale. V. VI. 38. *& seqq.* Esto quis rationabiliter malit perdere notabilem summam pecuniariam, quàm ad breve tempus privari ratione. 43. Vide Verb. *Somnus.*

Realinus.

PBernardinus Realinus consueverat in confessionali procedere secundùm sententias benigniores. I. 137.

Regula.

REgula actionum humanarum est judicium, non dubitatio. I. 157.

Regulares.

REgularem, seu Religiosum statum quænam constituant? III. 32. *in Append.* 1. *lit. f. & seqq.* Regularium privilegia dubia interpretanda sunt in eorum favorem. I. 28. Statuta spectantia ad eos, non sunt interpretanda juxta apices Juris. 71. Regulari non licet absque facultate Prælati proficisci Romam pro Jubileo. III. 18. An Prælatus possit eam petenti negare? 18. Indulgentia promissa ingredientibus Religionem competit etiam ingredientibus Novitiatum. 57. Suspenditur in Anno Sancto. *Ibid.* Per ingressum Religionis consequitur quis remissionem omnium peccatorum. *Ibid.* Regularis illicitè surripit aliquid pro eleemosyna, quændo Prælatus non vult largiri pro Jubileo. 217. Sufficit, si detur cuculam, vel Agnum Dei. *Ibid.*

Regularis habens à suo superiore facultatem eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis, quamdiu possit uti illa potestate? III. 243. An si sit Ordinis Mendicantis possit absolvere notorium percussorem Clerici, & quidem lite pendente in foro? 252. Et à censuris illum, cujus Confessionem non cogitat excipere? 257. *& seqq.* Quomodo ergo intelligenda clausula: *Auditis diligenter eorum Confessionibus?* 259. Quid si ille pœnitens solùm dicat: *Peto absolvi à censura, si quam incurri?* 260. Quando Superior Regularis dicit subdito: *Do tibi potestatem eligendi Confessarium, qui te absolvat hac vice tantùm*, quomodo intelligitur illa clausula? 267. An in foro externo standum testimonio Regularis Confessarii testantis, hunc aut illum fuisse à se absolutum? 274.

Regulares Mendicantes possunt extra Jubi- 4 leum commutare illa quoque vota reservata, in quibus Episcopi dispensant ex ordinaria potestate. III. 320. Possunt & in iisdem dispensare saltem ex permissu Superiorum. *Ibid.* An tempore Jubilei licitè eligant pro lubitu Confessarium? 225. & 226. Regularis Prælatus an tempore Jubilei indigeat approbatione pro Confessionibus Sæcularium? 231.

Regulares etiam exempti possunt se subji- 5 cere Episcopo in ordine ad lucrandas Indulgentias. IV. 62. Et quidem directè. 63. Regularis Prælatus non habet ex se potestatem dandi Indulgentias. 72. Regulares quatenus communicent sua bona opera cum aliis? 104. *& seqq.* Quando Religiosus particularis ea applicavit sibi, vel alteri, nequit Prælatus disponere de iis. 105. Peccat tamen subditus si applicet alicui contra voluntatem Superioris? *Ibid.* Ejus omnia opera satisfactoria non necessaria ipsi, applicantur habentibus communicationem cum Ordine. 109.

Quis Regularis dicatur vivere extra claustra? 6 IV. 342. Regulares Mendicantes lucrantur in suis Ecclesiis etiam Indulgentiam Portiunculæ. 454. Regulares gaudent Indulgentiis, quibus Sæculares. 544. Paulus V. non restituit iis illas Indulgentias, quas abstulerat ipsis. 545. Quæ sint illæ, quas abstulit, quas non abstulit? 546. & 547. Quas in locum revocatarum substituerit idem Pontifex? 549.

Quam

Quam communicationem Indulgentiarum habeant inter se Regulares? Vide Verb. *Communicatio. n.* 2. Quas Indulgentias habeant Sæculares propter Regulares? 561. *& seqq.*

7 Regularibus subditis nequit superior imperare tantas abstinentias, quantas ipsi licitè suscipere possunt. V. 1. 53. Regularium Novitiatum non teneris deserere ob victum obnoxium tuæ valetudini. 54. Regularis expertus nocere sibi cibum, aut potum consuetum in suo ordine, an teneatur petere alium? 60. An indicare Superiori? 65. *& 66.*

8 An Regularibus sit licitum habere tabernas? V. 11. 10. Et cerevisiam coquere ex suo hordeo, venderéque? 11. Ita vendendo non censendi sunt negotiari. 12. Quid si illi Religiosi emant hordeum, & vendant cerevisiam inde confectam? 13. Quid si ipsimet Regulares eam coquant? 15. An delinquant, quando tractati lautiùs more solito bibunt liberaliùs, reddúntque se ineptos ad commodè studendum per duas horas? V. XVIII. 28. Regularis & Clericus certò peccat occidendo illum, qui minatur, se gravia crimina de ipso, vel ejus Religione sparsurum. V. XIX. 9. Regulares non delinquunt, si quandoque edant cibos delicatiores, V. XXIII. 79. Præsertim si petantur ex eorum prædiis. 80. An si assidentes mensæ Dynastæ identidem carpant delicatiores, neglectis vulgaribus? 81. Non graviter peccant ducentes inter se choreas. 201.

9 Regularibus vitanda convivia, quoad possunt. V. XXVI. 25. Magis honorantur, si respuant invitati. *Ibid.* Jocus salsus in Religiosum convivam. 26. Quæ convivia censeantur ita adversari decentiæ status Regularis, ut videantur vetita à Clemente, & Urbano? 44. Regularium est judicare, utrùm adversentur nec ne. 45. An omnia illa repugnent tali decentiæ, quæ exsuperant quantitatem, vel qualitatem ferculorum à Superiore præscriptam? 49. Decentia illa habet magnam latitudinem. 50. Nec est æqualis in omnibus Ordinibus. 54. Clemens, & Urbanus in suis Bullis nullis prohibent Regularibus, quod non fuerit priùs vetitum. 56. Ubi extet Jus antiquum prohibens ea, quæ illi Pontifices? 58. Illi Pontifices non inhibent Regularibus moderatas donationes ad remuneranda officia præstita, vel conciliandos Ordini amicos. 60. Recensentur pœnæ in Regulares excedentes in conviviis, & donationibus. 61. Quid si absit intentio ambitionis? 62. Quid si præcisè tractentur hospites lautiùs, quàm permiserit Superior? 63. Quid singulariter statutum de conviviis in receptione Novitiorum? 65.

Regularem statum nequit adulter conjux assumere sine consensu partis Innocentis. V. XLI. 1. Vel nisi pars innocens suscipiat talem statum. 2. & 3. Aut nocens petierit sæpe reconciliationem ab innocente, & hæc constanter negârit. 5. Quando pars innocens dat nocenti jus suscipiendi Ordines sacros, aut Religionem, non tenetur ipsa innocens pars fieri Religiosa, aut edere votum castitatis. 6. At potest fieri Religiosa etiam invitâ parte reâ adulterâ, etsi hæc remaneat in sæculo. 7. Quid si nequeat juridicè probare adulterium? 9. Maritus innocens potest post adulterium uxoris libere fieri Sacerdos sæcularis. 10.

Regularis Prælatus potest esse testis in causa sui cœnobii. V. XLII. 39. & 40. Item subditus Regularis. 40. & 125. Regularis potest esse testis in causa suæ Ecclesiæ, adeóque in causa rerum spectantium ad jura Monasterii. 126. An etiam Abbas? Vide Verb. *Abbas.* Potest Regularis esse testis in eo testamento, in quo legatur aliquid ejus Monasterio. XLII. 131. Et si simul adsit vir, aut fœmina, erit plenè probatum testamentum. 148. Potest & in omni causa, in qua agitur de perpetuo commodo sui Monasterii esse testis, 126. & 136. Esto mediatè redundet aliquod commodum in ejus personam. 136. Potest etiam esse testis in causa particularis Religiosi. 137. An etiam in causa sæcularis? 139.

Peccat Regularis testificans sine consensu Prælati, valet tamen testimonium. V. XLII. 141. *& seq.* Prælatus non debet facilè permittere suis, ut dent testimonium. 149. Si tamen veritas non possit haberi, nisi per testes Regulares, tunc possunt cogi ad testificandum. 151. Nequeunt testificari in causa sanguinis nisi ad absolvendum. 152. Et excommunicatur judex cogens ad juramentum. 153. Potéstque Religiosus tunc uti amphibologia. *Ibid.* Religiosi testimonium pluris est faciendum, quàm Laici. 154. Et creditur ei in causa sui fratris sæcularis. *Ibid.* At Laicus sæcularis nequit contra Religiosum testificari in causa criminali. 156. Potest autem Sacerdos sæcularis. 157.

Respectivè.

Clausulæ *Respectivè* energia. III. 32. *in Append. 2. lit. aa.*

Reversus.

Illa Regula: *In Brevi reversus, censetur non divertisse*, declaratur variis exemplis. IV. 608.

Revocatio.

Revocatio Indulgentiarum pro Regularibus quales facta à Paulo V? Tract. IV. 545. *& seqq.* An eæ rursum stabilitæ? 549. *in App. lit. a. & seqq.*

Revocatio Indulgentiarum & privilegiorum an obsit ignoranti? IV. 666. & 667. Et an facta generalibus terminis deroget privilegiis, & Indulgentiis munitis peculiari clausula non obstantiarum? 668. & 669. Et generatim an deroget speciali nota dignis? 671. Revocatio gratiæ non est tam latè accipienda, quàm concessio, tametsi literæ revocatoriæ constent iisdem clausulis, quibus concessoriæ. 673.

Describitur Decretum, quo Alexander VII. revocavit aliquos favores annexos Indulgentiis. IV. 678. Non revocavit ullas Indulgentias, sed tantùm aliquas earum prærogativas. 679. Illud decretum est usu receptum. 680. Non tamen habuit vim ante publicationem per Diœceses. *Ibid.* Intentiones, seu vota Indulgentiarum non indicantur verbis Alexandri propriè, aut impropriè sumptis, attamen illud Decretum extenditur reipsa ad eas. 681. 682. & 683. Quid censendum de illis, qui ab ipsomet Pontifice, aut Nuntio Apostolico acceperunt postmodum simul permultas intentiones? 685. Aut etiam permultas res affectas Indulgentiis? 687. Ad quid referatur clausula: *Non obstantibus*, posita in fine Decreti Alexandrini? 693. Illud Decretum extenditur etiam ad Indulgentias concedendas à successoribus. 695. An revocatio Alexandri tetigerit illos, qui habentes plura numismata retinuerunt sibi solùm duo, aut tria, in eum finem, ut uni amisso substituerent aliud? 696. Quid intellexerit Alexander per obtinentes rem affectam Indulgentiis, an habentes commodatò, aut cum titulo veri dominii? 698. *& seqq.*

Rosarium.

Rosarii nomine quid intelligatur in materia Indulgentiarum? 407. *& seqq.* Psalterium etiam communissimè vocatur Rosarium. 402. Omittens unum, alterúmve *Ave Maria* ex Rosario an lucretur Indulgentiam promissam recitantibus Rosarium? 192. Dimidia parte Rosarii fracta, aut amissa perditur Indulgentia. 395. Non item si sola chorda. 390. Quæ Indulgentiæ recitantium Rosarium? 600.

S.

Sacramentum.

Indulgentia promissa frequentantibus *Sacramentum* in Ecclesiis Ordinum Mendicantium non competit illis, qui tantùm unum Sacramentum solent ibi percipere. IV. 571. Aut qui duo percipiunt, sed solùm semel, aut bis in Anno. 572. *& seqq.* Quid si homo rusticanus ter, aut quater in Anno? 575. Quid si Confessio fieri soleat non in ipsa strictè dicta Ecclesia, sed in cella Conventûs, vel Collegii adjacentis? 576. Vide plura suprà Verb. *Corona.*

Sacrilegium.

Vnum ex signis, an committatur grave sacrilegium per profanationem rei sacræ, est, si ea grave scandalum generet. V. XLVII. 3. Applicatur hæc doctrina inebrianti se die obitæ Sacræ Communionis. 5. Et die parasceves. XLVI. 1. & 2. Et in Ecclesia. XLVIII. 3. Et cantanti lasciva in Ecclesia aliis audientibus. XLIX. 2. Et proferenti verba contumeliosa. XLVIII. 4.

Sæculares.

Sæculares non possunt in Ecclesiis Regularium habentium communicationem Indulgentiarum, adipisci omnes Indulgentias via communicationis, quas ipsi Religiosi. IV. 556. Multas tamen lucrantur intuitu Regularium aut Ecclesiarum, aut personarum. 561. & 564. Enumerantur illæ Indulgentiæ. 561. *& seqq.* Singulariter exprimitur illa, quam lucrantur audiendo concionem alicujus Regularis Mendicantis. 561. Aut visitando Ecclesias Societatis. 566. *& seqq.* Sæculares quas Indulgentias obtineant salutando temporibus consuetis Virginem Matrem? IV. 590. *& 594. & seqq.* Quas recitando aliam salutationem Deiparæ? 593. Quas recitantes tertiâ partè Rosarii? 600. & 601. Quas soliti piè, & reverenter pronuntiare nomina *IESV*, & *MARIÆ*? 602 Specificantur occasiones sæpe lucrifaciendi hanc Indulgentiam. 603. Quis in agone constitutus possit dici consuevisse reverenter pronuntiare illa nomina? *Ibid.*

Sævitia.

Quid nomine *sævitiæ* intelligant Jura disponentia de divortio ob *sævitiam* alterutrius conjugum? V. XXXIV. 2. An, & quatenus permittant ea divortium? 1. *& seqq.* Quæ sint mala corporis, ob quorum inferendorum metum permittitur istud divortium? 5. Etiam unica gravis verberatio præbet causam diverendi. 12. Si videlicet prudenter timeatur repetitio. 13. Quid si sólæ discordiæ frequentes, continuáque rixæ intercedant? 14. Quid si parentes mariti irrogent ea mala corporis? 15. Enumerantur variæ percussiones, de quibus quæritur, an sufficiant ad divortium? 16. Consuetudo patriæ efficit, ut verberatio censeatur in uno loco esse sæva, quæ non est in altero. 18. Rarò movetur in Consistorio Constantiensi lis de sævitia solitaria. *Ibid.* Sævitia erga liberos præbet matri jus divortii. XXXV. 5.

Quandonam censeatur esse probabile periculum sævitiæ? V. XXXIV. 19. *& seqq.* Quid si maritus non sit tutus ab uxore? 21. Quid si timeat, ne ipsemet in ira illam occidat, an licitè ipsemet divertet? 22. & 23. Quid si adsint minæ eluso riæ? 26. Quid si maritus factus sit furiosus? 30. Quid si detineat domi concubinam? 33. Et ipsamet uxor sit adultera? 34. Quæ cautio sit censenda sufficiens? 40. *& seqq.* Proponitur singularis Casus divortii ob sævitiam sæpius exercitam. 47. Quatenus liceat propria authoritate divertere ob sævitiâ? 49. & XXXV. 2.

Saga.

Sagis & veneficis non solet in Germania deferri juramentum. V. XLII. 52. Nullus vir, aut fœmina bonæ cæteroquin famæ damnari potest

teſt ad mortem ob ſolam depoſitionem multarum ſagarum. 57. Imò ne quidem ad torturam. 59. Præſertim crudelem, qualis alicubi ſolet adhiberi. 60. Novum genus ſagarum, & veneficorum Anno 1651. exortum in Sileſia. 62. Quomodo detectum? 63.

Saltem.

QUæ ſit vis hujus adverbii: *Saltem.* II. 444. & V. XXXVII. 216. *Salus.*

SAlúſne corporis, an animi intelligatur, quando pro obtinenda Indulgentia poſtulanda eſt ſalus Pontificis? IV. 341. *& ſeq.* Nemo quantumvis peccator exiſtens in extremis, præſumitur eſſe immemor ſuæ ſalutis æternæ. V. L. 33. Quomodo intelligendum hoc Axioma? 45. An applicandum iis, qui occiduntur in ira implacabili? 46. *& ſeq.*

Salutatio Angelica.

AN revera Indulgentiam plenariâ obtineat recitans ter Salutationem Angelicam cum tribus conſuetis verſiculis, quando datur ordinarium ſignum campanæ? IV. 590. *& ſeqq.* An non ſaltem partialis acquiratur? 594. & 595. Multi Belgæ, & Hiſpani omittunt poſtremam partem illius Salutationis. 596. An nihilominus lucrentur illam Indulgentiam? *Ibid.* Quid ſi Clericus omittat? 597. Quandonam cœperit illa devotio erga B. Virginem? 598. Refertur S. Antonini ſententia in comendationé illius pietatis. 599. *Sanchez.*

THomas Sanchez non adivit ſcholas Juridicas. II. 191. Elogium, quo eum honeſtavit Clemens VIII. 414. *Sancti.*

SAncti, qui abſtinentiis minuerunt vitam, quomodo excuſandi? V. I. 47.

Sanguis.

LIcet quandoque veſci ſanguine humano. V. XXIII. 150. An epilepticis liceat bibere ſanguinem humanum? 152. Quid cenſendum de ſenibus, qui ſanguinem ex vena adoleſcentis detractum bibunt ad prorogandam vitam? 154. An licitè præbeatur beſtiis ſanguis humanus? 160.

Sítne fas haurire ſanguinem pecudum? V. XXXI. 17. Refertur factum Carthuſiani, qui in extrema neceſſitate aperuit venam ſui equi, & proſilientem ex ea ſanguinem hauſit. 18. Hoc factum eſſe à culpa immune pronuntiaverunt Patres Carthuſiani. *Ibid.*

Scandalum.

AN ſcandalizans aliquem indirectè contrahat ſpeciem peccati, quod committit ſcandalizatus? V. XIII. 62. *Scandali* nomine quid intelligat vulgus? XXXVII. 170. Quid Brevia diſpenſationum matrimonialium? 171. Debet illud ſcandalum eſſe publicum. *Ibid.*

Scientia.

SCientiæ ſtrictè dictæ quo pacto tractent etiam de quibuſdam objectis non ſolùm ſcientificè ſed probabiliter duntaxat? II. 89.

Scriptura Sacra.

CUr ea recenſeat peccata etiam Sanctorum Patriarcharum? V. VII. 14. Elegans ſententia ex S. Ambroſio. *Ibid.*

Scurrilitas.

SCurrilitas quid ſit? V. XXIII. 208. An exercita per verba inhoneſta ad ſolum riſum excitandum ſit mortalis? *Ibid.*

Secretum.

QUid ſi ſecretum? V. XIX. 72. An non duplex 1
crimen lethale committat, qui conſcius ſecreti minimè revelandi ſeſe inebriat? 51. Singulariter ſi ſciat, ſe interrogatum in temulentia conſuêſſe pandere talia ſecreta? 56. An auditores poſſint prudenter fidem habere ebriis narrantibus de ſe, aut aliis ſecreta crimina? 60. An judex hæc reſciens procedat licitè contra talem? 65. An quando ebrius fatetur aliquod ſcelus de ſe, aut alio, poſſit privatus expiſcari veritatem? 69. An peccet graviter, qui refert aliis ea ſecreta, quæ audiit ex ebrio? 70. An ſit fas aliquem inebriare ad expiſcandum, aliquod ſecretum ex eo? XIII. 32. *& ſeqq.* Solent ſecreta prodere ebrii. XIX. 52.

Secretum aliud eſt Naturale, aliud Sacra- 2
mentale. V. XIX. 74. Aliud creditum cum pacto, aliud ſine pacto non revelandi. 73. Et quidem cum pacto vel expreſſo, vel ſolùm tacito. *Ibid. &* 87. Et expreſſo vel antequam panderetur ſecretum, vel poſtquam fuit jam revelatum. 74. Denique aliud ſecretum eſt cognitum ſine injuria: aliud cum injuria. *Ibid.* Quomodo obliget id, quod citra cujuſquam injuriam, & ſine pacto ſervandi ſecreti cognitum eſt? 75. Quomodo id, quod cum injuria alterius eſt cognitum? 77. Quomodo id, quod cum pacto, ſed ſuperveniente ipſi revelationi? 83. Quomodo id, quod præcedente pacto? 86. Singulariter tacito? 87.

Quinam ex pacto ſolùm tacito teneantur 3
ſervare ſecretum? V. XIX. 87. Et an adſit obligatio ſervandi cum proprio gravi incommodo ſecretum? 92. Quid pronuntiandum de obligatione ſecreti crediti extra Confeſſionem his verbis: *Hoc dico Ræ. Væ. ſub ſigillo Confeſſionis?* 93. Quomodo ſe geret Confeſſarius erga illum, qui revera credit, tale ſecretum eſſe Sacramentale? 100.

Seneca.

SEnecæ ſtultum judicium de permiſſa ebrietate. V. XVIII. 23.

Senex.

PEr *ſenes* quinam intelligantur in Bullis Jubileis facientibus poteſtatem diſpenſandi cum ſenibus. III. 471. Senes cur peculiare teneantur eſſe ſobrii. V. XXXI. Cur dicatur vinum eſſe lac ſenum. 2. Senex centum viginti quinque Annorum. V. X. 47. *in Append.* Quomodo pervenerit ad tantam ſenectutem. *Ibid.*

Sententia.

SEntentia incerta quæ dicatur? I. 66.

Sepultura.

1 AN qui in ebrietate mortuus eſt, ſepeliendus ſit loco ſacro? V. L. 2. *& ſeqq.* Quid ſi non ſit notorium, illum bibiſſe uſque ad ebrietatem? 6. *& ſeq.* Quid ſi conſtet, illum depulſa crapula vixiſſe aliquantulo tempore compotem rationis? 9. Quomodo Doctores loquantur de ſepultura mortui in peccato mortali? 31. *& ſeqq.* Refertur Caſus Religioſi reperti in puteo, & ſepulti loco ſacro. 12. Senſus Doctorum de eo, qui repertus eſt ſuſpenſus. 13. & 53. & 59. & 62. Proponitur longus caſus de ſepultura unius, de quo & dubitabatur, an fuerit hæreticus, & ſciebatur contendiſſe privato duello, & dubitabatur, an poſt acceptum vulnus lethale elicuerit contritionem? *à num. 19. uſque ad* 51. Et alius de Monacho reperto cum laqueo in collo. 53. Et de alio Religioſo etiam ita reperto. 61. Et de pio adoleſcente etiam in reperto. 56. Et de illo, qui ſeipſum jugulârat. 60. Et de meretricula reperta cum multis vulneribus. 33. & 51. Quid ſit ſepeliri ſepultura aſini? V. L. 1.

2 An, & quatenus ſacrâ ſepulturâ privetur mortuus in duello? V. L. 29. & 30. An adulterii, qui deprehenſi in adulterio occiduntur à ſuperveniente marito? 33. & 48. An occiſi in rixa? 33. & 49. An mortui in cornibus taurorum? 33. & 50. An meretricula inventa mortua cum multis vulneribus? 33. & 51. An occiſus in furando, vel deprædando? 48. Quid ſi in his generibus perſonarum interceſſerit breviculum tempus, quo fuerint compotes mentis ante exturbationem animæ, & accepta vulnera lethalia? *Ibid.*

3 Quid cenſendum de Magiſtratibus ſæcularibus mandantibus ſepeliri loco infami omnes, qui ſibi ipſis intulerunt manus violentas? V. L. 58. Quid tunc debeat facere Magiſtratus Eccleſiaſticus? 57. Qui ſeipſum necavit, non eſt privandus ſacrâ ſepulturâ, ſi præſumi poteſt, eum feciſſe ex mentis alienatione. 59. De quibuſnam videatur id poſſe præſumi. *Ibid.* Qui imminente incendio ſe præcipitat in terram, & moritur, non eſt privandus ſepultura. 66. An Saga, quæ reperitur mortua in carcere? 68. Vel inflixit ſibi vulnus lethale, at pœnituit aut mortem? *Ibid.* An ſi ante torturam reperiatur mortuus, præſumendum ſit, attuliſſe ſibi manus violentas? 69. Modo ſi quis mortuus repertus in eo loco, tempore, & modo, quo potuit occidi ab aliquo, non eſt privandus ſepultura. 72. Electio ſepulturæ eſt cuivis permiſſa. 74. Conceſſâ ſepulturâ conceditur delatio mortui proceſſionaliter. 81. Enumerantur. 14. Genera hominum privandorum ſepultura. 82.

Sermo.

SErmo ſimpliciter prolatus in uno actu, & in una vice conſumatur. III. 383.

Severitas.

SEveritas addidit Catoni dignitatem. I. 64. Vitanda Confeſſario, exercenda erga ſe ipſum. 67.

Sicut.

CLauſula *ſicut* facit repetitionem præcedentis qualitatis. III. 48. *in Append.* I. *lit. d.*

Sigillum Confeſſionis.

QUid ſit ſigillum Confeſſionis. V. XLII. 187. 1
Ejus obligatio tranſit ad omnes, ad quos mediatè, vel immediatè pervenit notitia peccati in Confeſſione detecti. 186. Ita ut ne quidem indirectè liceat cuiquam manifeſtare illud delictum. 189. Quis cenſeatur indirectè manifeſtare? *Ibid.* Et ne quidem illi de eo licitè inter ſe loquuntur, qui ex publica ſcelerati Confeſſarii Concione illud notum habent. 191. Quomodo ergo ſe gerere debeant, quando fama vulgavit, illud delictum eſſe illicitè evulgatum à Confeſſario, & examinantur à judice Eccleſiaſtico, an, & quid de illo peccato, aut revelatione audierint? 208. *& ſeqq.*

Peccant contra ſigillum Confeſſionis, qui 2
etiam bono Zelo ducti deferunt ad judicem Eccleſiaſticum, hunc, aut illum Confeſſarium revelâſſe grave peccatum Caji. V. XLII. 210. Quomodo ergo denuntiare debebunt? 211. Et Confeſſarius ſi examinetur à judice, violabit ſigillum fatendo ſe illud violâſſe. 215. Imò & violabit, ſi tunc taceat. 216. Quid ergo agendum? *Ibid.* Affectus extremo ſupplicio in Gallia Parochus, qui ob lucrum revelaverat homicidium patratum à ſuo pœnitente. 197. Quid cenſendum de illa vulgari inter profana negotia phraſi: Dico hæc Reverentiæ Veſtræ ſub ſigillo Confeſſionis? Vide Verb. *Secretum. n. 3.*

Similis: Similitudo.

CLauſula *ſimilis* denotat ſimilitudinem reſpectu facti, modi, & qualitatum. IV. 632. *in Append. lit. gg.*

Simulatio.

SImulatio propriè ſumpta eſt mendacium reale. V. L. 63. & LI. 39. Non item impropriè ſumpta. 40. Quæ ſit propriè dicta ſimulatio? 39. Quæ improprié? 40. Declarantur hæc variis exemplis practicis. L. 64. & LI. 38. & 41.

Singularis.

TEstes singulares communiter non probant. V. XLII 96. Singularitas testium est triplex. 97. Quatenus testes singulares faciant semiplenam probationem, sufficientem ad torturam, & pœnam extraordinariam? 98. Testes singulares admittuntur ad probandum, esse factam revelationem sigilli Confessionis. 214. Et quando agitur de actu non momentaneo, sed successivo. 99.

Sobrietas.

SObrietatis etymon. V. 1. 1. Ejus significatum triplex. 2. Cur dicatur moderari affectum, & usum potûs desiderabilis? 3. *& seqq.* Quid intelligatur nomine potûs inebriare valentis? 7. In quo consistat moderatio, quam in tali potu debet procurare sobrietas? 11. Non est sobrietatis moderari nimium appetitum aquæ, 12. An contra sobrietatem peccet, qui non bibit vinum, cùm ratio dictat esse bibendum? 13. An sobrietas sit statuenda virtus specialis? 16. An differat ab abstinentia? 19. Quas personas deceat peculiariter hæc virtus? V. II. & III. An contra sobrietatem peccet Religiosus, qui absque periculo se inebriandi ingreditur locum adiri prohibitum ex motivo sobrietatis? VI. 4. Sobrietati an repugnet inebriare se tabaco, fumo, pane? XXXI. 14. An si repugnet, possit salvari definitio sobrietatis? 15.

Socer.

SOcer locum parentis obtinet. V. XLII. 75. Potest esse testis in ea causa generi, in qua pater naturalis. *Ibid.* Ac potest quoque accusare suum generum singulariter in causa concernente suam filiam. 76. *& seq.*

Societas IESU.

1 EJus scriptores plerique, multo autem plures alii defendunt dogma de licito usu cujuslibet opinionis certò probabilis practicè. I. 165. Societatis JESU scriptores calumniosè insimulantur damnatæ laxitatis. 218. Societatis Doctores nominantur, qui præclarè scripserunt de materiis juridicis, & tamen non adiverunt scholas Juristarum. II. 290. *& seqq.* S. Pius V. studuit ejus propagationi. 245. Quanti eam fecerint, S. Carolus Borromæus, & Pius IV? *Ibid.* Quousque possint Magistri Societatis tradere in scholis materias Canonicas? 316. *& seqq.*

2 Superiores Societatis solent tempore Jubilei publicare in Refectorio, se curaturos, ut detur eleemosyna pro omnibus. III. 217. Quos Superiores soleat habere in Collegiis? 32. *in App. 2. lit. aa.* P. Minister nullam apud nos spiritualem jurisdictionem habet per se loquendo. *Ibid. lit. ee.* Religiosus Societatis absque consensu Superioris nequit uti potestate legendi libros prohibitos, etsi concessâ à delegato Apostolico. IV. 64. *in Append.* Declaratur facti specie. *Ibid.* Nullo privilegio possumus uti absq; consensu Superiorum. *Ibid.* Cautè legendus Alviset scribens de nobis. III. 32. *in App. 1. lit. g.* Proponitur, & exponitur quoddam Breve Innocentianum, quo conceditur personis Societatis Indulgentia in forma Jubilei. III. 33. *& seqq.* An pro Communione Generali, quam celebrat quot mensibus Societas, possit designari Oratorium convictorii? 198. An omnia Oratoria existentia extra urbem, in qua Societas celebrat primariò illam Communionem? *Ibid.* An ejus Religiosis liceat tempore Jubilei eligere Confessarium quemlibet? 226. Qua moderatione utendum? *Ibid.* Confessarii illius non solent pœnitentibus dare schedam testantem, eos fuisse absolutos ab hoc, aut illo peccato, aut censura notoriis, & reservatis. 276.

Societatis vota substantialia sunt plura, 3
quàm quatuor. III. 364. *in Append. lit ss.* Nullum horum est per Bullam Jubilei commutabile. *Ibid.* Repellitur Pasqualigi temeritas. *Ibid. lit. tt.*

Societatis Superiores possunt pro libitu Indulgentias pro festo Annuntiationis datas Sodalitatibus Annuntiatæ transferre, quando transfertur Festum. IV. 356. An Indulgentiæ concessæ emittentibus Professionem prosint Religiosis Societatis, emittentibus tria simplicia vota in fine Novitiatus? 549. Quas Indulgentias concesserit Gregorius XIII. Frequentantibus scholas, & Ecclesias Societatis? 568. Aut frequentantibus Sacramenta in iisdem Ecclesiis? 571. Quinam censeantur frequentare? Vide Verb. *Sacramenta.* Societatis privilegia non censentur esse efficaciter revocata, nisi revocatio intimetur superioribus. 667. Et revocatio fiat modo valde extraordinario. 669.

Societatis Regulam de mortificationibus 4
manifestandis superiori, commendat Petrus Navarra. V. 1. 49. Suis Religiosis non permittit, eos defectus suorum deferri ad Superiores, qui sunt manifestati secretò, & Consilii causa. V. XIX. 88. Qualia de Iesuitis spargant in locis remotis acatholicis hæretici? XXIII. 120. Quomodo hæc mendacia profuerint tempore belli Suecici Jesuitis Germanis? 121. Gaudet Societas privilegio dispensandi quoad esum carnium cum uxoribus, & famulis hæreticorum. XXXIII. 122. Quandonam videatur singulariter utendum hoc privilegio? *Ibid. & 119.* Defenditur contra Lezanam ejus privilegium, quo Generales Societatis possunt etiam non Doctoribus dare potestatem expediendi literas pœnitentiariæ. V. XXXVII. 159.

Prohibet Societas suis, ne sint testes instru- 5
mentarii. V. XLII. 145. Nec in aliis causis, nisi in iis, quæ ad Religionem Catholicam pertinent. 149. & 150. Quo casu possit Superior Societatis dare, & non dare potestatem testificandi in causa civili? 150. Quid statuat contra illos, qui temere denuntiant aliquem apud superiorem? XLII. 258. Delatores temerarios punit graviter pro ratione delicti. *Ibid.*

Socius.

SOcius criminis communiter non est testis idoneus. V. XLII. 42. Excipe crimina excepta. 44. An testimonium socii sufficiat ad formandam inquisitionem contra socium? 46. An ad torturam? *Ibid.* Quid si duo socii nominent unum tertium? 49. Quid si sint singulares? 50. Duo etiam, aut plures socii criminis non sufficiunt ad condemnationem illius, quem nominant, etsi crimen sit exceptum. 53. Quid si agatur de sociis veneficorum, & sagarum? Vide Verb. *Veneficus.*

Soleo.

QUid sit necesse, ut quis lucretur Indulgentiam promissam solitis exercere bonum aliquod opus? IV. 451. *& seq.* Quid, ut lucretur Indulgentiam oblatam solitis Sacramenta percipere? 572. *& seqq.* Ac solitis reverenter pronuntiare sacratissima nomina? 603. Quandoque dicitur is solere, qui solùm duos actus exercet. 452.

Somnium.

1 SOmnium turpe directè procurare non licet. V. XIX. 16. Ideóque nefas est ea intentione edere calida, ut eveniant turpia somnia, quidquid dicat Joannes Sanchez. 14. Non tamen sunt necessariò confitenda ea, quibus solùm indirectè dedimus causam. 17. Plurimùm interest inter somnia proborum, & improborum. 40.

Somnus.

AN privare se per somnum usu rationis non sit aliquando crimen lethale. V. VI. 50. Cur sit crimen lethale privare se illâ per potum nimium, non autem per somnum? *Ibid.*

Spoliatus.

SPoliatus est ante omnia restituendus. V. XI. 23. Etiamsi nactus sit possessionem per actum momentaneum. 22. Et etiamsi Spoliatus sit latro, aut à Principe spoliatus. 24. An spoliatus sit ante omnia restituendus in causa, qua allegatur sævitia mariti, à quo uxor profugit? 34. 45.

Statio.

STatio quid? IV. 337. Stationum origo quæ? *Ibid.*

Suevi.

SUevorum laus Bellica ex Cæsare. V. LI. 109. Cur olim non sint passi, vinum ad se importari? *Ibid.*

Summistæ.

QUid de Summistis scripserit Manrique? II. 24. 26. 56. Varia de Summistis. 224.

Suspensio Indulgentiarum.

QUalis generatim fiat in Jubileo Anni Sancti? III. 40. *& seqq.* An Ecclesiarum Romanarum? 40. *& 48. in Append. 2. lit. f.* An domûs Lauretanæ? 41. *ad fin.* An Bullæ cruciatæ? 42. An datæ altaribus privilegiatis? 43. *& 48. in Append. 1. lit. c. & seqq.* An pro articulo mortis? 44. & 45. An datæ pro defunctis? 45. *& 48. in Append. 1. lit. c.* An nostræ menstruæ? 45. Et singulariter *n. 48. in Append. 2. contra aliquem Anonymum.* An partiales? 47. *& 48. in Append. 3. lit. a.* An Einsidlensis, seu Eremitana? 48. *in Append. 3. lit. b. & seqq. fusissimè, lit. e. & seqq.* Proponuntur argumenta in partem affirmativam. *lit. c. & d. & p.* Alia in partem negativam. *lit. f. g. k. q. & seqq.* Quales facultates suspendantur in Jubileo? 49. Quando incipiat suspensio? 50. Quando desinat? 52. Ignorans suspensionem non lucratur Indulgentias. 51. An suspensio Indulgentiarum minuat numerum Annorum septem, quorum unus incidit in Annum Sanctum? 56. An extendatur ad Indulgentias concessas emittentibus professionem Religiosam? 57.

Suspicio.

SUspicionem temerariam de gravi peccato alterius movere Cajo an sit mortale? V. XIX. 29. An temeraria suspicio de gravi peccato alterius sit grave peccatum? 30. *&* 31. Suspicio violenta quænam dicatur? XXXII. 3. Et singulariter respectu patrati adulterii? 5. *& seqq.* Ac fornicationis? 19. *& seqq.* Excludenda est omnis nefanda suspicio. 24.

Synodus.

SYnodus Sexta nullos edidit Canones. V. XXIII. 221. Synodus Trullana malè honoratur nomine *Sextæ Synodi. Ibid.*

T.

Tabacus.

AN liceat se se inebriare tabaco? V. XXXI. 2. Quid si somnus, quem parit suffitus tabaci, non sit diuturnus? 5. Refertur pars Bullæ Urbani VIII. vetantis sacerdotibus usum tabaci sub Missæ Sacrificio. 6.

Tabernæ.

TAbernæ vinariæ prohibitæ Clericis. V. XI. 6. An Religiosi licitè eas habeant in Monasteriis? 10.

Temerarium.

TEmerarium judicium quod? V. XIX. 61. Temeraria suspicio quæ? 63. Quæ non temeraria? XLII. 239.

Temperantia.

ESt ignobilior ceteris virtutibus Cardinalibus. V. XXIII. 71. Quæ ejus Regula? *Ibid.* & 73. & 86. & *seq.*

Tempus pro Iubileo.

1 ESt id tempus semper saltem duarum hebdomadarum. III. 63. Quas quidem nequit decurtare Ordinarius. *Ibid.* Unde erravit quidam Vicarius Generalis, qui determinavit pro universis unam solùm hebdomadem. *Ibid.* Et probabile est, posse partem operum validè fieri in una hebdomade, partem in altera. 72. Nec obest, licèt Ordinarius in suo Diplomate declaret, omnia debere fieri intra unam hebdomadem. 63. & 72. Nominantur Jubilea durantia diutius, quàm duas hebdomadas. 63. Quid intelligatur nomine mensis, quando datur Jubileum pro uno, aut pluribus mensibus? 63.

2 Hebdomadæ duæ pro Jubileo quot diebus constare possint? III. 63. Nominantur Episcopi Constantienses, qui terminârunt illas hebdomadas diebus quatuordecim. 63. Germani per *duas hebdomadas* intelligunt dies quindecim. 63. Debent eæ designari ab Episcopis. 64. Nec valent opera obita ante designationem. 64. Aut post lapsum temporis, si ignorâsti designationem. 65. Quid si fuisti oblitus? 91. *ad fin.* Istud tempus qui, & quatenus possint designare Prælati, & Ordinarii locorum, Vide Verb. *Prælatus*, & Verb. *Ordinarius*.

3 Peccant Ordinarii mortaliter, si absque pergravi causa differant publicationem Jubilei. III. 68. Dubium est an dilatio designationis non obsit valorii Jubilei. 69. Non tenentur tamen communiter indicere tempus Jubilei, antequam ipsimet accipiant à Nuntiis Apostolicis exemplar Bullæ. 70. Et possunt mandare inchoari quacunque die hebdomadæ. 70. Sicut & quando dies non est determinatus ab Episcopo, potest parochus inchoare feriâ tertiâ, vel quartâ. 71. Et singulariter quando Festum S. Josephi, aut Annuntiationis venit circa Dominicam *Iudica*. 71. Ceterùm observandus est etiam dies, quem Episcopus, vel Papa determinavit. 73. Quid si per inadvertentiam non perfecisses orationem, aut eleemosynam ante ultimum diem Jubilei, & illo ultimo die facias tanto plus? 74. Pax Jordanus damnat de mortali Episcopum, qui publicationem Jubilei vel differt ob tempus messis, vel non assignat idem omnino tempus pro toto Episcopatu. III. 71. & 69. Refutatur praxi Episcoporum Germanorum. 71.

Testis.

1 AN commune judicium Doctorum de aliqua re sit idoneus testis ad probandam consuetudinem? I. 29. Ebrius nequit esse testis. V. XXV. 13. Imò nec ebriosus potest esse extra ebrietatem testis major omni exceptione juxta nonnullos Jureconsultos. 14. Singulariter in Hispania. 15. An possit quis testari, se pro certo scire id, quod novit ex solis conjecturis, & præsumptionibus à jure probatis? XXVIII. 61. Testis esse potest omnis, cui non interdicitur testimonium. XLII. 2. Testimonii dicendi jus est generosa dignitas. 13. Qui dicantur testes omni exceptione majores? 3. Versus, quibus comprehenduntur intestabiles. 5. An mancipium? 6. An mulier? An minorennis? 10. An amens? 12. An infamis, an pauper, an hæreticus contra Catholicum? Vide Verb. *Infamis: Pauper: Hæresis*. An alii varii? Vide in propriis titulis. An idem possit esse accusator, & testis? Vide Verb. *Accusator*. An idem Judex & testis. V. XLII. 34. An idem reus, & testis? 35. An quis in propria causa? 37. An socius criminis, Vide Verb. *Socius*. An Consanguineus, & Affinis, Vide Verb. *Consanguinitas & Affinitas*. An standum testimonio unius? Vide Verb. *Unus*. An testimonio testium singularium? Vide Verb. *Singularis*. An testimonio non jurati? Vide Verb. *Iuramentum*. Hostis capitalis nequit esse testis etiam in criminibus exceptis. V. XLII. 24.

Quo sensu dicatur, & verum sit, plus credi duobus affirmantibus, quàm decem negantibus. V. XLII. 100. Testis de visu, & auditu, quis dicatur? 108. & 109. Quantum credatur huic? 109. An possit jurare se scire? 110. An debeat esse juratus? Vide Verb. *Iuramentum*. Quando testes discordant, standum est depositione potiùs plurium, quàm pauciorum. V. XLV. 134. Quando testes inhabiles admittendi in defectu habilium? XLII. 159.

4 An quando fama spargit, aliquem Confessarium fregisse sigillum Confessionis, possint examinari testes cùm ipsius famæ, tum ipsius immediatè revelationis? V. XLII. 180. & *seqq.* Si ille, cujus Confessionem revelâsse dicitur Confessarius, nolit examinari testes, illicitè examinabuntur. 185. Illicitè testificabuntur, quotquot mediatè, vel immediatè intellexerunt peccatum revelatum à Confessario. 194. Illicitè & ipse Confessarius testabitur, se revelâsse. 201. Ostenditur quomodo judex possit in ejusmodi casu procedere. 203. & *seqq.* Auctor famæ vulgantis iniquè, Cajum esse homicidam: nequit esse testis in tali judicio. V. XLII. 228. Testimoniorum verosimilium est maxima vis. 231. Quid si ille author famæ non peccavit manifestando occultum crimen? 232. Testis debet reddere causam sui testimonii, alioquin non probat. 230. Judex quandoque tenetur ultro repellere testem defectu laborantem. 253.

Theo-

Theologia: Theologi.

1 THeologiæ in genere descriptio. II. 85. Theologiæ Moralis definitio. 86. Est verè, & propriè dicta Theologia. 87. Ejus objectum materiale quod? 90. Formale quod? *Ibid.* Quomodo dirigat actus humanos ad ultimum finem? 91. Quomodo differat à scientia Juris Canonici. 96. Habet objectum patens latiùs, quàm habeat Jurisprudentia Canonica. 97. Omnes actus Jurisprudentiæ spectant ad illam. 99. Corrigit errores Canonum. 100. Et Legum. 101. Præstat scientiæ Canonicæ. 102. Omnibus aliis. 103. Est omnium princeps. 104. & 117. Utitúrque aliis scientiis tanquam ancillis. 118.

2 Cur Theologia moralis sit nunc alia, quàm fuit ante aliquot sæcula? II. 152. A quo accipiat sua principia? 118. Theologiæ antiquitas. 143. & *seqq.* Semper extiterunt in Ecclesia viri periti Theologiæ. *Ibid.* Est scientia demonstrandi vim habens. 146. Est necessaria Ecclesiæ. 147. Omniúmque scientiarum summè necessaria. *Ibid.* Necessaria quoque animarum pastoribus. 148.

3 Theologiam vocat perpetuò S. Thomas *sacram doctrinam*. II. 150. Quomodo fuerit ea tradita primo sæculo Christianitatis? 151. Quomodo secundo? 152. Quomodo tertio? 254. Quo tempore cœperit Theologia doceri in Ecclesia Orientali? 156. Nominantur, qui successivè docuerunt. 156. & 157. Cœpit seriùs doceri publicè in Ecclesia Occidentali. 159. Quinam docuerint privatim? 161. Theologis Moralibus modernis est plus deferendum in re morali, quàm priscis. I. 174. Referuntur aliquæ absoletæ doctrinæ, quas tradiderunt antiqui. 172. Exagitantur irrationabiliter à Michaële Manrique. II. 14. & *seqq.* Licitè usurpant pronuntiata, Regulásque Juris. 109. Procedunt ii ex propriis, quando utuntur Regulis Juris, etiam pendentibus à solo lumine naturali. 112. & 114. Nec tunc utuntur armis planè alienis, quando adhibent Regulas Juris pendentes à solo Jure positivo. 116.

4 Theologi sunt censores omnium doctrinarum Juridicarum. II. 122. Quas materias in corpore alterutrius Juris contentas, explicare debeant ex officio? 125. & 127. Quid de illis, quæ solùm probabiliter colliguntur ex principiis fidei? 129. & 130. Theologi sunt principales artifices. 136. Debent definire illam quæstionem: *An peccet mortaliter, qui absque dispensatione possidet plures præbendas?* 235. Ecclesia Metropolitana debet habere Theologum. 162. Quod olim ejus officium? *Ibid.* Probabiliter fuit ille, qui nunc vocatur Scholasticus. *Ibid.* Theologi sunt Coadjutores Episcoporum. 166. Jam à tempore Apostolorum debuerunt esse periti legum Canonicarum, & Civilium. II. 173. & 185. Probatur id quatuor argumentis. 174. & *seqq.* Quanti eos fecerit Synodus Tridentina? 180. Occurritur objectioni, quòd plurimi Theologi non legerint quidquam in corpore Juris. 181. & *seqq.*

Nominantur SS. Patres, qui fuêre Theologi simul & Juris periti. II. 186. Theologi titulo præscriptionis adepti sunt jus scribendi de materiis juris. 190. & *seqq.* Fuerunt, & sunt in possessione hujus Juris. 193. & *seqq.* Quæ possessio nititur titulo sufficiente. 200. Fuitque inchoata, & continuata fide quàm optimâ. 204. & *seqq.* Ac duravit tempore necessario ad præscribendum. 208. Nominantur antiqui Theologi, qui scripserunt de materiis Juridicis. 210. 211. 223. & *seqq.* Theologi antiqui fuerunt dediti magis speculativis, quàm practicis. II. 234. Postea compulsi necessitate explicârunt materias practicas pendentes à Jure. 233. & 237. & *seqq.* Ea necessitas orta fuit ex ratione proprii muneris. 251. Et ex responsis quotidianis. 253. Et ex precibus, aut mandato aliorum. 260. Nominantur Theologi, qui vel precibus, vel mandato adacti scripserunt de rebus Juridicis. *à n.* 261. *usque ad* 272. Theologi nequeunt nancisci excellentem scientiam utriusque Juris sine aut vivo Præceptore, aut excellenti ingenio. 272. Ille tamen vivus præceptor non est necessariò Jureconsultus vulgò dictus. 274. De plurimis quæstionibus etiam ex solo jure humano pendentibus possunt docte, solidéque differere illi quoque Theologi, qui non frequentârunt scholas juridicas. 276. Demonstratur id variis rationibus, *à n.* 277. *usque ad* 300. Nominantur Theologi, qui præclarè scripserunt de argumentis utriusque juris, & tamen fuerunt puri Theologi. *à n.* 285. *usque ad* 295.

5 Theologi didicerunt Juris scientiam in scholis Theologicis. II. 342. Theologi veri sunt et iam Juris periti, seu Jureconsulti. 343. & *seqq.* 173. & 185. Iidem Theologi Jurisprudentiam didicerunt lectione Jureconsultorum. 348. & *seqq.* Et ipsarummet legum, canonúmque. 350. Et denique à se ipsis. 352. Theologorum authoritatem circa resolutiones Juridicas immeritò parvi facit Manrique, & alii. 365. Nominantur Juristæ classici, qui magni faciunt tales resolutiones. 367. Causidici eas magno loco habent. 368. & *seqq.* Theologorum judicium circa Canonum, Legúmve intellectum quandonam sit præferendum judicio Juristarum? 391. & *seqq.* Quandonam circa eadem postponendum? 399. & *seqq.* Theologus est potiùs quàm Jureconsultus eligendus in Episcopum. 421. & *seqq.*

Thesaurus.

THesauri Ecclesiastici nomine quid intelligatur in materia Indulgentiarum? IV. 21.

Unde conſtetur ille theſaurus? 8. 10. & 21. Alius eſt communis toti Eccleſiæ, alius proprius cujuſque Diœceſis. 66.

S. Thomas.

Eccleſia non teſtatur, fuiſſe Sancto Thomæ divinitus infuſum, quidquid ipſe docuit, vel ſcripſit. II. 214. Quo ſenſu ipſe S. D. dixerit ſuo Sodali, ſe, quidquid ſciret, non tam ſtudio, aut labore ſuo peperiſſe, quàm divinitus traditum ſibi fuiſſe? *Ibid.* Oſtenditur, non fuiſſe ipſi omnia divinitus infuſa. 215. Exprimuntur doctrinæ, quas S. Thomas correxit traditas à ſe. 215. & 216. Refertur & elogium, quod Xantes Mariales falſò attribuit doctrinæ S. Thomæ. 217. Fatetur S. Thomas, authoritatem Doctorum Eccleſiæ facere argumentum ſolùm probabile. 218. Etiam ipſimet Thomiſtæ nonnunquam apertè diſſentiunt à S. Thoma. 219. Nemo exiſtimat (abſtrahendo à voto &c.) ſe delinquere recedendo à S. Thoma in reſolutionibus utrinque probabilibus. *Ibid.* S. Thomas eſt communis Doctor totius Orbis. 221. Fuit vere Jureconſultus. 346.

Tortura.

Tortura nulli adhibenda eſt, niſi præcedant præſumptiones violentæ patrari ſceleris. V. XLII. 48. Atque adeò indicia luce meridianâ clariora. *Ibid.* An ſit adhibenda cuivis teſti in cauſa capitali? 51. & 52. Ea non eſt adhibenda reo, vel confeſſo, vel per duos legitimos teſtes convicto. 246. *in Append. lit nn.*

Tranſlatio.

Tranſlato feſto an tranſferatur Indulgentia, Vide Verb. *Indulgentia. n.* 36. Quomodo tranſferantur quædam feſta? *Ibid.*

Truncatio.

Truncatio proprii brachii, aut pedis eſt licita, quando aliter nequit evadi mors intentata à tyranno. V. XVIII. 4. Si tibi truncandus pes, aut manus, immineátque mors ex apprehenſione doloris, quem ſit retuſura ebrietas, licitè hauries vinum uſque ad ebrietatem. 17.

Trullum: Trullana Synodus.

Trullum quid fuerit? V. XXIII. Inde vocata Trullana Synodus? *Ibid.* Malè nominatur Sexta Synodus, *Ibid.* Eſtque nullius authoritatis. *Ibid.*

Tutus: Tutior.

Tutior opinio quæ? I. 1. & 21. An una ex probabilibus ſit tutior alterâ? 21. Tutior in dubio ſit neceſſariò ſequenda? 156. Confeſſarii ſequuntur tutiora, dum procedunt communiter ſecundùm opiniones mitiores. 158. Et debent, quoad poſſunt, impellere moribundos ad ſequenda tutiora. 164. Non poſſunt negare abſolutionem volentibus procedi ſecum juxta minùs tutas opiniones, modò ſint certò practicè probabiles. *Ibid.*

V.

Valetudo.

Valetudinis læſio illata per intemperantiam, adverſetúrne ſobrietati, & temperantiæ, an ſoli propriæ charitati? V. I. 27. An qui valetudinem læſit graviter per intemperantiam èſus, aut potus, teneatur in Confeſſione dicere modum, quo læſit? XXIII. 24. Valetudinis conſervatio non eſt finis intrinſecus abſtinentiæ. 26.

Velum.

Velum, quo velantur Sanctimoniales eſt multiplex. V. XLI. 11. & 12.

Venenum.

An veneno perimens Clericum incurrat Cenſuram Canonis: *Si quis ſuadente?* V. X. 9. & 11. Venenum accenſetur rebus ex ſe malis. 11.

Verba.

Verborum omnis uſus eſt in ſignificando. 1 II. 142. Obſcura interpretanda ſunt per alia clariora. 429. Verba debent aliquid operari. III. 36. Si verbum, vel vocabulum aliquod poſſit genericè & latè, vel ſpecificè & ſtrictè accipi, tum in dubio, ſi de mente ſtatuentis non conſtet, & ſeclusa fraude, vel eluſione ſtatuti aut diſpoſitionis in materia odioſa, vocabulum illud accipi debet ſtrictè, & ſpecificè; in materia verò favorabili, & indifferente accipi debet latè, & genericè. 477.

Verba dubia ſunt potiſſimùm interpretan- 2 da conformiter conſuetudini teſtatoris. IV. 669. An ſciens, ſe ſolere in ebrietate proferre verba conſecrationis, verè conficeret tunc ſaltem, ſi ſe inebriavit intentione proferendi, & conſecrandi? V. XV. 4. Quid cenſendum de illo, qui ideo ſe inebriat, ut eo animoſiùs proferat verba contumelioſa, blaſphema &c? V. IX. 47. & *ſeqq.* Verba blaſphema, & hæretica prolata in ebrietate non continent malitiam blaſphemiæ, hæreſis &c. 46. Item nec contumelioſa continent tunc contumeliam. 47. Nec perjura perjurium. 48. Nec talia ſunt confitenda. 49. Excipe blaſphema, quando exprimunt gravem, & ſcandaloſam blaſphemiam. XIX. 36. Proferens in ebrietate verba hæretica non tenetur ea confiteri. 39. At fortè poteſt in eum inſtitui inquiſitio, utrùm ſit planè ſanus in fide. 40. & 42. De ratione ver- 3 borum hæreticorum, ut hæreſi inficiantur, eſt, ut proferantur ab homine compote rationis. 39. Verba contumelioſa in ebrietate præter intentionem prolata, an aggravent turpitudinem ebrietatis. V. XIX. 24. Prolata etiam à ſobrio

brio ſine intentione dehonorandi, non ſunt contumeliæ niſi materiales. 24. Poſſunt tamen etiam tunc eſſe peccaminoſa. 26. Quid cenſendum de verbis ebrii detractoriis? 27. & *ſeqq.* Quid de maledicis? 32. In peccatis verborum maximè ſpectanda eſt intentio, ex qua proferuntur. 24. & 38. Verba turpia proloqui, an, & quatenus peccatum mortale? XXIII. 198. Quomodo Confeſſarius ſe geret cum confitentibus ſe turpia locutos, aut libenter audiſſe loquentes? 200.

Veſperæ.

Nomine primarum, & ſecundarum Veſperarum quid intelligatur in Bullis loquentibus de Indulgentia incipiente in ſecundis? IV. 655. & 657. Quid ſi alicubi nullæ cantentur? 657. Per ſecundas intelligitur totum tempus uſque ad completorium, & occaſum ſolis. *Ibid.* An Laicus delinquat dupliciter, ſi ſe inebriet die feſto cum neglectu Veſperarum? V. XLV. 44. An Clericus, qui ex ſtipendio tenetur eas cantare? 45. & 46. An ſi prævidens, ſe in ſolenni convivio probabiliter inebriatum iri, recitet ante prandium veſperas? 48. An ſit fas veſperas recitare ante prandium abſque cauſa rationabili, & voluntate repetendi? 52. & *ſeqq.* Proponitur pro ſententia affirmativa authoritas. P. Dicaſtillo. 55. Et ratio fundamentalis. 53. Refutatur ea ſententia. 56. & *ſeqq.* Reſpondetur ad argumentum novum. 71. & *ſeqq.* Non videtur carere omni probabilitate illa ſententia affirmativa. 87.

Via.

Extra viam publicam ne deflectas. I. 8. Triſtiſſima quæque via, & celeberrima maximè decipit. 205.

Vicarius.

Vicarii juriſdictio circa cauſas commiſſas ipſi à Sede Apoſtolica, tranſit ad ejus ſucceſſorem poſt ipſius mortem, vel amotionem ab officio. I. 144. Vicarius Epiſcopi non eſt neceſſariò Doctor, aut Licentiatus in Jure Canonico. II. 443. Non requiritur in eo major ſcientia juris, quàm in Archidiacono. 448. Primariæ functiones Vicarii Epiſcopalis ſunt diverſæ à primariis ejuſdem Epiſcopi. 450. & 456. Vicarii Generalis poteſtas mortuo Epiſcopo expirat etiam in cauſis jam cœptis. III. 345. Niſi fortè ignoretur mors Epiſcopi. *Ibid.* Vicarius Epiſcopi non habet ut ſic præciſè poteſtatem largiendi Indulgentias. IV. 68. At quid ſi ſit Vicarius tam in Pontificalibus, quàm Spiritualibus? 69.

Vigilia.

1 Vigilia S. Mathiæ occurrente feria tertia poſt Quinquageſimam, quid fiat in aliquibus Diœceſibus? IV. 331.

Vindicia: Vindicta.

Vindiciarum nomine quid intelligatur? II. 2 6. Caſus Vindictæ tartareus. V. L. 46. Cupidi vindictæ difficulter etiam in extremis reſipiſcunt. 47.

Vinum.

An nomine vini intelligitur id omne, quod inebriare poteſt? V. I. 8. Obligatus abſtinere à vino non tenetur hoc ipſo abſtinere à ceresiſia, aut mulſo. 9. & 10. Nec à cibo is, qui vovit vinum non bibere. LI. 69. Vini potus quibus peculiariter interdictus? V. II. & III. Abſtinentia ab omni potu vini an laudanda? IV. 1. Et ſingulariter quando nocet valetudini? 3. & *ſeqq.* Quinam Sancti abſtinuerint perpetuò vino? 2. & 5. Vini potus fuit ignoratus antequam Noë inebriaretur. 7. An vinum ſit interdictum jejunantibus? XVI. 2. De vini potu immoderato, & moderato elegans ſententia Ariſtotelis. XVIII. 25. Quo ſenſu dicatur eſſe in vino veritas? XIX. 62. Vinum dilutum an magis inebriet, quàm non dilutum? LI. 27. Commendatio vini diluti. 28. & *ſeqq.* Vini refrigerandi ratio an probanda? 45. & *ſeqq.* Sítne licitum ejurare potum vini? 61. & *ſeqq.* De vini Benedictione, Vide Verb. *Benedictio. num.* 3.

Virgo.

Non eſt in Germania tam facilè quàm in aliis quibuſdam locis diſpenſandum cum virginibus ratione viſitationis Eccleſiarum. III. 473. Et poteſtas diſpenſandi cum iis extenditur etiam ad occultè corruptas. 474.

Vis: Vim vi repellere.

Vis eſt tunc, quoties id, quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit. V. II. 23. Vim vi repellere licet. V. XIX. 6. An cujuſvis injuſtam vim? *Ibid.* Quid ſi ſit in ſtatu peccati mortalis ille, qui me invadit? 5.

Viſitatio.

Viſitatio Eccleſiarum, aut Altarium pro Indulgentiis quomodo intelligenda? Vide Verb. *Eccleſia.* Et Verb. *Altare. n.* 1.

Vita.

Vitam prolongandi per ſumptionem cibi aut potûs obligatio non eſt tanta, quanta conſervandi. V. I. 30. An ſaltem tanta non abbreviandi per abſtinentiam, quàm per intemperantiam? 31. An adſit obligatio conſervandi vinis admodum exquiſitis, & delicatis? 34. An Medicinis? 36. Refutatur Paſqualigus aſſerens, hominem teneri ſuam vitâ conſervare omnibus mediis licitis, & poſſibilibus. V. XXIII. 128. & *ſeqq.*

Univerſitas.

Univerſitas propriè quid ſit. III. 475. An pagus

pagus possit vocari Universitas? *Ibid.* Universitas non habet animam, nec potest excommunicari, *Ibid.*

Unus.

VNus testis nullus testis. V. XLII. 80. Unius testimonio non statur in causis criminalibus quoad condemnationem. 81. At sufficit quoad inquisitionem specialem. 88. An ad torturam? 89. Quid si ille testis sit veneficus? 57. *& seqq.* Quid si Sacerdos deferatur ab uno solo in crimine hæresis? 89. Quid si Confessarius ab una sola muliere in crimine solicitationis? 90. Regulariter etiam in causa civili non statur testimonio unius. 82. Quid si sit causa nemini præjudicialis? 83. Quid si in præjudicialibus adsit unus testis minimè suspectus de falsitate? 84. Quid quando agitur de impediendo alieno peccato? 85. & 86. Quid si executor dicat, se esse functum suo officio? 87. Aut Confessarius, se excepisse Confessionem hujus, vel illius? 87. & 93. Quid si testis sit in excelsa dignitate? 94. Aut morituriens ex vulnere sibi inflicto ab aliquo nominet Cajum, aut Titium? *Ibid.* Lucernenses stant in causa testamentaria testimonio Confessarii. 91. Unius fide digni testimonium sufficit privatæ personæ ad formandam probabilem opinionem. 91.

Voluntarium.

VOluntarium indirectè quid requirat? V. VIII. 5. & IX. 3. 21. 27. 37. 65. 83. & 84.

Vomitus.

SEntentia S. Hieronymi de vomentibus, ut bibant. V. VIII. 38. An mortaliter peccet, qui tantum vini bibit, quantum sufficeret ad ebrietatem, si non revomeret, at cogitat revomere? 39. & 45. Quid si identidem infundat, & identidem revomat? 44. Quid si quis præcisè revomat, ut non inebrietur, idque sine animo rursum se ingurgitandi? 46. An revera talis teneatur revomere? 47. & 48. Intemperantia, ex qua sequitur vomitus, non est sic etiam veniæliter mala. 46. Pœna statuta in Laicos, & Clericos, qui per ebrietatem, vel voracitatem evomunt Sacram Hostiam. V. XIV. 1. An sit fas vomitum creare potu vini ablaturo usum rationis. XVIII. 13. Edere usque ad vomitum non est mortale. XXIII. 91. Esto idcirco evomas, ut possis rursum ingurgitare cibo. 92.

Votum.

1 VOta commutandi facultas non erat data ad initium Jubilei Anni M. DC. LXXV. III. 364. *in Append. lit. mm.* Sed primùm altero mense, seu Februario. *Ibid. in Append. lit. ee. & qq.* Et proinde si Anno M. DCC. Hæc potestas non exprimatur in Bulla, nequaquam præsumi debebit. *lit.* ff. At verò ea potestas datur in omni Jubileo duarum, aut plurium hebdomadarum. 282. Quæ potestas exerceri potest extra Confessionem. 283. At non ad dispensandum. 284. Commutatio quomodo differat à dispensatione? *Ibid.* Nomine Voti, cujus commutandi jus datur in Jubileo, intelligitur etiam votum juratum, adeóque etiam juramentum de objecto voti præstando. 286. & 287. Sicut & pœna, quam incurristi non observato voto. 288. Nomine *Voti* soli DEO facti quid veniat? *Ibid.* Votum factum alicui Sancto an sit propriè votum? 289. An commutabile per Jubileum? *Ibid.*

Quæ vota possint, & non possint commutari vi Jubilei? III. 290. Quid agendum cum illo, qui petit commutationem voti emissi, ex metu injustè incusso? 292. Vel ex ignorantia edito? 293. Vel propriè dubio? 293. Vel emisso ante pubertatem? 295. Votum Religionis sub conditione: *Nisi paupertas impedias*, quomodo intelligendum? *Ibid. lit. a. & lit. d.* Quomodo intelligendum Votum editum ab adolescente valde inconstantis indolis? *Ibid. lit. h.* Votum emissum ante Matrimonium an hoc dissoluto reviviscat? 295. *lit. a.* Dispensatio in voto castitatis data ob causam tarissimam. *Ibid. lit. g.* Votum commutari potest tempore Jubilei in rem aliquanto minus gratam DEO, quàm quæ fuerat promissa voto. 296. Et commutatio fieri debet absolutè, non sub conditione: *Si fueris Indulgentiam consecutus.* 297. Debet & fieri, licèt pœnitens non adferat aliâ causam, quàm quòd petat liberari. 299. Votum peregrinationis quomodo commutandum? 300. Quæ generatim percommodæ commutationes? 301. & 302. Quando sit facienda commutatio? 303. Potest etiam ille commutare, cui non cogitas confiteri. *Ibid.* Et Confessarius potest dicere: *Commuto tuum votum in illam rem, quam post unum mensem designabit talis, & talis vir doctus etiam Laicus.* 305.

Hodie possum commutare votum, cujus 3
commutationem non petivisti in Jubileo à te ante decennium obtento. III. 308. Omnia vota possunt in Jubileo commutari exceptis duobus. 282. & 310. Et singulariter castitatis. *Ibid.* Ut votum castitatis sit reservatum, seu incommutabile per Jubileum, debet esse & perfectum, & de castitate perfecta. 311. Quid intelligatur nomine perfectæ castitatis? 312. Referuntur varia vota castitatis imperfectæ, & idcirco commutabilia per Jubileum. *Ibid. & seqq.* Referuntur varia exempla votorum, quæ etsi fortè sint perfectæ castitatis, attamen non sunt reservata, quia non sunt perfecta in ratione voti. 315. & *seqq.* Ut est votum dubium. 315. Emissum ex metu injusto. 316. Votum conditionatum, etiam post impletam conditionem. 317. Votum emissum cum animo se obligandi solùm venialiter. 316. Non autem votum emissum ante pubertatem. *Ibid.*

4 Votum Religionis reservatum quodnam sit? III. 318. An quandoque commutabile vi Jubilei? 319. Singulariter quando est conditionatum? *Ibid.* Proponuntur aliqua paradigmata, seu exempla votorum commutationis pertutilia ad alia. 324. *& seqq.* Vota reservata ex se possunt à Confessario Jubilei commutari in omnibus casibus, in quibus Episcopus dispensare vi suæ potestatis ordinariæ. 320. Non autem in iis, in quibus idem dispensat solùm tanquam delegatus Sedis Apostolicæ. 321. Exprimuntur aliqua utriusque generis vota. 322. Vota substantialia Religiosorum quæ? 364. *in Append. lit. ss.* Votum non conandi lucrari Indulgentias non valet. IV. 51. Votum est promissio de meliore bono. *Ibid.*

An voto non bibendi hodie vini obstrictus peccet mortaliter, si bibat, quidquid est infra dimidiam mensuram mediocrem? V. IV. *n. ult.* Utrùm qui vovit, se hodie non bibiturum vinum, teneatur pitissare, si aliter nequeat servare votũ? 9. & LI. 69. An tali voto adversetur potus cerevisiæ? IV. 11. An qui ob ebrietatis periculum vovit abstinentiam à vino, peccet toties mortaliter, quoties bibit vinum? 13. An qui idcirco vovit abstinentiam à vino, ut privaret se voluptate percepta ex vino, obligetur hoc voto, quando amisit omnem gustum? 14. Quandonam mortaliter peccent ii, qui vinum bibunt postquam voverunt, aut jurârunt, se toto Anno non bibituros, & quidem ideo voverunt, quòd scirent, se ob ebrietatem committere gravia mala? 15. & 16. Quoties peccet is, qui ter de die haurit vinum, postquam vovit, se eo die ne quidem gustaturum? 17. An qui vovit, se hodie jejunaturum in aqua, & pane, toties peccet, quoties hodie bibit vinum? 19. Votum non bibendi vini non violat, qui bibit in sacrificio Missæ, vel post Communionem laicalem. X. Voto non ludendi chartis, an semper repugnet lusus chartarum spontaneus. 13. & 16. Votum nunquam edendi carnes an extendatur ad extremam necessitatem? XXXI. 24. & 25. Quid si quis expressè includat eo voto casum extremæ necessitatis? 24. & 26. Prudenter dubitans an emiserit aliquod votum, non tenetur illud explere. XXVIII. 45.

Ursulinæ.

VRsulinæ Virgines non propriè Religiosæ an gaudeant privilegio fori? III. 32. *in Append. lit. f.* An privilegio Canonis? *Ibid.*

Uxor.

AN hæc licitè peregrinetur sine consensu mariti? III. 19. Non est mancipium, aut ancilla mariti, sed socia, non expers omnis administrationis. V. XXIV. 33. Ipse tenetur ei præstare sustentationem congruam conditioni. 34. Bona uxoris quæ, horúmque administratio, & usurpatio qualis? Vide Verb. *Bona. n. 2.* Non sunt uxoribus laxandæ habenæ circa usurpationem bonorum communium. V. XXIV. 48. A quo eæ alendæ post divortium? Vide Verb. *Divortium*, & Verb. *Alere.* An possint esse testes in causa maritorum? XLII. 168.

Z.

Zacharias Ignatius Trinckellius.

ELogium ipsius. V. I. 117. *in Append. lit. a.* Docuit apertè quemlibet hominem teneri omnia sua opera dirigere ad finem *supernaturalem. Ibid.* Fuit vir magnus naturæ, & gratiæ donis. *Ibid.*

SYLLABVS POTIORVM ERRATORVM.

Fol.	Num.	&c.	Lin.	Menda.	Emenda.
18.	112.		7.	relictis	relectis
25.	165.		21.	Neueſter	Neuſſer.
54.	224.		4.	loquimur	loquitur.
60.	287.		2.	Suritus	Surius.
93.	Col.	1.	16.	1608.	1625.
101.	Lit.	g.	1.	A-luiſſet	Alviſet.
145.	§.	V.	7.	ſacrandi	lucrandi
150.	105.		4.	reſervari	reſervati
Ibid.	eod.		9.	Qua	Quia.
167.	164.		ult.	bebent	debent.
176.	199.		10.	ſed	ſeu
190.	246.		5.	poſt	poteſt
Ibid.	247.		5.	tam	tamen
202.	Lit.	k.	5.	irca	circa
219.	Lit.	l.	7.	ſi	hi
224.	Tit.		2.	opinione	opinio
225.	357.		9.	nimirum	mirum
Ibid.	eod.		ult.	ſcripſit	ſcripſi
233.	Sum.		12.	*ad*	*ab*
242.	455.		5.	Profeſſiones	Proceſſiones
272.	Col.	1.	&.	illi	illis
273.	115.		2.	in	*dele*
Ibid.	eod.		4.	10.	in
Ibid.	137.		15.	vocabula	vocabulo
389.	§.	Hæc.	1.	doctrinam	doctrina non
391.	Lit.	k.	2.	calulos	calculos
405.	729.		9.	Baptiaſtm	Baptiſtam
416.	Sum.		9.	*à cibus*	*à cibis*
Ibid.	67.		1.	proppſitam	propoſitam
419.	88.		penult.	incitant	incitat
429.	14.		4.	nra	non
431.	Tit.		poſt 2.	*adde*	Caput V.
434.	Sum.		7.	*eſſe*	*eſſet*
439.	Sum.		3.	*ſuppremo*	*ſupremo.*
449.	Sum.		3.	*removit*	*revomit*
456.	38.		12.	illum	ullum
469.	26.		5.	quò	quòd
471.	Col.	1.	1.	Canonico	Canonicos
473.	Sum.		35.	*charius*	*carius*
475.	9.		4.	decernitur	decernitur
477.	19.		8.	ſuum	in ſuum
Ibid.	25.		9.	nactos	non nactos
502.	32.		7.	roberet	róboret
529.	10.		5.	ligitatum	litigatum
550.	120.		3.	ſturpis	ſtupris
553.	144.		9.	hæ	hæc
563.	Sum.		6.	*animalia*	*animali*
603.	5.		1.	in	id
605.	27.		2.	ab	ad
607.	471.		17.	ſuſtentandem	ſuſtentandam
608.	48.		6.	re	*dele*
609.	50.		20.	teſtet) eſſe	teſte) eſſet
622.	10.		6.	adoratus	odoratus
625.	2.		14.	Et	Ea
635.	Sum.		7.	*ſui*	*ſua*
Ibid.	eod.		11.	*conjuge*	*conjugi*
639.	Col.	2.	10.	feris	feriis
644.	83.		3.	propoſito	*adde*: peccandi ſed potiùs cum propoſito
649.	132.		4.	abſtineat	abſtineant.
650.	134.		3.	præterea	præter ea
652.	14.		5.	&	ad
658.	52.		2.	18.	48.
700.	15.		2.	maritus	*adde*: eſt relegatus.
714.	98.		3.	ſint	ſunt
771.	62.		6.	Servio	ex Servio
774.	68.		4.	croco	ex croco.

Reliqua benignus Lector facilè corriget.

FINIS.

EMMERAMI